BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 ɲ
25 E
4

Digitized by Google

IOANNIS

MALDONATI ANDALVSII

SOCIETATIS IESV


THEOLOGI,

Commentarij in Prophetas IIII.

IEREMIAM, BARVCH,
EZECHIELEM, & DANIELEM.

Acceſſit Expoſitio Pſalmi CIX. & Epiſtola de Collatione Sedanenſi cum Caluinianis, eodem auctore.

Nunc denuò recogniti, & mendis quamplurimis expurgati.



TVRNONI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXI.

EX REGIS PRIVILEGIO.

Digitized by Google

2.25.E.4

HENRICO IIII.
CHRISTIANISSIMO
REGI FRANCORVM
ET NAVARRÆ,

Collegium Pariſienſe Societatis Ieſu, S. D.

MALDONATVM noſtrum, Rex Chriſtianiſsime, neque melior cauſſa vnquam Chriſtiano orbi commendauit, quàm cùm à Catholica religione, delatus ad te, tum cùm pietatis ſpecie obtectus error cœlum terrámque Orco miſcere laborabat, & coràm de illa, ſic vt ex ipſo cognoſcere eam poſſes, aliquoties differens, iuuentutem tuam Catholicæ fidei initiis olim inſtituit; neque ſi hodie viueret in terris, quidquam iucundiùs tibi contingeret, quàm te in ſumma nunc Catholicæ religionis fide, perliberaliter, inter illorum memoriam temporum, de tui Inſtitutoris cura ac ſtudio recordari. Ac fuit certè diuini erga nos conſilij illa ratio, vt quem hominem Deus Societati noſtræ in hoc regno, &

ã 2 ad

ad nonnullam eius dignitatem,& ad poſteritatis exemplum, florentem præſtanti virtute & doctrina,opportuniſsimo tempore conceſsit,tu,cui vniuerſa Societas noſtra tantum aliquando debitura erat, quantum hodie toto terrarum orbe, ſuo in Gallia parenti optimo tibi ſe immortaliter debere & agnoſcit & prædicat,tu eum, inquam,tanto tempore antè tua in re cognoſceres. Maldonato quidem ipſi etiam ex eo optimè eſt factum. Nam quòd hodie parte hac ſui altera in lucem prodit, tuæ memoriæ iſtud, tuæ in eum propenſæ voluntatis beneficium eſt. Nimirum abiêre menſes aliquot,poſtquam tu nobis verbo, R.P.Claudio Aquauiuæ,vniuerſæ Societatis noſtræ Præpoſito, per litteras auctor fuiſti, vti qui huius viri digni publico labores domi adhuc noſtræ ſubſiderent,eos ne premi obſcurè diutiùs pateremur, ſed cum hominum communi vtilitate,Chriſtianæ rei impertiremus.Quo vel iudicio animi tui,vel teſtimonio vocis regiæ,vel planè in nos certiſsimo amoris tui argumento,quid eſt in hoc genere, quod aut Maldonato noſtro honeſtiùs potuit, aut iucundiùs nobis omnibus euenire? Sit hæc Gallico candori libera vox; Liliatæ illæ Salomonis veſtes,quarum gloriæ eſt in diuinis Chriſti oraculis cum natiuis liliis haud obſcura contentio, neque facilè ſe exiſtimari ſinunt, nihil omnino ſua ſpecie oſtendiſſe, & iure videntur,(abſit orationi inuidia)liliatis olim Galliæ

liæ

liæ Regibus Regni gloriam & Sapientiæ amorem protendiſſe. Regni gloriam, regni diuitiæ, Regum majeſtas,nobilitas Gallica, popularis fides,cœli amœnitas, terræ ac maris opportunitates,vrbes,oppida, portus,toto regno firmiſsima belli ac pacis munimenta;cœli munere, Regum inauguratrix Ampulla,Liliorum Inſigne, victrix Auriflammula, Salutaris ſtrumarum contactus Regius,ipſæ omnium gentium linguę ac litteræ loquentur, quæ non plus ferè de ſeipſis,quàm de Gallorum rebus geſtis, non plus de ſua,quàm de Galliæ nobilitate cognouerunt.Sapientia autem quantùm Gallica ingenia ſemper amauerit, teſtes,vt in illa errorum ac ſæculorum nocte, Sarronitæ,Bardi,Druidæ, teſtis Maſsilienſium ciuitas,teſtis Lugdunenſis ara,teſtes Dionyſij, Hilarij,Martini,fortiſsimi Impietatis ac Hæreſis domitores;teſtes Curię atque Eccleſiæ Gallicę,duo clariſsima regna Politicæ ac Cœleſtis ſapientiæ; teſtes exteræ gentes,quæ ſæpè, ſuarum controuerſiarum iudicia arbitrio Galliæ permiſerunt; teſtis,præter alias frequẽtes, Pariẽſis Academia, quam ynam modò appellaſſe, denotaſſe eſt omnium Sapientiæ partium, Theologiæ præſertim puriſsimum fontem, ex quo ad vicinas diſſitáſque gentes,atque ad ipſos, Patrũ noſtrorum memoriâ,extremos Indos, limpidiſsimi Sapientiæ riui dimanarunt.Itaque incredibile dictu eſt, quanti ad hunc Sapientiæ mercatum omnium

populorum concurſus ſunt facti, poſteaquam, vt ille olim munificētiſsimus Princeps, atque inter Iſraëliticos Reges Pacis & Sapientiæ deliciæ, Sapientiæ Academicam domum ſacro in Sionis monte, ſeptem columnis, id eſt, gymnaſiis throniſque ſeptem exædificauit; ſic Chriſtianiſsimorum Regum munificentiâ, Theologia ſcientiarum atque artium regina, cincta earum ancillante ac ſtipante cœtu, in Academicum Pariſienſem montem eſt inducta. Quamquam in tanta diuturnitate rerum ac temporum, tanta potentiſsimorum ſapientiſsimorúmque Regum ſerie, tanta támque vndique florenti Academiæ gloria, admirabile dictu eſt, cùm cæteras ferè ſcientias alij permulti, multi regij quoque Profeſſores publicè traderent, vnum te eſſe, à quo regiis ſumptibus, Theologia ſuos ſibi in ea Regios Doctores hodie habeat. Adeo propriè, tot pòſt iã annis ac ſæculis, Sapientia ipſa tibi has de ſe ac de hominibus bene merendi partes, ſapientiſsimo Regi reſeruabat! Sed hęc alij pluribus. Maldonatus ipſe, ſi quid laborioſiſsimis Scholæ muneribus glorię collegit, eò collegit honorificentiùs, quòd is eius labor, pręcipuè in luce Galliæ, atque in celeberrima Pariſienſi Academia eſt verſatus. Quę res, ſi cauſſæ aliæ nos deſererent, lucubrationum eius fructus vna per ſeſe potiſsimùm Galliæ omnes addicit. Ergo & illa nobis eſt indicta neceſsitas, Rex Chriſtianiſsime, vt quoniam tu il-

lum

lum nobiſcum in Galliam poſtliminio reuexiſti, quidquid eius laborum ſupereſſe vſquam poteſt, id in Galliam per nos, vbi natum ſuſceptúmque eſt maximè, tibi tuíſque retrahatur. Retraximus en Prophetas aliquot, quos iniuriæ locorum ac temporum melior quædam ſors manúſque eripuit; Theologos certè ac diuinos Vates, & qui de regnis, de regum fortunis, de ſummis reipub. partibus, diuinitus inſtituti, enutriti partim in aulis regiis, etiamnũ in iis verſari, cum magnis ac principibus viris colloqui, (etſi nec tenuiſsimos aſpernãtur,) propriè ducunt ſuum. Siue igitur te fortunæ tuæ dignitas, ſiue de optima eius tuendæ ratione diuinorum oraculorum illuſtrata auctoritas, ſiue pro tua perſpecta in nos egregia voluntate, aut noſtri Ordinis aliqua ratio, aut Maldonati ipſius memoria delectat; à te ſupplicibus verbis petimus, vt quod neceſſario officij iure tibi à nobis deberi intelligimus, tu pro tua ſingulari humanitate gratum acceptúmque habeas, tuo id Chriſtianiſsimo nomini deditiſsima voluntate à nobis inſcribi addicíque. Ex collegio Claromontano Lutetiæ Pariſiorum x. Kalend. Aprilis CIↃ. IↃC. X.

TYPO

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

DE Maldonati Commentariis hiſce te vt aliquid ſcire velim, Chriſtiane Lector, partim me fides mea cogit, partim Maldonati memoria à me poſtulat. Tibi vt probem genuinos eſſe ingenij hos fœtus, mea fidei intereſt, de iis parente orbis, ne quid à parentis iudicio & voluntate aliud cenſeas, eſt eius nomine, quaſi ex ſupremis ipſius tabulis, quod te admoneam. Fidem vt faciam quæris? Primùm, ſi tibi auctor de Euangelica prole ſatis eſt cognitus, eris tu mihi ipſe teſtis, eſſe hos illi germanos fratres. Deinde, ſi te ipſius litteræ illæ delectarunt, (quem autem, niſi qui nihil ſentiat, non delectent?) ſi legeris in commentario in Matthæum de Ieremia hoc ſuo, de Ezechiele ſuis hiſce vigiliis illuſtrato, grauiſſimum auctoris teſtimonium. Diu ne quæras, relege oculis quæ ſunt ab eo ſcripta ad decimum octauum capitis ſecundi, atque ad capitis octaui verſum vigeſimum. Quod ſi pro eo quanti Maldonatum facis, adhuc te officij religione impediri dices, quominus, niſi quod certum exploratúmque ſit, quidquam ab eo profectum eſſe cenſeas; ſcito nos de eius autographo, tum in Ieremiam, Baruch, ac Ezechielem, tum in Sedanenſi diſputatione, tibi ipſiſſimum illum expreſſiſſe. Ita religionem religio expleat oportet, aut dum exemplaria adhuc ſuperſunt, ad nos huc aduola, & vide. Danielem damus ex apographo, timidiùs idcirco

nonnihil

nonnihil, quòd tametſi id è Romano deſcriptum autographo eſt, tamen nos ſcribæ manus, ne quà locis quibuſdam exerrarit, ſolicitos habet. Voces Hebræas, quoniam celeribus litteris, Rabbinicarum ſimillimis ſcriptæ erant, ſi quis vſpiam caſus quidquam immutauit, quod pæne omnes textus ſunt Biblici, Biblica ſupplebunt. Pſalmus centeſimus nonus quanta grauiſsimorum doctiſsimorúmque hominum celebritate in collegio Pariſienſi ſocietatis Ieſu ab auctore eſt expoſitus, tantam vim habet ſuorum teſtium; cuius quòd plurima in vulgus ſparſa exempla ſunt, eum nos, duobus vſi, prælo ſubiecimus: quamquam è docentis ore exceptum magis (ſic iſta diſſertatio eſt habita) quàm dictantis voce ſuis cunctanter dimenſum omnibus & verbis & numeris. Expleui promiſſam fidem: nunc quid tu mecum Maldonati memoriæ debeas, paucis accipe. Sunt hi Commentarij forma, quod legendo diſces, ac ſpecie alia quàm qui ab eo Euangelia prodierunt, breuiore inquam ac pacatiore. Litteralem ſenſum vno pæne contentus auctor ſedulò elicit; cum hæreticis non frequenter vt illic manum conſerit, ſed rarò. Ea re eſt factum, vt quoniam aliqui de eius exiſtimatione vehementiùs laborabant, verebantúrque, ne iſtiuſmodi commentationum genus, non perinde vt illud ſtudiis hominum exciperetur, diutiùs deliberatum de prælo cunctatúmque ſit. Sed planè ita res habet, Maldonatus ſui vbique ſimilis, magnus vbique eſt. Non vt in re affecta, ſed iudicio quæ valuit maximo id fecit. Adnotarat ſecutos id eſſe veteres Scripturæ interpretes, vt in exponendo vetere Teſtamento multò quàm in nouo conciſiores

Digitized by Google

eſſent. Sentiebat controuerſiarum de fide quæſtionum parem vtrobique opportunitatem non eſſe, non copiam. Intelligebat, tum in omnibus, tum maximè in Prophetarum ſcriptis commentario explicandis, caput rei eſſe, litteralem ſenſum multa ſæpe obſcuritate demerſum, eruere è tenebris. Quod denique magnos ac ſapientes viros breuiloquentes magis magiſque facere ætas ſolet, id ſibi vſu euenire ſentiens, ſuo ſic iudicio eſt obſecutus. Atque vtinam quem Iſaiam nobis concinnarat, amicorum is culpa, quibus habendum videndúmque permiſerat, non excidiſſet! Vtinam, quæ in epiſtolas Pauli, quæ in alias Scripturæ partes, & conſilium ei fuerat ſcribere, & interdum appromittit, ea præmatura mors non interuertiſſet! Sed homines ſumus, & vitam conſiliáque noſtra multi humani caſus aut impediunt, aut abrumpunt. Magnis in rebus, ſaltem voluiſſe, laudabile eſt. Et quod Maldonatus tantopere in rem tuam poſſe ac facere voluit, ea, Chriſtiane Lector, beneficij, cui tribuere debeas gratiam, pars eſt non minima. Tu bono tuo his ab eo acceptis fruere, & tum auctoris memoriam, tum eos, per quos tibi curata hæc gratia eſt, cole animo non ingrato.

Facultas

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Ieſu in prouincia Franciæ.

HOS R. P. Ioannis Maldonati Commentarios in quatuor Prophetas Ieremiam, Baruch, Ezechielem, : Danielem vnà cum expoſitione Pſalmi CIX. & epiſtola e diſputatione & collatione Sedanẽſi, ab aliquot Theo-ɩgis Ordinis noſtri lectos & approbatos, ego Ignatius rmandus Societatis Ieſu in prouincia Franciæ Præpo-:us Prouincialis poteſtate mihi ab admodum reueren-› P. N. Generali Aquauiua conceſſa, typis mandari per-itto, idémque me concedere teſtificor, vt in eam rem iuilegio ſocietati noſtræ à Regibus Chriſtianiſſimis :nrico III. die 10. menſis Maij, an. 1583. & Henrico IV. nc regnante 20. Decembris 1606. impetrato, quo pro-›etur bibliopolis ac typographis Galliæ, ne libros ab ſdem ſocietatis hominibus compoſitos, abſque illo-n permiſſu imprimant, impreſſóſve diuendant, gau-:t *Horatius Cardonius Bibliopola Lugdunenſis*, eóſque ad proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſ-ui approbationi ac permiſſioni hoc teſtimonio ma-nea ſubſcripto, fidem facere volui. Lutetiæ Pariſio-, Calendis Martij, anno CIƆ.IƆC.X.

IGNATIVS ARMANDVS.

IOANNIS MALDONATI
SOCIETATIS IESV THEOLOGI, COMMENTARII IN IEREMIAM.

PRAEFATIO.

IEREMIAS ירמיהו *excelſitas Dei*, aut *extollens Deum*, filius fuit Helciæ magni ſacerdotis, qui octauo anno Ioſiæ regis Iudæ, librum legis ſuperiorum regum negligentia perditum inuenit. 4. Reg. 22. 8. *Natus eſt in Anathoth, aut ex ea certè oriundus, quæ vrbs erat tribus Beniamin tribus diſtans milliaribus ab Ieruſalem; vna ex iis vrbibus, quæ ſacerdotibus attributæ fuerant*, Ioſue 21. 18. *Iuuenis vaticinari cœpit, & annos quadraginta vnum aut duos vaticinatus eſt*, ab anno ſcilicet decimo tertio Ioſiæ vſque ad trigeſimum primum, annos decem & nouem. Deinde tres menſes ſub Ioachaz, annos vndecim ſub Ioakim, ſeu Eliachim; menſes tres ſub Iechonia, annos vndecim ſub Sedechia. Quo tempore capta Ieruſalem, & Sedechia oculis orbato, cum reliquo populo Babylonem ductus eſt. 4. Reg. 25. Poſt in Ægyptum: vbi etiam vaticinatus dicitur, & in vrbe Taphnis, à ſuis gentilibus lapidibus obrutus, vt Hieron. ait lib. 2. contra Iouinianum extremo, & Epiphanius in eius vita, & auctor operis imperfecti hom. 41. in Matth. l. Contrà ſen- it R. Salom. c. 44. 14. dicit enim ſolum Ieremiam, & Baruch ex Ægypto in idæam rediiſſe, quod confirmat R. D. eodem c. verſ. 28. Quamquam alij ondum mortuum eſſe dixerunt: ſed alicubi mundi finem expectare, quo temre cum Enoch & Elia venturus ſit. Meminit huius opinionis Hilarius Can. . in Marthæum in eáque Victorinus fuit auctor antiquus in comment. in . 11. Apocal. Virginem fuiſſe Hieronymus contendit, lib. 1. contra Iouin. quod eſt valde veriſimile, quamuis Chaldæus paraphraſtes infra cap. 37. ſ. 12. filios habuiſſe putet. Prædicit autem hoc libro iam iam imminentem ylоniam captiuitatem; quam oculis poſtea conſpexit, vt ex eius lamentaibus manifeſtum eſt, quamquam Hebræi credunt eas ante captiuitatem e compoſitas. Sed de ea re dicimus illic.

Ieremias filius fuit Helciæ magni ſacerdotis.

Quamdiu prophetauerit, & ſub quibus Regibus Ieremias.

An mortuus fuerit.

An virgo.

PROPHETIA IEREMIAE.
CAPVT PRIMVM.

VERBA Ieremiæ filij Helciæ, de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth,
in terra Beniamim. 2 *Quod factum eſt verbum Domini ad eum in diebus*
Ioſiæ filij Amon regis Iuda, in decimotertio anno regni eius. 3 *Et factum eſt*

in diebus Ioakim filij Ioſiæ regis Iuda, vſque ad conſummationem vndecimi anni Sede-
ciæ filij Ioſiæ regis Iuda, vſque ad tranſmigrationem Hieruſalem, in menſe quinto. 4 *Et*
factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 5 *Priuſquam te formarem in vtero, noui te:*
& antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in Gentibus dedi te. 6 *Et di-*
xi, A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. 7 *Et dixit Dominus ad me:*
Noli dicere: Puer ſum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & vniuerſa, quæcunque
mandauero tibi, loquéris. 8 *Ne timeas a facie eorum: quia tecum ego ſum vt eruam te,*
dicit Dominus. 9 *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum: Et dixit Domi-*
nus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: 10 *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſu-*
per regna vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. 11 *Et fa-*
ctum eſt verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Virgam vigi-
lantem ego video. 12 *Et dixit Dominus ad me: Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper ver-*
bo meo vt faciam illud. 13 *Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad me, dicens: Quid*
tu vides? Et dixi: Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis. 14 *Et di-*
xit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ: 15
Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus; & ve-
nient & ponent vnuſquiſque ſolium ſuum in introitu portarum Ieruſalem, & ſuper om-
nes muros eius in circuitu, & ſuper vniuerſas vrbes Iuda. 16 *Et loquar iudicia mea cum*
eis ſuper omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, & libauerunt dijs alienis, & ado-
rauerunt opus manuum ſuarum 17 *Tu ergo accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad*
eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam
vultum eorum. 18 *Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam fer-*
ream, & in murum æreum, ſuper omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & ſacer-
dotibus. & populo terræ. Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt: quia ego tecum
ſum, ait Dominus, vt liberem te.

PRIMVM caput prooemium eſt totius libri. Nihil enim aliud Propheta narrat, quàm quomodo à Deo ad munus Prophetiæ deſtinatus fuerit. Porro tres primi verſus quaſi titulus, aut argumentum libri ſunt, & breuis eius explicatio.

1. *Verba Ieremiæ.*] i. vaticinia Ieremiæ. Titulus libri eſt. Sicut ille apud Iſa. c. 1. *Viſio Iſaiæ*, Prophetæ. Sept. ſingulari numero τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ ὃ ἐγένετο ἐπὶ τὸν Ἱερεμίαν *Verbum Dei, quod factum eſt ad Ieremiam Filij Helciæ*, Sacerdotis; etſi

Regula Hebræorum.

Hebræorum regula vera eſt, etiam Prophetæ. Dicunt enim, cùm Prophetæ pater initio nominatur, eum quoque fuiſſe Prophetam. *De Sacerdotibus qui*

Anathoth vrbs erat ſacerdotum in tribu Beniamin.

fuerunt in Anathoth, quæ vrbs erat Sacerdotum in tribu Beniamin, inter alias, quæ illis attributæ fuerant Ioſue 21. 18. Chaldæus. Verba Prophetiæ Ieremiæ filii Helchiæ de principibus cuſtodiæ Sacerdotum, ex præpoſitis, qui erant in Ieruſalem; *vir qui ſuſcepit hæreditatem ſuam in Anathoth.* Septuaginta ὃς κατῴκει ἐν Ἀναθώθ, qui Helchias habitauit in Anathoth.

Quod pro quia.

2. *Quod factum eſt.*] Dictio *quod*, in verſione noſtra, & אשר Hebraicè non eſt hoc loco relatiua; ſed cauſalis, vt quidam etiam Latini interpretes obſeruarunt: Et ex ipſo ſenſu perſpici poteſt. Si enim relatiua eſſet, non repeteretur *Verbum Domini*, quod fuerat antecedens; ſed ſimpliciter diceretur Verbum Ieremiæ quod factum eſt illi à Deo: adde numeri diſſimilitudinem: Priùs enim dixit *Verba* plurali nunc. *Quod*, ſingulari numero. Senſus ergo eſt, Quia *factum eſt verbum Domini ad eum.* Reddit autem cauſam tituli, cur librum inſcripſerit *Verba Ieremiæ*, quia ſcilicet verbum Domini ad eum factum eſt, toto tempore,

quo

uo hæc omnia vaticinia conſcripſit, quæ hoc volumine continentur, vt prohetiis ſuis auctoritatem addat. Alij interpretantur אשר. cui (Ieremiæ) vel d quem *factum eſt verbum Domini.* Sed meliùs noſter interpres.

. *Et factum eſt in diebus Ioakim.*] Repetenda eſt particula cauſalis אשר אל urs. Quia etiam factum eſt verbum Domini ad eum in diebus Ioakim. i. gnante Ioakim. *Vſque ad conſummationem* i. donec compleretur annus vndemus regni Sedechiæ filij Ioſiæ. Hiſtoria eſt lib. 4. reg. c. 24. 16. 25. Vaticitus etiam eſt ſub aliis duobus regibus Ioachaz, & Ioachin; Sed eos idcirco n nominat; quòd ternis tantùm menſibus regnauerint, & ſub aliorum reis contineri videantur.

Et factum eſt verbum Domini.] Et pro autem, Et coniungit librum cum ulo, Hebræorum more. Sicut ſecundus liber Reg. incipit ויהי factum eſt tem. Quod & Ciceronem alicubi feciſſe legimus, vt initio Pſalmorum adtauimus. *Et, pro autem.*

Priuſquam te formarem in vtero, noui te.] Id eſt, prædeſtinaui ad officium phetæ. Cognoſcere, ſcire, aut præſcire, pro prædeſtinare aliquando poni-, vt ad Rom. 11. 2. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. Et antequam es de vulua ſanctificaui te.* Sanctificare hoc loco non videtur ſignificare, San-n facere, aut iuſtificare: Sed deſignare ad publicum officium, vt D. Aug. tola 57. & Hieron. hoc loco interpretantur. Quod frequentiùs dicitur, regare: Res enim ſanctas, ac dicatas Deo ſegregare ſolemus à profanis. act. 13. 2. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Et Rom. 1. 1. *Paulus ſeruus Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei.* Et Gal. 1. 15. *Cum n placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ.* Sic Chriſtus dicit ſe pro s ſanctificare, id eſt, offerre ſeſe ad obeundum officium redemptoris. c eſſe ſenſum huius loci & ex præcedentibus, & ex ſequentibus perſpi-i eſt. Quod enim priùs dicit, *Noui te*, nunc dicit, *Sanctificaui te*; Et quod dicit, *Sanctificaui te*, poſt dicit, *Prophetam in gentibus dedi te.* Sic apparet s hoc loco fuiſſe Origeniſtas, vt probarent animos ante corpora extitiſſe. ur autem Deus ideo hæc præfari, vt occurrat obiectioni, qua poſtea iias verſ. 6. vſurus erat. *Puer ego ſum.* quaſi dicat, etſi puer es, iam inde ab Propheta à me conſtitutus es. His etiam verbis, *Prophetam in gentibus dedi* ctorinus in comment. in c. 11. Apocal. abuſus eſt, vt doceret Ieremiam viuere, prædicaturúmque gentibus Euangelium, cùm id nondum fe-Sed alius eſt horum verborum ſenſus נביא לגוים נתתיך. Prophetam us dedi te, id eſt, vt prædicas gentium victoriam contra Iudam & Ben-, vt explicatur ver. 15. *Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum onis, ait Dominus. Et venient, & ponent vnuſquiſque ſolium ſuum in introitu us Ieruſalem, & ſuper omnes muros eius, & ſuper vniuerſas vrbes Iuda.*

Cognoſcere pro prædeſtinare poſitum. *Sanctificare hoc loco quid ſit.* *Ioan. 17. 19.* *Refelluntur Origeniſtæ & Victorinus.*

e dixi A. A. A.] Hebraicè vna dictio eſt admirantis אהה quam ſeptuaerterunt. ὁ ὢν δέσποτα κύριε, qui es dominator Domine. Legentes forאה. *Qui ſum*, vt Exod. 3. 14. *Neſcio loqui.* id eſt, vaticinari, vt Chaldæus etatur, vt de Samuele legimus 1. Reg. 3. 7. *Porrò Samuel needum ſciebat m. Quia puer ego ſum.* id eſt, nondum vſum habeo vaticinandi. alludit ætatem, iuuenis enim vaticinari cœpit. *Septuaginta legunt aliter quam Hebræi.*

omnia.] Id eſt, quocumque miſero te ibis, & omnia quæ tibi mandaqui poteris. Ego enim faciam te idoneum. *Sufficientia enim noſtra ex* .. Cor. 3. 5.

Digitized by Google

Hebraiſmus. 8. *Ne timeas à facie eorum.*] Id eſt, propter eos. Hebraiſmus. Et relatiuum ſine antecedente, id eſt, propter eos, ad quos mittam te, *Quia tecum ego ſum.* Dominus tibi adiutor, ne timeas, quid faciat tibi homo: Pſal. 117. 6.

9. *Et miſit*] id eſt, extendit, *Dominus manum ſuam*, id eſt, angelum, vt ad Iſaiam miſit Iſaiæ 6. 6. vel vt alij interpretantur figuram manus. Sic initiat Dominus Prophetam, vt intelligat, quæ prædicturus eſt, non ſua, ſed Dei eſſe verba in os ſuum immiſſa. Facit hoc loco Deus manu, quod alio loco dicit lingua. *Poſui verba mea in ore tuo.* Iſa. 51. 16. & 59. 21.

Præteritum pro præſenti, phraſi Hebr. 10. *Ecce ego conſtitui te hodie*,] id eſt, conſtituo. præteritum Hebraicum pro præſenti. *Super gentes & regna*, id eſt, vt omnium gentium & regnorum contra Iudam concurſum prædices, vt ſup. verſ. 5. על hoc loco non ſignificat contra, ſed materiam. non enim contra gentes, ſe de gentibus vaticinatur. Itaque rectè noſter interpres vertit, *Super. Vt euellas*, &c. i. vt facias quidquid voles, vt nunties omnia, & aduerſa & proſpera. Si enim Iudæi non reſipuerint, nunciabis fore vt eos euellam, deſtruam, perdam, vt dicit c. 45. 4. *Ecce quos ædificaui, ego deſtruo, & quos plantaui, ego euello.* Si reſipuerint, nuntiabis fore vt ædificem, & plantem, id eſt, bene eis faciam. vt ait cap. 42. 10. *Si quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam, plantabo, & non euellam, iam enim placatus ſum ſuper malo, quod feci vobis.*

11. *Virgam vigilantem ego video.*] מקל שקד, alij vertunt virgam amygdalinam, ſicut & Theodotionem tranſtuliſſe Hieron. monet: Septuaginta βακτηρίαν καρυΐνην baculum nuceum. Chald. regem feſtinantem ad malefaciendum. Inde nata varietas, quod שקד & feſtinare, & vigilare, & opere amygdalino ſculpere, & nucem arborem ſignificet punctis tantùm mutatis. Et per virgam alij baculum ſine floribus & foliis, alij regium ſceptrum intellexerint; alij non potuerint intelligere, quomodo virgæ vigilare conueniat. Sed optimè omnium noſter interpres vertit, *virgam vigilantem*, id eſt, vigilantis. Statim enim ſequitur, *Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo.* Significat ergo virga punitionem Dei, vt Pſal. 88. 33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum*, & apud D. Paul. 1.

Virga nomine quid ſignificatur. Cor. 4. 21. *Vultis in virga veniam ad vos*? Vigilantem autem vocat, id eſt, nimis manè ſurgentem, nimis feſtinè germinantem, ſicut amygdalus prima omnium arborum germinare ſolet. Quo viſo Deus Prophetæ ſignificauit fore, vt valde citò acceleraret pœnas, quas ſæpe Iudæis comminatus fuerat.

12 *Bene vidiſti.*] id eſt, bene videndo iudicaſti, aut, non te fefellit aſpectus, virga enim vigilans fuit, quam vidiſti; aut, rem vidiſti accommodatam ad ſignificandum, quod ego facturus ſum. *Quia vigilabo ego ſuper verbo meo.* id eſt, non obliuiſcar facere; aut accelerabo facere verbum meum, vt Iudæos ſcilicet puniam.

Olla ſuccenſa nomine quid. 13. *Ollam ſuccenſam.*] סירנפוח ollam bullientem, per quam ira Dei ſignificatur. *Et faciem eius*, id eſt, venientem ab Aquilone, Hebraiſmus; aut, quæ videtur venire ab Aquilone, faciem ollæ vocat os, quod Iudæam reſpiciebat; quaſi ab Aquilone veniret. Quia Nabuchodonoſor tanquam olla feruens, & inſtrumentum iræ Dei, ad Ieruſalem expugnandam Babylone venturus erat, qua Iudææ Aquilonaris erat. Similis metaphora apud Ezechiel. 24. 3.

Iudæa vniuerſa terra aliquando dicitur. 14. *Ab Aquilone pandetur.*] Spargetur, aut erumpet malum. *Super omnes habitatores terræ.* Iudææ, quæ aliquando vniuerſa terra dicitur. vt, *tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* Mat. 27. 45. vide infra cap. 25. 9.

16. *Et loquar iudicia mea cum eis.*] id eſt, re ipſa oſtendam me eos iuſtè caſtigare

ate propter omnem malitiam על eorum, qui dereliquerunt me; vel אשר uoniam dereliquerunt me.

7. *Accinge lumbos tuos.*] Accingere lumbos duo ſignificare poteſt, aut ·pedire ſe, ac feſtinare vt Lucæ 12. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ·dentes in manibus veſtris*, & 1. Petri 1. 13. *Propter quod ſuccinxiſtis lumbos mentis ·ſtræ ſobrij, perfectè ſperate.* Aut animum ſumere, ac confirmare ſeſe, vt Iob. 8. 3. & 40. 2. *Accinge ſicut vir lumbos tuos.* Et Epheſ. 6. 14. *State ergo ſuccincti ·mbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ.* Vtroq; ſenſu accipi poteſt hoc ·co, vel. feſtina, vel. forti eſto animo. *Nec enim timere te faciam.* id eſt, non ·tiar vllum tibi ab eis periculum creari, cuius cauſa timere poſſis; Hebraicè פן אחתך לפניה. Ne fortè timere te faciam coram eis: vtitur enim eiuſdem ·rbi paronomaſia. Quod duplicem ſenſum habere poteſt, aut, Ne timeas, ·iſtimans fore, vt ego te timere permittam, aut, ne timeas, quaſi diffidens ·xilio meo, ne fortè ſi diffidere cœperis, ac timere, ego te timere faciam. id ·t, in medio periculo deſeram. Quemadmodum Petrus, cùm videns ventum ·lidum timuiſſet, à Chriſto derelictus mergi cœpit. Matth. 14. 30. Sept. ·ædam hoc loco addunt, quæ neque Hebraicè, neq; in noſtra verſione ſunt. ·ι μετὰ σοῦ ἐγώ εἰμι τοῦ ἐξαιρεῖσθαί σε, λέγει κύριος, καὶ ἐγένετο λόγος κυρίου πρὸς με λέγων, ·ρεύθητι, καὶ ἀνάγνωθι ἐν τοῖς ὠσὶν υἱῶν Ἰσραήλ. Quia ego tecum ſum vt liberem ·, dicit Dominus. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens; *vade, & ·e in auribus filiorum Iſraël.* Prior pars vſque ad illa verba, Et factum eſt verbum ·omini, repetita eſt ex verſ. 8. Reliqua ſunt initium ſequentis capitis, quod ·ud Sep. non legitur.

Accingere lumbos duo ſignificat.

Septuaginta quid addunt hoc loco.

·. *Ego dedi te.*] Do, conſtituo, præteritum pro præſenti; quaſi dicat, ego ·ita corroboro, vt nihil te ſuperare queat. Dedi te in populo meo robuſtum, ·ait infra c. 6. 27. & 15. 20. *Regibus Iudæ*: exponit quam vocauerat omnem ·ram, nempe Iudæam, vt ſuprà verſ. 14. Septuag. non legunt, *Sacerdotibus.*

Septuaginta.

CAPVT II.

E*T factum eſt verbum Domini ad me, dicens:* 2 *Vade, & clama in auribus*
Ieruſalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus ſum tui, miſerans adoleſ-
centiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in de-
o, in terra quæ non ſeminatur. 3 *Sanctus Iſraël Domino, primitiæ frugum*
·: omnes, qui deuorant eum, delinquunt: mala venient ſuper eos, dicit Dominus. 4
·dite verbum Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Iſraël: 5 *Hæc dicit*
·minus: Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, &
·bulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? 6 *Et non dixerunt: Vbi eſt Dominus*
·aſcendere nos fecit de Terra Aegypti: qui traduxit nos per deſertum, per terram inha-
·bilem & inuiam, per terram ſitis, & imaginem mortis, per terram, in qua non ambu-
·t vir, neq; habitauit homo? 7 *Et induxi vos in terram Carmeli vt comederetis fru-*
·n eius, & optima illius: & ingreſſi contaminaſtis terram meam, & hæreditatem meam
·ſtis in abominationem. 8 *Sacerdotes nõ dixerunt: Vbi eſt Dominus? & tenentes legẽ*
·erunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me: & prophetæ prophetauerunt in Baal, &
·a ſecuti ſunt. 9 *Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus & cum*
veſtris diſceptabo. 10 *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte: in Cedar mittite, & cõ-*
·ate vehementer: & videte ſi factum eſt huiuſcemodi. 11 *Si mutauit gens deos ſuos, &*

certè ipſi non ſunt dij: populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idolum. 12 *Obſtupeſcite cæli ſuper hæc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus.* 13 *Duo enim*
mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas,
diſſipatas, quæ continere non valent aquas. 14 *Numquid ſeruus eſt Iſraël, aut vernacu-*
lus? quare ergo factus eſt in prædam? 15 *Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem*
ſuam, poſuerunt terram eius in ſolitudinem: ciuitates eius exuſtæ ſunt, & non eſt qui habi-
tet in eis. 16 *Filij quoque Mempheos & Taphneos conſtuprauerunt te vſque ad verti-*
cem. 17 *Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo*
tempore, quo ducebat te per viam? 18 *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas*
aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis? 19 *Arguet*
te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Scito, & vide quia malum & amarum eſt re-
liquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus
exercituum. 20 *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non*
ſeruiam. In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris mere-
trix. 21 *Ego autem plantaui te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo con-*
uerſa es mihi in prauum, vinea aliena? 22 *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi her-*
bam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. 23 *Quomodo*
dicis: Non ſum polluta, poſt Baalim non ambulaui? vide vias tuas in conualle, ſcito quid
feceris: curſor leuis explicans vias ſuas. 24 *Onager aſſuetus in ſolitudine: in deſiderio ani-*
mæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eam: omnes, qui quærunt eam, non defi-
cient: in menſtruis eius inuenient eam. 25 *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur*
tuum à ſiti. Et dixiſti: Deſperaui, nequaquam faciam: adamaui quippe alienos, & poſt eos
ambulabo. 26 *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus*
Iſraël, ipſi & reges eorum principes, & ſacerdotes, & prophetæ eorum, 27 *dicentes ligno:*
Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuiſti. verterunt ad me tergum, & non faciem, & in
tempore afflictionis ſuæ dicent: Surge, & libera nos. 28 *Vbi ſunt dij tui, quos feciſti tibi? ſur-*
gant & liberent te in tempore afflictionis tuæ: ſecundum numerum quippe ciuitatum tua-
rum erãt dij tui Iuda. 29 *Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes dereliquiſtis me,*
dicit Dominus. 30 *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt: deuorauit*
gladius veſter prophetas veſtros, quaſi leo vaſtator 31 *generatio veſtra. Videte verbum*
Domini: Numquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina? quare ergo dixit popu-
lus meus: Receſſimus, non veniemus vltrà ad te? 32 *Numquid obliuiſcetur virgo ornamen-*
ti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris. 33
Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendã dilectionem, quæ inſuper & ma-
litias tuas docuiſti vias tuas, 34 *& in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum*
& innocentum? non in foſſis inueni eos, ſed in omnibus, quæ ſuprà memoraui. 35 *Et dixiſti:*
Abſque peccato & innocens ego ſum: & propterea auertatur furor tuus à me: Ecce ego
iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccaui. 36 *Quàm vilis facta es nimis, ite-*
rans vias tuas! & ab Aegypto confundêris, ſicut confuſa es ab Aſſur. 37 *Nam & ab iſta*
egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum: quoniam obtriuit Dominus confiden-
tiam tuam, & nihil habebis proſperum in ea.

OSTENDIT Deus Iudæis per Prophetam, quantopere eos dilexerit, quo magis appareat ingratus eorum animus, qui eum deſeruerunt, vt idola ſequerentur. Docet omnia mala, quæ in captiuitate paſſuri ſunt, ob earum iniquitatem; præſertim verò ob idololatriam illis euentura, loquitur autem de futura captiuitate, tamquam iam præterita.

1. *Et factum eſt.*] Neque hic verſus, neque initium ſequentis vſque ad illa verba,

Google

ha, *Dicens, Haec dicit Dominus* apud Sept. reperitur, quia ſuperiore cap. ver.
.ca poſuerunt.

2. *Recordatus ſum tui.*] Quaſi dicat, niſi rationem habuiſſem adoleſcentiæ
,qua te dilexi, aut qua tu me dilexiſti, penitus perdidiſſem te. *Miſerans adoleſcentiam tuam* חסר נעוריך miſericordiæ adoleſcentiæ tuæ. Quod poteſt intelli-
.l paſſiuè, id eſt, miſericordiæ, qua te olim proſecutus ſum, cùm eſſes adoleſ-
la, id eſt, recens à me in ſponſam electa, vel, actiuè, id eſt, miſericordię & di-
onis, qua tu me dilexiſti, cùm adoleſcens eſſes, & recens mihi deſponſa.
d magis cōuenit cum eo, quod ſequitur, *Quando ſecuta es me in deſerto* miſe- *Hic per miſericordiā amor intelligitur.*
.diam vocat hoc ſenſu tenerum amorem adoleſcētulę erga ſponſum ſuum.
.t autem ſe rationem habuiſſe eius amoris, nō quòd non peccaſſet etiam in
.eſcentia ſua, & in deſerto. Nam ibi tentauerant Deum. Pſal. 94. 9. Sed quòd
minùs, quàm poſtea. Noſter interpres paſſiuè tranſtulit *Miſerans adoleſcentiam* legens fortaſſe חסד forma participij, aut in ablatiuo, miſericordia
.eſcentiæ tuæ ductus. Chald. Memor ſum vobis beneficiorum dierum anti-
um Sept. ἐμνήσθην ἐλέους νεότητός σου quos Hieron. ſecutus eſt.

Sanctus Iſraël Domino] id eſt, non eſt populus profanus, vt cæteri: ſed Deo
cratus. Quare quicumque eum læſerit, aut in ſeruitutem redegerit, ſacrile-
.is erit. *Primitia frugum eius.* duo hęc metaphora ſignificat, alterum eſt, Iſraël *Hæc metaphora duos habet ſenſus*
primum populum, qui à Deo electus eſt, ſicut primitiæ erant primi fructus
eo conſecrabantur, ſicut D. Paul. vocat Stephanum, & Fortunatum primi- *1 Cor. 16 15.*
chaiæ, quia primi ſe in Achaia Chriſto conſecrauerant. Et 2. ad Theſſal. 2.
*.os autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis fratres, quòd elegerit vos
.rimitias in ſalutem.* Sic Dauid Pſal. 73. 2. *Memor eſto congregationis tuæ, quam
.ti ab initio* Alterum, quod hæc metaphora ſignificat eſt, Nemini ſine ſa-
.ij crimine licere populum Iudaicum affligere & conſumere, niſi Deo, *Ex primitijs nemini niſi ſacerdotibus edere licebat.*
.x primitiis nemini niſi ſacerdotibus edere licebat, Numer. 5. 9. Quare
.t fore Deus, vt de Chaldæis poſtquam populum ſuum dura ſeruitute
.rit, pœnas ſumat.

.iquitatis.] id eſt, crudelitatis, quaſi dicat, qua in re male eos tractaui,
.d Michæam 6. 3. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? Quia
.erunt,* id eſt, longè receſſerunt à me רחקו. *Et ambulauerunt poſt vanitatem.*
.ecuti ſunt idola, vt Chaldæus interpretatur. Frequens enim eſt in ſcriptu-
idolum vanitas appelletur. Quod eò manifeſtum eſt, quòd Deo vanita-
ponat. *Et vani facti ſunt.* id eſt, ſimiles idolis ſine intellectu, & ſine ſenſu.
.precatur Dauid Pſal. 113. 10. & 134. 18. *Similis illis fiant, qui faciunt ea;
. qui confidunt in eis.*

.ion dixerunt.] id eſt, non ſunt recordati Dei, à quo tam multis beneficiis
.ri fuerant. *Per terram ſitis,* id eſt, aridam ציה *& imaginem mortis* צלמות,
.m, & periculis mortis plenam: per terram in qua nemo vnquam habi-
.it ambulauit. Sept. ἐν γῇ ἀπείρῳ καὶ ἀβάτῳ, ἐν γῇ ἀνύδρῳ καὶ ἀκάρπῳ. *In terra
& inacceſſa, in terra ſine aqua & ſine fructu.*

.t induxi vos.] mutat perſonam, quia ante de ſe ipſo Deus per tertiam
.m loquebatur. *In terram Carmeli.* Sæpe diximus nomen Carmel ali- *Carmeli nomen varie ſumptum.*
proprium eſſe montis vini feraciſſimi Ioſue. 19. 26. vbi Elias frequens
.ur 3. Reg. 18. 19. Aliquando nomen eſſe commune omnis agri fer-
.rmœni, vt hoc loco, vbi tota Paleſtina Carmelus appellatur. *Et hæreditam,* id eſt, terram, quam loco hæreditatis vobis dedi, idololatria pol-
luiſtis,

Digitized by Google

lritis. vſitatum eſt vt idololatria abominatio vocetur.

8. *Sacerdotes.*] id eſt, non ſolùm populus imperitus, quem ignoratio quodam modo excuſare poterat, ſed ſacerdotes etiam, & legiſperiti; *paſtores*, id eſt, doctores, *& Prophetæ preuaricati ſunt*, ita vixerunt, quemadmodum ſi me non cognouiſſent. *Prophetauerunt in Baal*, id eſt, prædicebant non quæ à me; ſed quæ à dæmonibus, qui in idolo Baal loquebantur, audiebant. *Et idola ſecuti ſunt.* Hebraicè ואחרי לא יועלו הלכו. Et poſt eos, qui nihil proſunt abierunt, id eſt, idola ſecuti ſunt, vt noſter interpres reddidit. Sic idola vocari ſolent per periphraſim, vt infra verſ. 11. iuxta illud Habacuc. 2. 18. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus?*

9. *Iudicio contendam.*] id eſt, ſummo iure agam vobiſcum, non miſericordia: puniam vos, vt ait Chald. *Et cum filijs veſtris*, ואת בני בניכם. & cum filiis filiorum veſtrorum. id eſt, cum omnibus poſteris veſtris, quaſi dicat, viſitabo iniquitates veſtras in filios veſtros in tertiam & quartam generationem, quemadmodum per Moyſem idololatris minatus ſum. Exod. 20. 5.

Cethin. & Cedar, quid ſint.

10. *Tranſite ad inſulas Cethin.*] id eſt, Cypri, vbi ciuitas erat eo nomine patria Zenonis nobilis philoſophi, vt Hieron. interpretatur; vel, vt alij, in Italiam Beroſum ſecuti, qui ſic Italos appellatos fuiſſe dicit. *Et in Cedar.* id eſt, in Arabiam, in extremas Agarenorum ſolitudines. Cedar enim Agarenorum regio eſt à Cedar Iſmaëlis filio, vt Hieronymo placet, nuncupata, vt diximus Iſai. 60. 7. Senſus ergo eſt, mittite nuntios ad remotiſſimas gentes & maximè barbaras, vt diligenter explorent, ecquid tale apud eas fiat, quale fit apud vos.

11. *Et certè ipſi non ſunt dij.*] והמה לא אלהים, cùm tamen ipſi non ſint dij. quaſi dicat, diligentiores fuerunt omnes gentes in retinendis, colendiſque diis falſis, quàm vos in vero. *Mutauit gloriam ſuam*, id eſt verum Deum, quo merito gloriari poterat. de quo Dauid. Pſal. 3. 4. *Tu es gloria mea, & exaltans caput meum.* Et Paul. Rom. 1. 23. *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis. In idolũ.* בלא יועיל. in id quod nihil prodeſt. id eſt, in idolum, vt ſuprà ver. 8. Sept. ὁ δὲ λαός μου ἠλλάξατο τὴν δόξαν αὐτῶν, ἐξ ἧς οὐκ ὠφεληθήσονται. Et populus meus mutauit gloriam ſuam, ex qua nullam vtilitatem percipiunt.

12. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc.*] id eſt, cùm hoc, quod dicturus ſum, audiueritis. *Et portæ eius.* Videtur noſter interpres legiſſe. שעריו. nunc autem legimus. שערו. exhorreſcite, *& deſolamini*, id eſt, lugete: ſicut lugere dicitur terra deſolata & deſerta. Iſai. 24. 4. & 33. 9. aut *Deſolamini*, id eſt, rumpimini fulguribus & tonitruis in ſignum iræ Dei. Sept. ἐξέστη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ τούτῳ καὶ ἔφριξεν ἐπὶ πλεῖον σφόδρα. Et in aliis exemplaribus. καὶ ἔφριξεν ἡ γῆ ἐπὶ πλεῖον σφόδρα.

13. *Duo mala.*] contraria duobus bonis, quæ illis præceperam, vt declinarent à malo, & facerent bonum, Pſal. 36. 27. *Declina à malo, & fac bonum. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* id eſt, qui perpetuò illos iuuare poſſum, *Et foderunt ſibi ciſternas.* id eſt, elegerunt ſibi idola infirma, quæ nulla in re eos iuuare poterunt, vt ſuprà verſ. 8. & 11.

14. *Numquid ſeruus eſt Iſraël* Quare datus eſt in prædam. מדוע. quòd datus eſt in prædam. quaſi dicat, non propterea in prædam datus eſt, quòd ſeruus eſſet. Filius enim erat Dei, & quidem primogenitus, Exod. 4. 22. Sed quòd Deum offenderit, vt reſpondet infra ver. 17. *Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum.* & verſ. 19. *Arguet te malitia tua.*

Super eum.] עליו. contra eum *rugierunt leones*, id eſt, hoſtes inhiarunt tanquam leones rugientes in eius prædam.

Filij quoque Mempheos, & Thaphneos.] id eſt, Ægyptij, quos ideo filios Mempheos, & Thaphneos appellat, quòd Memphis, & Thaphnis duæ eſſent principes ciuitates Ægypti. Hebraiſmus eſt, & Synecdoche. Quemadmodum ſi quis omnes Gallos vocaret, *les enfans de Paris. Conſtuprauerunt te vſque ad verticem.* ירעוך קדקד. diſruperunt, confregerunt te vſque ad verticem, id eſt, penitus vexerunt & conquaſſarunt te, ita vt à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſſet in te ſanitas. Hoc ideo dicit, quia futurum erat, vt Iudæi non ſolum alij Babylonem capti ducerentur; ſed etiam alij in Ægyptum fugerent, vt legimus 4. Reg. 25. 26. *Memphis & Thaphnis duæ principes ciuitates Ægypti.*

Nunquid non iſtud factum eſt tibi.] Hebraicè הזאת תעשה לך nonne hæc res facta tibi (hoc nempe) quod dereliqueris Dominum Deum tuum? eſt enim verbum תעשה. fœminini generis. Noſter interpres rectè ſenſum expreſſit. *Eo tempore, quo ducebat te*. id eſt, quia noluiſti Deum ſequi, dum te per viam planam facilem duceret, permiſit te deerrare per vias difficiles. Quia non vti rebus proſperis ſequens Deum, permiſit te aduerſas experiri idola ſequentem.

Et nunc quid tibi vis in via Aegypti.] id eſt, quorſum is in Ægyptum? *Et quid tibi cum via Aſſyriorum*. quorſum is in Aſſyriam? *Vt bibas aquam turbidam* שחר. Nili, qui turbidus erat. Per flumen autem intelligit Euphratem. bibere aquam turbidam vocat vti auxilio eorum, qui plùs nocere poterant, quàm prodeſſe, quales erant Ægyptij, & Aſſyrij; inter quos Iudæi conſtituti erant; cum vexarentur ab Aſſyriis, ab Ægyptiis auxilium petebant; cum vexarentur ab Ægyptiis, petebant ab Aſſyriis. Similis exprobratio apud Iſai. c. 30. *Qui ambulatis, vt aſcendatis in Aegyptum, & os meum non interrogaſtis.* *Per flumē intelligit Euphratem.*

Arguet te malitia tua.] תיסרך caſtigabit te. id eſt, cauſa erit vt res aduerſas experiare, ex quibus diſces, quàm malum & amarum ſit Deum tuum reliquiſſe.

A ſæculo.] id eſt, iam olim. *Confregiſti iugum meum.* id eſt, violaſti coniugij vinculum, quo mihi fueras copulata. Loquitur de populo ſuo tanquam de ſponſa, quemadmodum ſupra verſ. 2. *Rupiſti vincula mea.* id eſt, ſubtraxiſti te à obedientia. *Et dixiſti non ſeruiam* (Domino.) *In omni enim colle*. Solebant idololatræ in collibus, & in lucis ſub arboribus idolis ſuis immolare, Deut. 12. 3. Reg. 14. 23. & 4. Reg. 16. 4. & 2. Paral. 28. 4. & Iſa. 57. 5. vide infra 3. 6. Significat ergo eos dereliquiſſe Deum, quaſi maritum ſuum; & meretricis, omnibus ſe adulteris proſtituiſſe, id eſt, omnibus idolis ſacrificaſſe. *Proſternebaris meretrix*, H. צעה זנה incedebas tamquam meretrix, id eſt, ex vna arbore in aliam, ex vno luco in alium, ab vno idolo in aliud; vt meretrices ex vno proſtibulo in aliud vagari ſolent Sept. ἐκεῖ διαχυθήσομαι ἐν πορνείᾳ μου. *Idololatrarū mos adorandi.* *Sept. aliter.*

Ego autem plantaui te vineam electam] שורק. *Sorec*. i. optimam, electis ſarmentis, Hiſpanicè, *de buen vedueno* ſicut Iſai. 5. 2. & Gen. 49. 11. *Omne ſemen verum.* כלה. cuius omne ſemen verum (erat.) ſemen autem vocat plantas, cuius omnis planta, aut omne ſarmentum verum erat, non adulterinum. Solent qui vineas plantant, optima quæque ſarmenta ad plantandum ſeligere, reiectis infructiferis tamquam adulterinis. *Quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena?* ואיך נהפכת לי סורי הגפן נכריה. Et quomodo

Digitized by Google

conuerſa es mihi in ſarmenta vitis alienæ, id eſt, falſæ, adulterinæ. vt Pſal. 17. 46. *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* id eſt, falſi, adulterini. Et dij alieni, id eſt falſi, paſſim dicuntur. opponit ergo falſa ſarmenta & adulterina, quæ vinea protulit, veris ſarmentis, quæ ipſe plantauerat. Luditque elegantiſſima paranomaſia quæ Latinè exprimi non poteſt. Nam שׂרק vocat ſarmenta vera. סורי falſa. Similis ſententia Iſai. 5. 2. & Mat. 21. 33.

22. *Si laueris te nitro.*] Nitrum terræ genus eſt, quo veſtium maculæ purgari ſolent; nonnulli allumen eſſe putant. *Et multiplicaueris tibi herbam Borith.* H. non eſt herba, ſed Borith, quem Hebræi ſaponem interpretantur, alij herbam fullonum, id eſt, ſi ſæpe te ſapone fricueris. *Maculata es in iniquitate tua coram me*, id eſt. non poteris apud me iniquitatem tuam abſtergere. Nitrum & Borith humanas excuſationes ſignificat: quaſi dicat, quidquid dicas, quamcumque excuſationem afferas, non poteris te apud me iuſtificare, Quia נכתם עונך לפני iniquitas tua ſignata eſt in conſpectu meo, ita vt celari, aut diſſimulari non poſſit.

Nitrum, & Borith humanæ excuſationes.

23. *Quomodo dicis?*] תאמרי dices, aut poteris dicere, id eſt, quo ore poteris te defendere ac excuſare; & dicere, *non ſum polluta poſt Baalim*, id eſt, falſos Deos ſequendo. Declarat quod dixerat verſu præcedenti. *Si laueris te nitro* hoc enim eſt nitrum & Borith, id eſt excuſationes, quibus ſe defenſurus erat populus apud Deum, negans impudenter ſe non coluiſſe Deos alienos. *Vide vias tuas in conualle*; quaſi dicat, quomodo negare potes te idola coluiſſe, cùm adhuc veſtigia tua in valle, id eſt, in luco, vbi idolis ſacrificabas, impreſſa maneant, ita vt videri poſſint. *Scito quid feceris curſor leuis.* *Curſor* hoc loco fœminini generis eſt, capreamque ſignificat huc illucque diſcurrentem, vt Hier. adnotauit. H. בכרה. propriè camelum fœminam aut dromedariam ſignificat, & iuuencam. Solent autem pulli dromedariorum, ſicut & equarum & mularum huc illuc in gyrum curſitare, præſertim fœminæ, quæ leuiores ſunt. His ergo comparat populum ſuum, quòd non recta via incederet; ſed huc atque illuc ad quærenda idola circuiret. Hoc eſt quod משרכת דרכי. gyrans, aut circuiens vias ſuas, quod noſter interpres dixit *Explicans.* Exponit quod Hebraïcè dixerat ver. 20. זנה צעה gradiebaris meretrix. deſcribitque meretricis mores, vt Salomõ Prouerb. 7. 11. *Quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis. nunc iuxta angulos inſidians.* Sept. longè aliter vertunt, ἴδε τὰς ὁδούς σου ἐν τῷ πολυανδρίῳ, καὶ γνῶθι τί ἐποίησας, ὀψὲ φωνὴ αὐτῆς ὠλόλυξε, τὰς ὁδοὺς αὐτῆς ἐπλάτυνεν ἐφ' ὕδατα ἐρήμου. *Vide vias tuas in ſepulcro, & cognoſce quid feceris, veſperi vox eius vlulauit. vias eius dilatauit in aqua ſolitudinis.*

Mores meretricis deſcripti.

Sept. aliter.

24. *Onager aſſuetus in ſolitudine.*] Senſus mihi videtur eſſe, quemadmodum onager animal ſylueſtre ſalaciſſimum, ac velociſſimum, quo tempore ardore libidinis incitatum diſcurrit, mas vt fœminam, fœmina vt marem inueniat, tanto impetu deſiderij, vt neque teneri neque reuocari poſſit; ita prorſus populum Iudaïcum ad quærenda idola quaſi libidine inflammatum cucurriſſe, nulliſque nec monitis, nec minis reuocari potuiſſe. *Onager aſſuetus.* פרה למד nomen Hebraïcum communis generis, marémque ſimul ac fœminam comprehendit, propterea noſter interpres ſicut & Ieremias priùs maſculini, deinde fœminini generis fecit. Aſſuetum in ſolitudine vocat, id eſt, efferum, non curatum, ſylueſtrem, ſicut Græcum nomen ſonat. ὄναγρος enim ſylueſtrem aſinum ſignificat. In deſiderio animæ ſuæ. Intelligitur אשר qui, vel, quando *in deſiderio animæ ſuæ*, id eſt, libidine incenſum. *Attraxit ventum amoris ſui*, id eſt, odoratus.

Aptiſſima ſimilitudo ab Onagro ſumpta.

Digitized by Google

doratur vbi ſit aſina, aut aſinus cum quo coëat. Solent enim aſini & equi doratu percipere num aſina vel equa etiam longiſſimè diſtans calida ſit, qua commodatiſſima ſimilitudine declarat populum Iſraël tanquam aſinum olciſſe, vbicumque idolum aliquod eſſet, vt illud ſequeretur. *Nullus auertit im*, id eſt, in huiuſmodi calore nemo eam tenere, reuocaréque poterit. facit unc fœminini generis. *Omnes, qui quærent eam, non deficient.* לא ייעפו. non fatigabuntur, id eſt, non preſequentur eam ſcientes ſe non poſſe eam comprehendere, cùm eam inuenerint.

25. *Prohibe pedem tuum à nuditate.*] id eſt, ne ſuſcipias tam longum iter, vt alcei tui conſumantur, ad quærendum idolorum auxilium, quæ nihil te iuuare poſſunt. Idem ſignificat altera phraſis, quæ ſequitur. *Et guttur tuum à ſiti*, ſolent enim plerumque ſitire viatores. Hæc ſunt verba & admonitiones quibus verſu præcedenti ſignificauit, Iſraël non potuiſſe ab idololatria reuocari. *Et dixiſti, deſperaui.* נואש. deſperatum eſt, nulla ſpes eſt fore vt faciam quod mihi ſuades, quia adamaui deos alienos.

26. *Sic confuſi ſunt.*] præt. pro futuro confundentur, cùm deprehendentur à Deo in flagranti delicto idololatriæ, *dicentes ligno, pater meus es tu.*

27. *Verterunt ad me tergum.*] ערף. occiput, quod faciei opponitur. *Et in tempore afflictionis ſuæ.* vt Pſal. 77. 34. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

28. *Vbi ſunt.*] ואיה. vbi ergo ſunt, (intelligitur, Dicam) *dij tui, ſurgant & liberent te.* vt Deuter. 32. 23. 38. *Et dicet, vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipem, & bibebant vinum libaminum? Surgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant. Secundum numerum quippe ciuitatum*, id eſt, quandoquidem tot habes Deos, quot ciuitates, iuuet te ex tam multis aliquis. vt infra c. 11. 13.

30. *Diſciplinam non receperunt.*] id eſt, non ſunt facti meliores à me caſtigati. vt inf. c. 5. 3. *percuſſiſti eos, & non doluerunt.* & cap. 51. 9. *Curauimus Babylonem & non eſt ſanata. Deuorauit gladius veſter*, id eſt, tantùm abeſt vt admonitiones meas recipere volueritis, vt potiùs occideritis Prophetas, per quos admonebam vos. Ita Chriſtus Matt. 23. 37. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.*

31. *Generatio veſtra.*] הדור אתם. ad verbum. An generatio vos? id eſt, an vixiſtis per generationem, & ſæculum vnum, vt poſſitis teſtes eſſe eorum quæ feci? Si ita eſt, *videte*, id eſt, conſiderate diligenter *verbum Domini*, & reſpondete. Alij, O generatio vos, quod minùs mihi placet. *Numquid ſolitudo factus ſum Iſraëli*, id eſt, inutilis, & infructuoſus, ſicut ſolitudo eſſe ſolet. *Aut terra ſerotina.* אם ארץ מאפליה. aut terra caliginoſa, id eſt, obſcura, horrida, non luſtrata ſole. Hiſpanicè, *Sombrio.* huiuſmodi enim terra non ſolet fructus proferre. quaſi dicat, an non inuenerunt in me auxilium, quotieſcunque petiuerunt? *Receſſimus*, præteritum pro futuro, recedemus à te, neque reuertemur ampliùs. Sept. videntur legiſſe רדנו à verbo רדה. dominari. verterunt enim, οὐ κυριευθησόμεθα, *non ſubiiciemur dominationi* (tuæ.) *Hebræa lectio diuerſa à lectione Septuaginta.*

32. *Numquid.*] quaſi dicat, fœmina pluris facit ornamenta ſua, quàm populus meus me. *Faſcia pectoralis.* קשריה. mutænularum ſuarum. Sept. ςηθοδεσμίδα.

33. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam?*] id eſt, quorſum ſtudes iuſtificare tete apud me, vt ineas gratiam meam, cùm non ſolùm malas re ipſa feceris vias tuas; ſed etiam eas alios docueris? id eſt, cùm non ſolùm malè vixeris;

ſed etiam docueris alios malè viuere. vt Hieron. interpretatur.ſicut ſupra dixit ver. 22. *Si laueris te nitro, maculata es in iniquitate tua coram me.* Alij aliter: ſed hunc credo verum eſſe ſenſum. Itaque לכן interpretor, cùm, vel, quippe quæ.

34. *Et in alis tuis.*] Etiam in alis tuis. loquitur de populo tanquam de aquila, aut accipitre, qui raptu viuit. Solent enim huiuſmodi aues alas habere plenas ſanguine. Alij interpretantur alas, oras veſtium, quas dicit fuiſſe tinctas innocentum ſanguine. Mihi valde hoc loco placet lectio Sept. ἐν ταῖς χερσί σου. *In manibus tuis.* Itaque non videntur legiſſe בכנפיך, vt nunc legimus: ſed בכפיך. quod dempta littera nun נ ſignificat, In manibus tuis. *Inuentus eſt ſanguis.* H. ſingularis דם pro plurali דמים. ſanguines, vt apparet ex plurali verbo נמצאו. inuenti ſunt, & ex affixo plurali, quod poſtea ſequitur. *Non in foſſis inueni eos* (ſanguines, quos fudiſti.) quaſi dicat, fruſtra niteris occultare ſcelera tua,cùm ſanguis ipſe innocentum non in terram defoſſus lateat, ſed in manibus tuis cernatur. *Sed in omnibus quæ ſupra memoraui*, id eſt, in manibus, aut alis tuis. כי על כל אלה. ſed in omnib. his. Sept. ἐπὶ πάσῃ δρυΐ In omni arbore, aut in omni quercu. Nam אלה. & Hæc, ſignificat, & arborem aut quercum. Si cum Sept. interpretemur, ſenſus erit, omnes arbores plenas eſſe ſanguine, quia ſub arboribus ſacrificare ſolebant, diximus verſ. 20. Immolabant autem innocentes *filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Pſal. 105. 37.

Hebraica lectio diuerſa à Septuaginta.

36. *Quàm vilis facta es.*] Loquitur cum populo genere fœminino, tanquam cum vxore, vt ſupra ver. 2. 23. 24. H. תזלי. quod Hebraïzantes interpretantur, diſcurris, à verbo אזל. quod mihi non probatur. Nam præterquam quod debebat eſſe תאזלי, ſenſus minùs congruit. Meliùs ergo noſter interpres. תזלי. *vilis facta es* ac deſpecta à זול deſpicere. præt. pro fut. vilis fies,ac deſpecta eris, ſicut ſtatim exponitur. *Et ab Aegypto confundêris. Iterans vias tuas.* id eſt, ſæpe in Ægyptum excurrens, vt inde petas auxilium. *Et ab Aegypto confundêris,* id eſt, ſicut ab Aſſyriis olim contra Ægyptios, ſic nunc ab Ægypriis contra Aſſyrios fruſtra auxilium petes.

37. *Nam & ab iſta egredieris.*] id eſt, ab hac ſpe, quam in Ægyptiis poſuiſti, excides, ſicut ſtatim dicit, *quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam.* Vel. מאת זה תצאי. Hinc etiam migrabis.Hinc etiam captiua duceris. *Et manus tuæ erunt ſuper caput tuum*, id eſt, confuſa (vt ante dixit) & plorans in captiuitatem ibis. Solebant enim mulieres flentes,vel pudore affectæ caput manibus tegere; quod Thamar ad Amon corruptam feciſſe legimus lib. 2. Reg. c. 13. 19. Alij, *manus tuæ*, id eſt, opera & pectora tua recident in caput tuum. *Quoniam obtriuit Dominus.* כי מאס יהוה במבטחיך. quoniam repudiauit Dominus (id eſt, vanas & inanes reddidit)omnes confidentias aut ſpes tuas. ולא תצליחי להם. & non proſperaberis in eis, eſt, non bene tibi ſuccedent, quæ ſperabas.

Conſuetudo mulierũ flentium aut pudore affectarum erat caput manibus tegere.

CAPVT III.

VLGO dicitur: Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: numquid reuertetur ad eam vltrà? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. 2 *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non proſtrata ſis in viis ſedebas, expectans eos quaſi latro in ſolitudine: & polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.*

3. Quam-

3. Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, & ſerotinus imber non fuit: frons
mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. 4 Ergo ſaltem amodo voca me: Pater
meus, dux virginitatis meæ tu es: 5 numquid iraſcêris in perpetuum, aut perſeuerabis in
finem? Ecce locuta es, & feciſti mala, & potuiſti. 6 Et dixit Dominus ad me in diebus
Ioſiæ regis: Numquid vidiſti quæ fecerit auerſatrix Iſraël? abiit ſibimet ſuper omnem
montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi. 7 Et dixi, cùm feciſſet,
hæc omnia: Ad me reuertere: & non eſt reuerſa. Et vidit præuaricatrix ſoror eius Iuda,
8 Quia pro eo, quòd mœchata eſſet auerſatrix Iſraël, dimiſiſſem eam, & dediſſem ei
libellum repudij: & non timuit præuaricatrix Iuda ſoror eius, ſed abiit, & fornicata eſt
etiam ipſa. 9 Et facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum
lapide & ligno. 10 Et in omnibus his nõ eſt reuerſa ad me præuaricatrix ſoror eius Iuda
in toto corde ſuo, ſed in mendacio, ait Dominus. 11 Et dixit Dominus ad me: Iuſtificauit
animam ſuam auerſatrix Iſraël, comparatione præuaricatricis Iudæ. 12 Vade, &
clama ſermones iſtos contra Aquilonẽ, & dices: Reuertere auerſatrix Iſraël, ait Dominus,
& non auertam faciem meam à vobis: quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non
iraſcar in perpetuum: 13 Verumtamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum
tuum præuaricata es: & diſperſiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frondoſo, & vocem
meam non audiſti, ait Dominus. 14 Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus: quia
ego vir veſter: & aſſumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam
vos in Sion. 15 Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctri-
na. 16 Cùmque multiplicati fueritis, & creueritis in terra in diebus illis, ait Dominus:
non dicent vltrà: Arca teſtamenti Domini: neque aſcendet ſuper cor, neque recordabun-
tur illius: nec viſitabitur, nec fiet vltrà. 17 In tempore illo vocabunt Ieruſalem Solium
Domini: & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ieruſalem, &
non ambulabunt poſt prauitatem cordis ſui peſſimi. 18 In diebus illis ibit domus Iuda
ad domum Iſraël, & venient ſimul de terra Aquilonis, ad terram quam dedi patribus
veſtris. 19 Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſi-
derabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Et dixi: Patrem vocabis me,
& poſt me ingredi non ceſſabis. 20 Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic
contempſit me domus Iſraël, dicit Dominus. 21 Vox in viis audita eſt, ploratus & vlu-
latus filiorum Iſraël: quoniam iniquam fecerunt viam ſuam, obliti ſunt Domini Dei ſui.
22. Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Ecce nos venimus ad
te: tu enim es Dominus Deus noſter. 23. Verè mendaces erant colles, & multitudo mon-
tium: verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſraël. 24 Confuſio comedit laborem patrum
noſtrorum ab adoleſcentia noſtra, greges eorum, & armenta eorum, filios eorum, &
filias earum. 25 Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra: quo-
niam Domino Deo noſtro peccauimus nos; & patres noſtri, ab adoleſcentia noſtra vſque
ad diem hanc: & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri.

PERSEQVITVR idem argumentum & Iſraëlis comparatione Iudæ idololatriam exaggerat.

1. *Vulgò dicitur.*] H. לאמר. dicendo aduerbium; quod aliqui coniungunt cum fine capitis præcedentis, *Quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam, dicendo.* Minùs aptè meo iudicio. Nam dicere, *reuertere*, non eſt confidentiam obterere, ſed augere. Meliùs ergo noſter interpres, *Vulgò dicitur.* Quod Sept. prætermiſerunt, fecit capitis initium, *Numquid polluta & contaminata erit mulier illa?* H. הלוא חנוף תחנף הארץ ההיא. annon polluendo polluta erit terra illa? quod alij ſic interpretantur. numquid non terra ipſa polluetur, ſi huiuſ- *Septuaginta quid non legant, in quo etiã differant ab Hebræo.*

modi mulier ad maritum ſuum reuertatur. Sept. & noſter interpres non verba, ſed ſenſum reddiderunt: viderunt enim mulierem hoc loco metaphoricè terram appellari, quòd à viro quaſi ager colatur, ſeminetur, ac fructus ferat. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* רעים רבים. Sept. *ἐν ποιμέσι πολλοῖς.* in paſtoribus multis. legerunt enim ברעים.

2. *Leua oculos tuos in directum.*] id eſt, quà longiſſimè poteris, tende oculorum aciem, & vide, ecquis locus ſit, vbi non ſis polluta cum idolis H. שאי עיניך על שפים. leua oculos tuos in excelſa. Et quidem bene habent. Leuarem & in excelſa, & ſenſus valde congruit. Leua ad colles, vbi ſolebant idolis ſacrificare, vt diximus ſuprà c. 2. 20. *Vbi non proſtrata ſis.* שגלת. vbi non coïeris. *In viis ſedebas expectans eos.* על דרכים ישבת להם. iuxta vias ſediſti eis. relatiuum ſine antecedenti more Hebræorum; id eſt, parata & proſtituta omnibus tranſeuntibus. Noſter interpres ſenſum vertit. Solebant meretrices iuxta vias ſedere, vt viatores allicerent, ſicut de Thamar legimus Gen. 38. 14. *quaſi latro in ſolitudine,* qui ſedere ſolet, vt prætereuntes inuadat. H. כערבי. ſicut Arabs. Idem ſenſus eſt. Arabes enim latrones erant, & in deſertis locis habitabant.

Hebraiſmus.

Heb. aliter.

3. *Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum.*] quaſi dicat, ſceleribus tuis cœlum clauſiſti, ne plueret. *& ſerotinus imber,* id eſt, qui cadere ſolet ineunte vere, ſicut ſtillæ pluuiarum ſignificant pluuiam, quæ decidere ſolet in Autumno: his enim duobus temporibus pluuia eſt maximè neceſſaria. Sept. *καὶ ἔσχες ποιμένας πολλοὺς εἰς πρόσκομμα σεαυτῇ* eadem ſententia inf. c. 5. 25. Frons meretricis, id eſt, cùm eius facinoribus cœlum clauſum eſſet, tamen non erubuiſti.

Sept. aliter.

4. *Ergo ſaltem amodo voca me.*] id eſt, recognoſce, habe me pro patre. H. הלוא מעתה קראתי לי. An non (ſaltem) deinceps (à me inuitata atque rogata) vocabis me *Pater meus: Dux virginitatis meæ tu es.* כעורי. adoleſcentiæ meæ, id eſt, qui à pueritia mea educaſti atque rexiſti me.

5. *Numquid iraſceris in perpetuum, aut perſeuerabis in finem.*] H. הינטר numquid conſeruabis iram tuam in perpetuum. Verba ſunt Dei, quæ docet populum ſibi dicere, vt eius miſereatur. Hæc enim eſt incredibilis eius miſericordia, vt cum nobis ob peccata noſtra iratus eſt, orationem nobis componat, qua eum placemus. *Ecce locuta es.* Locus eſt conciſus, & obſcurus. Ego verò ſic interpretor. Ecce ſimul atque hæc, quæ modò dixi, locuta fueris, quamuis multa mala feceris, poteris, id eſt, præualebis contra me, vinces ac flectes me. Noſter interpres præteritum *potuiſti*, poſuit pro futuro.

6. *Auerſatrix.*] id eſt, rebellis. משובה. quæ ſolet à me recedere. Sept. *κατοικία, domus Iſraël.* Vide c. 2. 20.

8. *Quia pro eo quod mœchata eſſet.*] H. ואראה. Et vide, quòd על אדות. propter omnes cauſas, id eſt, Animaduerti, quòd, cùm rectè cognouerit omnes cauſas, ob quas repudiauit Iſraël, non reſipuit alieno malo: ſed ſororem potiùs ſuam imitata eſt

9. *Et facilitate.*] id eſt, quia adeò expoſita erat omnibus adulteris; vt neminem recuſaret, contaminauit totam terrã fornicationibus ſuis, id eſt, adorauit tanquam Deos omnes terræ partes, aut quidquid terra producit, lapides, ligna, beſtias.

10. *In omnibus his.*] id eſt, cùm hæc omnia videret Iuda. בכל זאת. in omni hoc, id eſt, propter hoc totum *non eſt reuerſa præuaricatrix ſoror eius Iuda in toto corde ſuo,* id eſt, verè, ac ſeriò. *ſed in mendacio* id eſt, ficte ac ſimulatè.

11. *Iuſtificauit animam ſuam.*] id eſt, iuſtiorem ſe eſſe oſtendit Iſraël, quàm Iuda,

Digitized by Google

Iudâ, ſi cum ea comparatur, ſicut apud Ezechiel. 16. 51. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, ſed viciſti eas ſceleribus tuis, & iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Sic Lucæ 18.14. *Deſcendit publicanus iuſtificatus à Phariſæo in domum ſuam.* Sic, *non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens.* Pſal. 142. id eſt, *Dei comparatione*, vt ait Iob, c. 4. 27. & 25. 4.

12. *Contra Aquilonem.*] id eſt, contra Iſraël, qui comparatione Iudæ Aquilonaris erat. *Reuertere auerſatrix Iſraël* id eſt, rebellis, vt ſupra ver. 6. *Et non auertam faciem meam à vobis*, id eſt, non iraſcar, ſed placabor. H. לוא אפיל פני בכם. Non deiiciam facies meas (id eſt, iram meam) in vos. Sept. ϗ ὐ μὴ ςηρίσω πρόσωπόν μυ ἐπ᾽ ὑμᾶς. *Et non firmabo faciem meam in vos*, id eſt, non iraſcar. Solemus enim eos, quibus iraſcimur, obfirmato vultu intueri. *Quia ſanctus ego ſum.* אבי כי חסיד. quoniam miſericors ego ſum, ſicut & Sept. ἐλεήμων ἐγώ εἰμι. *Et non iraſcar in perpetuum.* אטור non ſeruabo (ſubaudi iram meam) vt ſup. ver. 5.

Septuaginta mitius.

13. *Veruntamen ſcito.*] id eſt, agnoſce *iniquitatem tuam*, & confitere, quòd præuaricata ſis, *Et diſperſiſti vias tuas alienis*, id eſt, huc illucque diſcurriſti ad quærendos Deos alienos: aut, *Diſperſiſti vias tuas*, id eſt, diuiſiſti pedes tuos, aut crura tua *alienis*: quaſi dicat, ſcortata es cum Diis alienis, vt apud Ezech. 16. 25. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum, & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.*

14. *Conuertimini filij reuertentes.*] שובו בנים שובבים. alij vertunt, Conuertimini filij rebelles, vt ſupra vocauit Iſraël משבא. auerſatricem, id eſt rebellem, ver. 6. & 12. Ita & Sept. ἐπιστράφητε υἱοὶ ἀφεστηκότες. *Reuertimini filij apoſtatæ. Quia ego vir veſter.* maritus, aut dominus veſter, aut ego poſſedi vos, quia mei eſtis. hæc enim omnia ſignificare poteſt verbum בעלתי Sept. κατακυριεύσω ὑμῶν. *dominabor veſtri. Et Aſſumam vos vnum de ciuitate*, id eſt, ſi vel vnus tantùm veſtrûm in ciuitate fuerit, & duo tantùm in cognatione vna non reliquam illos, ſed reducam in Sion, id eſt, ad Eccleſiam Catholicam. vt Iſai. 10. 21. *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem.*

Sion denotat Eccleſiã Catholicam.

15. *Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum.*] id eſt, bonos, non quales populus vult, ſed quales ego. Pars enim fœlicitatis populi eſt bonos habere paſtores. Per bonos autem paſtores, Apoſtolos videtur intelligere, cùm de Eccleſia Catholica loquatur.

16. *Non dicent vltra, Arca Teſtamenti Domini.*] i. non iactabunt legis Moſaïcæ ceremonias. per arcam enim omnes ceremonias intelligit; ſicut per templum infra c. 7. 4. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentis: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt.* Significat ergo fore vt omnes legis ceremoniæ ceſſent, cùm ad Euangelij prædicationem augebitur numerus credentium in Chriſtum. Act. 5. 14. *Neque aſcendet ſuper cor*, id eſt, nemo de ea cogitabit. *Neque viſitabitur.* יפקדו. neque viſitabunt. Solebant enim arcam viſitare, vt reſponſum à Deo peterent. *Nec fiet vltra.* alia arca, aut neque fiet vltra tale quidquam.

17. *Ieruſalem.*] Eccleſiam Catholicam intelligit, vbi Deus habet ſolium ſuum, id eſt, regnat. *Et congregabuntur ad eam.* Quia omnes gentes ad Eccleſiam Catholicam venturæ erant. *In nomine Domini*, quo baptizandæ erant. *in Ieruſalem.* (ſub. habitantis.) *Et non ambulabunt*, id eſt, non ſequentur amplius שרדות לבם הרע אחרי. cogitationem cordis ſui malam. vt & Sept. verterunt. quaſi dicat, *erunt omnes docibiles Dei.* Iſai. 54. 13. & Ioann. 6. 45.

Per Ieruſalẽ Eccleſiam intelligit.

18. *Ibit domus Iuda ad domum Iſraël.*] id eſt, non erit diſſenſio inter duas, & decem tribus, ſed omnes ſimul ſublatis inimicitiis ad Eccleſiam Catholicam venient.

nient. Sept. ordine inuerſo, *συνελεύσονται ὁ οἶκος Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα. Et venient ſimul de terra Aquilonis*, id eſt, de Syria, per quam diſperſi fuerant. *Ad terram, quam dedi patribus veſtris.* אבותכם אשר הנחלתי את. quam hæreditare feci patres veſtros, vt & Sept. reddiderũt. *ἐν ᾗ κατεκληρονόμησα τοὺς πατέρας αὐτῶν* Intelligit autem hiſtoricè terram Iudæ, in quam eos ex Babylonica captiuitate reducturus erat: myſticè autem Eccleſiam Catholicam, quæ per terram illam promiſſionis adumbrabatur.

19. *Ego autem dixi.*] id eſt, cogitaui, qua ratione ponerem te in numero filiorum meorum, quomodo de te bene mererer, tanquam pater de filiis. H. איך verti poteſt, Certè. quaſi dicat, Ego apud me certè conſtitueram ponere te in numero filiorum meorum; & tribuere tibi terram deſiderabilem, & hæreditatem præclaram. צבי gloriæ, aut deſiderij exercituum gentium, id eſt, quam omnes gentes concupiſcunt, aut glorioſam putant. Sept. initio huius verſus addiderunt, *γένοιτο κύριε*, quod Hebraïcè non eſt, & hoc loco vertunt, *κληρονομίαν θεοῦ παντοκράτορος ἐθνῶν. hæreditatem Dei omnipotentis gentium*

Septuaginta legunt aliter, & addunt quod non eſt in Hebræo.

20. *Sed quomodo, ſi contemnat.*] i. cùm ego hæc cogitarem, ac facerem, illi me contempſerunt, ſicut mulier ſuperba amatorem ſuum. H. בגדה. ſicut mulier, quæ præuaricatur contra amatorem ſuum, id eſt, contra virum ſuum; ita domus Iſraël contra me præuaricata eſt.

21 *Vox in viis.*] ſignificat Iudæos variis viis diſperſos flere ſuam calamitatem, quia à Deo diſceſſerunt. Vel. על שפיים. in excelſis, vt ſuprà verſ. 2. quod indicat Iudæos tam vehementer ploraturos, vt eorum clamor in altiſſimis etiam mõtib. audiatur. Sept. *φωνὴ ἐκ χειλέων ἠκούσθη. vox ex labiis audita eſt.* quaſi legerint שפתים. Ploratus & vlulatus. בכי תחנוני. luctus, & precationum filiorum Iſraël. ſicut Sept. reddiderunt. Solent enim homines afflicti flentes auxilium precibus petere.

22. *Conuertimini filij reuertentes.*] id eſt, ex animo, ſeriò. Vel. שבבים. rebelles, vt ſuprà ver. 6. 12. 14. *Et ſanabo auerſiones veſtras.* id eſt, condonabo vobis omnes præteritas rebelliones veſtras. Hebraïcè elegans eſt paranomaſia, quæ Latinè exprimi non poteſt inter has tres dictiones. שובו. reuertimini. שובבים. rebelles, aut auertentes (vos.) משובותיכם auerſiones, aut rebelliones veſtras. *Et* (ſub. dicite) *Ecce nos venimus ad te.* &c.

23. *Verè mendaces erant colles.*] id eſt, mendacij Dij, quos hactenus ſuper colles adorabamus. Synecdoche: cõtinens pro contento. Heb. לשקר מגבעות. fruſtrà à collibus (ſub. ſperabamus hactenus auxilium,) & à multitudine montium, id eſt, Deorum: tot enim Deos colebant, quot erant montes. Sept. *ἡ δύναμις τῶν ὀρέων. & potentia montium.*

24. *Confuſio.*] id eſt, calamitas confuſionem peccatorum afferens. *comedit laborem patrum noſtrorum ab adoleſcentia.* q. d. iam inde à pueritia noſtra experimur, fruſtrà patres noſtros laborare; omnia enim malè illis ſuccedunt, quia à Domino diſceſſerunt. Sapiamus ergo alieno modo, & ad Dominum reuertamur. alioqui.

Quomodo res ſuccedant iis, qui à Domino diſcedunt.

25. *Dormiemus in confuſione noſtra.*] id eſt, in miſeriis noſtris moriemur, *& operiet nos ignominia noſtra.*

CAPVT

CAPVT IV.

*SI reuertêris Iſraël, ait Dominus, ad me conuertere: ſi abſtuleris offendicula
tua à facie mea, non commoueberis. 2 Et iurabis: Viuit Dominus in veritate
& in iudicio, & in iuſtitia; & benedicent eum Gentes, ipſúmque laudabunt.
3 Hæc enim dicit Dominus viro Iuda & Ieruſalem: Nouate vobis nouale, & nolite ſe-
rere ſuper ſpinas: 4 Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum
viri Iuda, & habitatores Ieruſalem: ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, &
ſuccendatur, & non ſit qui extinguat, propter malitiam cogitationum veſtrarum. 5 An-
nunciate in Iuda, & in Ieruſalem auditum facite: loquimini, & canite tuba in terra:
clamate fortiter: & dicite: congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas, 6 Leuate
ſignum in Sion. Confortamini, nolite ſtare, quia malum ego adduco ab Aquilone, &
contritionem magnam. 7 Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo Gentium ſe leuauit:
egreſſus eſt de loco ſuo, vt ponat terram tuam in ſolitudinem: ciuitates tuæ vaſtabuntur,
remanentes abſque habitatore. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite & vlulate: quia
non eſt auerſa ira furoris Domini à nobis. 9 Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit
cor regis, & cor principum: & obſtupeſcent ſacerdotes, & Prophetæ conſternabuntur.
10 Et dixi: Heu, heu, heu, Domine Deus, ergóne decepiſti populum iſtum & Ieru-
ſalem, dicens: Pax erit vobis: & ecce peruenit gladius vſque ad animam? 11 In tem-
pore illo dicetur populo huic & Ieruſalem: Ventus vrens in viis, quæ ſunt in deſerto viæ
filiæ populi mei, non ad ventilandum & ad purgandum. 12 Spiritus plenus ex his veniet
mihi: & nunc ego loquar iudicia mea cum eis. 13 Ecce quaſi nubes aſcendet & quaſi
tempeſtas currus eius: velociores aquilis equi illius: væ nobis quoniam vaſtati ſumus.
14 Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias: vſquequo morabuntur in te cogita-
tiones noxiæ? 15 Vox enim annunciantis à Dan, & notum facientis idolum de monte
Ephraim. 16 Dicite Gentibus: Ecce auditum eſt in Ieruſalem cuſtodes venire de terra
longinqua, & dare ſuper ciuitates Iuda vocem ſuam. 17 Quaſi cuſtodes agrorum facti
ſunt ſuper eam in gyro: quia me ad iracundiam prouocauit, dicit Dominus. 18 Viæ tuæ,
& cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: iſta malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.
19 Ventrem meum, ventrē meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt in me: non tacebo,
quoniā vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij. 20 Cōtritio ſuper contritionē
vocata eſt, & vaſtata eſt omnis terra: repentè vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubitò pelles
meæ. 21 Vſquequo videbo fugientem, audiā vocem buccinæ? 22 Quia ſtultus populus
meus me nō cognouit: filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt vt faciant mala, bene
autē facere neſcierunt. 23 Aſpexi terrā, & ecce vacua erat, & nihili, & cælos, & nō erat
lux in eis. 24 Vidi montes, ecce mouebātur: & omnes colles conturbati ſunt. 25 Intuitus
ſum, & non erat homo; & omne volatile cæli receſſit. 26 Aſpexi, & ecce Carmelus de-
ſertus: & omnes vrbes eius deſtructæ ſunt à facie Domini, & à facie furoris eius. 27 Hæc
enim dicit Dominus: Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam.
28 Lugebit terra, & mærebūt cæli deſuper: eò quod locutus ſum, cogitaui, & non pœnituit
me, nec auerſus ſum ab eo. 29 A voce equitis & mittentis ſagittam, fugit omnis ciuitas:
ingreſſi ſunt ardua, & aſcenderunt rupes: vniuerſæ vrbes derelictæ ſunt, & non habitat
in eis homo. 30 Tu autem vaſtata quid facies? cùm veſtieris te coccino, cùm ornata fue-
ris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, & fruſtra componeris; contempſerunt te a-
matores tui, animam tuam quærent. 31 Vocem enim quaſi parturientis audiui an-
guſtias vt puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandentiſque manus ſuas: væ
mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.*

IDEM eſt huius capitis argumentum, atque ſuperioris, pollicetur enim Iſraëlitis & Iudæis, fore vt, ſi ad ſe reuertantur auertat ab eis imminentem captiuitatem

1. *Si reuerteris Iſraël.*] à peccatis tuis, *ad me conuertere*, id eſt, in gratiam meam redibis. *Iniquitates enim veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.* Iſai. 59. 2. Alij. Si reuerteris ad me, השוב. quieſces, id eſt liberaberis iſtis malis. Sed prior interpre-

Sept. aliter. tatio magis congruit Hebraïcæ lectioni. Sept. ἐὰν ἐπιστραφῇ, ἐπιστραφήσεται. *Si reuerteris ad me, reuertetur* (ſub. Deus ad te.) *Si abſtuleris offendicula tua*, id eſt, peccata quibus me offendis, vel res, quæ te faciunt offendere. H. שקועיב. abominationes tuas, vt Sept. verterunt. offendicula verò, ſiue abominationes vocat idola. *Non commoueberis.* id eſt, non duceris in captiuitatem, quæ tibi impendet. לא תנוד. non emigrabis.

Iuramentum pro cultu Dei ſæpe in Scriptura. 2. *Et iurabis, Viuit Dominus.*] id eſt, non coles alium Deum, quàm Dominum. Sæpe iuramentum ponitur pro cultu Dei, quia pars cultus diuini eſt, vt Pſal. 62. 12. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Vetitum enim erat per falſos Deos iurare, Exod. 23. 13. Aliqui repetunt ex ſuperioribus particulam, *ſi.* Si hæc inquam, feceritis, *benedicent eum* (Deum) *gentes atque laudabunt*, videntes quantam bonorum copiam vobis ſuppeditet.

3. *Nouate vobis nouale.*] id eſt, circũcidite corda veſtra, vt ſtatim declarat; ne ſitis hypocritæ. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra,* Ioël. 2. 13. *Et nolite ſerere*

Serere ſuper ſpinas quid. *ſuper ſpinas.* Serere ſuper ſpinas eſt non ex animo, ſed verbis & externis ceremoniis ad Deum conuerti. & non proſciſſo priùs agro cordis ſpinarum pleno, legem Dei ſuſcipere.

4. *Circumcidimini Domino.*] id eſt, animo, vt ſtatim explicat. Intrinſecus, non extrinſecus. Quia enim Deus animum vidit, circumcidi Domino, idem eſt, atque animo circumcidi; ſicut hominibus circumcidi eſt extrinſecus tantùm circumcidi. *Et ſuccendatur*; alludit ad ſpinas, quæ facillimè flammam concipiunt; ſic enim peccata iram Dei accendunt. Iſai. 9. 18. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas; veprem & ſpinas vorabit.* Et Iſai. 10. 17. *Et erit lumen Iſraël in igne, & ſanctus eius in flamma & deuorabitur ſpina eius, & vepres.* & c. 33. 11. 12. *Concipietis ardorẽ, parietis ſtipulam, ſpiritus veſter vt ignis vorabit vos, & erunt populi quaſi de incendio cinis, ſpina congregata igni comburentur.*

5. *Annuntiate.*] Cùm illis libertatem promiſiſſet Deus, ſi ad ſe reuerterentur, denuntiat nunc eis captiuitatem, quia reuerti noluerunt; vtitúrque proſopopœia ducis, qui ingruente bello, dato tubæ ſigno, iubet omnes in munitas

Lectio Septuaginta & noſtra vulgaris diuerſa ab Hebraïca. vrbes confugere. *Clamate fortiter.* Noſter interpres, itémque Sept. videntur legiſſe מאר vbi nunc legimus מלאו, vna interiecta littera, altera verò in aliam ſibi ſimilem immutata.

6. *Confortamini, nolite ſtare.*] id eſt, nolite animo conſterni. Solent enim qui animo conſternuntur, ſtare obſtupefacti. Alij vertunt האספו. congregamini, & nolite ſtare, id eſt citò, ne tardetis. Meliùs Sept. σπεύσατε, feſtinate, nolite ſtare, quaſi legerint העיזו. *Quia malum ego* (Deus) *adduco ab Aquilone*, id eſt, ab Aſſyria, aut à Babylone, vnde hoſtes venturi erant, ab Aquilone enim pandendum erat omne malum, vt dixit ſuprà c. 11. 14.

7. *Aſcendit leo.*] Leonem metaphoricè vocat Nabuchodonoſorem, Chaldæorum regem, & prædonem gentium, quia omnes vicinas gentes ſpoliabat.

8. *Super hoc.*] על זאת. quamobrem, propterea, accingite vos ciliciis. Sole-

bant.

bant Iudæi tempore luctus ſaccis ſe induere, quod primùm Iacob nuntiata filij morte feciſſe legimus, Geneſ. 37. 34.

9. *Peribit cor Regis.*] id eſt, Reges, & principes, & ſacerdotes, & prophetæ animo præ timore conſternabuntur, ita vt non poſſint iuuare populum.

10. *Heu, heu, heu.*] H. vna eſt dictio dolentis, ſeu admirantis. אהה vt ſuprà c. 1. 6. *Ergóne decepiſti populum iſtum?* id eſt, per falſos Prophetas decipi permiſiſti, qui dicebant *Pax, pax, & non erat pax.* vt ait inf. c. 6. 14. aut, vt Hieron. interpretatur, Tu ipſe decepiſti, quia dixiſti ſuprà c. 3. 17. *In tempore illo vocabunt Ieruſalem ſolium Domini. Et ecce peruenit gladius vſque ad animam* id eſt, vſque ad intima, vel vſque ad principes ipſos, ſacerdotes & Prophetas, qui veluti anima ſunt populi. *Sacerdotes ſūt vel ut populi anima.*

11. *Dicetur populo huic.*] id eſt, nuntiabitur repentinus aduentus hoſtis, qui per ventum vrentem ſignificatur. Nam vt ventus vrens, quem Siculi Xirochum vocant Græco, vt opinor, vocabulo, quaſi ſiccum, omnia ſiccat & areſacit; ita rex Babylonis per viam deſerti veniens, omnia depopulaturus erat. *Non ad ventilandum, & ad purgandum,* (ſub. ſed ad perdendum) quaſi dicat, non erit ventus gratus & vtilis, qualis ille eſſe ſolet, quo areæ purgantur; ſed pernicioſus ac peſtilens. Aut, non ad ventilandum & purgandum, id eſt, non ad alios perdendos, alios conſeruandos, ſicut ventus quo purgantur areæ, paleas rapit, grana relinquit. Non ſic, inquam, faciet Rex Babylonis; non enim plebeios homines abducet; principes verò, ſacerdotes & Prophetas ſeruabit; ſed omnes aut occidet, aut captiuos ducet. Sept. *πνεῦμα πλανήσεως, οὐκ εἰς καθαρὸν, οὐδ' εἰς ἅγιον.* *Sept. aliter.* alio prorſus ſenſu.

12. *Spiritus plenus ex his.*] רוח מלא מאלה ventus plenior (id eſt, fortior, vehementior) his (ſub. ventis, quibus areæ purgari ſolent.) *Veniet mihi*, id eſt, in obſequium meum; Deus eſt qui loquitur; & oſtendit ſe Chaldæos ad caſtigandum populum ſuum, quaſi miniſtros iuſtitiæ ſuæ miſſurum. vt Pſal. 104. 25. *Conuertit cor eorum, vt odiret populum ſuum, & dolum facerent in ſeruos eius. Et nunc*, id eſt, tunc; loquitur enim perinde ac ſi tempus illud iam adeſſet. *Loquar iudicia*, id eſt, re ipſa oſtendam illis; iuſtè meos punire eos.

14. *Vſquequo morabuntur.*] תלין. morari facies, id eſt, retinebis in animo tuo cogitationes iniquitatis tuæ.

15. *Vox enim annunciantis à Dan.*] Dan & Ephraim erant inter Ieruſalem & Babylonē, propterea dicit, inde venturum eſſe primū nuntium aduentus regis Babylonis. vt infra c. 8. 16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius norum facientis idolum*, id eſt, vox veniet nuntij, qui dicat idololatras venite, qui obſideant Ieruſalem, vel regem Babylonis, qui ſe in ſtatua adorari fecit, Dan. 3. 5. H. משמיע און. annuntiantis laborem & calamitatem, vt Septuaginta verterunt.

16. *Concitate gentes.*] Meliùs habent alij codices, Dicite gentibus. H. לגוים הזכירו. Commemorate gentibus, aut, de gentibus. ſuſcipit perſonam nuntij bellum publicè denuntiantis. *Ecce auditum eſt.* הנה השמיעו. Ecce annunciate ſuper Ieruſalem, aut, contra Ieruſalem. *Cuſtodes*, id eſt, milites, qui regem Babylonis cuſtodiunt; vel, qui ita Ieruſalem obſidebunt & cuſtodient, quemadmodum cuſtodes greges cuſtodire ſolent, ne quis euadat, vel quaſi cuſtodes agrorum, vt ſtatim dicit. *Et dare.* ויתנו. & dabunt vocem ſuam, clamabunt, aut rugient ſicut leones contra ciuitates Iuda. על ערי.

18. *Iſta malitia tua.*] fecit hæc, *Quia amarà.* כי מר *quia*, apud noſtrum interpretem poſitum eſt fortaſſe pro, *quamobrem.* certè Hebraïcè id mihi videtur

Digitized by Google

particula כי hoc loco ſignificare. quaſi dicat, malitia tua in cauſa fuit, quare מר amarum hoc, id eſt, hæc calamitas penetrauit vſque ad cor tuum, ſicut dixit verſ. 10. perueniſſe gladium vſque ad animam.

19. *Ventrem meum, ventrem meum.*] מעי. מעי. viſcera mea, viſcera mea *doleo*, id eſt, angor intimis animi ſenſibus. Loquitur Propheta perſona ciuitatis quemadmodum ſi iam tubæ clangorem, & bellicum tumultum audiuiſſet. *Senſus cordis mei.* H. קירות לבי. *parietes cordis mei*, id eſt, præcordia, quæ quaſi parietes cordis sūt (doleo.) המה לי לבי ſonat, aut tumultuatur mihi cor, id eſt, ſaltitat, palpitat: ſicut in hominibus timore correptis fieri ſolet. *Quoniam vocem tubæ audiui.* שמעת. audiui ô anima mea, vel iuxta communem lectionem. Audiſti anima mea. Dicit ſe animo vidiſſe non oculis, quia per prophetiam tantùm viderat.

20. *Contritio ſuper contritionem.*] id eſt, calamitas ſuper calamitatem vocata eſt, id eſt, adducta à Deo, hoc verbo ſignificat non caſu, ſed diuino conſilio id accidiſſe. vt Pſalm. 104. 16. *Et vocauit famem ſuper terram.* Contritionem autem ſuper contritionem vocatam fuiſſe dicit. Quia priùs fame, deinde gladio, aut priùs obſidione, deinde captiuitate afflictus eſt populus. *Repentè vaſtata ſunt tabernacula*, tabernacula videntur vocare vicinas vrbes, & pelles minora oppida. Aut idem per pelles & tabernacula intelligit, vt ſit repetitio. Alij de templi tabernaculo intelligi putant, quod rubricatis & hyacinthinis pellibus tectum erat. Exod. 26.14. Sed potiùs videtur de militaribus pellibus & tabernaculis agere.

Per tabernacula, vrbes; per pelles, minora oppida intelligit.

21. *Vſquequo videbo fugientem.*] (populum Iudaïcum) eodem modo Sept. verterunt, tamen pluraliter φεύγοντας. H. נס. ſignum, vexillum. quaſi dicat, vſquequo videbo vexillum, & audiam tubam hoſtium, id eſt, quandiu durabit bellum?

22. *Quia ſtultus.*] Reſpondit Deus. quaſi dicat tamdiu durabit, quamdiu populus meus me non cognouerit.

23. *Aſpexi.*] verba ſunt Prophetæ. dicit enim ſe animo & ſpiritu prophetico vaſtitatem terræ Iuda vidiſſe: *Et ecce vacua erat, & nihili.* תוהו ובהו. inanitas, & vacuitas. vt Gen. 1. 2. *Et cælos & non erat lux.* deſcribit terram, qualis initio erat, antequam lumen fieret, & aquæ ab aquis ſepararentur. quaſi dicat, adeo fuiſſe omnia confuſa & turbata bellis, vt mundus antiquum chaos eſſe videretur.

24. *Et omnes colles conturbati ſunt.*] Ita etiā Sept. ταρασσομένους. Heb. התקלקלו. tremebant. alij deſtructi ſunt, quaſi legerint התקרקרו.

26. *Et ecce Carmelus.*] id eſt, fertiliſſima regio, quæ priùs frequentiſſimè habitabatur. vide quæ dicta ſunt ſuprà c. 2. 7.

27. *Conſummationem non faciam.*] id eſt, nondum tamen faciam puniendi finem, non propterea ceſſabo magis ac magis punire, aut contrario ſenſu, non penitus terram perdam. *Reliquiæ* enim, vt promiſi Iſai. 10. 21. 22. *conuertentur.* & Roman. 9. 27. *ſaluæ fient.*

28. *Et mœrebunt cæli.*] קדרו. obſcurabuntur, id eſt, magis adhuc ac magis confundentur omnia, quia quidquid dixi aut cogitaui me facturum, faciam, nec me pœnitebit. *Neque auerſus ſum*, præteritum pro futuro, non auertar, id eſt, non deſiſtam à meo propoſito.

29. *A voce equitis.*] id eſt, audita fama aduentantis equitis & ſagittarij, ſingularia pro pluralibus. *Ingreſſi ſunt ardua.* בעבים. *in denſitates*, id eſt, in ſyluas. Ponuntur præterita pro futuris.

30. *Quid*

Digitized by Google

30. *Quid facies?*] Nam remedium,quod tibi profuturum putabas, nihil proderit. Nempe quòd te induas coccino & monili aureo, quòd pingas ſtibio oculos tuos. *Fruſtra* enim *componeris.* תתיפי fucabis te. *Cõtempſerunt* enim *te amatores tui*, id eſt, idola, quæ tantopere adamabas, non iuuabunt te, cùm in his anguſtiis verſaberis; ſed potiùs è contrario, *animam tuam quærent*, id eſt, perſequentur te. Non quòd ipſa idola ſint perſecutura, quæ nihil ſunt; ſed quòd peccata idololatriæ futura ſint in cauſa vt te hoſtes perſequantur.

31. *Vocem enim quaſi parturientis.*] Verba poſſunt eſſe, aut Dei, aut Prophetæ dicentis ſe iam animo audire vocem ciuitatis ſuæ, quaſi vocem parturientis.

32. *Vox filiæ Sion inter morientes.*] id eſt, ſimilis eſt voci morientium, expandentiúmque manus ſuas ad petendum auxilium. Vel vt alij codices legunt, *Intermorientis & expandentis manus.* H. תתיפח (ſub.audio vocem filiæ Sion) quæ conqueritur, & expandit manus, more ſcilicet mulierum lamentantiũ, ac dicit. *Væ mihi quia defecit anima mea propter interfectos*, id eſt, dum video multitudinem filiorum meorum interfectorum. Aut vt H. eſt להרגים *propter interfectores*, id eſt, metu hoſtium.

CAPVT V.

CIRCVITE vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis
eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærẽtem fidem: & propitius
ero ei. 2 *Quòd ſi etiam, viuit Dominus, dixerint: & hoc falsò iurabunt.*
3 *Domine oculi tui reſpiciunt fidem: percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, &*
renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt
reuerti. 4 *Ego autem dixi: Forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini,*
iudicium Dei ſui. 5 *Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognouerunt*
viam Domini, iudicium Dei ſui. Et ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt
vincula. 6 *Idcirco percuſſit eos leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus*
vigilans ſuper ciuitates eorum: omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur: quia multi-
plicatæ ſunt præuaricationes eorum, confortatæ ſunt auerſiones eorum. 7 *Super quo*
propitius tibi eſſe potero? filij tui dereliquerunt me, & iurant in his qui non ſunt Dij.
ſaturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. 8 *Equi amatores*
& emiſſarij facti ſunt: Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. 9 *Numquid*
ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? & in gente tali non vlciſcetur anima mea?
10 *Aſcendite muros eius, & diſſipate, conſummationem autem nolite facere: auferte*
propagines eius, quia non ſunt Domini. 11 *Præuaricatione enim præuaricata eſt in me*
domus Iſraël, & domus Iuda, ait Dominus. 12 *Negauerunt Dominum, & dixe-*
runt: Non eſt ipſe: neque veniet ſuper nos malum: gladium & famem non videbimus.
13 *Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & reſponſum non fuit in eis: hæc ergo euenient*
illis. 14 *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti eſtis verbum iſtud: ecce ego*
do verba mea in ore tuo in ignem, & populũ iſtum in ligna, & vorabit eos. 15 *Ecce ego*
adducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſraël, ait Dominus; gentem robuſtam,
gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.
16. *Pharetra eius quaſi ſepulchrum patens, vniuerſi fortes.* 17 *Et comedet ſegetes*
tuas, & panem tuum: deuorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum, &
armenta tua: comedet vineam tuam & ficum tuam: & conteret vrbes munitas tuas, in
quibus tu habes fiduciam; gladio. 18 *Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

faciam vos in conſummationem. 19 *Quòd ſi dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noſter hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquiſtis me, & ſeruiſtis Deo alieno in terra veſtra, ſic ſeruietis alienis in terra non veſtra.* 20 *Annunciate hoc domui Iacob, & auditum facite in Iuda, dicentes:* 21 *Audi popule ſtulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis; & aures, & non auditis.* 22 *Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud:* 23 *Populo autem huic factum eſt cor incredulum & exaſperans, receſſerunt & abierunt.* 24 *Et non dixerunt in corde ſuo. Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo; plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.* 25 *Iniquitates veſtræ declinauerunt hæc: & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis:* 26 *impij inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.* 27 *Sicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plena dolo: ideo magnificati ſunt & ditati.* 28 *Incraſſati ſunt & impinguati: & præterierunt ſermones meos peſſimè. Cauſam viduæ non iudicauerunt, cauſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt.* 29 *Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea?* 30 *Stupor & mirabilia facta ſunt in terra:* 31 *Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouiſſimo eius?*

OSTENDIT peccata populi, ſicut ſuprà, propter quæ meritò punitur à Deo.

1. *Circuite vias.*] שוטטו בחוצות. Scrutamini per plateas. *An inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem.* id eſt, veritatem, qui non fraudet fratrem ſuum. Simile eſt cuiuſdam philoſophi apophtegma, qui cùm in foro, in quo magna hominum frequentia quaſi aliquid quærens diſcurreret, interrogatus quid quæreret, reſpondit hominem. *Et propitius ero ei.* אסלח לה. parcam ei, Ieruſalem genere fœminino. Oſtendit ſe adeò eſſe miſericordem, vt ſi vel vnus iuſtus in tota ciuitate inuentus fuerit, toti ciuitati parcat. Sicut Geneſ. 18. 32. dixit ſe non deleturum fuiſſe Sodomam & Gomorram, ſi decem in illis iuſti eſſent inuenti. Sept. καὶ ἵλεως ἔσομαι αὐτοῖς, quaſi legerint להם.

Diogenis Cynicus apud Laërtium in eius vita.

Si in tota ciuitate Sodoma & Gomorra decem inuenti fuiſſent iuſti Deus toti ciuitati peperciſſet.

2. *Quòd ſi etiam, viuit Dominus, dixerint.*] quaſi dicat, aut non iurabunt per Deum viuentem ſicut illis præcepi, Deuter. 6. 13. ſed per falſos Deos, quod prohibitum erat, Exodi 23. 13. aut ſi iurauerint per Deum viuentem, data opera falſum iurabunt, vt illi faciant iniuriam. Hanc vim mihi videtur habere dictio illa Hebraïca לכן. propterea. id eſt, ideò falſum iurabunt, quia per Deum viuentem iurant. Sept. οὐκ ἐπὶ ψευδέσι ὀμνύουσι, *non in mendacijs iurant.* ſenſu prorſus contrario.

Contrario ſenſu hic legunt Sept.

3. *Domine oculi tui reſpiciunt fidem.*] id eſt, rectum iudicium, quaſi dicat, non ſine cauſa illos punis; oculi enim tui vident vniuſcuiuſque merita. H. *Oculi tui* הלא. an non (intenti ſunt) ad fidem. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt.* vt ſuprà c. 2. 30. & infra c. 51. 9. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata. Indurauerunt facies ſuas ſupra petram*, id eſt, duriores petra reddiderunt, impudentiſſimi fuerunt. Sicut Latinè, Os durum dicitur impudentia.

4. *Forſitan pauperes ſunt.*] דלים. tenuis conditionis, qui legem Domini non didicerunt, imperita multitudo, quæ Deum ignorare credebatur, vt Phariſæi dicunt, Ioan. 7. 48. 49. *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?*

riſeis? ſed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt.

5. *Ecce magis.*] H. אך המה Verumtamen ipſi ſimul, id eſt, ipſi queq; quemadmodum & pauperes. *Confregerunt iugum* id eſt, diſceſſerunt à Dei obedientia. frequens eſt hæc metaphora ſumpta à bobus, qui diffracto iugo aufugiunt. vt ſuprà c.2.20.& Pſal.2.3. vincula vocat funes, quibus boues iugo colligantur: nõ lora, vt quidam dixit, quæ non boum, ſed equorum ſunt.

6. *Percuſſit eos.*] Præteritum pro futuro percutiet eos. *leo de ſylua*, id eſt, Nabuchodonoſor ex Syria, quaſi ex ſylua egrediens. *Lupus ad veſperam*, ערבות veſperarum, id eſt, nocturnus; qui noctu prædari ſolet. *Pardus vigilans*, id eſt, obſeruans eorum ciuitates, obſidens ita vt nemo egredi poſſit, quin capiatur. Per leonem, lupum & pardum eundem regem Babylonis intelligit. *Confortatæ ſunt auerſiones eorum*, id eſt, inualuerunt eorum rebelliones vehementer contra me rebellauerunt.

Per leonem, lupum, & pardum, regem Babylonis intelligit.

7. *Super quo.*] אי לזאת. pro איך. vt docti putant. Quomodo ſuper hoc parcam tibi, id eſt, cũ hoc ita ſe habeat, quo iure potero tibi parcere? iuſtitia enim à me poſtulat, vt te grauiter puniã. *Filij tui, ciues tui*. loquitur enim cum ciuitate. *In iis.* בלא אלהים. per eos qui non ſunt Dij, per idola. *Saturaui eos*. id eſt, cùm maximè deberent gratias mihi agere, quòd omnia illis neceſſaria ſuppeditarem, maximè contra me ſcortando peccauerunt. *Incraſſatus enim eſt dilectus, & recalcitrauit*, Deuter. 32.15. *Et in domo meretricis.* ובית זונה יתגודדו. & in domum meretricis congregabantur. Sept. ϗ ἐν οἴκοις πόρνων κατέλυον. *In domibus meretricum verſabantur.*

8. *Equi amatores.*] Comparat eorum libidinem cum libidine equorum, quæ ratione cohiberi non poteſt. H. סוסים מוזנים משכים. equi ſaturati ſingulis diebus manè, vt exponit R.Iacob., *Elhazar.* aut, *equi armati*, vt ait R. Dauid. armati autem dicuntur equi metaphoricè cùm membrum genitale extra vaginam porrectum habent. *Vnuſquiſque ad vxorem*, id eſt, nullus erat in libidine delectus; ſed omnibus mulieribus bonis, malis inſidiabantur.

10. *Aſcendite muros eius.*] Ieruſalem: ſuſcipit nunc Deus perſonam ducis imperantis, vt Ieruſalem funditus euertatur. *Conſummationem autem nolite facere*, id eſt, nolite Iudæos penitus extinguere, vt reliquiæ ſaluæ fiant. vt promiſi, Iſai. 10.20. ſicut ſup.c.4.27. *Auferte propagines eius.* נטישותיה. ramos extentos eius. Alij minas murorũ eius; neſcio quorſum. Optimè noſter interpres propagines vocauit; propagines enim ſunt longa ſarmenta, quæ non diſſecta plãtantur, idq; propriè Hebraicũ nomen ſignificat. Opponitúrq; radici. quaſi dicat, nolite cõſummationẽ facere, nolite radicitus populum extirpare; ſed propagines tãtùm tollite, quæ Domini nõ ſunt. vt vera ſit Iſai. prophetia, c.11.1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Quia non ſunt Domini.* quaſi dicat, tollite malos, relinquite bonos, tollite reprobos, relinquite prædeſtinatos. *Omnis enim plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur*, Mat. 15.13.

11. *Quia præuaricatione præuaricata eſt.*] בגוד בגדו. *præuaricando præuaricati ſunt*, id eſt valde præuaricati ſunt. Notus eſt Hebraiſmus.

12. *Non eſt ipſe.*] (ſub. Deus.) itaque non euenient, quæ nobis minatur.

13. *Prophetæ fuerunt in ventum.*] יהיו. futurum pro præterito. *in ventum.* id eſt, putarunt vana eſſe ſicut ventum, quæ Prophetæ illis prædicebant. Neque eſſe in eis vllum Dei reſponſum, id eſt, non loqui Deum per eos; (cùm dicebant) כה יעשה להם, ſic fiet eis, id eſt, cùm illis prædicebant famem, & captiuitatem venturam. Noſter interpres addidit, *Ergo*, quaſi hæc ſint verba Dei, aut Prophe-

Digitized by Google

Prophetæ dicentis, propterea euentura hæc omnia, quia negauerunt fore, vt euenirent.

14. *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem.*] id eſt, faciam, vt quæ ego per te loquor (inquit Dominus Prophetæ) efficacia ſint, vt ignis, & vt eueniant omnia mala, quæ illis prædixi, & quaſi ligna conſumant eos.

15. *Ecce ego adducam ſuper vos.*] contra vos. עַל כֶּם. *Gentem de longinquo domus Iſraël* id eſt, quæ longè diſtat à domo Iſraël, nempe Chaldæos. *Gentem antiquam.* antiquiſſimum enim erat Chaldæorum regnum, conſtitutum, vt nonnulli putant, à Nembrod paulò poſt diluuium.

A quo conſtitutum Chaldæorum regnum.

16. *Pharetra eius ſepulchrum patens.*] quaſi dicat, quæ adeo perita eſt in iaciendis ſagittis, vt quot habet ſagittas in pharetra, tot homines ſe interfecturam ſciat, ita vt pharetra ſepulchrum, ſagittæ homines mortui eſſe videantur.

17. *Et conteret.*] ירשש. eradicabit, ad verbum, id eſt, euertet. Euertet, inquam, בחרב. *gladio.*

18. *Non faciam vos in conſummationem.*] id eſt, non penitus abolebo vos, non radicitus extirpabo; ſed propagines tantum auferam, vt dixit ſupra 10.

19. *Sicut dereliquiſti me.*] Verba ſunt Dei, quæ Prophetam reſpondere iubet ſuo nomine. *Diis alienis.* opponit dominos alienos, id eſt, Chaldæos, quibus ſeruient. Et terræ ſuæ, terram non ſuam. maior enim culpa fuit, quòd Diis alienis in terra ſua ſeruierint, quàm ſi id coacti a rege in aliena feciſſent: & maior erit pœna in terra aliena ſeruire, quàm in ſua.

22. *Qui poſui arenam terminum maris.*] id eſt, non timebitis me, cùm tam potens ſim, vt arena quaſi muro totum mare coërceam. Maximè nimirum Dei potentia in eo cernitur, quòd arena re infirmiſſima vehementiſſimos maris fluctus cohibeat. Quare ex hoc loco, & ex alio conſimili apud Iob. c. 38. 10. 11. magni etiam auctores collegerunt mare altius eſſe, quam terram: alioqui non commendaretur ex eo diuina potentia. Sed reſpondere poſſumus etiam rebus naturalibus efficiendis, quia admirabiliſſima ſunt, maxime diuinam potentiam commendari, vt in Pſal. 103. 5. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuā, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.*

Mare altius eſſe quam terram, ex hoc loco colligi poſſit.

23. *Populo autem huic factum eſt cor incredulum.*] סרר ומרה. deficiens & rebelle: deficiunt enim à me, & ad falſos Deos confugiunt. Sept. ἀνήκοος καὶ ἀπειθής. *non audiens, neque obediens.* quaſi dicat, inſani fluctus maris mihi obediunt; iſti autem non obediunt.

24. *Quid dat nobis pluuiam temporaneam.*] id eſt, autumnalem, tempeſtiuam: *& ſerotinam.* id eſt, vernam. his enim duobus anni temporibus pluuia maximè deſiderari ſolet. vide ſuprà cap. 3. 3. Hebraïce ו redundat. Quare neque Sept. neque noſter interpres legerunt. *Pleni udinem annuæ meſſis cuſtodientem.* id eſt, qui nobis meſſem integram cuſtodit nulla tempeſtate læſam. H. ישמר לנו שבעת חקות קציר. *Hebdomadas præceptorum meſſis cuſtodit nobis* id eſt, reſeruabis nobis ſerenum tempus, ac ſudum ſpatio ſeptem hebdomadum, quas nos obſeruare præcepiſti tempore meſſis triticeæ, ex die quo primitias frugum offerremus. Exod. 34. 22. & Leuit. 23. 15. & Deuter. 16. 9.

25. *Iniquitates veſtræ.*] Ita legendum eſt, non noſtræ, vt eſt in aliis exemplaribus. Hebraïcè enim eſt עונותיכם. *Declinauerunt hæc.* id eſt, fecerunt, ne vobis darem pluuiam temporaneam, & ſerotinam, & ſerenitatem tempore meſſis, vt ſolebam, ſicut ſuprà c. 3. 3. *Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, & ſerotinus imber non fuit.*

26. *Inſi-*

Digitized by Google

26. *Inſidiantes quaſi aucupes.*] ישור כשך יקושים. Aſpiciet, id eſt, obſeruabit vnuſquiſque eorum ſecundum diſpoſitionem eorum, qui laqueos tendunt. Itaque rectè noſter interpres reddidit ſenſum. *Inſidiantes quaſi aucupes laqueos ponentes, & pedicas.* H. הציבו משחית. ſtatuerunt laqueum, & homines capient.

27. *Sicut decipula plena auibus.*] Decipulam vocat interpres caueam, quæ fieri ſolet in ſemitis, qua aues diſcurrunt, ſuperpoſita tabella, quæ leuiſſimo momento deprimitur, rurſúſque ſponte attollitur, quo artificio perdices potiſſimùm capi ſolent. Atque id propriè ſignificat vocabulum Hebraïcum כלוב. *cauea.* Sicut Hiſpanicè, *trompa*, à decipiendo, quaſi decipula. Propterea dicit *plena auibus*, quia quotquot aues tranſeunt, in huiuſmodi caueam incidere ſolent, itaque plena eſſe ſolet auibus. Tales eſſe dicit vſurariorum domos.

Vſurariorum domus decipula.

28. *Incraſſati ſunt.*] id eſt, pingues facti ſunt. שמנו *Et impinguati.* עשתו. & nituerunt, facti ſunt nitidi, quales homines pingues & lauti eſſe ſolent. *Et præterierunt ſermones meos peſſimè*, id eſt, violauerunt mandata mea ſceleratiſſimis moribus. Noſter interpres legit, דברי רע. Sept. παρέβησαν κρίσιν. *prætergreſſi ſunt iudicium.* Nunc Hebræi legunt גם עברו דברי רע. Etiam præterierunt verba mali, aut verba malitiæ, id eſt, quamuis malè loquerentur, peius tamen viuebant: aut, Iam malè vixerunt, vt nullis verbis eorum improbitas explicari poſſit. *Cauſam non iudicauerunt*, id eſt, non adminiſtrarunt iuſtitiam. Hebraïcè non legitur, *Viduæ.* Sept. autem legunt: ſed poſt cauſam pupilli. Deinde poſt hæc verba, *Cauſam pupilli non iudicauerunt*, Hebraïcè legitur ויצליחו. *& proſperati ſunt.*

29. *Numquid ſuper his?*] id eſt, An hæc ego non puniam? vt ſuprà verſ. 9.

30. *Stupor & mirabilia.*] שמה ושערורה. ſtupor & turpitudo, ad verbum; id eſt, res ſtupenda & indigna, quæ credatur propter turpitudinem. *Facta ſunt in terra* id eſt, in Iudæa.

31. *Et ſacerdotes applaudebant manibus ſuis.*] id eſt, magna cum admiratione approbabant, quæ à Prophetis dicebantur. H. ירדו על ידיהם. *extendebant manus ſuas*, id eſt, applaudebãt. Alij, putant manus extendere, ſignificare, munera accipere. *Quid igitur fiet in nouiſſimo eius*, (populi) aut ſtuporis & turpitudinis; generis enim eſt fœminini, id eſt, quid tandem fiet, quando completæ fuerint ſtupendæ atque turpiſſimæ iniquitates veſtræ (ſub. grauiter puniemini) H. מה תעשו. *quid facietis*, ſicut & Sept. verterunt; id eſt, quid tandem facietis, cùm compleueritis iniquitates veſtras, ſcilicet, puniemini, aut, quando finem facietis eius, id eſt, quando peccare deſinetis?

CAPVT VI.

CONFORTAMINI filij Beniamin in medio Ieruſalem, & in Thecua
clangite buccina, & ſuper Betharem leuate vexillum: quia malum viſum eſt ab
Aquilone, & contritio magna. 2 *Specioſa & delicatæ aſſimilaui filiam*
Sion. 3 *Ad eam venient paſtores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu,*
paſcet vnuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt. 4 *Sanctificate ſuper eam bellum: conſurgite, & aſcendamus in meridie: væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores ſunt vmbræ*
veſperi. 5 *Surgite & aſcendamus in nocte, & diſſipemus domos eius.* 6 *Quia hæc dicit*
Dominus exercituum: Cædite lignum eius, & fundite circa Ieruſalem aggerem: hæc eſt ciuitas viſitationis, omnis calumnia in medio eius. 7 *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam*
ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam: iniquitas & vaſtitas audietur in ea, coram me

ſemper infirmitas & plaga. 8 *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne*
fortè ponam te deſertam terram inhabitabilem. 9 *Hæc dicit Dominus exercituum: Vſ-*
que ad racemum colligent, quaſi in vinea reliquias Iſraël: conuerte manum tuam quaſi
vindemiator ad cartallum. 10 *Cui loquar? & quem conteſtabor, vt audiat? ecce incir-*
cumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt: ecce verbum Domini factum eſt eis in oppro-
brium, & non ſuſcipient illud. 11 *Idcirco furore Domini plenus ſum, laboraui ſuſtinens:*
effunde ſuper paruulum foris, & ſuper concilium iuuenum ſimul: vir enim cum muliere ca-
pietur, ſenex cum pleno dierum. 12 *Et tranſibunt domus eorum ad alteros, agri & vxo-*
res pariter: quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus.
13 *A minore quippe vſque ad maiorẽ omnes auaritiæ ſtudent: & à Propheta vſque ad*
ſacerdotem cuncti faciunt dolum. 14 *Et curabant contritionem filiæ populi mei cum*
ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax. 15 *Confuſi ſunt, quia abominationem*
fecerunt: quin potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt. quamobrem ca-
dent inter ruentes: in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus. 16 *Hæc dicit*
Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bo-
na, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Et dixerunt: Non
ambulabimus. 17 *Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores. Audite vocem tubæ. Et dixe-*
runt: Non audiemus. 18 *Ideo audite Gentes, & cognoſce congregatio, quanta ego fa-*
ciam eis. 19 *Audi terra: Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum*
cogitationum eius: quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. 20 *Vt*
quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuauè olentem de terra longinqua? holocau-
ſta veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi. 21 *Propterea hæc*
dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum iſtum ruinas, & ruent in eis patres & filij ſimul,
vicinus & proximus peribunt. 22 *Hæc dixit Dominus: Ecce populus venit de terra*
Aquilonis, & gens magna conſurget à finibus terræ. 23 *Sagittam & ſcutum arripiet,*
crudelis eſt, & non miſerebitur, vox eius quaſi mare ſonabit: & ſuper equos aſcendent
præparati quaſi vir ad prælium aduerſum te filia Sion. 24 *Audiuimus famam eius:*
diſſolutæ ſunt manus noſtræ: tribulatio apprehendit nos, dolores vt parturientem.
25 *Nolite exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniã gladius inimici, pauor in circui-*
tu. 26 *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum vnigeniti fac*
tibi planctum amarum, quia repentè veniet vaſtator ſuper nos. 27 *Probatorem dedi*
te in populo meo robuſtum: & ſcies, & probabis viam eorum. 28 *Omnes iſti principes*
declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: vniuerſi corrupti ſunt. 29 *Defe-*
cit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ
enim eorum non ſunt conſumptæ. 30 *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus*
proiecit illos.

TRACTAT idem argumentum paulò aliter.

Ieruſalem in tribu Benjamin ſita erat.

1. *Confortamini filij Benjamin.*] Loquitur quemadmodum ſi hoſtes iam adeſſent, vt obſiderent Ieruſalem, & vt ſi dux ciues exhortaretur. Nominat filios Benjamin potiùs, quàm alios, quia Ieruſalem in tribu Benjamin ſita erat. Alij interpretantur העיזו. fugite, minùs benè. *In Thecuam.* Thecuam Hieron. vicum fuiſſe dicit in monte ſitum duodecim milliaribus ab Ieruſalem ſeparatum. Et Betharen vicum item alium in monte quoque poſitum verſus Aquilonem. In his duobus oppidis iubet tuba clangi, & vexillum attolli, quia & in locis editis erant, & in via, qua hoſtes venturi erant, vt qui in vicinis viculis habitabant, in vrbem ſe reciperent. *Quia malum,* id eſt, hoſtilis exercitus viſus eſt à ſpeculatoribus ab Aquilone veniens. Ab Aquilone enim pandendum erat omne malum ſuprà c. 1. 14. & c. 4. 6.

2. *Spe-*

Digitized by Google

2. *Specioſa & delicata.*](mulieri) *aſſimilaui*, id eſt, ſimilem eſſe vidi Ieruſalem, quæ ſubito aduentu hoſtium terreretur, neque ſe defenderet. Indicat fore vt ſumma facilitate Ieruſalem ab hoſtibus capiatur, tanquam mulier imbellis ac delicata. Sept. καὶ ἀφαιρεθήσεται τὸ ὕψος σου θύγατερ σιών. neſcio quorſum. *Sept. aliter.*

3. *Ad eam venient paſtores.*]Paſtores vocat duces Chaldæorum, & greges exercitus, ſicut Græcus Poëta paſſim ποιμένας λαῶν. *Paſcet vnuſquiſque*, id eſt, ſatiabit ſpoliis ſuos milites. H. שדו איש את ידו paſcet vnuſquiſque in loco ſuo. Sept. ad verbum verterunt, καὶ ποιμανοῦσιν ἕκαστος τῇ χειρὶ αὐτοῦ. *Paſcet vnuſquiſque manu ſua* id eſt, potentia & fortitudine. *Sept. aliter*

4. *Sanctificate.*] id eſt, ſolenni ritu ac publico bellum indicite. עליה. *contra eam.* Sicut ſanctificare ieiunium, eſt publicè ac ſolẽni more ieiunium indicere, Ioël. 1. 14. & 2. 15. Verba ſunt Chaldæorum, quæ ideò Propheta recitat, vt oſtendat, quanta auiditate contra Ieruſalem pugnaturi ſint, ſic vt dies illis ad pugnandum breuiores eſſe videantur; & de nocte etiam pugnent. *Sanctificare ieiunium, eſt publicè ac ſolenni more ieiunium indicere.*

5. *Diſſipemus domos eius.*] ארמכ תיה. palatia aut arces eius. Septuaginta, τὰ θεμέλια αὐτῆς.

6. *Quia hæc dicit Dominus exercituum.*] Chaldæis hoſtibus. Significat Deum Chaldæos adduxiſſe, eóſque docuiſſe, qua ratione Ieruſalem capere poſſent. *Cædite lignum eius*, id eſt, ſyluas, quæ in circuitu eius ſunt, vt ex lignis & ramis arborum aggeres faciatis, ex quibus contra eam pugnetis. *Hæc eſt ciuitas viſitationis*, id eſt, quam Deus hodie viſitat ac punit, & hoſtibus in prædam tradit, quia omne calumniarum & oppreſſionum genus in ea eſt.

7. *Sicut frigidam facit.*]Hac ſimilitudine declarat populi obſtinationem, & vt ita loquar, impœnitentiam: ait enim eorum malitiam frigidam fuiſſe, id eſt, cõglaciatam, obduratam. H. כהקיר. ſicut ſcaturire facit puteus aquam ſuam, ſic ſcaturire fecit malitiam ſuã, id eſt, ſicut puteus perpetuò ebullit aquam, ſic hæc ciuitas perpetuò ebullit malitiã, vt exhauriri non poſſit. *Iniquitas & vaſtitas*, id eſt oppreſſio pauperũ ſemper eſt in ea, ſicut aqua in puteo. *Coram me ſemper iniquitas, & plaga* id eſt, perpetuò video eos affligere & percutere pauperes & innocẽtes.

8. *Erudire*]id eſt, reſipiſce, redi ad meliorem mentem. *Ne fortè recedat anima mea*, id eſt; ne deſinam te amare & fauore proſequi. Latini dicunt animum ab aliquo auellere aut alienare.

9. *Vſque ad racemum colligent.*]Quidam ſic interpretantur, vt ſenſus ſit fore, vt Chaldæi non omnino diripiant Ieruſalem, ſed aliquas reliquias relinquant: ſicut vindemiatores relinquunt immaturos racemos, maturos verò colligunt. Mihi ſenſus videtur eſſe omnino contrarius, fore, vt Chaldæi nihil reliquum faciant, quod non diripiant; & vt non ſolùm principes viros, ſed omnes etiam à maximo vſque ad minimum captiuos ducant. Hoc enim indicat, quod ſequitur, *Conuerte manum tuam.* Hoc indicat comparatio, *quaſi vindemiator ad Cartallum*, id eſt, poſtquam vindemiauit, redit & racemat, id eſt, colligit racemos, ſi quos reliquerat; ſic Chaldæi cùm primores ciuitatis captiuos duxerint, ducent etiam infimos quoſque. Hoc indicat phraſis Hebraïca, qua Propheta vtitur hoc loco. עולל יעוללו. *racemando racemabunt reliquias Ieruſalem*, id eſt, diligentiſſimè racemabunt, ita vt nihil relinquant. *Conuerte manum tuam.* Verba Dei ad Chaldæum militem, aut vnius militis ad alium, quæ ideò à Propheta recitantur, vt rem clariùs ante oculos ponat. Vindemiatores cùm vindemiant, non conuertunt manum ad caniſtrum, quod hîc Græco nomine *cartallum* vocat: ſed in caniſtrum ipſum racemos decidit, quia magna racemorum

D 2 copia

Digitized by Google

copia eſt: cùm autem racemant, huc illuc per vineam diſcurrunt, & cùm racemum aliquem inuenerint, conuerſa manu in caniſtrum proiiciunt. Sic Chaldæos facturos ſignificat, vt cùm totam ciuitatem captiuam duxerint, iterum per domos diſquirant, ecquis relictus ſit, & ſi quem inuenerint, in caniſtrum, id eſt, in carcerem coniiciant.

10. *Cui loquar?*] Verba Dei vel Prophetæ. quaſi dicat, cùm hæc ita ſint, tamen nihil proficio eos admonendo, verbum enim Dei vel audire nolunt, vel irrident.

11. *Idcirco furore Domini.*] Poſſunt hæc verba eſſe Prophetæ, aut Dei. Si Prophetæ ſunt, ſenſus erit, *Zelus domus tuæ comedit me.* Pſal. 68. 10. Si Dei, Hebraiſmus eſt, pro ira vehementi, ac magna, ſicut dicuntur *montes Dei*, id eſt magni. Pſal. 35.7. *Laboraui ſuſtinens.* præteritum Heb. pro præſenti, id eſt, non poſſum me continere. *Effunde*(itam.) Loquitur Deus Prophetæ, id eſt, denuntia iram meam omnibus puſillis cum maioribus. Vel hoſti. *effunde*, id eſt, exerce in omnes Iudæos iram meam. Si autem Propheta loquitur, ſenſus eſt. Effunde, ô Domine iram tuam. *Super paruulum foris*, pro *foras*. Senſus enim eſt, effunde foras iram ſuper paruulum, *& ſuper concilium*, id eſt congregationem סוד *iuuenum*, id eſt, ſuper omnis ætatis homines vſque ad infantes, vt ſtatim explicat. *vir enim cum muliere*, id eſt, nulla habebitur ratio ſexus neque ætatis. *Senex cum pleno dierum*, id eſt, cum viro robuſto ac perfectæ ætatis, aut cum decrepito. Vtrumque enim hæc phraſis ſignificare poteſt.

Plenus dierũ quid ſignificet, quid itẽ manum extẽdere.

12. *Extendam manum meam.*] Manum extendere aliquando ſignificat auxiliari, vt Pſal. 137.7. *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me; & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.* Aliquando punire & percutere, vt hoc loco, quia qui percutit manum extendit. ſicut Pſal. 54.21. & Iſai. 5.25. *Iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum.*

14. *Et curabant contritionem.*] (ſub. Prophetæ & ſacerdotes) id eſt, conſolabantur dolorem, quem ex futura calamitate, quam illi comminabar, concipiebat. *Cum ignominia.* id eſt cum confuſione, vt noſter interpres loqui ſolet, id eſt, fallentes illam, ita vt cùm res aliter eueniebat, quàm illi pollicebantur, confunderetur, hoc eſt, pudore ac ignominia afficeretur. Alij interpretantur על נקלה. *cum leuitate*, id eſt, leuiter ac perfunctoriè, quaſi non magnopere curantes. Atque hoc ſenſu Sept. verterunt ἐξουθενοῦντες. Sed magis placet ſenſus, quem reddidit noſter interpres, quia ſtatim ſequitur, *Dicentes, pax, pax, & non erat pax*, id eſt, promittentes populo fore, vt Deus non immitteret in eos bellum, cùm non ita eſſet, & quia rurſus ſequitur; *Confuſi ſunt*, hoc enim eſt cum ignominia.

15. *Confuſi ſunt.*] id eſt, ſpe ſua exciderunt. nota eſt phraſis. *Confuſione non ſunt confuſi.* quaſi dicat, ideò confuſi ſunt, id eſt, pudore affecti rebus præter eorum opinionem euenientibus, quia cùm à me admonerentur ſuorum peccatorum, non ſunt confuſi, id eſt, non eos puduit, nec pœnituit. *In tempore viſitationis ſuæ.* פקדתים. id eſt, cùm eos puniuero. Viſitare pro punire poni ſæpè adnotauimus. Scitum enim eſt illud Pſal. 88.33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum.*

Viſitare pro punire ſumptum.

16 *Hæc dicit.*] pro *dixit.* כה אמר. quaſi dicat, Cùm à Deo admoniti fuerint, vt reſipiſcerent, reſipiſcere noluerunt: *ſtate ſuper vias*, id eſt, inſiſtite in mãdatis Dei, aut, ſpeculamini veluti ex edito loco, quæ optima ſit via, ac viuendi ratio.

17. *Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores.*] id eſt, Prophetas, qui ſpeculatores vocantur, qui longè prouident, quæ multis poſt tẽporibus ventura ſunt, vt Ezech. 3.17. & 33.

Google

& 33.2.6.7.quaſi dicat, quia vos ipſi, vt debebatis, ſpeculari vias Domini noluiſtis, dedi vobis Prophetas, qui eas vobis demonſtrarent. *Audite*(ſub. dixi vobis) *vocem tubæ*, id eſt, Prophetæ exaltantis, quaſi tubæ vocem ſuam, Iſai.58.1.

18. *Ideo audite gentes, & cognoſce congregatio.*](ſub. omnium gentium) Hebraïcè videtur eſſe ſenſus, *cognoſce congregatio*.אשר כם. quæ es inter eas (gentes) aut, *Cognoſce congregatio.* אפר כם. quę illis(Iudęis ſub. imminent) quod addito verbo expreſſit noſter interpres dicens, *Quanta ego faciam eis*. Sept. longè aliter verterunt, διὰ τοῦτο ἤκουσαν τὰ ἔθνη, καὶ οἱ ποιμαίνοντες τὰ ποίμνια αὐτῶν. propter hoc audierunt gentes, & paſcentes greges ſuos, id eſt, & populi, & ſacerdotes, quaſi legerint ſimilibus literis. ורעי עדר אשר כם.

19. *Fructum cogitationum eius.*] id eſt, ſupplicia conſiliis & ſtudiis eius digna, vt Pſal.27.4. *Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum*, & Ierem. 17. 10. *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum.*

20. *Vt quid mihi thus de Saba affertis.*](ad ſacrificandum) H. תבוא. veniet. Thura Sabęa etiam à Poëtis celebrantur. *Et calamum*, id eſt, caſſiam. הטוב. *bonam*, id eſt, *ſuaue olentem*, vt noſter interpres bene expreſſit. Afferebatur autem ex India, vt ait Hieron. propterea dicit, *Ex terra longinqua*. fiebátque ex ea, & ex aliis aromatibus vnguentum, quod incenſum, cùm offerebatur ſacrificium, gratiſſimum odorem reddebat, Exod. 30.34.35. quamquam illic non קנה ponitur; ſed נטף. *ſtacte*, quod idem fortaſſe eſt. Manifeſtum eſt enim hic agi de re odorifera. *Holocauſta veſtra non ſunt*(mihi) *accepta*, eo modo, quo à vobis offeruntur non emendatis moribus, vt apud Iſai.1.11. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus?* *Calamus & caſſia vnde adducta & an idem cum ſtacte.*

21. *Dabo in populum iſtum ruinas.*] id eſt, creabo illis pericula, quæ nulla ratione vitare poterunt. Excitabo illis bellum, quo omnes corruant. Septuaginta pro מכשלים. *ruinis*, ἀσθένειαν, id eſt, infirmitatem tranſtulerunt. *Sept. aliter.*

22. *Populus.*] id eſt, magna hoſtium multitudo *venit de terra Aquilonis*, à Chaldæa, quæ Iudææ Aquilonaris erat, vt ſuprà c.1.14. & 3.18. & 4.6. & 6.1.

23. *Sagittam.*] קשת. arcum, *& ſcutum arripiet: crudelis eſt, & non miſerebitur*, id eſt, implacabilis. *Præparati quaſi vir ad prælium*, id eſt, expediti ſicut viri bellicoſi. Similis ſententia apud Iſai.c. 13. 12. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo*, id eſt, non placabuntur hoſtes, nec parcent hominibus propter aurum. Sept. quod H. eſt כאיש. *quaſi vir*, verterunt, ὡς πῦρ εἰς πόλεμον, *ſicut ignis ad bellum*. Certum eſt argumentum legiſſe eos. אש. ſine י. quod ignem ſignificat.

24. *Audiuimus famam eius.*] id eſt, ſola auditione crudelitatis eius exanimati ſumus. Suſcipit Propheta, aut Deus, qui loquitur, perſonam Iudæorum.

25. *Nolite exire.*] Inducit Iudęos loquentes alios aliis; quemadmodum ſi hoſtes iam obſiderent ciuitatem. *Quoniam gladius inimici*, id eſt, hoſtis gladio armatus eſt in circuitu ciuitatis pauorem incutiens.

26. *Filia populi mei.*] id eſt, O Ieruſalem. poſſunt eſſe verba Dei vel Prophetæ, qui populum vocat ſuum, id eſt, ex quo ipſe eſſet, vel cuius docendi curam haberet. *Accingere cilicio.* שק. ſacco, vt in luctu fieri ſolebat, Geneſ.37. 34. & ſuprà c. 4.8. *Luctum vnigeniti fac tibi*, id eſt, vehementiſſimè & amariſſimè luge, quemadmodum cùm filius vnigenitus moritur, lugeri ſolet. Sept. pro יחיד. *vnigeniti*, ἀγαπητοῦ, id eſt, dilecti, tranſtulerunt. Memini Athanaſium* contra Arrianos diſputantem adnotaſſe ἀγαπητὸν, dilectum, non ſolùm in ſacris literis, ſed apud profanos etiam poëtas idem valere, quod vnigenitũ. Gallicè, *Mignon. Super nos,* *Dilectus idẽ quod vnigenitus ex Athanaſio, etiam apud profanos auctores.* ** orat. contra Arria. pag. 320.*

ita legi debet. Non ſuper vos, vt eſt in aliis exemplaribus, quamquam Sept. habeant ἐφ' ὑμᾶς. ſed credibile eſt eos vertiſſe ἐφ' ἡμᾶς, cum עלינו non potuerint legere עליכם. poſtea ἐφ' ἡμᾶς mutatum in ἐφ' ὑμᾶς ſimilitudine dictionum.

τὸ δ' ἀπαντῆν καὶ Ἐλλήνως ἰσχυσιν οἱ δέκα περὶ τὰς λέξεις, ὅτι ἐστὶν ἐξ ὧν οἱ ποιμένες ... Οὐρπος ... Ὀδυσσείας.

27. *Proba orem dedi te.*]id eſt, ſpecularotem, exploratorem. בחון. vt explores eorum mores, & proſpicias mala, quæ illis euentura ſunt, vt apud Ezech. 3. 17. & 33. 7. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te.* Multò melius vertit noſter interpres, & Sept. ὀχυρωμένην, quàm Hebraïzātes, arcem aut propugnaculum, & quàm Chaldæus בחיר. *electum.* Sequitur enim ſtatim. *Et ſcies, & probabis viam eorum. Robuſtum.* מבצר. munitionem, id eſt munitum, vt nihil ſit, quod te deterrere poſſit, quominus officio fungare. vt ſuprà c. 1. 8. *Ne timeas à facie eorum quia tecum ego ſum, vt eruam te, dicit Dominus.* Sic apud Ezech. 3. 8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

28. *Omnes iſti principes declinantes.*]id eſt, rebelles, qui à me declinant ac deficiunt. H. in regimine. סרי סורדים. principes (aut duces) rebellium. סרי pro שרי, poſitum putant Hebræi. Alij, rebelles rebellium, id eſt, nobiliſſimi rebelles. ſicut *rex regum, & dominus dominantium*, 1. Timoth. 6. 15. *æs & ferrum.* (ſub. ſunt) id eſt, duri ſicut æs & ferrum, impudentes, inflexibiles. *Vniuerſi corrupti ſunt*, moribus. Sic etiam Sept. διεφθαρμένοι H. משחית. omnes illi corruptores ſunt, id eſt, vitiorum magiſtri aliorum mores corrumpentes, qui ſedent *in cathedra peſtilentiæ*, Pſalm. 1. 1.

Chaldæi ſufflatorium Dei

29. *Defecit ſufflatorium.*] נחר. conſumptum eſt ſufflatorium ab igne. Sufflatorium aut follem vocat Deus eleganti metaphora, Chaldæos, quibus quaſi carbonibus excoquebat Iudæorum peccata; Ignem, iram ſuam; Plumbum, corpora, & bona omnia Iudæorum, quibus à Deo puniebantur. Multo enim plumbo parum argenti admixtum eſſe ſolet quod excoquendo ſeparatur. Aut, vt alij interpretantur, plumbum ſignificat omnia purgationis adminicula, quia ad purgandum argentum, plumbum adhiberi ſolet. Argentum repurgandum appellat Iudæos, conflatorem ſe ipſum. Dicit ergo omnia iam pœnarum genera in caſtigandis Iudæis conſumpſiſſe; plumbum eſſe conſumptum, id eſt, & corpora, & facultates, & libertatem illis abſtuliſſe, tamen fruſtra laboraſſe, non enim purgatos, id eſt, emendatos eſſe. vt apud Iſai. c. 1. 5. 6. *Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis. vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* Hoc eſt, conſumptum eſſe plumbum.

30. *Argentum reprobum vocate.*] קראו. vel. vocauerunt eos, id eſt, argentum impurgabile ſunt, quia corrigi non poſſunt. Sæpè diximus, Vocari apud Hebræos aliquando accipi pro eſſe. *Quia Dominus proiecit in illos*; id eſt, proptereà Dominum illos reprobaſſe. ita mihi videtur accipi particula Hebraica כי. vt ſæpe aliàs adnotauimus.

Vocari pro Eſſe, Hebr. phraſis.

CAPVT VII.

VERBVM quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens: 2 *Sta in porta domus Domini & prædica ibi verbum iſtud, & dic, Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has vt adoretis Dominum:* 3 *Hæc dicit Dominus exercituū Deus Iſraël: Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra: & habitabo vobiſcum in loco iſto.* 4 *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes.*

Templum

Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. 5 Quoniam ſi bene
direxeritis vias veſtras: & ſtudia veſtra: ſi feceritis iudicium inter virum, & proxi-
mum eius, 6 Aduenæ & pupillo & viduæ non feceritis calumniam, nec ſangui-
nem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt Deos alienos non ambulaueritis in ma-
lum vobiſmetipſis: 7 Habitabo vobiſcum in loco iſto in terra quam dedi patribus
veſtris à ſæculo, & vſque in ſæculum. 8 Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus menda-
cij: qui non proderunt vobis: 9 Furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare
Baalim, & ire poſt Deos alienos quos ignoratis. 10 Et veniſtis & ſtetiſtis coram me
in domo hac, in qua inuocatum eſt nomen meum, & dixiſtis, Liberati ſumus, eo quòd
fecerimus omnes abominationes iſtas. 11 Nũquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus
iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? ego ſum, ego vidi, dicit Dominus:
12 Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte quæ
fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël. 13 Et nunc quia feciſtis omnia opera
hæc, dicit Dominus: & locutus ſum ad vos manè conſurgens & loquens, & non audiſtis:
& vocaui vos, & non reſpondiſtis: 14 Faciam domui huic in qua inuocatum eſt no-
men meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco quem dedi vobis, & patribus ve-
ſtris, ſicut feci Silo. 15 Et proiiciam vos à facie mea, ſicut proieci omnes fratres veſtros
vniuerſum ſemen Ephraim. 16 Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis
laudem & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te. 17 Nonne vides
quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem? 18 Filij colligunt ligna,
& patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas, reginæ
cœli, & libent Diis alienis, & me ad iracundiam prouocent. 19 Numquid me ad ira-
cundiam prouocant, dicit Dominus? nonne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui? 20 Ideò
hæc dicit Dominus Deus, Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum,
ſuper viros, & ſuper iumenta, & ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccende-
tur, & non extinguetur. 21 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Holocauto-
mata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes. 22 Quia non ſum locutus cum
patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holo-
cautomatum & victimarum. 23 Sed hoc verbum præcepi eis, dicens; Audite vocem
meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via quam mã-
daui vobis, vt bene ſit vobis. 24 Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam ſed
abierunt in voluptatibus & in prauitate cordis ſui mali: factiq́; ſunt retrorſum, & non in
antè. 25 A die, qua egreſſi ſunt patres eorum de terra Ægypti, vſque ad diem hanc.
Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas per diem conſurgens diluculo, & mittens.
26 Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed indurauerunt ceruicem
ſuam: & peius operati ſunt quàm patres eorum. 27 Et loqueris ad eos omnia verba hæc,
& non audient te, & vocabis eos, & non reſpondebunt tibi. 28 Et dices ad eos, Hæc eſt
gens quæ non audiuit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam: periit fides, & abla-
ta eſt de ore eorum. 29 Tonde capillum tuum & proiice, & ſume in directum planctũ:
quia proiecit Dominus & reliquit generationem furoris ſui, 30. Quia fecerunt filij Iu-
da malum in oculis meis, dicit Dominus, Poſuerunt offendicula ſua in domo in qua inuo-
catum eſt nomen meum, vt pollurent eam. 31 Et ædificauerunt excelſa Topheth, quæ eſt
in valle filij Ennom: vt incenderent filios ſuos & filias ſuas igni: quæ nõ præcepi nec cogitaui
in corde meo. 32 Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius: Topheth
& vallis filij Ennom: ſed vallis interfectionis: & ſepelient in Topheth, eo quòd non ſit locus.
33 Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus cœli & beſtiis terræ, & non erit
qui abigat. 34 Et quieſcere faciam de vrbibus Iuda, & de plateis Ieruſalem vocẽ gau-
dij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi & vocem ſponſæ: in deſolatione enim erit terra.

OSTENDIT

OSTENDIT Iudæis ipſorum peccata, propter quæ à Deo puniuntur: & redarguit vanam eorum confidentiam in templo Domini, & externo cultu.

2. *In porta domus Domini.*] id eſt, templi, qua omnes ingrediuntur, & egrediũtur, vt ab omnibus audiaris. *Per portas has.* quia ante poſuerat ſingularem pro plurali, mutat nunc numerum.

Deus in templo habitare quando dicitur.

3. *Bonas facite.*] id eſt, corrigite mores veſtros. *Et habitabo.* quaſi dicat, alioqui non habitabo. Deus vbique eſt, ſed dicitur in templo habitare, quando audit; non habitare, quando non audit preces inibi ſupplicantium.

4. *In verbis mendacij.*] id eſt, vanis, falſis, quæ vobis ſolent dicere falſi Prophetæ. Sept. ὅτι τὸ παράπαν οὐκ ὠφελήσουσιν ὑμᾶς, λέγοντες. quod præceperunt ex verſu 8. ſequenti. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.* H. המה. ſunt. (ſub. Iudæi) id eſt, ad templum Domini pertinent, in templo Domini confidunt, nihil mali patiẽtur. Aut, vt alij interpretantur. *Templum Domini,* ipſa (ſunt) atriũ, templum, adytum, quibus tribus rebus templum totum conſtabat. Vt ſint verba Iudæorum templum digito oſtendentium, cuius cauſa putabant vrbem expugnari non poſſe. Per templum autem omnis externus cultus intelligitur, vt apud Iſai. 66. 1. 2.

Per templum omnis externus cultus intelligitur.

5. *Quoniam ſi bene direxeritis.*] id eſt, bonas feceritis vias veſtras, vt ſup. verſ. 3. H. אם־היטיב תיטיבו. *ſi corrigendo correxeritis*, id eſt, ſi diligenter correxeritis mores veſtros. Sicut & Sept. verterunt, ὅτι ἐὰν διορθοῦντες διορθώσητε τὰς ὁδοὺς ὑμῶν, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα ὑμῶν.

Sept. meliùs.

7. *Habitabo vobiſcum.*] H. דבר. tranſitiuum. Habitare faciam vos, vt nunc Hebræi legunt, & vt Sept. verterunt κατοικιῶ ὑμᾶς. quamquam lectio, & ſenſus noſtri interpretis mihi magis placet. Idem enim dixit ſuprà verſ. 3. *In terra quam dedi,* id eſt, non patiar vos ex ea Babylonem traduci. *A ſaculo & vſque in ſaculum,* id eſt, quam dedi patribus veſtris iam olim, vt eam perpetuò poſſiderent. quaſi dicat, ſeruabo promiſſa mea.

8. *In ſermonibus mendacij.*] id eſt, in rebus vanis, quæ ſequuntur, *Furari, occidere.* Vſitatum enim eſt, vt דבר. verbum pro re ponatur.

Verbum pro re apud Hebræos

9. *Furari, occidere.*] הגנב. an furari. Interrogatio Hebraïcè locum reddit obſcurum, nam vt noſter interpres vertit, ſenſus eſt facilis. Aliqui interpretantur, An furando, occidendo, &c. venietis coram me? Alij, Numquid eſt furandum, occidendum? Alij, Numquid furabimini, occidetis? Mihi ita videtur poſſe verti. An poſtquam furati fueritis, occidetis? &c. venietis coram me, id eſt, in templũ meum, quod non ad eam rem; ſed ad inuocandum nomen meum inſtitutum eſt, vt gratias agatis, quod furta & homicidia veſtra bene vobis ſucceſſerint.

10. *Eò quòd fecerimus.*] למען עשות. Alij, quamuis fecerimus *omnes abominationes iſtas.* Alij, vt faciamus, id eſt, vt amplius furemur, & occidamus. Alij, vt faciatis. quaſi dicat, nihil à Deo petitis in templo, quàm opem ad faciendas abominationes iſtas.

11. *Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in oculis veſtris?*] (ita enim verba iungenda) id eſt, apud vos, opinione, ac iudicio veſtro. Recipitis enim vos in domum meam, ſicut latrones in ſpeluncam perpetratis latrociniis, & homicidiis, quaſi nihil mali feceritis, quaſi me fallere velitis. At non ita eſt. Ego enim ipſe ſum, qui vidi facinora veſtra: non didici aliorum teſtimonio, vt iudices apud vos faciunt.

12. *Vbi habitauit.*] שכנת. habitare fecit, ſicut & Sept. verterunt κατεσκήνωσα.

vt ſuprà

vt ſuprà 7. *Nomen meum*, id eſt, maieſtatem meam, vt Chaldæus interpretatur. Notum eſt arcam teſtamenti, in qua Dominus, antequam templum à Salomone fieret, habitare dicebatur, in Silo fuiſſe, quæ ciuitas erat in tribu Ephraim, Ioſue 18.2. 9. & 21 2. Et Iudicum 18.31. & 20.18. & 21.2. Eum locum Deus vaſtauit propter peccata Ephraim, & arcam in montem Sion, quæ tribus erat Iuda transferri iuſſit. Pſal. 77. 60. *Et repulit tabernaculum Silo; tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus.* Hoc eſt, quod dicit hoc loco, Ne confidant in ſuo templo. Nam quemadmodũ deſtruxit Silo, vbi priùs habitabat; ita futurum, vt templum propter eorum peccata deſtruat. Similis locus inf. c. 26. 6.

Arca teſtamenti in Silo ante templi ædificationem.

15. *Vniuerſum ſemen Ephraim.*] In cuius tribu priùs erat tabernaculum, vt diximus verſ. 12.

16. *Et non obſiſtas mihi.*] Loquitur Deus, quemadmodum ſi iuſtorum oratione impediretur, quominus de ſceleratis hominibus pœnas ſumeret. Sic ait Moyſi, Exod. 32. 10. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámq; te in gentem magnam. Quia non exaudiam te.* Non eſt generalis ſententia, vt abſurdè hæretici interpretantur, quaſi Deus vetet Sanctos orare pro nobis: ſed prohibet orare pro obſtinatis in peccato, quos ſcit à peccato non diſceſſuros, ſicut infrà c. 11. 14. & c. 14. 11. & Ioan. 1. epiſt. c. 5. 16. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo, dico, vt roget quis.* Imò qui pro quibuſdam orare prohibentur, pro alijs orare permittuntur.

Quo ſenſu iuſtorum oratione impeditur Deus ne puniat & prohibet etiam ne orent.

18. *Filij colligunt ligna.*] id eſt, omnes, qui in familia ſunt, conferunt aliquid ad ſacrificia idolorum perficienda, vt eorum participes eſſe poſſint. Tribuit autem vnicuique quod illi proprium eſt. Proprium enim eſt puerorum ſtipulas colligere, virorum furnum accendere, mulierum pinſere placentas. *Conſpergunt adipem.* לשות בצק. ponunt conſperſionem. Conſperſionem autem vocat farinam, aquam, ſalem, butyrum, etſi quid aliud ad faciendas placentas miſcebatur. *Regina cæli*, id eſt, Lunæ, cui ſacrificare ſolebant, quæ cœli regina propter magnitudinem & ſplendorem eſſe videbatur, ſicut Sol rex. Propria phraſis eſt Ieremiæ, vt infrà 44. 17. 18. 19. 25.

Lunæ ſacrificare ſolebant.

19. *Numquid me.*] quaſi dicat, non mihi, ſed ſibi nocent. Ego enim non iraſcor, neque humanis moueor affectibus; illi autem aliquando eam ob cauſam confundentur, id eſt, pudore & ignominia afficientur. Propterea dixit, *vultus ſui*. quia pudor in vultu maximè cernitur.

20. *Conflatur.*] id eſt, incenditur, vel נתכת. effunditur, vt & Sept. conuertunt χεῖται, *funditur*.

Sept. melius.

21. *Holocautomata veſtra.*] Holocauſtum totum incendebatur & conſumebatur, vnde nomen deriuatum; victima autem, id eſt, hoſtia pacifica, non item: ſed vna eius pars ab iis, qui eam offerebant, comedebatur. Quidam ergo ſic interpretantur. Conuertite holocautomata veſtra in victimas, quia hoc ſaltem commodi conſequemini, vt earum carnes comedatis, cùm holocauſta nihil omnino vobis profutura ſint. Ego alium arbitror eſſe ſenſum. Nec enim agit de holocauſtis, quæ idolis; ſed quæ Deo offerebantur, cùm ſtatim dicat: *Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis, de verbo holocautomatum, & victimarum.* Neq; dicit, Conuertite holocautomata veſtra in victimas, ſed ספו. *addite*. Senſus ergo eſt. Offerte mihi quotquot volueritis ſacrificia, & victimis holocauſta ſuperaddite, mihi non placebunt, niſi mores veſtros corrigatis. Quòd autem dicit; *Et comedite carnes*, alios videtur feſelliſſe, quaſi ſenſus eſſet. hoc ſaltem cõmodè conſequemini. At non eo ſenſu dicitur: ſed additur ad naturam victima-

Holocauſtum à victima quid differat.

... ſe ... non præcepit Deus.

rum deſcribendam, quarum vna pars à ſacrificantibus comedebatur.

22. *Quia non ſum locutus.*] Locutus quidem erat de holocauſtis & victimis, eique inſtituerat, vt ex Leuitico manifeſtum eſt: ſed loquitur comparatè, vt cùm dicit, *Miſericordiam volo, non ſacrificium.* Oſee 6.6. Matth.9.13. & 12.7. id eſt, magis miſericordiam volo quàm ſacrificium. vel, nolo ſacrificium ſine miſericordia. Ita hoc loco dicit ſe non præcepiſſe ſacrificia, quia priùs, & diligentius bonos mores præceperat; vel, quia non præceperat offerri ſibi ſacrificia ſine bonis moribus.

24. *Sed abierunt in voluptatibus.*] vel, vt alij codices habent, In voluntatibus. במעצות *In prauitate cordis ſui mali*, id eſt, fecerunt, quidquid peruerſus eorum animus illis ſuggerebat. *Factiq́; ſunt*, id eſt, potiùs retroceſſerunt, quàm proceſſerunt, potiùs facti ſunt peiores in dies, quàm meliores. Alij, omnia illis in peius ſucceſſerunt. Sed de moribus loquitur, vt declarat ver. 26. *Et peiùs operati ſunt quàm patres eorum.*

25. *A die qua egreſſi ſunt.*] Hæc verba cũ præcedentibus iungenda ſunt, & verſus præcedens his verbis finiẽdus, *Vſque ad diem hanc.* Senſus enim eſt, facti ſunt peiores a die illa vſque ad diem hanc. *Per diem*, id eſt ſingulis diebus, Hebraiſmus. *Conſurgens diluculo* id eſt ſummo ſtudio; quod enim magno ſtudio agimus, ad id agendũ ſummo manè ſurgimus, vt ſup. ver. 13. & inf. c. 35.14. & Pro. 1.28.

26. *Et non audierunt me*] mutat perſonam Hebræorum præſertim Prophetarum more.

28. *Hæc eſt gens.*] pro, Vos eſtis gens, quæ non audiuiſtis &c. mutatio perſonæ.

Iubet Deus Prophetas factis interdum futura ſignificare.

29. *Tonde capillum tuum.*] (dicit Deus Prophetæ.) Iubebat Deus Prophetas aliquando non ſolum verbis; ſed factis etiam inſignibus, ac notabilibus res futuras ſignificare. Sicut iuſſit Iſaiam nudum incedere, & diſcalciatum, Iſa. 20.2. & Ieremiam catenas ad collum ponere, infra cap. 27. 2. ad ſignificandam captiuitatem. Et Ezechiel ſtercus comedere, Ezech. 4.12. ad declarãdam futuram famem. Et Oſee mulierem meretricem vxorem ducere, Oſee 1. 2. ad ſignificandum, omnem terram a Deo, quaſi adulteram à viro ſuo diſceſſiſſe. Capillus res nobis coniuncta eſt, & Iudæis erat valdè chara; non enim tondebant niſi in maximo luctu, præſertim Nazaræi, quibus nefas erat capillum tondere; è quorum numero Ieremias fuiſſe creditur. Hoc facto voluit Deus ſignificare, fore, vt populum Iudæorum quantumuis ſibi coniunctum, ac peculiarem repudiaret, *Et ſume in directum planctum*, id eſt, clama recte in altum. שפים ע׳א׳ על. *Tolle ſuper excelſa*, id eſt, clama lugens tam fortiter, vt in excelſis montibus audiaris. Noſter interpres ſemper שפים vertit, directum. vt etiam ſuprà cap. 3.2. Sept. hoc loco videntur legiſſe שפתים. verterunt enim ἀνάλαβε ἐπὶ χειλέων θρῆνον. *Sume in labijs planctum*, id eſt, loquere, plangentis more, *Reliquit generationem furoris ſui*, id eſt, contra quam eius furor incenſus erat.

Iudæi non tondebant capillos niſi in maximo luctu.

Ieremias Nazaræum fuiſſe creditur.

Septuaginta lectio diuerſa.

30. *In oculis meis.*] id eſt, me inſpectante ac vidente. *Et poſuerunt offendicula*, id eſt, exercuerunt in templo meo peccata ſua, quibus me offendebant. שקוציהם abominationes ſuas, ſicut Sept. tranſtulerunt, id eſt, fecerunt domum meam, quæ domus orationis erat, ſpeluncam latronum, ſup. ver. 11. & Matth. 21.13.

Septuaginta melius.

31. *Et ædificauerunt.*] Reddit alteram cauſam, cur Deus eum populum repudiaturus eſſet. *Excelſa Topheth.* Topheth aliqui idolum fuiſſe putant, quod alio nomine Moloch appellabatur. Alij meliùs, nomen eſſe loci, aut templi ad ſacrificandum idolis ædificati, Id enim conſtat 4. Reg. 23.10. Erat autem in loco amœniſſimo prope Ieruſalẽ, qui vocabatur גיא־הנם *Gehinon*, i. vallis Hinon, quod

quod nomen erat proprium viri, cuius fortaſſis ager erat. Vnde Hieronymus dicit Hebræorum opinione Gehennam appellatam, quòd in ea valle, vbi Iudæi filios ſuos idolis ſolebant ſacrificare, Deus eos deleuerit, vt illis minatur Deus verſu ſequenti, & infrà c. 19. 6. 11. 12. 13. 14.

32. *Et non dicetur ampliùs.*] id eſt, non erit vallis illa nobilis, ac memorabilis propter templum, aut idolum Topheth; ſed ob cædem Iudæorum, quæ ibi fiet à Nabuchodonoſore. *Sepelient in Topheth*, vbi interfecti fuerint: ſicut in bello fieri ſolet, vbi, vt poëta dixit:

------*Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.* Lucan. lib. 7 Phar. al.

H. מאין מקום. quod alij interpretantur, quouſque non ſit locus, id eſt; donec tota vallis ſepultis, ac inſepultis cadaueribus repleatur.

33. *Et erit morticinum.*] id eſt, cadauer. נבלת. Sicut Pſal. 78. 2. 3. *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli: & non erat, qui ſepeliret. Et non erit, qui abigat*; quia omnes morientur.

CAPVT VIII.

IN illo tempore, ait Dominus, eijcient oſſa regum Iuda & oſſa principum eius,
& oſſa ſacerdotum, & oſſa Prophetarum, & oſſa eorum qui habitauerunt in
Ieruſalem de ſepulchris ſuis: 2 *Et expandent ea ad Solem, & Lunam, &*
omnem militiam cæli quæ dilexerunt & quibus ſeruierunt, & poſt quæ ambulauerunt, &
quæ quæſierunt & adorauerunt: non colligentur, & non ſepelientur: in ſterquilinium ſuper
faciem terræ erunt. 3 *Et eligent magis mortem quàm vitam omnes qui reſidui fue-*
rint de cognatione hac peſſima in vniuerſis locis, quæ derelicta ſunt ad quæ eieci eos, dicit
Dominus exercituum. 4 *Et dices ad eos, hæc dicit Dominus, Numquid qui cadet non*
reſurget? & qui auerſus eſt, non reuertetur? 5 *Quare ergo auerſus eſt populus iſte in*
Ieruſalem auerſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.
6 *Attendi & auſcultaui: nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœniten-*
tiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi
equus impetu vadens ad prælium. 7 *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum: turtur,*
& hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non co-
gnouit iudicium Domini. 8 *Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus, & lex Domini*
nobiſcum eſt? verè mendacium operatus eſt ſtilus mendax ſcribarum. 9 *Confuſi ſunt*
ſapientes, perterriti & capti ſunt: verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla
eſt in eis. 10 *Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus: quia*
à minimo vſque ad maximum omnes auaritiam ſequuntur: à Propheta vſque ad
ſacerdotem cuncti faciunt mendacium. 11 *Et ſanabant contritionem filiæ populi*
mei ad ignominiam: dicentes: Pax, pax: cùm non eſſet pax: 12 *Confuſi ſunt, quia*
abominationẽ fecerunt: quinimò confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt:
idcirco cadent inter corruentes: in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus.
13 *Congregans congregabo eos, ait Dominus: non eſt vua in vitibus, & non ſunt ficus*
in ficulnea, folium: defluxit & dedi eis quæ prætergreſſa ſunt. 14 *Quare ſedemus?*
conuenite & ingrediamur ciuitatem munitam, & ſileamus ibi, quia Dominus Deus no-
ſter ſilere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccauimus enim Domino. 15 *Ex-*
pectauimus pacem, & non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido, 16 *A Dan*
auditus eſt fremitus equorum eius: à voce hinnituum pugnatorum eius commota eſt omnis

Digitized by Google

terra, & venerunt & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius: vrbem & habitatores
eius. 17 *Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio: &*
mordebunt vos. ait Dominus. 18 *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens.*
19 *Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua. Numquid Dominus non eſt*
in Sion: aut rex eius non eſt in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitauerunt in ſcul-
ptilibus ſuis, & in vanitatibus alienis? 20 *Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas: & nos ſaluati*
non ſumus. 21 *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum & contriſtatus, ſtupor*
obtinuit me. 22 *Numquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare*
igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei.

IDEM argumentum.

1. *In illo tempore.*] Quo tempore Ieruſalem à Chaldæis capietur, & Topheth deſtruetur. *Eicient oſſa regis.* מלכי יהודה. regum Iuda, ſicut alij etiam codices Latini habent. Prædicit Chaldæorum crudelitatem non ſolùm in viuos, ſed etiam in mortuos ſæuituram. Et quia mos erat, vt ait Hier. Iudæorum, vt Reges cum coronis aureis ſepelirentur, ſacerdotes verò, Prophetæ & primarij viri cum rebus aliis pretioſis, ſicut & noſtro tempore in ſepulchris Iudæorum vidimus; vaticinatur Propheta fore, vt Chaldæi, ſiue crudelitate, ſiue auaritia, quærendique auri cauſa ſepulchra recludant, oſſaq; Regum, ſacerdotum & Prophetarum effodiant. Hos exempli cauſa nominauit, cùm omnes etiam alios intelligat.

lib. 5. Commentar. in hunc Prophetam.

2. *Et expandent ea.*] id eſt, ſpargent, non colligent ſub tectum, vt ſtatim declarat. Nam & hic aliquis honos eſt. Quare nos mortuorum oſſa etiam effoſſa, aut numquam ſepulta in vnum aliquem locum colligere ſolemus. *Et omnem militiam cœli*, id eſt, ad omnes ſtellas. nota eſt phraſis, qua ſtellarum multitudo multitudini armatorum militum comparatur, quia galearum coni tanquam ſtellæ micare ſolent. *Quæ dilexerunt*, &c. Quia Solem & Lunam & omnes ſtellas tanquam Deos adorauerant, vt dixit ſuprà c. 7. 18. & inf. 19. 13. & 4. Reg. 17. 16. & 21. 3. 5. & 2. Par. 33. 3.

3. *Quæ derelicta ſunt.*] Qui inquam, relicti fuerint in omnibus locis, ad quæ eos eieci.

4. *Numquid qui cadit non reſurget?*] Senſus eſt, An quiſquam tam peruerſus & obſtinatus eſſe ſolet, qui, ſi ceciderit, non reſurgat; ſi à Deo auerſus fuerit, non ad eum conuertatur. *Septies enim in die cadet iuſtus, & reſurget.* Prouerb. 24. 16. Humanum eſt cadere, Diabolicum non reſurgere. Alij interpretantur. An aliquis poteſt tam grauiter peccare, vt non poſſit agere pœnitentiam; quaſi dicat, non. Sed prior interpretatio verior eſt.

Humanum eſt cadere Diabolicum non reſurgere.

5. *Auerſione contentioſa.*] id eſt, pertinaci, ita vt nolit reuerti. משבה נצחת. auerſione perpetua.

6. *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum.*] Curſum vocat conſuetudinem peccandi. quaſi dicat, ſi quando videntur emendari, ſtatim redeunt ad ingenium, & quidem præcipiti quodam impetu, tanquam equus irruens in prælium.

7. *Miluus.*] גם־חסידה. etiam ciconia in cælo, id eſt, ex cælo, ex cæli temperatione, & qualitate *cognouit tempus ſuum*, quo redire debeat ad nidum ſuum. *Et hirundo.* סוס grus. ועגור & hirundo. Hæc omnia auium genera hyeme ingruente è locis frigidioribus recedunt, ineunte autem vere ad nidos ſuos redeunt. Miluus id non facit. Comparat Deus Iudæos auibus, peccata hyemi, miſericordiam ſuam veri: docétque imprudentiores eſſe, quàm aues illas, quæ

quamuis

quamuis diſcedant, tamen ſtatis temporibus redeunt, quaſi nos doceant agere pœnitentiam. Nam, vt Plinius ait, homines à beſtiis medicinam; ſic ait Tertullianus pœnitentiam ab iiſdem didiciſſe. *Non cognouit iudicium Domini* id eſt, miſericordiam Domini, quam vt dixi tacitè primo veri comparat. vel, ingenium Domini, quòd facilè miſereri ſoleat. vt infrà c. 10. 24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio.* *lib. 8. c. 26. & 27. lib. de pœnit. ſub finem.*

8. *Verè mendacium operatus eſt.*] id eſt, legem corruperunt, vt Chaldæus interpretatur, erat enim ſcribarum officium legem exſcribere, quam aliquando ad ſuam voluptatem deprauabant. אכן הנה לשקר עשה עט שקר ספרים. Profectò ecce fruſtra fecit ſtilus, fruſtra (fecerunt) ſcribæ. quaſi dicat, quid refert, quòd legem apud vos ſcriptam habeatis, ſi non ſeruatis illam? fruſtra vtique calamus, fruſtra ſcribæ in lege tranſcribenda laborarunt, cùm eam minimè ſeruatis.

9. *Perterriti ſunt.*] id eſt, obſtupuerunt, obmutuerunt cùm viderent ſe in aſtutia ſua comprehenſos, 1. Cor. 3. 19. aut obſtupeſcent, cùm viderint, præteritum pro futuro. *Et ſapientia nulla eſt in eis,* id eſt, inefficax, inutilis, nihil illis proderit eorũ ſapientia. Hoc enim ſignificãt verba Hebraïca, וחכמת מה להם. Et ſapientia, cuius illis. ad verbum; id eſt, nullius erit vtilitatis. *Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum,* 1. Cor. 3. 19.

10. *Agros eorum hæredibus.*] (ſub. alienis) ליורשים. iis, qui eos poſſidebunt, aut occupabunt. 11. Eadem verba explicata ſunt ſuprà c. 6. ver. 14. 15. ſicut ea etiam quæ ſequuntur verſu 12. vide quæ illic dicta ſunt.

13. *Congregans congregabo eos.*] In Ieruſalem, vt omnes ſimul ab hoſtibus capiantur, dum volunt in munitam vrbem confugere, vt tuti ſint, vt dicunt verſu ſequenti, & vt Ioſephus tradit etiam in obſidione Titi & Veſpaſiani factum eſſe. *non eſt vua,* id eſt, non erit. minatur famem poſt obſidionem. *Et dedi eis quæ prætergreſſa ſunt.* Ordo inuerſus, & præteritum pro futuro, id eſt, quæ dabo eis, prætergredientur. ואתן להם יעברום & quæ dabo eis, præteribunt eos: quaſi dicat, Non erunt fructus in arboribus, & ſi quos fructus dabo, eos non illi comedent, ſed hoſtes; vt apud Iſaiam c. 5. 17. *Et deſerta in vbertatem verſa aduenæ comedent.*

14. *Quare ſedemus.*] pro, quare deſidemus, & moramur in locis minimè munitis aduentantibus hoſtibus; quin confugimus in vrbem munitam Ieruſalem; *Et ſileamus,* id eſt, nihil moliamur, non prouocemus hoſtem, non reſiſtamus illi, tantùm defendamur muris. Gallicè dicitur, *ſe tenir coy.* vt fœminæ ſolent facere obſeſſa vrbe, *Quia Dominus ſilere nos fecit,* id eſt, imbecilles ac timidos reddidit. *Et potum dedit nobis aquam fellis,* id eſt, Oſtendit populo ſuo dura, potauit nos vino compunctionis, Pſal. 59. 5. *Et cibauit nos panẽ lachrymarum, & potum dedit nobis in lachrymis in menſura,* Pſalm. 79. 6. Similis ſententia infrà c. 9. 15. & c. 23. 15.

15. *Expectauimus pacem.*] credentes falſis Prophetis, qui dicebant, *Pax, pax, & non erat pax.* ſuprà c. 6. 14. & hoc ipſo c. ver. 11.

16. *A Dan.*] Dan & Ephraim erant inter Ieruſalem & Babylonem, qua via exercitus Chaldæorum venturus erat, propterea dicit, inde auditum eſſe fremitum equorum, vt ſuprà c. 4. 15. *Vos annunciantis à Dan. Equorum eius.* hoſtis, aut, Nabuchodonoſoris. relatiuum ſine antecedente Hebræorum conſuetudine. *A voce,* id eſt, propter vocem. Hebraïſmus. *Pugnatorum eius.* אביריו. fortium (equorum) eius. Sept. ἀπὸ φωνῆς χρεμετισμοῦ ἱππασίας ἵππων αὐτοῦ. a voce *Hebraïſmus.*

ſonitu equitatus eius. Deuorauerunt terram & plenitudinem eius, id eſt, vbertatem eius, omnes fructus, quibus plena erat, vt dixit ſuprà ver. 13. *Et dedi eis, quæ prætergreſſa ſunt.*

17. *Quibus non eſt incantatio.*] id eſt, qui incantari non poſſunt, qui incantatorem non timent, ſicut cæteri ſerpentes. Per ſerpentes regulos intelligit Chaldæos, quos dicit incantari non poſſe, quia adeò erant barbari & crudeles, vt nulla oratione ad miſericordiam flecterentur.

18. *Dolor meus ſuper dolorem.*] id eſt, incredibilis eſt & inuſitatus, aut dolor dolorem ſequitur. H. מבליגיתי עלי יגון quod Hebræi interpretantur, Corroboratio mea ſuper dolorem, & cor meum mœret, id eſt, etiſi conor dolorem meum vincere non poſſum, cor enim meum ſemper mœret. Alij putant verba eſſe Dei, vt Hier. Alij Prophetæ, alij partim Dei, partim Prophetæ, vt Chaldæus Paraphraſtes. Alij melius, verba eſſe dolentis populi, quæ à Propheta per mimeſim recitentur.

19. *De terra longinqua.*] מארץ. propter terram. מרחקים. longinquorum. Hebraïſmus, & enallage, propter eos, aut, metu eorum, qui veniunt de terra longinqua, id eſt, Chaldæorum. Reddit ſtatim cauſam, cur hoſtis contra eos è terra longinqua venerit, quia quæſierunt auxilium à Diis alienis, & ab exteris regibus Ægypti, quaſi in Ieruſalem non eſſet Deus, neque Rex, vt dixit ſuprà c. 2. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti?* & Iſai. 30. 2. *Et in vanitatibus alienis*, id eſt, in idolis, quæ Hebræi vanitates vocare ſolent, quia *nihil eſt idolum*, 1. Cor. 8. 4.

20. *Tranſiit meſſis.*] verba ſunt Iudæorum mimeſi recitata, quibus confitentur ſe falſos fuiſſe ſpe, quam in Ægyptiorum auxilio poſuerant. Putabant aliquando poſt meſſem venturos menſe Aprili, cùm homines minùs ſunt occupati; & non veniebant. Dein putabant poſt æſtatem venturos factis iam vindemiis; & non veniebant. Ridet eos Deus recitans eorum verba.

21. *Super contritione.*] id eſt, ob afflictionem Ieruſalem afflictus ſum, ait Propheta, qui populum ſuum appellat, cuius curam gerebat, aut de quo & ipſe erat. *Et contriſtatus.* קדרתי obſcuratus ſum, id eſt, animo ſum triſti & mœſto. Sept. tria verba vno concluſerunt. ἐπὶ συντρίμματι θυγατρὸς τοῦ λαοῦ μου ἐσκοτώθην.

22. *Numquid reſina non eſt in Galaad?*] צרי. alij balſamum, alij opobalſamum, alij theriacam, alij reſinam vertunt, vt Sept. & noſter interpres. Senſus eſt. An defuerunt in Galaad Prophetæ, & ſacerdotes, qui verbo Dei tanquam optimo medicamento vulnera, id eſt, peccata populi curare poſſent? quaſi diceret. Non. *Quare igitur non eſt obducta cicatrix?* ſub. quia curari noluit, quia noluit recipere diſciplinam, vt dixit ſuprà c. 2. 30. & c. 5. 3. & c. 7. 28. Nominauit autem Galaad, quòd ibi Elias & alij Prophetæ habitaſſent, 3. Reg. 17. 1.

CAPVT IX.

QVIS dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? 2 *Quis dabit me in ſolitudine diuerſorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri ſunt, cœtus præuaricatorum.* 3 *Et extenderunt linguam ſuam quaſi*

arcum

arcum mendacij & non veritatis:confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum egreſ-
ſi ſunt:& me non cognouerunt, dicit Dominus. 4 Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſto-
diat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplan-
tauit,& omnis amicus fraudulenter incedet. 5 Et vir fratrem ſuum deridebit,& veri-
tatem non loquentur: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium: vt iniquè agerent
laborauerunt. 6. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt ſcire me dicit Domi-
nus. 7 Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Ecce ego conflabo & probabo eos,
quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei? 8 Sagitta vulnerans lingua eorum,
dolum locuta eſt. in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.
9 Numquid ſuper his non viſitabo dicit Dominus? aut in gentem huiuſcemodi non vl-
ciſcetur anima mea? 10 Super montes aſſumam fletum ac lamentum, & ſuper ſpe-
cioſa deſerti planctum: quoniam incenſa ſunt, eò quòd non ſit vir pertranſiens: & non
audierunt vocem poſſidentis: à volucre cœli vſque ad pecora tranſmigrauerunt & receſſe-
runt. 11 Et dabo Ieruſalem in aceruos arenæ, & cubilia draconum: & ciuitates Iu-
da dabo in deſolationem,eò quòd non ſit habitator 12 Quis eſt vir ſapiens qui intel-
ligat hoc,& ad quem verbum oris Domini fiat vt annuntiet iſtud,quare perierit terra &
exuſta ſit quaſi deſertum, eo quod non ſit qui pertranſeat. 13 Et dixit Dominus,
quia dereliquerunt legem meam quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non
ambulauerunt in ea, 14 Et abierunt poſt prauitatem cordis ſui,& poſt Baalim quod
didicerunt à patribus ſuis. 15 Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël.
Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis. 16 Et
diſpergam eos in gentibus,quas non nouerunt ipſi & patres eorum,& mittam poſt eos gla-
dium, donec conſumantur. 17 Hæc dicit Dominus exercituum: Contemplamini &
vocate lamentatrices, vt veniant: & ad eas quæ ſapientes ſunt, mittite & properent.
18 Feſtinent, & aſſumant ſuper nos lamentum: deducant oculi noſtri lacrymas,& pal-
pebræ noſtræ defluant aquis. 19 Quia vox lamentationis audita eſt de Sion. Quomo-
do vaſtati ſumus & confuſi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam deiecta
ſunt tabernacula noſtra. 20 Audite ergo mulieres verbum Domini: & aſſumat au-
ris veſtra ſermonem oris eius: & docete filias veſtras lamentum: & vnaquæque proximam
ſuam planctum: 21 Quia aſcendit mors per feneſtras noſtras,ingreſſa eſt domos noſtras,
diſperdere paruulos deforis,iuuenes de plateis. 22 Loquere. Hæc dicit Dominus, Et
cadet morticinium hominis quaſi ſtercus ſuper faciem regionis, & quaſi fœnum poſt ter-
gum metentis,& non eſt qui colligat. 23 Hæc dicit Dominus, Non glorietur ſapiens
in ſapientia ſua,& non glorietur fortis in fortitudine ſua; & non glorietur diues in diui-
tiis ſuis: 24 Sed in hoc glorietur,qui gloriatur ſcire,& noſſe me,quia ego ſum Domi-
nus qui facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra, hæc enim placent mihi,
ait Dominus. 25 Ecce dies veniunt dicit Dominus,& viſitabo ſuper omnem qui cir-
cumciſum habet præputium, 26 Super Aegyptum, & ſuper Iudam, & ſuper Edom;
& ſuper filios Ammon,& ſuper Moab, & ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam habi-
tantes in deſerto, quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Iſraël in-
circumciſi ſunt corde.

LVGET Propheta Ieruſalem ſpiritu prophetico proſpiciens captiuita-
tem, quæ illi impendebat. Sicut Chriſtus *videns ciuitatem flevit ſuper il-
lam dicens, Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua*, &c. Lucæ cap. 19. verſ.
41.42.

1. *Quis dabit capiti meo.*] ראשי. caput meum, id eſt, vtinam caput meum,
aut cerebrum meum in aquam funderetur, & oculi mei verterentur in
fontes

fontes lacrymarum, vt pro dignitate calamitatem Ieruſalem deflere poſſem. *Interfectos*, id eſt, qui à Chaldæis interficiendi ſunt, præteritum pro futuro. *Filiæ populi mei*, nota eſt phraſis Hebraïca, id eſt, ciuitatis populi mei. Ciuitates enim filias vocant Hebræi. Sept. *καὶ κλαύσομαι τὸν λαὸν τοῦτον ἡμέρας καὶ νυκτὸς. τοὺς τετραυματισμένους θυγατρὸς λαοῦ μου.*

2. *Quis dabit me.*] מי־יתנני. quis det mihi *in ſolitudine diuerſorium*, id eſt, v-
Sept. melius. tinam haberem in ſolitudine diuerſorium aliquod, quò me reciperem, vt fugerem populum meum, ne eius peccata viderem. Sept. *τίς δώσει μοι ἐν τῇ ἐρήμῳ σταθμὸν ἔσχατον* *Quis det mihi in ſolitudine manſionem extremam*, id eſt, remotiſſimum aliquem locum, vbi delitеſcam. ארכים. *remotorum*, id eſt eorum, qui ſe longè ab vrbibus ſegregare ſolent, *vn hermitage*.

3. *Et extenderunt linguam.*] Linguam comparat arcui, verba ſagittis, quia verbis homines tanquam ſagittis transfiguntur, vt Pſal. 10. 2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* & Pſal. 63. 5. *Intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.* Propterea dicit linguam extendere, quia arcũ tendimus. Alij וידרכו interpretantur. Iaculari faciunt mendacium, non veritatem, id eſt, prompti ſunt, & eloquentes ad mentiendum. *Confortati ſunt in terra*, id eſt potentes fuerunt, dominati ſunt de malo ad malum progrediendo, id eſt, nectendis fraudibus, dolos dolis iungentes. Alij ita verba cõiungunt. הלא לאמונה גברו בארץ. *Et non propter veritatem corroborati ſunt in terra*, id eſt, non vera dicendo; ſed mentiendo dignitates obtinuerunt. *De malo ad malum egreſſi ſunt*, id eſt, progreſſi ſunt in peius.

4. *Vnuſquiſque.*] Nulla fides inter eos eſt.

Ouid. 1. Met. *----non hoſpes ab hoſpite tutus,*

Nec ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.

explicat quod dixerat, eos mendacium loqui, non veritatem.

5. *Et vir fratrem ſuum.*] Hebraïſmus, pro, ſuum quiſque fratrem; *Irridebit.* Heb. יהתלו. fallit, fallere ſolet. *Et veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium. Vt iniquè agerent laborauerunt*, id eſt, multum laboris ſumpſerunt in malè agendo, vel, vſque ad laſſitudinem iniquè egerunt. vt Iſai. 57. 10. *In multitudine viæ tuæ laboraſti.*

6. *Habitatio tua.*] (ô Ieremia, ait Deus) *in medio doli*, id eſt, in medio hominum doloſorum eſt. vt Iſa. 6. 5. *In medio populi polluta labia habentis ego habito. In dolo renuerunt*, id eſt, doloſè, ac fraudulenter finxerunt ſe non cognoſcere me.

7. *Conflabo.*] id eſt, ita puniã vt non penitus totum eorum genus aboleam; ſed prædeſtinatos tamquam aurũ in fornace probatum conſeruẽ. *Quid enim aliud faciam*, id eſt, quid ampliùs faciam. *A facie*, id eſt, propter filiam populi mei. aut, in gratiam filiæ populi mei, niſi vt ita eam caſtigem, vt conſummationem non faciam, vt dixit ſuprà cap. 4. 27. & 5. 10.

8. *Sagitta vulnerans.*[שחוט. acuta; vt Chaldæus Paraphraſtes exponit, vel vt alij legunt, שחוט. occidens, vulnerans, vt etiam Septuaginta tranſtulerunt.

10. *Super montes.*] על־ההרים. propter montes, Ieruſalem, quia ſcilicet ab hoſtibus incenſi ſunt. *Et ſuper ſpecioſa deſerti*, id eſt, propter deſerti amœnitates. H. נאות. *propter habitationes deſerti*, id eſt propter beſtiarum latibula, quæ fugatis beſtijs vacua ſunt, vt ſtatim explicat. Sept. *ἐπὶ τὰς τρίβους τῆς ἐρήμου* *ſuper ſemitas deſerti.* id eſt, quia deſertũ adeo vaſtatum eſt, vt nec homo, nec beſtia per eius

ſemi

ſemitas tranſeat. *Et non audierunt* (homines in deſerto) *vocem poſſidentis*, id eſt, beſtiæ, quæ in deſerto quaſi poſſeſſor habitaret. Heb. מקנה *pecoris*. Sept. *ὑπάρξεως. ſubſtantiæ*; id eſt, vllius rei, quam homines poſſidere ſolent, quales ſunt oues & boues. Hanc enim Subſtantiam vocant Latini. *A volucre cœli*. Significat adeò vaſtandum eſſe deſertum, vt ne aues quidem in eo maneant, non inuenientes nullam arborem vbi nidificare poſſint.

11. *Dabo Ieruſalem in aceruos arenæ.*] id eſt ruderum, H. non eſt, *Arenæ*.

15. *Abſynthio.*] quæ res eſt amariſſima. Similis ſententia ſuprà cap. 8. 14. & infrà cap. 23. 15.

16. *Donec conſumantur.*] Videtur contrarium promiſiſſe ſuprà cap. 4. 27. & cap. 5. 10. vbi dixit ſe conſummationem non facturum. Sed illud intelligitur de toto Iudæorum genere; hoc de ſingulis eorum, qui puniendi erant propter ſua peccata. Nam ſupra promiſit ſe non abolirurum omne Iudæorum genus, vt reliquiæ ſaluæ fierent: hîc minatur ſe eos, quos propter peccata puniturus eſt, perſecuturum, donec conſumantur; id eſt, vſque ad mortem, vſque ad internecionem.

17. *Contemplamini.*] התבוננו: prouidete, proſpicite tempeſtiuè, aut ſi ſapitis. *vocate lamentatrices*, id eſt, præficas, quæ ad luctum funebrem conduci ſolebant. quaſi dicat, Deus, non poteritis ipſi ſatis deflere calamitatem ciuitatis veſtræ, niſi etiam præficas lamentandi peritas aduocetis. *Et properent.* Significat propè inſtare ciuitatis perniciem.

18. *Feſtinent.*] Hæc dicunt Iudæi, qui à Deo loquentes introducuntur. Vel Propheta nomine totius populi. *Deducant oculi noſtri*, id eſt, excitent nos præficæ ad plorandum, hoc enim erat earum officium.

19. *Audita eſt.*] præteritum pro futuro, id eſt, breui audietur, propterea dicite præficis; vt feſtinent. *Quomodo vaſtati ſumus?* Hæc eſt vox lamentationis populi, quæ audienda erat ex monte Sion.

21. *Aſcendit mors per feneſtras.*] id eſt, hoſtes in nos nec opinantes irruerunt, & quà minimè putabamus. Non enim ſolet hoſtis per feneſtras aſcendere; ſed per ianuam ingredi. *Diſperdere paruulos deforis*, id eſt, poſtquam hoſtes in plateis filios noſtros occiderunt, in domos noſtras perrumpunt, vt nos quoque occidant.

22. *Et quaſi fœnum.*] כעמור. quaſi manipulus à tergo metentis. Eleganti metaphora deſcribit futuram Iudæorum ſtragem.

23. *Non glorietur.*] Quia neque ſapientem ſapientia, neque fortem fortitudo, neque diuitem diuitiæ in illa calamitate à morte liberabunt. Sed liberabit cognitio Domini, id eſt, fides & cultus.

25. *Qui circumciſum habet præputium.*] id eſt, non diſcernam inter circumciſos & incircumciſos; inter Iudæos cæteróſque vicinos qui circumcidi ſolent, & inter alias gentes quæ non circumciduntur. Quia quamuis circumciſio in ſignum Iudæis data ſit, vt à cæteris gentibus diſcernerentur; tamen non minùs incircumciſi ſunt quàm cæteræ gentes, quia alij incircumciſi ſunt carne, Iudæi corde. *Si enim præuaricator legis ſis, circumciſio tua, præputium facta eſt*, Romanor. 2. 25.

26 *Super Ægyptum.*] Connumerat inter circumciſos carne, Ægyptios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, quia omnes illæ gentes circumcidebantur, ſicut nunc Turcæ & Saraceni. Ægyptij quidem imitatione Iudæorum, qui apud eos peregrini fuerant: Idumæi verò, Ammonitæ & Moabitæ, quia

Iudæis originem ducebant. *Et ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam.* Agareni, vt
Attonſi etiam coma. nonnulli putant, comam ſecundum aures attondebant, quod nunc Polonos
& Hungaros facere videmus. Idem dicit infrà cap. 25. 23. & 49. 32. Heb. קצוצי
פאה ועל כל־. *Et ſuper omnes angulatos anguli*, ad verbum, id eſt, ſuper remotiſſimas
quaſque gentes, quæ in angulis terræ habitant, vt ſtatim explicat dicens,
Habitantes in deſerto. Sep. ἐπὶ πᾶν περικειρόμενον κτ' πρόσωπον αὐτοῦ. *& ſuper
omnem qui iuxta faciem circumtonſus eſt.* Chaldæus Paraphraſtes, qui attonſi ſunt
coma, ſicut noſter interpres. Senſus eodem reddit. Nam comam non attondebant,
niſi gentes barbaræ ac remotæ. *Quia omnes gentes habent præputium* præter
illas, quas nominauit: quaſi, Omnes gentes meliores ſunt quàm Iudæi, quia
non fingunt: ſed quales ſunt intus, tales ſunt foris, incircumciſi ſcilicet animo
& corpore: at Iudæi corpore circumciſi ſunt, animo incircumciſi, quæ hypocriſis
magis mihi diſplicet, quàm ſi omnino non circumciderentur.

CAPVT X.

AVDITE verbum quod locutus eſt Dominus ſuper vos domus Iſraël.
2 Hæc dicit Dominus, Iuxta vias gentium nolite diſcere: & à ſignis cæli no-
lite metuere, quæ timent gentes: 3 Quia leges populorum vanæ ſunt: quia
lignum de ſaltu præcedit opus manus artificis in aſcia. 4 Argento & auro decora-
uit illud: clauis & malleis compegit, vt non diſſoluatur. 5 In ſimilitudinem palmæ fa-
bricata ſunt, & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent, nolite ergo ti-
mere ea, quia nec male poſſunt facere, nec bene. 6 Non eſt ſimilis tui Domine, ma-
gnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. 7 Quis non timebit te, ô rex gen-
tium, tuum eſt enim decus: inter cunctos ſapientes gentium, & in vniuerſis regnis eorum
nullus eſt ſimilis tui. 8 Pariter inſipientes & fatui probabuntur: doctrina vanitatis
eorum lignum eſt. 9 Argentum inuolutum de Tharſis affertur, & aurum de Ophaz:
opus artificis, & manus ærarij: hyacinthus, & purpura indumentum eorum. opus artifi-
cum vniuerſa hæc. 10 Dominus autem Deus verus eſt ipſe Deus viuens, & rex ſem-
piternus, ab indignatione eius commouebitur terra: & non ſuſtinebunt gentes commina-
tionem eius. 11 Sic ergo dicetis eis, Dij qui cælos & terram non fecerunt, pereant de
terra, & de his quæ ſub cælo ſunt. 12 Qui fecit terram in fortitudine ſua, præparat
orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos. 13 Ad vocem ſuam dat
multitudinem aquarum in cælo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in
pluuiam facit, & educit ventum de theſauris ſuis. 14 Stultus factus eſt omnis homo
à ſcientia, confuſus eſt artifex omnis in ſculptili: quoniam falſum eſt quod conflauit, &
non eſt ſpiritus in eis, 15 Vana ſunt & opus riſu dignum: in tempore viſitationis ſuæ
peribunt. 16 Non eſt his ſimilis pars Iacob: qui enim formauit omnia, ipſe eſt: & Iſ-
raël virga hæreditatis eius: Dominus exercituum nomen illi. 17 Congrega de terra
confuſionem tuam, qui habitas in obſidione: 18 Quia hæc dicit Dominus: Ecce, ego
longè proijciam habitatores terræ in hac vice: & tribulabo eos, ita vt non inueniantur.
19 Væ mihi ſuper contritione mea peſſima plaga mea. Ego autem dixi: Planè hæc infir-
mitas mea eſt, & portabo illam. 20 Tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funi-
culi mei dirupti ſunt: filij mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt: non eſt qui extendat vltrà
tentorium meum, & erigat pelles meas. 21 Quia ſtultè egerunt paſtores, & Do-
minum non quæſierunt: propterea non intellexerunt & omnis grex eorum diſperſus eſt.

22 Vox

22 *Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis: vt ponat ciui-*
tates Iuda in ſolitudinem, & habitaculum draconum. 23 *Scio Domine, quia non*
eſt hominis via eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos. 24 *Corripe*
me Domine, veruntamen in iudicio; & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas
me. 25 *Effunde indignationem tuam ſuper Gentes quæ non cognouerunt te, & ſuper*
prouincias quæ nomen tuum non inuocauerunt: quia comederunt Iacob, & deuorauerunt eum & conſumpſerunt illum, & decus eius diſſipauerunt.

DESCRIBIT idolorum originem & vanitatem, vt ab illis populum dehortetur: minaturque captiuitatem, niſi reſipiſcat.

1. *Super vos.*] עליכם. de vobis, aut contra vos.

2. *Iuxta vias gentium.*] אל־דרך. viam gentium ne diſcatis, id eſt, ne ſequamini gentes, ne imitemini earum mores. *A ſignis cœli.* Declarat mores gentium, quæ omnia putabant ſtellarum vi, non diuina prouidentia gubernari: itaque magis ſtellas, quàm Deum metuebant. Quæ magna erat Dei iniuria. Pſal. 74. 6. *Nolite extollere in altum cornu veſtrum; nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem; quia neque ab oriente, neque ab occidenti, neque a deſertis montibus; quoniam Deus iudex eſt.* Damnatur hic omnis vana aſtrologia & diuinatio. Facta quidem ſunt aſtra in ſigna. Sed explicatur ſtatim quomodo, *vt ſint in dies, & annos.* Geneſ. 1. 14.

3. *Lignum de ſaltu.*] de ſylua, *præcidit opus manus artificis,* id eſt, vt ſit opus manus artificis, vt fiat Deus. Declarat quomodo leges, id eſt, ritus ac mores gentium vani ſint. quia colunt Deos manu factos.

5. *In ſimilitudinem palmæ.*] מקשה. æquabilia ſunt, & rotunda, mutat numerum, quia quod de vno idolo dicitur, de omnibus intelligitur. Palma arbor eſt rotunda, & teres, ei ergo comparat idola; quaſi dicat, nihil aliud ſunt, quàm ligna bene dolata: aut comparat palmæ propter pulchritudinem; quaſi dicat, ſicut palma arbor eſt pulcherrima, & comata, ita idola pulchra quidem ſunt, ſed neque loqui poſſunt, neque incedere. Chald. opere ductili eriguntur. Sep. *ἀργύρεον τορευτόν ἐστιν. argentum tornatile ſunt.*

6. *Non eſt ſimilis tui.*] Apoſtrophe Prophetæ ad Deum, ſimilis illi Iſa. 85. 8. *Non eſt ſimilis tui in Diis Domine, & non eſt ſecundùm opera tua.* Comparat Deum cum idolis, vt appareat illum verum eſſe Deum, illos falſos. *Magnum nomen tuum*, id eſt, celebre eſt nomen tuum ob res à te fortiter geſtas. loquitur de Deo, tanquam de magno aliquo duce.

7. *Tuum eſt enim decus.*] כי לך יאתה. quia tibi conuenit, aut, te decet (regnum) vt Sept. etiam verterunt, *τοὶ γὰρ πρέπει.* Chal. ארי דילך היא מלכותא. *tuum eſt enim regnum.*

8. *Pariter inſipientes.*] Locus eſt obſcurus. nemo tamen mihi videtur eius ſenſum tam bene expreſſiſſe, atque noſter interpres, quod vt faceret, addidit illud verbum, *Probabuntur*, quod Hebraïcè non eſt, quaſi dicat, facile eſt probare eos eſſe ſtultos & fatuos. *Doctrina* enim *vanitatis eorum lignum eſt*, id eſt, lignum ipſum, ex quo Deum ſuis manibus fabricantur, docet eorum vanitatem. Eodem ſenſu Sept. verterunt, *διδασκαλία ματαίων αὐτῶν ξύλον ἐστίν.* Videntur tam illi, quàm interpres noſter, legiſſe, הבליהם. *vanitatum eorum.* Nunc legimus, מוסר הבלים עץ הוא. *Diſciplina vanitatum lignum eſt*, id eſt, ex ligno, ex quo Deos ſuos faciunt, poſſumus eorum vanitatem diſcere. vel, Omnes homines vani diſcunt fabrilem artem, faciendis ex ligno Diis: ſicut prouerbio

Digitized by Google

dicitur in barba ſtulti tonſores artem ſuam diſcere.

9. *Argentum inuolutum.*] id eſt, plicatum in laminas, מרוקע. *extenſum,* id eſt, ductile, ductũ in laminas. Sept. *ἀργύριον προσβλητὸν, argentum productum.* eodem ſenſu. *De Tharſis affertur* id eſt, ex Africa Chaldæus interpretatur, vt Iſai. 25. 1. *Et aurum de Ophaz.* Alij non putant nomen eſſe loci, ſed puriſſimi auri, quod & obrizum appellatur, in quibus & Hieronymus eſt, qui hoc vnum è ſeptem puri auri nominibus eſſe dicit. Sed eos præpoſitio Hebraïca redarguit, quæ indicat

lib. 8 Antiq Iudaic. c. 2

nomen eſſe loci. מאופז. *ex Ophaz.* Eſt igitur Ophaz, quantum coniectura aſſequi poſſumus, eadem regio quæ Ophir, quæ vt videtur Ioſephus ſentire, erat aurea Cherſoneſus. Sept. ex præpoſitione & nomine vnam dictionem fecerunt, *μωφὰζ.* *Opus artificum vniuerſa hæc.* Ac ſi dicat, nihil penitus in idolis eſt, quod non ſit manibus artificum factum; ſiue ipſam ſubſtantiam, ſiue externa ornamenta conſideres.

10. *Non ſuſtinebunt gentes comminationem eius.*] זעמו. indignationem eius. Opponit Dominum idolis, probátque ex effectis eum verum eſſe Deum, quia viuit, & terram, cùm iraſcitur, tremefacit. Hunc integrum verſum Septuaginta prætermiſerunt.

Cur hic verſus Chaldaïcè ſolùm ſcriptus ſit.

11. *Sic ergo dicetis eis.*] id eſt, idolorum cultoribus, Chaldæis. Totus hic verſus, non Hebraïco, ſed Chaldaïco ſermone ſcriptus eſt, vel, vt ego ſuſpicor, irriſoriè ſolemus enim homines barbaros irridere, cùm eorum ſermone vtimur: vel, vt Ionathas, & R. Salomon putant, quia hæc Ieremias ſcribebat ad regem Ioakin, & cæteros Iudæos, qui iam in Babylone erant. Dicunt enim hoc eſſe initium epiſtolæ à Ieremia ad eos miſſæ, qua eos monet, quo modo Chaldæis pellicentibus eos ad idololatriam, reſpondere debeant, ideóque Chaldaïcè reſpondere docet, vt Chaldæi intelligant. *Et de his, quæ ſub cælo ſunt.* Chaldaïcè, ומן־תחות שמיא אל־ין. & de ſub cœlis iſtis (quæ videmus) vel, quæ ipſi non fecerunt. quaſi dicat, non decet eos eſſe ſub cœlis, quæ ipſi non fecerunt: quemadmodum ſi de falſo domus poſſeſſore dicas. Non decere eum habitare in domo, quam alius ædificauerit.

12. *Qui facit terram.*] Oratio eſt ſuſpenſa & imperfecta. Itaq; aliquid eſt neceſſariò ſubaudiendum; vt ille verus Deus eſt, qui facit terram, &c. vel, Nos illum Deum colimus, qui facit terram.

13. *Ad vocem ſuam.*] לקול תתו המון מים. Ad verbum: Ad vocem ipſum dare, multitudo aquarum (cadit) id eſt, *Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in*

Vox Dei tonitru.

cælo, vt noſter idem interpres eadem verba conuertit infrà c. 51. 16. Vocem autem Dei vocat tonitru, quod ſemper ſequitur pluuia, vt Pſal. 28. 3. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas.* & Pſal. 45. 7. *Dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.* & Pſal. 103. 7. *A voce tonitrui tui formidabunt.* Sept. initium huius verſus prætermiſerunt. *Et eleuat nebulas.* נשאים. exhalationes. *Ab extremitatibus terræ,* id eſt, à mari, quo terra cingitur: *Fulgura in pluuiam fecit,* id eſt, in ſignum pluuiæ. *Educit ventum de theſauris ſuis,* è ſuis domibus, vt Pſal. 134. 7.

14. *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia.*] מדעת abſque ſcientia, ita vt non habeat ſcientiam, ita vt oſtendat ſe nihil ſcire. Hic mihi videtur eſſe ſenſus Hebraïſmi, ſicut Ionathas interpretatur. Inſipientes facti ſunt omnes homines neſcientes ſapientiam. Alij, *A ſcientia,* id eſt, præ ſcientia Dei, ita vt non poſſit eam cõprehendere, vt Pſal. 138. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me,* id eſt, præ me; confortata eſt, & non potero ad eam. *Quoniam falſum eſt,* id eſt, non eſt verus

Deus,

Digitized by Google

Deus,qualẽ ſe feciſſe exiſtimabat: *& non eſt ſpiritus in eis.* mutat numerũ,vt ſolet.

15. *Vana ſunt.*] idola. propterea peribunt,cùm à me viſitabuntur, id eſt cùm puniã idololatras,idola cõminuentur,quod Chriſti aduentu factum cernimus.

16. *Non eſt his* (idolis) *ſimilis pars Iacob.*] Id eſt, Deus noſter, qui *pars*, id eſt, hæreditas Iacob appellatur, ſicut promiſit Abrahæ, Geneſ. 15. 1. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Dauid quoque vocat Deum partem hæreditatis ſuæ, Pſal. 15. 5. & rurſus Pſal. 72. 26. *Pars mea Deus in æternum. Qui enim formauit omnia* id eſt, ipſe enim verus Deus eſt,quia omnia fecit. *Et Iſraël virga*, id eſt, Iſraël eſt peculiaris populus eius,& quaſi hæreditas. Pſal. 77. 71. *Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam.* Vocat autem virgam hæreditatis, quia virgis, aut perticis hæreditas diuidi ſolebat, vt Pſal. 73. 2. *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ. montem Sion, in quo habitaſti in eo.* Sicut funiculus hæreditatis dicitur, quia funibus aliquando hæreditas diuidebatur. Pſal. 104. 11.

17. *Congrega de terra confuſionem tuam.*] id eſt, idola tua, quibus confunderis. collige, vt fugias, ô Ieruſalem, quia diſpergeris in captiuitatem. Sicut Iſaias prædicit c. 46. 1. fore vt Babylonij ob Darij aduentum fugientes idola ſua ſecum portent vſque ad laſſitudinem. Alij כנעתך. interpretantur merces tuas, vt Chaldæus. Sept. eodem ferè ſenſu, τὴν ὑπόστασιν αὐτῆς. *Subſtantiam.* ac ſi dicat, Collige ſarcinulas tuas, vt fugias, ô Ieruſalem, quia citò Chaldæi venient, & expugnabunt te. Alij referunt ad Babylonem. *Quæ habitas in obſidione.* במצור. *in anguſtijs*, id eſt, quæ obſeſſa teneris; vel, in loco bene munito, vt Sept. & Chald. interpretantur.

18. *Longè proijciam.*] קולע. quaſi funda longè eiaculabor. *Habitatores terræ*, id eſt, Iudææ, quam ſcriptura ſæpe terram abſolutè nominare ſolet. *Ita vt non inueniantur*, id eſt, affligam eos vſque ad mortem, donec pereant, & non inueniantur ampliùs. H. למען ימצאו. ita vt inueniant. (eos anguſtiæ) vt quidam exponunt, vel ita vt (ipſi) inueniant (retributionem iniquitatum ſuarum) vt Paraphraſtres Chald. vertit. vel paſſiuè mutatis punctis, vt Sept. & Hieron. legunt. *ita vt inueniantur*, id eſt, ita vt omnes in vrbe reperiantur, nec effugere poſſint, vt Hieron. interpretatur.

19. *Væ mihi* (inquit Propheta) *ſuper contritione mea.*] id eſt, doleo ob contritionem meam; & plagam doloris plenam, loquitur perſona populi. Septuaginta pro contritione mea, & plaga mea, verterunt σοῦ. *tua*; quaſi Propheta ciuitatem alloquatur. *Planè hæc infirmitas mea eſt*, id eſt, mihi debetur, digna peccatis meis patior, ideo feram patienter, Egomet mihi intriui.

20. *Tabernaculum meum.*] id eſt, habitatio mea; loquitur Ieruſalem, aut Propheta eius nomine. *Omnes funiculi mei*, id eſt, omnes vicini pagi aboliti ſunt. Primariam ciuitatem vocat per metaphoram tentorium, aut tabernaculum; vicinos pagos funes; quia ſicut tentorium funibus circumcirca extenſis ſuſtentatur; ita ciuitas alitur à circumuicinis pagis. *Filij mei exierunt*, id eſt, in captiuitatem abducti ſunt, *& non ſubſiſtunt*, id eſt, perierunt. Hebraiſmus, qualis infrà cap. 31. 15. & Matth. 2. 18. *Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Non eſt qui extendat*, id eſt, qui ſuſtentet, *& erigat pelles meas.* Tentoria ex pellibus conficiebantur, vnde & milites dicebantur ſub pellibus habitare, quæ tenſis funibus erigebantur, laxatis concidebant.

Primariam ciuitatem vocat per metaphoram tentorium.

21. *Quia ſtultè egerunt paſtores.*] Culpam, quamobrem populus in captiuitatem ductus eſt, transfert in paſtores, id eſt, in ſacerdotes, & falſos Prophetas, qui dicebant. *Pax, pax, & non erat pax*, ſuprà cap. 6. 14. & 8. 11.

Digitized by Google

22. *Vox auditionis.*] id eſt magna, clara, ita vt facilè audiatur, vt ſtatim explicat, *Et commotio magna*, id eſt, magnus belli tumultus ex Chaldæa, quæ Iudææ Aquilonaris erat.

Refelluntur Hæretici arbitrij libertatem tollentes.

23. *Scio Domine.*] Hoc loco hæretici abuti ſolent, vt tollant arbitrij libertatem: ſed prorſus imperitè, Primùm quia, vt ipſi etiam interpretantur, non de omni homine loquitur, ſed de Nabuchodonoſore; quaſi dicat, ſcio Nabuchodonoſorem non poſſe venire, nec expugnare me, niſi tu illum iuueris. *Equus enim paratur ad diem belli; Dominus autem ſalutem tribuit.* Prouerb. 21.31. Deinde quia ſi generaliter de omni homine loquatur, vt ego arbitror, nòn ſignificat homines nihil boni poſſe facere: ſed nihil ſine Deo poſſe facere; propterea ſi cum Deo comparantur, dicuntur nihil facere. vt Matth. 10. 20. *non vos eſtis, qui loquimini; ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis*; & certè illi loquebantur. Sed hunc locum in libris de vero, & corrupto verbo Dei, & in libris contra Caluinianorum errores copioſiùs explanauimus.

Hic iudicium pro miſericordia vſurpatur.

24. *Verumtamen in iudicio.*] Iudicium hoc loco pro miſericordia ſumitur, vt ſuprà cap. 8. 7. *Populus meus non cognouit iudicium Domini.* Sic Pſal. 6. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me.*

25. *Effunde.*] Et verba, & ſententiam tranſtulit ex Pſal. 78. 6.

CAPVT XI.

V*ERBVM quod factum eſt à Domino ad Ieremiam dicens:* 2 *Audite*
verba pacti huius, & loquimini ad viros Iuda, & ad habitatores Ieruſalem.
3 *Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Maledictus vir qui non*
audierit verba pacti huius. 4 *Quod præcepi patribus veſtris in die qua eduxi eos de*
terra Aegypti, de fornace ferrea dicens, Audite vocem meam, & facite omnia quæ præ-
cipio vobis: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. 5 *Vt ſuſcitem iu-*
ramentum quod iuraui patribus veſtris daturum me eis, terram fluentem lacte & melle,
ſicut eſt dies hæc. Et reſpondi, & dixi: Amen Domine. 6 *Et dixit Dominus ad*
me: Vociferare omnia verba hæc in ciuitatibus Iuda, & foris Ieruſalem, dicens: Audite
verba pacti huius, & facite illa: 7 *Quia conteſtans conteſtatus ſum patres veſtros in*
die qua eduxi eos de terra Ægypti vſque ad diem hanc, mane conſurgens conte-
ſtatus ſum, & dixi, Audite vocem meam, 8 *Et non audierunt, nec inclinauerunt*
aurem ſuam: ſed abierunt vnuſquiſque in prauitate cordis ſui mali: & induxi ſuper eos
omnia verba pacti huius, quod præcepi vt facerent, & non fecerunt. 9 *Et dixit*
Dominus ad me, inuenta eſt coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Ieruſalem.
10 *Reuerſi ſunt ad iniquitates patrum ſuorum priores, qui noluerunt audire verba*
mea, & hi ergo abierunt poſt Deos alienos, vt ſeruirent eis: irritum fecerunt domus
Iſraël & domus Iuda pactum meum quod pepigi cum patribus eorum. 11 *Quam-*
obrem hæc dicit Dominus, Ecce ego inducam ſuper eos mala, de quibus exire non pote-
runt & clamabunt ad me, & non exaudiam eos. 12 *Et ibunt ciuitates Iuda, &*
habitatores Ieruſalem, & clamabunt ad eos quibus libant, & non ſaluabunt eos in tem-
pore afflictionis eorum. 13 *Secundum numerum enim ciuitatum tuarum erant Dij tui*
Iuda: & ſecundum numerum viarum Ieruſalem poſuiſti aras confuſionis, aras ad liban-
dum Baalim. 14 *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem*
& orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore affli-

ctionis

Digitized by Google

ſtionis eorum. 15 *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa?*
numquid carnes ſancta auferent à te malitias tuas in quibus gloriata es? 16 *Oli-*
uam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vo-
cem loquela, grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius. 17 *Et Domi-*
nus exercituum qui plantauit te, locutus eſt ſuper te malum: pro malis Domus Iſraël &
domus Iuda, quæ fecerunt ſibi ad irritandum me, libantes Baalim. 18 *Tu autem*
Domine demonſtraſti mihi, & cognoui: Tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum. 19 *Et ego*
quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui quia cogitauerunt ſu-
per me conſiliā, dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra
viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. 20 *Tu autem Domine Sabaoth,*
qui iudicas iuſtè, & probas renes, & corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim re-
uelaui cauſam meam. 21 *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui*
quærunt animam tuam, & dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, & non morie-
ris in manibus noſtris. 22 *Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Ecce ego viſi-*
tabo ſuper eos; iuuenes morientur in gladio, filij eorum & filiæ eorum morientur in fame.
23 *Et reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum ſuper viros Anathoth, annum*
viſitationis eorum.

4. *De fornace ferrea.*] id eſt, de terra Ægypti, tanquam de fornace ferrea. Intelligitur particula comparatiua, quod apud Hebræos eſt frequentiſſimum. Vocat autem fornacem ferream per metaphoram, duriſſimam ſeruitutem, quam in Ægypto ſeruiebant, quia ſolent ſerui in fornacibus, vbi ferrum funditur, laborare.

Vocat fornacem ferreā metaphoricè duriſſimam ſeruitutem

5. *Vt ſuſcitem.*] id eſt, confirmem, vt re ipſa perficiam, aut, vt faciam reuiuiſcere, quod quodammodo intermortuum eſſe videbatur. Iam enim patres eorum in promiſſam terram induxerat; ſed quia illos propter peccata, ex ea eiecerat, & in captiuitatem duci paſſus erat, videbatur iuramentum illud violatum. Iurauerat enim Abrahamo non ſolùm illi, ſed ſemini eius in perpetuum terram illam daturum. Gen. 12.7. & 13.14. & 15.18. & 26.4. Dicit ergo Deus ſe iuramentum ſuum renouaturum, id eſt, reducturum eos poſtliminio in terram ſuā, ſi viciſſim illi ſeruauerint pactum, quod cum patribus eorum inierat, vt non alium Deum, quàm ſe colerent, & mandata, quæ illis dederat, obſeruarent. *Fluentem lacte.* Paleſtinam intelligit: non quòd lacte & melle reuerà flueret, ſed quòd fertiliſſima eſſet, vt Exod. 3.17. & 13.5. & 33.3. Quamquam & mel ex petris aliquando fluxiſſe legimus, quia tanta erat copia apum, vt in petrarum ſciſſuris mellificarent. itaque Ionathas extremam virgam in fauum mellis intinxit, 1. Reg. 14.27. *Sicut eſt dies hæc.* כיום הזה. *ſecundum diem hanc* id eſt, ſicut hodierno etiam die fluit. quod idcirco dicere videtur, vt magis exciter eorum deſiderium. *Et reſpondi.* Ego Propheta, *& dixi, Amen,* id eſt, ita faciam, vt iuſſiſti, Hæc dicam viris Iuda & Ieruſalem.

6. *Et foris Ieruſalem.*] חוץ ſignificat foris, extrà & plateam. Itaque בחצות. Septuaginta & noſter interpres verterunt, *foris,* id eſt, in ſuburbanis, in ciuitatibus, & oppidis circumuicinis, ſicut Chaldæus interpretatur. Alij in plateis Ieruſalem.

7. *Conteſtans conteſtatus ſum.*] id eſt, frequenter & vehementer teſtatus ſum. notus eſt Hebraiſmus. *Vſque ad diem hanc.* id eſt, per ſingulas ætates, ſine intermiſſione. *Manè conſurgens,* id eſt, vigilanter, ſummo ſtudio. Quod enim ſtudioſè agimus, id vt agamus, ſummo manè ſurgimus, vt ſuprà 7.13. & infrà 35.14.

8. *In prauitate cordis ſui.*] בשרירות. in duritiam, in obſtinationem cordis

dis ſui, id eſt, potius ſunt ſecuti obſtinationem ſuam quàm admonitionem meam. Vel, in adinuentionem cordis ſui mali, vt Pſal. 80. 13. *Ibunt in adinuentionibus ſuis*, Vide ſuprà cap. 7. 24. & 9. 14. *Et induxi ſuper eos*, id eſt, ſæpè illis in memoriam reuocaui omnia verba pacti huius. Vel, induxi ſuper eos vltionem, vt Ionathas exponit, quia vna conditio fœderis erat, vt ſi non obedirent præceptis meis pœnas de illis ſumerem, ſicut dixit ver. 3. *Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius*.

9. *Inuenta eſt coniuratio.*] id eſt, quaſi conſpiratione facta defecerunt à me, & ſecuti ſunt iniquitatem patrum ſuorum, vt explicat ſtatim.

12. *Et clamabunt ad eos.*] Miror Lyranum ita etiam legere hominem Hebræum, neque vitium ſcriptionis animaduertiſſe. Manifeſtum enim eſt noſtrum interpretem vertiſſe *ad Deos*, ſicut & apud Hebræos, & apud Septuaginta, & in emendatis codicibus latinis legitur.

Κἰκεκράξονται πρὸς τοὺς θεούς

13. *Secundum.*] id eſt, tot Deos habebas, quot ciuitates. *Et ſecundum numerum viarum.* חוצות. oppidorum, vt ſit repetitio. Sicut ſuprà ver. 6. diximus hoc nomen vicina oppida ſignificare. Senſus noſtri interpretis eòdem redit. tot enim viæ ſunt, quot oppida. Ita etiam Chaldæus & Sept. tranſtulerunt. Vide ſuprà cap. 2. 28.

14. *Tu ergo.*] Vide quæ ſuprà diximus cap. 7. 16. Illud tantùm hoc loco adnotandum eſt, noſtrum interpretem, itémque Septuaginta, atque adeò Chaldæum Paraphraſtem non legiſſe בעת רעתם. pro afflictione ſua, vt nunc Hebræi legunt, ſed בעת רעתם. *in tempore afflictionis eorum.*

15. *Quid eſt.*] Locus eſt Latinè facilis, Hebraïcè difficillimus. Sept. & noſter interpres eodem modo verterunt, niſi quod Septuaginta genere fœminino, ἠγαπημένη, vt intelligatur ciuitas Ieruſalem; noſter interpres vt & Hebraicè eſt, maſculino, vt intelligatur populus. Senſus eorum eſt, Quorſum populus meus dilectus (inquit Deus) facit tam multa ſcelera in templo meo, ponens in eo idola? *Numquid carnes ſanctæ*, id eſt, ſacrificia, quæ mihi offers, expiare poterunt peccata tua? quaſi dicat, non. Quia huiuſmodi idololatrarum ſacrificia mihi non placent, vt dixi ſuprà cap. 6. 20. & 7. 21. 22. *In quibus gloriata es.* Mutat genus quia prius intelligebatur populus, nunc ciuitas. Hebraïca alium videntur habere ſenſum. מה לידיד בביתי. quid dilecto meo in domo mea? quaſi dicat, quid prodeſt populo meo, quod templum meum frequentet, cùm tam malè viuat. עשותה המזמתה הרבים. cùm faciat res execrandas cum multis (idolis) id eſt, cùm tam multis Dijs ſacrificet. Quemadmodum ſi maritus de vxore adultera dicat: Quid facit vxor mea in thoro meo, aut, qua fronte cubat in lecto meo, cùm tam multos amicos habeat. ובשר קדש יעברו מעליך. *Et carnes ſanctæ præterierunt à te*, id eſt, prætermiſiſti ſacrificia ſancta, quæ mihi offerre debuiſti, & ſacrificia execranda obtuliſti idolis. כי רעתכי אז תעלזי. Quia, aut, quin etiam exultaſti, cùm malè feceris. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, Prouerb. 2. 13.

16. *Oliuam.*] id eſt, ſimilem oliuæ. *Vberem.* רענן. virentem, frondoſam, vt noſter interpres alijs in locis ſolet vertere. Sept. εὔσκιον. *vmbroſam vocauit Dominus nomen tuum.* Vocare, pro eſſe, vt ſæpe diximus; id eſt, ſimilis fuiſti apud Deum oliuæ virenti & fructiferæ, floruiſti, omnia tibi proſperè ſucceſſerunt, cùm Dei mandatis obedires: cùm autem ab eius præceptis diſceſſiſti, *Ad vocem loquelæ grandis.* (ſic enim ſunt verba iungenda, quia H. גדולה. generis eſt fœminini) id eſt, loquente fortiter Deo, dantéq; Chaldæis ſignum, vt venirent.

Vocare, pro Eſſe.

Exar-

Digitized by Google

Exarſit ignis,id eſt,Chaldæorum furor.*In ea.*(oliua)id eſt, in te, mutatio perſonæ. *Et combuſta ſunt.*ורעו.depaſta ſunt ab igne.Sept.ἠχρειώθησαν. *inutilia facta ſunt.* Alij,fracti ſunt. *Frueta eius*,דליותיו.rami eius altiſſimi, vt Sept. etiam reddiderunt, id eſt, occiſi ſunt principes eius, qui tanquam altiſſimi oliuæ rami erant. *Eius.*(oliuæ)id eſt,tui,mutatio perſonæ,vt ante.Idem dicitur alia metaphora ſuprà cap. 2. 21. *Ego te plantaui vineam electam, & quomodo verſa es mihi in prauum?* & Iſai.5.2.

17. *Locutus eſt ſuper te malum.*]id eſt, maledixit tibi, aut, comminatus tibi eſt exitium, promiſit ſe extirpaturum. *Pro malis domus Iſraël*, id eſt, tua, perſonæ mutatio.

18. *Tu autem Domine demonſtraſti mihi.*] Manifeſtum eſt verba hæc eſſe Ieremiæ,qui dicat omnia Iudæorum ſcelera,omnéſque aduerſus ſe machinationes ſibi Deum patefeciſſe. Sed Hebræi putant hæc Ieremiam ſua tantùm perſona dicere:conſenſus autem,vt ait Hieron.hoc loco omnium Eccleſiarum eſt, Prophetam perſona Chriſti loqui. Quare Tertullianus, & omnes auctores veteres de Chriſto citare ſolent,quæ ſequenti verſu dicuntur.

Lib. aduerſus Iudæos,& l. 3. c. 19. & 4. c. 40. contra Marcionem.

19. *Et ego quaſi agnus manſuetus.*]אלוף.electus,optimus,vt Ionathas Chaldæus interpretatur.Alij,ſicut agnus,& bos,vt intelligatur ו. &. Sept. ὡς ἀρνίον ἄκακον. *Sicut agnus innocens.* Senſus eſt Chriſtum tanquam ouem ad occiſionem ductũ eſſe,& ſicut agnum coram tondente ſe obmutuiſſe,Iſai.53.7. Et Iudæos non ſatis habuiſſe,quòd victimas idolis ſacrificaſſent,niſi etiam Chriſtum ipſum tanquam victimam mactauiſſent.*Et non cognoui*,id eſt,ductus ſum ad mortem nihil dicens,quemadmodum ſi non cognouiſſem,quò me ducerent.Sicut agnus,cùm ad macellum ducitur,non queritur, non refugit, quia neſcit, quò eat. Alioqui non ignorabat Chriſtus,quò duceretur, qui multò antè dixerat. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam,& filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte.Et tradent eum gentibus ad illudendum,& flagellandum, & crucifigendum,& tertia die reſurget*,Matth.20.18.19.Et rurſus. *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur,vt crucifigatur*,Matth.26.2. *Mittamus lignum in panem eius.* נשחיתה corrumpamus,comminuamus lignum.Intelligit taxum, quæ arbor eſt tam præſentis veneni,vt quicumque ſub ea dormiat,vel comedat, ſubitò moriatur, vnde venenum ipſum, toxicum, quaſi taxicum appellatum. Plin. lib. 16. cap.10. Senſus ergo eſt,comminuamus, id eſt, in puluerem redigamus toxicum, & miſceamus pani, id eſt,cibo Ieremiæ, & tollamus eam de medio. Quod autem de Ieremia hiſtoricè dicitur, propheticè dicitur de Chriſto, cuius corpus panis verus eſt,qui de cœlo deſcendit;crux lignum.ſicut quod dicitur de viro iuſto,Sap.2.12.*Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris,& improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ*.de Chriſto ſemper intellexit Eccleſia.*Eradamus*.Extirpemus, aboleamus. vt Pſal.82.5.*Dixerunt, venite, & diſperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Iſraël vltrà.*

Teſtimonium euidens de Chriſti Domini paſſione explicatur.

Taxus arbor præſentiſſimi veneni.

20. *Tu autem Domine.*]ויהוה.Et Domine.At ô Domine.Sept.abſolutè, κύριε τῶν δυνάμεων. *Domine exercituum.Videam*,id eſt, fac vt videre mihi liceat vltionem tuam de illis aliquando. Hæc Ieremias non ſtudio vindictæ; ſed deſiderio iuſtitiæ dicit. vt Dauid Pſalm. 27. 4. *Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum. ſecundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis.* & Pſalm.93. 2. *Redde retributionem ſuperbis.* Chriſtus autem hæc dicit de reprobis,qui nolunt reſipiſcere.ſicut dicit Ioan. 17. 9. *Non pro*

Quo ſenſu iuſti petant vltionem à Deo.

G mundo

*mun lo rogo:ſed pro iis;quos dediſti mihi.*cùm tamen pro crucifigentibus ſe orauerit, Lucæ 23.34.*Tibi enim reuelaui*,id eſt,commendaui:ad te tanquam ad iuſtiſſimum iudicem confugi.

21. *Hæc dicit Dominus.*] id eſt, ego. ipſe enim Dominus eſt, qui de ſe per tertiam perſonam loquitur. quaſi dicat, quia mihi reuelaſti cauſam tuam, faciam quod à me petis,& vltionem de inimicis tuis ſumam. *Ad viros Anathoth*. id eſt, ad ſacerdotes populares Ieremiæ, qui eum maximè inſectabantur. Erat enim
Luc. 4. 24. Ioan. 4. 44. Ieremias Anathothites,*& nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Non prophetabis.* Futurum Hebraïcum pro imperatiuo & optatiuo. Ne prophetes in nomine Domini,& non occidemus te,Deſine nobis prædicere aduerſa, & loquere nobis placentia,& parcemus tibi.

23. *Reliquiæ non erunt ex eis.*]id eſt,delebo omnem poſteritatem eorum. *Semen impiorum peribit*.Pſalm.36.28. Loquitur tantùm de reprobis,& obſtinatis. Semper enim verum eſt.*Reliquiæ ſaluæ erunt*,Iſai.10.22.& Rom. 9.27.& quòd ſuprà Deus promitit ſe conſummationem non facturum,c.4. 27. & c. 5. 10. *Inducam enim malum*.perniciem,exitium. *Annum viſitationis eorum*,qui erit annus,quo punientur,vel שנת פקדתם. *in anno viſitationis eorum*,id eſt,quo tempore eos viſitabo.

CAPVT XII.

IVSTVS quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen iuſta loquar
ad te, Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus qui præuarican-
tur: & iniquè agunt? 2 *Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt*
& faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. 3 *Et tu Do-*
mine noſti me, vidiſti me & probaſti cor meum tecum: congrega eos quaſi gregem ad vi-
ctimam, & ſanctifica eos in die occiſionis. 4 *Vſquequo lugebit terra, & herba om-*
nis regionis ſiccabitur propter malitiam habitantium in ea? conſumptum eſt animal, &
volucre, quoniam dixerunt: Non videbit nouiſſima noſtra. 5 *Si cum peditibus cur-*
rens laboraſti: quomodo contendere poteris cum equis? cùm autem in terra pacis ſecutus
fueris. quid facies in ſuperbia Iordanis? 6 *Nam & fratres tui & domus patris tui,*
etiam ipſi pugnauerunt aduerſum te, & clamauerunt poſt te plena voce, ne credas eis, cùm
locuti fuerint tibi bona. 7 *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam: dedi*
dilectam animam meam in manum inimicorum eius. 8 *Facta eſt mihi hæreditas mea*
quaſi leo in ſylua: dedit contra me vocem, ideo odiui eam. 9 *Numquid auis diſcolor*
hæreditas mea mihi? numquid auis tincta per totum? venite, congregabimini omnes be-
ſtiæ terræ, properate ad deuorandum. 10 *Paſtores multi demoliti ſunt vineam*
meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam, deſiderabilem in de-
ſertum ſolitudinis. 11 *Poſuerunt eam in diſſipationem, luxitque ſuper me: deſola-*
tione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde. 12 *Super omnes*
vias deſerti venerunt vaſtatores, quia gladius Domini deuorabit ab extremo terræ vſ-
que ad extremum eius: non eſt pax vniuerſæ carni. 13 *Seminauerunt triticum, &*
ſpinas meſſuerunt: hæreditatem acceperunt, & non eis proderit: confundemini à fructibus
veſtris propter iram furoris Domini. 14 *Hæc dicit Dominus aduerſum omnes vici-*
nos meos peſſimos, qui tangunt hæreditatem quam diſtribui populo meo Iſraël: ecce ego
euellam eos de terra ſua, & domum Iuda euellam de medio eorum. 15 *Et cùm*
euulſero eos, conuertar, & miſerebor eorum & reducam eos, virum ad hæreditatem
ſuam.

ſuam, & virum in terram ſuam. 16. *Et erit: ſi eruditi didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo, Viuit Dominus, ſicut docuerunt populum meum iurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei.* 17 *Quòd ſi non audierint, euellam gentem illam euulſione & perditione, ait Dominus.*

QVERITVR Ieremias, quòd ſuis aduerſariis, de quibus capite ſuperiore dixerat, hominibus iniquis proſperè ſuccedant omnia. Redit deinde ad ſuum argumentum, docétque ſacerdotes populum ſeduxiſſe. Minatur populo captiuitatem, & poſt captiuitatem reditum promittit in Iudæam.

1. *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem.*] id eſt, iuſtior, quàm vt ego tecum diſputare debeam. H. כי אריב אליך cùm tecum diſputauero. Scio fore, vt ſi tecum diſputauero, vincas, & iuſtus appareas. vt Pſal. 50. 6. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci; vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Verumtamen iuſta loquar.*] משפטים. iudicia loquar ad te, vt Sept. verterunt; id eſt, proferam nihilominus coram te rationes meas, dicam, quod ſentio. Chaldæus, Interrogationem iudicij interrogo à facie tua, id eſt, poſtulo à te cauſam iudicij tui. Sicut dicit Iob, *Indica mihi, cur me ita iudices*, cap. 10. 2. *Quare via impiorum.* Vetus eſt ſanctorum virorum querimonia, qui de diuina prouidentia impiorum perſona dubitabant, cùm viderent omnia iniquis proſperè; omnia iuſtis infœliciter ſuccedere. vt Dauid Pſalm. 72. 2. 3. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei*, id eſt, penè dubitaui de diuina prouidentia. *Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Similis querela eſt apud Iob. c. 21. 7. & apud Habacuc c. 1. 3. *Qui præuaricantur & iniquè agunt.* שלו כל־כגרי בגר. Pax eſt omnibus, qui præuaricantur præuaricationem, id eſt, peſſimo cuique, iis, qui grauiter, & ſtudioſè præuaricantur. *Sanctorum de diuina prouidentia querimonia.*

2. *Plantaſti eos.*] id eſt, ſtabiliſti, ſicut arbores quæ altè plantantur. *Radicem miſerunt.* Radices vocat filios, & diuitias, vt explicatur apud Iob. c. 21. 7. *Subleuati ſunt, confortatiq́; diuitiis. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum. Prope es tu ori eorum.* id eſt, Hæc illis facis, cùm tamen illi te in ore habeant, non in corde, cùm te labiis honorent, cor autem eorum longè ſit à te. Iſai. 29. 13. & Matt. 15. 8.

3. *Et tu Domine noſti me.*] Opponit ſe pro omnibus iuſtis, iniuſtis omnibus; quaſi dicat, Tu ſcis me non ita facere, nec te in ore ſolùm; ſed in corde etiam habere. *Probaſti cor meum tecum*: id eſt, expertus es. לבי אתך. cor meum tecum eſſe, te amare, te quærere. Cùm ergo ita ſit, Redde vnicuique ſecundùm opera ſua. &, *Congrega eos.* החקם. euelle eos. Sept. *συνάγαγε αὐτούς. congrega eos, quaſi gregem.* Senſus eſt melior. Congregauit autem in Ieruſalem, vt à Chaldæis trucidarentur; ſolent enim oues, cùm occidendæ ſunt, in ouile congregari, & concludi, vt faciliùs capi poſſint. *Et ſanctifica eos*: id eſt, deſtina tanquam victimas ad diem ſacrificij, ſicut Poëta quidam dixit, --- *& me deſtinat ara.* *Virgil. 2. Æneid.*
Hoc enim eſt ſanctificare, conſecrare, dedicare Deo.

4. *Vſquequò lugebit terra.*] id eſt, ſterilis erit & horrida more lugentium, *propter malitiam habitantium in ea?* ſæpe malitia hominum facit, vt terra fructus non proferat. *Ponit* enim (Deus) *Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea*, Pſalm. 106. 34. *Conſumptum eſt animal.* ספתה: defecit, periit. ſingulare pro plurali, mortuæ ſunt beſtiæ, & volucres. *Quoniam dixerunt* (homines iniuſti) *Non videbit nouiſſima noſtra*, (ſub. Deus) id eſt, neſcit quid nobis

euenturum ſit;non enim habet rerum prouidentiam. vt Pſalm. 72. 11. *Et dixerunt,quo modo ſcit Deus,& ſi eſt ſcientia in excelſo?*& Pſa.93.7. *Et dixerunt,non videbit Dominus,nec intelligat Deus Iacob.*

5. *Si cum peditibus currens.*]id eſt,ſi vix Moabitis,Ammonitis,Idumęis reſiſtere potuiſti, qui pedites pugnare ſolent, quomodo Chaldæis reſiſtes, qui magno vtuntur equitatu?vel,qui,ſi cum illis comparentur,equites ſunt, illi pedites. ita Hieron. Alij ſic: Si Anathothitis ciuibus tuis reſiſtere non potuiſti, quomodo reſiſtes Ieroſolymitanis: cùm illi quaſi pedites, hi quaſi equites eſſe videantur? Hunc ſenſum videntur verba quæ ſequuntur ver. 6. confirmare. *Nam & fratres tui & domus patris tui, etiam ipſi pugnauerunt aduerſum te. Cùm autem in terra pacis ſecurus fueri*. בוטח *confideres.* Oratio conciſa.quaſi dicat,ſi terra tua patria Anathoth, in qua confidebas (ſurrexit contra te, vt ſtatim explicat) quomodo poteris Ieroſolymitanorum tumultus ſuſtinere, qui ſimiles ſunt fluctibus Iordani.

6. *Pugnauerunt aduerſum te.*]בגדו בך.præuaricati ſunt contra te,id eſt, infideles tibi fuerunt. *Et clamauerunt poſt te plena voce*; quemadmodum nunc hæretici contra ſacerdotes & monachos, quaſi contra lupos clamant. קראו אחריך מלא. Conuocauerunt aduerſum te congregationem, id eſt, coniurarunt, conſpirarunt contra te, propterea ne credas eis, etiam cùm bona verba tibi dixerint.

7. *Reliqui domum meam.*]id eſt,templum. *Dimiſi hæreditatem meam,*id eſt, populum Iudaïcum, qui hæreditas Domini vocabatur, Deus enim eſt qui loquitur. *Dedi dilectam animam meam,* id eſt,ciuitatem Ieroſolymitanam, quam tanquam animam meam diligebam,in manus Chaldæorum. ידדות נפשי. *dilectionem animæ meæ,*id eſt,ciuitatem,quam toto animo diligebam.

8. *Facta eſt mihi hæreditas mea.*]id eſt, populus Iudæorum. *Quaſi leo in ſylua*, id eſt,efferatus,alienus à me;offendens me,ſicut leo homines, quos non nouit, occidit.

Varia huius loci expoſitio.

9. *Numquid auis diſcolor.*] R. Dauid ſic exponit. Auem diſcolorem omnibus aliis auibus odio eſſe, ideóque ab illis vexari, deuorarique ſolere. Dicit ergo Deus populum Iudæorum factum eſſe ſimilem aui diſcolori, quia omnes alij populi eum perſequentur, & in prædam illis dabitur. R. Ioſeph ſic: Numquid auis ſanguine tincta,quam,cùm aliæ beſtiæ vident,cognoſcunt aliquod eſſe cadauer,eóque accurrunt. Chald.Paraphr.Sicut auis quæ diſpergitur; ſic diſperſa eſt hæreditas mea coram me; & ſicut auis quæ volat, ſic congregabuntur omnes beſtiæ agri contra eam, vt diripiant eam. Hieron. auem diſcolorem pauonem intelligit. quaſi dicat,adeo fuiſſe pulchrum populum ſuum, & rebus omnibus abundantem, vt omnes illi inuiderent, & contra eum conſpirarent. Et hunc ſenſum,& illum R. Dauid valde probo. Sept. verò mirum quàm longè à verbis Hebræorum diſceſſerint. μὴ σπήλαιον ὑαίνης ἡ κληρονομία μου ἐμοί. ἢ σπήλαιον κύκλῳ αὐτῆς ἐπ' αὐτήν; Similiter alios veteres interpretes tranſtuliſſe ſcribit Hieronymus.

Per auem diſcolor. pauonem intelligit.

Sept. aliter.

10. *Paſtores multi.*]Sacerdotes & Prophetæ, cùm multi eſſent, non bene cuſtodierunt populum meum;quin eum potiùs in exitium, & in interitum induxerunt,dicentes, *Pax pax,cùm non eſſet pax,* ſuprà c.6.14.& 8.11.& c.10.21. *Quia ſtultè egerunt paſtores,& Dominum non quæſierunt,propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt.* Alij paſtores hoc loco hoſtes vocari putant,vt ſuprà c.6.3. *Ad eam venient paſtores, & greges eorum, fixerunt in ea tentoria.* Sed prior ſenſus magis mihi placet. *Conculcauerunt partem meam*, id eſt, hæreditatem meam, vt ſuprà.

vt ſuprà cap.10.16.*non eſt his ſimilis pars Iacob.Portionem meam*, id eſt, hæreditatem, partem, quæ mihi quaſi hæreditate obuenit. his enim tribus nominibus idem ſignificatur. *Deſiderabilem* vocat,id eſt,pulchram, fertilem, inuidioſam. Vt Dauid Pſal.15.6.*Funes ceciderunt mihi in præclaris:etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.*

11. *Poſuerunt eam in diſſipationem.*] Paſtores de quibus loquitur, H. numerus ſingularis ponitur pro plurali. *Luxitque ſuper me.* עָלַי. *ad me*, id eſt, petens à me pluuiam & fructus. Terra nimia ſiccitate dehiſcit, quaſi aperto ore pluuiam à Deo poſtulet.Alij,luxit contra me,id eſt,lugens contrà queſta eſt.*Quia nullus eſt qui recogitet*.quamuis generaliter loqui videatur, de paſtoribus mihi videtur loqui. quaſi dicat, terra luget negligentia & incuria paſtorum. Niſi interpretemur כִּי. & tamen. ac ſi dicat, Terra luget, & tamen nemo eſt, qui conſideret. Chald.quia nemo eſt qui proponat animo timorem mei.

12. *Super omnes vias deſerti.*] Quia per omnes vias hoſtes venturi erant, vt vrbem obſiderent.H.על־כל־שפים. *ſuper omnia excelſa*,vt vertit Ionathas, & nos ſæpe aliis locis annotauimus, quaſi dicat, omnes colles pleni erunt hoſtibus. Sept.longiſſimè à verbis diſceſſerunt, ἐπὶ πᾶσαν διεκβολὴν ἐν ἐρήμῳ. *ſuper omne exitum in deſerto.Non eſt pax.*præſens pro futuro,Non erit pax, *vniuerſa carni*. id eſt, vbi bellum erit. *Apud Theodoretum vertitur*, Ad omne diuerticulum.

13. *Seminauerunt triticum.*] præteritum pro futuro. Seminabunt triticum, & metent ſpinas. quaſi dicat, fore vt propter eorum peccata adeo vaſtetur terra, & ſterilis reddatur, vt cùm triticum ſeminauerint, nihil niſi ſpinas colligant. Quemadmodum ipſi plantati fuerant à Dominó quaſi vinea electa, quæ pro vuis fecit labruſcas.Iſai. 5.2.4.& Ierem.2.21.Aut minatur fore,vt,cùm triticum ſeminauerint,hoſtes ſuperueniant,ac demetant,vel depopulentur, ipſi verò nihil colligant niſi ſpinas,id eſt, terrores bellicos, & calamitates. Vel vt Hieron. ait metaphoricè. Cùm proſpera expectarent,aduerſa illis acciderunt.*Hæreditatem acceperunt.*נחלו. quod alij vertunt,ægrotarunt,aut,doluerunt. Multò meliùs noſter interpres.Senſus enim eſt. fore,vt terra optima,& fertiliſſima, quam veluti hæreditatem à Deo acceperant,nullum eis proferat fructum.*Confundemini à fructibus veſtris*, id eſt, fallent fructus expectationem veſtram; Non percipietis fructus,quos expectabatis.Mutatio perſonæ.

14 *Hæc dicit Dominus.*]id eſt,ego. loquitur enim de ſe ipſo per tertiam perſonam. *Aduerſus omnes vicinos meos*, id eſt, gentes vicinas Iudæis, quos Deus vicinos ſuos vocat, qui iuxta eius hæreditatem habitabant; ſicut vicini dicuntur, qui vicinas poſſeſſiones habent.Significat autem Chaldæos. *Qui tangunt hæreditatem*,qui attrectant,qui vaſtant,qui vſurpant ſibi hæreditatem, הנחלה אשר את עמי. Quam hæreditare feci populum meum. *Ecce ego euellam eos.* Chaldæos,id eſt,ſicut illi Iudæos de ſua poſſeſſione deturbarunt,ita efficiam, vt Medi eos de ſua deturbent;quod per Darium factum legimus,Daniel.5.31. *Et domum Iuda*, quæ captiua erat apud eos, hac ratione de eorum tyrannide liberabo,quod ipſum per Cyrum factum eſt. 1.Eſdræ. 1. 1. 2. quemadmodum & Iſai. prædixerat,c.45.1.

15. *Cùm euulſero eos.*]Iudæos.

17. *Si erudiui.*]H.אם־למד ילמדו. *ſi diſcendo didicerint*,id eſt, ſi diligenter didicerint: nota phraſis.Poſſunt autem,hæc vel de Iudæis intelligi,vel de Chaldæis. Si de Iudæis,ſenſus erit,Si Iudæorum principes, qui ante populum meum idololatriam docuerant, reſipuerint, & didicerint *vias populi mei*, id eſt, quas ego

G 3 initio

initio per Moyſem populum meum docui. *Ædificabuntur*, id eſt, ſtabilientur, proſperabuntur *in medio populi mei*, id eſt, in hæreditate, quam dedi populo meo. Si de Chaldæis, & vicinis gentibus ſignificat, fore vt ſi gentes etiam ipſæ relictis idolis ad verum Deum conuertantur; eos Deus in populo ſuo habeat. & oleaſtri in bonam oliuam inſerantur. videtur enim vocationem gentium prædicere de qua D.Paul.ad Rom. 11.

17 *Euellam euulſione & perditione.*] id eſt, omnino euellam & perdam.

CAPVT XIII.

HÆC dicit Dominus ad me, Vade, & poſſide tibi lumbare lineum, & pones il-
lud ſuper lumbos tuos, & in aquam non inferes illud.
2 *Et poſſedi lumba-*
re iuxta verbum Domini, & poſui circa lumbos meos.
3 *Et factus eſt ſer-*
mo Domini ad me ſecundo, dicens,
4 *Tolle lumbare quod poſſediſti, quod eſt circa lum-*
bos tuos, & ſurgens vade ad Euphratem, & abſconde ibi illud in foramine petræ.
5 *Et*
abij, & abſcondi illud in Euphrate, ſicut præceperat mihi Dominus.
6 *Et factum eſt*
poſt dies plurimos, dixit Dominus ad me, Surge, vade ad Euphraten, & tolle inde lum-
bare, quod præcepi tibi vt abſconderes illud ibi.
7 *Et abij ad Euphraten, & fodi, &*
tuli lumbare de loco vbi abſconderam illud: & ecce, computruerat lumbare, ita vt nulli
vſui aptum eſſet.
8 *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens,*
9 *Hæc dicit*
Dominus, Sic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda, & ſuperbiam Ieruſalem multam.
10 *Populum iſtum peſſimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauita-*
te cordis ſui; abierúntque poſt Deos alienos, vt ſeruirent eis, & adorarent eos: & erunt ſi-
cut lumbare iſtud quod nulli vſui aptum eſt.
11 *Sicut enim adhæret lumbare ad*
lumbos viri, ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſraël, & omnem domum Iuda, dicit
Dominus, vt eſſent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam: & non
audierunt.
12 *Dices ergo ad eos ſermonem iſtum, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël,*
Omnis laguncula implebitur vino, Et dicent ad te: Numquid ignoramus quia omnis la-
guncula implebitur vino?
13 *Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus, Ecce ego implebo*
omnes habitatores terræ huius, & reges qui ſedent de ſtirpe Dauid ſuper thronum eius, &
ſacerdotes & Prophetas, & omnes habitatores Ieruſalem, ebrietate:
14 *& diſpergam*
eos, virum à fratre ſuo, & patres, & filios pariter, ait Dominus: non parcam. & non conce-
dam: neque miſerebor vt non diſperdam eos.
15 *Audite, & auribus percipite. No-*
lite eleuari, quia Dominus locutus eſt.
16 *Date Domino Deo veſtro gloriam, ante-*
quam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos: expecta-
bitis lucem & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem.
17 *Quòd ſi hoc non au-*
dieritis, in abſcondito plorabit anima mea à facie ſuperbiæ; plorans plorabit, & deducet
oculus meus lacrymam, quia captus eſt grex Domini.
18 *Dic regi & dominatrici,*
Humiliamini, ſedete: quoniam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ.
19 *Ci-*
uitates Auſtri clauſæ ſunt, & non eſt qui aperiat: tranſlata eſt omnis Iuda tranſmigratio-
ne perfecta.
20 *Leuate oculos veſtros, & videte qui venitis ab Aquilone: vbi eſt*
grex qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum:
21 *Quid dices cùm viſitauerit te? tu*
enim docuiſti eos aduerſum te, & erudiſti in caput tuum numquid non dolores apprehen-
dent te quaſi mulierem parturientem?
22 *Quòd ſi dixeris in corde tuo. Quare ve-*
nerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata ſunt verecundiora tua,
pollutæ ſunt plantæ tuæ.
23 *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus va-*
rietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.
24 *Et diſſeminabo*
eos quaſi ſtipulam quæ vento rapitur in deſerto.
25 *Hæc ſors tua parſque menſuræ*
tuæ

tuæ, à me, dicit Dominus: quia oblita es mei, & confiſa es in mendacio. 26 *Unde & ego nudaui femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua:* 27 *adulteria tua & hinnitus tuus, ſcelus fornicationis tuæ, ſuper colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi Ieruſalem non mundaberis poſt me: vſquequo adhuc?*

PRÆDICIT Iudæorum repudiationem, & interitum ſimilitudine cinguli in terram defoſſi: ac computreſcentis.

1. *Poſſide tibi.*] קְנֵה. Eme, *tibi lumbare lineum*, id eſt, cingulum, quo lumbi cinguntur. lineum autem eſſe vult, vt ſignificet, non eſſe ſuper veſtem, ſed ſuper carnem induendum. Quod nobis coniunctiſſimum eſſe, ac diligentiſſimè ſeruare volumus ad lumbos cingimus, ſicut viatores pecuniam lineo cingulo inſutam ſecus lumbos circumcingunt. Voluit ergo Deus hoc lineo cingulo declarare, populum Iudæorum coniunctiſſimum, & chariſſimum ſibi fuiſſe, tamen propter eius peccata eum repudiaſſe, & ad ripam Euphratis in foramine petræ defodiſſe, id eſt, expoſuiſſe Chaldæorum furori. (Euphrates enim Chaldæam alluit) ibique in captiuitate, & ſordibus cōputruiſſe, vt explicatur infrà ver. 11. Genus eſt Prophetiæ ænigmaticum, quò ad perſuadendum maiorē vim habeat: quod non ſolùm verbis, ſed etiā rebus exprimitur, Quale ſuprà adnotauimus c. 7. ver. 28 & infrà iterū occurret, c. 18. 2. 3. & Iſa. 20. 2. 3. 4. & Oſee 1. 2. *Per lumbare lineum quid ſignificetur.*

12. *Sicut enim adhæret.*] Explicat ænigma. Sic agglutinaui, agglutinaueram, ſic mihi coniunxeram. *In nomen*, id eſt, vt illi vocarentur populus meus, & ego vocarer Deus eorum. & vt hoc cognomento laudarer, atque gloriarer.

12. *Omnis laguncula implebitur vino.*] Lagunculam vocat caput vniuſcuiuſque Iudæi, quod lagenæ ſimilitudinem præ ſe fert. Vinum autem appellat cæcitatem mentis, & inopiam conſilij in rebus aduerſis. Significat ergo fore, vt cùm Chaldæi venerint, tanto omnes terrore corripiantur, & quaſi ebrij huc illuc diuagentur, & alij ab alijs diſcedant. Simile quiddam Iſaias de Ægyptijs ſcribit cap. 19. 14. *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum ſicut errat ebrius, & vomens.* Et de Ieruſalem c. 51. 21. *Idcircò audi hoc paupercula, & ebria, non à vino. Numquid ignoramus.* הֲיָדֹעַ לֹא נֵדַע. *an ſciendo non ſcimus*, id eſt, an non certò ſcimus omnem lagunculam implendam eſſe vino. Interpretantur verba Prophetæ ſine vllo prophetiæ ſenſu, quaſi de lagenis capreis, ac non de illis potiùs loqueretur: irridentque Prophetam tamquam nihil noui dicentem: propterea explicat verſu ſequenti quæ ſint lagenæ, quod vinum.

13. *Implebo.*] id eſt, Mittam eis ſpiritum erroris, & errare faciam eos in inuio, & non in via.

14. *Non parcam & non concedam.*] id eſt, non mouebor vlla miſericordia. לֹא־אֶחְמוֹל וְלֹא אָחוּס. non parcā, & non indulgebo. Sept. οὐκ ἐπιποθήσω. *non deſiderabo.* id eſt, non impediar, cuiuſquam amore, ac deſiderio.

15. *Nolite eleuari.*] id eſt, ne ſitis ſuperbi, ſed humiliter & ſummiſsè audite loquentem Dominum, ſuperbia enim eſt, audire nolle.

16. *Date Domino Deo veſtro gloriam.*] Dare gloriam Deo eſt illum recognoſcere tamquam verum, & omnipotentem Deum, ſe autem ipſum tanquam reum, & peccatorem vt Ioſue 7. 19. & 1. Reg. 6. 5. ſic Ioan. 9. *Da gloriam Deo; nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Antequam contenebreſcat* יַחְשִׁךְ. antequam faciat obtenebreſcere, antequam tenebras inducat, id eſt, antequam inducat vobis mala. *Et offendant pedes veſtri ad montes*, id eſt, antequam fugitiui per montes tanquam in tenebris oberretis, neſcientes quò vos conferatis, aut quid

quid capiatis conſilij. Propterea dixit *ad montes*, vt ſignificaret eorum fugam, & exilium: quaſi dicat, *Ambulate dum lucem habetis, veniet nox, quando nemo poterit operari.* Ioan. 12.35. & 9.4. *Expectabitis lucem.* id eſt, Res proſperas quas expectatis, conuertet vobis Deus in aduerſas. צלמות. vmbram mortis Hebræi horridam caliginem, quaſi mortis imaginem præ ſe ferentem.

17. *Quòd ſi hoc non audieritis.*] Verba ſunt Prophetæ dicentis fore, vt ſi verbis Dei non obedierint, magnum ſibi dolorem afferant. *In abſcondito*, id eſt, apud me, in intimis ſenſibus plorabit anima mea. *A facie ſuperbiæ*, notus eſt Hebraïſmus, id eſt, propter ſuperbiam & inobedientiam veſtram. *Plorans plorabit*, id eſt, vehementer plorabit. *Deducet oculus meus.* Priùs dixit ploraturum ſe animo, nunc oculis. quaſi dicat, omnibus modis plorabo, intus & foris: animo & corpore. *Quia captus eſt*, id eſt, propter populi Iudaici captiuitatem, quam animo futuram proſpicio, niſi obediatis verbis Dei.

18. *Dic regi & dominatrici.*] id eſt, Ieconiæ, & matri eius, vt Hieronymus interpretatur: fuit enim cum eo Babylonem ducta infrà cap. 29. 2. & 4. Reg. 24. 12. Vel Sedeciæ, & eius vxori, vt alij. Septuag. pro dominatrici, *τοῖς δυνάσ τεύουσι. potentibus* verterunt, quia pro גבירה. legerunt. גבירות. vt etiam Hieronymus adnotauit. *Humiliamini*, imperatiuum Hebraïcum pro futuro. Humiliabimini & ſedebitis (in terra, id eſt, iacebitis) Aut, Præparate vos ad ruinam. *Quoniam deſcendit*, id eſt, cadet de capitib. veſtris corona regia, qua gloriamini, amittetis regnum.

Iudæa meridionalis erat.

19. *Ciuitates Auſtri.*] id eſt, meridionales. ita vocat vrbes Iudææ, quæ Babyloni meridionalis erat. *Clauſæ ſunt*, id eſt, deſertæ, inhabitatæ. ſolent enim domus quæ non habitantur, ſemper clauſæ eſſe. *Translata eſt*, id eſt, in captiuitatem ducta, ita vt nemo remanſerit. ponuntur præterita, pro futuris.

20. *Leuate oculos veſtros.*] O Iudæi. *Et videte, qui venitis ab Aquilone*, id eſt, qui cum Babyloniis commercium habere ſoletis, & eò ire, indéque venire. הבאים מצפון וראו. poteſt verti. Et videte eos, qui veniunt ab Aquilone, ſicut & Sept. tranſtulerunt, id eſt, Conſiderate Babylonios venientes. *Vbi eſt grex*, id eſt, populus. quaſi dicat, captiuus ductus eſt. *Qui datus eſt tibi.* (O Ieruſalem) mutat numerum, quia de tota congregatione loquitur, id eſt, quid actum eſt, de illo innumerabili populo, quem in te Dominus multiplicauerat.

21. *Quid dices cùm viſitauerit te?*] (Deus) id eſt, cùm te accerſitis cōtra te Chaldæis caſtigauerit, vel cùm te viſitauerit Nabuchodonoſor rex Chaldæorum. *Tu enim docuiſti eos aduerſum te*, id eſt, Chaldæos, mutatio numeri. Dicit autem docuiſſe eos, vel quia amicitiam cum eis contraxerat, vel quia auxilium ab eis cōtra Ægyptios petiuerat, vel quia, Ezechias nuntiis regis Babylonis, omnes ſuos theſauros oſtentauit, quare Babylonij ad prædam Ieroſolymitanam inuitati ſunt. Iſai. 39.2.

22. *Reuelata ſunt verecundiora tua.*] שוליך. fimbriæ tuæ, veſtes inferiores tuæ, id eſt, ignominia affecta es. *Pollutæ ſunt*, נחמסו. remoti ſunt, diſcooperti ſunt. עקביך. calcanei tui, repetitio eſt. loquitur de populo tanquam de honeſta aliqua, & proba muliere, cui ignominioſum eſt, ſi ei pedes & crura nudentur; ſimulque alludit ad captiuitatem, indicans fore, vt captiua ducatur nudis pedibus, & ſucciſa, aut, ſuccincta veſte, quemadmodum captiuæ mulieres duci ſolent, vt Iſai. deſcribit, cap. 47. 2. *Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum, reuela crura, tranſi flumina.*

23. *Varietates ſuas.*] id eſt, maculas ſuas. Animal enim eſt maculis diſtinctum.

24. Et

24. *Et diſſeminabo.*] id eſt, diſpergam eos, in exilium, & captiuitatem mittam.

25. *Hæc ſors tua.*] id eſt, hæreditas. *párſque menſura tua à me*, id eſt, Hoc à me, loco hæreditatis, quam promiſeram, propter tua peccata conſequeris, vt captiua ducaris, quia quæ *ſeminauerit homo, hæc & metet.* ad Gal. 6. 7. Hoc tibi pro peccatis tuis remetiar, *in qua* enim *menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. 2. *Confiſa es in mendacio*, id eſt, in idolis. Sic vocari ſolent idola. quia *nihil eſt idolum.* Cor. 8. 4. Iſai. 28. 15. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.*

Idola mendacia.

26. *Vnde & ego.*] גם־אני. etiam ego *nudaui femora tua.* שׁוליך. veſtes tuas, vt ſuprà ver. 22. *Contra faciem tuam*, id eſt, ita vt ipſa te nudam videns erubeſcas. Vel, vt alij interpretantur, Attollam veſtes tuas ſupra faciem tuam, id eſt, ſupra caput, vt appareat turpitudo tua.

27. *Adulteria tua.*] Adulteria, hinnitus. ſcelus fornicationis vocat idololatriam. *Super colles.* ſub. apparent; hic debet eſſe diſtinctio. Propterea dicit, *ſuper colles*, quia in collibus, vt ſæpe diximus, idolis ſolebant immolare. quaſi dicat, nullus collis eſt, in quo non ſint impietatis veſtræ impreſſa veſtigia. *In agro*, id eſt, in luco, vbi idolorum erant delubra. *Non mundaberis poſt me*, id eſt, ſequendo me, non reſipiſces; citiùs enim Æthiops mutabit pellem ſuam. vt dixit ver. 23. *Vſquequo adhuc*, id eſt, vllo vnquam tempore, ſi coniunctè, & ſine interrogatione hæc verba legantur; vel, Vſquequo adhuc? ſub. Iſta facies. ſi legantur interrogando. Noſter intepres, & Sept. verterunt *poſt me*, quaſi legerint. אחרי. ſine regimine, & affixũ. Hebræi autem nunc legunt. אחרי מתי עד. Poſt vſquequo. ad verbum, id eſt, nunquam, nullo poſt tempore.

In collibus idolis ſolebant immolare.

CAPVT XIIII.

QVOD factum eſt verbum Domini ad Ieremiam de ſermonibus ſiccitatis.
2 Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt, & obſcuratæ ſunt in terra, &
clamor Ieruſalem aſcendit. 3 Maiores miſerunt minores ſuos ad aquam:
venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam, & afflicti, & operuerunt capita ſua.
4 Propter terræ vaſtitatem, quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ,
operuerunt capita ſua. 5 Nam & cerua in agro peperit, & reliquit: quia non erat
herba. 6 Et onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones, defece-
runt oculi eorum, quia non erat herba. 7 Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis:
Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt auerſiones noſtræ, tibi peccauimus.
8 Expectatio Iſraël, ſaluator eius in tempore tribulationis: quare quaſi colonus futurus
es in terra, & quaſi viator declinans manendum? 9 Quare futurus es velut vir va-
gus, vt fortis qui non poteſt ſaluare? tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuo-
catum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. 10 Hæc dicit Dominus populo huic, qui di-
lexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino non placuit: Nunc recordabitur
iniquitatum eorum, & viſitabit peccata eorum. 11 Et dixit Dominus ad me: Noli
orare pro populo iſto in bonum. 12 Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: &
ſi obtulerint holocautomata & victimas, non ſuſcipiam ea: quoniam gladio & fame &
peſte conſumam eos. 13 Et dixi, A, a, a, Domine Deus, Prophetæ dicunt eis, Non vi-
debitis gladiũ, & fames non erit in vobis, ſed pacem veram dabit vobis in loco iſto. 14. Et
dixit Dominus ad me, Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non
præcipi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & diuinationem & fraudu-

magis, quàm aliæ amare ſolet fœtus ſuos. quaſi dicat, ſi cerua pullos ſuos herbæ inopia derelinquat, quid facient cæteræ beſtiæ?

6. *Onagri.*] aſini ſylueſtres, ſteterunt in rupibus. על־שפים. in locis editis, & excelſis. vt ſæpe adnotauimus. Solent enim editiora loca magis eſſe ventoſa. Significat ergo onagros cùm in vallibus aquam non inueniſſent, in montes aſcendiſſe, vt pro aqua ventum haurirent. ſicut dracones, qui pro aqua venti ſpiratione vti dicuntur. *Defecerunt oculi eorum*, id eſt, depreſſi ſunt, & intus occultati præ macie.

Dracones venti ſpiratione vtuntur pro aqua.

7. *Si iniquitates noſtræ.*] Apoſtrophe Prophetæ ad Deum nomine totius populi. *Reſponderint nobis.* id eſt, accuſauerint nos in iudicio coram te. ſicut accuſator reſpondere ſolet reo, eiúſque excuſationes refutare. vt Iſai. 3.9. *Agnitio vultus eorum reſpondebit eis*, id eſt, ipſe vultus eorum, ſimul atque cognoſcitur, accuſat eos. ענו alij vertunt. Teſtificatæ ſunt. vt Chald. quod etiam verbum ſignificat. Sept. *ἀντέστησαν ἡμῖν. restiterint nobis.* Senſus eſt. Non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis, *quoniam multæ ſunt auerſiones noſtræ* id eſt, rebelliones contra te, præuaricationes.

Pſal. 102. ver. 10.

8. *Expectatio.*] Vocatiuus eſt; id eſt, O tu, in quo Iſraël omnem ſuam ſpem poſitam habet. *Quare quaſi colonus.* id eſt, vt mercenarius, qui minùs diligenter agrum colit. quàm ſi ſuus eſſet. כגר. ſicut peregrinus. *In terra*, id eſt, in Iudæa. Sæpe enim monuimus terram abſolute pro Iudæa poni, cùm de Iudæis ſermo eſt, id eſt, cur non habes maiorem curam Iudææ hæreditatis tuæ, quàm ſi peregrinus aliquis eſſes, & viator, qui tantùm ad pernoctandum hoſpitium quæreres?

Terra abſolutè in Iudæa.

9. *Velut vir vagus.*] id eſt, ſicut homo exterritus, qui præ metu nullibi conſiſtit: ſed huc atque illuc diuagatur. Hoc enim ſignificat. נדהם. etſi non niſi hoc loco reperitur. Sept. *ὑπνῶν. dormiens*, id eſt, quaſi non videns afflictionem noſtram. *exurge. quaſi obdormis Domine*, Pſalm. 43. 23. *Vt fortis*, id eſt, quaſi homo, qui cùm ſe fortem eſſe iactet, opem ferre non poteſt. *Tu autem in nobis es.* בקרבנו, *in medio noſtri es*, id eſt, at certè non es peregrinus, ſed in medio noſtri habitas. *Et nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos*, id eſt, & nos populus tuus appellamur.

10. *Mouere pedes ſuos.*] id eſt, longè, magnóque cum labore à me diſcedere. Vel non quieſcere. ſed longum iter pedibus conficiendum ſuſcipere, vt ab Ægyptiis auxilium petant. Iſai. 30. 2. *Qui ambulaſtis, vt eatis in Aegyptum, & os meum non interrogaſtis.* & ſuprà c. 2. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Aegypti?*

11. *In bonum.*] id eſt, vt aliquid illi boni à me petas. vt ſuprà c. 7. 16. & 11. 14.

13. *Et dixi.*] A. a. a. אהה. vna dictio. *heu heu.* vt cap. 1. 6. Sept. *ὢν κύριε. qui es Domine*, quaſi legerint. היה. aut, אהיה. vt Exod. 3. 14. *Ego ſum, qui ſum. Prophetæ dicunt eis.* Ac ſi dicat. Non eſt eorum culpa; ſed falſorum Prophetarum, qui eos ſeducunt, affirmantes nihil mali eis venturum. vt ſuprà c. 5. 11. & 6. 14. & 8. 11. & infrà cap. 23. 17. *Sed pacem veram* שלום אמת. pacem veritatis, id eſt, non fallacem ſed firmam, ſtabilem diuturnam. *Dabit.* אתן. dabo vobis ſicut Sept. verterunt. loquebantur enim falſi Prophetæ perſona Dei.

16. *Et effundam ſuper eos malum ſuum.*] id eſt, pœnas malitiæ ſuæ.

17. *Deducant.*] תרדנה. deducent. quaſi dicat, quando vobis perſuadere non poſſum, fore vt fames, & gladius veniat ſuper vos, ſaltem plorabo veſtram futuram calamitatem. *Et non taceant.* Hebraiſmus, id eſt, non ceſſent flere.

18. *Si egreſſus fuero.*] Ponit illis ante oculos faciem futurorum malorum,

Digitized by Google

oſtenditque omnes eſſe aut hoſtili gladio, aut fame morituros; aut in captiui-
tatem abducendos. Hoc eſt quod dicit, *Abierunt in terram quam ignorabant*; id
eſt, in Chaldæam. Alludit ad id, quod Prophetæ dixerant ver. 13. *Pacem veram*
dabit vobis in loco iſto. Huic enim loco, & terræ opponit terram, quam ignorabãt.
19. *Numquid proijciens abieciſti?*] H. idem eſt verbum המאס מאסת. *An abij-
ciendo abieciſti Iudam* id eſt, an omnino abieciſti? Notus Hebraïſmus.
21. *Neque facias nobis contumeliam ſolij gloriæ tuæ.*] id eſt, vide ne vt nos caſtiges,
ſolium gloriæ tuæ Sion, contumelia afficias. H. אל־תנבל כסא כבודך. Ne
abijcias ſolium gloriæ tuæ, id eſt, Sion. Sept. μὴ ἀπολέσῃς θρόνον τῆς δόξης σου, *Ne
aboleas ſolium gloriæ tuæ* quaſi dicat, *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da
gloriam. Nequando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum*, Pſal. 113. 9. 10.
22. *Numquid ſunt in ſculptilibus gentium.*] בהבלי הגוים. *in vanitatibus gentium*,
ad verbum, id eſt, in idolis. ſic enim appellant idola: quaſi dicat, eſtne aliquod
idolum, quod pluuiam dare poſſit? Non. Neque enim idola, neque cœli ipſi
dant pluuiam; ſed tu ſolus.

CAPVT XV.

*ET dixit Dominus ad me: Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt
anima mea ad populum iſtum: eiice illos à facie mea, & egrediantur.* 2 *Quod
ſi dixerint ad te, Quo egrediemur? dices ad eos, Hæc dicit Dominus: Qui ad
mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: &
qui ad captiuitatem, ad captiuitatem.* 3 *Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit
Dominus, gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli & beſtias
terræ ad deuorandum & diſſipandum:* 4 *Et dabo eos in feruorem vniuerſis regnis
terræ propter Manaſſem filium Ezechiæ regis Iuda, ſuper omnibus quæ fecit in Ieruſalem.*
5 *Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad
rogandum pro pace tua?* 6 *Tu reliquiſti me, dicit Dominus, retrorſum abiiſti, &
extendam manum meam ſuper te, & interficiam te: laboraui rogans.* 7 *Et diſper-
gam eos ventilabro in portis terræ; interfeci & diſperdidi populum meum, & tamen à viis
ſuis non ſunt reuerſi.* 8 *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſuper arenam maris:
induxi eis ſuper matrem adoleſcentis vaſtatorem meridie: miſi ſuper ciuitates repentè ter-
rorem.* 9 *Infirmata eſt quæ peperit ſeptem, defecit anima eius, occidit ei Sol cùm ad-
huc eſſet dies: confuſa eſt, & erubuit: & reſiduos eius in gladium dabo in conſpectu ini-
micorum eorum, ait Dominus.* 10 *Væ mihi mater mea; quare genuiſti me virum
rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra? non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam:
omnes maledicunt mihi.* 11 *Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bonum, ſi non
occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis aduerſus inimicum.*
12 *Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs? Diuitias tuas & the-
ſauros tuos in direptionẽ dabo gratis in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis.*
14 *Et adducam inimicos tuos de terra quam neſcis: quia ignis ſuccenſus eſt in furore
meo, & ſuper vos ardebit.* 15 *Tu ſcis Domine, recordare mei, & viſita me, & tuere
me ab his qui perſequuntur me; noli in patientia tua ſuſcipere me, ſcito quoniam ſuſtinui
propter te opprobrium.* 16 *Inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos, & factum eſt
mihi verbum tuum in gaudium & in lætitiam cordis mei: quoniam inuocatum eſt nomen
tuum ſuper me Domine Deus exercituum.* 17 *Non ſedi in concilio ludentium, &
gloriatus ſum à facie manus tuæ: ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me.*

gloriatus

18 *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.* 19 *Propter hoc hæc dicit Dominus: Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis, & ſi ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris, conuertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* 20 *Et dabo te populo huic in murum æreum fortem, & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum vt ſaluem te, & eruam te dicit Dominus:* 21 *Et liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium.*

MINATVR gladium, canes, volucres cœli, beſtias terræ.

1\. *Si ſteterint.*] id eſt, ſi ſeſe oppoſuerint pro populo iſto, vt pro eo orent. quemadmodum oppoſuit ſe Moyſes mihi aliquando; Exod. 32. 31. 32. dicens, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* [1 Reg. 7. 9. 10 & 12. 23.] Nominat autem Moyſem, & Samuelem, quia vterque ſanctiſſimus fuit, & maximam populi curam habuit, pro eóque orauit diligentiſſimè. Abutuntur autem hæretici hoc loco, vt probent ſanctorum mortuorum orationes nihil nobis prodeſſe: quòd Deus dicat ſe neque Moyſem, neque Samuelem pro populo orantem auditurum: quaſi verò propterea ſe non auditurum dicat, quod nihil eorum preces valeant, ac non potiùs propterea quod tanta eſſent populi peccata, vt indignus eſſet, pro quo Moyſes & Samuel audirentur. [*Refutantur Hæretici negantes mortuorum orationes nobis prodeſſe.*] Quaſi non eodem modo dixerit viuenti Ieremiæ. *Tu noli orare pro populo iſto, quia non exaudiam te*, ſuprà c. 7. 16. & 11. 14. & 14. 11. An propterea ſequitur nihil nobis prodeſſe ſanctorum viuentium orationes? Multò meliùs nos colligimus ex hoc loco Moyſem, & Samuelem, & cæteros ſanctos viros, qui in cœlo ſint orare pro nobis, eorúmque orationes nobis multùm prodeſſe, cùm noſtra peccata, ſicut peccata Iudæorum non impediunt. Nam ſi pro populo non orarent, non dixiſſet, *Si ſteterint Moyſes & Samuel.* Neque ſenſus eſt, vt hæretici ſomniant, Si Moyſes & Samuel reuiuiſcerent, & orarent pro populo iſto; aut, ſi quis nunc Moyſes & Samuel exiſteret, & oraret pro populo iſto, non audirem eum. Abraham enim mortuus erat, & eius auxilium diues poſtulabat. Lucæ c. 16. v. 24. [*Poſtulauit diues auxilium Abrahã mortui.*] *Non eſt anima mea ad populum iſtum*, id eſt, non placabor populo huic, non diligam illum.

2\. *Qui ad mortem, ad mortem.*] Hebraïſmus, id eſt, Alij ad mortem, alij ad gladium, alij ad famem, alij ad captiuitatem. Vel, qui ad mortem deſtinati ſunt, eant ad mortem; qui ad gladium, ad gladium, &c. Mortem abſolutè vocat eam, quæ peſte proueniebat; ſicut gladium, quæ ab hoſtibus inferebatur, idem Hebraïſmus infrà c. 43. 11.

3\. *Et viſitabo ſuper eos.*] id eſt, viſitando inducam ſuper eos quatuor ſpecies calamitatum. aut, Viſitabo eos quatuor modis. ארבע משפחות. Præficiam eis quatuor cognationes, vel quatuor gentes, id eſt, quatuor genera hoſtium, gladium, canes, volucres, beſtias.

4\. *Et dabo eos in feruorem.*] id eſt, tradam eos feruenti furori omnium regnorum, id eſt, omnium regum. H. לזועה *in commotionem*, id eſt, faciam vt vagentur peregrini, & fugitiui per omnia regna. *Diſpergam eos*, vt dicit ver. 7. Sic vertit noſter interpres idem nomen Deut. 28. 25. & infra c. 34. 17. Ezech. autem 23. 46. *In tumultum*. Sept. hoc loco tranſtulerunt, εἰς ἀνάγκας *in anguſtias*. *Propter Manaſſem.* Manaſſes rex Iuda populum in idololatriam induxit, ſtructis aris omnibus idolis gentium, 4. Reg. 21. 2. 3. Dicit ergo adhuc eius peccati recordari, pœnáſque de eo ſumpturum. *Super omnibus*. H. id eſt, propter [*Manaſſes rex Iuda ſeſe lum in idololatriã induxit*]

id eſt, omnium hominum rixis & contumeliis propoſitum. *Non fœneraui*, id eſt, nemini iniuriam feci: ponit vnum genus iniuriæ pro omnibus. Videtur autem ſignificare non ſolùm peccatum eſſe ad vſurã dare; ſed etiam accipere, quod Theologorum decretis contrarium eſt, ſed intelligit; vt opinor, neminem ſe ſollicitaſſe, vt ſibi daret pecuniam ad vſuram. Sept. *οὐκ ὠφέλησα, καὶ οὐκ ὠφέλησεν με οὐδείς. Non profui*, (mutuò dando) *neque profuit mihi quiſquam.* (mutuò accipienti.) *Ad vſuram accipere an liceat.*

11. *Si non reliquiæ tuæ in bonum.*] id eſt, ſi non fuerit ſucceſſus ac finis tuus fælix. Conſolatur Deus Ieremiam. Eſtq; vt Hebræi dicunt, apoſiopeſis, intelligitur enim aliquid, vt ne credas me eſſe Deum, ne credas mihi ampliùs. *Si non occurri*, id eſt, ſi non occurrero, præteritum pro futuro. Si non adero tibi, & opem tulero, vt tibi initio promiſi c. 1. 8. *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego ſum, vt eruam te, dicit Dominus.* Heb. אם־לוא הפגעתי. ſi non occurrere tibi fecero in tempore mali, & in tempore anguſtiæ inimicum tuum, id eſt, niſi tibi inimicum tuum ſupplicem reddidero. Quod alij de populo interpretantur. Alij de Sedecia, qui eum in carcerem miſit, infrà c. 37. 14. qui c. 21. 2. preſſus obſidione Chaldæorum nuntios miſit ad Ieremiam rogans, vt pro ſe Dominum conſuleret. Alij de Nabuzardam principe militiæ Nabuchodonoſoris, qui Ieremiã in libertatem aſſeruit, cæteris Iudæis in ſeruitutem redactis, eique annonam aſſignauit, & munera dedit, infrà c. 40. 4. Ita R. Salomon.

12. *Numquid fœderabitur*] id eſt, num poterit eſſe ſocietas & amicitia inter populum Chaldæorum & Iudæorum, vt Chaldæi Iudæis parcant? quaſi dicat, non. Hoc ideo dicit, vt probet euenturã eſſe Iudæis vaſtitatem, quam illis minatus erat. H. הירוע. numquid conteret ferrum ferrum, & æs ab Aquilone. Quod aliquid Ionatham ſecuti ſic interpretantur. Num poterit rex Iuda, qui ſimilis eſt ferro puro, confringere regem Babylonis, qui ſimilis eſt ferro mixto calybi? quaſi dicat, non. Alij putant ferrum & ferrum vocari regem Ægypti, & regem Babylonis, & æs regem Iuda, qui infirmior erat. Alij, æs Ieremiam, vt R. Salom. Sept. longè aliter, *εἰ γνωσθήσεται σίδηρος, καὶ περιβόλαιον χαλκοῦν ἡ ἰσχύς σου. cognoſcatur ferrum ferrum, & operimentum æneum virtus tua.* legerunt ידע pro ירוע & מצפון legerunt tanquam vnam dictionem à צפה. deriuatam, quod eſt operire. Senſúſq; eorum eſt. Noli timere (ô Ieremia) Experietur enim inimicus tuus virtutem tuam tanquam gladium eſſe ferreum habens vaginam æneam.

13. *Gratis.*] ita vt ab hoſtibus non emantur, ſed ſine pretio auferantur. הלא במחיר & non in pretio. quod aliquid exponunt, ita vt redimere non poſſis. Sept. non legunt *Diuitias tuas.* & vbi nos legimus *Gratis*, vertunt *ἀντάλλαγμα*, *commutationem* tollentes negationem לא. & legentes במחיר *pro pretio.* quaſi dicat, dabo diuitias tuas in commutationem pro omnibus peccatis tuis. *In omnibus peccatis tuis*, id eſt, propter omnia peccata tua, quæ feciſti in omnibus terminis tuis, vt Hieron. interpretatur, Hebraïca alium ſenſum mihi videntur præ ſe ferre, ובכל־חטאותיך ובכל גבוליך. *Et propter omnia peccata tua, & propter omnes terminos tuos*, id eſt, propter idola, quæ in omnibus terminis tuis coluiſti, vt videtur Chald. Paraphr. intellexiſſe. Terminos autem vocat exitus ab vrbe. dixerat enim ſuprà cap. 11. 13. *Secundum numerum viarum tuarum Ieruſalem poſuiſti aras confuſionis, aras ad libandum Baalim.*

15. *Tu ſcis.*] *Humilitatem meam & laborem meum*; vt Pſal. 24. 18. Verba ſunt Ieremiæ. Tuere me. הנקם. vindica me de ijs, qui me perſequuntur. Vnde intelligitur quod ſequitur. *Noli in patientia tua ſuſcipere me*, id eſt, noli vti tanta patien

ægrotationum morientur: non plangentur, & non ſepelientur, in ſterquilinium ſuper
faciem terræ erunt: & gladio & fame conſumentur, & erit cadauer eorum in eſcam
volatilibus cæli, & beſtiis terræ. 5 *Hæc enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum*
conuiuij, neque vadas ad plangendum, neque conſoleris eos: quia abſtuli pacem meam à
populo iſto, dicit Dominus, miſericordiam & miſerationes. 6 *Et morientur gran-*
des, & parui in terra iſta: non ſepelientur neque plangentur, & non ſe incîdent, neque
caluitium fiet pro eis. 7 *Et non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſu-*
per mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo & matre.
8 *Et domum conuiuij non ingrediaris, vt ſedeas cum eis, & comedas & bibas.*
9 *Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce, ego auferam de loco iſto,*
in oculis veſtris & in diebus veſtris vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi & vo-
cem ſponſæ. 10 *Et cùm annuntiaueris populo huic omnia verba hæc, & dixerint tibi.*
Quare locutus eſt Dominus ſuper nos omne malum grande iſtud? quæ iniquitas noſtra?
& quod peccatum noſtrum quod peccauimus Domino Deo noſtro? 11 *Dices ad eos,*
Quia dereliquerunt me patres veſtri, ait Dominus: & abierunt poſt Deos alienos, & ſer-
uierunt eis, & adorauerunt eos: & me dereliquerunt, & legem meam non cuſtodierunt.
12 *Sed & vos peius operati eſtis, quàm patres veſtri, ecce enim ambulat vnuſquiſque*
poſt prauitatem cordis ſui mali, vt me non audiat. 13 *Et eijciam vos de terra hac,*
in terram quam ignoratis vos, & patres veſtri: & ſeruietis ibi Dijs alienis die ac nocte,
qui non dabunt vobis requiem. 14 *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, &*
non dicetur vltrà: Viuit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti: 15 *Sed*
Viuit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra Aquilonis, & de vniuerſis terris ad quas
eieci eos: & reducam eos in terram ſuam, quam dedi patribus eorum. 16 *Ecce ego*
mittam piſcatores multos dicit Dominus: & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos
venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.
17 *Quia oculi mei ſuper omnes vias eorũ non ſunt abſcondita à facie mea, & non fuit oc-*
cultata iniquitas eorũ ab oculis meis. 18 *Et reddã primùm duplices iniquitates, & pec-*
cata eorum: quia cõtaminauerunt terram meam in morticinijs idolorum ſuorum, & abo-
minationibus ſuis impleuerunt hæreditatem meam. 19 *Domine fortitudo mea, & ro-*
bur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremis ter-
ræ, & dicent, Verè mendacium poſſederunt patres noſtri vanitatem quæ eis non profuit.
20 *Numquid faciet ſibi homo Deos, & ipſi non ſunt Dij?* 21 *Idcirco ecce ego*
oſtendam eis, & vicem hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem meam: & ſcient
quia nomen mihi Dominus.

PERSEQVITVR eaſdem comminationes Deus, admonens Prophetam, ne in Iudæa vxorem ducat, neque liberos ſuſcipiat; fore enim vt omnes patres, matres, filij moriantur.

2. *Et non erunt*] futurum pro imperatiuo, ne ſint, id eſt, ne ſuſcipias liberos. Hinc colligunt multi non ſine magna probabilitate Ieremiam virginem permanſiſſe. Credibile enim eſt in ipſa captiuitate vxorem non duxiſſe. Quod autem Ieremiæ dicitur, omnibus dicitur, propter impendentem calamitatem. quaſi dicat, *Tempus breue eſt, reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes ſint.* tantùm abeſt, vt qui non habent, ducere debeant, 1. Cor. 7. 29. *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.* Luc. 23. 29. *Ieremias virgo.*

3. *Super filios.*] עַל. contra filios, vel, de filijs.

4. *Mortibus ægrotantium.*] id eſt, omnibus modis, omni morborum genere, aut omni genere mortis morientur, fame, gladio, peſte, captiuitate, & op-

preſſione, vt ſignificauit ſuprà c. 15. 2. Chaldæus de ſola fame interpretatur, *Non plangentur*. quia non erit qui plangat, vt in magna peſtilentia fieri ſolet. vide ſuprà c. 8. 2.

5. *Ne ingrediaris domum conuiuij.*] funebris quod in funere ad conſolandum propinquos mortui parari ſolet. Ita Hieronymus & Hebræorum magiſtri, vt ait R. Salomon in commentar. interpretantur. Dictio Hebraïca מרזח. propriè luctum ſignificat. Quod valdè loco conuenit. Ne ingrediaris in domum luctus, neque ad eas plangendum. Solebant enim mortuo aliquo, amici in eius domum ad plangendum conuenire. Deus autem non vult, vt Propheta plangat eos, quos ipſe propter eorum peccata interfecit.

6. *Non ſe incident.*] Solebant profanæ gentes in mortuorum luctu ſeſe ſcalpellis incidere, ac lacerare, ac capillum vellere vſque ad caluitium. Id Deus prohibuerat Iudæos facere, nè gentes imitarentur, Deuter. 14. 1. *Non vos incidetis, neque faciatis caluitium ſuper mortuo.* Tamen contra Dei præceptum id Iudæi facere ſolebant. Dicit ergo nunc fore, vt quod ſponte facere noluerant, neceſſitate faciant; tanta enim erit morientium multitudo, vt nemo ſit, qui ſe pro mortuo incidat, aut ſibi caluitium faciat.

7. *Et non frangent inter eos lugenti panem.*] Hebraïcè tantùm eſt, ולא יפרסו. Quod poteſt ſignificare, non expandent, vel, non frangent. Hebraïzantes ergo, ſequentes R. Dauid in libro radicum, ne videantur noſtrum interpretem imitari, malunt exponere, Non expandent ſuper eos (ſub. manus) ad lugendum. ſolent enim lugentes manus expandere, ac iactare. Multò profectò meliùs noſter interpres, & Sept. & ex Hebræis nonnulli, vt ait R. Dauid Ioſeph Kimchi. Sequitur enim, *Et non dabunt eis potum calicis.* Mos enim Iudæorum erat mortui propinquos exhibito conuiuio conſolari. Quod Latini Parentare dicunt. Quæ conſuetudo in meliùs commutata ad Chriſtianos quoque permanauit. Datur enim in nonnullis locis non ſolùm propinquis, ſed etiam pauperibus conuiuium, quod Hiſpani hodierno etiam die charitatem vocant, ſicut olim veteres ἀγάπην.

Iudæorum mos in conſolandis mortui propinquis

9. *In oculis veſtris.*] id eſt, vobis adhuc viuentibus, ita vt veſtris oculis cernere poſſitis, ſicut ſtatim exponit, *Et in diebus veſtris.* *Vocem ſponſi.* Explicat, quam vocauerat, *vocem gaudij & lætitiæ*, ſcilicet cantiones, & Hymenæi, qui cani ſolebant in nuptiis, qui, dicit fore vt non ampliùs audiantur.

13. *Et eijciam.*] ו, & hoc loco cauſam ſignificat. Propterea eiiciam vos, *In terram quam ignoratis*, id eſt, in Chaldæam, vt ſuprà c. 14. 18. & 15. 14. *Et ſeruietis ibi Dijs alienis.* Conceſſio eſt, id eſt, poteritis vſque ad ſatietatem Dijs alienis ſeruire, quod tantopere deſideraſtis, cùm ſitis inter idololatras. Aut, cogemini etiam ſi minimè velitis ſeruire Dijs alienis. *Qui non dabunt vobis requiem.* i. qui non poterunt iuuare vos, & à captiuitate liberare. H. לא אתן. *non dabo.* Manifeſtum eſt noſtrum interpretem, & Sept. legiſſe יתנו. *dabunt.* imò & Chaldæum, qui interpretatur, Non erunt vobis miſericordes.

14. *Non dicetur vltrà.*] Iudæi cùm iurabant, honoris cauſa ſolebant addere Dei nomini liberatoris epithethon. *Qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti.* Poſt Babylonicam autem captiuitatem futurum prædicit, vt non dicant, *Qui eduxit de terra Ægypti*, ſed, *de terra Aquilonis*, id eſt, de Chaldæa, indicans fore vt durior ſit eorum ſeruitus in Chaldæa, quàm olim fuerat in Ægypto, & vt acerbitate præſentis, veteris obliuiſcātur: vel ſignificat maius ſe in illos beneficium collaturū à Babylonica captiuitate liberando, quàm olim contulerat liberās ab Ægypto.

16. Mi-

Digitized by Google

16. *Mittam piſcatores.*] Senſus eſt, futurum vt nemo latete poſſit, neque captiuitatem effugere. Primùm enim Chaldæi tanquam piſcatores Iudæos in Ieruſalem quaſi reti concluſos ceperunt, Deinde Sedeciam, & principes viros de nocte ad montes fugientes tanquam venatores perſecuti ſunt, & captiuos reduxerunt. 4. Reg. 25. 5.

17. *Super omnes vias eorum.*] id eſt, ſuper peccata. quia non fugiunt me eorum peccata, vt ſtatim explicat. Non ſum oblitus, ſed ſemper mihi ante oculos obuerſantur vt ea puniam. Vel, non me latebunt eorum viæ, quibus fugient, quemadmodum eorum peccata me non latuerunt; Itaque potero eos per venatores meos, ex omnibus latebris extrahere.

18. *Et reddam primùm.*] id eſt, antequam eos ab exilio reducam, efficiam vt pœnas, quas debent, perſoluant. *Duplices iniquitates*, id eſt, multiplices; numerus certus pro incerto. quaſi dicat, puniam omne genus iniquitatis eorum. Vel, vt Ionathas interpretatur, Puniam duplex peccatum; peccatum patrum eorum; & peccatum ipſorum; aut, ſicut puniui peccatum patrum eorum, puniam etiam ipſorum peccatum. *Morticinis idolorum ſuorum*, id eſt, cadaueribus beſtiarum, quas idolis ſuis ſacrificabant; Vel, filiorum ſuorum. *Immolauerunt* enim *filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Pſalm. 105. 37. *Numerus certus pro incerto.*

19. *Domine.*] Apoſtrophe Prophetæ ad Deum. *Ad te gentes venient.* Vaticinatur futuram conuerſionem gentium, quæ ex Babylonica captiuitate occaſionem, & initium ſumpſit. Cyrus enim primus à Deo excitatus Deum cognouit, & Iudæos in libertatem aſſeruit. lib. 1. Eſdræ c. 1. 1. Poſt Chriſti autem aduentum expleta eſt, cùm plenitudo gentium intrauit, ad Rom. 11. 25. *Verè mendacium*, id eſt, Deos falſos habuerunt, qui eis prodeſſe non poterant.

20. *Et ipſi non ſunt Dij*] id eſt, Deos falſos; aut, cùm ſint falſi. quaſi dicat, quæ inſania eſt, facere hominem ſibi ipſi Deos, quos videt veros non eſſe. Hæc dicunt gentes, cùm ad Deum conuerterentur.

21. *Oſtendam eis.*] (dicit Dominus) mirabiliter eos liberando, ſicut oſtendi, cùm educerem ex Ægypto. Vel mirabiliter ad me conuertendo, vt de Gentilibus intelligatur, vt Hieronymus exponit.

CAPVT XVII.

PECCATVM Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo in vngue adamantino, exara-
tum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. 2 Cùm
recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum, & lucorum ſuorum, lignorúmque
frondentium in montibus excelſis, 3 ſacrificantes in agro: fortitudinem tuam, &
omnes theſauros tuos in direptionem dabo, excelſa tua propter peccata in vniuerſis finibus
tuis. 4 Et relinqueris ſola ab hæreditate tua, quam dedi tibi, & ſeruire te faciam
inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo, vſque in
æternum ardebit. 5 Hæc dicit Dominus, Maledictus homo qui confidit in homine,
& ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. 6 Erit enim quaſi
myricæ in deſerto & non videbit cùm venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate, in deſerto,
in terra ſalſuginis & inhabitabili. 7 Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit
Dominus fiducia eius. 8 Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas quod
ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit cùm venerit æſtus. Et erit folium eius
viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.

Digitized by Google

9 *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſces illud?* 10 *Ego Domi-*
nus ſcrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum
adinuentionum ſuarum. 11 *Perdix fouit quæ non peperit, fecit diuitias, & non in*
iudicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.
12 *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ.* 13 *Expecta-*
tio Iſraël Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra
deſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. 14 *Sana*
me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es. 15 *Ecce*
ipſi dicunt ad me, Vbi eſt verbum Domini? veniat. 16 *Et ego non ſum turbatus, te*
paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labiis
meis, rectum in conſpectu tuo fuit. 17 *Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die*
afflictionis. 18 *Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: paueant*
illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere
eos. 19 *Hæc dicit Dominus ad me, Vade, & ſta in porta filiorum populi per quam*
ingrediuntur reges Iuda, & egrediuntur, & in cunctis portis Ieruſalem, 20 *& dices*
ad eos, Audite verbum Domini reges Iuda, & omnis Iuda, cunctique habitatores Ieruſa-
lem qui ingredimini per portas iſtas. 21 *Hæc dicit Dominus, Cuſtodite animas ve-*
ſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati: nec inferatis per portas Ieruſalem. 22 *Et*
nolite eiicere onera de domibus veſtris in die ſabbati, & omne opus non facietis: ſanctifi-
cate diem ſabbati, ſicut præcepi patribus veſtris. 23 *Et non audierunt, nec inclina-*
uerunt aurem ſuam: ſed indurauerunt ceruicem ſuam, ne audirent me, & ne acciperent
diſciplinam, 24 *Et erit: ſi audieritis me, dicit Dominus, vt non inferatis onera*
per portas ciuitatis huius in die ſabbati: & ſi ſanctificaueritis diem ſabbati, ne faciatis
in eo omne opus: 25 *Ingredientur per portas ciuitatis huius reges & principes, ſedentes*
ſuper ſolium Dauid, & aſcendẽtes in curribus & equis, ipſi & principes eorum viri Iuda,
& habitatores Ieruſalem, & habitabitur ciuitas hæc in ſempiternum. 26 *Et venient de*
ciuitatibus Iuda, & de circuitu Ieruſalem, & de terra Beniamin, & de campeſtribus, &
de montuoſis, & ab Auſtro, portantes holocauſtum, & victimam, & ſacrificium, & thus,
& inferent oblationem in domum Domini. 27 *Si autem non audieritis me, vt ſanctifi-*
cetis diem ſabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ieruſalem in die ſabbati,
ſuccendam ignem in portis eius: & deuorabit domos Ieruſalem, & non extinguetur.

DOCET peccatum Iudæorum indelebile penè eſſe; propterea puniendos.

2. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo.*] Significat duritiem cordis eorum tantam eſſe, vt non niſi ſtilo ferreo in eo ſcribi poſſit. *In vngue*, Duobus modis hoc poſſumus interpretari, vel, *in vngue adamantino*, tanquam in materia ſculptum eſſe, & erit ſubintelligenda particula ſimilitudinis, & ordo verborum conuertendus. Scriptum eſt in latitudine cordis eorum, tanquam in vngue adamantino, qui impreſſos characteres indelebiles ſeruat. Vnguem autem vocat adamantem in figuram vnguis elaboratum, ſolemus enim in vngue ſcribere, quæ recordari volumus: vel, *In vngue*. id eſt, vngue tanquam inſtrumento, ſtilo adamantino, id eſt, adamante facto ad formam vnguis non humani, ſed aquilæ vel alterius acuti, quo tanquam ſtilo ſcribi poteſt. Atque hoc ſignificat propriè שמיר. *ſpinam*. quaſi dicat, ſcriptum eſt ſtilo ferreo, & adamantino. Nemo enim ignorat ב.in.inſtrumentum aliquando ſignificare. Hac autem periphraſi nihil aliud indicat, quàm indelebiliter impreſſum eſſe, vt Iob. 19. 23. 24. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtilo ferreo, & plumbi lamina, vel certè ſculpantur in ſilice? Exaratum ſuper latitudinem.*

dinem cordis. על־לוח. ſuper menſam: ſuper tabulam. ſicut D. Paulus metaphoricè vocat tabulas cordis. 2. Cor. 3. 3. *Et in cornibus ararum* Hoc propterea dicit, quia cornua altarium, victimarum ſanguine redundabant, quas idolis ſacrificabant. Aſpergebant enim ſanguine cornua altaris, ſicut in ſacrificiis, quæ Deo fiebant. Exod. 29. 12. & Leuit. 4. 7. 18. Vel, quia in cornibus altaris ſcribi ſolebant idolorum nomina, quibus ibi ſacrificabatur. Sicut inuenit Athenis. D. Paul. in ara quadam ſcriptum, *Ignoto Deo.* Act. 17. 23. Duo ergo ſignificat hoc loco. Peccatum Iudæorum neq; deleri poſſe (id eſt, vix poſſe) neq; latere, cùm in publicis aris ſcriptum ſit. quatuor primos verſus huius capitis Sep. prætermiſerunt, quod Hieronymus eos populi ſui gratiam feciſſe putat. Neque hodie leguntur in pleriſq. exemplaribus, Quò magis miror in Complutenſibus legi; ſed ita, vt ex Latinis Græci facti fuiſſe videantur.

Cur hos 4. verſus omiſerint Septuaginta Reperiuntur apud Theodorum, & ex aliqua editione ea agnoſcit Hieronymus.

2. *Cùm recordati fuerint.*] Sententia videtur eſſe ſuſpenſa, quæ intellecta aliqua re videtur abſoluenda. vt, cùm recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum. (ſub. ſacrificabunt idolis) quaſi dicat, Habebunt filij idololatriæ parentum ſuorũ impreſſa veſtigia, quibus inſiſtant; habebunt ante oculos idololatriæ monumenta, vt patres ſuos imitentur. H. כזכר. vt recordentur filij eorum ararum ſuarum. Atq, ita ſententia eſt abſoluta. Vel, (vt alij interpretantur) כזכור. ſicut recordantur filiorum ſuorum (ſub. ſic recordantur) ararum ſuarum.

3. *Sacrificantes in agro.*] Poſſunt hæc verba cum ſuperioribus ita iungi. *Cùm recordati fuerint filij eorum*, &c. *ſacrificantes in agro*, tunc ego *fortitudinem tuam* (ô Ieruſalem) *& omnes theſauros tuos in direptionem dabo:* Vel quia in agro ſacrificant (ſub. filij eorum) propterea theſauros tuos in direptionem dabo. H. הררי. *O montane*, id eſt, ô Iudæe, qui in montib. ſemper verſaris idolis ſacrificans, ego quoq. in agro, & montibus dabo omnem fortitudinem tuam, חילך exercitum tuum, vel, ſubſtantiam tuam, & theſauros tuos in direptionem. Fortaſſe legit noſter interpres. הרוי. *ſuccendunt*, id eſt, ſacrificant ſacrificantes in agro. Alij cum R. Dauid Quimchi legunt, ô mons mi, id eſt, ô Sion in agro dabo fortitudinem tuam, & theſauros tuos in direptionem. *Excelſa tua* id eſt templa, aras idolorum tuorum.

4. *Et relinqueris ſola.*] id eſt, deſtituta, priuata hæreditate tua; mutauit genus maſculinum in fœmininum, quia loquitur cum ciuitate, tanquam cum muliere, vt ſolet. H. ושמטתה ובך Et remiſſio erit etiam tibi ab hereditate tua. Quod R. Dauid in lib. rad. & in com. ſic exponit. Quia præceperam tibi, vt ſeptimo quoque anno ſineres terram quieſcere. Leuit. 25. 4. & non feciſti, efficiam vt coactus facias; mittam enim te in captiuitatem, & terra tua multis annis quieſcet, vt ait Leuit. 29. 33. 34. *Vos autem diſpergam in Gentes, & euaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ. Tunc placebunt terræ ſabbata ſua, cunctis diebus ſolennitatis ſuæ, quando fueritis in terra hoſtili ſabbatizabit, & requieſcet.* Noſter interpres videtur legiſſe. בר. aut, לבד pro, ובך. *In terra, quam ignoras.* In Chaldæa, vt ſuprà cap. 14. 18. & 16. 13. *Quoniam ignem ſuccendiſti.* peccando; qui non extinguetur, vt ſuprà cap. 15. 14. Iſai. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis.*

5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.*] tanquam in Deo, aut magis quàm in Deo, aut, ita vt non in Deo. Nam in ſanctis tanquam in amicis Dei meritò confidimus. & B. Virginem ſecundum Deum ſpem noſtram appellamus. *Et*

ponit carnem, id eſt, hominem, *manū* ſicut, *caro fœnum*. Iſai. 40. 6. Hoc ideo dicit, quia Iudæi contempto Deo in Ægyptiis confidebant, vt Iſa. 31. 3. *Ægyptus homo, & non Deus. & equi eorum caro, & non ſpiritus.*

6. *Erit enim.*] Qui in homine confidit, *Quaſi myrica*. Myrica notum eſt arbuſtum, quod non niſi in aridiſſimis locis naſcitur, & nullum fructum profert. Significat ergo eum, qui in homine confidit futurum infructiferum, & aridum, id eſt, nullum bonum ſucceſſum habiturum. *Et non videbit*. Non experietur, non erit particeps, *cum venerit bonum* id eſt, pluuia, quia ſtatim ſequitur. *Sed habitabit in ſiccitate*. quaſi dicat, etiam cùm pluet ſuper alios, non pluet ſuper eum, aut ſuper eius agros. *Pluuiam* enim *voluntariam ſegregabit Deus hæreditati tuæ*. Pſal. 67. 10.

& pro quia. 7. *Et erit Dominus.*] Et cuius fiducia Dominus eſt.

8. *Et erit.*] ו. &, pro, *quia*, erit tanquam arbor iuxta aquas plantata. *Ad humorem*. יובל על. iuxta riuum, *mittit radices ſuas, & non timebit, cùm venerit æſtus*, id eſt, res aduerſæ. vide Pſal. 1.

9. *Prauum eſt cor hominis.*] Occurrit obiectioni, ne quis exiſtimet poſſe Deum latere, in quo quiſque confidat, in Deóne, an in hominibus. H. עקב ה ב לב. *fraudulentum eſt cor præ omnibus*, id eſt, nihil eſt omnium rerum, quod æquè fallax ſit, atque cor hominis. Ita ferè Sept. βαθεῖα ἡ καρδία παρὰ πάντα. *Et inſcrutabile*. אנש forte, durum, peruerſum. Sept. legerunt aliis punctis. אנש. καὶ ἄνθρωπός ἐστι. *& homo eſt*. quod violentum ſenſum habet.

Per'li is pro precias. 11. *Perdix.*] Intelligitur. כ. nota ſimilitudinis, quod apud Hebræos vſitatiſſimum eſt. Sicut perdix fouet, דגר congregat, ſicut etiam Septua. verterunt. quanquam illi addiderunt ἐφώνησε. quod Hebraicè non eſt. *Quæ non peperit*, id eſt, alienos pullos voce ad ſe allicit, vt Septuaginta intellexerunt, vel, congregat aliena oua. Sunt qui dicant perdicem ex alienis nidis oua furari, eáque excludere: pullos verò recens natos non recognoſcentes matrem, ab ea fugere. Hoc ipſum dicit Iudæis euenturum, qui diuitias congregauerāt, *& non in iudicio*, hoc eſt iniquè, per vſuram, aut rapinam. *In dimidio* enim *dierum ſuorum* id eſt, antequam illis perfruantur, eas amittent, eripientibus Chaldæis. Malè enim parta, malè dilabuntur. Iob 15. 29. & Pſal. 108. 11. *In nouiſsimo ſuo erit inſipiens*, id eſt, apparebit eum inſipientem eſſe, qui aliena rapuit.

12. *Solium gloriæ.*] Epiphonema Prophetæ eſt. Nos, inquit, non in homine confidimus, non tanquam alieni pulli alienam perdicem ſequimur, neque tanquam perdix alienis ouis incubamus; ſed in ſolo Domino confidimus & glorioſum excelſum eius ſolium, quod ab omni æternitate fuit, confugium noſtrum eſt, & locus, vnde ſanctificamur, vel, quem ſanctificamus, ſolum Deum adorantes. Alij, Sicut ſolium gloriæ, (fuit) altitudo à principio, id eſt, ſicut Deus à principio habitauit in cœlo, ita etiam habitauit in templo noſtro, qui locus eſt ſanctificationis noſtræ. Quomodo ergo quidam dicunt nō videre eum, aut non curare, quæ homines faciunt. Sed hæc interpretatio coactior eſt.

13. *Expectat o Iſraël.*] id eſt, ô Domine, in quo Iſraël ſperat, & confidit. *Recedentis à te.*] H. יסורי. pro, יסורים. apoſtatæ vel, pro, יסורו. qui diſcedant (ſub. à te) vt noſter interpres, & Sept. reddiderunt. *In terra ſcribentur*, id eſt, non peruenient ad veram fœlicitatem: ſed omnis eorum fœlicitas morte extinguitur. Non ſcribentur in cœlo eorum nomina, ſicut iuſtorum, Luc. 10. 20. *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis*. Pſal. 48. 12. *Quoniam dereliquerunt venam* vt ſuprà c. 2. 18. fontem, aut venā aquarum viuentium vocat Deum, quia perpetuò poteſt hominem

hominem proſperare non ſolùm in terra; ſed etiam in cœlo. Sicut fons aquæ viuæ, id eſt, ſcaturientis numquam deficit, ſemper aquam ſuppeditat. Ioan. 4. 14. *fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

14. *Sana me Domine.*] Hebraiſmus habens tacitam conditionem; id eſt, ſi ſanaueris me, verè ſanabor, & ſi ſaluaueris me, verè ſaluus ero. quaſi dicat, homines non poſſunt verè ſanare, ac ſaluare, tu ſolus potes. *Quoniam laus mea tu es*, id eſt, in te ſolo glorior.

16. *Et ego.*] licet illis irridentibus, & improperãtibus. *non ſum turbatus*, id eſt, nõ deſtiti facere, ac dicere, quidquid mihi præcepiſti. H. לא אצתי מרעה אחריך. *Non detrectaui quominus eſſem paſtor poſt te*, id eſt, non recuſaui munus Prophetæ, quod mihi iniunxiſti; vt eſſem paſtor poſt te, id eſt, ſecundus à te, perſonam tuam gerens, aut, quin ex præſcripto tuo, tuaque ſequens veſtigia, populum tuum paſcerem ac tegerem. Hunc etiam ſenſum videtur Chaldæus exprimere voluiſſe. Alij minus propriè. Non intruſi me vt eſſem Propheta. *Et diem hominis non deſideraui*, id eſt, Non optaui vt veniret illis tempus illud miſerum, & luctuoſum, quod tu illis minabaris. Quod prædicebat illis, non ideò prædicebam, quòd cuperem ita eſſe, ſed quòd tu me prædicere iuberes. אכוש. Sept. & noſter interpres legerunt. אנוש. enos, hominis, id eſt, miſerum, calamitoſum, Hebræi nunc legunt אכוש anus, durum, difficilem, vt ſuprà ver. 9. Alij. Non deſideraui annuntiare illis diem illum captiuitatis calamitoſum, non ambiui hoc genus prophetiæ. Alij, non quæſiui hominum laudem, aut iudicia, vt apud Paul. 1. Cor. 4. 3. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Alij, non deſideraui diu viuere. *Quod egreſſum eſt*, id eſt, Tu ſcis me nihil dixiſſe, niſi verum & rectum, & quod tu mihi ſuggeſſiſſes.

18. *Confundantur.*] id eſt, quamuis non optauerim illis malum, quod prædixi, quódque putant illi non euenturum, tamen fac vt illi potiùs fallantur, quàm ego. Hoc enim eſt confundi, vt ſæpè dixi, expectatione ſua falli. *Duplici contritione*, id eſt, multiplici. vt expectiantur, vera eſſe, quæ illis vaticinatus eram, vt exponit R. Quimchi.

19. *Sta in porta filiorum.*] id eſt, frequentiſſima, regia, in quam principes, & ciues iuris dicendi cauſa conuenire ſolent, vt aliqui exponunt. Ego ſimpliciter interpretor de omnibus portis, quibus ingredi & egredi ſolebant ciues. Propterea enim iubetur Propheta in portis ſtare, vt moneat populum ne per eas in die Sabbati quidquam importet, vt indicat ver. 21. Sed præſertim in regia, quæ frequentiſſima erat.

25. *In die Sabbati.*] per Sabbati obſeruationem, omnem legis obſeruationem intelligit. Vt Iſai. 56. 2. 4. & multis alijs locis.

25. *Reges & principes.*] id eſt, dabo vobis reges ex familia Dauid, ſeruabóque pactum quod cum illo inij. Pſal. 131. 11. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et 2. Reg. 7. 12. *Cúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. In curribus & equis.* id eſt, pace, & rebus proſperis affluentes. Currus enim & equi deliciæ ſunt regum.

26. *Et venient.*] id eſt, ex omnibus partibus Iudæi venire poterunt in Ieruſalem ad ſacrificandum: florebit ciuitas Ieroſolymitana, & templum hominum frequentia.

27. *Succendam.*] per Chaldæos. *Et deuorabit domos.* ארמנות. *palatia.* ita vt nemo poſſit extinguere, donec abſumantur.

CAPVT

CAPVT XVIII.

VERBVM quod factum eſt ad Jeremiam à Domino, dicens, 2 *Surge
& deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea.* 3 *Et deſcendi in do-
mum figuli, & ecce, ipſe faciebat opus ſuper rotam.* 4 *Et diſſipatum eſt vas
quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis: conuerſuſque fecit illud vas alterum ſicut placuerat
in oculis eius vt faceret.* 5 *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens,* 6 *Num-
quid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſraël? ait Dominus, ecce, ſicut lu-
tum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſraël.* 7 *Repentè loquar aduerſum
gentem & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud.* 8 *Si pœ-
nitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego
pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei.* 9 *Et ſubitò loquar de gente
& de regno, vt ædificem & plantem illud.* 10 *Si fecerit malum in oculis meis, vt non
audiat vocem meam: pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum vt facerem ei.*
11 *Nunc ergo dic viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, dicens, Hæc dicit Dominus:
Ecce, ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem, reuertatur vnuſ-
quiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra.* 12 *Qui dixerunt,
Deſperauimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis
ſui mali faciemus.* 13 *Ideò hæc dicit Dominus, Interrogate gentes, Quis audiuit
talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël?* 14 *Numquid deficiet de petra agri
nix Libani? aut euelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?* 15 *Quia
oblitus eſt mei populus meus, fruſtra libantes, & impingentes in viis ſuis, in ſemitis ſæ-
culi, vt ambularent per eas in itinere non trito:* 16 *vt fieret terra eorum in deſola-
tionem, & in ſibilum ſempiternum: omnis qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & mo-
uebit caput ſuum.* 17 *Sicut ventus vrens diſpergam eos coram inimico, dorſum &
non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* 18 *Et dixerunt, Venite, & cogi-
temus contra Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex à ſacerdote, neque conſilium
à ſapiente, nec ſermo à Propheta. Venite, & percutiamus eum lingua, & non attenda-
mus ad vniuerſos ſermones eius.* 19 *Attende Domine ad me, & audi vocem ad-
uerſariorum meorum.* 20 *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt fo-
ueam animæ meæ? Recordare quòd ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum,
& auerterem indignationem tuam ab eis.* 21 *Propterea da filios eorum in famem,
& deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum abſque liberis, & viduæ, & viri ea-
rum interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio,* 22 *Audia-
tur clamor de domibus eorum, adduces enim ſuper eos latronem repentè: quia foderunt
foueam vt caperent me, & laqueos abſconderunt pedibus meis.* 23 *Tu autem Do-
mine ſcis omne conſilium eorum aduerſum me in mortem: ne propitieris iniquitati eo-
rum: & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conſpectu tuo, in
tempore furoris tui abutere eis.*

OSTENDIT Deus exemplo figuli vas, quod diſſipatum fuerat, refingentis, poſſe ſe Iudæos diſſipare, & captiuitate diſpergere, ac poſt in priſtinum ſtatum reſtituere.

Deſcendere, pro ire.

1. *Deſcende.*] Phraſis Hebraica, Deſcendere pro ire: qua ſæpe etiam Euangeliſtæ vſi ſunt. Ioan. 4. 49. *Domine deſcende priùs quàm moriatur filius meus. Et ibi audies.* אשמיעך *audire te faciam*, id eſt, docebo te verba mea, ſuggeram tibi, quæ debeas dicere: ita docet Deus aliquando Prophetas oſtenſo aliquo ſigno,

Digitized by Google

ſigno, vt ſuprà c.1.11.oſtenſa virga vigilante,& ver.13. oſtenſa olla bulliente.
4. *Sicut placuerat in oculis eius.*] ישר. ſicut rectum fuit in oculis eius, id eſt, vt bonum viſum.

6. *Sicut figulus iſte.*[(ſub. facit luto) ſic ego potero vobis facere. *Sicut lutum in manu figuli.* Sic Iſa. 45. 9. & ad Rom. 9. 20. Quibus locis hæretici ad tollendum liberum arbitrium abutuntur. Quos in libris contra Lutheranorum,& Caluinianorum errores copioſè refutauimus. Huic loco ſatis erit dicere. Non agi hîc de animo; ſed de corpore, de morte, & vita, de rebus aduerſis & proſperis, de captiuitate, & libertate. quaſi dicat, Ego poſſum mortificare, & viuificare, deducere ad inferos,& reducere. 1. Reg. 2. 6. *Non tollitur libertas arbitrij iſto & ſimilibus locis.*

7. *Repentè.*] id eſt, cùm illi minimè putant, cùm minimè expectant. *Loquar.* Hebraïſmus; pro, ſententiam feram, vt euellantur, & ſtatim fiet. Sept. *πέρας λαλήσω. ad extremum loquar*, aut ſummatim loquar, id eſt, vno verbo dicam, vt euellantur, & fiet. Sicut dixi, vt omnia fierent, & facta ſunt. Loquitur autem tantùm de Iudæis, vt quidam putant, ſed generaliter de omni gente ac regno, quamuis propter Iudæos. Per ipſum enim *reges regnant.* Prouerb. 8. 15. Et *dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud.* Dan. 4. 14.

8. *Si pœnitentiam.*] id eſt, ſi pœnituerit gentem illam, quæcumque fuerit, quam euellere conſtitueram, mali quod fecit, aut facere volebat. Rectè noſter interpres ſenſum ſpectauit, non verba. ו. enim Hebraice, pro, ſi, ponitur. *Agam & ego pœnitentiam*, id eſt, mutabo ſententiam, deſiſtam à propoſito, euellendi illam. ἀνθρωποπάθως, Deus dicitur pœnitentiam agere, id eſt, accommodate ad mores & affectus hominum. vt Gen. 6. 5. 7. *Pœnituit eum, quòd ſe hominem feciſſet in terra.*

9. *Et ſubitò.*] id eſt, ſimiliter, ſi poſtquam conſtituero gentem aliquam ædificare, id eſt, perditam, ac, ſicut vas illud, diſſipatam, in meliorem ſtatum reſtituere: fecerit malum, mutabo ſententiam, & non reſtituam illam. Sunt qui putent dictionem רגע. *repentè*, cum ſequenti verſu eſſe iungendam. quaſi dicat, ſi poſtquam conſtituero alicui genti male facere, pœnitentiam egerit, repente ſententiam mutabo, id eſt, ſtatim, nulla interpoſita mora. Idémque de altero membro dicendum eſt.

11. *Viro Iuda.*] ſingularis numerus pro plurali Hebræorum more, ad ſignificandam diſtributionem, id eſt, vnicuique. vel, ſingulis viris Iudæ. *Ecce ego fingo.* יוצר. vtitur fingendi verbo, vt ad figulum alludat, id eſt, comminiſcor contra vos mala. *Reuertatur*, id eſt, quamuis cogito vobis malè facere, tamen *reuertatur vnuſquiſque à via ſua mala*, & agam pœnitentiam à malo quod cogitaueram, vt facerem vobis: accõmodat enim ad Iudæos ſuperiorem ſentẽtiam.

12. *Deſperauimus.*] נואש. Deſperatum eſt, id eſt, obduratum eſt (cor noſtrum) vt ſuprà c. 15. 17. & 17. 18. Ac ſi dicat. Certum nobis eſt, & deliberatum non facere. Gallicè diceretur, *nous n'en ferons rien. Sed poſt cogitationes noſtras ibimus* id eſt, ſed vitæ rationes, quas ſuſcepimus, ſequemur; mala quæ animo concepimus, perficiemus. *Prauitatem cordis ſui.* שרירות. obſtinationem, duritiem, id eſt, feremus quocumque obſtinatum cor noſtrum inclinauerit. vt ſuprà cap. 3. 17. & 7. 24. & 9. 14. & 11. 8. & 13. 10. & 16. 12.

13. *Talia horribilia.*] כאלה ש דרית. Quis audiuit (vllam gentem feciſſe) rem æquè turpem, atque fecit virgo Iſraël.

14. *Numquid deficiet de petra agri.*] id eſt, de rupibus libani nix? Libanum enim vocat agrum, quaſi dicat, non deficiet. *Aut euelli poſſunt* id eſt, exhauriri,

ינתשו. *deſerentur*, id eſt, deficient. Intelligitur. Sic ego non deero iis, qui me colent, & tamen populus meus reliquit me fontem inexhauſtum aquæ viuæ, & fodit ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valeant aquas. vt ſuprà c.2.13. & 17.13. Hic mihi videtur verus eſſe ſenſus, vt & Hieronymo placet, idcirco alias interpretationes non pono. Sept. legerunt שדים pro שדי. verterunt enim, *μὴ ἐκλείψουσι ἀπὸ πέτρας μαστοί. num deficient à petra vbera?* id eſt, ſcaturigines, quaſi vbera ex petra manentes.

15. *Impingentes in viis ſuis in ſemitis ſaeculi.*] id eſt, quæ ſunt viæ antiquæ. quaſi dicat, aberrantes à viis antiquis patrum ſuorum, & incedentes per vias nouas, quæ nondum tritæ ſunt. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas*, Prouerb.2.13. Hebræi actiuè legunt ויכשלום. & impingere eos faciunt. (ſub. falſi Prophetæ) *Vt ambularent per eas.* (vias) נתיבות. *per ſemitas.* ſicut Sept. reddiderunt.

Vt, conſequẽtiam & euẽtum ſignificat

16. *Vt fieret.*] Vt, hoc loco non ſignificat cauſam; ſed conſequentiam & euentum. quaſi dicat, vnde conſecutum eſt vt terra ipſa deſolaretur. *Et in ſibilum.* H. שריקות. *in ſibilos.* id eſt, in contemptum. Solemus enim quos contemnimus exſibilare. vt 3.Reg.9.8. *Omnis qui tranſierit per eam ſtupebit, & ſibilabit.* & 2.Paral. 29.8. *Tradidítque eos in commotionem, & in interitum, & in ſibilum.* Vide infrà c.19.8. & 25.9.18. & 29.18. & 51.37. *Mouebit caput ſuum.* Mouere caput irridentis, & contemnentis eſt. Eſt enim eiuſdem ſententiæ repetitio. vt Pſal.21.8. *Deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.* & Iſai.37.22. *Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion, poſt te caput mouit filia Ieruſalem.*

17. *Sicut ventus vrens.*] קדים. orientalis, vt Chaldæus tranſtulit, id eſt, ſicut ventus orientalis, qui vehemens eſſe ſolet, paleas, & ſtipulas ſpargit, ita ego diſpergam vos, vel, vt Chaldæus intellexit, Sicut ventum orientalem diſpergam vos, id eſt, ſicut ſoleo ventum diſpergere. vt ſuprà c.13.24. *Et diſſeminabo eos quaſi ſtipulam, quæ vento raptatur in deſerto. Dorſum, & non faciem,* id eſt, aduerſus illis ero, non propitius.

18. *Cogitemus.*] id eſt, conſpiremus contra illum, paremus illi inſidias, ineamus aduerſus eum conſilium. *Non peribit lex.* quaſi dicat, non enim falſa eſſe poſſunt, quæ nobis ſacerdotes & Prophetæ prædicant, in quorum ore lex eſt; Mal.2.7. Dicebant enim illis ſacerdotes, & Prophetæ falſi, *Pax, pax, cùm non eſſet pax.* ſuprà c.4.10. & 6.14. & 8.11. Scilicet non meminerant, quod Deus illis per Iſaiam minatus fuerat, c. 29.14. *Ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo: Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentum eius abſcondetur.* Et poſtea dixit Ezech.c.7.26. *Quærent viſionem de Propheta, & lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus. Percutiamus eum lingua,* id eſt, calumniemur eum, deferamus eum ad iudicem, vt R. Dauid in com. & Ionath. in paraphraſi interpretantur. Alij, percutiamus eum in lingua (eius) id eſt, imponamus ei ſilentium.

20. *Nunquid redditur.*] id eſt, reddi ſolet. quaſi dicat, non. Quare ergo malum mihi pro bono reddunt. *Quia foderunt foueam animæ meæ,* id eſt, inſidias mihi poſuerunt, vt me perderent, cùm (vt tu recordaris) *ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum* id eſt, cùm te orauerim pro eis, vt bene eis faceres.

Pſal. 108. 4.5.

Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

21. *Da filios eorum.*] id eſt, dabis, imperatiuum pro futuro, vt non ſit deſiderium vindictæ; ſed prædictio pœnæ futuræ, qualem ſuprà etiam adnotauimus,

qualéſ-

qualéſque apud Dauidem frequenter occurrunt. Simile quiddam apud Oſee c. 9. 14. *Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia.* Eodémque modo intelligendum, quod ſequitur ver. 23. *Ne propitieris iniquitati eorum.* vt Pſal. 108. 13. 14. *Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini; & iniquitas matris eius non deleatur.*

23. *Abutere eis.*] עשׂה בהם. Intelligitur Hebraïcè particula ſimilitudinis. quaſi dicat, iuxta tempus iræ tuæ fac eis, id eſt, ſicut ſoles facere, eo tempore, quo es iratus.

CAPVT XIX.

HÆC dicit Dominus; Vade, & accipe lagunculam figuli teſteam à ſenioribus
populi, & à ſenioribus ſacerdotum. 2 *Et egredere ad vallem filij Hen-*
nom, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis: & prædicabis ibi verba, quæ ego
loquar ad te. 3 *Et dices, Audite verbum Domini reges Iuda, & habitatores Ieru-*
ſalem: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël, Ecce, ego inducam afflictionem
ſuper locum iſtum: ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius: 4 *Eo quòd*
dereliquerint me, & alienum fecerint locum iſtum: & libauerint in eo Dijs alienis, quos
neſcierunt ipſi & patres eorum, & reges Iuda: & repleuerunt locum iſtum ſanguine in-
nocentium. 5 *Et ædificauerunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igni in ho-*
locauſtum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum. 6 *Pro-*
pterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non vocabitur amplius locus iſte, Topheth, &
Vallis filij Hennom sed Vallis occiſionis. 7 *Et diſſipabo conſilium Iuda & Ieruſa-*
lem in loco iſto: & ſubuertam eos gladio in conſpectu inimicorum ſuorum, & in manu quæ-
rentium animas eorum: & dabo cadauera eorum eſcam volatilibus cœli, & beſtiis terræ.
8 *Et ponam ciuitatem hanc in ſtuporem, & in ſibilum: omnis qui præterierit per eam,*
obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper vniuerſa plaga eius. 9 *Et cibabo eos carnibus filiorum*
ſuorum, & carnibus filiarum ſuarum: & vnuſquiſque carnem amici ſui comedet in
obſidione & in anguſtia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt ani-
mas eorum. 10 *Et conteres lagunculam in oculis virorum qui ibunt tecum.* 11 *Et*
dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum, Sic conteram populum iſtum & ciuitatem
iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt vltrà inſtaurari: & in Topheth ſepelien-
tur, eo quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum. 12 *Sic faciam loco huic, ait Domi-*
nus, & habitatoribus eius: & ponam ciuitatem iſtam ſicut Topheth. 13 *Et erunt*
domus Ieruſalem & domus regum Iuda ſicut locus Topheth, immundæ: omnes domus, in
quarum domatibus ſacrificauerunt omni militiæ cæli, & libauerunt libamina Dijs alienis.
14 *Venit autem Ieremias de Topheth; quò miſerat eum Dominus ad prophetandum,*
& ſtetit in atrio domus Domini, & dixit ad omnem populum: 15 *Hæc dicit Domi-*
nus exercituum Deus Iſraël, Ecce ego inducam ſuper ciuitatem hanc, & ſuper omnes
vrbes eius vniuerſa mala, quæ locutus ſum aduerſus eam: quoniam indurauerunt cerui-
cem ſuam, vt non audirent ſermones meos.

LAGENÆ confractæ ſimilitudine demonſtrat Deus ſe populum Iudaïcum perditurum.

1. *A ſenioribus populi.*] vt illi in primis intelligant futuram populi perniciem. Ionathas & R. Dauid in com. intelligunt verbum *Duc.* Et duc tecum (aliquos) de ſenioribus populi, & de ſenioribus ſacerdotum. Poſſumus etiam intellige-

Digitized by Google

re δῶε ἀυτῷ. ſuperius verbum קנית *poſſide*, id eſt, aſciſce aliquos ex ſenioribus. Quam interpretationem confirmant verba quæ ſequuntur ver. 10. *Et conteres laguunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum.*

Quare dicatur porta fictilis

2. *Ad vallem filij Hennon.*] De hac valle vide quæ ſupra adnotauimus c. 7. 31. *Porta fictilis.* Sic appellabatur, vt ait R. Salomon, quia extra eam portam fragmenta vaſorum fictilium exportabantur, ſicut extra Romam erat mons teſtaceus. Alij putant vocatam fictilem, quòd iuxta eam figuli habitarent. Chaldæus portam ſterquilinij vocat. Alij חרסית. *portam Solis*, id eſt, orientalem, quia חרם. Solem ſignificat; ita dicit R. Dauid Hebræorum magiſtros interpretari.

3. *Tinniant aures eius.*] præ dolore, id eſt, perterrefiet, quemadmodum ſi vehementiſſimum tonitru audiuiſſet, vt 1. Reg. 3. 11. & 4. Reg. 21. 12.

4. *Et alienum fecerint.*] id eſt, profanauerint conſecrando illum idolis. in ea enim valle erat idolum, aut idoli templum, quod Topheth dicebatur, de quo ſuprà diximus c. 7. 31. *Sanguine innocentium.* Quia illic *immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis*, Pſalm. 105. 37. vt explicatur verſu ſequenti.

6. *Sed vallis occiſionis.*] Quia nimirum ibi Iudæi à Chaldæis occidentur, vide ſuprà c. 7. 32.

7. *Diſſipabo.*] auertam, irritum faciam, fruſtrabor; putabant enim ſe eo in loco auxilium ab idolis habituros; & eodem loco occidentur. Phraſis Hebræis vſitata. vt 2. Reg. 15. 34. & 17. 14. & Pſal. 32. 10. H. ובקותי euacuabo. Elegans paranomaſia inter verbum בקק euacuare, aut diſſipare, & inter nomen בקבוק. lagena.

8. *Super vniuerſa.*] H. על־כל סכותיה *ſuper omnibus plagis eius*, id eſt, videns tam multas eius ruinas, vide c. 18. 16.

9. *Carnibus filiorum ſuorum.*] vt Threnorum 2. 20. *Ergo ne comederunt mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram palmæ?* & c. 4. 10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.* Quod antè etiam acciderat Iudæis in obſidione Samariæ, 4. Reg. 6. 28. 29. & poſt etiam accidit in obſidione Ieroſolymitana, vt Ioſephus ſcribit lib. 7. c. 8. de bello Iud.

Impoſſibilia hominibus. Deo poſſibilia.

11. *Quod non poteſt vltra inſtaurari.*] Videtur hoc contrarium eſſe ſuperiori ſententiæ c. 18. 6. vbi dixit poſſe ſe populum perdere, & reſtaurare, ſicut figulus vas, quod diſſipatum fuerat, refinxit. Sed illic loquebatur de ſua potentia; hic de potentia humana. Sicut enim dicit Matt. 19. 26. & Mar. 10. 26. difficilius diuitem intrare in regnum cælorum, quàm camelum per foramen acus: ſed quod apud homines impoſſibile eſt, apud Deum poſſibile eſſe. Similis ſententia apud Iſaiam ca. 30. 14. *Et comminuetur* (Ieruſalem) *ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incēdio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* Hæc prophetia ex parte quidem in obſidione Chaldæorum, omnino autem in obſidione Titi & Veſpaſiani impleta eſt. illa enim huius figura erat, & quaſi initia dolorum. *Et in Topheth ſepelierunt.* vide c. 7. 32.

Topheth ager nõ habitatus.

12. *Sicut Topheth.*] id eſt, in ſepulturam occiſorum, ſicut erit Topheth; vel, inhabitabilem. Topheth enim ager erat non habitatus, vel faciam vt in ciuitate magna fiat hominum ſtrages, ſicut in Topheth. Quem ſenſum poſtremum videntur verba quæ ſequuntur confirmare. Erat enim immundus locus, in quo cadauera iacerent.

13. *In quarum domatibus.*] id eſt, tectis. vſus eſt interpres Græco verbo. Erant

tecta

Digitized by Google

tecta in Iudæa ſupernè complanata leuiter tantùm conuexa, quantum ſatis erat, vt pluuia deflueret, & lita cemento, qualia hodie in Bœthica, & in aliis calidis regionibus videmus. Itaque in tectis æſtiuo tempore cœnabant, & confabulabantur. Vnde illud quoque intelligetur, *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*, Matth. 10. 27. In tecta ergo ſolebant aſcendere, vt conſpecto inde cœlo ſtellas adorarent, vt apparet Soph. 1. 4. 5. *Et diſperdã de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditruorum cum ſacerdotibus, & eos, qui adorant ſuper tecta militiam cœli.*

CAPVT XX.

ET audiuit Phaſſur filius Emmer ſacerdos, qui conſtitutus erat princeps in domo
Domini, Ieremiam prophetantem ſermones iſtos. 2 *Et percuſſit Phaſſur*
Ieremiam Prophetam, & miſit eum in neruum, quod erat in porta Benjamin
ſuperiori, in domo Domini. 3 *Cùmque illuxiſſet in craſtinum, eduxit Phaſſur Iere-*
miam de neruo, & dixit ad eum Ieremias, Non Phaſſur vocauit Dominus, nomen
tuum; ſed Pauorem vndique. 4 *Quia hæc dicit Dominus, Ecce, ego dabo te*
in pauorem: te & omnes amicos tuos, & corruent gladio inimicorum ſuorum: & oculi
tui videbunt, & omnem Iudam dabo in manum regis Babylonis: & traducet eos in
Babylonem, & percutiet eos gladio. 5 *Et dabo vniuerſam ſubſtantiam ciuitatis*
huius, & omnem laborem eius, omnéque pretium, & cunctos theſauros regum Iuda dabo
in manu inimicorum eorum: & diripient eos, & tollent, & ducent in Babylonem. 6 *Tu*
autem Phaſſur, & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuitatem, & in Babylo-
nem venies, & ibi morieris: ibique ſepelieris tu, & omnes amici tui quibus propheta ſti
mendacium. 7 *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & inualui-*
ſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me. 8 *Quia iam olim loquor,*
vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in op-
probrium, & in deriſum tota die. 9 *Et dixi, Non recodabor eius, neque loquar vltrà*
in nomine illius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis:
& defeci, ferre non ſuſtinens. 10 *Audiui enim contumelias multorum, & terrorem*
in circuitu. Perſequimini, & perſequamur eum: ab omnibus viris qui erant pacifici mei,
& cuſtodientes latus meum: ſi quomodo decipiatur, & præualeamus aduerſus eum, &
conſequamur vltionem ex eo. 11 *Dominus autem mecum eſt quaſi bellator fortis,*
idcirco qui perſequuntur me cadent, & infirmi erunt: confundentur vehementer, quia
non intellexerunt opprobrium ſempiternum quod nunquam delebitur. 12 *Et tu Do-*
mine exercituum probator iuſti, qui vides renes & cor: videam quæſo vltionem tuam ex
eis: tibi enim reuelaui cauſam meam. 13 *Cantate Domino, laudate Dominum:*
quia liberauit animam pauperis de manu malorum. 14 *Maledicta dies in qua natus*
ſum: dies in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. 15 *Maledictus vir qui*
annuntiauit patri meo, dicens, Natus eſt tibi puer maſculus: & quaſi gaudio lætificauit
eum. 16 *Sit homo ille vt ſunt ciuitates, quas ſubuertit Dominus, & non pœnituit*
eum: audiat clamorem manè, & vlulatum in tempore meridiano: 17 *Qui non me*
interfecit à vulua vt fieret mihi mater mea ſepulchrum, & vulua eius conceptus æternus.
18 *Quare de vulua egreſſus ſum, vt viderem laborem & dolorem, & conſumerentur*
in confuſione dies mei?

CONIICITVR in carcerem Ieremias, ob ſuperiorem prophetiam, eámque magis ac magis confirmat.

Digitized by Google

1. *Phaſſur filius Emmer ſacerdos.*] Propterea ſacerdotem fuiſſe dixit, quia cap. 7 præcedente ver. 1. iuſſus fuerat Ieremias coram ſenioribus populi & ſacerdotum, futuram vrbis calamitatem pronuntiare. *Qui conſtitutus erat princeps in domo Domini*, id eſt, ſecundus à ſummo ſacerdote.

Quid ſit in neruum. 2. *Percuſſit.*] pugno, vt credibile eſt. *Et miſit eum in neruum.* על המהפכת. in carcerem, vt R. Dauid exponit, vel in cippum, vt alij volunt. R. Ioſeph Quimchi dicit fuiſſe inſtrumentum è duobus inter ſe compactis lignis compoſitum habens foramina, quibus collum & manus tenerentur, quale Pariſiis videmus ante fores cœnobij S. Germani. Sept. interpretantur, *καταῤῥάκτην*, Hiſpanicè, *mazmorra*; Gallicè, *en vn fond de foſſe*. *Quod erat in porta Benjamin*, id eſt, iuxta portam, vel, verſus portam. Nam ſi erat in templo, non poterat eſſe in porta Benjamin. In templo autem fuiſſe dicit, id eſt, intra templi ſepta. Nam & ſeptum templi & atrium exterius templum dicebatur. Quo ſenſu dicitur Chriſtus ementes & vendentes è templo eieciſſe, Ioan. 2. 14. Erat autem templum partim in Iuda, partim in Benjamin. itaque vna pars reſpiciebat portam Benjamin ſuperiorem, quia alia erat inferior. Eſtque veriſimile intra templi ſepta aliquem fuiſſe carcerem, in quem Sacerdotes, Leuitæ, & Prophetæ, qui rei eſſent, coniicerentur.

3. *Non Phaſſur.*] Phaſſur ſignificat oris nigrorem. מגור מסביב. magur meſabib, terrorem vndique. Quia daturus erat eum Dominus in pauorem cum omnibus amicis ſuis, vt dicitur verſu ſequenti. Sept. & vt ait Hieron. Theodotion *μέτοικον*, *transmigrantem*, quia migraturus erat Babylonem captiuus cum omnibus amicis ſuis, ver. 6. Symmachus, ablatum, ſiue congregatum. Aquilæ prima editio, circunſpicientem; ſecunda, peregrinum. Mutauit ergo Deus illi nomen in peius, ad ſignificandum malum, quod illi impendebat: Sicut Abraham, Geneſ. 17. 5. Iacob, Geneſ. 32. 28. Petro, Ioan. 1. 42. mutauit in melius.

Sup. c. 8. 11. 4. *Omnes amicos tuos.*] Veriſimile eſt Phaſſur vnum ex illis ſacerdotibus fuiſſe, qui populum ſeduxerant dicentes, *Pax, pax, cùm non eſſet pax*, propterea eius amicos, qui illi crediderant, cum eo pœnas luere. Vt Amos 7. 6. 17. Amaſias cum vxore & liberis punitur, quia non crediderat Amos verbum Dei annunriare. Id declaratur ver. 6. *Tu, & omnes amici tui, quibus prophetaſti mendacium.*

5. *Seduxiſti me Domine.*] Queritur Ieremias humano more de Deo dolore incitante, quòd ſe deceperit. Promiſerat enim illi Deus ſuprà c. 1. 8. fore, vt illi ſemper adeſſet & ex omnibus periculis liberaret. Quòd non videtur præſtitiſſe, cùm permiſerit eum à Phaſſur percuti, & in carcerem mitti, & toti populo riſui eſſe, non animaduertens fortaſſe præ dolore Deum non dixiſſe nihil eum paſſurum; ſed ſe eum liberaturum. Similis Ionæ querimonia, c. 4. 2. 3. *Fortior me fuiſti, & inualuiſti*, cùm ſcilicet tecum contenderem, ne mihi Prophetiæ munus imponeres. c. 1. 6.

8. *Vociferans iniquitatem.*] id eſt, iniquitatis pœnam illis denuntians; חמס. violentiam, oppreſſionem, quam illis Chaldæi illaturi ſunt: & cùm hoc totos dies clamem, tantùm abeſt, vt mihi credant, vt me potiùs derideant. Alij, *Vociferans iniquitatem, & vaſtitatem*, id eſt, mihi vim inferri, & vt Gallicè dici ſolet, *Ie crie au meurtre*. Non probo, quamuis Ionathas videatur ita intellexiſſe. Alij hunc verſum ſequenti coniungunt. quaſi dicat, Quandoquidem verbum Dei, quod annuntio, deridetur, decreui non facere mentionem de illo ampliùs. Minùs bene.

6. *Et dixi.*] id eſt, itaque decreui, aut, cogitaui apud me. *Non recordabor*

eius,

eius, id eſt, non facere ampliùs de illo mentionem. Non ſignificat deliberatum conſilium, quia peccatum eſſet, ſed humanum affectum, qualem Chriſtus declarabat, cùm dicebat, *Tranſeat à me calix iſte*, Matth. 26. 39. *Et factus eſt* (ſermo Domini) *in corde meo quaſi ignis exæſtuans*, id eſt, non potui, quemadmodum deliberaueram eum animo continere, ſed erupit,

Sermo Domini vt ignis.

----quis enim celauerit ignem

Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Ouid in Heroid.

Ignitum autem *eloquium tuum* (Domine) *vehementer*, Pſal. 118. 40. Itaque ſuprà dixit c. 5. 14. *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem* & Thren. 1. 13. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* Similis ſententia Amos 3. 8. *Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit*: ita quoque Ioſeph eloquium Domini inflammaſſe dicitur, Pſal. 104. 19.

10. *Audiui enim.*] vt Pſal. 30. 13. *Factus ſum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Reddit cauſam cur non potuerit ſe continere. *Perſequimini* (ſub. dicentium) *perſequimini, & perſequamur*, id eſt, perſequamur illum omnes ſimul. *Dicentes Deus dereliquit eum. Perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat*, Pſal. 70. 11. H. הגידו ונגידנו. quod alij interpretantur, Annuntiate, & annuntiemus illud, id eſt, renuntiate nobis verbum aliquod, quod contra ciuitatem, vel templum dixerit, vt renuntiemus illud regi, & occidat eum; vel, dicite contra illum falſum teſtimonium, vt ait R. Dauid & R. Salomon Sept. ἐπισυστῆτε, καὶ ἐπισυστῶμεν αὐτῷ. *Reſiſtite, & reſiſtamus illi. Ab omnibus viris* (ſub. audiui cõtumelias) *& cuſtodientes latus meum* id eſt, qui à latere meo non diſcedebant, qui mihi familiares erat. Vel, שמרי צלעי cuſtodiebant latus meum, id eſt, qui pacifici mihi eſſe debebant, obſeruabant me, & mihi inſidiabantur, vt Chaldæus interpretatur. Alij, obſeruant claudicationem meam, id eſt, ſi qua in re claudicem, & ſermone labar. Ita R. Dauid in lib. rad. & in com. vt caperent me in ſermone, vt poſtea Chriſto facturi erant, Matth. 22. 15. *Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem*, Pſal. 40. 10.

11. *Quaſi bellator fortis.*] vt mihi dixit c. 1. 19. *Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt.* Vel, ויהוה אותי כגבור עריץ. Et Dominus (ſub. נתן. dedit, poſuit) me quaſi fortem bellatorem, vt R. Dauid exponit. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*, Pſalm. 117. 6. Quia non intellexerunt opprobrium, quod illis imminet, quódque illis prænuntiaui, & credere noluerunt. H. כי לא השכילו. quod Ionathas, & R. Dauid ſic exponunt. Confundentur, quia non proſperabuntur, (id eſt, quia non videbunt vltionem, quam capere de me volunt) & operientur opprobrio ſempiterno. לא תשכח. quod numquam obliuione deleatur, vt inf. c. 23. 40.

12. *Et tu Domine probator iuſti.*] id eſt, iuſtitiæ, qui vniuſcuiuſque expendis merita. vide ſuprà c. 11. 20. & 17. 10.

13. *Cantate Domino.*] Epiphonema Prophetæ agentis Deo gratias, quòd animo vidiſſet ſe, & populum liberatum iri. Variè Propheta loquitur, ac diuerſos exprimit affectus, prout in varias partes animum vertit. Cùm enim auxiliũ Dei ſpectat, ita gratias agit de futura liberatione, vt ſi iam liberatus eſſet, vidẽs Deum quaſi bellatorem fortẽ, vt ſuprà dixit, opem ſibi ferentem. Cùm autem afflictionem ſuam, & ſuarum virium infirmitatem conſiderat, induit affectus hominis quodammodo deſperantis, & diei natali ſuo maledicit.

Quomodo Ieremias & Iob ortus ſui diei maledicunt.

14. *Maledicta dies.*] Quomodo Ieremias hoc loco, & Iob cap. 3. 2. diei ortus ſui maledicant, quæri ſolet. Alij ad peccatorum originale maledictione referunt

rũt;alij non Ieremiæ,ſed aduerſariorum eius verba eſſe putant.Ego ſimpliciter interpretor,non ipſos ex ſe maledicere, ſed maledictam vocare, quia alij illi diei tanquam infortunato,& multorum malorum initio maledicturi eſſent.

16. *Et non pœnituit eum.*]id eſt,non mutauit ſententiam, non reædificauit eas. quod vno verbo,quas ſubuertit Dominus in æternum.Sicut è contrario dicuntur *ſine pœnitentia* eſſe *dona Dei* quia non dat ea, vt poſtea auferat, ad Rom. 11. 29. *Audiat clamorem manè*, id eſt, verſetur in perpetuo periculo,terrore, ac luctu,ſicut illi,qui ab hoſtibus obſeſſi ſunt,qui toto die clamores,& luctus in vrbe audiunt.

17. *Qui.*] אשׁ. quippe qui non,aut,quia *non me interfecit à vulua*, id eſt,ſimulátque ex vulua exij,aut in vulua ipſa. *Et vulua eius conceptus æternus*, id eſt, ſemper me in vtero geſtaſſet, numquam in lucem edidiſſet, ne tot tantáque mala viderem,vt continuò explicat.

18. *Et conſumerentur in confuſione dies mei.*] id eſt, vt ignominioſè vitam finirem.Simile eſt illud Iob.10.18. *Quare de vulua eduxiſti me.*& 1. Machab.2.7.

CAPVT XXI.

*VERBVM quod factum eſt ad Ieremiam à Domino,quando miſit ad eum Rex
Sedecias Phaſſur filium Melchiæ,& Sophoniam filium Maaſiæ ſacerdotem, di-
cens,* 2 *Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonaſor rex Babylo-
nis præliatur aduerſum nos:ſi fortè faciat Dominus nobiſcum ſecundum omnia mirabilia
ſua, & recedat à nobis.* 3 *Et dixit Ieremias ad eos:Sic dicetis Sedeciæ:* 4 *Hæc
dicit Dominus Deus Iſraël,Ecce ego conuertam vaſa belli quæ in manibus veſtris ſunt;&
quibus vos pugnatis aduerſum regem Babylonis & Chaldæos qui obſident vos in circuitu
murorum:& congregabo ea in medio ciuitatis huius.* 5 *Et debellabo vos in manu ex-
tenta,& in brachio forti,& in furore,& in indignatione,& in ira grandi.* 6 *Et per-
cutiam habitatores ciuitatis huius: homines & beſtiæ peſtilentia magna morientur.*
7 *Et poſt hoc, ait Dominus,dabo Sedeciam regem Iuda, & ſeruos eius & populum
eius.& qui derelicti ſunt in ciuitate hac à peſte,& gladio,& fame,in manu Nabuchodo-
noſor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animam
eorum: & percutiet eos in ore gladij: & non flectetur, neque parcet, nec miſerebitur.*
8 *Et ad populum hunc dices, Hæc dicit Dominus, Ecce ego do coram vobis viam vitæ,
& viam mortis.* 9 *Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio, & fame, & peſte:
qui autem egreſſus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obſident vos, viuet, & erit ei
anima ſua quaſi ſpolium.* 10 *Poſui enim faciem meam ſuper ciuitatem hanc in ma-
lum,& nõ in bonum ait Dominus:in manu regis Babylonis dabitur,& exuret eam igni.*
11 *Et domui regis Iuda, Audite verbum Domini.* 12 *Domus Dauid,hæc dicit
Dominus,Iudicate manè iudicium,& eruite vi oppreſſum de manu calumniantis:ne for-
tè egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat propter
malitiam ſtudiorum veſtrorum.* 13 *Ecce ego ad te habitatricem vallis ſolidæ atque
campeſtris,ait Dominus: qui dicitis,quis percutiet nos?& quis ingredietur domos noſtras?*
14 *Et viſitabo ſuper vos iuxta fructum ſtudiorum veſtrorum dicit Dominus:& ſuccen-
dam ignem in ſaltu eius:& deuorabit omnia in circuitu eius.*

ADVENTANTIBVS iam Chaldæis mittit Sedecias rex ad Ieremiam nuntios,rogans vt pro ſe Dominum conſulat,atque oret,vt reuertantur: Ieremias

Ieremias autem confirmat omnia, quæ contra populum ſuprà vaticinatus erat.
1. *Quando miſit.*] Adnotauimus in commentarijs in Iſaiam ſingula propè capita Prophetarum, ſingulas eſſe prophetias, & ſingulos quodammodo libros diuerſo editos tempore, diuerſóſque titulos habentes, neque continuationem, neque ſeriem temporum ſeruare, qui poſteà fuerint ab aliquo in vnum volumen collecti: Quod hoc loco eſt in memoriam reuocandum, quia prophetia huius capitis multis annis poſt omnes præcedentes, edita eſt. Illæ enim fuerunt multò ante aduentum Chaldæorum, hæc illis iam aduentantibus. Neque ordo temporis ſeruatur, ſequentibus enim capitibus nonnulla dicuntur, quæ antequam Sedecias regnaret, acciderunt. *Phaſſur.* Non ille, qui capite præcedenti ver. 2. percuſſit Ieremiam, vt Hieron. obſeruauit. Ille enim Emmer, hic Melchiæ filius appellatur.

Singula capita Prophetarū ſingula penè prophetia diuerſo edita tempore.

2. *Præliatur.*] id eſt, bellum nobis parat, nondum enim fortaſſe venerat, aut ſi venerat, nondum fortaſſe Ieruſalem obſidebat; ſed vicinas capiebat vrbes. Eſt autem hæc impletio prophetiæ cap. 15. 19. vbi Deus Ieremiæ promiſerat fore, vt eum inimici rogarent. *Secundùm omnia mirabilia ſua*, quæ ſolet facere contra hoſtes ad liberandum populum ſuum, Vt contra Pharaonem Exod. 14. Et contra Sennacherib 4. Reg. 19. Cùm hoc dicit Sedecias, tacitè fatetur ſe non poſſe, niſi miraculo ab hoſtibus liberari.
4. *Conuertam.*] ad hoſtes, id eſt, tradam hoſtibus veſtris, vt contra vos pugnent; vel meliùs, vt alij interpretantur, conuertam contra te,

In ſua victricem conuertam viſcera dextram.

Ex Lucano li. 1.

Vaſa belli, id eſt, arma tua. *Et congregabo ea in medio ciuitatis huius*, id eſt, omnia ſimul conuertam in viſcera ipſius ciuitatis, vt Ionathas, & R. Salomon videntur interpretari. אותם. ambiguum eſt Hebraicè; poteſt enim referri vel ad vaſa; vt noſter interpres, Ionathas, & R. Salomon retulerunt, vel ad Chaldæos, vt referunt Sept. & R. Dauid. Si autem ad Chaldæos referatur, ſenſus erit. fore, vt Deus Chaldæos congreget, id eſt, eorum exercitum congregatum in medium ciuitatis introducat.
5. *Et debellabo.*] Pugnans pro Chaldæis contra vos. *In manu extenta*, id eſt, fortiter. idem enim eſt, *in manu extenta*, & *in manu robuſta*, vt infrà cap. 32. 21.
6. *Peſtilentia magna.*] Hæc ſunt arma quibus Deus fortiter ſe contra eos pugnaturum dicit.
9. *Qui habitauerit in vrbe hac, morietur.*] Declarat, quæ ſit via mortis, & vitæ. Manere enim in vrbe, eſt via mortis; confugere autem ad hoſtes, eſt via vitæ. quaſi dicat, tam malè cum iis agetur, vt nemo poſſit mortem aliter quàm captiuitate vitare. *Et erit ei anima ſua quaſi ſpolium*, id eſt, pro magno ducet, quòd vitam ſuam ſeruauerit. Nam quæ ab hoſtibus vi rapimus ſpolia, in magno habemus. Sic illud intelligitur. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, id eſt, non magni fecit. ad Philip. 2. 6. idem Hebraiſmus infrà c. 38. 2. & 39. 18. & 45. 5.
10. *Poſui faciem meam.*] Hebræis, ponere faciem, eſt aſpicere: ponere faciem in bonum, eſt ſereno, ac placido vultu intueri; ponere faciem in malum, eſt toruo vultu aſpicere, more hominis maleficere volentis. Gallicè, *Regarder des gros yeux.* Poteſt enim ſignificare ponere faciem, ſtatuere, deliberare, obfirmare animum ad aliquid agendū. Quem ſenſum Septuag. reddiderunt. ἐςήριστα τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ πόλιν ταύτην, *obfirmaui faciem meam.* vt Leuitic. 17. 10. *Obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.* Quod enim hoc loco dicit, obfirmare faciem, cap. 10. 3. dicit ponere faciem. *Ego ponam faciem*

Ponere faciem ſuam quid ſit Hebrais.

ciem meam contra illum, ſuccidámque eum de medio populi ſui. Itémque ver. 5. & 6. & infrà cap. 44. 11.

11. *Et domui.*] (ſub. dices) ſicut dixit ver. 20. *ad populum hunc dices.*

12. *Domus Dauid*] domus regis, & domus Dauid eadem eſt: rex enim ex familia Dauid erat. Propterea autem Dauidis mentionem fecit, vt ait R. Dauid, quia ad faciendum iudicium exhortari volebat, cuius rei præclariſſimum exemplum Dauid præbuerat. 1. Reg. 8. 15. *Faciebat quoque Dauid iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo.* quaſi dicat, Si filij Dauidis eſtis, opera Dauidis facite. *Iudicate manè.* Sicut Moyſes faciebat. Exod. 18. 13. *Altera die ſedit Moyſes, vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à manè vſque ad veſperam.* Ita R. Dauid. Alij, *Manè*, id eſt, ſobriè, ante prandium, antequam ebrij ſitis. Alij, *Manè*, id eſt, diligenter, quod enim diligenter facimus, manè facimus. vt Pſal. 5. 4. *Manè exaudies vocem meam.* & verſu 5. *Manè aſtabo, tibi & videbo.* Alij, *Manè*, id eſt, citò, non differentes iudicium, vt Sopho. 3. 5. *Dominus iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem: manè, manè iudicium ſuum dabit.* Oſtendit autem Deus hoc loco maximè miſericordiam ſuam, cùm eos, etiam, quos iam delere conſtituerat, & contra quos faciem obfirmauerat, vt dixerat ver. 10. ad pœnitentiam exhortatur, quaſi cupiens etiam ipſe agere pœnitentiam à malo quod cogitauerat, vt faceret eis, vt dixi cap. 18. 8.

13. *Ecce ego ad te.*] id eſt, contra te, ſub. præliabor aut bellabo. vt dixit ſuprà ver. 5. *Habitatricem vallis ſolidæ.* צור. vallis petræ, id eſt rupis. Erat enim Ieruſalem ſuprà rupem montis Sion poſita, cincta autem alijs maioribus montibus, vt ſimul rupes & vallis eſſet. propterea vocat vallem rupis, & campeſtrem, id eſt, planam, quia ad radicē montis planities erat. Qui locus naturâ muniſſimus erat. quaſi dicat, ne confidas loco naturâ munito: ego enim ſum, qui contra te pugno, qui mihi facilè aditum patefaciam, & vt poeta quidam dixit,

----*Eſt cælo, qui pandat iter.*

Quis percutiet nos. Alij. יחת. quis aſcendet ad nos, vt alludat ad arduam rupem. Sept. המישור. putarunt nomen eſſe proprium.

14. *Viſitabo.*] id eſt, reddam vobis ſecundùm opera veſtra. aut fructum eorum quæ ſeminaſtis. *Nam quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* ad Gal. 6. 8. *In ſaltu eius.*] id eſt, in ſylua. Syluam autem per metaphoram vocat ipſam domorum frequentiam & denſitatem. Alij, putant alludere ad domum Saltus Libani, quam Salomon ædificauit. 3. Reg. 7. 2. R. Dauid, & Ionathas putant Saltum vocari circumuicinas vrbes, quæ quaſi ſyluæ cingebant Ieruſalem, quē ſenſum confirmant verba, quæ ſequuntur. *Et deuorabit omnia in circuitu eius.*

Syluam vocat metaphorice ipſam domorum frequentiam & denſitatem.

CAPVT XXII.

HÆC dicit Dominus: Deſcende in Domum regis Iuda, & loquêris ibi ver-
bum hoc, 2 *Et dices, Audi verbum Domini Rex Iuda, qui ſedes ſuper*
ſolium Dauid tu & ſerui tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas iſtas.
3 *Hæc dicit Dominus. Facite iudicium & iuſtitiā: & liberate vi oppreſſum de manu*
calumniatoris: & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque opprima-
tis iniquè, & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto. 4 *Si enim facientes,*
feceritis verbum iſtud: ingredientur per portas domus huius reges ſedentes de genere Da-
uid

nid ſuper thronum eius, & aſcendentes ſuper currus & equos, ipſi & ſerui & populus eo-
rum. 5 *Quod ſi non audieritis verba hæc: in memetipſo iuraui, dicit Dominus: quia*
in ſolitudinem erit domus hæc. 6 *Quia hæc dicit Dominus ſuper domum regis Iuda,*
Galaad tu mihi caput Libani, ſi non poſuero te ſolitudinem vrbes inhabitabiles. 7 *Et*
ſanctificabo ſuper te interficientem virum & arma eius: & ſuccident electas cedros tuas &
præcipitabunt in ignem. 8 *Et pertranſibunt gentes multæ per ciuitatem hanc: & dicet*
vnuſquiſque proximo ſuo: Quare fecit Dominus ſic ciuitati huic grandi? 9 *Et reſpon-*
debunt, Eo quod dereliquerint pactum Domini Dei ſui, & adorauerint Deos alienos, &
ſeruierint eis. 10 *Nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu: plangite eum,*
qui ingreditur: quia non reuertetur vltrà, nec videbit terram natiuitatis ſuæ. 11 *Quia*
hæc dicit Dominus ad Sellum filium Ioſiæ regem Iuda, qui regnauit pro Ioſia patre ſuo, qui
egreſſus eſt de loco iſto. Non reuertatur huc ampliùs. 12 *Sed in loco ad quem tranſtuli*
eum, ibi morietur, & non videbit terram iſtam ampliùs. 13 *Væ qui ædificat do-*
mum ſuam in iniuſtitia, & cœnacula non in iudicio amicum ſuum opprimet fruſtrà, &
mercedem eius non reddet ei. 14 *Qui dicit, Ædificabo mihi domum latam, & cœnacu-*
la ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras:, & facit laquearia cedrina, pingitq́ ſinopide. 15 *Nũ-*
quid regnabis quoniã confers te cedro? pater tuus numquid nõ comedit & bibit, & fecit iu-
dicium & iuſtitiam tunc cùm bene erat ei? 16 *Iudicauit cauſam pauperis & egeni in bo-*
num ſuum, numquid non ideò quia cognouit me dicit Dominus? 17 *Tui verò oculi & cor*
ad auaritiam, & ad ſanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad curſum
mali operis. 18 *Propterea hæc dicit Dominus ad Ioacim filium Ioſiæ regem Iuda, Non*
plangent eum, Væ frater, & væ ſoror: non concrepabunt ei, Væ Domine & væ inclyte.
19 *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalẽ.* 20 *Aſcẽde*
Libanũ, & clama: & in Baſan da vocem tuam, & clama ad tranſeuntes, quia contriti ſũt
mnes amatores tui. 21 *Locutus ſum ad te in abundãtia tua: dixiſti, Non audiam. hæc*
ʔ via tua ab adoleſcentia tua, quia non audiſti vocem meam. 22 *Omnes paſtores tuos*
ſcet ventus, & amatores tui in captiuitatem ibunt: & tunc confunderis, & erubeſces ab
nni malitia tua. 23 *Quæ ſedes in Libano, & nidificas in cedris, quomodo congemuiſti,*
m veniſſent tibi dolores, quaſi dolores parturientis? 24 *Viuo ego, dicit Dominus: quia ſi*
rit Iechonias filius Ioacim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eũ.
Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas fa-
n, & in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis, & in manu Chaldæorũ. 26 *Et mit-*
t te & matrem tuam, quæ genuit te in terram alienam: in qua nati non eſtis, ibiq́ morie-
i: 27 *& in terram, ad quam ipſi leuant animam ſuam, vt reuertantur illuc: non re-*
entur. 28 *Numquid vas fictile atq́ contritum vir iſte Iechonias? numquid vas abſ-*
omni voluptate? quare abiecti ſunt ipſe & ſemen eius, & proiecti in terram, quam igno-
runt? 29 *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.* 30 *Hæc dicit Domi-*
ſcribe, virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim
le ſemine eius vir qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltrà in

[ITTITVR Ieremias à Deo ad Sedeciam vt doceat eum, qua ratione
impendentem calamitatem poſſit effugere. Minatur eius domui & tem-
Ioacim fratri Sedeciæ, & Ioachim filio, non ſeruato ordine temporis.
eſcende.] Notus Hebraiſmus. Deſcendere, pro, ire, Non enim deſcendere
bat vt in Regis domum iret, cùm in monte Sion eſſet.
er portas iſtas.] Portas ciuitatis intelligit, quas veluti digito demonſtrat,
à cap. 17. 19. vel portas domus regiæ, vt explicatur infrà ver. 4.

Digitized by Google

3. *In loco iſto.*] id eſt, in domo regia, vbi cauſæ agebantur.

4. *De genere Dauid.*] vide quæ adnotauimus, cap. 17. 25. Hebraïcè non legitur, de genere Dauid: ſed לדוד על־כסאו ישבים. *Sedentes Dauidi ſuper ſolium.* ad verbum, id eſt, Dauidi in ſolium ſuccedentes.

5. *In memetipſo.*] id eſt, per meam vitam, dicens. Viuo ego. quaſi dicat, ſi non fecero, quod dico, ne habear pro Deo vero, ac viuenti; *Iuraui*, Iuro. præteritum H. pro præſenti.

6. *Galaad tu mihi caput.*] Erat Galaad regio, cuius præcipua ciuitas Galaad etiam eodem nomine vocabatur. Aliqui ergo ſic interpretantur, Sicut Galaad caput erat regionis Galaad, ita tu Ieruſalem caput mihi es Libani, id eſt, Iudææ, vt per Libanum ſynechdochicῶς tota Iudæa intelligatur. Eodem ferè modo R. Dauid, Hieron. Ionathas, & R. Salomon putant templum hoc loco per metaphoram caput Libani vocari. quia mons Libani ex regione Galaad initium ſumebat; itaque caput Libani dicebatur. Templum autem propter ſimilitudinem, quia in edito loco erat. Quæ interpretatio multò melior eſt, quàm altera. Sed videtur etiam mihi per Galaad poſſe metaphoricè Regiam domum intelligi, quã Salomon ædificauerat, & domus ſaltus Libani dicebatur, 3. Reg. 7. 2. & 10. 17. 21. quæ excelſa, & magnifica erat, ideóque caput Libani vocatur, ſicut altera Galaad. Loquitur enim Propheta contra domũ Regis, quam dicit, quamuis excelſa, & magnifica ſit, in ſolitudinem redigendam. Sicut Chriſtus loquitur de Capharnaum. Luc. 10. 15. *Et tu Capharnaum vſque in cælum exaltata, vſque in Infernum demergeris.* Poteſt etiam tota ciuitas intelligi, quia edito loco erat. *Si non poſuero*, Apoſiopeſis Hebræis vſitata. Intelligitur enim. Nolo Deus haberi, aut aliquid huiuſmodi. Sic autem loquuntur quoties præceſſit verbum iurandi. vt, *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Pſal. 94. 11. Hic autem præceſſit iuſiurandum, ver. 5. quò hæc verba referri debent. *Vrbes inhabitabiles*, Hebraiſmus, pro, ſicut vrbes inhabitabiles.

Sanctificare quid ſit.

7. *Et ſanctificabo.*] id eſt, mea auctoritate confirmabo interficientem virum. משחיתים. interfectores virorum, Chaldæos. Sæpè diximus ſanctificare apud Hebræos aliquando non ſignificare, Sanctum facere, ſed publica auctoritate ſancire, *vt, Sanctificate bellum*, Ioel 3. 9. *Sanctificate ieiunium*, Ioel 1. 14. & 2. 15. Eodem modo dicitur infrà cap. 51. 27. 28. *Sanctificate contra eam gentes*, id eſt, facite vt gentes bellum illi inferant. Significat enim verbum Hebraicum, Præparare. Sicut nonnulli vertunt. Sept. ἐπάξω, *inducam.* rectè. *Et arma eius.* Sanctificabo, vel, præparabo. H. ſenſus eſt Inducam perditores (vt ita dicam) viri, & armorum eius, id eſt, qui virum quantumuis armatum occidunt. *Et ſuccident electas cedros.* Cedros vocat magnificas & excelſas domos ciuitatis, ſi ciuitatem priùs caput Libani vocauit, vel, principes qui in familia regis ibant. Si priùs caput Libani appellauit domum Regis. Quos dicit in ignem conijciendos, id eſt, ita delendos, quemadmodum ſi igni conſumpti fuiſſent.

10. *Nolite flere mortuum.*] id eſt, flete potiùs eos, qui captiui ducentur, quàm eos qui occidentur; quia fæliciores erunt mortui, quàm captiui, Sicut Salomon dicit in Eccleſiaſtic. 4. 2. 3. *Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus eſt, nec vult mala quæ ſub ſole fiunt.*

Quis fuerit Sellum.

11. *Ad Sellum.*] Quis fuerit iſte Sellum magna eſt interpretum diſſenſio, Hebræi vt Hieronymus tradit, omnes filios Ioſiæ regis, Ioachaz Ieconiam, & Sedeciam Sellum vocari exiſtimant, quod nomen conſummationem ſignifi-

gnificat, quia regnum Iuda in ipſis conſummatum eſt. Ipſe verò Hieronymus Sedeciam ſic appellatum dicit; quod non video quomodo conueniat. Nam lib. 1. Paralip. cap. 3. 15. quatuor Ioſiæ filij numerantur, quorum tertius Sedecias, quartus Sellum nominatur. Alij exiſtimant iſtum Sellum, de quo hoc loco agitur; filium fuiſſe Sedeciæ, vocari autem Ioſiæ filium, id eſt, nepotem. Sed quomodo diceretur regnaſſe pro patre ſuo, cùm legamus 4. libro Regum cap. 25. 7. Omnes filios Sedeciæ viuente adhuc patre trucidatos? Malim dicere eſſe hunc Sellum quartum Ioſiæ filium, & Sedeciæ fratrem, cui verò ſimile eſt Nabuchodonoſorem regem mortuo in captiuitate Sedecia regis Iuda, titulum dediſſe, ſicut antè dederat Sedeciæ; ſed propterea non eſſe in ſerie Regum Iudà numeratum, quod numquam in Iuda regnauerit; ſed in perpetua captiuitate vitam traxerit, ſolùm nomen regis habens. Quem idcirco dicit Propheta numquam in Iudæam rediturum, ſed in captiuitate moriturum eſſe.

13 *In iniuſtitia.*] id eſt, iniuſtè, ex pecunia malè parta, ſicut plerumque Reges ex iniquis vectigalibus, & fœneratores ex vſuris ædificare ſolent. Ita Eccleſ. 21. 9. *Qui ædificat domum ſuam impendijs alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme.* Et Habacuc 2. 9. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.* & ver. 12. *Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.* Hæc autem alij de Ioachaz primo Ioſiæ filio, alij de Ioacim filio ſecundo dici putant, quem vtrumque flagitioſè vixiſſe legimus 4. Reg. cap. 23. & 24. Non enim ſeruat Propheta, vt ſuprà monuimus, ordinem temporum. *Amicum ſuum*, ברעהו. proximum ſuum; *Opprimet.* יעבד. ſeruire ſibi faciet gratis, id eſt, non ſoluta mercede. Ad verbum, In proximo ſuo operabitur gratis, id eſt, opera proximi ſui gratis vtetur. Septuag. ἐὰρ δυλῶ ὁ πλήσιον ἐργαται δωρεὰν. eodem ſenſu. Erat præceptum Dei Leuit. 19. 3. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque manè.*

4. *Qui dicit.*] Hunc verſum noſter interpres non reddidit ad verbum, ſed ſenſum non potuit meliùs exprimere. *Domum latam*, מדות. *menſurarum*, id eſt, [...]tam. *Et cœnacula ſpatioſa.* מרווחים. ſpatioſa, vel, perflabilia, vento expoſita, ad [ha]bitandum æſtiuo tempore. *pingitque ſinopide*, id eſt, rubrica, quæ apud Sinopem optima eſt, vt aut Strabo lib. 12. vel, minio, vt dicit R. Dauid. Cap. 21. initio.

Numquid regnabis.] id eſt, num ſuperbia tua, qua te cum altiſſimis cedris [co]mparas, regnate te faciet? quaſi dicat, non. Solent enim ſuperbi cedris com[p]ari, vt Pſal. 36. 35. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani.* כי מתחרה בארז. *quia miſces te cum cedro*, id eſt, ædificas palatia cedrina. [Qu]aſi dicat, putáſne fore, vt palatia cedrina faciant te diu regnare? Sept. vi[den]tur legiſſe, אחז. μὴ βασιλεύσεις, ὅτι σὺ παροξαύνῃς ἐν ἀχαζ τῷ πατρὶ σου. *Pater tuus.* [Io]ſias qui benè vixit. 4. Reg. 22. & 23. *Comedit, & bibit*, Hebraiſmus, pro, diu [vixit], & pacificè regnauit, nihílque illi defuit. *Et fecit iudicium*, id eſt, Benè ei [fuit], quia iudicium & iuſtitiam fecit.

In bonum ſuum.] id eſt, propterea bene illi fuit. H. אז טוב. *tunc bonum*, id [eſt, c]ùm iudicaret cauſam pauperis, benè illi erat. *Quia nouit me*, id eſt, coluit, [ſu]prà cap. 9. 24. *In hoc glorietur qui gloriatur ſcire, & noſſe me.*

Ad curſum mali operis.] id eſt, vt curras ad malefaciendum. quaſi dicat ve[lo]ces erant pedes tui ad effundendum ſanguinem. Pſal. 13. 3. H. על המרוצה. [Qu]od alij vertunt: Ad contritionem, id eſt, ad conterendos pauperes: Alij ad [cupi]ditatem voluntatem animi tui, quaſi eſſet רעות. vt Ionata. Sept. εἰς ἀδικήμα-[...] [O]ptimè omnium noſter interpres.

18. *Væ frater & væ ſoror.*] id eſt, planctu, quo dici ſolet, *va frater, & va ſoror.* Neque planctu quo dici ſolet, *Væ Domine & væ inclyte*, quorum priori domeſtici, poſteriori externi vtebantur. quaſi dicat, non plangent eum domeſtici, neque externi.

19. *Sepultura aſini ſepelietur.*] id eſt, non ſepelietur, ſed proiicietur extrà vrbem in ſterquilinium, vt à canibus & auibus deuoretur ſicut aſini mortui. *Putrefactus.* סחובה השלך. ad verbum, *trahendo, & proiiciendo*, id eſt, raptatus & proiectus. quod non legimus accidiſſe Ioacim, ſed colligimus, quia, vt ait Hieron. eius ſepultura in ſcriptura non narratur, cùm ſcripturæ conſuetudo ſit de Regum morte, & ſepultura, mentionem facere.

20. *Aſcende.*] O ciuitas. Eſt enim verbum Hebraicum fœminini generis, *Et clama*, implorans auxilium. quaſi dicat ironicè, clama quantum voles ex altiſſimis montibus; nemo erit qui tibi auxilium ferat. *In Baſan.* Baſan regio erat Og regis initium montis Libani. Itaque repetitio eſt eiuſdem ſententiæ. *Ad tranſeuntes*, vt tibi opem ferant מעברים. alij vertunt ex lateribus, id eſt, vndiq; Sept. videtur duas dictiones feciſſe. מעבר ים. à tranſitu maris verterunt enim, εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης. *Quia contriti ſunt omnes amatores tui*, id eſt, dij tui lignei, & lapidei, à quibus auxilium petere ſolebas: vel, Ægyptij, ad quos olim confugiebas, ſuprà cap. 2. 18. 36. & Iſai. 31. 1. 3.

Baſan regio erat in tribu Manaſſe.

21. *In abundantia tua.*] id eſt, cùm rebus proſperis vtereris. vt loquitur Dauid. Pſal. 29. 7. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Hæc eſt via tua.* id eſt, hæc fuit ſemper tua conſuetudo, vt non audires vocem meam. *Ab adoleſcentia tua*, id eſt, ex quo eduxi te ex Ægypto, cùm te mihi in ſponſam accepi. Eam enim vocare ſolet Synagogæ adoleſcentiam, vt ſuprà cap. 2. 2. & Iſai. 47. 12. 15.

22. *Omnes paſtores tuos.*] id eſt, principes, falſos Prophetas, & ſacerdotes, qui te vana Ægyptiorum confidentia decipiebant. *Paſcet ventus*, id eſt, in ventum diſpergentur, euaneſcent, ac delebuntur, vt Ionathas interpretatur, vel, captiui diſpergentur in diuerſa loca, vel, ſpes quam in Ægyptijs poſuerant, eos fallet, vt Prouerb. 10. 4. *Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos.*

24. *Quæ ſedes in Libano.*] Sedere in Libano, eſt ſuperbum eſſe, & ſecurè agere, quemadmodum ſi in altiſſimo monte habitaret: Idémque ſignificat, In cedris nidificare, ſumpta ex auibus metaphora, quæ tutæ ſibi videntur eſſe, cùm in altiſſimis arboribus nidum ponunt, vt infrà cap. 49. 16. *Cùm exultaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te.* & Abdiæ ver. 3. & 4. *Superbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Quomodo congemuiſti.* Nunc legimus. נחנתי. gratioſa fuiſti, vt Hebræi interpretantur. Septuag. & noſter interpres videntur legiſſe. נאנחת. tranſpoſitis litteris & præterito loco futuri, vt Sept. reddiderunt. καταστενάξεις ἐν τῷ ἐλθεῖν σοι ὠδῖνας ὡς τικτούσης. *ingemiſces, cùm venerint tibi dolores, quaſi parturientis?* Senſus eſt multò melior, quàm quem Hebraïzantes eliciunt.

Melior lectio Septuag.

24. *Iechonias.*] Qui alio nomine Ioacim, etiã vocabatur filius Ioacim, qui cum matre ſua, & liberis, ac principibus Babylonem captiuus ductus eſt. 4. Regum 24. de quo ſuprà Propheta dixit. Vocat autem enim hoc loco קניהו. dempta prima litera per contemptum, *Annulus*, annulus in ſignum amoris dari ſolet, réſque nobis eſt coniunctiſſima, & maximè cara: Non erat huiuſmodi Ioachin,

chin, ſed ſi eſſet, dicit ſe eum propter illius peccata abiecturum. Heb. perſona mutatur.

27. *Ad quam ipſi leuant animam ſuam.*] id eſt, in quam ſe reuerſuros ſperant, aut, In quam reuerti cupiunt. Hebraiſmus cuiuſmodi etiam eſt infrà cap. 44. 14. ſicut Latini dicunt animum in expectationem erigere. Intelligit autem terram Iudæ.

28. *Numquid vas fictile.*] העצב נבזה. idolum contemptum, quod proiecit, qui eius cognoſcit vanitatem, vt R. Dauid interpretatur. Interrogatio affirmatiua hoc loco, non poſtulat negatiuam; ſed affirmatiuam reſponſionem, quod apud Hebræos ſæpe accidit. Perinde enim eſt ac ſi dicat, Iechonias ſimilis eſt idolo, & vaſi inutili propterea proijcietur. ponitur enim præteritum pro futuro. Vas abſque omni voluptate, אין חפץ בו. quod nemo vult.

30. *Scribe.*] ne obliuiſcaris, ſcribe, quod facere decreui. In terra ſcribi dicuntur, quorum omnes poſteritas abolet ur, quia quod in terræ puluere ſcribitur, facilè deletur ſuprà cap. 17. 13. *recedentes à te, in terra ſcribentur.* H. כתבו. ſcribite, mutato numero, ſed eodem ſenſu. *Virum iſtum* (Iechoniam) *ſterilem* (futurum) ערירי. Non ſignificat eum, qui numquam liberos habuit; ſed qui, cùm habuerit, orbatus illis eſt. Quod Iechoniæ conuenit. Habuit enim liberos, vt ver. 28. ſignificauit Propheta. Et 4. Reg. 24. manifeſtum eſt. ſed omnes in captiuitate mortui ſunt. Itaque nemo eorum ſedit ſuper ſolium Dauid; quamuis poſteritatem relinquerent, ex qua Chriſtus natus eſt. vt cernitur in genealogia apud Matthæum, nemo tamen eorum poſteà regnauit, vt dicitur hoc loco.

CAPVT XXIII.

VÆ paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus.
2 Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad paſtores, qui paſcunt populum
meum. Vos diſperſiſtis gregem meum, & eieciſtis eos, & non viſitaſtis eos: ecce, ego
[visi]tabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum, ait Dominus. 3 Et ego congregabo
[reli]quias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura
[sua:] & creſcent & multiplicabuntur. 4 Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcent eos.
[non] formidabunt vltrà, & non pauebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Domi[nus].
5 Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: &
[regn]abit Rex, & ſapiens erit: & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. 6 In diebus
[illis] ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter: & hoc eſt nomen quod vocabunt
[eum,] Dominus iuſtus noſter. 7 Propter hoc ecce dies veniunt dicit Dominus, & non
[dicen]t vltrà, viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti. 8 Sed, Vi[uit]
[D]ominus qui eduxit & abduxit ſemen domus Iſraël de terra Aquilonis, & de
[cunct]is terris, ad quas eiecerant eos illuc: & habitabunt in terra ſua. 9 Ad
[pro]phetas, Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea:
[factus] ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino, à facie Domini, &
[à facie] verborum ſanctorum eius. 10 Quia adulteris repleta eſt terra, quia à fa[cie]
[ma]ledictionis luxit terra areſacta ſunt arua deſerti factus eſt curſus eorum ma[lus, &]
fortitudo eorum diſſimilis, 11 Propheta námque & ſacerdos polluti ſunt, & in
domo

Digitized by Google

domo mea inueni malum eorum ait Dominus. 12 Idcircò via eorum erit quaſi lubri-
cum in tenebris: impellentur enim & corruent in ea: afferam enim ſuper eos mala, an-
num viſitationis eorum, ait Dominus. 13 Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem
& prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Iſraël. 14 Et in Prophetis
Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium & iter mendacij: & confortauerunt manus
peſſimorum, vt non conuerteretur, vnuſquiſque à malitia ſua: facti ſunt mihi omnes vt So-
doma, & habitatores eius quaſi Gomorrha. 15 Propterea hæc dicit Dominus exerci-
tuum ad Prophetas, Ecce ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle, à Prophetis enim
Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram. 16 Hæc dicit Dominus exercituum.
Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: viſionem
cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. 17 Dicunt his qui blaſphemant me, Locutus
eſt Dominus. Pax erit vobis, & omni qui ambulat in prauitate cordis ſui, dixerunt. Non
veniet ſuper vos malum. 18 Quis enim affuit in conſilio Domini, & vidit & audiuit
ſermonem eius? quis conſiderauit verbum illius, & audiuit? 19 Ecce turbo Dominicæ in-
dignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet. 20 Non
reuertetur furor Domini, vſque dum faciat, & vſque dum compleat cogitationem cordis
ſui, in nouiſſimis diebus intelligetis conſilium eius. 21 Non mittebam Prophetas, &
ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. 22 Si ſtetiſſent in conſilio
meo, & nota feciſſent verba mea populo meo: auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à
cogitationibus ſuis peſſimis. 23 Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus? & non
Deus de longè? 24 Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eũ, dicit Domi-
nus? Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? 25 Audiui quæ dixe-
runt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atq; dicentes, Somniaui, ſomnia-
ui. 26 Vſquequo iſtud eſt in corde Prophetarum vaticinantium mendacium & prophe-
tantium ſeductiones cordis ſui? 27 Qui volunt facere vt obliuiſcatur populus meus no-
minis mei propter ſomnia eorum, quæ narrat vnuſquiſque ad proximum ſuum, ſicut obli-
ti ſunt patres eorum nominis mei propter Baal. 28 Propheta qui habet ſomnium, nar-
ret ſomnium, & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè, quid paleis
ad triticum, dicit Dominus? 29 Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Do-
minus: & quaſi malleus conterens petram? 30 Propterea ecce ego ad Prophetas, ait Do-
minus: 31 qui aſſumunt linguas ſuas & aiunt. Dicit Dominus. 32 Ecce ego ad Pro-
phetas ſomniantes mendacium, ait Dominus: qui narrauerunt ea, & ſeduxerunt populũ
meum in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis: cùm ego nõ miſiſſem eos, nec mandaſſem eis,
qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. 33 Si igitur interrogauerit te populus
iſte, vel Propheta, aut ſacerdos, dicens, Quod eſt onus Domini? Dices ad eos, Vt quid vo-
bis onus? Proijciam quippe vos dicit Dominus. 34 Et Propheta, & ſacerdos, & popu-
lus qui dicit, Onus Domini: viſitabo ſuper virum illum, & ſuper domum eius. 35 Hæc
dicetis vnuſquiſque ad proximum & ad fratrem ſuum, Quid reſpondis Dominus, & quid
locutus eſt Dominus? 36 Et onus Domini vltrà non memorabitur: quia Onus erit vni-
cuique ſermo ſuus: & peruertiſtis verba Dei viuentis, Domini exercituum Dei noſtri.
37 Hæc dices ad Prophetã, Quid reſpondit tibi Dominus? & quid locutus eſt Dominus?
38 Si autem Onus Domini dixeritis: propter hoc hæc dicit Dominus, quia dixiſtis ſermo-
nem iſtum, Onus Domini: & miſi ad vos dicens, Nolite dicere Onus Domini: 39 Pro-
pterea ecce ego tollam vos portans, & derelinquam vos, & ciuitatem quam dedi vobis, &
patribus veſtris à facie mea. 40 Et dabo vos in opprobrium ſempiternum, & in igno-
miniam æternam, quæ numquam obliuione delebitur.

HACTENVS contrs reges: nunc contra ſacerdntes, & falſos Prophetas,
Qua occaſione de Chriſti veri paſtoris, ac Prophetæ aduentu vaticinatur.

2. Ideo.

2. *Ideo.*]Quia diſperdunt; *Qui paſcunt*, ſolo nomine, quia paſtores appellantur,vel qui paſcere profitentur;vel,qui paſcere deberent populum meum. *Non viſitaſtis eos*,homines, quos ante gregem appellauerat, ideo numerum mutat. Sumitur autem ambiguè verbum viſitãdi. Nam priori loco in bonam partem, pro,adiuuare;poſteriori,in malam accipitur,pro, punire; ineſtque in ea ambiguitate magna gratia.

3. *Et ego.*]Ego autem. quaſi dicat,quos vos veſtra culpa diſperſiſtis, ego mea miſericordia,prouidentiaque congregabo. Loquitur autẽ ſimul de reductione populi ex captiuitate Babylonis,& de vocatione gentium ad Eccleſiam. Vt reliquiæ ſaluæ fiant,Iſai.10.22.& Rom.9.27. *Ad rura ſua*,id eſt,ad paſcua, ad Iudæam,ad Eccleſiam.H. על־נוהן. ad habitacula ſua, id eſt, ad ouilia, ad caulas ſuas,vt fias *vnum ouile*, *& vnus paſtor*,Ioan.10.16. Porrigitur enim hæc Prophetia vſque ad finem mundi, cùm omnes Iudæi ſimul & Gentes, qui prædeſtinati fuerint, conuertentur. Similis ſententia apud Ezech. c. 34. 13. 14.

4. *Et ſuſcitabo.*] id eſt, abdicatis antiquis nouos conſtituam; ſicut dicit Ioannes Baptiſta, *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ* Matt.3.9.Hanc enim vim verbum habet.Quo verbo obſcurè ſignificatur tranſlatio ſacerdotij Aaron, in ſacerdotium Melchiſedech, *propter infirmitatem eius, & inutilitatem*, Hebr.7.12. 18. *Paſtores*, Chriſtum, & Apoſtolos. Incipit enim tranſire ad prophetiam de aduentu Chriſti. *Non formidabunt*. Quia bonos paſtores habebunt. *Nolite timere puſillus grex*,Lucæ 12.32.Tunc enim *habitabit lupus cum agno,& paſcentur ſimul*, Iſai. 11.6. & 65. 25. quia bonus paſtor Chriſtus vincet mundum, Ioan.16.33.Ezech.34.23.25. *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas & faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra; & qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus.* Nullus quæretur,nulla ouis deſiderabitur ex grege, *Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam*, Ioan. 18. 9.

De paſtoribus noui Teſtamenti prophetia.

. *Suſcitabo Dauid.*] לדוד. Dauidi, id eſt, ex Dauidis poſteritate, qui illi in regnum ſuccedat *germen iuſtum*, Chriſtum, *qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*, ad Roman. 1. 3. Similis ſententia infrà 33. 14. 15. & Iſai. 4. & 40. 11.

De Chriſto.

In diebus illis.] *Illis*, pro, Illius ſcriptorum vitio poſitum arbitror. Nam & Illius legimus, & Sept. ita verterunt, & ſenſus eſt melior, id eſt, tempore Chriſti. *Dominus iuſtus noſter*, id eſt, iuſtificans nos, *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, 1.Cor. 1. 30. Aut, *Dominus iuſtus noſter*, id eſt, nobiſcum. Emmanuel, nobiſcum Deus, Iſai. 7. 14. Non quòd Chriſtus ita vocandus eſſet; ſed quòd talis eſſet re ipſa futurus. Vocari enim apud Hebræos eſt, Eſſe,vt ſæpe monuimus. Ex hoc loco Chriſti diuinitas manifeſto argumento demonſtratur. Nam de Meſſia Hebræi etiam ipſi hunc locum interpretantur,vt ex Ionatha, & R. Dauide conſtat. Tribuitur autem illi nomen τετραγράμματον. יהוה. quòd non niſi vero Deo tribui poteſt. Reſpondet R. Dauid in comment. & alij alibi,nomen etiam יהוה. aliquando tribui rebus; non propriè,&,vt Theologi dicunt in recto; ſed in obliquo, ſicut Exod. cap. 17.15. Moyſes vocauit altare יהוה נסי. *Dominus exaltatio mea*, non quòd altare Deus eſſet,ſed quòd in eo loco Deus Moyſem exaltaſſet, & Ezech. 48.35. Vocatum eſt nomen ciuitatis,quam Propheta deſcripſerat יהוה שמה. *Dominus ibidem.* Sed alio prorſus modo Chriſtus appellatur יהוה. non quòd Deus in illo ſit,ſicut in altari, atque in ciuitate:ſed quòd ipſe Deus ſit,& iuſtitia noſtra.Propterea non vocatur Dominus in eo,ſed *Dominus iuſtus noſter*.

Vocari,pro eſſe ſumptum.

Chriſti diuinitas ex hoc loco probatur.

7. *Propter hoc.*] id eſt, quia *ſuſcitabo Dauid germen iuſtum*, vt dixit ver. 5. Vide huius verſus, & ſequentis explicationem, ſuprà c. 16. 14. 15.

9. *Ad Prophetas.*] Tranſitio eſt à Chriſto ad falſos Prophetas, cuius hic eſt veluti titulus לנבאים. Ad Prophetas, vt Hieronymus ait, alij, vt Ionathas, R. Dauid, & R. Salomon, Propter Prophetas (falſos) *qui dicebant pax, pax, & non erat pax*, ſuprà cap. 4. 10. & 6. 14. *Contritum eſt cor meum.* Eodem ſenſu videntur Sept. tranſtuliſſe, ἐν τοῖς προφήταις. Meliùs noſter interpres, poſtea enim cauſa ſubiungitur, quamobrem cor eius contritum ſit. *A facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius. Contritum eſt cor meum*, ait Propheta videns falſos Prophetas populum ſeducentes. *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Pſal. 118. 158. *Sicut ebrius*, id eſt, attonitus, obſtupefactus, ebrius, *& non à vino*, vt Iſai. 51. 21. *A facie Domini*, id eſt, propter Dominum. Frequens Hebraïſmus, hoc eſt, videns quid Dominus huic populo comminetur.

10. *A facie maledictionis.*] id eſt, propter maledictionem, vt verſu præcedenti, *à facie Domini*. Maledictionis autem nomen hoc loco, non ſignificat maledictionem, qua Deus hominibus; ſed qua Deo homines maledicunt, id eſt, blaſphemiam. אלה. *ala*, vt Hieron. etiam, Ionath. R. Dauid, & R. Salom. interpretantur, quod Sept. verterunt ἀπὸ προσώπου τούτων. *à facie eorum* exiſtimantes eſſe אלה. *elle*, pluralem numerum demonſtratiui pronominis, זה *Luxit terra* id eſt, ſterilis facta eſt. Hebraïſmus, vt ſuprà. c. 12. 4. & 14. 2. & Iſa. 24. 4. 7. Simile eſt illud, Dedit *terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea*, Pſal. 106. 34. *Arua deſerti.* נאות. ſpecioſa, paſcua, quæ irrigua eſſe ſolebant, vt Sept. verterunt. *Factus eſt curſus eorum*, Prophetarum, & ſacerdotum, de quibus ſequenti verſu, *Propheta, & ſacerdos polluti ſunt. Malus*, id eſt, ad malum, vt ſuprà c. 22. 17. Ad curſum mali operis. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Pſal. 13. 3. *Et fortitudo eorum diſſimilis*, id eſt, inconſtans, infirma, minimè durabilis, vt Prouerb. 15. 7. *Cor ſtultorum diſſimile erit.* H. לא כן. non recta, id eſt, non rebus bonis: ſunt fortes, atque potentes ad malè, non ad benè agendū, vt Iſai. 5. 22. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.*

Sept. meliùs.

11. *Propheta & ſacerdos.*] vt ſuprà c. 6. 13. & 8. 10. *A Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendacium. In domo mea* id eſt, in templo, *reperi malum*, malitiam, peccatum eorum, id eſt, auaritiam, vel idololatriam, ſuprà c. 7. 30. *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum, vt polluerent eam.* & c. 11. 15. *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa.*

12. *Quaſi lubricum in tenebris.*] id eſt, facilè offendent, & cadent. *Iter impiorum peribit* Pſal. 1. 6. Simile illud Pſal. 34. 6. *Fiat via illorum tenebræ, & lubricū: & Angelus Domini perſequens eos.* Prouer. 4. 19. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruunt. Annum viſitationis.* in malam partem, id eſt, punitionis, vt Pſal. 88. 33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

13. *In Prophetis Samariæ*] id eſt, decem tribuum, in quibus Samaria erat. Transfert orationem ad falſos Prophetas Iſraël, vt oſtendat Iudam illis potiùs, quàm veris Prophetis, quos ipſe mittebat, credidiſſe.

14. *Ieruſalem.*] Duarum tribuum Iuda & Benjamin. *Similitudinem* (ſub. Prophetarum Samariæ) id eſt, quòd Prophetæ Ieruſalem imitarentur fatuitatem Prophetarum Samariæ: vel, *Vidi*, שערורה. turpitudinem, vt etiam Hieron. interpretatur. Sept. φρικτά. *horribilia.* Chald. mutationem. *Adulterantium*, id

eſt,

idola colentium. Solent adulteri longè ire, vt amica fruantur; ſic Iudæi
t vſque Samariam, vt adorarent idola. Alij codices Latini habent, adul-
m, ſicut & Hieron. legit. eſtque appoſitio. Declarat enim quam turpitu-
m viderit, ſcilicet, adulterium. *& iter mendacij.* H. infinitiui ſunt נאוף &
ו. adulterari, & ire ad mendacium, id eſt, ad idola, quæ, vt ſæpe diximus,
ebræis mendacium, & vanitas appellantur. *Et confortauerunt manus peſſi-
m,* id eſt, confirmauerunt. מרעים. malè agentes.

Ecce ego.] Vide ſuprà c. 9. 15.

Decipient vos.] מהבלים אתכם ad verbum. Vaneſcere faciunt vos, id eſt,
at vos, ac deludunt vana ſpe pacis.

Quis enim affuit,] id eſt, *Quis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius fuit?*
.o. 13. & ad Rom. 11. 34. niſi ipſe illi reuelauerit. Hæc ideo dicit, vt doceat
: Prophetas, quibus ipſe locutus non eſt, non poſſe res futuras diuinare.

Ecce.] ſubitò, ac præter falſorum Prophetarum opinionem.

Non reuertetur.] id eſt, non ceſſabit, non diſcedet à vobis, donec ſumat
bis omnes pœnas, quas Dominus cogitauit. *Intelligetis,* id eſt, re ipſa ſen-
cùm vos punierit. H. תתבוננו בה בינה. Intelligetis eam intelligen-
l eſt, cogitationem, מזמה, vt ante dixerat, mutat tamen numerum. Ita-
:ctè noſter interpres conſilium reddidit. Simile illud apud Iob. c. 21. 19.
eruauit filiis illius dolorem patris, & cùm reddiderit, tunc ſciet.

Auertiſſem.] Solus noſter interpres ita vertit, quaſi legerit ואשיבם He-
verò, Sept. & Chald. legunt וישיבום. Et conuertiſſent. Verſio ergo no-
anc habet ſenſum, *Auertiſſem eos à via ſua mala,* id eſt, à pœna viæ ſuæ, &
ationum ſuarum peſſimarum. Solet enim peccatum pro pœna peccati
vel, *Non trudidiſſem eos in immunditiam, & ignominiam, & reprobum ſenſum,
rent quæ non conueniunt,* vt Hieron. exponit. Secundum autem Hebræos
eſt, ſi verba mea audiſſent, & populo meo renuntiaſſent, auertiſſent il-
via ſua. Itaque tota culpa Prophetarum eſt.

Deus de vicino ego ſum.] id eſt, recens factus, aut inuentus. vt exponit R.
, quaſi dicat, non, ſed æternus. Alij, an propè egò ſum, & non longè? id
non ego vbique ſum, vt poſſim vos punire, neque quiſquam poſſit ma-
cas effugere, vt ait Dauid Pſal. 138. 7. 8. *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie
tuam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades* Hunc ſen-
deutur Sept. reddidiſſe. Alij, vt Hieron. Aquila, & Symm. vt ipſe ait, &
Num ego cognoſco quæ propè ſunt, & non etiam quæ longè, vt igno-
id vobis olim euenturum ſit? Hic mihi videtur eſſe verus ſenſus, quia
ſequitur ver. ſeq. *Si occultabitur vir in abſconditis, ego non videbo eum? Ecce
outiſti omnia nouiſſima & antiqua,* Pſalm. 138. 5. Et, *omnia nuda, & aperta
lis eius,* Heb. 4. 13.

Somniaui, ſomniaui.] id eſt, in ſomnio reuelationem à Deo accepi. Sic
olebant inferiores Prophetæ aliquando reuelationes accipere, vt dicitur
. 12. 6. Repetitio aſſeuerationem ſignificat.

Vſquequo.] id eſt, quouſque volent, aut, cogitabunt, mendacium pro-
, & ſeductiones cordis ſui? Hebraiſmus, In corde eſſe, pro, velle, vel, *In corde eſſe pro velle apud Hebræos.*
e: ſicut Latinè, eſſe in animo, aut, Cordi eſſe. & participium pro infi-

Narret ſomnium.] id eſt, tanquam ſomnium ſuum, non tanquam pro-
n à me acceptam, ne dicat, Hæc dicit Dominus: ſed, Hæc ego dico, vel,

Hæc ego ſomniaui: ne fallant populum meum. *Quid paleis ad triticum.* Paleas vocat ſomnia pſeudoprophetarum, quæ vento feruntur, triticum verbum Dei, quod manet in æternum, 2. Cor. 6. 14. *Quæ ſocietas luci ad tenebras?*

29. *Quaſi ignis.*] id eſt, efficaciſſima, *& quaſi malleus conterens petram*, id eſt, firmiſſima. quaſi dicat, *Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non prætéribunt*. Matt. 24. 35. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Pſal. 118. 40. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, ad Heb. 4. 12.

30. *Ecce ego.*] (ſub. venio.) *Ad Prophetas.* עַל. contra Prophetas. *Qui furantur*. id eſt, qui imitantur verba meorum Prophetarum, dicentes, Hæc dicit Dominus, cùm Dominus non ſit locutus, vt ſequenti verſu declaratur, & R. Dauid exponit; vel, qui aliorum Prophetarum vaticinia furantur, & mendaciis ſuis admiſcent, vt fidem faciant, vt alij interpretantur.

31. *Linguas ſuas.*] pro, eorum, id eſt, meorum Prophetarum, qui vſurpant modos loquendi eorum. Vtrumque enim ſignificare poteſt לשונם. & declarat, quod antè dixit. *Qui furantur verba mea.* vel, *Qui aſſumunt linguas ſuas.* id eſt, audacter loquuntur, aut, præparant linguas ſuas ad mentiendum. Sept. ἐκβάλλοντας τὰς προφητείας γλώσσας *Iactantes Prophetiæ linguæ.* Alij, לקחים. dulcorantes, vel, mollientes linguam ſuam, id eſt, blanda & placentia loquentes ad populi voluntatem, Iſai. 30. 10.

32. *Et in miraculis ſuis.*] id eſt, falſis prodigiis, quæ fingebant, vt perſuaderent ſe veros eſſe Prophetas. H. בפחזותם. leuitate, aut temeritate ſua, vt Ionath. & R. Dauid exponunt; vel, in extaſibus ſuis vt alij interpretantur, id eſt, fingentes ſe fuiſſe raptos more aliorum Prophetarum, vel, τῷ πλάνῳ αὐτῶν. *errore ſuo*, vt Sept. verterunt.

33. *Quod eſt onus Domini?*] id eſt, quid calamitatis nobis Dominus prædicit. Poſſunt hæc verba intelligi irriſoriè dicta eſſe, vt colligitur ex verſu ſequenti, ſicut ſuprà c. 17. 15. *Ecce ipſi dicunt ad me, vbi eſt verbum Domini? veniat.* Similis irriſio Ezech. 33. 31. 32. 33. Quia enim Prophetæ ſolebant illis ſæpe dicere, *Onus Domini*, id eſt, prophetia grauis, & calamitoſa, vt Iſai. 13. 1. & 14. 25. 28. & 15. 1. & 17. 1. & 19. 1. & 21. 1. petunt nunc irridentes à Ieremia, *Quod eſt onus Domini?* id eſt, quid noui mali nobis annuntias. Iubetur enim reſpondere, *vt quid vobis onus?* quaſi dicat, quorſum vobis deinceps onus imponam, cùm omnino vos abiicere decreuerim? Alij, Quod vobis onus? hoc ſcilicet, vt abiiciam vos. In antiquioribus codicibus Latinis legimus, *Vos eſtis onus*: & in aliis additur, *Importabile*. Atque ita arbitror noſtrum interpretem vertiſſe. Sic enim Hieron. interpretatur. ſic Sept. tranſtulerunt, ὑμεῖς ἐστὲ τὸ λῆμμα. ſenſuſque eſt melior, vt alludat ad nomen oneris, eiúſque ambiguitate Deus ludat, cùm nunc prophetiam, nunc eorum intolerabiles mores onus vocat. Hunc etiam ſenſum confirmat verbum, quod ſequitur. *Proiiciam quippe vos*, Onus enim proiicimus. quaſi dicat, exonerabo me vobis. Neque hoc ab Hebraïca veritate diſſentit. Nam vbi nunc legimus את מה משא. ad quid onus? credibile eſt noſtrum interpretem, & Sept. imò Aquilam, Symm. & Theod. vt ex Hieronymo colligitur legiſſe אתם המשא. *vos eſtis onus ipſum*, litteris prorſus iiſdem, ſed aliter iunctis. Quod non animaduertentes nonnulli noſtram editionem vt corrigerent, deprauarunt.

34. *Viſitabo ſuper virum.*] id eſt, puniam illum, & totam eius familiam, quòd verbum meum irriſerit.

35. *Hæc dicetis.*] id eſt, ſic loquemini. כה תאמרו. Non appellabitis deinceps prophetias

ıetias Domini, onus Domini, quaſi ſignificantes, ac murmurantes, nihil à Domino niſi aduerſum annuntiari, ſed vocabitis verbum Domini, de rebus proſperis & aduerſis pariter dicitur.

Onus erit vnicuique ſermo ſuus.] Subtilis ſententia. quaſi dicat, qui verbum ıini deinceps onus appellauerit, verbum ſuum quo onus vocauit, onus illi quia propter illud grauiter à me punietur, ex verbis ſuis condemnabitur, . 12. 37. *Et peruertiſtis verba Dei*, id eſt, conuertiſtis in prouerbium, & ı; vt Ezech. 33. 31. *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum ı vertunt illos. Et eſt eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui, dulcique ſono canitur.* rætеritum pro futuro, Peruerteris, id eſt, Si verba Domini onus appella-is, quamuis proſpera ſint, mutabitis ea in aduerſa, erúntque vobis re ipſa, quia puniemini.

Tollam vos portans.] נשׂיח׳ אתכם נשׂ׳א. quod alij vertunt, Obliuiſcar vos ıdo. quaſi dicat, quia vos noluiſtis obliuiſci huius verbi, Onus, quod præ-ıam, ſuprà ver. 36. ne inter vos vltrà memoraretur: ego veſtri obliuiſcar, aſi onus tollam vos, & Babylonem deportabo, ibíque derelinquam. No-nterpres, ſicut & Sept. נשׂיח׳. non à נשׁה. ſed à נשׂא quaſi dicat, Tollen-ıllam vos ſicut onus, & in captiuitatem deportabo, *& derelinquam*, id eſt, ciam à facie mea, vt dixit ver. 33.

CAPVT XXIV.

OSTENDIT mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, poſiti ante tem-
plum Domini: poſtquam tranſtulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis Iecho-
niam filium Ioacim regem Iuda, & principes eius, & fabrum, & incluſorem
ruſalem, & adduxit eos in Babylonem. 2 *Calathus vnus, ficus bonas habebat*
: vt ſolent ficus eſſe primi temporis. & calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ
di non poterant, eò quòd eſſent malæ. 3 *Et dixit Dominus ad me, quid tu vides*
nia? Et dixit ficus: ficus bonas, bonas valde: & malas, malas valde: quæ comedi
poſſunt, eò quòd ſint malæ. 4 *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens,*
Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ſicut ficus hæ bonæ, ſic cognoſcam tranſmigrationem
, quam emiſi de loco illo in terram Chaldæorum, in bonum. 6 *Et ponam oculos*
ſuper eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc: & ædificabo eos, & non
nam: & plantabo eos, & non euellam. 7 *Et dabo eis cor, vt ſciant me, quia ego*
Dominus: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum; quia reuertentur ad
in toto corde ſuo. 8 *Et ſicut ficus peſſimæ, quæ comedi non poſſunt, eò quòd ſint*
: hæc dicit Dominus, ſic dabo Sedeciam regem Iuda: & principes eius, & reliquos de
ſalem, qui remanſerunt in vrbe hac, & qui habitant in terra Ægypti. 9 *Et dabo*
ı vexationem afflictionémque omnibus regnis terræ: in opprobrium, & in parabolam,
ı prouerbium, & in maledictionem in vniuerſis locis ad quæ eieci eos. 10 *Et mit-*
in eis gladium, & famem, & peſtem: donec conſumantur de terra, quam dedi eis,
atribus eorum.

IMILITVDINE bonarum, & malarũ ficuum ſignificat Deus ſe bonos con-ſeruaturum; malos verò, ac in primis Sedeciam & eius familiã perditurum.

Poſtquam tranſtulit.] Putat Hieronymus hanc prophetiam poſt tranſmi-ıonem editam eſſe, non poſt captiuitatem Sedeciæ; ſed poſt tranſmigra-ıem Iechoniæ: At poteſt etiam intelligi ante tranſmigrationem edita, vt

non dicat Propheta id ſibi poſt tranſmigrationem oſtenſum: ſed oſtenſum ante tranſmigrationem, quid poſt tranſmigrationem futurum eſſet. *Fabrum*, aurificem, *& incluſorem* gemmarum, vt Hieron. interpretatur, quæ artificia apud barbaras nationes in magno ſunt pretio. Nomine autem duorum omnes artifices intelligit. Alij חרש. interpretantur bellicarum machinarum inuentorem, aut ſtructorem, & מסגר caſtrametandi peritum: huiuſmodi enim artifices legimus 4. Reg. 24. 16. Babylonem abductos.

Bonæ & malæ ficus quæ

2. *Primi temporis.*] הבכרות. primitiuorum, aut primogenitæ. Sunt ficus quædam biferæ, quæ bis fructus ſingulis annis ferunt, primo vere, & in æſtate; priores fructus multò maiores ſunt, ac pulchriores, quos Hiſpanicè *Breuas*, quaſi biferas, appellamus. His comparantur illi, qui ex captiuitate reducendi erant; illis, qui in captiuitate erant perituri, Vel, vt Hieronymus ait, bonis ficubus comparatur Iechonias, & qui cum eo in Chaldæam tranſlati ſunt; malis verò Sedecias, & eius principes, ac familiares.

Verbum cognoſcere quid hic ſignificet.

5. *Sic cognoſcam in bonum.*] id eſt, tanquam bonam conſeruabo, & fauore ac miſericordia proſequar. Hoc enim ſignificat, Cognoſcere in bonum, ſicut & cognoſcere ſimpliciter, quemadmodum è contrario, Non cognoſcere, eſt, repudiare. *Amen dico vobis, neſcio vos.* Matth. 25. 12. *Tranſmigrationem Iuda*, id eos Iudæos, qui cum Iechonia Babylonem emigrarunt. Quam idcirco tranſmigrationem, non captiuitatem vocat, quia non vi capti ſunt, ſed ſe ſponte dediderunt, 4. Reg. 24. 12. ſicut è diuerſo Sedeciæ tranſlationem non tranſmigrationem, ſed captiuitatem appellat, quia vi captus eſt.

6. *Et ponam ſuper eos oculos meos ad placandum.*] id eſt, benignè, ac miſericorditer reſpiciam eos. H. לטבה. in bonum, id eſt, ſereno ac placido vultu; ſicut dixit antè, *cognoſcam in bonum*, Repetitio enim eſt. *Aedificabo eos & non deſtruam*, id eſt, dabo illis ſtabiles, ac perpetuas ſedes, quas non ampliùs mutabunt. Quod primùm quidem intelligitur de reſtauratione Ieruſalem; deinde de Eccleſia Catholica; ad extremum autem de vita æterna.

Prophetia ad tempus Chriſti potiſſimùm accõmodata.

7. *Et dabo eis cor.*] Hoc indicat prophetiam hanc propriè eſſe de tempore Chriſti, & de liberatione à captiuitate Satanæ intelligendam, vt illam Iſai. c. 54. v. 13. *Et ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino*, vt Ioan. interpretatur c. 6. 45. & illam Ezech. 11. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* & quod Ieremias ſcribit infra ca. 31. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum*, & ver. 34. *Et non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, cognoſce Dominum. omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum.*

8. *Qui habitant in terra Ægypti.*] id eſt, qui contra conſilium Ieremiæ noluerunt ſe Chaldæis dedere, ſed in Ægyptum confugerunt, ibíque habitarunt, 4. Reg. 25. 26.

9. *In vexationem.*] לזועה. in cõmmotionem, id eſt, diſpergam eos per omnia regna, vt Deut. 28. 25. Vbi noſter interpres reddidit, Vt diſpergaris per omnia regna terræ. Et Ezech. 23. 46. & infrà cap. 29. 18. *Trade eas in tumultum.* לזעוב. *& in rapinam.* Hunc ſenſum reddiderunt hoc loco Septuag. *εἰς διασκορπισμόν. in diſperſionem, Afflictionémque.* vt affligantur vagantes huc, atque illuc, vel, vt alij interpretantur, vt omnia regna audita eorum calamitate terreſiant, metuántque ne quid ſibi ſimile contingat *In prouerbium*, vt eorum miſeria prouerbio celebretur; & quoties aliquis miſerrimus vocandus ſit, dicatur Sedecia miſerior. *Et in maledictionem.* Ita vt cùm aliquis volet alteri malè precari, dicat, Accidat tibi, quod accidit Sedeciæ & principibus eius.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXV.

VERBVM quod factum eſt ad Ieremiam de omni populo Iuda in anno
quarto Ioacim filij Ioſia regis Iuda, (ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor
regis Babylonis.) 2 Quod locutus eſt Ieremias Propheta ad omnem popu-
la, & ad vniuerſos habitatores Ieruſalem, dicens, 3 A tertio decimo anno
ij Ammon regis Iuda vſque ad diem hanc: iſte tertius & vigeſimus annus, factum
um Domini ad me, & locutus ſum ad vos de nocte conſurgens & loquens, & non
s. 4 Et miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos Prophetas, conſurgens dilucu-
'nſque: & non audiſtis, neque inclinaſtis aures veſtras vt audiretis, 5 Cùm
Reuertimini vnuſquiſque à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus veſtris: &
itis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patribus veſtris: à ſæculo vſque in ſa-
6 Et nolite ire poſt Deos alienos, vt ſeruiatis eis, adoretiſque eos: neque me ad
liam prouocetis in operibus manuum veſtrarum & non affligam vos. 7 Et non
s me, dicit Dominus, vt me ad iracundiam prouocaretis in operibus manuum in
veſtrum. 8 Propterea hæc dicit Dominus exercituum. Pro eo quòd non audi-
ba mea, 9 Ecce ego mittam, & aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis, ait
us, & Nabuchodonoſor regem Babylonis ſeruum meum: & adducam eos ſuper
iſtam & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes nationes quæ in circuitu illius ſunt:
ficiam eos, & ponam eos in ſtuporem & in ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas.
'erdámque ex eis vocem gaudij & vocem lætitiæ ſponſi & vocem ſponſæ, vocem
lumen lucernæ. 11 Et erit vniuerſa terra hæc in ſolitudinem & in ſtuporem:
ent omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis: 12 Cúmque impleti
ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Do-
iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum: & ponam illam in ſolitudines
nas. 13 Et adducam ſuper terram illam omnia verba mea, quæ locutus ſum
am, omne quod ſcriptum eſt in libro iſto, quæcumque prophetauit Ieremias aduer-
nes gẽtes: 14 Quia ſeruierunt eis, cùm eſſent gẽtes multæ & reges magni: & red-
ſecundum opera eorum & ſecundum facta manuum ſuarum. 15 Quia ſic di-
inus exercituum Deus Iſraël, Sume calicem vini furoris huius de manu mea: &
bis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te. 16 Et bibent, & turbabun-
inſanient à facie gladij quem ego mittam inter eos. 17 Et accepi calicem de
Domini, & propinaui cunctis gentibus ad quas miſit me Dominus: 18 Ieru-
& ciuitatibus Iuda & regibus eius & principibus eius: vt darem eos in ſoli-
t, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem, ſicut eſt dies iſta.
t Pharaoni regi Aegypti, & ſeruis eius, & principibus & omni populo eius,
& vniuerſis generaliter: cunctis regibus terræ Auſitidis, & cunctis regibus terræ
iim & Aſcalonis, & Gazæ, & Accaron, & reliquiis Azoti, 21 & Idumææ,
ib, & filiis Ammon: 22 Et cunctis regibus Tyri, & vniuerſis regibus Sidonis:
us terræ inſularum qui ſunt trans mare. 23 Et Dedam, & Thema, & Buz,
erſis qui attonſi ſunt in comam. 24 Et cunctis regibus Arabiæ, & cunctis re-
ccidentis, qui habitant in deſerto, 25 Et cunctis regibus Zambri, & cunctis
Elam, & cunctis regibus Medorum: 26 cunctis quoque regibus Aquilonis
& de longe vnicuique contra fratrem ſuum: & omnibus regnis terræ quæ ſuper
ius ſunt: & rex Seſach bibet poſt eos. 27 Et dices ad eos. Hæc dicit Domi-
citiuum Deus Iſraël, Bibite, & inebriamini & vomite, & cadite: neque ſurgatis à
facie

facie gladij quem ego mittam inter vos. 28 *Cúmque noluerint accipere calicem de*
manu tua vt bibant: dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum, Bibentes bibetis.
29 *quia ecce in ciuitate in qua inuocatum eſt nomen meum, ego incipio affligere, & vos*
quaſi innocentes & immunes eritis, non eritis immunes. gladium enim ego voco ſuper om-
nes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum. 30 *Et tu prophetabis ad eos omnia*
verba hæc, & dices ad illos: Dominus de excelſo rugiet, & de habitaculo ſancto ſuo dabit
vocem ſuam: rugiens rugiet ſuper decorem ſuum: celeuſma quaſi calcantium concinetur
aduerſus omnes habitatores terræ. 31 *Peruenit ſonitus vſque ad extrema terræ. Quia*
iudicium Domino cum gentibus: iudicatur ipſe cum omni carne, impios tradidi gladio,
dicit Dominus. 32 *Hæc dicit Dominus exercituum, Ecce, afflictio egredietur de gen-*
te in gentem: & turbo magnus egredietur à ſummitatibus terræ. 33 *Et erunt interfe-*
cti Domini in die illa à ſummo terræ vſque ad ſummum eius: non plangentur: & non col-
ligentur, neque ſepelientur: in ſterquilinium ſuper faciem terræ iacebunt. 34 *Vlulate*
paſtores & clamate: & aſpergite vos cinere optimates gregis; quia completi ſunt dies ve-
ſtri, vt interficiamini: & diſſipationes veſtræ & cadetis quaſi vaſa pretioſa. 35 *Et pe-*
ribit fuga à paſtoribus, & ſaluatio ab optimatibus gregis. 36 *Vox clamoris paſtorum,*
& vlulatus optimatum gregis: quia vaſtauit Dominus paſcua eorum. 37 *Et conti-*
cuerunt arua pacis à facie iræ furoris Domini. 38 *Dereliquit quaſi leo vmbraculum*
ſuum, quia facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris
Domini.

EXPROBRAT populi incredulitatem, atque duritiem, repetitq́; atque confirmat omnes ſuperiores prophetias.

Cap. 21 initio

1. *Anno quarto.*] Hoc eſt quod ſuprà diximus non ſeruare Prophetam ordinem temporum. Nam ſuperiori cap. de Iechonia, nunc de Ioacim eius patre agit.

3. *A tertio decimo anno.*] Incluſiuè, vt dicitur. regnauit enim Ioſias annos 31. & cœpit Ieremias anno decimo tertio regni eius vaticinari, itaque vaticinatus eſt eo regnante 19. annos, quibus ſi accedant quatuor regni Ioacim, ſunt viginti tres. Quo tempore hæc prophetia edita eſt. *De nocte conſurgens*, אשכים. manè conſurgens. id eſt, diligenter, ac ſedulò, vt, expoſuimus ſuprà cap. 7. 13. & c. 11. 7. Eodem modo verſu ſequenti, *Conſurgens diluculo.*

5. *A ſæculo, & vſque in ſæculum.*] id eſt, vt ex quo tempore iam olim in eam ingreſſi eſtis, non migraretis ex ea, vt eam perpetuò poſſideretis; peccata autem veſtra vos inde expulerunt, vt ſuprà c. 7. 7.

6. *In operibus manuum veſtrarum.*] id eſt, in idolis; quæ vos veſtris manibus feciſtis.

Nabuchodonoſor ſeruus Domini quo ſenſu.

9. *Nabuchodonoſor ſeruum meum.*] Vocat ſeruum ſuum, quia eius miniſterio ad exequendam ſuam iuſtitiam vtebatur, vt Pſal. 104. 25. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius.* Neque propterea ſequitur Deum auctorem eſſe peccati, vt noui hæretici delirant: quod enim Deus ad exercendam iuſtitiam, hoc illi ad exercendam in iuſtitiá ſuam faciunt. *Et ſuper omnes nationes*, contra Idumæos, & Ammonitas, & Moabitas, qui ex genere Iudæorum erant; vel contra Ægyptios, vt alij volunt, quibus confidebant. *In ſtuporem, & in ſibilum*, id eſt, faciam, vt omnes eorum ruinas admirentur, & irrideant. vt ſuprà cap. 18. 16. & 19. 8. *Et in ſolitudines ſempiternas*, id eſt, diuturnas, nempe ſeptuaginta annorum, quibus captiuitas Babylonica durauit; nam poſt reditum reſtauratæ fuerunt ſolitudines.

10. *Vocem*

10. *Vocem gaudij.*] id eſt, faciam vt nemo ſit, qui gaudeat, nemo qui lætetur, nemo qui nuptias celebret:ſed vt omnes lugeant,ſuprà cap. 7. 34. & 16. 9. *Vocem molæ.* R. Dauid, exponit ſtridorem inſtrumenti duas molas habentis, quo condimenta in magnis conuiuiis parabantur, *Et lumen lucerna* interpretatur faces, quæ in iiſdem conuiuiis accendebantur. Ego vocem molæ ita interpretor, Solebant in Iudæa eſſe molæ domeſticæ, quæ manibus vertebantur ad molendum frumentum, ſicut nunc etiam ſunt in Africa, & in Bœtica noſtra, & vbicumque inopia aquarum eſt. Ad huiuſmodi molas puellæ ſolebant conuenire, & binæ molam vertere cantilantes leuandi laboris cauſa, vt Chriſtus ſignificat Matth. 24. 14. *Duæ molentes in mola : vna aſſumetur, & vna relinquetur.* Illum ergo puellarum cantum vocat hîc *vocem molæ.* Eccleſ. 12. 3. 4. *otioſæ erunt molentes in minuto numero, & claudent oſtia in platea in humilitate vocis molentis.* Rurſus ſolebant puellæ nentes ad lucernam cantare,& noctes ferè totas inſomnes agere, vt nunc in multis locis fieri videmus. Atque hoc eſt,quod dicit ſe *lumen lucernæ* ablaturum,id eſt,effecturum vt non ampliùs puellæ ad lucernam nentes cantitent.

12. *Cùmque impleti fuerint.*] Hi ſunt anni captiuitatis à Deo præſcripti, quorum finem Daniel magnopere deſiderans, *vir deſideriorum* appellatus eſt, Dan. 9. 23. Vnde autem hi ſeptuaginta anni incipiendi ſint numerari, dicemus illic.

3. *Quæ locutus ſum contra eam*] ſiue per Ieremiam hoc loco, & infrà cap. 51. ue per Iſaiam cap. 13. & 14. *Aduerſus omnes gentes*, id eſt, quæcumque contra ıdæos, & contra vicinas gentes prædixit ſuprà ver. 9. omnia contra Babylo-:m conuertam.

4. *Quia ſeruierunt.*] Iudæi,& Ægyptij, Moabitæ & Ammonitæ, *Eis*, Chal-:i, cùm tam multæ gentes, & tam magni Reges eſſent. R. Dauid, & alij He-:ri contrario ſenſu interpretantur. עבדו בם. Seruitute eorum vtentur etiam i,gentes multæ:id eſt,quemadmodum ipſi Iudæos, & alias multas gentes in uitutem redegerunt,ſic aliæ gentes in ſeruitutem eos redigent. Eodem mo-Chaldæus expoſuit.Notant enim Hebræi verbum. עבר. *ſeruiendi*, cùm con-itur cum præpoſitione.ב.intranſitiuè,paſſiuéque accipi,ſicut Hiſpanicè di-ıus. *Seruirſe de alguno.* Cuiuſmodi phraſim ſuprà adnotauimus; ſimilémque riemus infrà cap. 27.7. *Et reddam eis*,id eſt, ſicut ipſi aliis fecerunt; ita alij facient.

Sume calicem.] Vſitata Prophetis metaphora,qua ſignificatur irã Dei quomodo effundi,& homines punire,ac præ timore attonitos,& veluti ebrios :re, Pſal. 74. 9. *Quia calix in manus Domini vini meri plenus mixto : & inclina-hoc in hoc: veruntamen fæx eius non eſt exinanita.* Et Iſai. 51. 17. *Conſurge le-m, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius : vſque ad fundum calicis ſoporis & potaſti vſque ad fæces.*

Turbabuntur.] id eſt,nutabunt, commouebuntur ſicut ebrij; *ac delirabunt*, ; conſilij erunt,neſcient,quò ſe vertant, propter gladium, quem mittram :m ante vocauit calicem,vocat nunc gladium.

ruſalem, & cunctis ibus.] Priùs propinat Iudæis calicem iræ Domini,dein-ıldæis; quia priùs Iudæi, deinde Chaldæi puniti ſunt. *Sicut eſt dies illa.* כיום. Sicut hodierno die videre licet vaſtatam Iudæam, euerſamque :m. Sunt qui putant hæc verba non fuiſſe tunc à Ieremia pronuntiata, ndum Iudæa vaſtata erat; ſed addita fuiſſe poſt captiuitatem,cùm om-

nes iſtæ prophetiæ in vnum volumen redigerentur. Ego potiùs credo Prophetam de re futura loqui, quemadmodum ſi illo ipſo tempore loqueretur, quo res euentura erat, vt ſæpe in Prophetis adnotauimus.

19 *Pharaoni.*] Secundo loco propinat. *Et omni populo eius*, id eſt, omnibus Ægyptiis, qui ſub eius erant imperio.

20. *Et vniuerſis generaliter.*] Qui in Ægypto habitant, quamuis Ægyptij non ſint. ואת כל ערב. *& omni miſtum*, id eſt, alienigenis, qui miſti habitant cum Ægyptiis, vt Septuaginta verterunt, & Hebræi interpretantur, vel, vt Chal. vicinis regibus. Nam ערב. latus etiam ſignificat. vel, populo miſcellanco, qui in deſertis locis habitabat, vt ait R. Dauid. *Auſitidis.* terræ Hus, quæ Ieruſalem Orientalis erat vnde erat Iob. Iob 1. 1. *Aſcalonis.* Declarat, quod generaliter dixerat. Philiſtiim. Nam quatuor ciuitates, quas nominat, Aſcalon, Gaza, Accaron, Azotum, in Paleſtina erant. Tacet quintam, quæ Geth appellabatur, quia Azoto vicina erat, & quaſi eius reliquiæ, ideo dicit. *Et reliquiis Azoti.*

22. *Regibus terræ inſularum qui ſunt trans mare.*] Hieron. trans Cyprum, & Rhodum, & Cycladas, quæ etiam à Chaldæis captæ ſunt.

23. *Et Dedan.*] Dedan, Theman, & Buz ciuitates erant Agarenorum, vt Hieron. ait, quos nunc Saracenos appellamus. *Qui attonſi ſunt in comam.* Vide explicationem ſuprà c. 9. 26. & infrà 49. 32.

24. *Et cunctis regibus Occidentis.*] H. idem verbum eſt. מלכי ערב. Et omnibus regibus Arabiæ, *qui habitant in deſerto*, vt priori loco intelligatur Arabia Fælix, poſteriori Arabia deſerta.

25. *Zamri, & Aelam.*] Hieronymus aut Perſidis, aut ſolitudinis, id eſt, Arabiæ deſertæ regiones eſſe putat.

26. *Vnicuique.*] Propinabis, vt inſurgat contra fratrem ſuum. Hebraiſmus, id eſt, vt vnus pugnat contra alium, vel, איש אל אחיו. *vnuſquiſque fratri ſuo*, id eſt, vnus alteri porrigat calicem iræ meæ, ſicut in conuiuiis fieri ſolet, vbi in orbem bibitur, donec omnes inebrientur. *Et rex Seſach.* Hebræi & Chaldæus regem Seſach dicunt occultè Regem Babylonis appellari Hebræorum more, qui ordinem alphabeti ita commutare ſolent, vt, cùm occultè, obſcuréq; loqui volunt, loco primæ litteræ vltimam ponant; loco ſecundæ penultimam, & ſic deinceps; ſicut hic fieri videmus. Nam in hoc nomine בבל. *Babylonis*, duæ primæ litteræ ſunt ב. ב. quæ ſecunda littera eſt incipiendo ab initio; tertia littera eſt ל. quæ duodecima eſt ordine recto. In nomine autem Seſach, duæ primæ litteræ ſunt ש. ש. quæ item ſecunda littera eſt incipientibus à fine, itaque ponuntur loco duplicis ב. Tertia littera eſt ך. quæ duodecima eſt ordine inuerſo. itaque ponitur pro ל. Vnde fit vt idem valeat ששך. Saſech, atque בבל. Babel. Quod ſi quemadmodum conſonantes, itaque etiam vocales tranſpoſueris, pro, Saſech, dices, Seſach. Similis locus eſt infrà cap. 51. 41. Alij putant Seſach nomen eſſe proprium alicuius Regis Ægypti, vt 3. Reg. 14. 25. & 2. Paral. 12. 2.

Rex Seſach quem hoc loco deſignet.

27. *Bibite, & inebriamini.*] id eſt, donec inebriemini, & vomatis, atque cadatis, ita vt non poſſitis ſurgere: cum alij ebrij decocto iam vino ſurgere ſoleant. Intelligitur hoc aut de omnibus gentibus, quas ante commemorauit; aut de Rege Sedecia, & reprobis; nam electi ſurrecturi erant. Iſai. 51 17. *Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem. quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius.* Ebrietas autem iſta euagationem ſignificat, atque perturbationem, & inopiam

conſilij

Digitized by Google

ij in rebus aduerſis, vt Iſai. 19. 14. *Errare fecerunt Ægyptum in omni opere ut errat ebrius, & vomens.* & Iſa. 24. 20. *Agitabitur terra ſicut ebrius. A facie* vel, Inebriemini à facie gladij, vel, ne ſurgatis à facie gladij, id eſt, pro-ladium frequens Hebraiſmus. Dicit, inebriamini à gladio, quæ videtur ſſe metaphora, quia gladium ipſum calicem vocauerat, vt ſuprà ver. 16. *Bibentes bibetis.*] id eſt, ſi ſponte noluerint bibere, dic fore vt inuiti bibant ad fæces. Hoc enim eſt. Bibentes bibere, exhaurire totum calicem. vt . 17. Ac ſi dicat, ſi noluerint credere euentura eſſe, quæ illis annuntiaue-e fore, vt experti credant.

Quia ecce in ciuitate.] Senſus eſt, ſi primo loco Iudæis, & Ieruſalem, vbi n meum colitur, calicem iræ meæ propinaui, quomodo vos ô gentes, ie non colitis, eritis huius calamitatis expertes? Nequaquam eritis: quin ladium mittam ſuper omnes vos. gentes vocat *habitatores terræ*, quia præ-ſ=ram reliquum orbem terræ occupabant. 1. Petri 4. 17. *Tempus eſt, vt iu-udicium à domo Dei: Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt tangelio?*

Rugiet.] tanquam leo irruens in prædam, vt Ioel 3. 16. & Amos 1. 2. *De-de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam & mouebuntur cæli, & terra: decorem ſuum*, id eſt, ſuper Sion, ſuper templum, quod illi decori eſt, ſicut ixit de habitaculo ſancto ſuo. אל־נוהו. *contra habitaculum ſuum*; id eſt, ur contra ciuitatem ſuam Ieruſalem, & contra templum ipſum. *Celeuſ-λευσμα*, à Græcis appellatur cantus, quo ſe qui ſimul laborant cohortan-remiges, & qui in torculari calcant, dum prælum premunt. eodem mo-it fore, vt quaſi cantato celeuſmate omnes gentes ad prælium ſeſe aliæ alias adhortentur.

Peruenit.] Præteritum pro futuro, perueniet tunc, *Sonitus*, ſtrepitus ar-n. hyperbole, vel, *Sonitus*, id eſt, fama, rumor belli audietur vbique, vt . 24. 6. *Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum.* vel, *Sonitus* celeuſ-*Iudicatur ipſe.* Hebraiſmus, id eſt, iudicium illi eſt cum omnibus homi-

Turbo magnus egredietur.] יעור. excitabitur.

Interfecti Domini.] id eſt, quos Dominus interfecerit. *Non plangentur*, ſi-it de Iudæis ſuprà c. 16. 4. 6.

Et diſſipationes veſtræ.] Completæ ſunt, id eſt, dies diſſipationum veſtra-Vt cadatis quaſi vaſa pretioſa de manu mea, ac diſſipemini. Nam hacte-aſi pretioſa vaſa manu mea vos tenui, ne frangeremini; nunc verò ſinam dere vt penitus confringamini.

Et peribit fuga.] id eſt, non poterunt fugere, non inuenient viam, qua fu-& ſaluti ſuæ conſulant. Hebraiſmus.

Vox clamoris.] audietur.

Conticuerunt.] Hebraiſmus, id eſt, defecerunt, perierunt; Chald. deſo-nt. vt exponit. R. Dauid. נדמו. ſicut infrà c. 49. 26. *Omnes viri prælij con-t in die illa*, id eſt, peribunt. Et ca. 50. 30. *Omnes viri bellatores eius conticeſ-rua*, נאות. paſcua *pacis*, id eſt, vbi ante greges ſine vllo metu hoſtium, ſtrarum paſcebantur. Aut habitacula, id eſt, caulæ, vbi greges tuti erant, à c. 23. 10. *Arefacta ſunt arua deſerti.*

Dereliquit.] Deus, vt Hieronymus interpretatur, *vmbraculum ſuum*, id eſt, um; aut ſicut leo deſerit vmbraculum, & foueam ſuam, cùm ſylua, vbi

eſt, ſuccidituř, ac vaſtatur. ita Deus vaſtata Iudæa deſeret Ieruſalem, & templum, in quo habitabat; vel, vt alij exponunt, Sicut leo, cùm circumcirca non inuenit prædam, deſerit foueam ſuam: ita Deus non inueniens in Iudæa, qui faceret, quæ ipſe volebat, eam dereliquit; vel, vt Hieronymus ait, Sicut dum leo eſt in ſuo vmbraculo nulla beſtia audet accedere; cùm autem diſceſſerit, omnes irruunt: ita dum Deus erat cum Iudæis, nulla gens audebat in eos irrumpere; cùm autem Iudæam deſeruit, omnes gentes in eam irruerunt. Conuenit hoc cum eo, quod ſuprà dictum eſt, ca. 12. 7. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam.* Poteſt etiam ſic intelligi, Reliquit vnuſquiſque Iudæorum, vt mutet numerum, quemadmodum ſæpe ſolet. quaſi dicat, Sicut leo vaſtata ſylua vbi habitat, derelinquit foueam ſuam, ita populus Iudæorum vaſtatis Iudææ ciuitatibus, ſedes ſuas deſerent, præteritum pro futuro. Sic enim congruit ratio, quæ redditur, *Quia facta eſt terra eorum in deſolationem. A facie iræ columbæ.* Columbam putat Hieron. Nabuchodonoſorem appellari; quòd cum Deus à Babylone, quaſi è columbario ad quærendum cibum emiſerit in Iudæam, quaſi in alienam ſegetem; ſicut ſuprà ver. 9. vocauit eum Deus ſeruum ſuum. Alij exiſtimant Deum columbam vocari, ſed miris modis interpretantur. Ego ſic. Deum vocari columbam ad ſignificandum, quamuis manſuetiſſimus ſit, tamen multitudine peccatorum ad iram prouocatum eſſe. H. מפני. חרון היונה Poteſt autem יונה. diuerſis punctis vel columbam, vel opprimentem, vel, inebriantem ſignificare. Itaque noſter interpres vertit, *à facie columbæ,* Ionath. & R. Salom. à facie gladij inebriantis, vt alludat ad id, quod dixit ſuprà ver. 16. *Bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos.* Alij, vt R, Dauid, à facie opprimentis, aut ſpoliantis, quod rectè videtur conuenire. Septuag. alio prorſus ſenſu. ἀπὸ προσώπου μαχαίρας τῆς μεγάλης. aut יונה. magnum gladium interpretantes, aut, quod magis credo, ſententiam potiùs quàm verba reddentes. Similis locus infrà c. 46. 16. & c. 50. 16.

Deus cur Columba vocetur & auctorum expoſitio.

CAPVT XXVI.

IN principio regni Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda, factum eſt verbum iſtud à Do-
mino, dicens: 2 *Hæc dicit Dominus, Sta in atrio domus Domini, & lo-*
quêris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in domo Domini,
vniuerſos ſermones quos ego mandaui tibi vt loquaris ad eos: noli ſubtrahere verbum:
3 *ſi fortè audiant & conuertantur vnuſquiſque à via ſua mala: & pœniteat me mali*
quod cogito facere eis propter malitiam ſtudiorum eorum. 4 *Et dices ad eos: Hæc*
dicit Dominus: Si non audieritis me vt ambuletis in lege mea quam dedi vobis, 5 *vt*
audiatis ſermones ſeruorum meorum Prophetarum, quos ego miſi ad vos de nocte conſur-
gens & dirigens, & non audiſtis. 6 *Dabo domum iſtam ſicut Silo & vrbem hanc*
dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ. 7 *Et audierunt ſacerdotes & Prophetæ,*
& omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. 8 *Cúmque com-*
pleſſet Ieremias loquens omnia quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuerſum
populum: apprehenderunt eum ſacerdotes & Prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte
moriatur. 9 *Quare prophetauit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus*
hæc: & vrbs iſta deſolabitur, eò quòd non ſit habitator? Et congregatus eſt omnis populus
aduerſus Ieremiam in domo Domini. 10 *Et audierunt principes Iuda verba hæc,*
& aſcenderunt de domo regis in domum Domini, & ſederunt in introitu portæ domus
Domini:

ini noua. 11 *Et locuti ſunt ſacerdotes & Propheta ad principes & ad omnem*
um dicentes: Iudicium mortis eſt viro huic: quia prophetauit aduerſus ciuitatem
, ſicut audiſtis, auribus veſtris. 12 *Et ait Ieremias ad omnes principes & ad*
rſum populum dicens: Dominus miſit me vt prophetarem ad domum iſtam, & ad
tem hanc omnia verba quæ audiſtis. 13 *Nunc ergo bonas facite vias veſtras,*
idia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri: & pœnitebit Dominum mali,
locutus eſt aduerſum vos. 14 *Ego autem ecce in manibus veſtris ſum: facite*
quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris. 15 *Verumtamen ſcitote & cognoſ-*
uod ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos, & contra
tem iſtam & habitatores eius; in veritate enim miſit me Dominus ad vos, vt lo-
r in auribus veſtris omnia verba hæc. 16 *Et dixerunt principes & omnis po-*
ad ſacerdotes & ad Prophetas: non eſt viro huic iudicium mortis: quia in nomine
ſtri locutus eſt ad nos. 17 *Surrexerunt ergo viri de ſenioribus terræ: & dixe-*
ad omnem cœtum populi loquentes: Michæas de Moraſthi fuit Propheta in diebus
hiæ regis Iuda: & ait ad omnem populum Iuda, dicens: 18 *Hæc dicit Domi-*
xercituum: Sion quaſi ager arabitur: & Ieruſalem in aceruum lapidum erit, &
domus in excelſa ſyluarum. 19 *Numquid morte condemnauit eum Ezechias*
ida, & omnis Iuda? numquid non timuerunt Dominum & deprecati ſunt faciem
ni: & pœnituit Dominum mali quod locutus fuerat aduerſum eos? itaque nos fa-
malum grande contra animas noſtras. 20 *Fuit quoque vir prophetans in no-*
Domini: Vrias filius Semei de Cariath-iarim: & prophetauit aduerſus ciuitatem
, & aduerſus terram hanc iuxta omnia verba Ieremiæ. 21 *Et audiuit rex*
n, & omnes potentes & principes eius verba hæc: & quæſiuit rex interficere eum.
diuit Vrias, & timuit, fugitque, & ingreſſus eſt Ægyptum. 22 *Et miſit rex*
n viros in Ægyptum, Elnatham filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum.
Et eduxerunt Vriam de Ægypto & adduxerunt eum ad regem Ioacim, & per-
eum gladio, & proiecit cadauer eius in ſepulchris vulgi ignobilis. 24 *Igitur*
s Ahicam filij Sapham fuit cum Ieremia, vt non traderetur in manus populi, &
cerent eum.

ONTINET caput prophetiam euerſionis Ieroſolymitanæ initio regni eiuſdem Ioacim à Ieremia pronunciatam, cuius cauſa comprehenſus eſt, iorum quorundam oratione liberatus.

Ad omnes ciuitates.] Ad viros omnium ciuitatum, qui veniunt Ieruſalem nplo adoraturi.

Et pœniteat me mali.] id eſt, mutem ſententiam, vt ſuprà c. 18. 8. *Si pœni-m egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus illam, agam & ego pœni-m ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.*

De nocte conſurgens & dirigens.] id eſt, diligenter, magnáque cura; vt ſuprà 13. & 11. 7. & 25. 3. 4. *Et non audiſtis*, id eſt, quos ego ſoleo mittere, vos n ſoletis non audire.

Dabo domum iſtam.] id eſt, templum. *Sicut Silo*, id eſt, faciam huic templo, feci Silo, vbi priùs erat arca, & nomen meum colebatur. Nam ſicut de-i Silo propter peccata populi, ita hoc templum deſtruam. Vide ſuprà c. 7. 4. quæ illic adnotauimus.

Morte moriatur.] מות תמות moriendo morieris, id eſt, certè morieris.

Quare prophetauit.] מדוע נבאת. quia prophetaſti, vt Sept. *In nomine Do-* fingens te loqui iuſſu Domini, cùm ille tibi non præceperit. *Eò quòd non*

ſit habitator. deficientibus habitatoribus in ſolitudinẽ redigetur. vel, מאין יושב. ita vt nemo ſit qui habitet (in ea.) Sept. ἐρημωθήσεται ἀπὸ κατοικούντων. *orbabitur habitatoribus.*

10. *Porta domus Domini noua*] Ionathas interpretatur portam orientalem, quæ omnium maxima erat. Quam docent Rabbini, & R. Dauid recitat, appellatam fuiſſe nouam, quòd ibi cuſtodes renouarentur. Alij fortaſſe meliùs, putant fuiſſe eam, quam Ionathan ædificaſſe dicitur, 4. Reg. 15. 35. idcóque nouam vocari, quòd longo tempore poſt ædificatum templum facta ſit.

11. *Iudicium mortis eſt viro huic.*] id eſt, reus mortis eſt vir hic. Hebraïſmus.

14. *Quod bonum, & rectum eſt in oculis veſtris.*] id eſt, quidquid vobis videbitur, quidquid bonum, rectúmque iudicaueritis.

15. *Scitote, & cognoſcite.*] ידוע תדעי. ſciendo ſcitote, id eſt, certò tamen ſcitote, *quòd ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis*, נתנים. ponetis, id eſt, fundetis *contra voſmetipſos*. qui contra vos, & contra vrbem hanc clamabit, & à Deo vindictam repoſcet, vt ſanguis Abel contra Caim, Gen. 4. 10. vel, Sanguinem innocentem fundetis. עליכם. ſuper vos, id eſt, cuius pœnam præſtabitis, cuius cauſa pœnas dabitis. Hebraïſmus, qualis ille Matt. 23. 35. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ.* & ille Matth. 27. 25. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

18. *Michæas de Moraſthi.*] id eſt, Moraſthites, Mich. 1. 1. ex vico Moraſthi contra Orientem Eleutheropoleos. *Sion quaſi ager arabitur*, id eſt, tota vrbs Ieroſolymitana. Sinecdoche, pars pro toto. Verba ſunt apud Michæam c. 3. 12. *Et mons domus* (Domini) id eſt, mons Moria, vbi erat templum. *In excelſa ſyluarum*, id eſt, erit ſimilis montibus, vbi ſunt ſyluæ, erit plenus arboribus, & dumetis.

19. *Itaque nos facimus.*] ואנחנו עשים. concluſio eſt argumenti à minori ad maius; quaſi dicant, Si ille, qui Rex erat, non occidit Michæam, qui acerbiora contra templum dixerat; valde peccabimus nos, ſi, cùm minores illo ſimus, occiderimus Ieremiam, qui pauciora, & minùs aſpera prædixit. Poſſumus etiam interrogando legere, ואנחנו אשים. & nos faciemus malum grande contra animas noſtras. Sept. καὶ ἡμεῖς ἐποιήσαμεν. *Et nos fecimus malum grande.* Quidam volentes hunc locum corrigere, vitiarunt. Addiderunt enim negationem. Itaque non faciamus malum grande.

20. *Fuit quoque vir prophetans.*] Videtur hoc exemplum eſſe contrarium. Noſtri verò auctores ſic interpretantur, vt iidem ſeniores, qui Michææ exemplum propoſuerunt, hoc etiam proponant. quaſi dicant, Ecce duo exempla; alterum antiquum, & Regis iuſti Ezechiæ; alterum recens, & Regis iniuſti Ioacim. Imitamini ergo bonum Regem, & non malum, & nolite occidere Ieremiam; ſed agite potiùs pœnitentiam. Hebræi, vt R. Salom. & R. Dauid putant hæc non eſſe ſeniorum verba, ſed ſacerdotum, & Prophetarum, qui veteri exemplo, nouum opponant, vt probent occidendum eſſe Ieremiam. *Vrias*, cuius nulla extat prophetia, ſicut neque aliorum multorum Prophetarum. *De Cariath-iarim*, quæ ciuitas erat in tribu Iuda, Ioſue 15. 9.

21. *Et audiuit Rex Ioacim.*] Quæri poteſt, quomodo Vrias ſub Ioacim vaticinatus fuerit, cùm iam eſſet mortuus, cùm Ieremias hæc prædiceret: prædixerit autem hæc initio regni Ioacim, vt dixit ver. 1. Reſpondet R. Dauid eodem anno vtrumque accidiſſe; ſed exemplum Vriæ priùs.

23. *Et eduxerunt Vriam de Ægypto.*] Quo modo ex alieno regno, vbi poteſtatem

Digitized by Google

non habebant, educere potuerunt. Reſpondet Hieronymus; id facilè gra-
ieri potuiſſe, quia Ioacim conſtitutus fuerat Rex Iudææ à Nechao rege Æ-
ti, pro Ioachaz fratre ſuo natu maiore, 4. Reg. 23. 33. 34.

Igitur] id eſt, Cùm ſeniores verbis non potuiſſent Ieremiam liberare,
cam cum manu, ac vi liberauit, ne morti traderetur. Hanc vim habet di-
) *igitur*, aut, *itaque*. Eſt veroſimile Ahicam vnum aliquem ex ſenioribus
fuiſſe, qui conati fuerant populum verbis dehortari, ne Ieremiam occide-
vel certè virum aliquem bonum, magnæque apud populum auctoritatis,
auſus ſit Ieremiam ab eius manibus eripere.

CAPVT XXVII.

IN principio regni Ioacim filij Ioſiæ Regis Iudæ, factum eſt verbum iſtud ad
Ieremiam à Domino dicens: 2 *Hæc dicit Dominus ad me. Fac tibi vincu-*
la & catenas: & pones eas in collo tuo. 3 *Et mittes eas ad regem Edom, &*
regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem
nis: in manu nuntiorum, qui venerunt Ieruſalem ad Sedeciam regem Iuda. 4 *Et*
ipies eis vt ad dominos ſuos loquantur. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël,
dicetis ad dominos veſtros. 5 *Ego feci terram, Et homines & iumenta quæ ſunt*
r faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei
placuit in oculis meis. 6 *Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu*
buchodonoſor regis Babylonis ſerui mei: inſuper & beſtias agri dedit ei, vt ſeruiant
7 *Et ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius: donec veniat tempus*
æ eius & ipſius: & ſeruient ei gentes multæ & reges magni. 8 *Gens autem &*
num quod non ſeruierit Nabuchodonoſor regi Babylonis: & quicumque non curua-
t collum ſuum ſub iugo regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper
em illam, ait Dominus: donec conſumam eos in manu eius. 9 *Vos ergo nolite audi-*
rophetas veſtros, & diuinos, & ſomniatores, & augures, & maleficos qui dicunt vo-
Non ſeruietis regi Babylonis. 10 *Quia mendacium prophetant vobis, vt longè*
faciant de terra veſtra, & eiiciant vos & pereatis. 11 *Porrò gens quæ ſubiecerit*
icem ſuam ſub iugo regis Babylonis, & ſeruierit ei, dimittam eam in terra ſua, dicit
minus: & colet eam, & habitabit in ea: 12 *Et ad Sedeciam Regem Iuda locutus*
ſecundum omnia verba hæc, dicens: Subiicite colla veſtra ſub iugo regis Babylonis, &
ite ei, & populo eius, & viuetis. 13 *Quare moriemini tu, & populus tuus gladio,*
ame, & peſte, ſicut loquutus eſt Dominus ad gentem quæ ſeruire noluerit regi Baby-
? 14 *Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis, Non ſeruietis regi Ba-*
nis: quia mendacium ipſi loquuntur vobis: 15 *Quia non miſi eos, ait Dominus: &*
rophetant in nomine meo mendaciter: vt eiiciant vos, & pereatis tam vos, quàm
phetæ qui vaticinantur vobis. 16 *Et ad ſacerdotes, & ad populum iſtum locutus*
, dicens, Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba Prophetarum veſtrorum, qui pro-
ant vobis dicentes: Ecce vaſa domus Domini reuertentur de Babylone nunc citò, men-
um enim prophetant vobis. 17 *Nolite ergo audire eos, ſed ſeruite regi Babylonis,*
uatis. quare detur hæc ciuitas in ſolitudinem? 18 *Et ſi Prophetæ ſunt, & eſt ver-*
Domini in eis occurrant Domino exercituum, vt non vendat vaſa quæ derelicta
int in domo Domini, & in Domo regis Iuda, & in Ieruſalem, in Babylonem.
Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, & ad mare, & ad baſes, & ad
reliqua

reliqua vaſorum, quæ remanſerunt in ciuitate hac. 20 *Quæ non tulit Nabuchodonoſor rex Babylonis, cùm transferret Iechoniam filium Ioacim regem Iuda de Ieruſalem in Babylonem, & omnes optimates Iuda & Ieruſalem.* 21 *Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël ad vaſa quæ derelicta ſunt in domo Domini, & in domo regis Iuda & Ieruſalem?* 22 *In Babylonem transferentur, & ibi erunt vſque ad diem viſitationis ſuæ dicit Dominus: & afferri faciam ea, & reſtitui in loco illo.*

VINCVLORVM, & catenarum oſtenſo prædicit Deus vicinis Iudæorum gentibus fore, vt omnes Regi Babylonis ſeruiant.

1. *In principio.*] Hebræi hunc primum verſum cum ſuperiori capite tanquam eius epilogum adiungunt; idemque Hieronymus facit. Et verò meliùs cum illo, quàm cum præſenti capite cohæret, vbi non de Ioacim, ſed de Sedecia Propheta vaticinatur. Admonet Hieronymus apud Sept. non eſſe, quod etiam hodie in illis deſideratur. Quò magis miror in Complut. exemplaribus legi. Aliquis fortaſſe vel ex Hebræis, vel ex Latinis codicibus adiecit; quod & aliis locis factum eſſe adnotauimus. Senſus ergo eſt. Hoc eſt verbum, quod factum eſt à Domino ad Ieremiam in principio regni Ioacim, *Dicens*, id eſt, cùm ad eum loqueretur.

2. *Vincula & catenas.*] vel, iuga. מוסרות. vt capite ſequenti 2. 11. ita etiam Ionathas. Hoc eſt non ſolùm verbis, ſed rebus etiam ipſis futura præmonſtrare, quod ſuprà diximus ſolere facere Prophetas. *c.7.v.29.*

3. *Ad Regem Edom.*] Iſti omnes reges, qui hîc numerantur circumuicini Iudæorum erant, quos credendum eſt cognito Regis Babylonis aduentu nuntios ad Sedeciam miſiſſe, vt inito inter ſe fœdere illi reſiſterent. *In manu nuntiorum*, id eſt, per nuntios. Hebraïſmus. *Qui venerunt.* Fortè iam venerant, quia Nabuchodonoſor aduentabat, aut ponitur præteritum pro futuro.

&, illatiuum. 5. *Et dedi eam.*] pro Idcirco dabo eam, vel, do, id eſt, dare ſoleo, vel, dare poſſum eam cui voluero. ו. &, hoc loco illatiua eſt.

6. *Serui mei.*] id eſt, miniſtri, & quaſi carnifices mei ad meam iuſtitiam exequẽdam, vt ſuprà c.25.9.

7. *Et filio eius Euilmerodach.*] 4.Reg.25.27. *Et filio filij eius*, nepoti Baltazar, qui eius filius appellatur, Baruch.1.11. *Donec veniat tempus terræ eius.* id eſt, viſitationis terræ eius, & *ipſius*, donec ille ſimiliter & eius terra puniatur.

8. *Donec conſumam eos.*] עד תמי. id eſt, donec penitus eos concludam, tradámque in manus eius.

Vt, conſecutionem & euentum dicit. 10. *Vt longè faciant.*] למען. *Vt* hoc loco non eſt, vt Græci dicunt, αἰτιατικὸν, ſed ἐπιζευκτικὸν, aut ἀκολουθητικὸν id eſt, non ſignificat cauſam, ſed euentum, & conſecutionem. *Et eijciant.* והדחתי. eiiciant. quaſi dicat, dum vobis perſuadent, vt nõ tradatis vos Regi Babylonis efficiunt, vt ille vos captiuos in Babylonem abducat: quòd ſi vos illi dederitis, ſineret vos in terra veſtra manere vectigales. Hæc autem non Iudæis, ſed vicinis regibus dicuntur.

12. *Et ad Sedeciam.*] id eſt, poſtquam hæc dixi vicinis regibus; eadem dixi Sedeciæ.

16. *Vaſa Domini.*] id eſt, vaſa templi, quibus Domino miniſtrabatur, quæque Nabuchodonoſor iam Babylonem tranſtulerat vnà cum rege Ioachin, 4. Reg. 24. 13.

17. *Quare datur.*] cur dabitur? cur deſtruetur, cùm facilè ſeruari poſſit, ſi vos ſponte dedatis?

18. *Si*

18. *Si Prophetæ ſunt.*] veri, *Occurrant*, id eſt, reſiſtant Domino, orando ſcilicet illum, ne illa ipſa vaſa, quæ in templo, & in domo Regis remanſerunt, etiam Babylonem deportentur.

19. *Ad columnas.*] אל העמודים. de columnis, vel quod attinet ad columnas, mare æneum & baſes. Hæc enim tria vaſorum genera in templo relicta fuerant cùm Ioachin Babylonem ductus eſt. Quæ poſteà Chaldæi confregerunt, & æs earum immenſi ponderis vnà cum Sedecia tranſtulerunt Babylonem, 4. Reg. 25. 13. 16.

21. *Ad vaſa.*] De vaſis, vel, quod attinet ad vaſa, vt ver. 19.

22. *Vſque ad diem viſitationis ſuæ.*] Viſitatio hîc in bonam partem accipitur, id eſt, vſque ad tempus quo ea liberabo de manibus Chaldæorum, & in templum meum reſtituam: quod anno primo Cyri regis factum legimus lib. 1. Eſdræ, cap. 6. 5.

CAPVT XXVIII.

ET factum eſt in anno illo in principio regni Sedeciæ regis Iuda, in anno quarto,
in menſe quinto, dixit ad me Hananias filius Azur Propheta de Gabaon, in
domo Domini coram ſacerdotibus & omni populo dicens: 2 *Hæc dicit Do-*
minus exercituum Deus Iſraël: Contriui iugum regis Babylonis. 3 *Adhuc duo an-*
ni dierum, & ego referri faciam ad locum iſtum omnia vaſa domus Domini, quæ tulit
Nabuchodonoſor rex Babylonis de loco iſto, & tranſtulit ea in Babylonem. 4 *Et Ie-*
choniam filium Ioacim regem Iuda, & omnem tranſmigrationem Iuda, qui ingreſſi ſunt
Babylonem, ego conuertam ad locum iſtum, ait Dominus, conteram enim iugum re-
gis Babylonis. 5 *Et dixit Ieremias Propheta ad Hananiam Prophetam, in oculis*
ſacerdotum, & in oculis omnis populi qui ſtabat in domo Domini: 6 *Et ait Ieremias*
Propheta, Amen, ſic faciat Dominus: ſuſcitet Dominus verba tua quæ prophetaſti, vt re-
ferantur vaſa in domum Domini, & omnis tranſmigratio de Babylone ad locum iſtum.
7 *Verumtamen audi verbum hoc quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus vni-*
uerſi populi. 8 *Prophetæ qui fuerunt ante me & ante te ab initio, & prophetaue-*
runt ſuper terras multas, & ſuper regna magna, de prælio, & de afflictione, & de fame.
9 *Propheta qui vaticinatus eſt pacem, cùm venerit verbum eius, tunc ſcietur Propheta,*
quem miſit Dominus in veritate. 10 *Et tulit Hananias Propheta catenam de col-*
lo Ieremiæ Prophetæ, & confregit eam. 11 *Et ait Hananias in conſpectu omnis popu-*
li dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonoſor regis Babylo-
nis poſt duos annos dierum de collo omnium gentium. 12 *Et abiit Ieremias Pro-*
pheta in viam ſuam, Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam poſtquam confregit
Hananias Propheta catenam de collo Ieremiæ Prophetæ, dicens: 13 *Vade, & di-*
ces Hananiæ, Hæc dicit Dominus, Catenas ligneas contriuiſti, & facies pro eis catenas
ferreas: 14 *Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, iugum ferreum poſui*
ſuper collum cunctarum gentium iſtarum, vt ſeruiant Nabuchodonoſor regi Babylonis,
& ſeruient ei: inſuper & beſtias terræ dedi ei. 15 *Et dixit Ieremias Propheta ad*
Hananiam Prophetam. Audi Hanania, non miſit te Dominus, & tu confidere feciſti
populum iſtum in mendacio. Idcircò hæc dicit Dominus: 16 *Ecce ego mittam te à*
facie terræ: hoc anno morieris: aduerſum enim Dominum locutus eſt. 17 *Et mor-*
tuus eſt Hananias Propheta in anno illo, menſe ſeptimo.

HANANIAS pſeudophropheta tollit iugum, & catenas de collo Ieremiæ. Deus iubet illum pro catenis ligneis ferreas facere, Ieremias denuntiat mortem Hananiæ.

1. *Anno illo.*] quo Ieremias vincula, & catenas collo ſuſpenderat. *In anno quarto*, regni eiuſdem Sedeciæ, vt Hieronymus exponit. Quod principium huius regni dicitur, quia non eſt media pars temporis, quo regnauit: regnauit enim vndecim annos, 4. Reg. 25. Alij interpretantur annum fuiſſe quartum non regni Sedeciæ; ſed hebdomadis requietis terræ. Præceptum enim erat Leuitic. 25. 2. & Deuteron. 15. 1. vt ſeptimo quoque anno terra quieſceret: numerabantur ergo hebdomades annorum, vt in fine vniuſcuiuſque terra, vt Scriptura loquitur, ſabbathizaret. Septima autem exacta hebdomade iubilæus erat. Dicunt igitur quarto anno hebdomadis, השמיטה. remiſſionis, hanc prophetiam editam fuiſſe. Neque hæc interpretatio, neque alia quam afferunt R. Dauid & R. Salomon mihi placet. Itaque in interpretatione Hieronymi acquieſco. Vide cap. 51. 59.

2. *Contriui.*] conteram, præteritum pro futuro, vel, contere conſtitui iugum regis Babylonis, actiuè, id eſt, quod rex Babylonis populo meo impoſuit, vel, quod Ieremias prædixit ab eo imponendum.

3. *Duo anni dierum.*] id eſt, integri ſuo dierum numero conſtantes, vel, vt alij interpretantur; poſt duos annos dierum naturalium, ad differentiam annorum hebdomadum, Dan. 9. 25. Poteſt etiam eſſe hypalage, pro, poſt dies, id eſt, tempus duorum annorum.

6. *Amen.*] id eſt, vtinam ita ſit, vtinam *ſuſcitet Dominus verba tua*, id eſt, vera faciat eſſe. Hebraïſmus vt infrà 33. 14. & Iſai. 44. 26. Ac ſi dicat, Ego quidem opto, vt ita ſit, ſed non ita erit: ſicut è contrario Michæas cap. 2. 11. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potiùs loquerer.* Aliqui putant Ieremiæ nondum fuiſſe reuelatum Hananiam eſſe pſeudoprophetam, propterea neque aſſentiri illi, neque verò diſſentiri; quod indicatur ver. 12.

7. *In auribus tuis.*] id eſt, te, & vniuerſo populo audiente.

8. *Prophetæ.*] Nominatiuus ſine verbo, quod ſæpè fit apud Hebræos: ſenſuſque eſt, Prophetarum, qui ab initio mundi vſque ad præſentem diem fuerunt, alij bella, & res aduerſas, alij pacem, & res proſperas, prædixerunt. Qui prædixerunt bella neceſſe eſt, vt ex euentu probent ſe veros eſſe Prophetas, quia cùm Deus miſericordiæ plenus ſit, facilè malum auertit, quod fuerat comminatus, ſicut accidit in prædicatione Ionæ, Ionæ 3. 10. At qui pacem, & res proſperas annuntiant, non poſſunt niſi ex euentu probare ſe veros eſſe Prophetas, & miſſos à Deo, quia quando Deus promiſit aliquid boni, non ſolet ſententiam mutare. *Sine pœnitentia enim ſunt dona Dei*, ad Rom. 11. 29. Sic interpretantur R. Dauid, & R. Salomon. Quod verum eſt, ſi id non abſolutè intelligamus, quaſi Deus numquam mutet ſententiam bonam in malam, ſi homines bonos mores in malos mutauerint. Dixit enim ſuprà cap. 18. 10. *Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, vt facerem ei.* Sed ita intelligendum eſt, vt Deus faciliùs mutet ſententiam malam in bonam, quàm bonam in malam, quia propenſior eſt ad miſericordiam, quàm ad iram.

An quando Deus promiſit aliquid boni, mutet ſententiam.

10. *Hananias Propheta.*] id eſt, qui Prophetam ſe eſſe dicebat, vel, quem homines Prophetam eſſe opinabantur.

12. *Et abijt in viam.*[id eſt, diſceſſit inde aliò.

13. Cat-

13. *Catenas ligneas contriuiſti.*] quaſi dicat, maiora etiameuc nient malaatque duriora, quàm ego prædixeram, ſicut ferrum durius eſt ligno.
15. *Audi Hanania.*] Non iam vocat Prophetam, vt antè; ſed Hananiam, quia iam compertum habebat eum non eſſe Prophetam.
16. *Mittam te à facie terræ.*] Hebraiſmus. id eſt, tollam te de medio. Videtur Ieremias plura Hananiæ prædicere, quàm à Deo acceperat. At non ita eſt. Hæc enim omnia dixerat illi Deus: ſed tantùm narrauerat de catenis ferreis, vt alluderet ad catenas ligneas quas confregerat Hananias ver. 10.

CAPVT XXIX.

ET hæc ſunt verba libri quæ miſit Ieremias Propheta ad Ieruſalem ad reliquias
ſeniorum tranſmigrationis, & ad ſacerdotes, & ad Prophetas, & ad omnē
populum quem traduxerat Nabuchodonoſor de Ieruſalem in Babylonem.
2 *Poſtquam egreſſus eſt Iechonias rex, & domina, & eunuchi, & principes Iuda,*
& Ieruſalem, & faber, & incluſor de Ieruſalem: 3 *In manu Elaſa filij Saphan: &*
Gamariæ filij Helciæ, quos miſit Sedecias rex Iuda ad Nabuchodonoſor regem Babylonis
in Babylonem, dicens: 4 *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël omni tranſmi-*
grationi, quam tranſtulit de Ieruſalem in Babylonem. 5 *Ædificate domos, & ha-*
bitate: & plantate hortos, & comedite fructum eorum. 6 *Accipite vxores, & genera-*
te filios, & filias: date filijs veſtris vxores, & filias veſtras date viris, & pariant filios, &
filias: & multiplicamini ibi, & nolite pauci eſſe numero. 7 *Et quærite pacem ciuitatis*
ad quam tranſmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax
vobis. 8 *Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Iſraël. Non vos ſeducant Pro-*
phetæ veſtri qui ſunt in medio veſtrum, & diuini veſtri: & ne attendatis ad ſomnia ve-
ſtra quæ vos ſomniatis. 9 *Quia falsò ipſi prophetant vobis in nomine meo, & non*
miſi eos, dicit Dominus. 10 *Quia hæc dicit Dominus: Cùm cœperint impleri in Ba-*
bylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos: & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt re-
ducam vos ad locum iſtum. 11 *Ego enim ſcio cogitationes quas ego cogito ſuper vos, ait*
Dominus, cogitationes pacis & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam.
12 *Et inuocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos.* 13 *Quæretis*
me, & inuenietis: cùm quæſieritis me in toto corde veſtro. 14 *Et inueniar à vobis, ait*
Dominus: & reducam captiuitatem veſtram: & congregabo vos vniuerſis gentibus, &
& de cunctis locis ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reuerti vos faciam de loco ad
quem tranſmigrare vos feci. 15 *Quia dixiſtis: Suſcitauit nobis Dominus Prophetas in*
Babylone. 16 *Quia hæc dicit Dominus ad regem qui ſedet ſuper ſolium Dauid: & ad*
omnem populum habitatorem vrbis huius ad fratres veſtros qui non ſunt egreſſi vobiſcum
in tranſmigrationem. 17 *Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium*
& famem, & peſtem, & ponam eos quaſi ficus malas, quæ comedi non poſſunt, eò quòd peſ-
ſimæ ſint. 18 *Et perſequar eos in gladio, & in fame, & in peſtilentia: & dabo eos in ve-*
xationem vniuerſis regnis terræ, in maledictionem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in op-
probrium cunctis Gentibus ad quas ego eieci eos. 19 *Eò quòd non audierit verba mea,*
dicit Dominus: quæ miſi ad eos per ſeruos meos Prophetas de nocte conſurgens, & mittens
& non audiſtis: dicit Dominus. 20 *Vos ergo audite verbum Domini omnis tranſ-*
migratio, quam emiſi de Ieruſalem in Babylonem. 21 *Hæc dicit Dominus*
exercituum Deus Iſraël ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maaſiæ,

qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis: & percutiet eos in oculis veſtris. 22 *Et aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Iuda, quæ eſt in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab quos frixit rex Babylonis in igne,* 23 *Pro eo quod fecerint ſtultitiam in Iſraël, & mœchati ſunt in vxores amicorum ſuorum, & locuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter quod non mandaui eis, Ego ſum iudex & teſtis, dicit Dominus.* 24 *Et ad Semeiam Nehelamitem dices:* 25 *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, pro eo quòd miſiſti in nomine tuo libros ad omnem populum qui eſt in Ieruſalem, & ad Sophoniam filium Maaſiæ ſacerdotem, & ad vniuerſos ſacerdotes, dicens,* 26 *Dominus dedit te ſacerdotem pro Ioiade ſacerdote: vt ſis dux in domo Domini ſuper omnem virum arreptitium & prophetantem, vt mittas eum in neruum, & in carcerem.* 27 *Et nunc quare non increpaſti Ieremiam Anathotiten, qui prophetat vobis?* 28 *Quia ſuper hoc miſit in Babylonem ad nos, dicens: Longum eſt: ædificate domos & habitate: & plantate hortos, & comedite fructus eorum.* 29 *Legit ergo Sophonias librum iſtum in auribus Ieremiæ Prophetæ,* 30 *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, dicens:* 31 *Mitte ad omnem tranſmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten: pro eo quod prophetauit vobis Semeias, & ego non miſi eum, & fecit vos confidere in mendacio.* 32 *Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego viſitabo ſuper Semeiam Nehelamiten, & ſuper ſemen eius: non erit ei vir ſedens in medio populi huius, & non videbit bonum quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia præuaricationem locutus eſt aduerſus Dominum.*

MITTIT Ieremias librum ad Iudæos, qui cum Iechonia Babylonem ducti fuerant, monens vt domos ſibi in Chaldæa ædificent, & vxores ducant, fore vt longo tempore in captiuitate maneant. Poſt ſeptuaginta autem annos in patriam reuertantur.

1. *Verba libri.* [הספר. epiſtolæ, quam miſit Ieremias. *Ad reliquias ſeniorum,* id eſt, ad eos ſenes, ſacerdotes, & Prophetas qui nondum in exilio mortui fuerant.

2. *Poſtquam egreſſus eſt.*]Non dixit, Ductus eſt, ſed *egreſſus eſt*: quia ſponte ſua dedit ſe Regi Babylonis. 4. Reg. 24. 12. Sicut ſuprà eius in Chaldæam abductionem non captiuitatem; ſed egreſſionem & traſlationem vocauit, cap. 22. 11. 12. *Et Domina,* id eſt, mater Iechoniæ, vt ſuprà c. 13. 18. *Dic Regi & Dominatrici* גבירה. vt hoc loco, Mater enim eius cum eo Babylonem ducta eſt. 4. Reg. 24. 12. *Faber & incluſor,* id eſt, auri fex & gemmarum includendarum peritus, aut machinarum bellicarum inuentor, & caſtrametandi, vrbiúmque obſidendarum artifex, vt ſuprà cap. 24. 1. Hi enim dicuntur cum Iechonia Babylonem ducti. 4. Reg. 24. 14. 16.

3. *In manu Elaſa*] id eſt, per Elaſa. Hebraiſmus ſæpe à nobis explicatus. Eſt autem longum ὑπέρβατον. Iungenda enim ſunt hæc verba cum illis verſus primi. *Quæ miſit Ieremias.* Dubitabit autem aliquis, quomodo Sedecias nuntios miſerit ad regem Babylonis, cùm iam ab eo defeciſſet. 4. Reg. 24. 20. Reſpondent aliqui probabiliter Sedeciam, cùm vidiſſet mortuum eſſe Hananiam, quemadmodum Ieremias prædixerat, cœpiſſe Ieremiæ fidem habere, legatóſque ad Regem Babylonis deſtinaſſe, qui tributum ad eum ferrent, & de reconcilianda pace cum illo agerent. *Dicens,* (Ieremias) quæ dicuntur.

5. *Ædificate.*] Inſinuatio eſt, id eſt, diu eritis in Chaldæa, itaque poteritis ædificare domos, & plantare hortos, & eorum fructus edere antequam inde

reuer-

rtamini; ſicut è contrario dixit ſuprà cap. 16. 2. *Non accipies vxorem, & non* *tibi filij, & filiæ in loco iſto.*

In pace illius erit pax vobis.] quaſi ciues ſitis illius, non aduenæ, qui poſſitis uente bello, fugere quò velitis.

Et ego non miſi.] Heb. cùm ego non miſerim.

Cùm cœperint impleri.] Videntur hæc cum ſuperioribus non cohærere. ſenim iubebat ædificare domos, quaſi longo tempore in exilio futuri eſ- : nunc verò videtur eos conſolari, quaſi breui tempore ab exilio redituri Sed non ita eſt. Sunt enim hæc verba per negationem intelligenda. quaſi t, Plantate, & ædificate; non enim redibitis inde antequam ſeptuaginta completi incipiant. *Et ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum*, id eſt, effi- ı, vt verum ſit; complebo quod ſuprà vobis promiſi, cap. 25. 12. fore vt ſeptuaginta annos, reducam vos in Ieruſalem. Eundem Hebraiſmum ex- uimus ſuprà cap. 28. 6.

Ego enim ſcio.] id eſt, vos neſcitis, neque quiſquam præter me, & Prophe- quibus ego patefacio, *Cogitationes pacis.* Poſt ſeptuaginta annos. nam ante mpus, cogitationes afflictionis cogitabat. *Vt dem vobis finem, & patientiam,* t, optatum finem, quémque patienter expectaſtis. Heb. אחרית ותקוה. *fi- & expectationem*, id eſt, fœlicem captiuitatis exitum, quem vos expectatis, ponit R. Dauid. Septuaginta longè à verbis Hebraicis τοῦ δοῦναι ὑμῖν ταῦτα. *m vobis hæc*, id eſt, mala, quæ dicebat ſe non cogitare; quaſi ſenſus ſit, Non to reddere vobis mala: ſed bona.

Et inuocabitis me, & ibitis.] id eſt, ambulabitis in vijs meis, vt exponit R. id, vel, quod magis mihi placet, Inuocabitis me orantes, vt redeatis in m veſtram, & redibitis, ſicut ſtatim dicit, *Orabitis me, & ego exaudiam vos.* uag. hæc verba non reddiderunt. Chaldæus verò ſic. Et orabitis coram & ego ſuſcipiam orationem veſtram; quæretis à facie mea, & faciam de- ationem veſtram.

Quia dixiſtis.] Non videtur benè hærere cauſalis dictio, *quia.* Sed ſenſus propterea hæc vobis prædixi, propterea certum vobis tempus præfixi, vt ſi r vobis pſeudoprophetæ veſtri vaticinati fuerint, non credatis illis. Soletis ı nimiùm illis confidere, & iactare etiam in media captiuitate Prophetas s à Domino datos eſſe.

Ad Regem qui ſedet.] id eſt, ad Sedeciam qui nunc regnat. Septuag. hæc ia vſque ad verſum 21. prætermiſerunt, vt & Hieronymus monuit. Ali- autem Complutenſibus exemplaribus adiecit, quod multis alijs locis eum ſe animaduertimus.

In vexationem.] לזועה. in commotionem, id eſt, faciam vt vagentur, at- diſpergantur per vniuerſa regna, vt ſuprà capite 24. 9. Deuteronom. 29. .8.

De nocte conſurgens.] השכם. *manè conſurgens*, id eſt, diligenter, magnóque o mittens, vt ſuprà cap. 7. 13. & cap. 11. 7. & infrà cap. 35. 14. Sed no- nterpres vertit aliquando *de nocte conſurgens*, vt ſuprà cap. 25. 3. *Et non au-* , mutatio perſonæ.

Ad Achab, & ad Sedeciam.] Sunt qui putent apud Hebræos, vt Hieron. hos fuiſſe duos illos ſenes, qui Suſannæ pudicitiæ inſidiati ſunt Daniel. o. ideóque dictum eſſe, *egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus.* Sed non poteſt hoc tenire, cum Danielis hiſtoria, in qua ſenes illi non frixi, ſed lapidati fuiſſe

rrantur; neque mihi vulgaris quorumdam conciliatio probatur, cùm nihil ſit, quod cogat nos Hebræorum fabulis credere.

22. *Quos frixit.*] קלם. quos frixit, vel aſſauit, vel torruit, vel, cremauit.

23. *Ego ſum iudex & teſtis.*] id eſt, nemo poteſt fallere me, quia ego ipſe, qui iudicaturus ſum teſtis ſum oculatus. Malach. 3. 5. *Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris*, H. הידע ועד. Cognoſcens, & teſtans, id eſt, ego qui rectè noui, teſtabor. Sept. priorem dictionem prætermiſerunt. Chald. Mihi notum eſt, & verbum meum teſtabitur.

24. *Nehelamitem.*] ex oppido Nehelam, quod nuſquam aliâs in ſcriptura legitur. R. Salom. nomen loci eſſe dicit. Ionathan ex Helam. R. Dauid חולם. ſomniatorem interpretatur, quaſi non ſit nomen proprium loci; ſed epitheton falſi Prophetæ.

25. *Libros.*] ספרים. litteras, Noſter interpres frequenter libros vertit, vt ſuprà ver. 1. quod & Sept. facere ſolent.

26. *Sacerdote v.*] ſummum, Ioiadas enim ſummus ſacerdos fuerat, vt colligitur ex 4. Reg. cap. 11. 4. 15. 16. 17. Facit autem mentionem Ioiadæ potiùs, quàm aliorum ſummorum ſacerdotum, quamuis alij viciniores eſſent, quia, vt Hieronymus obſeruat, Ioiadas Mathan ſacerdotem Baal occiderat. 4. Reg. 11.
Mos Prophetarum. 18. & 2. Paral. 23. 17. quaſi dicat, cùm teneas locum Ioiadæ cur non eũ imitaris, occidiſque Ieremiam, ſicut ille occidit Mathan. *Arreptitium*, qui fingit ſe ſpiritu Dei abripi more Prophetarum. Solebant enim Prophetæ furioſis hominibus ſimiles videri, Nam & nudos aliquando ceciniſſe legimus. 1. Reg. 19. 24. Hoc ſignificat hoc loco משגע. inſanum, furioſum, ſic enim vocauit rex Achis Dauidem, cùm ſe inſanum fingeret. 1. Reg. 21. 14. 15. *Et prophetantem.* Heb. in hithpael מתנבא. ſignificat hominem, qui fingit ſe eſſe Prophetam. In neruum. המהפכת. vide ſuprà cap. 20. 2. *Et in carcerem.* R. Dauid הצינק. interpretatur כלי מסגר לידים. manicas, alij carcerem.

27. *Qui prophetat vobis.*] התנבא. qui apud vos Prophetam ſe eſſe fingit, vt verſu præcedenti.

28. *Quia ſuper hoc.*] id eſt, non contentus apud vos vaticinari, voluit etiam nobis, qui in Babylone ſumus, per litteras vaticinari. alij, כי על כן. quia ideo miſit in Babylonem, id eſt, quia a vobis non caſtigatur, audet etiam ad nos ſeribere. *Longum eſt*, tempus, quo in captiuitate futuri eſtis, ארכה היא. fœminini generis, quia intelligitur, vt ait Quimchi גולה. *captiuitas.* quaſi dicat, longa vobis captiuitas futura eſt. Eodem modo R. Salomon. Sept. μακράν ἐστι. *longè abeſt.* ſub. liberatio veſtra. *Ædificate domos.* vide ſuprà ver. 5.

29. *Librum.*] ספר. epiſtolam hanc, vt ſuprà ver. 1. & 25. In auribus Ieremiæ, non occultè, vt quidem interpretantur, ſed potiùs publicè audiente non ſolùm populo, verùm ipſo etiam Ieremia. Hoc enim ſignificat Hebraiſmus.

31. *Mitte.*] ſcribe literas שלח. apud Hebræos idẽ ſignificat aliquando, quod apud Græcos ἐπιστέλλειν literas mittere, quod Latini vno verbo dicere non poſſunt. *Ad omnem tranſmigrationem*, id eſt, ad omnes Iudæos, qui hinc Babylonem migrarunt cum Iechonia.

32. *Sedens.*] id eſt, habitans inter Iudæos, *ſemen* enim *impiorum peribit.* Pſalm. 36. 28. *Et non videbit bonum, quod ego faciam*, id eſt, reductionem populi in Iudæam, quia falsò populo prædixit eam breui tempore futuram, vt per quæ
Sap. 11. 17. quis peccat, per eadem puniatur, ſicut 4. Regum 7. 1. 2. Cùm Eliſæus prædixiſſet fore vt die ſequenti modius ſimilæ in porta Samariæ, ſtatere vno venderetur

deretur

ur; reſpondiſſetque dux quidam, *Si Domino fecerit etiam cataractas in cœlo,*
uid poterit eſſe, quod loqueris? Eliſæus dixit, *videbis oculis tuis & inde non come-*
imilis locus ſuprà cap. 17. 6. *Erit quaſi myrica in deſerto, & non videbit, cùm*
t bonum, quia prauaricationem, id eſt, quia falſa prædicendo fecit populum
ricari. Alij, quia præuaricans locutus eſt, id eſt mala fide, contra quam
bat. Sept. ἀποστασίαν.

CAPVT XXX.

IO C verbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens: 2 Hæc dicit
Dominus Deus Iſraël, dicens: Scribe tibi omnia verba quæ locutus ſum ad te
in libro 3 Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus: & conuertam
ionem populi mei Iſraël & Iuda, ait Dominus: & conuertam eos ad ter-
uam dedi patribus eorum, & poſſidebunt eam. 4 Et hæc verba quæ locutus eſt
us ad Iſraël, & ad Iudam. 5 Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris
mus, formido, & non eſt pax. 6 Interrogate, & videte: ſi generat maſculus?
rgo vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum, quaſi parturientis, & conuerſæ
uerſæ facies in auruginem. 7 Væ, quia magna dies illa, nec eſt ſimilis eius
ue tribulationis eſt Iacob, & ex ipſa ſaluabitur. 8 Et erit in die illa, ait Do-
xercituum: conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius diſrumpam, & non
buntur ei ampliùs alieni: 9 ſed ſeruient Domino Deo ſuo, Et Dauid regi
n ſuſcitabo eis. 10 Tu ergo non timeas ſerue meus Iacob, ait Dominus, neque
Iſraël: quia ecce ego ſaluabo te de terra longinqua, & ſemen tuum de terra capti-
orum: & reuertetur Iacob, & quieſcet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem
t: 11 Quoniam tecum ego ſum, ait Dominus, vt ſaluem te: faciam enim con-
ionem in cunctis gentibus in quibus diſperſi te: te autem non faciam in conſum-
m: ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. 12 Quia hæc di-
inus: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. 13 Non eſt qui iudicet
t tuum ad alligandum: curationum vtilitas non eſt tibi. 14 Omnes amato-
lui ſunt tui, téque non quærent: plaga enim inimici percuſſi te caſtigatione crude-
r multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua. 15 Quid cla-
r contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis
ropter dura peccata tua feci hæc tibi. 16 Propterea omnes qui comedunt te,
ntur, & vniuerſi hoſtes tui in captiuitatem ducentur, & qui te vaſtant, vaſta-
unctóſque prædatores tuos dabo in prædam. 17 Obducam enim cicatricem
vulneribus tuis ſanabo te: dicit Dominus. Quia eiectam vocauerunt te. Sion
ua non habebat requirentem. 18 Hæc dicit Dominus. Ecce ego conuertam
nem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miſerebor, & ædificabitur ciuitas in ex-
& templum iuxta ordinem ſuum fundabitur. 19 Et egredietur de
vóxque ludentium: & multiplicabo eos, & non minuentur: & glorificabo
non attenuabuntur. 20 Et erunt filij eius ſicut à principio, & cœtus
m me permanebit: & viſitabo aduerſum omnes qui tribulant eum. 21 Et
ius ex eo: & princeps de medio eius producetur: & applicabo eum, & ac-
me, quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum, vt appropinquet mihi, ait
? 22 Et eritis Mihi in populum: & Ego ero vobis in Deum.
e, turbo Domini furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquieſ-
cet

cer. 24 *Non auertet iram indignationis Dominus: donec faciat & compleat cogitationem cordis ſui, in nouiſſimo dierum intelligetis ea.*

IVBET Deus Ieremiam ſcribere ſua vaticinia: prædicit liberationem populi, & omnium rerum in priſtinum ſtatum reſtitutionem.

2. *Scribe tibi.*] Tibi Hebraicè redundat, ſicut & Latinè ſæpe. Iubet ſcribere, commendationis, & exaggerationis cauſa, vt conſtet ſingulare eius erga populum beneficium, vel, vt ait R. Dauid, quia res erat longo poſt tempore euentura, ne memoria excideret, vt Habacuc. 2. 2. 3. *Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat, qui legerit eum: quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem. Quæ locutus ſum.* præteritum pro futuro, quæ nunc loquar de populi liberatione.

3. *Conuertam conuerſionem.*] id eſt, tranſmigrationem, captiuitatem *populi mei*, vt Chald. & Sept. interpretantur: vel, *conuertam conuerſionem*, id eſt, qui conuertendi ſunt, electos, prædeſtinatos, non enim omnes conuertendi erant: ſed multi in Chaldæa morituri. Ita intelligi poteſt, quod ſequitur, *Iſraël & Iuda*, in quo valdè omnes interpretes laborant, vt explicent quomodo Iſraël redierit ex Chaldæa, cùm non legamus niſi tribum Iuda, & Beniamin rediiſſe.

An ex tribubus Iſraël redierint aliqui.

Omnes & Hebræi, & noſtri de tempore Chriſti, & reductione Iſraël ad Eccleſiam interpretantur, quod mihi non diſplicet: ſed nolim vt myſterium hiſtoriam euellat: ſed vt ex ea potiùs naſcatur. Itaque malo dicere hunc locum de reditu etiam Iſraël intelligendum eſſe. Non quod omnes redierint; ſed quòd reliquiæ ſaluæ fuerint, & redierint in Samariam. Hoc enim promittitur etiam Iſraël Iſai. 10. 22. Atque propterea dicit, *conuertam conuerſionem*, id eſt, qui conuertendi ſunt.

5. *Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris audiuimus.*] R. Dauid & eum ſecuti multi putant hæc verba recitari, quaſi à gentibus tempore Chriſti dicenda. Magis probo, quod alij dicunt à Deo dici, qui ſe cum hominibus connumerat, aut à Chriſto nomine Eccleſiæ ſuæ, ſicut dicit Act. 9. 4. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* cùm non illum, ſed Eccleſiam perſequeretur. Referunt autem hoc alij ad bellum Gog, & Mogog, de quo Ezech. 39. & Apocal. 20. 18. ſic R. Salomon, alij ad tempus Antichriſti: alij ad Eccleſiæ poſt Chriſtum perſecutionem. Mihi verò videtur de captiuitate, & ſeruitute Iſraël non incommodè legi poſſe. Loquitur enim Deus de ſeruitute, qua Iſraël apud varias gentes opprimebatur, à qua promittit ſe eum liberaturum, vt explicatur ver. 8. & 10. & 11. etſi non nego myſticè de liberatione à tyrannide Satanæ intelligi debere. *Formido & non eſt pax.* H. in genitiuo, formidinis, & non pacis.

6. *Si generat maſculus.*] אם יולה זכר. num pariat vir, quaſi dicat, non. viri enim non pariunt, ſed mulieres. Sic etiam Sept. *εἰ ἔτεκεν ἄρσεν.* Si ergo non pariunt, cur omnes habent manus ſupra lumbos, more parturientis mulieris. Solent enim mulieres parturientes manus ſuper lumbos ponere ad comprimēdum dolorem. *Et conuerſa ſunt vniuerſa facies in auruginem:* ירקון. pallorem, rubiginem, eruginem ſignificat, vt Deuteron. 28. 20. Noſter interpres auruginem reddidit, minùs quidem Latino verbo: ſed ſignificante. Voluit enim auri pallorem vna voce exprimere. Sept. eodem ſenſu *ἴκτερον* vocauerunt. Intelligenda autē eſt in hac interrogatione hæc reſponſio, quia omnes perterriti ſunt.

7. *Magna dies illa.*] Magnam vocat diem, id eſt, formidabilem, calamitate inſignem, vt Sophon. 1. 14. 15. *Iuxta eſt dies Domini magnus, iuxta eſt, & velox*

nimis

nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, Dies iræ dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ. Simile quidquam Amos 5.18. loquitur autẽ de toto tempore, quo Iuda, & Iſraël exulaturi erant. vtrumque enim comprehendit nomen Iacob, cùm abſolutè ponitur. Myſticè verò aut de Eccleſiæ perſecutione, aut de extremi iudicij die intelligi poteſt, quæ in ſcripturis ſanctis dies magna vocari ſolet, vt in epiſtola Iudæ. ver.6. *Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domicilium in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* & Apocal.6.17. *Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* & cap.16.14. *Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* R. Dauid, & R. Salom. de bello Gog & Magog interpretantur. *Et ex ipſa ſaluabitur. Ex ipſo*, legendum, vt omnes vetuſti codices habent; præterquam quod ita Hieron. & omnes veteres interpretes legunt, & Sept. genere quoque maſculino conuertunt, ϗ ἀπὸ τούτου σωθήσεται; vt ad tempus referatur. H. fœmininum genus eſt, poteſt vel ad צרה. tribulationem, vel ad עת. tempus referri, vtrumque enim fœminini generis eſt.

Dies Iudicij extremi dies magna vocari ſolet ſcript.

Editio vlt. correcta.

8. *Iugum eius.*] relatiuum ſine antecedente, quod Hebraicè ſæpe fit, id eſt, iugum eius tyranni, in cuius eris poteſtate. *Et non dominabuntur ei*, id eſt, tibi. mutatio perſonæ, dixerat enim *de collo tuo*, vel; *ei*, id eſt, Iacob. Similis ſententia Iſai. 10.27. *Et erit in die illa, auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo.* & Nahum.1.12.13. *Afflixi te, & non affligam te vltrà, & nunc conteram virgam eius de dorſo tuo, & vincula tua diſrumpam.*

9. *Et Dauid regi ſuo.*] id eſt, Chriſto, qui ex progenie Dauid generabitur, cuiq; dabo ſedem Dauid patris ſui, Lucæ 1.32. Sic interpretantur non ſolùm doctores noſtri: ſed etiam Hebræi, vt R. Dauid in comment. & Ionath. in paraphraſi. ſimilis locus Ezech.37.25. *Et Dauid ſeruus meus princeps eorũ in perpetuum. Quem ſuſcitabo eis, Ex ſemine Dauid.* Deut. 18.15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Notus Hebraiſmus. Suſcitare pro generare, vel, ſuſcitabo à mortuis.

Per Dauid Chriſtum ſæpè intelligit ſcriptura.

Hebraiſmus.

10. *Et cunctis affluet bonis.*] Eodem modo Aquila, & Symmachus verterunt nõ verba, ſed ſenſum intuentes שאנן. *pace fruetur.* Pax autem, vt ſæpe monuimus, omnium bonorum abundantiam ſignificat. ſpectant autem hæc primùm ad reditum ab captiuitate. Deinde ad tempus Chriſti. Veriſſimè verò ad alteram vitam, & cœleſtem Ieruſalem. Sicut illud Nahum. 1.15. *Non adijciet vltrà vt pertranſeat in te Belial, vniuerſus interijt.* In hoc enim mundo ſemper preſſuram habebimus. Ioan.16.33. Portò, nec hic verſus neque ſequens apud Septuag. leguntur, vt etiam Hieron. admonuit: Qui autem in Complutenſibus exemplaribus ſunt, ex Symmachi verſione deſumpti ſunt. Nam in fine ſequentis verſus legimus, ϗ καθαρίζων ὐ καθαριῶ: quemadmodum Hieronymus Symmachum vertiſſe dicit, vel ex Theodotione, vt ipſe Hieron. ait.

Supplementa Septuag quæ in Complut. cod ſunt, ex verſione Symmach

11. *Faciam enim conſummationem.*] id eſt, penitus eas abolebo, te autem non abolebo, ſed iudicio caſtigatum ſeruabo. Eandem phraſim notauimus ſuprà cap. 4.27. & cap. 5.10.18. & Iſai. 10.22.23. & 28.22. *Sed caſtigabo te in iudicio.* Iudicium hoc loco miſericordiam ſignificat, & iræ, furorique opponitur, ac ſummo iuri, vt alijs etiam locis adnotauimus. vt ſuprà cap. 10.24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio; & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* Senſus ergo eſt, alias gentes in furore meo arguam, penituſque diſperdam, te verò benignè caſtigabo, non tamen abolebo. Ita etiam Ionath.

Iudicium pro miſericordia hoc loco.

P *Vt non*

Digitized by Google

Vt non videaris tibi innoxius, id eſt, innocens, ſi te omnino non caſtigauero. H: נקה לא אנקך. Significat autem נקה. innocentem eſſe, mundare, ſuccidere. Itaque noſter interpres vertit, ne innoxius tibi videaris. Symmachus verò auctore Hieronymo, *Mundans non mundabo te.* id eſt, non abſtergam te penitus, non excoquam te ad purum, non agam tecum ſummo iure, multa peccata tua diſſimulabo; nam ſi omnia purgare vellem, conſummationem in te facerem, ſicut in cæteras gentes, citiùs te frangerem, quàm corrigerem. Alij alia verbi ſignificatione, ſed eodem ſenſu. Succidendo non ſuccidam te, vt R. Dauid. Ionath. verò, perdendo non perdam te. Sententia eſt vna. Seruabo te, vt antè dixerat. Theodot. Non tamen indemnem, & innoxium te relinquam, id eſt, non feram, quin ſentias afflictionem.

12. *Inſanabilis fractura tua.*] fracturam, & plagam vocat pœnam, qua à Domino caſtigandus erat, vt Hieronym. putat: quod confirmat quod ſequitur ver, 14. *Plaga enim inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli:* quaſi rationem reddat cur in iudicio, & non in furore eum caſtigauerit; quia ſi ſeueriùs caſtigauiſſet, prorſus perdidiſſet. Nam cùm moderatè tantum caſtigauerit, tamen plagam illi inſanabilem, fecit: inſanabilem, inquam, ab hominibus, non à Deo. quaſi dicat, nemo præter me poteſt te ab exilio, & ſeruitute liberare, qua te affligam. hanc enim vocat plagam. Alij fracturam, & plagam peccata vocari putant, vt videtur explicari ver. 14. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua,* id eſt, incurabilia: quaſi dicat, propterea in iudicio, & non ſummo iure caſtigaui te, quia peccata tua nullis pœnis expiari poterant, niſi prorſus occiderem, quod facere nolui propter promiſſionem meam. ſuprà cap. 4. 27. & c. 5. 10. 18.

13. *Non eſt qui iudicet.*] id eſt, nullus chirurgus eſt, qui cognoſcat plagam tuam, vt eam liget, vt Iſai. 1. 6. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens: non eſt circumligata, nec curata medicamine neque fota oleo. Iudicare iudicium tuum.* Hebraiſmus, id eſt, in fauorem tuum, vt iudicare iudicium pauperum, id eſt, in fauorem pauperũ, ſuprà c. 5. 28. Alij למזור. interpretantur ad medicinam, aut ſanitatem. *Cura-*
Hebraiſmus. Iudicare iudicium tuũ.
tionum vtilitas. רפאות תעלה. Sanationes, & curatio non ſunt tibi. R. Dauid dicit poſterius verbum expoſitionem eſſe prioris. Sept. ἰατρεύθης, ὠφέλεια οὐκ ἔστι σοι. *curata es, vtilitas non eſt tibi.* alio prorſus ſenſu.

14. *Omnes amatores tui.*] actiuè, Dij alieni, quos amabas; aut Ægyptij, quibus confidebas *obliti ſunt tui*, præteritum pro futuro, vt ſup. cap. 4. 30. *fruſtra componêris, contempſerunt te amatores tui*; & cap. 22. 20. *Contriti ſunt omnes amatores tui. Plaga enim inimici* id eſt, hoſtili, magna, crudeli, vt ſtatim explicat, qua ſolet hoſtis hoſtem percutere. Videtur hæc ſententia ſuperiori eſſe contraria, qua dixit ver. 11. *caſtigabo te in iudicio.* ſed non eſt. Illic enim tantùm ſignificauit Deus ſe lenius cum eo egiſſe, quàm eius peccata merebantur: hoc autem loco, propter peccatorum multitudinem grauiter eum caſtigaſſe. *Caſtigatione crudeli,* אכזרי crudelis in genitiuo, id eſt, inimici, vt antè dixit. Eſt enim repetitio. *Dura facta ſunt peccata tua*, id eſt, incurabilia, quia antiquis peccatis noua addidiſti. Hebræi præpoſitionem intelligunt. Quia multiplicata eſt iniquitas tua, עצמו. & corroborata ſunt peccata tua, id eſt, aucta ſunt numero, & magnitudine. Sic Ionat. Sept. aliter verba iunxerunt. παιδείαν στερεὰν ἐπὶ πᾶσαν ἀδικίαν σου, ἐπλήθυναν αἱ ἁμαρτίαι σου. *Caſtigationem duram propter omnem iniquitatem tuam: multiplicata ſunt peccata tua.*

15. *Quid clamas*] id eſt, quid quereris te contritam eſſe, dolorémq; tuum eſſe inſanabilem: meritò enim hæc tibi acciderunt propter multitudinẽ iniquitatis tuæ,

tuæ, & quia multiplicata ſunt peccata tua, vt ver. præcedenti. Sic R. Dauid,& inter noſtros Theodoretus interpretantur. Querelas audiuimus ſuprà c. 10. 19. *Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea.* & c. 15. 18. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.*

16. *Propterea.*] ſcilicet ne conquerare te puniri, hoſtes verò tuos non puniri, grauiùs eos puniam, quàm te. Iſai. 33. 1. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſpernêris? Cùm conſummaueris deprædationem, deprædaueris; cùm fatigatus deſieris contemneris.* Habacuc. 2. 8. *quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes.* Apocal. 13. 10. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.*

17. *Obducam enim cicatricem.*] id eſt, Sanabo te. ארוכה. ſanitatem, vt Sept. & Chald. tranſtulerunt, id eſt, adhibebo tibi medicamentum, quo te ſanem, *Quia eiectam vocauerunt te*, id eſt, expulſam à Deo, ſicut vxorem à viro repudiatam exiſtimarunt te eſſe inimici tui, & quaſi non habentem *requirentem*. id eſt, qui curam haberet tui, ideo te audaciùs perſecuti ſunt, *Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite, quia non eſt, qui eripiat.* Pſalm. 70. 11. H. ציון היא דרש אין לה. Sion eſt, quam nemo quærit. Noſter interpres Sionis nomen prætermiſit, integro tamen ſenſu.

18. *Conuertam conuerſionem tabernaculorum.*] id eſt, reducam tabernacula Iacob, quæ hinc tranſlata ſunt, vt ſuprà ver. 3. & infrà cap. 33. 7. 11. 26. Tabernacula vocat ſingulas familias Iacob, quæ in captiuitatem diſperſæ more peregrinorum in tabernaculis habitabant, vt tunc, cùm ex Ægypto venirent Leuit. 23. 43. *Et tectis eius.* ומשכנותיו. & tabernaculorum eius miſerebor, reducendo ea, repetitio. *Et ædificabitur ciuitas.* Ieruſalem, *In excelſo ſuo*, id eſt in monte Sion, vbi antè erat. *Et templum iuxta ordinem ſuum*, id eſt, in priſtinum ſtatum reſtituetur H. וארמון. *palatium*, id eſt, regia, vt R. Dauid exponit; quamquam Chaldæus, & Sept. templũ interpretantur. *Iuxta ordinem ſuum.* על משפטו ישב. ſecundum iudicium ſuum ſedebit, ad verbum, id eſt, ad priſtinum decorem ſuum ſtabilietur. Hebraïſmus. Hæc, vt diximus, partim tempore Zorobabelis, partim tempore Chriſti in Eccleſia facta ſunt, omnino autem in cœlo perficientur, vbi Ieruſalem ædificabitur, qualem Ioannes deſcribit Apocal. c. 21. 12.

Tabernacula vocat ſingulas familias.

19. *Et egredietur de eis.*] à filiis Iacob. relatiuum ſine antecedente, Hebraïco more, *Laus*, id eſt, gratiarum actio ob beneficium reſtitutionis à me acceptum. תודה. *Voxque ludentium*, id eſt, gaudentium. משחקים. *cantantium*, vt Ionath. ait. *Et glorificabo*, id eſt, præ multitudine glorioſos efficiam. Repetitio: idem enim eſt. *Glorificabo*, & *Multiplicabo*: *Non attenuabũtur*, & *Non minuentur.* Zachar. 8. 5. *Plateæ ciuitatis cõplebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.*

20. *Et erunt filij eius.*] Iacob. *Sicut à principio*, id eſt, multi: proſequitur enim illam ſententiam præcedentis verſus. *Multiplicabo eos.* Senſus myſticus ad Eccleſiam commodiſſimè transfertur. Iacob, Chriſtus; duodecim eius filij, vnde infiniti poſteri propagati, duodecim Apoſtoli, qui infinitam Chriſtianorum multitudinem genuerunt; ciuitas ſupra montem ædificata, Eccleſia Catholica omnibus conſpicua, quæ latêre non poteſt.

21. *Et erit dux eius.*] אדירו. inclytus eius, id eſt, dux, princeps eius, vt ſtatim explicat, Chriſtus, qui ſecundum carnem ex Iacob originem duxit. Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus.* & Michææ 5. 2. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Sic etiam Hebræi,

vt R. Dauid, & Chald. interpretantur. *Et applicabo eum, & accedet ad me.* recipiam eum, ſicut pater chariſſimum filium. Idem valet hæc ſententia, vt ait R. Dauid, ac ſi diceret, *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium*, 1. Paral. 13. *Quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum*, id eſt, quis enim eſt alius præter illum, qui audeat in animum inducere, vt vocet ſe filium meum? Solus enim Chriſtus natura, nos adoptione Dei filij ſumus.

23. *Procella ruens.*] magno impetu veniens, מתגורר. conglobans ſeſe, agglomerans ſe, vt Ionathas exponit. *In capite impiorum conquieſcet*, id eſt, non lædet niſi impios, eorum capitibus contenta erit, neque ad alios perueniet, vt Exod. 9. 25. 26. grando cecidit ſuper Ægyptios, & eorum agros, non ſuper Hebræos.

Hebraiſmus. Ira indignationis.

24. *Non auertet iram indignationis.*] חרון אף. iram furoris, id eſt, furioſam, vehementem. Hebraiſmus, id eſt, non placabit Dominus magnam iram ſuam, donec expleat omnia ſupplicia, quæ aduerſus gentes cogitauit, vt ſuprà c. 23. 20. *Non reuertetur furor Domini, vſque dum faciat, & vſque dum compleat cogitationem cordis ſui: in nouiſſimis diebus intelligetis conſilium eius.* quaſi dicat, ſi mihi non creditis, rebus ipſis credetis.

CAPVT XXXI.

IN tempore illo, dicit Dominus, Ero Deus vniuerſis cognationibus Iſraël, &
ipſi erunt mihi in populum. 2 *Hæc dicit Dominus: inuenit gratiam in*
deſerto populus qui remanſerat gladio: vadet ad requiem ſuam Iſraël 3 *Lon-*
gè Dominus apparuit mihi, & in charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans.
4 *Rurſumq; ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſraël: adhuc ornaberis tympanis tuis,*
& egredieris in choro ludentium. 5 *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ;*
plantabunt plantantes, & donec tempus veniat, non vindemiabunt. 6 *Quia erit*
dies in qua clamabunt cuſtodes in monte Ephraim, Surgite, & aſcendamus in Sion ad
Dominum Deum noſtrum. 7 *Quia hæc dicit Dominus: Exultate in lætitia Iacob,*
& hinnite contra caput Gentium: perſonate, & canite, & dicite: Salua Domine popu-
lum tuum reliquias Iſraël: 8 *Ecce, ego adducam eos de terra Aquilonis, & con-*
gregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus & claudus, & prægnans & pariens
ſimul, cœtus magnus reuertentium huc. 9 *In fletu venient: & in miſericordia redu-*
cam eos: & adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea,
quia factus ſum Iſraëli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt. 10 *Audite ver-*
bum Domini gentes, & annuntiate in inſulis quæ procul ſunt, & dicite: Qui diſperſit
Iſraël, congregabit eum, & cuſtodiet eum ſicut paſtor gregem ſuum. 11 *Redemit*
enim Dominus Iacob, & liberabit eum de manu potentioris. 12 *Et venient & lau-*
dabunt in monte Sion: & confluent ad bona Domini ſuper frumento, & vino, & oleo, &
fœtu pecorum & armentorum: eritque anima eorum quaſi hortus irriguus, & vltrà non
eſurient. 13 *Tunc lætabitur virgo in choro, iuuenes & ſenes ſimul: & conuertam lu-*
ctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, & lætificabo à dolore ſuo. 14 *Et inebria-*
bo animam ſacerdotum pinguedine: & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Do-
minus. 15 *Hæc enim dicit Dominus: Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus*
& fletus Rachel plorantis filios ſuos: & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt. 16 *Hæc*
dicit Dominus: Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi
tuo, ait Dominus, & reuertentur de terra inimici. 17 *Et eſt ſpes nouiſſimis tuis, ait*
Dominus,

Dominus, & reuertentur filij ad terminos ſuos. 18 *Audiens audiui Ephraim tranſ-*
migrantem. Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus conuerte me, &
conuertar: quia tu Dominus Deus meus. 19 *Poſtquam enim conuertiſti me, egi*
pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & eru-
bui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. 20 *Si filius honorabilis mihi*
Ephraim, ſi puer delicatus: quia ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco
conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum: miſerans miſerebor eius, ait Dominus. 21 *Sta-*
tue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua am-
bulaſti, reuertere virgo Iſraël, reuertere ad ciuitates tuas iſtas. 22 *Vſquequo deli-*
cijs diſſolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum ſuper terram. FOEMINA
CIRCVNDABIT VIRVM. 23 *Hæc dicit Dominus exercituum Deus*
Iſraël. Adhuc dicent verbum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cùm conuertero
captiuitatem eorum, Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus: 24 *Et*
habitabunt in eo Iudas, & omnes ciuitates eius ſimul: agricolæ & minantes greges.
25 *Quia inebriaui animam laſſam: & omnem animam eſurientem ſaturaui.* 26 *Ideo*
quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum: & vidi, & ſomnus meus dulcis mihi. 27 *Ecce dies*
veniunt dicit Dominus: & ſeminabo domum Iſraël & domum Iuda, ſemine hominum,
& ſemine iumentorum. 28 *Et ſicut vigilaui ſuper eos vt euellerem, & demolirer, &*
diſſiparem, & diſperderem, & affligerem: ſic vigilabo ſuper eos, vt ædificem, & plan-
tem, ait Dominus. 29 *In diebus illis non dicent vltrà, Patres comederunt vuam*
acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. 30 *Sed vnuſquiſque in iniquitate ſua*
morietur: omnis homo qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius. 31 *Ecce*
dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum:
32 *Non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi*
manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt & ego
dominatus ſum eorum, dicit Dominus. 33 *Sed hoc erit pactum quod feriam cum do-*
mo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in
corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum: & ipſi erunt mihi in populum. 34 *Et*
non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum,
omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum, ait Dominus: quia pro-
pitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs. 35 *Hæc dicit*
Dominus qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ & ſtellarum in lumine noctis: qui
turbat mare, & ſonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi. 36 *Si defecerint*
leges iſtæ coram me, dicit Dominus: tunc & ſemen Iſraël deficiet, vt non ſit gens coram me
cunctis diebus. 37 *Hæc dicit Dominus: Si menſurari potuerint cœli ſurſum, & inueſtigari*
fundamenta terræ deorſum: & ego abijciam vniuerſum ſemen Iſraël, propter omnia quæ
fecerunt, dicit Dominus. 38 *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ædificabitur ci-*
uitas Domino à turre Hananeel vſque ad portam anguli. 39 *Et exibit vltrà norma*
menſuræ in conſpectu eius ſuper collem Gareb: & circuibit Goatha. 40 *Et omnem*
vallem cadauerum, & cineres, & vniuerſam regionem mortis, vſque ad torrentem
Cedron, & vſque ad angulum portæ equorum Orientalis: ſanctum Domini non euelle-
tur, & non deſtruetur vltrà in perpetuum.

PERSEQVITVR idem argumentum, & apertiùs de Eccleſia Catholica de Chriſto, eiúſq; ex B. Virgine ortu, de noua lege Euangelica vaticinatur.
1\. *In tempore.*] id eſt, poſtquam Iacob ex captiuitate reuocauero, vt dixit c. præcedenti ver. 18. *Ero Deus.* Quaſi dicat, nunc non ſum illis Deus, quia à me diſceſſerunt, tunc autem reuertentur ad me, & ero illis in Deum. Videmus Iſ-

raël. 1. decem tribus, quæ in Samaria, & vicinis ciuitatib. habitabant, faciliùs Chriſtum, quàm Iudam recepiſſe, Ioan. 4. 39. 40.

2. *Inuenit gratiam.*] apud me, in oculis meis, vt loquuntur Hebræi. *In deſerto,* in ſolitudine, in qua quadraginta annis habitauit, cùm eum educerem ex Ægypto. *Qui remanſerat gladio.* id eſt, qui gladio Ægyptiorum, Amalecitarum, & aliarum gentium occiſus non eſt. quaſi dicat, ſi tunc inuenit apud me gratiam, quomodo nunc non inueniet? Sic Ionathas, R. Dauid, & R. Salom. & ex noſtris nonnulli interpretantur. Alij, Populus, qui Chaldeorum, & cæterarum gentium, apud quas exulabat, gladio non periit, gratiam apud eos inuenit, vt ſe ſinerent in patriam redire, vt legimus in 1. lib. Eſdræ c. 1. & 2. *Vadet ad requiem ſuam,* id eſt, vt ingrederetur in terram promiſſionis, in eaque requieſceret. Heb. הלוך להרגיעו ישראל. Ad verbum, *Ire ad requiem ſuam Iſraël.* id eſt, vt iret. Hebræi interpretantur. præcedebat (Deus) ante eum, vt requieſcere faceret Iſraël, per diem, in columna nubis, & per noctem, in columna ignis. Ita R. Dauid, qui & illud adnotauit, infinitum poni pro præterito.

3. *Longè Dominus.*] Tam Latini, quàm Hebræi auctores putant hunc eſſe dialogum inter Deum, & populum: ſed non eodem modo interpretantur. Hieron. & Latini ferè omnes referunt ad tempus futurum: quaſi populus captiuitate oppreſſus dicat, *Longè Dominus apparuit mihi,* id eſt, video adhuc longè Chriſtum ab eſſe, qui mihi ſalutem afferat, Deus reſpondeat, *charitate perpetua dilexi te,* id eſt, *cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* Ioan. 13. 1. vt Habacuc. 2. 3. *Adhuc viſus procul, & apparebit in finem.* Hebræi referunt ad præteritum. quaſi populus dicat, Verum eſt iam olim Deum mihi apparuiſſe: ſed nunc derelictus ſum ab eo, Deus verò reſpondeat, *Charitate perpetua.* עולם. ſæculi, antiqua, *dilexi te,* id eſt, non deſerui te; ſed eadem charitate qua te olim dilexi, cùm tibi apparui, nunc etiam diligo. Sic R. Dauid, & vt videtur Chald. Paraphraſtes. Sept. pro לי. mihi, legerunt לו. illi. *Ideo attraxi te miſerans,* id eſt, id eſt; idcirco protraxi diu meam erga te miſericordiam, propterea longa erga te patientia, & miſericordia vſus ſum, vt exponit R. Dauid. Vel, propterea allexi te, & inuitaui miſericordia, id eſt, multis meis beneficiis, vt Oſee 11. 4. *In funiculis Adam* (id eſt, humanis, amoris) *traham eos in vinculis charitatis.*

4. *Rurſumq́.*] id eſt, ſicut feci olim, cùm te eduxiſſem ex Ægypto. *Ædificabo te.* Reſtaurabo, Amos 9. 11. *In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius; & ea, quæ corruerant, inſtaurabo: & reædificabo eum, ſicut in diebus antiquis.* Quod Iacobus in Apoſtolorum concilio de Eccleſiæ reſtauratione interpretatur, Act, 15. 16. Huc pertinet illud Deut. 33. 35. *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Et ædificaberis.* Hebraïſmus eſt, id eſt, ſine vlla dubitatione ædificabo te; qualis ille, *Mutabis eos, & mutabuntur,* Pſal. 101. 27. *Et ornaberis tympanis tuis.* Muſicis inſtrumentis, quorum vſus erat in choræis, Exod. 15. 20. Vnum lætitiæ inſtrumentum ponit pro omnibus.

5. *Adhuc plantabis.*] Sicut feciſti antequam in captiuitatem duceceris *In montibus Samariæ.* Montes Samariæ poſuit pro omnibus, quia viribus vberes erant: & ſolent vites meliùs in montibus, quàm in vallibus prouenire. Eſt autem hæc periphraſis vſitata ad deſcribendam pacem, & temporis diuturnitatem, vt Iſai. 37. 30. *Plantate vineas, & comedite fructus earum.* & c. 65. 21. *Et ædificabunt domos, & habitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructus earum.* & ſuprà cap. 29. verſ. 28. *Longum eſt. Ædificate domos, & habitate; plantate hortos, & comedite*

fructus

fructus eorum. Domus ſunt ſingulæ Eccleſiæ, quæ eædem montes dicuntur, plantæ, & vites ſinguli Chriſtiani. *Et donec tempus veniat non vindemiabunt*; ſicut antè metu hoſtium faciebant, Iſai. 65. 22. *Non plantabunt, & alius comedet.* Reuocabitur enim illa Dei ſententia per Sophoniam c. 1. 13. & per Amos c. 5. 11. pronuntiata, *Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantiſſimas, & non bibetis vinum earum.* H. וחללו. quod ſignificat expectare; quo ſenſu reddidit noſter interpres; vel, profanare, aut, publicare, vt Ionathas, R. Dauid, & R. Salom. interpretantur. Præceptum erat Leuit. 19. 23. 24. vt cùm arbores plantabantur, tribus primis annis fructus non ederentur; quarto autem anno conſecrarentur Deo; quinto demum communes eſſent, & ob omnibus edi poſſent. Itaque dicit, profanabunt, id eſt, communes eos facient, vt profani etiam homines ex eis edant. Sed quorſum hoc diceret? quare magis mihi placet ſenſus interpretis noſtri. Sept. verò videntur legiſſe הללו. Vertetunt enim, φυτεύσατε καὶ αἰνέσατε. *Plantate & laudate.*

Profanare idem quod cõmune eſſe.

6. *Quia erit dies,*] tempus, quo clamabunt cuſtodes, ſacerdotes, & doctores Apoſtoli, vt Iſai. 62. 6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes; tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Qui alio nomine vt ait R. Dauid ſpeculatores vocari ſolent, Iſai. 56. 6. Ezech. 3. 17. & 33. 2. 6. 7. *In monte Ephraim,* id eſt, in monte Samariæ, de quo antè dixerat verſu 5. *Adhuc plantabis vineas in monte Samariæ.* Per Ephraim decem tribus intelligit, quæ in monte Samariæ ſolebant adorare, Ioan. 4. 20. *Caput* enim *Ephraim Samaria,* Iſai. 7. 9. Quidam codices habent, In monte Samariæ: alij, In monte Samariæ, & Ephraim, quod vtrumque vitium eſt. Nam neque apud Hebræos, neque apud Chald. neque apud Sept. neque apud Hieron. neque in vetuſtioribus libris legitur. *In Sion,* id eſt, in Eccleſiam Catholicam, quæ frequenter Sion appellatur, vt Pſal. 2. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Et Iſai. 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum in fundamento fundatum,* id eſt, Chriſtum. Similis ſententia Iſai. 2. 2. 3. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes, Et ibunt populi multi, & dicent, venite, & aſcendamus ad montem Domini.* Vide Mich. c. 4. 2. & Zachar. cap. 8. 21. 22. 23.

Sion Eccleſia, lapis Sion Chriſtus.

7. *Exultate in lætitia Iacob.*] H. רנו ליעקב שמחה. Exultate in Iacobo lætitia, pro, exultate in lætitia, ô Iacob, vt adnotauit R. Dauid; & noſter interpres. *Hinnite,* id eſt, voces lætitiæ plenas, hinnitibúſque equorum ſimiles in cœlum tollite. vt Iſai. 10. 30. & 24. 14. Solebant Iudæi in lætiſſimis rebus acutas voces tollere, nihil niſi lætitiam ſignificantes, quod etiam nunc in Bœtica noſtra fit; eáſque voces, *Albueluoras,* Africano verbo, & *relinchos,* id eſt, hinnitus, Hiſpani vocant. *Contra caput,* id eſt; in oculis omnium gentium, ita vt omnes gentes videant, & audiant vos, vt Ionath. & R. Dauid exponunt. *Perſonate.* השמיעו. annuntiate. *Salua Domine.* Non videtur imperandi modus cùm verbis præcedentibus bene conuenire: ſed poſitum eſt imperatiuum verbum pro præterito indicatiui, vt Chaldæus Paraphraſtes, & Sept. conuerterunt, quæ adhuc futura erant, tanquam præterita nuntiari iubet, propter certitudinem euentus; quod apud Prophetas frequentiſſimè fit.

Voces acutæ in altum ſublatæ.

8. *De terra Aquilonis.*] id eſt, ex Chaldæa, quæ Iudææ Aquilonaris erat. vide ſuprà c. 16. 14. 15. & c. 23. 7. 8. *Inter quos erunt cæcus.* Cœci, claudi, prægnãtes, enixæ minimè poſſunt iter ſuſcipere, præſertim tam longũ. Significat ergo fore, vt omnes

omnes liberentur,& ab exilio redeant etiam cœci,& claudi. Poſſunt etiam cœci, & claudi ſignificare infimæ conditionis homines: ac ſi dicat fore, vt nulla perſonarum ratio habeatur, vt Lucæ 14. 13. *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos. Quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit; & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Sapient. 6. 8. Simile illud Mich. 4. 6. *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam quam eiecèram, colligam. Et pariens.* יולדה. quæ recens peperit, enixa. quam nutrientem vocauit, Mat. c. 24. 19. & Mar. c. 13. 17. & Lucæ. 21. 23.

9. *In fletu venient.*] flentes præ lætitia, vt ait R. Dauid, ſicut Gen. 33. 4. *Currens itaque Eſaü obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringénſque collum eius, & oſculans fleuit.* & Geneſ. 42. 24. Ioſeph, *Auertitque ſe parumper, & fleuit.* & Geneſ. 43. 30. *Feſtinauitque, quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ; & introiens cubiculum fleuit.* & 45. 14. *Cúmque amplexatus recidiſſet in collum Beniamin fleuit.* Alij interpretantur, *In fletu venient*, id eſt, iuerunt in captiuitatem. בא. ire. & venire ſignificat, ſicut & Venire, apud Latinos, ponitur q; futurum pro præterito. quaſi dicat, *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos*, Pſal. 125. 6. Ita Septuag. & Chal. Paraphr. interpretãtur. *per torrentes aquarum*, id eſt, recta via, ſuperatis torrentibus, & omnibus itineris difficultatibus. *Et non impingent in ea.* Hebraïſ-

Hebraiſmus. mus, pro via recta, in qua non impingent, Iſai. 35. 8. *Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur. Et hæc erit vobis de recta via; ita vt ſtulti non errent per eam.* & cap. 6. 13. *Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem.* Dicit Deus ſe viam explanaturum, vt omnes gentes veniant ad Eccleſiam, vt Iſai. 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas*, & Iſai. 42. 16. *Et ducam cæcos in viam, quam neſciunt: & in ſemitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta. Et Ephraim primogenitus meus eſt*, id eſt, ita eum amo, vt pater primogenitum filium amare ſolet.

10. *Verbum Domini.*] Euangelium, aut Cyri edictum, 1. Eſdræ 1. 1. 2. *Qui diſperſit.* Indicat non fuiſſe ab hoſtibus diſperſum: ſed à Deo propter eius peccata. Pſal. 146. 2. *Ædificans Ieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraëlis congregabit.*

11. *De manu potentioris.*] Regis Babylonis: myſticè, de poteſtate Diaboli.

12. *In monte Sion.* In Eccleſia, vt ſuprà ver. 6. *Et confluent ad bona*, id eſt, affluent Dei beneficiis, ſcilicet. *frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum.* Quibus rebus intelligitur omnium donorum abundantia, quæ Chriſtianis concedenda erãt. *Vltrà non eſurient.* ולא יוסיפו לדאבה עוד. & non addẽt, vt ſolicití ſint amplius, id eſt, non continget illis ſolicitos de his rebus eſſe, quia omnia illis ad eorum voluntatem affluent. Sicut Chriſtus dixit, Matth. 6. 31. 32. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis.*

Hebraiſmus. vſitatus. 14. *Inebriabo.*] id eſt, exſaturabo, *Animam* appetitum. Hebraïſmus vſitatus. *Pinguedine* gratia ſpiritus ſancti. Alludit ad conſuetudinem veteris teſtamenti: vbi pinguiſſima pars victimæ poſt eam, quæ Deo offerebatur, ſacerdotis erat. quaſi dicat, pinguioribus victimis ſatiabo ſacerdotes noui, quam veteris teſtamenti, nimirum corpore, & ſanguine Chriſti, vel donis Spiritus ſancti, quibus, cùm repleti ſunt Apoſtoli, ebrij eſſe videbantur, Act. 2. 15.

Dubitatio de luctu Rachelis 15. *Vox in excelſo.*] Occurrit ſtatim hoc loco dubitatio, quorſum de luctu mẽtio fiat, cùm agatur de rebus lætis: reſpondeo id factum eſſe, vt conſolatio, & læti-

Digitized by Google

lætitia magis appareat. Dixerat enim ver. 13. *Conuertam luctum eorum in gaudium.* Nunc declarat, quemnam luctum appellauerit. Sequitur etiam ſtatim ver. 16. *Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis.* Nemo poteſt, nec velle debet hunc locum aliter explicare, quàm Matth. c. 2. 17. 18. vbi manifeſtum eſt per Rachelem Bethlehem, & eius agrum intelligi, quia ibi Rachel ſepulta fuerat, Geneſ. 35. 13. per filios, infantes occiſos ab Herode, quod valde conuenit cum hoc loco, vbi certum eſt de Eccleſiæ conſtitutione agi. Hebræi interpretantur de abductione duarum tribuum in captiuitatem, Iuda, & Benjamin, vt per Rachel intelligantur omnes mulieres duarum tribuum, quia Rachel mater fuit Benjamin, Geneſ. 35. 18. Quæ interpretatio non eſt Euangeliſtæ contraria. Non enim nouum eſt, vt quod hiſtoricè in veteri teſtamento de vna re dictum erat, myſticè de alia re interpretentur Euangeliſtæ. *Os non comminuetis ex eo,* de agno Paſchali dictum fuerat, Exod. 12. 41. Ioan. cap. 19. 36. de Chriſto interpretatur. *Ex Ægypto vocaui filium meum,* Oſee dixerat de populo Iſraël, cap. 11. 1. Matth. myſticè ad Chriſtum accommodauit, cap. 2. 15. ſexcentáque ſunt exempla generis eiuſdem. Illud eſt difficilius quomodo dicat Euangeliſta, hinc impletum fuiſſe, quod dictum erat per Ieremiam; ſiquidem iam erat impletum. Scripturæ mos eſt, vt rem fieri, aut impleri dicat, non ſolùm, cùm fit; ſed maximè cùm incrementum, & perfectionem accipit, vt Ioan. 2. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius,* id eſt, perfectè crediderunt. Priùs enim credebant: ſed minùs. Eodem modo Iacobus cap. 2. ver. 22. dicit ſcripturam illam Geneſ. 15. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam,* impletam fuiſſe tunc, cùm Abraham filium ſuum ſacrificauit, cùm perſpicuum ſit Moyſem loqui de re præterita, deque fide qua, antequam filium generaſſet, crediderat, quemadmodum B. etiam Paulus exponit ad Romanos cap. 4. ver. 3. Sic Matthæus dicit in cæde infantum impletum eſſe, quod in captiuitate quidem factum erat: ſed in infantum nece perfectum. Inducit ergo Propheta plorantes mulieres, quia magis procliues ſunt ad lacrymas, quàm viri. Dicit, *In excelſo,* ad ſignificandum clamorem longè auditum fuiſſe. רמה. ramah, Hieronymus nomen appellatiuum facit, quod idem faciunt ferè omnes interpretes. Sed Euangeliſta proprium loci facere videtur. Non enim ſine cauſa Hebraïcum nomen reliquit ῥαμᾶ. At illud monet interpretes, quòd in Bethlehem nullus locus ſit huius nominis. Eſt quidem Rama ciuitas, ſed longè diſſita à Bethlehem, nempe in tribu Benjamin iuxta Gabaon, Ioſue 18. 25. Iud. 4. 5. & 19. 13. Sed quid vetat interpretari, *In rama,* id eſt, vſque ad Rama? quaſi dicat, longè audita eſt. *Et noluit conſolari, quia non ſunt.* כי איננו quia non ipſe, id eſt, quia nemo eorum remanſit, omnes in captiuitatem rapti ſunt, omnes infantes trucidati. Alias neſcio quas Hebræorum fabulas libens prætermitto.

Quid per Rachel intelligát Hebræi.

Alia dubitatio difficilior. Scripturæ mos notandus.

Rama quid.

16. *Quieſcat vox tua.*] מנעי. prohibe vocem tuam à ploratu, id eſt, contine vocem ne plores, deſine plorare. Conſolatio eſt. *Quia eſt merces operi tuo* id eſt, filiis tuis, quos genuiſti, vt exponit R. Dauid, id eſt, captiuitatem, & ſeruitutem, quā perpeſſi ſunt, libertate illis, & omnium rerum copia compenſabo. Ionathas, Partibus tuis, malè: vel, opus eius vocat fletum, & lacrymas; quaſi dicat, reſpiciam lacrymas tuas, & luctum tuum conuertam in gaudium, vt ſuprà ver. 13. *De terra inimici* Babylone: myſticè, ex mundo, in quo antequam à Chriſto vinceretur Diabolus, dominabatur.

17. *Nouiſſimis tuis.*] extremis diebus tuis, vel, reliquiis filiorum tuorum,

quæ ſaluæ erunt, Iſai. 10. 22. & Rom. 9. 27.

18. *Audiens audiui.*] Ego Deus. *Ephraim transmigrantem.* מתנודד. vagantem, aut, lamentantem, vt Chald. & Sept. verterunt. quaſi dicat, habui rationem lacrymarum Ephraim, eumq; ab exilio reuocaui. Per Ephraim autem decem tribus intelligit, vt ſupra v. 9. *Caſtigaſti me, & eruditus ſum.* H. idem verbum eſt, Caſtigaſti me, & caſtigatus ſum, id eſt, omnino caſtigatus ſum. Hebraïſmus, qualem ſupra notauimus ver. 4. *Rurſumq; ædificabo te, & ædificaberis.* & Pſal. 101. 28. *Mutabis eos, & mutabuntur.* *Quaſi iuuenculus*, id eſt, cùm antè iuuenco indomito

Hebraiſmus.

ſimilis eſſem, domitus ſum abs te. *Bonum mihi, quia humiliaſti me: vt diſcam iuſtificationes tuas*, Pſal. 118. 71. *Prius* enim *quàm humiliarer: ego deliqui*, ibid. 67. *Iugum, & lorum curuant collum durum. & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ*, Eccleſ. 33. 27.

19. *Poſtquam conuertiſti me.*] id eſt, poſtquam me caſtigaſti, aut caſtigando conuerti feciſti. Hæc tria verba, Caſtigare, Conuertere, Oſtendere, hoc loco idem valent. reddit enim cauſam, cur caſtigatio vtilis ſibi fuerit, *Cùm enim occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Pſ. 77. 34. Sept. eum ſenſum magis expreſſerunt, ὕστερον αἰχμαλωσίας μου μετενόησα. *Percuſſi femur meum* id eſt animaduerti peccata mea. Solemus enim, cùm aliquid ſubitò animaduertimus, femur percutere; aut, vehementer dolui. Nam & præ dolore idem facere ſolemus. *Suſtinui opprobrium adoleſcentiæ*, id eſt, peccatorum quæ adoleſcens feci. Adoleſcentiam ſuam vocat omne tempus, quo nondum à Deo caſtigatus erat, ſed vt iuuenculus indomitus, non ferebat iugum obedientiæ.

20. *Si filius honorabilis.*] יקיר. in honore, & pretio habendus. Verba ſunt Dei reſpondentis, Hebræi, ſic interpretantur. An filius honorabilis mihi Ephraim, an puer שעשועים. *deliciarum*, id eſt, quo ego maximè delector, ſicut cum filio morigero ſolet ludere, eoque delectari? quaſi dicat, non, ſed potiùs peccauit contra me, & tamen quamuis peccauerit, ex quo tempore de eo loqui cœpi, recordatus ſum amoris, quo eum olim ſum proſecutus. Mihi aliud videtur eſſe ſenſus, vt interrogatio affirmans hoc loco, non negantem; ſed affirmantem quoque reſponſionem requirat, quod ſupra notauimus apud Hebræos fieri ſolere; quemadmodum ſi diceret, Nónne Ephraim puer eſt honore dignus, cùm à me caſtigatus peccata ſua cognouerit, & pœnitentiam egerit? quaſi dicat, profecto eſt. Ideo ergo, *ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor eius*, id eſt, non potero ampliùs eius obliuiſci: nec poſſum de eo mentionem facere quin viſcera mea miſericordia commoueantur. Oſee 11. 8. 9. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Iſrael? quomodo dabo te ſicut Adama, ponam te, vt Seboim? conuerſum eſt in me cor meum, pariter conturbata eſt pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ; non conuertar, vt diſperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo.*

Interrogatio affirmatiua reſponſionem affirmatiuam requirit.

21. *Statue tibi ſpeculam.*] id eſt, cùm in captiuitatem duceris, pone in via ſpeculas, & ſigna, quibus poſtea viam recognoſcas; eadem enim via, qua in Chaldæam ibis, in patriam tuam reuerteris. H. ציונים. tituli ſunt, qui vel ad dignoſcenda ſepulchra, vel viam eriguntur. vt 2. Reg. 23. 18. & Ezechiel. 39. 15. *Pone tibi amaritudines* id eſt, nota labores itineris, quia iens ibis, & flebis mittens ſemina tua veniens autem venies cùm exultatione portans manipulos tuos, Obſerua, quid tibi aduerſi, quo loco accidat, vt viam faciliùs agnoſcas; ſolemus ea loca, in quibus aliquid nobis aduerſum accidit, facillimè recognoſcere.

cere. H. *Pone tibi*, תמרורים id eſt, lapides excelſos, ſigna, vt R. Dauid interpretatur, idem enim eſſe dicit, quod ציונים, ſicut Oſee 12. 14. Significat etiam amaritudines, vt ſuprà ver. 15. poſſumúſque nō mutata ſignificatione interpretari, amaritudines, id eſt, amaritudinis, ac doloris tui monumenta. Hic ſenſus ſequentibus verbis confirmatur. *Dirige cor tuum*. H. שתי לבך pone cor tuum, id eſt, animaduerte, nota, obſerua, *viam rectam*, למסלה דרך viam lapidibus ſtratam. *In qua ambulaſti*, id eſt, per quam in Chaldæam iuiſti, eadem enim via in ciuitates tuas reuerteris.

22. *Vſquequo delicijs diſſolueris?*] id eſt, vſquequo adeo eris delicata, & mollis, vt non audeas in ciuitates tuas redire? vſquequo in Babylone deſidebis? H. תתחמקין. quod R. Dauid hoc loco interpretatur, vſquequo vagaris huc atque illuc: Et R. Abraham Benſyra Cant. 5. 6. vſquequo longè a me diſcedis. *Filia vaga*? quæ in captiuitate & exilio huc illuc diſcurris? aut quæ a me fugis, & vagaris, quod propriè ſignificat השובבה. rebellis, auerſatrix, vt ſupra cap. 3. 6. 12. *Quia creauit*, præteritum pro futuro, creabit, faciet, *Nouum*, rem nouam, admirabilem, inauditam. *Fœmina circundabit virum*, id eſt, Virgo Maria Chriſtum corpore quidem paruum, ſapientia verò virum perfectum vtero ſuo complectetur atque circundabit. Hoc enim verò nouum eſt, & admirabile. Sicut illud Iſai. 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Delirant hoc loco recentiores Hebræorum interpretes, quamquam antiquiores etiam de Chriſto, & B. Virgine interpretantur. vt R. הקדש. in גלירריא. & R. Moſes Haſardan, & R. Iehoſua Ben Leui, & alij apud Galatinum.

Teſtimonium de Chriſti incarnatione etiam receptū ab Hebræis antiquis.

Lib. 7. de arcanis Cathol. veritatis cap. 14.

23. *Adhuc dicent.*] ſicut ante captiuitatem dicere ſolebant, cùm ciuitas Ieroſolymitana, & templum in montem Sion ſtaret. *Benedicat tibi Dominus, qui eſt vere pulchritudo, & ſplendor iuſtitiæ* vt exponit Hieron. vel, vt Hebræi נוה צדק. habitaculum iuſtitiæ, id eſt, ô templum, & ô mons ſancte in vocatiuo, Per templum autem, & montem, vt ſæpe diximus, Eccleſia Catholica ſignificatur.

24. *Et habitabunt in eo*] monte. quaſi dicat, locus erit capaciſſimus, Eccleſia; omnes omnium ordinum homines in ea poterunt habitare; non ſolùm ciues, ſed agricolæ etiam, & paſtores, quod eleganter deſcribit Iſai. c. 54. 2. 3. *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit.*

Per montem Eccleſia Catholica ſignificatur.

25. *Quia inebriaui.*] pro, inebriabo, & Saturabo.

26. *Ideo quaſi de ſomno.*] Nonnulli putant verba eſſe populi. Ionathas verò, R. Dauid, & R. Salom. dicunt eſſe Prophetæ dicentis ſe, poſtquam in ſomniis hanc de futuro Chriſto prophetiam accepiſſet, expergefactum, magnáque perfuſum voluptate.

27. *Seminabo.*] Comparat Iſraël, & Iuda agro, homines autem & iumenta ſemini; dicítque ſe homines & iumenta ſeminaturum, id eſt, propagaturum, multiplicaturum. Per iumenta omne genus diuitiarum intelligit, quia diuitiæ olim pecoribus æſtimabantur, vnde & pecunia à Latinis dicta eſſe creditur. Fecit autem mentionem de iumentorum multiplicatione, quia ſuprà dixerat, cap. 27. 5. 6. homines, & beſtias regi Babylonis traditurum, vt oſtendat beneficium non minùs, quàm ſupplicium futurum eſſe.

Per iumenta omne genus diuitiarum intellectum.

28. *Et ſicut vigilaui.*] id eſt, qua diligentia vſus ſum in perdendis illis, eadem in liberandis. & multiplicandis vtar. Dixit vno verbo, ſolet dicere periphraſi,

Manè, aut diluculo, aut nocte conſurgere, vt ſuprà c. 7. 13. 25. & 25. 3. 4. & 26. 5. & 29. 19.

Quo ſenſu filios pro parentibus pœnas ſumere ſcriptura dicat.

29. *Non dicent vltrà.*] Indicat ante ſolitos dicere, & tanquam Prouerbium iactare, vt apud Ezechielem c. 18. 2. *Et dentes filiorum obſtupuerunt*, id eſt, non punientur ampliùs filij pro parentibus. In qua ſententia explicanda mirum, quantopere Theologi laborauerint; & quo modo æquum ſit filiis pro parentibus pœnas luere, quod ſæpe factum legimus, & quo modo nunc non idem fiat. cùm hodie etiam videamus Iudæos propter crucifixum Chriſtum in ſeruitute vitam agere. Ac priorem quidem quæſtionem rectè mihi videntur explicare ij, qui dicunt ideo filios pro parẽtibus non animo, ſed corpore puniri, quia quiddam eorum ſunt. Sed poſteriorem non memini me vidiſſe, qui bene ſolueret. Ego ita exiſtimo, hanc ſententiam non eſſe generaliter intelligendam; ſed de iis filiis, & iis parentibus, de quibus agebatur. Agebatur autem de Iudæis ab exilio reuocatis, & de peccatis Manaſſe, cuius ſcelerum pœnas populus longa captiuitate luerat, vt dictum eſt cap. 15. 4. *Et dabo eos in feruorem vniuerſis regnis terræ, propter Manaſſem filium Ezechiæ regis Iuda, ſuper omnibus, quæ fecit in Ieruſalem.* & 4. Reg. 21. 11. 12. Pro huius igitur peccatis, pro quibus ſatis iam pœnarum in captiuitate datum erat, dicit Deus fore vt non ampliùs Iudæi puniantur, non quòd non alij filij non ſint pro peccatis ſuorum parentum ſæpe puniendi.

31. *Fœdus nouum.*] Nouum teſtamentum. Euangelium.

32. *Et ego dominatus ſum eorum.*] בעלתי בם. Quod Sept. interpretantur, *ἠμέλησα αὐτῶν, neglexi eos*, id eſt, quia ipſi violarunt pactum meum, ego non habui curam eorum, non defendi, non foui. Ionath. Et ego אתרעיתי בהון. complacui mihi in eis. R. Dauid ex patris ſui ſententia. Abominabilis illis fui.

Differentia multiplex inter vetus. & nouum teſtamentum, ac legem.

Meliùs noſter interpres, *Dominatus ſum,* id eſt, puniui eos iure meo, oſtendi me Dominum eſſe; *Cognoſcetur* enim *Dominus iudicia faciens, & in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* Pſal. 9. 17. Hæc eſt prima differentia, quam tradit inter nouum & vetus teſtamentum, quòd vetus irritum factum ſit, nouũ non irritabitur, ſed meliùs ſeruabitur. Secunda, quòd in veteri Deus dominatus ſit, id eſt, ſeueritate vſus, *lex enim iram operabatur.* ad Rom. 4. 15. In nouo autem teſtamẽto non item, quia filij ſui morte placabitur. Tertia eſt, quæ ſequitur.

33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum.*] natura legis veteris requirebat, vt ſcripta eſſet, quia carnalis erat: natura legis euangelicæ, vt non ſcribatur, ſed animo ſculpatur, quia ſpiritalis eſt. Quod non ſolùm hîc Ieremias, ſed etiam D. Paulus 2. Corinth. 3. 3. docet, *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

Refelluntur Hæretici, cùm traditiones reiiciunt.

Hoc ſi hæretici animaduerterent, intelligerent magis proprias eſſe noui teſtamenti traditiones, quàm ſcripturas; deſinerentque fidem, ac religionem atramento definire. Quod hominum profectò eſt naturam ipſam Euangelij, quo tantopere gloriantur, ignorantium.

34. *Non docebit.* Scripto, ſed traditione; & intrinſecus magis, quàm extrinſecus; quia *erunt omnes docibiles Dei*, Iſai. 54. 13. & Ioan. 6. 45. *Vnctio docet vos de omnibus.* & c. 1. Ioan. 2. 27. Quod non eſt ita intelligendum, quaſi in Euangelio non ſit nobis opus doctore, vt hæretici contrario errore docent: ſed quòd

An in Euangelio doctore opus ſit, & quomodo.

cum Euãgelium non in litteris, ſyllabiſque conſiſtat, non ſit nobis opus ſcribis, & Phariſæis, neque litteratoribus iſtis magiſtris hæreticorum, qui ſpiritalem Euangelij legem carnaliter interpretentur. Non erit opus Ieremia, qui nobis

peccata.

peccata noſtra exaggerans, & captiuitatem comminans doceat nos Dominum cognoſcere, id eſt, in eius gratiam, familiaritatémque redire. quia propitiabitur iniquitatibus noſtris, & peccatorum noſtrorum amplius non recordabitur. Atque hoc ſenſu hæret ratio.

35. *In lumine diei.*] לאור. in lucem diei, id eſt, vt luceat per diem, vt Gen. 1. 16. Ordinem lunæ חקות. præcepta lunæ, & ſtellarum, id eſt, qui lunæ, ſtelliſque præcepit, vt certo ordine, ac lege mouerentur.

36. *Vt non ſit.*] מהיות. ad verbum. Deficiet ab eſſendo. Hebraiſmus, id eſt, deſinet eſſe gens coram me, id eſt, populus meus. Alludit enim ad quod paulò antè dixerat: ver. 33. *Et ipſi erunt mihi in populum.* Ac ſi diceret. *Cœlum, & terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt*, Matth. 24. 35.

37. *Propter omnia, quæ fecerunt.*] id eſt, propter præterita peccata, propter quæ pœnas iam de illis ſumpſerat, nam propter futurum peccatum crucifixi Chriſti vſque ad hodiernum diem pœnas luunt.

38. *A turre Hananaël.*] Erat in muro vrbis Ieroſolymitanæ turris, quæ Hananaël vocabatur, de qua mentio fit lib. 2. Eſdræ cap. 3. 1. Inde enim dicitur Ieruſalem cœpta reædificari. Et Zachar. 14. 10. *Vſque ad portam anguli.* Ea erat porta Benjamin quæ anguli vocabatur, quod in angulo vrbis eſſet. ſenſus eſt fore, vt tota vrbs reſtauretur, per quam Eccleſia intelligitur, *quæ ædificatur vt ciuitas.* Pſalm. 121. 3.

39. *Et exibit vltrà norma.*] ita legendum, vt Hebræi, & Hieronymus legunt, id eſt, extendetur funis menſuræ. *In conſpectu eius*, ante portam Benjamin: *ſuper collem Gareb.* Gareb; & Goatha, duo colles erant extra vrbem. itaque ſignificat amplificandam eſſe vrbem vltra terminos antiquos, vt ſuprà ver. 24. & Iſai. c. 54. 2. Et myſticè multò ampliorem futuram Eccleſiam Catholicam, quàm fuerat ſynagoga; Quia *dominabitur à mari vſque ad mare*, Pſalm. 71. 8. & *Extendit palmites ſuas vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius*, Pſalm. 79. 12.

Quid fuerit Gareb, & Goatha.

40. *Vallem cadauerum.*] Ea etiam erat extra Ieroſolymam, quæ ideo vallis cadauerum appellata fuiſſe creditur, vt ait R. Salom. & Ionathas quia illic Aſſyriorum cadauera percutiente angelo ceciderunt. 4. Reg. 19. 35. *Et cineres* והד שן. & cineris, id eſt, vſque ad vallem cinerum. quæ vt quidam Hebræorum putant ita vocabatur, quod in eam ſacrificiorum cineres proiicerentur. Alij vſque ad vallem הד שן. *pinguedinis*, id eſt, oliuarum. Ionathas aquæductus, qui terram pinguem reddebant. *Et vniuerſam regionem mortis.* Sic exiſtimant interpretes noſtri appellatum eſſe locum ſupplicij, qualis eſt Pariſiis *mons Falconius.* Sed Hieronymus ipſe fatetur ſe ex vna dictione duas feciſſe. והשרימות. quod vt notat R. Dauid ſcribitur cum ר. & legitur cum ד. & interpretatur. R. Salom. omnia campeſtria, omnes regiones vſque ad vallem Cedron. De hac valle multa eſt in ſcripturis mentio: erat autem ſita extra portam, quam gregis appellabant, & vſque ad montem oliuarum porrigebatur, vt apparet. 2. Reg. 15. 23. *Et vſque ad angulum portæ equorum orientalis.* Porta Ephraim alio nomine, porta equorum vocabatur, eáque in angulo quodam vrbis erat. Sed Aquilonem; non orientem reſpiciebat. Quare valde mihi eorum interpretatio probatur, qui מזרחה. exponunt verſus orientem, id eſt, verſus portam Benjamin, vt vertit Chaldæus Paraphraſtres. *Sanctum Domini non euelletur*, id eſt, hæc omnia ſancta erunt Domino, ſicut antè vrbs erat, neque deſtruentur ampliùs, ſed perpetuò ſtabunt. H. clariùs קדש מזרח. ſanctum Domino (erunt) & puncto adhibito ſequitur, Non euelletur.

Digitized by Google

CAPVT XXXII.

VERBVM quod factum eſt ad Ieremiam à Domino in anno decimo Sedeciæ
regis Iuda: ipſe eſt annus decimus octauus Nabuchodonoſor. Tunc exercitus
regis Babylonis obſidebat Ieruſalem: 2 *& Ieremias Propheta erat clauſus*
in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda. 3 *Clauſerat enim eum Sedecias Rex*
Iuda, dicens. Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus, Ecce ego dabo ciuitatem
iſtam in manu regis Babylonis & capiet eam? 4 *Et Sedecias Rex Iuda non effugiet*
de manu Chaldæorum: ſed tradetur in manus regis Babylonis: & loquetur os eius cum
ore illius, & oculi eius oculos illius videbunt. 5 *Et in Babylonem ducet Sedeciam: &*
ibi erit donec viſitem eum, ait Dominus, ſi autem dimicaueritis aduerſum Chaldæos,
nihil proſperum habebitis. 6 *Et dixit Ieremias, Factum eſt verbum Domini ad me*
dicens: 7 *Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens: Eme*
tibi agrum meum qui eſt in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate vt emas.
8 *Et venit ad me Hanameel filius patrui mei ſecundum verbum Domini ad veſtibu-*
lum carceris, & ait ad me, Poſſide agrum meum qui eſt in Anathoth in terra Benjamin:
quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es vt poſſideas. Intellexi autem quod ver-
bum Domini eſſet. 9 *Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei qui eſt in Ana-*
thoth: & appendi ei argentum ſeptem ſtateres, & decem argenteos. 10 *Et ſcripſi in*
libro & ſignaui, & adhibui teſtes: & appendi argentum in ſtatera. 11 *Et accepi*
librum poſſeſſionis ſignatum, & ſtipulationes, & rata, & ſigna forinſecus. 12 *Et dedi*
librum poſſeſſionis Baruch filio Neriæ filij Maaſiæ in oculis Hanameel patruelis mei, &
in oculis teſtium qui ſcripti erant in libro emptionis, in oculis omnium Iudæorum qui ſede-
bant in atrio carceris. 13 *Et præcepi Baruch coram eis, dicens:* 14 *Hæc dicit*
Dominus exercituum Deus Iſraël, Sume libros iſtos, librum emptionis hunc ſignatum,
& librum hunc qui apertus eſt: & pone illos in vaſe fictili, vt permanere poſſint diebus
multis. 15 *Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Adhuc poſſidebuntur*
domus, & agri, & vineæ in terra iſta. 16 *Et oraui ad Dominum poſtquam tradidi*
librum poſſeſſionis Baruch filio Neriæ, dicens: 17 *Heu, heu, heu Domine Deus:*
ecce tu feciſti cælum & terrā in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non
erit tibi difficile omne verbum: 18 *Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis*
iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos, Fortiſſime, magne, & potens, Do-
minus exercituum nomen tibi. 19 *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu,*
cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam: vt reddas vnicuique ſecundum
vias ſuas, & ſecundum fructum adinuentionum eius. 20 *Qui poſuiſti ſigna & por-*
tenta in terra Ægypti vſque ad diem hanc, & in Iſraël & in hominibus: & feciſti tibi
nomen ſicut eſt dies hæc. 21 *Et eduxiſti populum tuum Iſraël de Terra Ægypti, in*
ſignis, & in portentis & in manu robuſta, & in brachio extento, & in terrore magno.
22 *Et dediſti eis terram hanc, quam iuraſti patribus eorum, vt dares eis terram fluen-*
tem lacte & melle. 23 *Et ingreſſi ſunt, & poſſederunt eam: & non obedierunt*
voci tuæ, & in lege tua non ambulauerunt: omnia, quæ mandaſti eis vt facerent, non
fecerunt: & euenerunt eis omnia mala hæc. 24 *Ecce munitiones extructæ ſunt*
aduerſum ciuitatem, vt capiatur: & vrbs data eſt in manus Chaldæorum, qui præ-
liantur aduerſus eam à facie gladij, & famis, & peſtilentiæ: & quæcumque locutus es
acciderunt, vt tu ipſe cernis. 25 *Et tu dicis mihi Domine Deus, Eme agrum*
argento, & adhibe teſtes, cum vrbs data ſit in manus Chaldæorum.

26 Et

26 Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam dicens. 27 Ecce ego Dominus
Deus vniuerſæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum? 28 Propterea hæc di-
cit Dominus, Ecce ego tradam ciuitatem iſtam in manus Chaldæorum, & in manus regis
Babylonis, & capient eam. 29 Et venient Chaldæi præliantes aduerſum vrbem hanc,
& ſuccendent eam igni, & comburent eam, & domos in quarum domatibus ſacrificabant
Baal, & libabant diis alienis libamina ad irritandum me. 30 Erant enim filij Iſ-
raël & filij Iuda iugiter facientes malum in oculis meis ab adoleſcentia ſua: filij Iſraël
qui vſque nunc exacerbant me in opere manuum ſuarum, dicit Dominus. 31 Quia
in furore, & in indignatione mea facta eſt mihi ciuitas hæc à die, qua ædificauerunt eam,
vſque ad diem iſtam, qua auferetur de conſpectu meo. 32 Propter malitiam filiorum
Iſraël & filiorum Iuda quam fecerunt ad iracundiam me prouocantes, ipſi, & reges eo-
rum principes eorum & ſacerdotes eorum & Prophetæ eorum, viri Iuda, & habitatores
Ieruſalem. 33 Et verterunt ad me terga & non facies; cùm docerem eos diluculo & eru-
direm, & nollent audire vt acciperent diſciplinam. 34 Et poſuerunt idola ſua in do-
mo, in qua inuocatum eſt nomen meum, vt polluerent eam. 35 Et ædificauerunt excelſa
Baal, quæ ſunt in valle filij Ennom: vt initiarent filios ſuos & filias ſuas Moloch: quod non
mandaui eis, nec aſcendit in cor meum vt facerent abominationem hanc, & in peccatum
deducerent Iudam. 36 Et nunc propter iſta, hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad ciui-
tatem hanc, de qua vos dicitis quòd tradatur in manus regis Babylonis in gladio, & in
fame, & in peſte. 37 Ecce ego congregabo eos de vniuerſis terris ad quas eieci eos in fu-
rore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi, & reducam eos ad locum iſtũ, & ha-
bitare eos faciam confidenter. 38 Et erunt mihi in populum, & ego eis in Deum.
39 Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuerſis diebus: vt bene ſit
eis, & filiis eorum poſt eos. 40 Et feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam
eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me. 41 Et læ-
tabor ſuper eis: cùm bene eis fecero, & plãtabo eos in terra iſta in veritate in toto corde meo,
& in tota anima mea. 42 Quia hæc dicit Dominus, Sicut adduxi ſuper populum
iſtum omne malum hoc grande: ſic adducam ſuper eos omne bonum quod ego loquor ad eos.
43 Et poſſidebuntur agri in terra iſta: de qua vos dicitis quòd deſerta ſit, eò quòd non re-
manſerit homo & iumentum, & data ſit in manus Chaldæorum. 44 Agri ementur
pecunia, & ſcribentur in libro, & imprimetur ſignum, & teſtis adhibebitur in terra Ben-
iamin, & in circuitu Ieruſalem, in ciuitatibus Iuda, & in ciuitatibus montanis, & in ci-
uitatibus campeſtribus, & in ciuitatibus quæ ad Auſtrum ſunt: quia conuertam captiui-
tatem eorum, ait Dominus.

OBSESSA iam vrbe Ieremias carcere concluſus iubetur à Domino agrum emere, qua re ſignificaret, fore vt qui captiui futuri erant, reuerterentur, agroſque more ſolito emerent, ac venderent.

1. *Anno decimo.*] Cùm iam vrbs per annum vnum obſeſſa fuiſſet: anno enim nono regni Sedeciæ cœpta fuerat obſideri. 4. Reg. 25. 1.

2. *In atrio carceris.*] Ordo inuerſus, pro, In carcere, qui erat in atrio domus Regis, vt adnotat R. Dauid.

3. *Clauſerat.*] Hæc vſque ad ver. 7. per parentheſin poſita ſunt. Hæc autem prophetia, quæ hîc ponitur, non eſt ſuprà ſcripta, niſi fortaſſe aliis verbis hoc loco repetatur. Sed potiùs cap. ſequenti ver. 1. Itaque hæc eſt hiſtoriæ anticipatio, & c. 37. ver. 20.

5. *Donec viſitem eum.*] In bonam partem, id eſt, donec eum à captiuitate reuocem. Ponit Regem pro populo, caput pro corpore. Nam Sedecias ipſe

non

non fuit viſitatus; neque reductus ab exilio: Sicut Chriſtus pro Eccleſia ſæpe ponitur, *Saule, Saule quid me perſequeris?* Act. 9.4.

7. *Eme agrum.*] agrum interpretantur quidam domum cum horto olitorio; quòd Ieremiæ, cùm leuita eſſet, non liceret agrum arabilem poſſidere. Sed hoc eſt vim verbis inferre. Non enim ſolet ſcriptura domum, aut etiam hortum שדה agrum appellare. Et ſententia non bene conueniret; volebat enim Deus huius agri emptione declarare, futurũ vt agri venderentur, & emerentur quod

Leuitas agros & prædia habuiſſe auctoris ſententia eſt. non declaraſſet, ſi, quem emit Ieremias, verus ager non fuiſſet. Potiùs ergo ex hoc loco colligitur etiam leuitas agros, & prædia habuiſſe, quod aliis etiam teſtimoniis li. 1. de beneficiis cõfirmauimus. Tibi enim cõpetit ex propinquitate. לך משפט הגאולה לקנות. tibi enim competit iure redemptionis vt emas, id eſt, quamuis alteri venderem, tu poſſis, quia & leuita & propinquus meus es, eodem pretio potes redimere, vt lege ſancitum eſt, Leuit. 25. 32. ita R. Dauid.

8. *Secundum verbum Domini.*] quemadmodum dixerat mihi Dominus. In Anathoth patria Ieremiæ, ſuprà cap. 1. 1.

9. *Septem ſtateres.*] שקלים. ſiclos, id eſt, ſeptem mnas, vt Ionathas, & R. Dauid interpretantur. Sicli autẽ ſacri intelligẽdi ſunt, quia & venditor, & emptor leuita erat. Continebat autem Siclus ſacer obolas viginti Exod. 30. 23. & Leuit. 27. 15. & Num. 3. 47. Profanus autem Siclus, vt nonnulli volunt, quadraginta conſtabat obolis.

11. *Librum poſſeſſionis.*] id eſt, emptionis מקנה. *Et ſtipulationes, & rata*, id eſt, contractum mutui conſenſus emptoris, & venditoris publico inſtrumento confirmatum. *Et ſigna forinſecus*, id eſt, ſigillo extrinſecus adhibito. Sept. τὸ βιβλίον τῆς κτήσεως τὸ ἀνεγνωσμένον, καὶ ἐσφραγισμένον. *librum poſſeſſionis lectum, & ſignatum.* H. ואקח את ספר המקנה את החתום המצוה והחקים ואת הגלוי. Et accepi librum (id eſt, inſtrumentum) emptionis, & clauſum ſecundum præce-

Mos in emptionibus & venditionibus apud Hebræos. ptum, & leges, & apertum. Tradunt Hebræi, vt R. Dauid, & R. Salomon ſcribunt hoc loco in emptionibus & venditionibus duo inſtrumenta fieri ſolita, alterum clauſum & publico ſigillo obſignatum ad faciendam fidem in iudicio, alterum apertum, vt omnibus legendum porrigeretur, eiuſdem prorſus exẽpli, vt verſu 14. magis declaratur: vtrumque ergo dicit Ieremias ſe accepiſſe ex ritu

Traditiones. ac more (hoc enim eſt quod ait, Secundũ præceptum, & leges.) Præceptũ autem & leges vocat traditiones; nam ſcriptum de hac re in ſacris libris nihil legimus.

12. *In oculis omnium Iudæorum.*] Propterea dedit in oculis omnium, vt eo facto omnibus oſtenderet tam certam, & exploratam ſe habere Iudæorum reſtitutionem, vt eadem ſecuritate, iiſdem ceremoniis emptionis contractum celebraret, ac ſi iam ab exilio Babylonico rediiſſent.

14. *In vaſe fictili.*] teſtaceo, ne humore corrumpantur; ſed vt eos integros inueniamus, cùm ex captiuitate reuertemur. Qua re ſimul indicat & tempus captiuitatis futurum eſſe longum, & reditum futurum certum.

17. *Heu, heu.* אהה.] quod alias ſolet noſter interpres tribus dictionibus vertere A. A. A. vt ſuprà c. 1. 6. & c. 14. 13. Hebraicè dictio dolentis, & admirantis eſt. *Non erit tibi difficile omne verbum.* פלא. difficile eſſe, vel latêre, ignotum eſſe. Itaque alij vertunt, non te latet quidquam, vt Sept. & Chald. Paraph. vt ſtatim ſequitur ver. 19. *Cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam.*

19. *Et incomprehenſibilis cogitatu.*] ורב העליליה. Sept. καὶ δυνατὸς τοῖς ἔργοις; *& potens operibus.* Eodem modo Chaldæus. *Super omnes vias filiorum.* אדם hominis, nomen appellatiuum, id eſt, Cuius oculi vident quidquid homines agunt.

20. *Vſque*

Digitized by Google

20. *Vſque ad diem hanc.*] id eſt, quæ vſque ad hodiernum diem commemorantur. *Sicut eſt dies hæc.* id eſt, quod hodierno etiam die celebratur, frequens Hebraiſmus.

24. *Ecce munitiones.*] סללות. aggeres, vt Chaldæus exponit, vel, vt interpretatur R. Dauid, baliſtæ, catapultæ, inſtrumenta bellica, quibus olim lapides ad deijciendos muros iaciebantur, quibus noſtra tormenta ſucceſſerunt. *A facie gladij.* Hebraiſmus, pro, gladio, fame, & peſtilentia, aut vi gladij, famis, & peſtilentiæ. vt Pſal. 59. 6. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.*

27. *Difficile erit.*] יפלא. difficile erit, aut latebit me, vt ſuprà ver. 17.

31. *Quia in furore meo.*] pro, in furorem meum, *& indignatione*, id eſt, numquam deſtitit me in furorem, indignationémque excitare.

33. *Et verterunt ad me terga.*] id eſt, diſceſſerunt à me. Hebraiſmus, vt ſuprà cap. 2. 27. *Cum docerem eos diluculo,* הַשְׁכֵּם. manè ſurgendo, id eſt, magno ſtudio, ac diligentia, vt ſuprà cap. 7. 13. 25. & cap. 11. 7. & cap. 25. 3. 4. & cap. 26. 5. & cap. 29. 19.

34. *In qua inuocatum eſt nomen tuum.*] נקרא שמי עליו. ſuper quam inuocatum eſt nomen meum, id eſt, in domo, meo nomini dedicata, quæ de meo nomine Domus Dei vocabatur, vt ſuprà cap. 7. 30. *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum, vt pollueren eam.* Et cap. 11. 15. *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* & cap. 23. 11. *In domo mea inueni malum eorum, ait Dominus.* Alludit ad factum Manaſſes, 4. Reg. 21. 4. 5. *Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus, in Ieruſalem ponam nomen meum. Et extruxit altaria vniuerſæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini.*

35. *Baal.*] Baali. *In valle filij Ennon*, id eſt, in Topheth, vt cap. 7. 31. 32. & cap. 19. 2. 6. *Vt initiarent.* להעביר. ad traijciendum (ſub. per ignem) *filios ſuos.* Alludit ad Manaſſem, 4. Reg. 2. 6. *Et traduxit filium ſuum per ignem.* Vide Ezech. 20. 31. *Moloch*, nobili Ammonitarum idolo, 4. Reg. 23. 10. & Act. 7. 43. *Nec aſcendit in cor meum*, id eſt, numquam cogitaui. notus Hebraiſmus, vt ſuprà cap. 3. 16. & cap. 19. 5. & 1. Cor. 2 9.

36. *Propter iſta.*] id eſt, nihilominus, aut, *propter iſta*, id eſt, ne fortè conſiderata peccatorum illorum magnitudine putent ſe numquam eſſe ab exilio liberandos. *Ecce ego congregabo eos*, &c. *De qua vos dicitis quod tradatur*; quod traditur, tradendam eſſe. Cùm illi dicebant non eſſe venturam ciuitatem in manus regis Babylonis, Deus contrà, vt vanam illis confidentiam eriperet, dicebat eſſe venturam. Nunc, illi quaſi deſperantes dicunt tradendam eſſe ciuitatem: Deus, vt ſpem illorum erigat, dicit ſe iterum eos congregaturum.

39. *Et dabo eis cor vnum.*] id eſt, faciam, vt idem omnes ſentiant, & idem ſapiant, vt admonet D. Paulus ad Rom. 12. 16. & c. 15. 5. & 2. Cor. 13. 11. & ad Philip. 2. 2. & 3. 16. & 4. 2. Proſpicit ad tempus Euangelij, quo tempore videmus multitudinis credentium fuiſſe cor vnum, & animam vnam, Act. 4. 32. vt Ezech. 11. 19. *Dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum.* & cap. 36. 26. *Et viam vnam.* id eſt, faciam, vt hæc vna ſit omnibus viuendi ratio, timere me.

40. *Pactum ſempiternum.*] Euangelicum, quod numquam abrogabitur, ſicut Moſaicum. *Et non deſinam.* אשר לא אשוב. quia non diſcedam ab eis, vel, vt non diſcedam ab eis, vt benefaciam illis. Sepuagt. *ὧν οὐ μὴ ἀποστρέψω ὄπισθεν αὐτῶν. quod* (teſtamentum) *non auertam poſt eos.* quocumque modo vertamus, illud

certum eſt explicationem eſſe ſempiterni teſtamenti.

41. *Et lætabor.*] id eſt, iucundum mihi erit benefacere eis; aut, non pœnitebit me boni, quod fecero eis, quia non pœnitebit eos boni, quod iuſſu meo fecerint, vt promiſit ſuprà c. 18. 10. *In veritate* id eſt, firmiter, ita vt non ampliùs eos euellam. idem eſt. *In veritate*, &, in toto animo, & toto corde; in toto autem corde, & tota anima idem eſt, atque non reſeruata vlla offenſionis parte, ita vt non ampliùs eos puniat, aut ſcelerum eorum recordetur.

43. *Et poſſidebuntur agri.*] Alluſio eſt ad agrum, quem emerat Ieremias, ſuprà verſ. 9.

CAPVT XXXIII.

ET factum eſt verbum Domini ad Ieremiam ſecundò, cùm adhuc clauſus eſſet
in atrio carceris, dicens: 2 *Hæc dicit Dominus qui facturus eſt: & formaturus illud, & paraturus, Dominus nomen eius.* 3 *Clama ad me et exau-*
diam te, et annuntiabo tibi grandia, et firma quæ neſcis: 4 *Quia hæc dicit Dominus*
Deus Iſraël ad domos vrbis huius, et ad domos regis Iuda quæ destructæ ſunt, et ad mu-
nitiones, et ad gladium, 5 *Venientium vt dimicent cum Chaldæis, et impleant eas ca-*
dauerıbus hominum, quos percuſſi in furore meo et in indignatione mea, abſcondens fa-
ciem meam à ciuitate hac propter omnem malitiam eorum: 6 *Ecce, ego obducam eis*
cicatricem et ſanitatem, et curabo eos: et reuelabo illis deprecationem pacis et veritatis.
7 *Et conuertam conuerſionem Iuda, et conuerſionem Ieruſalem, et ædificabo eos ſicut à*
principio. 8 *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua, in qua peccauerunt mihi: et*
propitius ero cunctis iniquitatibus eorum in quibus deliquerunt mihi, et ſpreuerunt me.
9 *Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gen-*
tibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus ſum eis: et pauebunt, et turba-
buntur in vniuerſis bonis, et in omni pace quam ego faciam eis. 10 *Hæc dicit Domi-*
nus, Adhuc audietur in loco iſto (quem vos dicitis eſſe deſertum, eò quòd non ſit homo nec
iumentum in ciuitatibus Iuda, et foris Ieruſalem, quæ deſolatæ ſunt abſque homine; et
abſque habitatore et abſque pecore.) 11 *Vox gaudij et vox lætitiæ, vox ſponſi et vox*
ſponſæ, vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quo-
niam in æternum miſericordia eius: et portantium vota in domum Domini. reducam
enim conuerſionem terræ ſicut à principio, dicit Dominus. 12 *Hæc dicit Dominus*
exercituum, Adhuc erit in loco iſto deſerto abſque homine, et abſque iumento, et in cun-
ctis ciuitatibus eius, habitaculum paſtorum accubantium gregum. 13 *In ciuitatibus*
montuoſis, et in ciuitatibus campeſtribus, et in ciuitatibus quæ ad Auſtrum ſunt, et in
terra Beniamin et in circuitu Ieruſalem, et in ciuitatibus Iuda adhuc tranſibunt greges
ad manum numerantis, ait Dominus. 14 *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et*
ſuſcitabo verbum bonum quod locutus ſum ad domum Iſraël, et ad domum Iuda.
15 *In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, et fa-*
ciet iudicium et iuſtitiam in terra. 16 *In diebus illis ſaluabitur Iuda, et Ieruſalem*
habitabit confidenter, et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.
17 *Quia hæc dicit Dominus, Non interibit de Dauid vir, qui ſedeat ſuper thronum*
domus Iſrael. 18 *Et de ſacerdotibus et de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui*
auferat holocautomata, et incendat ſacrificium, et cædat victimas omnibus diebus.
19 *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam dicens:* 20 *Hæc dicit Dominus,*
Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die et pactum meum cum nocte, vt non ſit dies et

nox

Digitized by Google

nox in tempore ſuo: 21 *Et pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo,*
vt non ſit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & ſacerdotes miniſtri mei.
22 *Sicuti enumerari non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſe-*
men Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos. 23 *Et factum eſt verbum Domini*
ad Ieremiam, dicens, 24 *Numquid non vidiſti quid populus hic locutus ſit, dicens:*
Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abiectæ ſunt: & populum meum deſpexerunt,
eò quòd non ſit vltrà gens coram eis. 25 *Hæc dicit Dominus, Si pactum meum inter*
diem, & noctem, & leges cœli & terræ non poſui: 26 *Equidem & ſemen Iacob, &*
Dauid ſerui mei proiiciam, vt non aſſumam de ſemine eius principes ſeminis Abraham,
Iſaac, & Iacob: reducam enim conuerſionem eorum, & miſerebor eis.

PRÆDICIT reductionem Iudæorum à captiuitate, ſicut capite præcedenti, & Chriſti aduentum.

1. *Secundò.*] Poſtquam in carcere erat; nam priùs ſæpiùs illi factum fuerat. Itaque iungenda ſunt hæc verba, *Secundò cùm adhuc clauſus eſſet.* vel, Secundò de hac re, vt ait R. Dauid. *In atrio carceris.* pro, in carcere atrij, auctore R. Dauid, vt cap. ſuperiori verſ. 2.

2. *Qui facturus eſt.*] Quod dicit, vt Iſai. 46. 11. *Locutus ſum, & adducam illud: creaui, & faciam illud.* Ita exponit R. Salom. H. affixum eſt generis fœminini. Itaque R. Dauid exponit עשה. faciens eam, Ieruſalem, id eſt, qui amplificaturus eſt, formaturus, præparaturus, reſtauraturus eſt eam, vt prædixit præcedenti cap. Magis mihi placet verſio interpretis noſtri; & interpretatio R. Salom. quæ eadem Ionathæ eſt.

3 *Et firma.*] fortia, בצורות. id eſt, res arduas, & difficiles, quas niſi me reuelante comprehendere non poteris, vt Pſal. 138. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.*

4. *Ad domos.*] על בתי. de domibus, & de munitionibus, & gladio *Quæ deſtructæ ſunt*, quæ paulò pòſt deſtruentur. Heb. אל סללות ואל החרב. Quæ deſtructę ſunt aggeribus & gladio, aut, propter aggeres, & gladium (Chaldæorum) vt R. Dauid interpretatur, vel, vt ex illis fierent aggeres, & gladio pugnaretur, vt exponit R. Salomon. Quo etiam ſenſu videntur Septuag. vertiſſe, *εἰς χάρακα in vallum*, & Chald. Paraphr. ad congerendos aggeres contra eos, qui pugnant gladio.

5. *Venientium.*] Intelligitur ἀπὸ κοινοῦ, & ad domos Iudæorum venientium, id eſt, qui venturi ſunt vt pugnent cum Chaldæis, vel, quia venerunt, vt pugnarent cum Chaldæis, vt reddatur, quamobrem deſtructæ ſunt, quia ciues auſi ſunt Chaldæis reſiſtere; ſi enim non reſtitiſſent, non eſſent dirutæ domus eorum. ita R. Dauid. *Et impleant.* ולמלאם & vt impleant eas, domos. Vt, non eſt hoc loco *αἰτιατικὸν*, ſed ἐκβατικὸν. non enim ſignificat cauſam, ſed euentum, & conſecutionem, vt multis aliis locis adnotauimus. Non enim propterea cum Chaldæis pugnauerunt, vt euerterentur: ſed inde, vt euerterentur, conſecutum eſt. *Vt, conſequentiã ſignificat.*

6. *Obducam eis.*] ei; vt Hebraïce legitur, & in emendatioribus noſtræ verſionis exemplaribus, & vt Septuag. tranſtulerunt. Intelligitur autem, Ciuitati. Relatiuum ſine antecedente, Hebræorum more. *Cicatricem.* ארוכה. medicinam, vt ſuprà cap. 30. 17. *Deprecationem pacis*, id eſt, pacem, quam à me precati ſunt. עתרת שלום. Alij interpretantur multitudinem pacis. & veritatis, vt R. Dauid. Veritas autem hoc loco iuſtitiam ſignificat, vt Pſal. 83. 11. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi; iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.*

7. *Et conuertam conuerſionem.*] id eſt, captiuitatem. שבורת. vt ſuprà cap. 30. 3. 18. & infrà ver. 11. 26. *Sicut à principio,* cùm eductos ex Ægypto in terram promiſſam introduxit, ibique ſtabiliuit. Hoc enim eſt ædificare, vt ſuprà cap. 1. 10. & 12. 16. 18. 9. & 24. 6.

9. *Pauebunt & turbabuntur.*] Intelligentes eum, qui amicos ſuos tam multis bonis potuerint cumulare, poſſe etiam inimicos ſuos perdere, *In vniuerſis bonis*, H. propter omnis generis bona, & propter pacem. Pacem vocant Hebræi ſecundarum rerum affluentiam, vt Pſal. 121. 7. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*

Quid per pacem intelligant Hebræi.

10. *Et foris Ieruſalem.*] id eſt, in oppidis ſuburbanis, Ieruſalem. Heb. ובחצרת. & in plateis Ieruſalem, vt vertit Chaldæus.

12. *Accubantium gregum.*] pro, accubatorum gregum, vt dicamus ita, מרבצים צאן. facientium accubare greges, vt Sept. reddiderunt. Hæc omnia, quæ hoc verſu, & præcedenti dicuntur antitheta ſunt eorum, quæ dixerat ſuprà cap. 7. 34. & 16. 9. & 25. 10.

13. *Ad manum numerantis.*] id eſt, quotquot aliquis numerare poſſit. R. Dauid & R. Salomon dicunt per paſtorem intelligi Regem; per greges ciuitates Iuda & Iſraël; alluſionémque fieri ad conſuetudinem paſtorum, qui ſolent ad veſperum cùm ex paſcuis redeunt, oues manu numerare. quaſi dicat, adhuc ciuitates Iuda & Iſraël Regem habebunt, à quo regantur. Meliùs Ionathas Chaldæus paſtorem vocat Chriſtum. Ipſe enim eſt paſtor bonus, Ioan. 10. 11. 14. Numerare autem oues eſt, eas recognoſcere, earum curam habere, ne qua pereat. quod & Chriſtus ſe feciſſe dicit, Ioan. 10. 14. *Ego cognoſco oues meas.* & Ioan. 17. 12. & 18. 9. *Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

14. *Suſcitabo.*] id eſt, implebo, euenire faciam bonum, quod promiſi. phraſis Hebraica, qualis ſuprà cap. 11. 5. & 28. 6. & 29. 10. & Iſai. 44. 26.

15. *Germen iuſtitiæ.*] filium iuſtum, Chriſtum, vt ſuprà cap. 23. 5.

16. *Dominus iuſtus noſter.*] Vide explicationem capitis 23. 5.

17. *Non interibit.*] לא כרת. non excidetur, ad verbum, id eſt, non deerit Hebraiſmus, qualis verſu ſequenti, & apud Iſai. 48. 19. *Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui vt lapilli eius: non interiſſet & non fuiſſet attritum nomen eius à facie me.* Senſus eſt: *Non auferetur ſceptrum de Iuda donec veniat qui mittendus eſt,* Geneſ. 49. 10. & Pſal. 131. 11. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Aut ſignificat regnum Chriſti futurum eſſe perpetuum, vt Luc. 1. 33. *Et regni eius non erit finis.* & Pſal. 88. 30. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius; Et thronum eius ſicut dies cæli.*

18. *Non interibit.*] Non deerit, vt verſu præcedenti. Significat ſicut regnum Chriſti, ita ſacerdotium Euangelicum futurum eſſe perpetuum, & Euchariſtiæ ſacrificium non defuturum, vt antiquiſſimus Hyppolitus dixit, quòd omnia ſacrificia veteris legis virtute contineat.

Clarum teſtimonium pro ſacrificio, & ſacrificio nouæ legis æterno.

24. *Duæ cognationes.*] Dauidis & Aaronis, regum & ſacerdotum, vt R. Dauid & R. Salom. interpretantur, de his enim loquebatur ver. 17. 18. 21. 22. *Et populum meum deſpexerunt.*] Qui hoc dicunt putantes non eſſe iam illi reges, neque ſacerdotes qui eum regant. *Eò quòd non ſit vltrà gens,* id eſt, quia putant eos non habituros ſucceſſionem, ac poſteritatem. Gentem aliquando vocant Hebræi non ſolùm barbaras nationes, ſed quamuis etiam hominum multitudinem, vt Gen. 17. 4. *Eriſque pater multarum gentium.* & ver 20. *Et faciam illum in gentem magnam.* Idémque cap. 21. 13. 18. & cap. 25. 23. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo,* id eſt,

eſt, duo populi duæ poſteritates, quemadmodum hoc loco gentem appellat Ieremias, quas antè cognationes vocauerat.

25. *Non poſui.*] id eſt, firmum, ſtabile, & perpetuum feci.

26. *Conuerſionem eorum.*] id eſt, captiuitatem. שבותם. vt ver. 7. & alijs locis, quos illic adnotauimus.

CAPVT XXXIV.

VERBVM quod factum eſt ad Ieremiam à Domino quando Nabuchodo-
noſor rex Babylonis, & omnis exercitus eius, vniuerſáque regna terra, quæ erant
ſub poteſtate manus eius, & omnes populi bellabant contra Ieruſalem, & contra
omnes vrbes eius, dicens, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Vade, & loquere ad Sedeciam
regem Iuda. & dices ad eum, Hæc dicit Dominus, Ecce, ego tradam ciuitatem hanc in
manus regis Babylonis, & ſuccendet eam igni. 3 *Et tu non effugies de manu eius: ſed*
comprehenſione capieris, & in manu eius traderis: & oculi tui oculos regis Babylonis vi-
debunt, & os eius cum ore loquetur, & Babylonem introibis. 4 *Attamen audi ver-*
bum Domini Sedecia rex Iuda, Hæc dicit Dominus ad te, Non morièris in gladio,
5 *Sed in pace morièris, & ſecundùm combuſtiones patrum tuorum regum priorum qui*
fuerunt ante te, ſic comburent te: & Va domine, plangent te, quia verbum ego locutus
ſum, dicit Dominus. 6 *Et locutus eſt Ieremias Propheta ad Sedeciam regem Iuda*
vniuerſa verba hæc in Ieruſalem. 7 *Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Ie-*
ruſalem, & contra omnes ciuitates Iuda, quæ reliquæ erant contra Lachis, & contra
Azeca: hæ enim ſupererant de ciuitatibus Iuda vrbes munitæ. 8 *Verbum quod fa-*
ctum eſt ad Ieremiam à Domino: poſtquam percuſſit rex Sedecias fœdus cum omni popu-
lo in Ieruſalem prædicans, 9 *Vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſ-*
que ancillam ſuam, Hebræum, & Hebræam, liberos: & nequaquam dominarentur eis,
id eſt, in Iudæo, & fratre ſuo. 10 *Audierunt ergo omnes principes, & vniuerſus po-*
pulus, qui inierant pactum, vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque an-
cillam ſuam liberos, & vltrà non dominarentur eis, audierunt igitur & dimiſerunt.
11 *Et conuerſi ſunt deinceps & retraxerunt ſeruos ſuos & ancillas ſuas, quos dimiſerant*
liberos, & ſubiugauerunt in famulos & famulas. 12 *Et factum eſt verbum Domini*
ad Ieremiam à Domino, dicens: 13 *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Ego percuſſi*
fœdus cum patribus veſtris in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, di-
cens: 14 *Cùm completi fuerint ſeptem anni, dimittat vnuſquiſque fratrem ſuum He-*
bræum, qui venditus eſt ei, & ſeruiet tibi ſex annis: & dimittes eum à te liberum, & non
audierunt patres veſtri me, nec inclinauerunt aurem ſuam. 15 *Et conuerſi eſtis vos*
hodie, & feciſtis quod rectum eſt in oculis meis vt prædicaretis libertatem vnuſquiſque ad
amicum ſuum: & iniſtis pactum in conſpectu meo, in domo in qua inuocatum eſt nomen
meum ſuper eam. 16 *Et reuerſi eſtis, & commaculaſtis nomen meum: & reduxi-*
ſtis vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque ancillam ſuam, quos dimiſeratis vt eſ-
ſent liberi & ſuæ poteſtatis: & ſubiugaſtis eos vt ſint vobis ſerui & ancillæ. 17 *Pro-*
pterea hæc dicit Dominus, Vos non audiſtis me, vt prædicaretis libertatem vnuſquiſque
fratri ſuo, & vnuſquiſque amico ſuo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad
gladium, ad peſtem, & ad famem, & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.
18 *Et dabo viros qui præuaricantur fœdus meum, & non obſeruauerunt verba fœde-*
ris, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, &

tranſierunt inter diuiſiones eius, 19 *Principes Iuda & principes Ieruſalem, eunuchi, & ſacerdotes, & omnis populus terræ, qui tranſierunt inter diuiſiones vituli.* 20 *Et dabo eos in manus inimicorum ſuorum, & in manus quærentium animam eorum, & erit morticinum eorum in eſcam volatilibus cœli & beſtiis terræ.* 21 *Et Sedeciam regem Iuda & principes eius dabo in manus inimicorum ſuorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum regis Babylonis qui receſſerunt à vobis.* 22 *Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, & prælitabuntur aduerſus eam, & capient eam, & incendent igni, & ciuitates Iuda dabo in ſolitudinem, eò quòd non ſit habitator.*

PRÆDICIT captiuitatem, & euerſionem vrbis, eiúſque nouam reddit cauſam, quòd ſeruos, quemadmodum promiſerant, non manu miſerint. Conſolatur tamen Sedeciam dicens fore, vt quamuis capiatur, non occidatur tamen; ſed naturali morte moriatur, & patrio ritu condiatur, ac lugeatur.

3. *Comprehenſione caperis.*] תפש תתפש. capiendo (paſſiuè) capieris, id eſt, certò, ac ſine dubio capieris. nota phraſis. *Et oculi tui,* id eſt; venies in conſpectum Regis Babylonis. eadem periphraſis ſuprà cap. 32.4.

Sepeliendi ritus apud Hebræos. 5. *In pace.*] id eſt, non violenta morte. Nam alioqui non eſt in pace mortuus, qui mortuus eſt in captiuitate. *Secundum combuſtiones* Solebant Reges vnguentis & aromatibus condiri, & incenſis odoramentis ſuffiri, vt apparet 2. Paral. 16. 14. *Comburent te.* id eſt, ſuffient, non enim comburebantur, ſed ſepeliebantur Iudæi. Sic R. Dauid, & R. Salom. *& Væ Domine plangent te,* id eſt, regio more. Regibus enim dicebantur à plangentibus, *Væ Domine, & Væ Inclyte.* priuatis autem hominibus, *Væ frater, & Væ ſoror,* vt apparet ſuprà cap. 22.18. Tradunt Hebræi quemadmodum recitat hoc loco R. Salomon, viuente Nabuchodonoſore vinctos ex carcere non exiiſſe; poſt eius autem mortem Sedeciam è vinculis eductum, humanitérque tractatum, ideóque honorificè ſepeliri potuiſſe.

8. *Percuſſit fœdus.*] Non fuit nouum fœdus, ſed antiqui fœderis renouatio. Nam Exod. 21.2. & Deut. 15.12. Deus præceperat, vt quicumque haberet ſeruũ Hebræum, annò ſeptimo manumitteret. Itaque Sedecias cum populo conuenit, vt fœdus illud ſeruaretur, quod iam abrogauerat auaritia. Percuſſit autem fœdus de hoc præcepto ſeruando potiùs, quàm de aliis, quia magis ad rem pertinebat: ne Deus illos in ſeruitutem redigeret. *Prædicans.* לקרא להם דרור. ad prædicandam libertatem, vt Sept. & Chald. reddiderunt.

9. *Hebræum & Hebræam.*] Quia de aliis Dei præceptum non intelligebatur.

Hebraiſmus rarò occurrẽs. 10. *Qui inierant pactum.*] אשר באו בבדירת. qui inierant in pactum, id eſt, qui conſenſerant. Phraſis Hebraica rarò occurrens, quam noſter interpres rectiſſimè expreſſit. Nam & Latinè inire pactum dicitur, quaſi ire in pactum, ſicut ire in alterius ſententiam.

11. *Et conuerſi ſunt.*] id eſt, ab inſtituto & fœdere diſceſſerunt, mutauerunt voluntatem. *Deinceps.* Poſt, & iterum eos in ſeruitutem redegerunt.

15. *Conuerſi eſtis.*] id eſt, cùm conuerſi eſſetis, cùm à peccato patrum veſtrorum diſceſſiſſetis.

16. *Reuerſi eſtis.*] Pœnituit vos bene feciſſe. *Et commaculaſtis nomen meum.* Violantes pactum, quod interpoſito nomine meo iuramento firmaueratis.

17. *Prædico vobis libertatem.*] id eſt, manumittam vos, vt non ſitis ampliùs ſerui mei, neque vos defendam, ſed permittam in gladium, in peſtem, in famé incidere,

incidere,vt exponit R.Salom.Alij, *Prad o vobis* id eſt,contra vos libertatem hoſtibus,vt vos ſeruituti ſubiiciant,vt interpretatur R. Dauid.Prior interpretatio eſt melior,ni fortè,vt aliis placet,mihíque non diſplicet,ironia eſt,aut antiphraſis,qua ſeruitutem libertatem appellat, *Et dabo vos in commotionem*.לזועה.in diſperſionem,id eſt,faciam vt per vniuerſa orbis terrarum regna diſpergamini;ſicut diſpergi ſolent,qui in bello capiuntur,dum diuerſis dominis diuenduntur, vt Deut.28.25.Supra tranſtulit noſter interpres, *In feruorem omnibus regnis terra*. c.15.4.& c.24.9.*in vexationem*.Eodem modo c.29.18.

18. *Vitulum*.]Quemadmodum Latini percuſſa ſue fœdera celebrabant, vnde dixerunt,percutere fœdus: ita Hebræi diuiſo in duas partes vitulo, & inter eas tranſeuntes,vt R. Dauid,& R.Salom.hoc loco tradunt,quod in Geneſ.c. 15.10. Abrahamum feciſſe legimus.Duobus igitur modis hæc verba interpretari poſſumus,vel, *Dabo viros &c.vitulum*, id eſt, tanquam vitulum, vt per varia regna diuidantur,ſicut dixerat verſu præcedenti, *Dabo vos in commotionem omnibus regnis terræ*.vel,vt alii exponunt, *Dabo viros,qui non ſeruauerunt verba fœderis,& vitulum*, id eſt, pactum, fœdus conſtabat verbis & factis; factum erat vituli diſſectio. Senſus ergo eſt,dabo viros,qui neque verba, neque facta fœderis mei ſeruauerunt,in manus inimicorum ſuorum,vt dicitur verſ.20. vnde hæc ſententia ſuſpenſa eſt.

Mos percutiendi fœdus apud Hebræos.

19. *Principes Iuda*.]ſub.huiuſmodi ſunt.Declarat,qui ſint illi, qui fœdus pepigerunt,& inter partes vituli tranſierunt. Hebraïcè poſſunt accuſatiui eſſe.Principes,& eunuchos dabo.

20. *Et dabo*.] id eſt,dabo inquam.ו.hoc loco valet,inquam,quia eſt nota repetitionis;repetit autem verbum propter longam parentheſin,aut hyperbaton. *Et erit morticinum eorum*.נבלתם.cadauer eorum,id eſt,non ſepelientur. Delectatur noſter interp.hoc verbo, eóque libenter vtitur,vt ſup.c.7.33.& 9.22.& 16.18. Quod etſi Latinum eſt, minus aliquando conuenit, quàm cadauer; non enim quoduis cadauer morticinum appellatur, ſed quod ſponte ſua,ac ſine violentia mortuum eſt,vt cùm Leu.11.11.dicitur, *Morticina vitabitis*.

Quid morticinum.

21. *Qui receſſerunt*.] id eſt,qui recedent,dabo in manus Chaldæorũ in patriam ſuam parta victoria redeuntium,vt,R.Dauid,& R. Salom. explicant, quamuis ad tempus receſſiſſe à nobis videantur. Nam cùm Chaldæi Ieroſolymam obſiderent, audito nuntio Pharaonem regem Ægypti in auxilium Iudæorum venire,obſidionem ſoluerunt,vt dicitur infrà.c.37.4. poſtea autem redeuntes vrbẽ, & Sedeciam ceperunt. Atque eo tempore, quo Chaldæi aberant, exiſtimantes Iudæi ſe iam eſſe liberatos, ſeruos, quos pacto fœdere manumiſerant, iterum ſeruituti ſubiecerunt, vt verſ.11.dictum eſt.

22. *Pracipio*.] Chaldæis, vt ad obſidionem redeant. Dicitur Deus non ſolùm facere,ſed etiam præcipere,quod permittit fieri, vt ſua prouidentia in bonum conuertat. Sicut dicit Dauid Deum præcepiſſe Semei, vt ſibi malediceret, 2. Reg.16.10.

CAPVT XXXV.

VERBVM quod factum eſt ad Ieremiam à Domino in Diebus Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda, dicens: 2 *Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in unam exedram theſaurorum, &*

dabis

dabis eis bibere vinum. 3 *Et aſſumpſi Iezoniam filium Ieremiæ filij Habſaniæ, &*
fratres eius, & omnes filios eius, & vniuerſam domum Rechabitarum. 4 *Et intro-*
duxi eos in domum Domini, ad gazophylacium filiorum Hanan filij Igedeliæ homi-
nis Dei, quod erat iuxta gazophylacium principum, ſuper theſaurum Maaſiæ filij
Sellum, qui erat cuſtos veſtibuli. 5 *Et poſui coram filijs domus Rechabitarum ſcy-*
phos plenos vino, & calices: & dixi ad eos, Bibite vinum. 6 *Qui reſponderunt, Non*
bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab, pater noſter, præcepit nobis, dicens: Non
bibetis vinum vos & filij veſtri vſque in ſempiternum. 7 *Et domum non ædificabitis,*
& ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: ſed in tabernaculis ha-
bitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciem terræ in qua vos pere-
grinamini. 8 *Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab patris noſtri, in omnibus quæ*
præcepit nobis: ita vt non biberemus vinum cunctis diebus noſtris: nos & mulieres noſtræ,
filij & filiæ noſtræ. 9 *Et non ædificaremus domos ad habitandum, & vineam & agrum*
& ſementem non habuimus: 10 *Sed habitauimus in tabernaculis, & obedientes fui-*
mus iuxta omnia quæ præcepit nobis Ionadab pater noſter. 11 *Cùm autẽ aſcendiſſet Na-*
buchodonoſor rex Babylonis ad terram noſtram, diximus, Venite & ingrediamur Ieru-
ſalem à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Syriæ: & manſimus in Ieruſalem.
12 *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, dicens:* 13 *Hæc dicit Dominus*
exercituum Deus Iſraël, Vade, & dic viris Iuda & habitatoribus Ieruſalem, Num-
quid non recipietis diſciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? 14 *Præualue-*
runt ſermones Ionadab filij Rechab: quos præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum: & non
biberunt vſque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris ſui: ego autem locutus ſum
ad vos, de manè conſurgens & loquens, & non obediſtis mihi. 15 *Miſique ad vos omnes*
ſeruos meos Prophetas, conſurgens diluculo, mittenſque & dicens, Conuertimini vnuſquiſq;
à via ſua peſſima, & bona facite ſtudia veſtra: & nolite ſequi Deos alienos, neque colatis
eos, & habitabitis in terra quam dedi vobis & patribus veſtris: & non inclinaſtis aurem
veſtram, neque audiſtis me. 16 *Firmauerunt igitur filij Ionadab, filij Rechab præce-*
ptum patris ſui, quod præceperat eis: populus autem iſte non obediuit mihi. 17 *Idcir-*
co hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Ecce ego adducam ſuper Iuda & ſuper
omnes habitatores Ieruſalem vniuerſam afflictionem, quam locutus ſum aduerſus illos, eo
quòd locutus ſum ad illos, & non audierunt, vocaui illos, & non reſponderunt mihi.
18 *Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus*
Iſraël: pro eo quòd obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata
eius, & feciſtis vniuerſa quæ præcepit vobis, 19 *Propterea hæc dicit Dominus exerci-*
tuum Deus Iſraël, Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo
cunctis diebus.

RECHABITARVM comparatione docet Deus, quàm malè ſibi Iudæi obediuerint, confirmátque illis futuram captiuitatem, Rechabitis verò poſteritatem perpetuam.

1. *In diebus Ioacim.*]Manifeſtum eſt ex hoc loco Prophetas, aut qui eorum vaticinia in vnum volumen compegerunt, non ſeruare ordinem temporis. Nam quæ hoc capite narrantur, priùs acciderunt, quàm quæ ſuperioribus capitibus tradita ſunt.

2. *In domum Rechabitarum.*] id eſt, in hoſpitium, vbi diuerſantur; non enim ciues Ieroſolymitani erant; ſed propter hoſtes ſeſe in vrbem receperant, vt apparet ver. 11. Erant autem Rechabitæ filij, aut poſteri Ionadab viri nobiliſſimi, & familiaris Regis Iehu. 4. Reg. 10.15. Ionadab autem filius fuerat Rechab,

Digitized by Google

Exedra quid.

chab,vt eodē loco dicitur & infrà ver.6.Rechab autē genus ducebat ex Iethro ſocero Moſis, qui alio nomine Chobab appellabatur. Nominati ſunt Rechabitæ à Rechab, quià in ea familia clariſſimus fuit. 1.Parap. 22. 55. Ita Hebræi tradunt, vt R. Dauid, & R. Salom. hoc loco. *In vnam exedram.* Erant multæ exedræ in templo, vbi ij, qui vaſa, veſteſque cuſtodiebant, ſedere poſſent; ſicut in Gallia videmus theſauri Eccleſiaſtici cuſtodes, quos & Matricularios *Marguilliers* appellant, in templo ſuas habere ſedes, vbi ſanctorum reliquias cuſtodiunt. H. אל אחת הלשכות. in vnum ex cubiculis, aut in vnum è gazophylaciis, vt Chaldæus vertit, & noſter interpres alias vbique transferre ſolet, vt infrà ver. 4. & cap. 36. 10. 21. & Ezech. 40. 17. & 42. 4. 5. Septuaginta, in vnam ex aulis, & atriis.

4. *Ad gazophylacium.*] vel ad cubiculum. Multa fuiſſe cubicula, quæ templo adhærerent, dicunt Hebræi, vbi templi, & vaſorum cuſtodes habitarent, & templi ſupellectilem aſſeruarent; quæ idcirco noſter interpres appellat gazophylacia. *Hominis Dei*, id eſt, Prophetæ, vt Ionath. R. Dauid, & R. Salo. interpretantur. *Iuxta gazophylacium principum.* Creditur inter alia cubicula ſeu gazophylacia, vnum fuiſſe in quo principum dona ſeruarentur. *Super theſaurum* ממעל ללשכת. ſupra gazophylacium, aut cubiculum; idem enim nomen eſt, quod noſter interpres nunc exedram, nunc gazophylacium, nunc theſaurum varietatis cauſa vertit. *Cuſtos veſtibuli.* שמר הסף. R. Dauid, interpretatur præfectum ſupellectilis, & vaſorum vinariorum. Ionath. & R. Salom. אמר כליא. principem, præpoſitum, vnde videri poſſent Galli ſuos *marguilleros* appellaſſe, niſi à Latinis etiam Matricularij dicerentur. *Veſtibuli.* סף. & limen ſignificat vt Iud. 19. 27. & Ezechiel. 40. 6. 8. Et omne vaſorum genus, vt docet R. Dauid, 2. Reg. 12. 9. Sept. verterunt *φυλάσσοντος τὴν ὁδὸν. qui viam cuſtodiebat*, id eſt, aditum templi, eodem ſenſu, quo noſter interpres.

6. *Quia Ionadab.*] Adnotat R. Dauid, à Ionadab vſque ad Ioacim, quo tempore hæc facta eſſe dicuntur, trecentos circiter fluxiſſe annos, quo toto tempore numquam Rechabitæ vinum deguſtaſſent.

Singulare ad imitationem exemplū Rechabitarum omnibus.

7. *In qua vos peregrinamini.*] peregrinos vocat, vt ait R. Salom. quia cùm non eſſent ex ſemine Abrahæ, non acceperant hæreditatem in terra promiſſa, ideo prudentiſſimus pater iuſſit eos tanquā peregrinos ſine poſſeſſionibus viuere, & vino non vti, ſed aqua, quam qui peregrinantur, manu ſolent ex flumine delibare, vt trecentos illos Gedeonis milites feciſſe legimus Iud. 7. 6. Singulare hoc eſt Chriſtianis exemplum ad imitationem, qui non habent hîc ciuitatem permanentem; ſed aliam inquirunt, ad Heb. 13. 14. Cur autem dicat eos multis diebus victuros ſuper terram, ſi hoc fecerint, dubium. R. Dauid hoc tribuit humanæ naturæ, quòd poſſeſſiones hominem ſolicitum & anxium reddere ſoleant, & ſolicitudo vitam minuat. Ego paternæ benedictioni potiùs adſcribo; quaſi dicat, ſi vultis diu viuere ſuper terram, obedite mihi parenti veſtro præcipienti, néve poſſeſſiones habeatis, néve bibatis vinum, ſcriptum enim eſt, *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* Exod. 20. 12.

Hebraiſmi tui.

11. *Cùm aſcendiſſet.*] Cùm veniſſet, Hebraïſmus ſæpe à nobis explicatus. *Ad terram noſtram*, id eſt, quam habitabamus; non enim terram poſſidebant, id eſt, cùm cœpiſſet Iudæam vaſtare, vbi tentoria noſtra habebamus, *Diximus.* Cogitauimus, conſilium iniuimus, vt reciperemus nos in vrbem. *à facie exercitus.* propter exercitum. Dicere, pro decernere; cogitare, conſilium inire; *Venite*, pro, Eia, aut agedum, *à facie*, pro, propter, tres ſunt Hebraiſmi, qui paſſim

occurrunt. Occurrunt autem Rechabitæ tacitæ objectioni. Potuiſſet enim Ieremias illis obiicere, cur ergo non in tentoriis; ſed in vrbe habitatis?

14. *Præualuerunt.*] id eſt, plus ponderis habuerunt verba Ionadab apud filios ſuos, quàm præcepta mea tam ſæpe repetita, tanto ſtudio commendata apud vos. Atqui ille homo erat, ego Deus. H. הוקם את דברי. *confirmata ſunt verba Ionadab*, id eſt, à filiis eius obſeruata. Iungitur verbum ſingulare nomini plurali. vt R. Dauid, adnotauit. *Manè conſurgens.* id eſt, diligenter, vt ſuprà c. 7. 13. 25. & 11. 7. & 25. 3. 4. & 26. 5. & 29. 19.

16. *Firmauerunt.*] id eſt, ſeruauerunt, compleuerunt reipſa, vt ver. 14.

18. *Dixit Ieremias.*] perſona Dei; ſtatim enim perſona Dei loquitur verſu ſequenti, quod Deus illi dixerat, quamuis hîc non exprimatur. Non ergo opponitur Ieremias Deo.

19. *Propterea.*] propterea inquam. iam enim dixerat, *Pro eo quod:* & c. verſu præcedenti. Huiuſmodi repetitionibus, cùm longior oratio interpoſita fuit, Hebræi vti ſolent.

CAPVT XXXVI.

ET factum eſt in anno quarto Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda, factum eſt verbum
hoc ad Ieremiam à Domino, dicens: 2 *Tolle volumen libri, & ſcribes in*
eo omnia verba, quæ locutus ſum tibi aduerſum Iſraël & Iudam, & aduer-
ſum omnes gentes: à die qua locutus ſum ad te, ex diebus Ioſiæ vſque ad diem hanc.
3 *Si fortè audiente domo Iuda vniuerſa mala, quæ ego cogito facere eis, reuertatur*
vnuſquiſque à via ſua peſſima: & propitius ero iniquitati, & peccato eorum. 4 *Vo-*
cauit ergo Ieremias Baruch filium Neriæ: & ſcripſit Baruch ex ore Ieremiæ omnes
ſermones Domini, quos locutus eſt ad eum, in volumine libri. 5 *& præcepit Iere-*
mias Baruch dicens, Ego clauſus ſum, nec valeo ingredi domum Domini. 6 *Ingredere*
ergo tu, & lege de volumine in quo ſcripſiſti ex ore meo verba Domini, audiente populo
in domo Domini in die ieiunij: inſuper & audiente vniuerſo Iuda qui veniunt de
ciuitatibus ſuis, leges eis: 7 *Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini, &*
reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſſima: quoniam magnus furor & indignatio eſt,
quam locutus eſt Dominus aduerſum populum hunc. 8 *Et fecit Baruch filius Neriæ*
iuxta omnia quæ præceperat ei Ieremias Propheta, legens ex volumine ſermones Domini
in domo Domini. 9 *Factũ eſt autem in anno quinto Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda, in*
menſe nono: prædicauerunt ieiunium in conſpectu Domini omni populo in Ieruſalem
& vniuerſæ multitudini, quæ confluxerat de ciuitatibus Iuda in Ieruſalem. 10 *Legit-*
que Baruch ex volumine ſermones Ieremiæ in domo Domini in gazophylacio Gamariæ filij
Saphan ſcribæ, in veſtibulo ſuperiori, in introitu portæ nouæ domus Domini, audiente
omni populo. 11 *Cúmque audiſſet Michæas filius Gamariæ filij Saphan omnes ſermones*
Domini ex libro: 12 *deſcendit in domum regis ad gazophylacium ſcribæ: & ecce, ibi om-*
nes principes ſedebant, Eliſama ſcriba, & Dalaias filius Semeiæ, & Elnathan filius Acho-
bor: & Gamarias filius Saphan, & Sedecias filius Hananiæ, & vniuerſi principes.
13 *Et nuntiauit eis Michæas omnia verba quæ audiuit legente Baruch ex volumine in*
auribus populi. 14 *Miſerunt itaque omnes principes ad Baruch, Iudi filium Natha-*
niæ filij Selemiæ filij Chuſi, dicentes: Volumen ex quo legiſti audiente populo, ſume in
manu tua, & veni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu ſua, & venit ad

eoſ.

eos: 15 *& dixerunt ad eum, Sede & lege hæc in auribus noſtris. Et legit Baruch in au-*
ribus eorum. 16 *Igitur cùm audiſſent omnia verba, obſtupuerunt vnuſquiſque ad*
proximum ſuum, & dixerunt ad Baruch, Nuntiare debemus regi omnes ſermones iſtos.
17 *Et interrogauerunt eum, dicentes. Indica nobis quomodo ſcripſiſti omnes ſermones*
iſtos ex ore eius. 18 *Dixit autem eis Baruch, Ex ore ſuo loquebatur quaſi legens ad*
me omnes ſermones iſtos: & ego ſcribebam in volumine atramento. 19 *Et dixerunt*
principes ad Baruch, Vade, & abſcondere tu & Ieremias, & nemo ſciat vbi ſitis. 20 *Et*
ingreſſi ſunt ad regem in atrium: porrò volumen commendauerunt in gazophylacio Eli-
ſamæ ſcribæ: & nuntiauerunt audiente rege omnes ſermones. 21 *Miſitque Rex Iudi,*
vt ſumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Eliſamæ ſcribæ, legit audiente rege,
& vniuerſis principibus qui ſtabant circa regem. 22 *Rex autem ſedebat in domo*
hyemali in menſe nono: & poſita erat arula coram eo plena prunis. 23 *Cùmque le-*
giſſet Iudi tres pagellas vel quatuor, ſcidit illud ſcalpello ſcribæ: & proiecit in ignem, qui
erat ſuper arulam donec conſumeretur omne volumen igni qui erat in arula. 24 *Et non*
timuerunt, neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex, & omnes ſerui eius qui audierunt vni-
uerſos ſermones iſtos. 25 *Verumtamen Elnatham, & Dalaias, & Camarias con-*
tradixerunt regi ne combureret librum: & non audiuit eos: 26 *Et præcepit rex Ie-*
remiel filio Amelech, & Saraiæ filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel, vt comprehenderent
Baruch ſcribam, & Ieremiam Prophetam: abſcondit autem eos Dominus. 27 *Et*
factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam poſtquam combuſſerat rex volu-
men, & ſermones quos ſcripſerat Baruch ex ore Ieremiæ, dicens: 28 *Rurſum tolle*
volumen aliud: & ſcribe in eo omnes ſermones priores, qui erant in primo volumine, quod
combuſſit Ioacim rex Iuda. 29 *Et ad Ioacim regem Iuda dices. Hæc dicit Domi-*
nus, Tu combuſſiſti volumen illud, dicens, Quare ſcripſiſti in eo annuntians, Feſtinus ve-
niet rex Babylonis, & vaſtabit terram hanc: & ceſſare faciet ex illa hominem & iumen-
tum? 30 *Propterea hæc dicit Dominus contra Ioacim regem Iuda, Non erit ex eo*
qui ſedeat ſuper ſolium Dauid: & cadauer eius proiicietur ad æſtum per diem, & ad gelu
per noctem. 31 *Et viſitabo contra eum, & contra ſemen eius, & contra ſeruos eius ini-*
quitates ſuas, & adducam ſuper eos & ſuper habitatores Ieruſalem, & ſuper viros Iuda
omne malum quod locutus ſum ad eos: & non audierunt. 32 *Ieremias autem tulit*
volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ ſcribæ, qui ſcripſit in eo ex ore Ieremiæ
omnes ſermones libri, quem combuſſerat Ioacim rex Iuda igni: & inſuper additi ſunt
ſermones multò plures, quàm antea fuerant.

IEREMIAS ſua contra Ieruſalem & Iuda vaticinia dicta Baruch notario ſuo, & iubet in templo coram omni populo recitare: Rex librum comburit; Ieremias iuſſu Dei eadem, aliáque multa, grauioraque conſcribit.

1. *Et factum eſt.*] *factum eſt verbum hoc ad Ieremiam*, id eſt, accidit, vt fieret verbum. frequens apud Iſaiam Hebraiſmus.

2. *Ex diebus Ioſiæ.*] ab anno decimo tertio regni eius, vt vidimus cap. 1. verſu 2.

4. *Ex ore Ieremiæ.*] id eſt, dictante Ieremia.

5. *Ego clauſus ſum.*] Quidam interpretantur fuiſſe vinctum in carcere; quod mihi non videtur veriſimile, non ſolùm quia de ea re nulla ſuprà mentio facta eſt, verùm etiam quòd principes dicant Baruch ver. 19. *Vade, & abſcondere tu, & Ieremias, & nemo ſciat vbi ſitis*; quod non dixiſſent, ſi Ieremias vinctus teneretur. Ergo עצור. interpretor, *clauſus ſum*, aut prohibitus, id eſt, domi me contineo, ac deliteſco metu Ioacim; neque egredi poſſum ſine periculo.

6. *In die ieiunij.*] quo dic populus in templum ieiunij indicendi cauſa conueniet frequētiſſimus. Non enim erat ieiunium expiationis ſtatum,& ſolenne,vt nonnulli volunt. Expiationis enim ieiunium menſe ſeptimo fiebat Leuit. 23. 27. Hoc autem menſe nono factum, & non erat præceptum, ſed indictum, vt apparet verſu 9. Scribit ergo R. Dauid, ex magiſtrorum Hebræorum ſententia fuiſſe hoc ieiunium à principibus indictum, vt conſilium caperent, quid acturi eſſent in obſidione, quæ illis impendebat. Audierant enim venire Regem Babylonis: aut, quod ego magis credo, iam ab illo obſidebantur. Anno enim tertio Ioacim venit Nabuchodonoſor ad obſidendam Ieruſalem, vt ſcribit Daniel. c. 1. 1. *Leges eis.* Relatiuum Hebraicum redundans poteſt etiam verti חקראם. leges ea, vt referatur ad verba.

7. *Si forte cadat oratio eorum.*] id eſt, ſi fortè conuertantur ad Dominum, & ante eius conſpectum precantes procidant. Sicut legimus Moyſem cecidiſſe. Num. 16. 4. & Ioſue 5. 14. & 7. 6. Ioſue ipſe. Hic ſenſus explicatur verbis ſequentibus, *Et reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſſima*: Vel, ſi fortè Dominum exorent, & veniam ab eo impetrent, vt c. ſequenti, verſu 19. & c. 38. 26. & cap. 42. 2.

9. *Prædicauerunt ieiunium.*] publico præconio indixerunt. *In conſpectu Domini*, id eſt, in templo, vbi Dominus habitabat, vel, vt omnes ieiunarent *in conſpectu Domini*, id eſt, procidentes & orantes ante conſpectum Domini, ſicut dixit ver. 7. *Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini.*

10. *In introitu portæ nouæ.*] id eſt, orientalis, vt Ionathas, & R. Dauid, & R. Salom. interpretantur. Cur autem noua diceretur, explicauimus ſuprà c. 26. 10.

12. *Ad gazophilacium ſcribæ.*] על לשכת. ad cubiculum. vide cap. ſuperiori, ver. 2. *Scribæ*, à ſecretis Regis.

16. *Obſtupuerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum.*] id eſt, obſtupentes mutuò ſe reſpiciebant; ſicut Hiſpani antiqua cantione dicunt. *Mirauan ſe vnos à otros, y a todos trembla la barua.*

18. *Ex ore ſuo loquebatur quaſi legens.*] id eſt, promptè ac memoriter mihi dictabat, quemadmodum ſi ex libro aliquo legeret. ſignificat verba non fuiſſe à Ieremia meditata atque compoſita, ſed ab ſpiritu ſancto ſuggeſta, ſicut cùm Dauid dicit, *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Pſalm. 44. 2.

22. *Rex autem ſedebat.*] יושב. habitabat in domo, in qua per hyemem habitare conſueuerat. Huc ſpectat, quod dicit. *Menſe nono*, vt reddat cauſam cur rex in domo hyemali habitaret, & cur ad focum eſſet, quia hyems erat; ſicut Ioannes dicit c. 18. 18. *Frigus erat, & calefaciebant ſe. Et poſita erat arula*, iſtrumentum prunis plenum, quod prunarium vulgò vocant. Sept. ἐσχάρα πυρὸς; *eodem ſenſu.* Chaldæus נירא. ignis, focus.

In re triſti Iudæi veſtimenta ſua ſcindebant.

24. *Nec ſciderunt veſtimenta ſua.*] Sicut Iudæi in rebus triſtibus facere ſolebant. Ioſue 7. 6. Iud. 11. 35. & 1. Reg. 4. 12. & 2. Reg. 1. 11. & 13. 31.

26. *Abſcondit autem eos Dominus.*] Non eſt ſenſus Dominum eos in alium locum tranſtuliſſe: ſed ipſos ſeſe abſcondiſſe ſic, vt cùm in domo, vbi erant, quærerentur, non permiſerit Deus eos inueniri. vt explicat. R. Dauid. Sic dicit Ioan. c. 8. 59. & c. 12. 36. Ieſum abſcondiſſe ſeſe, id eſt, effeciſſe, vt nemo ſe videre poſſet, ſic enim interpretor.

29. *Feſtinus veniet.*] בוא בוא. veniendo veniet. nota phraſis, id eſt, certò veniet, aut citò veniet, quod rectè expreſſit noſter interpres dicens, *Feſtinus veniet.* Nam hoc etiam phraſim illam ſignificare manifeſtum eſt Habac. 2. 3. *Veniens veniet,*

veniet, & non tardabit. Idem enim eſt, *non tardabit, &, Veniens veniet.* Dicit autem citò venturum regem Babylonis, cùm iam fortaſſe veniſſet, vt diximus verſu 6. Quia hæc prophetia quamuis anno quinto regni Ioacim ſcripta recitatáque fuerit, vt dicitur verſu 9. tamen multò antè à Ieremia fuerat pronuntiata. Iuſſus enim fuerat ver. 2. ſcribere omnia, quæ ab anno decimo tertio Ioſiæ prædixiſſet. *Et ceſſare faciet,* id eſt, ſpoliabit illam hominibus, & opibus. Per iumenta enim opes ſignificantur, quòd armenta, & pecora in maximis olim diuitiis haberentur, vt adnotauimus ſuprà cap. 31. ver. 27.

32. *Multo plures, quàm ante fuerant.*] דברים רבים כהמה. ſermones multi ſimiles illis prioribus, vt Chaldæus, & Sept. verterunt. Qui autem ij ſermones fuerint, hîc non dicitur: ſed credendum eſt multò fuiſſe acerbiores, quàm illi priores, vt euentus demonſtrauit, & aliqua ex parte hoc loco declaratur, cùm dicitur ver. 30. *Non erit ex eo, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid; & cadauer eius proiicietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem.*

CAPVT XXXVII.

ET regnauit rex Sedecias filius Ioſiæ pro Iechonia filio Ioacim: quem conſtituit
regem Nabuchodonoſor rex Babylonis in terra Iuda. 2 *Et non obediuit ipſe,*
& ſerui eius, & populus terræ verbis Domini, quæ locutus eſt in manu Iere-
miæ Prophetæ. 3 *Et miſit rex Sedecias Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniam filium*
Maaſiæ ſacerdotem ad Ieremiam Prophetam, dicens, Ora pro nobis Dominum Deum
noſtrum. 4 *Ieremias autem liberè ambulabat in medio populi, non enim miſerant*
eum in cuſtodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egreſſus eſt de Ægypto: & au-
dientes Chaldæi, qui obſidebant Ieruſalem, huiuſcemodi nuntium, receſſerunt ab Ieruſa-
lem, 5 *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam, dicens:* 6 *Hæc*
dicit Dominus Deus Iſrael: Sic dicetis regi Iuda, qui miſit vos ad me interrogandum:
Ecce exercitus Pharaonis, qui egreſſus eſt vobis in auxilium, reuertetur in terram ſuam
in Ægyptum: 7 *& redibunt Chaldæi, & bellabunt contra ciuitatem hanc: &*
capient eam, & ſuccendent eam igni. 8 *Hæc dicit Dominus, Nolite decipere animas*
veſtras, dicentes, Euntes abibunt, & recedent à nobis Chaldæi: quia non abibunt.
9 *Sed etſi percuſſeritis omnem exercitum Chaldæorum, qui prælianturaduerſum vos,*
& derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: ſinguli de tentorio ſuo conſurgent & incen-
dent ciuitatem hanc igni. 10 *Ergo cùm receſſiſſet exercitus Chaldæorum ab Ieruſa-*
lem propter exercitum Pharaonis, 11 *Egreſſus eſt Ieremias de Ieruſalem vt iret in*
terram Benjamin, & diuideret ibi poſſeſſionem in conſpectu ciuium. 12 *Cúmque*
perueniſſet ad portam Benjamin, erat ibi cuſtos portæ per vices, nomine Ierias, filius Se-
lemiæ filij Hananiæ: & apprehendit Ieremiam Prophetam, dicens, Ad Chaldæos pro-
fugis? 13 *Et reſpondit Ieremias, Falſum eſt, non fugio ad Chaldæos. Et non audiuit*
eum: ſed comprehendit Ierias Ieremiam, & adduxit eum ad principes. 14 *Quam-*
obrem irati principes contra Ieremiam, cæſum eum miſerunt in carcerem, qui erat in
domo Ionathan ſcribæ. ipſe enim præpoſitus erat ſuper carcerem. 15 *Itaque ingreſſus*
eſt Ieremias in domum laci & in ergaſtulum: & ſedit ibi Ieremias diebus multis.
16 *Mittens autem Sedecias rex tulit eum: & interrogauit eum in domo ſua abſconditè,*
& dixit, Putaſne eſt ſermo à Domino? Et dixit Ieremias, eſt. Et ait, In manus regis
Babylonis tradêris. 17 *Et dixit Ieremias ad regem Sedeciam, Quid peccaui tibi & ſer-*
uis tuis & populo tuo, quia miſiſti me in domum carceris? 18 *Vbi ſunt Prophetæ veſtri*

Digitized by Google

qui prophetabant vobis, & dicebant, Non veniet rex Babylonis ſuper vos, & ſuper terram hanc? 91 *Nunc ergo audi obſecro Domine mi rex, Valeat deprecatio mea in cōſpectu tuo: & ne me remittas in domū Ionathan ſcribæ, ne moriar ibi.* 20 *Præcepit ergo rex Sedecias vt traderetur Ieremias in veſtibulo carceris: & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec cōſumerētur omnes panes de ciuitate: & māſit Ieremias in veſtibulo carceris.*

IEREMIAS à Sedecia conſultus, cùm Chaldæi audito aduentu Pharaonis Regis Ægyptiorum obſidionem reliquiſſent, reſpondit fore, vt Chaldæi redeant, & vrbem capiant. Conijcitur Ieremias in carcerem.

1. *Pro Iechonia.*] Is non regnauit niſi tribus menſibus, ideóque non ſolet inter reges Iuda numerari. lege hiſtoriam. 4. Reg. 24. 17.

Hebraiſmus.

4. *Liberè ambulabat.*] H. בא ויצא. ingrediebatur & egrediebatur, id eſt, liber erat. rectè noſter interpres Hebraiſmum explicauit. Id etiam ipſum ſignificat, *In medio populi.* vt hîc, & 4. Reg. 4. 13. *In medio populi mei habito,* id eſt, liberè viuo, non habeo vllam litem.

8. *Nolite decipere animas veſtras.*] id eſt, nolite vobis falsò perſuadere. Nolite eam falſam opinionem in animum inducere, vt dicatis Chaldæos eſſe diſceſſuros: aut nolite cum periculo vitæ veſtræ errare, vt infrà c. 42. 20. *Euntes abibunt,* id eſt, omnino abibunt, ita vt non ampliùs redeant. Notus eſt Hebraiſmus.

Hebraiſmus.

11. *Et diuideret ibi poſſeſſionem.*] Quæ ſibi fortaſſe obuenerat hæreditate: vel, vt alij dicunt, vt poſſeſſionem caperet eius agri, quem emerat ab Hanameel, ſuprà 32. 9. & ſic ab illo ſepararet: vel, vt Ionathas interpretatur, vt diuideret poſſeſſionem, quam habebat in Anathoth Benjamin vrbe ſua inter filios ſuos, Eodémque modo exponit R. Salom. Sed nuſquam eum filios habuiſſe legimus, & Hieronymus virginem fuiſſe contendit. לחליק משם בתוך העם. Quod alij interpretantur, vt ſe inde ſubduceret ex medio populi, vel, cum populo, qui ſoluta obſidione turmatim egrediebatur. Sicut in obſidione Troiæ poëta deſcripſit.

Lib 1. aduerſus Iouinianum. Ieremias an virgo.

2. Æneid, Virgil.

Panduntur portæ: iuuat ire & Dorica caſtra,
Deſertóſque videre locos.

Ad eundem ferme modum R. D. interpretatur. Sept. diuerſo ſenſu *τῦ ἀγοράσαι ἐκεῖθεν ἐν μέσῳ τῦ λαῦ. Vt emeret inde* (aliquid) *in medio populi,* id eſt, in mercatu.

12. *Cuſtos portæ per vices.*] id eſt, qui per vices ſuas mutari ſolebat, qui vice tunc ſua portam cuſtodiebat. H. בעל פקדות. Dominus præfecturæ, id eſt, dux, qui cuſtodibus portæ præerat. Porta autē Benjamin appellabatur, vt ait R. D. vna ex portis Ieruſalē, vel quòd in tribu Benjamim ſita eſſet, vel quòd illac ad Benjamin iretur: ſicut ſolent portæ vrbis ex iis locis nomē habere, quò per eas itur.

15. *Itaque ingreſſus.*] כי בא. Alij, Ingreſſus enim eſt, vt ſit quaſi parentheſis, qua ratio reddatur, cur ante domum Ionathan carcerem appellaſſet; Alij, Cùm ingreſſus fuiſſet, ibíque māſiſſet diebus multis. *Et ſedit,* Id eſt, habitauit, māſit. ישב.

16. *Putaſ-ne eſt ſermo à Domino?*] id eſt, reuelauit-ne tibi Dominus verè, quod contra hanc ciuitatem hactenus prædixiſti. Aut, eſt-ne aliquid noui, quod tibi Dominus dixerit? *Eſt,* ſcilicet quod ſequitur, *In manus Regis Babylonis traderis.* Aut Sermo, quem hactenus prædixi à Domino erat, & præterea hic, quem nunc addo, futurum, vt tradaris in manus Regis Babylonis.

18. *Vbi ſunt.*] id eſt, non ſunt Prophetæ, appareant, & probent ſe eſſe Prophetas. phraſis non ſolùm Hebræis, ſed Latinis etiā vſitata, vt Deut. 32. 37. *Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam.* & Pſ. 78. 10. & Pſ. 113. 10. *Nequando dicant*

Gentes,

Gentes, vbi eſt Deus eorum? quaſi dicat ex euentu ipſo cognoſcere poteſtis veſtros Prophetas eſſe mentitos? prædixerant enim Regem Babylonis non eſſe venturum, quem videtis iam veniſſe.

19. *Valeat deprecatio mea.*] H. תפל. cadat oratio mea in conſpectu tuo. Hebraiſmus, pro, ſine te à me exorari, vt capite præcedenti ver. 7. *Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini*; Si fortè Dominum exorenr, & ab eo veniam impetrent. *Ne me remittas in domum Ionatha.* Carcer, qui erat in domo Ionathæ, teter erat, & horrendus, propterea dicit Ieremias ſe moriturum, ſi eò remittatur: Carcer autem, qui erat in veſtibulo, id eſt, in atrio regiæ melior erat, commodior, & honorificentior, de quo dictum eſt. c. 32. 2. 8. 12. & c. 33. 1. vbi ex R. Dauid adnotauimus inuerſum eſſe verborum ordinem. *In atrio carceris*, pro, in carcere, qui erat in atrio. *Hebraiſmus.*

20. *Torta panis.*] ככר. Ionathas interpretatur buccellam, aut fruſtum panis. *Excepto pulmento*, id eſt, ſine pulmento, quod nolebat Rex illi dari: vel contrario ſenſu vt plerique interpretantur, *excepto pulmento*, quod illi etiam dari debebat. H. מחוץ האופים. ex platæa piſtorum, vt exponunt Hebræi. Nam אופה. piſtorem ſignificat Geneſ. 40. 17. & Oſee 7. 4. 6. Sed quia אופים. condimenta ſignificare poteſt, & מחוץ. præter noſter interpres vertit, *Excepto pulmento*; Septuag. verò *ἔξωθεν οὗ πέσσουσιν. Extrinſecus vbi coquunt*, id eſt, ex via, aut ex vico piſtorum, quod conuenit cum Hebræorum explanatione.

CAPVT XXXVIII.

AVDIVIT autem Saphatias filius Mathan, & Gedelias filius Phaſſur
& Iuchal filius Selemiæ, & Phaſſur filius Melchiæ, ſermones quos Ieremias
loquebatur ad omnem populum, dicens: 2 *Hæc dicit Dominus: Quicum-*
que manſerit in ciuitate hac, morietur gladio, & fame, & peſte: qui autem profugerit ad
Chaldæos, viuet, & erit anima eius ſoſpes & viuens. 3 *Hæc dicit Dominus, Traden-*
do tradetur ciuitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, & capiet eam. 4 *Et di-*
xerunt principes regi, Rogamus vt occidatur homo iſte: de induſtria enim diſſoluit ma-
nus virorum bellantium, qui remanſerunt in ciuitate hac, & manus vniuerſi populi, lo-
quens ad eos iuxta verba hæc, ſiquidem homo iſte non quærit pacem populo huic, ſed ma-
lum. 5 *Et dixit rex Sedecias, Ecce ipſe in manibus veſtris eſt: nec enim fas eſt re-*
gem vobis quidquam negare. 6 *Tulerunt ergo Ieremiam, & proiecerunt eum in la-*
cum Melchiæ filij Amélech, qui erat in veſtibulo carceris: & ſubmiſerunt Ieremiam fu-
nibus in lacum in quo non erat aqua, ſed lutum: deſcendit itaque Ieremias in cœnum.
7 *Audiuit autem Abde-melech Æthiops vir eunuchus qui erat in domo regis, quòd*
miſiſſent Ieremiam in lacum: porrò rex ſedebat in porta Benjamin. 8 *Et egreſſus eſt*
Abde-mélech de domo regis, & locutus eſt ad regem, dicens: 9 *Domine mi rex, ma-*
lefecerunt viri iſti omnia quæcumque perpetrarunt contra Ieremiam Prophetam, mit-
tentes eum in lacum, vt moriatur ibi fame, non ſunt enim panes vltrà in ciuitate.
10 *Præcepit itaque rex Abde-mélech Æthiopi, dicens, Tolle tecum hinc triginta vi-*
ros, & leua Ieremiam Prophetam de lacu antequam moriatur. 11 *Aſſumptis ergo*
Abde-mélech ſecum viris, ingreſſus eſt domum regis, quæ erat ſub cellario: & tulit inde
veteres pannos, & antiqua quæ computruerant: & ſubmiſit ea ad Ieremiam in lacum per
funiculos. 12 *Dixitq́; Abde-mélech Æthiops ad Ieremiam, Pone veteres pannos,*
& hæc ſciſſa & putrida ſub cubitu manuum tuarum, & ſuper funes: fecit ergo Ieremias
ſic.

ſic. 13 *Et extraxerunt Ieremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu: manſit au-*
tem Ieremias in veſtibulo carceris. 14. *Et miſit rex Sedecias, & tulit ad ſe Ieremiam*
Prophetam ad oſtium tertium, quod erat in domo Domini: & dixit rex ad Ieremiam,
Interrogo ego te ſermonem, ne abſcondas à me aliquid. 15 *Dixit autem Ieremias*
ad Sedeciam, Si annunciauero tibi, numquid non interficies me? & ſi conſilium dedero
tibi, non me audies. 16 *Iurauit ergo rex Sedecias Ieremiæ clam, dicens: Viuit Dominus*
qui fecit nobis animam hanc, ſi occidero te, & ſi tradidero te in manus virorum iſtorum,
qui quærunt animam tuam. 17 *Et dixit Ieremias ad Sedeciam, Hæc dicit Dominus*
exercituum Deus Iſraël, Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, viuet anima
tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igni, & ſaluus eris tu, & domus tua. 18 *Si autem*
non exieris ad principes regis Babylonis: tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, &
ſuccendent eam igni: & tu non effugies de manu eorum. 19 *Et dixit rex Sedecias ad*
Ieremiam, Solicitus ſum propter Iudæos qui transfugerunt ad Chaldæos: ne fortè tradar
in manus eorum, & illudant mihi. 20 *Reſpondit autem Ieremias, Non te tradent, au-*
di quæſo vocem Domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & viuet ani ma tua.
21 *Quòd ſi nolueris egredi: iſte eſt ſermo quem oſtendit mihi Dominus.* 22 *Ecce omnes*
mulieres quæ remanſerunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babylonis: &
ipſæ dicent, Seduxerunt te, & præualuerunt aduerſum te viri pacifici tui, demerſerunt
in cœno, & in lubrico pedes tuos, & receſſerunt à te. 23 *Et omnes vxores tuæ, & filij*
tui educentur ad Chaldæos: & non effugies manus eorum, ſed in manu regis Babylonis
capieris: & ciuitatem hanc comburet igni. 24 *Dixit ergo Sedecias ad Ieremiam.*
Nullus ſciat verba hæc, & non morieris. 25 *Si autem audierint principes quia locutus*
ſum tecū: & venerint ad te, & dixerint tibi, Indica nobis quid locutus ſis cum rege, ne celes
nos, & non te interficiemus: & quid locutus eſt tecum rex? 26 *Dices ad eos, Proſtraui*
ego preces meas coram rege, ne me reduci iuberet in domum Ionathan, & ibi morerer.
27 *Venerunt ergo omnes principes ad Ieremiam, & interrogauerunt eum: & locutus*
eſt eis iuxta omnia verba, quæ præceperat ei rex & ceſſauerunt ab eo: nihil enim fuerat au-
ditum. 28 *Manſit verò Ieremias in veſtibulo carceris: vſque ad diem quo capta eſt*
Ieruſalem: & factum eſt vt caperetur Ieruſalem.

IEREMIAS in lacum mittitur à principibus, vt moriatur; vnde eductus, & à rege interrogatus, ea, quæ antea vaticinatus fuerat, conſtanter confirmat. Reducitur in carcerem atrij, donec vrbs à Chaldæis capta eſt.

2. *Et erit anima eius ſoſpes, & viuens.*] והיתה לו נפשו לשלל. & erit anima illi in ſpolium, id eſt, pro magno ducet, quòd vitam ſuam ſeruauerit, dedens ſe hoſtibus. Hebraiſmus. Similis Hebraïſmus ſuprà c.21.9. *Et erit ei anima ſua quaſi ſpolium.* & infrà c.ſequenti ver.18.& c.45.5. Nam ſpolia, quæ vi ab hoſtibus eripimus, in magno habemus pretio. Sic illud expoſuimus ad Philipp.2.6. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, id eſt, non magni fecit, quia natura & iure ſuo, non raptu æqualitatem Dei habebat. Ad eundem ferè modum R. Dauid, R. verò Salom. quemadmodum ſpolium, quod ab hoſtibus ſibi ereptum, pecunia redemiſſet.

4. *De induſtria enim.*] H. כי על כן. Quia propterea *diſſoluit manus virorum bellantium.* quia *non quærit pacem populo huic, ſed malum*, id eſt, quia malè vult huic ciuitati, aut, quia huiuſmodi verba in vulgus iactat. Quod noſter interpres expreſſit dicens, *De induſtria*, id eſt, malo animo. *Diſſoluit manus*: id eſt, terret, timorem incutit: timore enim manus quodammodo diſſoluuntur, & decidunt. vt infrà 47.3.& Iſai.13.7.& 35.3.

5. Ne-

5. *Neque enim fas eſt.*] Adulatio eſt Regis ſuorum principum opera indigentis. H. אין המלך יוכל אתכם דבר. Ad verbum. Non rex poteſt vobis verbum. Noſter interpres, Non poteſt, reddidit, *Non eſt fas.* Dicimur enim non poſſe, vel quod omnino facere non poſſumus, vel, quod ſi poſſumus, non licet, nec fas eſt. Quia ergo Sedecias poterat non rradere Ieremiam ſi voluiſſet, Noſter interpres noluit dicere, Non poteſt, ſed, non eſt fas. Verbum autem, *Negare*, quod Hebraïcè deſiderabatur, rectè ſuppleuit; quod & Chaldaïcus Paraphraſtes fecit. Loquitur autem Rex de ſe per tertiam perſonam. Quod fit apud Hebræos frequentiſſimè. Alij, in quibus eſt R. Dauid, generalem ſententiam eſſe putant; quam hoc modo explicant, Non eſt Rex vllus, qui poſſit contra vos aliquid facere, aut qui vobis poſſit reſiſtere. Sept. ὅτι οὐκ ἐδύνατο ὁ βασιλεὺς πρὸς αὐτοὺς, *quia non poterat Rex illis reſiſtere*, quaſi verba ſint Prophetæ Regem excuſantis. Itaque non videntur legiſſe אתכם. ſed אתם. dempta vna litera. *De ſe per tertiam perſonã loqui Hebræis frequentiſſimum.*

6. *Deſcendit itaque.*] ויטבע. demerſúſque eſt *Ieremias in cœnum.*

7. *Vir eunuchus.*] id eſt, princeps. סריס. quamuis eunuchum ſignificet, quia tantum eunuchi Regum cubile ſolebant cuſtodire, viríque principes eſſe. pro principe ponitur. Ex quo intelligitur quomodo Geneſ. 37.36. & 39. 1. Phutiphar eunuchus appelletur, eùm vxorem dicatur habuiſſe: quamquam R. Dauid aliter exponit.

10. *Tolle tecum.*] בידך. in manu tua, id eſt, ſub tua poteſtate, ſub tuo imperio, ac ductu. Eadem phraſis repetitur ver. ſequenti.

11. *In domum Regis.*] המלך. Quidam faciunt nomen proprium, in domum Hamelech, prorſus ſine ratione. *Quæ erat ſub cellario.* תחת אוצר. ſub theſauro, ad verbum, id eſt, in eam partem domus, quæ ſub pœnu erat, vbi ſcruta erant, & panni vſu conſumpti ad tegenda vaſa.

12. *Sub cubito.*] & מתחת. *ſubter funes*, ne lædaris funibus.

13. *In veſtibulo carceris.*] In carcere, qui erat in veſtibulo, vt ſuprà cap. 32. 2. 12. & cap. 33. 1.

14. *Ad oſtium tertium.*] מבוא. ad exitum, aut introitum tertium templi. Erat regia iuxta templum, vnáque templi porta portæ regiæ è regione reſpondebat, vt ea commodè rex è domo ſua in templum adiret, vt ait R. Dauid: ea autem erat tertia templi porta à porta, vt opinor, orientali numerando. Alij interpretantur tria fuiſſe templi atria mulierum, virorum, & ſacerdotum. Ad atrium igitur ſacerdotum Regem cum Ieremia locutum. Alij è contrario tertium oſtium vocari putant, ad quod poterant homines etiam immundi accedere. Prima R. Dauid interpretatio probabilior. Credibile enim eſt Prophetam ſignificare voluiſſe Regem ad locum ſibi commodiſſimum Ieremiã accerſiſſe. Sept. exiſtimarunt nomen Hebraïcum, השלישי. *tertia*, eſſe proprium. itaque illud integrum reliquerunt, *εἰς οἰκίαν ἀσελισιὶμ*.

16. *Qui fecit nobis animam hanc.*] id eſt, qui nobis vitalem ſpiritum dedit. Qui dat *ſalutem populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam*. ſcilicet terram, vt ait Iſai. c. 42. 5. quaſi dicat, non tollam à te animam, quam Deus tibi dedit. Non ſeparabo, quæ Deus coniunxit. Alludit ad locum illum Geneſ. ca. 2. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.*

19. *Solicitus ſum.*] דאג. timeo Iudæos. Sept. λόγον ἔχω τῶν Ἰουδαίων. *rationem habere Iudæorum. Ne fortè tradar.* פן יתנו אתי בידם. ne fortè tradant me *in manus eorum.* Chaldæi in manus Iudæorum, vt R. Dauid interpretatur. Magis enim Iu-

T dæo-

Digitized by Google

dæorum, quàm Chaldæorum opprobria verebatur. Noſter interp. vt ambiguitatem tolleret, optimè reddidit, *ne forte tradar in manus eorum.*

22. *Omnes mulieres quæ remanſerunt in domo Regis Iuda.*] id eſt, Ioachin. Cùm enim Ioachin cum matre ſua ſe Regi Chaldæorum dedidiſſet, vt ſcribitur lib. 4. Reg. c. 24. ver. 12. multæ mulieres inferioris conditionis in domo Regis remanſerunt, vt R. Dauid interpretatur, quæ ipſæ quoque eductæ ſunt. poſtea capta vrbe tempore Sedeciæ, vt dicitur cap. ſequenti v. 9. *Educentur.* מוצאות. eductæ ſunt. Noſter interpres alium ſenſum videtur exprimere voluiſſe. Mulieres, quæ hactenus remanſerunt in domo Regis, id eſt, in domo tua, vt loquatur de ſecunda perſona per tertiam, quæ nondum ad Chaldæos ſponte confugerunt, (vt ſignificet aliquas iam confugiſſe) vi educentur, & irridebunt te dicentes, quod ſequitur, *Seduxerunt te, & præualuerunt.* id eſt, perſuaſerunt tibi, *Viri pacifici tui,* id eſt, familiares, & amici tui; pſeudoprophetæ, & principes, qui illis credebant, vt exponunt R. Salom. & R. Dauid, H. אנשי שלומך. *viri pacis tuæ,* id eſt, qui tibi pacem iactabundè pollicebantur, qui tibi dicebant, *Pax, pax, cùm non eſſet pax* ſuprà c. 4. 10. & c. 6. 14. & c. 8. 11. & cap. 23. 17. Homo pacis tuæ, in quo ſperaſti; qui edebat panes tuos, magnificauit ſuper te ſupplantationem, Pſal. 40. 10. *Demerſerunt in cœno,* id eſt, cùm te in periculum coniecerint, deſerent te. Sicut Galli dicunt, *ils te laiſſeront dans la bourbe.*

23. *Et ciuitatem hanc comburet igni.*] H. תשרף comburet, id eſt, in cauſa eris, vt comburatur, vt R. Dauid, & R. Salomon explicant. Noſter autem interpres, etſi actiuè reddidit, videtur paſſiuè legiſſe תשרף. & ciuitas hæc comburetur igni, quemadmodum Septuag. & Chaldæus Paraphraſtes tranſtulerunt: ſenſuſque videtur mihi melior, & minùs coactus. Sic enim loqui ſolet Propheta.

24. *Verba hæc.*] quæ mihi dixiſti. quaſi dicat, ne indices hæc in vulgus, ne populus perterreatur, quod ſi feceris, non occidam te.

26. *Proſtraui ego preces meas.*] מפיל אני. cadere feci precationem meam in conſpectu regis, id eſt, exoraui regem, aut ſupplex me orabundus ad pedes Regis abieci. Hebraïſmus, qualem ſuprà explicauimus c. 36. 7. & c. 37. 19. *Et ibi*

Hebraiſmus. *morerer.* Hebraïſmus etiam eſt, pro, ne ibi morerer. qualis ille notiſſimus Pſal. 27. 1. *Nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum,* id eſt, ne ſimilis ſim deſcendentibus in lacum, quamquam hoc loco eſt למות *ad moriendum ibi,* id eſt, ne moriar ibi.

27. *Iuxta omnia verba.*] Credendum eſt Ieremiam rogaſſe Regem (quamuis hoc loco non dicatur) ne ſe mitteret in carcerem Ionathæ, ſicut rogauerat cap. præcedenti ver. 19. Itaque non eſt mentitus. *Et ceſſauerunt ab eo.* interrogando. Deſtiterunt eum rogare. H. ויחרשו ממנו tacuerunt ab eo, id eſt, reliquerunt illum. Hebraiſmus, vt ille Pſal. 27. 1. *Ne taceas à me* id eſt, ne derelinquas me. & Pſal. 82. 2. *Ne taceas neque compeſcaris Deus.* id eſt, ne me deſeras, nec te ſubtrahas. & Pſa. 38. 3. *Humiliatus ſum, & ſilui à bonis,* id eſt, longè diſceſſi, non fui particeps bonorum, quamquam Hebræi aliter.

28. *Vſque ad diem quo capta eſt.*] id eſt, vſque ad diem nonam menſis quarti anni vndecimi regni Sedeciæ, vt dicitur cap. ſequenti ver. 2.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

ANNO nono Sedeciæ regis Iuda, menſe decimo, venit Nabuchodonoſor rex
Babylonis: & omnis exercitus eius ad Ieruſalem, & obſidebant eam. 2 *Vn-*
decimo autem anno Sedeciæ, menſe quarto, quinta menſis aperta eſt ciuitas.
3 *Et ingreſſi ſunt omnes principes regis Babylonis, & ſederunt in porta media: Nere-*
gel, Sereſer, Semegarnabu, Sar-ſachim, Rab-ſares, Neregel, Seſeſer, Reb-mag, & om-
nes reliqui principes regis Babylonis. 4 *Cùmque vidiſſet eos Sedecias rex Iuda, &*
omnes viri bellatores, fugerunt: & egreſſi ſunt nocte de ciuitate per viam horti regis, &
per portam quæ erat inter duos muros, & egreſſi ſunt ad viam deſerti. 5 *Perſecutus*
eſt autem eos exercitus Chaldæorum, & comprehenderunt Sedeciam in campo ſolitudinis
Ierichontinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonoſor regem Babylonis in Reblátha,
quæ eſt in terra Emath: & locutus eſt ad eum iudicia. 6 *Et occidit rex Babylonis*
filios Sedeciæ in Reblátha, in oculis eius: & omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis.
7 *Oculos quoque Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylo-*
nem. 8 *Domum quoque regis & domum vulgi ſuccenderunt Chaldæi igni: & mu-*
rum Ieruſalem ſubuerterunt. 9 *Et reliquias populi, qui remanſerant in ciuitate, &*
perfugas qui transfugerant ad eum, & ſuperfluos vulgi qui remanſerant, tranſtulit Na-
buzardam magiſter militum in Babylonem. 10 *Et de plebe pauperum, qui nihil*
penitus habebant, dimiſit Nabuzardam magiſter militum in terra Iuda: & dedit eis
vineas & ciſternas in die illa. 11 *Præceperat autem Nabuchodonoſor rex Babylonis*
de Ieremia Nabuzardam magiſtro militum, dicens. 12 *Tolle illum, & pone ſuper*
eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: ſed vt voluerit, ſic facias ei. 13 *Miſit ergo*
Nabuzardam princeps militiæ, & Nabuſezbaz, & Rab-ſares, & Neregel, & Sezeſer,
& Reb-mag, & omnes optimates regis Babylonis, 14 *Miſerunt & tulerunt Iere-*
miam de veſtibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filij Saphan, vt
intraret in domum, & habitaret in populo. 15 *Ad Ieremiam autem factus fuerat*
ſermo Domini, cùm clauſus eſſet in veſtibulo carceris, dicens. 16 *Vade, & dic Ab-*
demelech Æthiopi, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Ecce ego indu-
cam ſermones meos ſuper ciuitatem hanc in malum, & non in bonum: & erunt in conſpe-
ctu tuo in die illa. 17 *Et liberabo te in die illa, ait Dominus, & non tradêris in ma-*
nus virorum quos tu formidas: 18 *Sed eruens liberabo te, & gladio non cades: ſed*
erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam, ait Dominus.

CAPTA vrbe, fugit Sedecias; comprehenſus videt filios ſuos trucidari; deinde oculis orbatus vinctus ducitur Babylonem. Nobiles Iudæi occiduntur. Ieremias liberatur.

2. *Quinta menſis.*] Sic legitur in multis exemplaribus; ſed corruptè: nam pro, *Quinta*, *Nona* legi debet: & quia Hebraicè eſt בתשעה & quia Sept. ἐννάτῃ τῆς μηνὸς tranſtulerunt, & quia 4. Reg.cap.25.ver. 3.vbi narratur eadem hiſtoria, in nona legitur: & quia in veteribus Complutenſibus exemplaribus editionis noſtræ ita eſt, & quia veteres auctores ita legunt, Ioſephus lib. 10. Antiquit. cap. 11. Theodor. in Comment. Quòd autem dicitur 4. Reg. 25.8. Menſe quinto, die ſeptima vrbem fuiſſe incenſam à Nabuzardam principe militiæ regis Babylonis, non repugnat. Priùs enim capta fuit, & poſt vnum menſem ſuccenſa. *Aperta eſt ciuitas.* הבקעה. rupta eſt vrbs, id eſt, ruptus eſt murus vrbis. Nonnulli primum verſum huius capitis cum ſuperiore coniungunt, prorſus ſine cauſa.

Digitized by Google

3. *Sederunt in porta media.*] id eſt, occuparant portam mediam, vel, poſuerunt ſolium ſuum vnuſquiſque in media porta vrbis, vt R. Dauid, & Salom. interpretantur. Portam autem mediam Hebræi vocari dicunt, vt illi ipſi auctores referunt, quæ inter duas portas erat, inter portam muri orientalem, & inter portam templi. Cingebatur enim vrbs duobus muris, & penetrauerant hoſtes vſque ad portam ſecundi, quæ erat inter portam primi, & portam templi.

Fabula Hebræorum.

4. *Per viam horti regis.*] Tradunt Hebræi, vt R. Dauid, & R. Salomon in commentariis huius loci fuiſſe ſpeluncam quandam ſubterraneam, qua à domo Regis ad ſolitudinem Iericho tranſineari poterat; atque per eam ſpeluncam Sedeciam profugiſſe: diuina autem prouidentia factum, vt ceruus quidam eadem via fugeret ſuper terram, quem cùm Chaldæi perſequerentur, & ad finem ſpeluncæ perueniſſent, Sedeciam exeuntem vidiſſe. Sed hæc fabula cum ſcriptura pugnat. Dicitur enim ver. ſequenti, & 4. Reg. 25. 5. *Perſecutus eſt autem eos exercitus Chaldæorum*: non ergo ceruum, ſed Sedeciam perſequebantur. Veriſimiliùs igitur, eſt Chaldæos ex iis, qui in ciuitate erant quíque regem fugientem viderant, aut ex transfugarum indicio id cognouiſſe, vt Ioſephus ait lib. 10. Antiquit. cap. 11. *Per portam quæ erat inter duos muros.* Hortus Regis inter duos muros erat, pérque portam horti Rex aufugit.

5. *Solitudinis Iericontinæ.*] Erat Iericho ciuitas in tribu Benjamin diſtans ab Ieruſalem centum quinquaginta ſtadiis. *Et locutus eſt ad eum iudicia*, id eſt, Oſtendit illi quàm multa peccaſſet, aut, aſperè caſtigauit eum verbis: quòd à ſe defeciſſet, quòd pactum, & iuſiurandum violaſſet, vt R. Dauid, & R. Salomon dicunt: aut, pronuntiauit contra eum ſententiam, quæ ſequitur. Eadem phraſis 4. Reg. 25. 6. & ſuprà apud hunc ipſum Prophetam, cap. 1. 16. & cap. 4. 12. & infrà cap. 52. 9.

8. *Domum quoque Regis.*] Non ſtatim, ſed vno intericcto menſe, vt colligitur ex 4. lib. Reg. cap. 25. 8. Nam antequam vrbem incenderent, credendum eſt per vnum menſem eam expilaſſe.

9. *Reliquias populi.*] id eſt, qui in tranſmigratione, quæ facta fuerat tempore Ioacin, in ciuitate remanſerant, 4. Reg. 24. 14. ſicut capite præcedenti ver. 22. dixit, *Omnes mulieres, quæ remanſerant in domo regis Iuda educentur ad principes regis Babylonis*: vel, qui non fugerant cum Sedecia, vel, qui non transfugerant ad Chaldæos. *Et perfugas, qui transfugerant ad eum*, Iudæos, qui ſe ſponte dediderant Nabuzardan Ieremiæ vaticiniis perſuaſi, de quibus cap. præcedenti ver. 19. *Et ſuperſluos vulgi*; inutilem, imbellémque multitudinem, *qui remanſerant*, id eſt, qui famc, gladio, & peſte non perierant, aut qui tempore Ioacin tanquam inutiles relicti fuerant, vt dicitur 4. Reg. 24. 14. Itaque ſignificatur his verbis maiorem fuiſſe tunc Chaldæorum crudelitatem, quàm tempore

Sept. aliter.

Ioacin. *Magiſter militum.* רב טבחים. Meliùs noſter interpres, quàm Sept. *ἀρχιμάγειρος, princeps lanionum*; & quàm alij, qui vertunt, princeps coquorum. Nam etſi טבח. occidere, & mactare ſignificat, & טבח. lanionem, aut coquum, qui beſtias occidit, tamen etiam ſignificat militem, quia occidit homines, vt Geneſ. 37. 36. Et hoc loco non conueniebat, vt princeps coquorum, aut lanionum; ſed vt princeps militũ, vbi de re militari agebatur, nominaretur.

10. *Et ciſternas.*] id eſt, hortos, aut agros, qui ex ciſternis rigari poterant, quod clariùs dicitur H. ויגבים. & agros, ſicut Sept. & Chald. Paraphraſtes tranſtulerunt. Nam יגב. agricola eſt, vt vertit noſter interpres infrà cap. 52. 16. & 2. Reg. 25. 12.

32. *Pone*

12. *Pone ſuper illum oculos tuos.*] id eſt, amicè eum tracta, proſpice illi, nequid ei mali contingat. Hebraiſmus eſt, qualis ille ſuprà cap. 24. 6. *Ponam oculos meos ſuper eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc.* & Pſalm. 10. ſecundum Hebræos, 8. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt.* & Pſalm. 32. 18. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum.* & Pſal. 33. 16. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.* Sicut è contrario, Auertere oculos, aut faciem, eſt non habere curam, non fauere; quia ab iis, quibus non fauemus, oculos auertimus.

14. *De veſtibulo carceris.*] de carcere, qui erat in veſtibulo regiæ, vt cap. 32. 8. & 37. 20. & 38. 13. 28. *Vt intraret in domum Abicam.* להוצאהו אל הבית. vt deduceret eum in domum (ſuam.) *Et habitaret in populo*, id eſt, vt liber eſſet. בתוך העם. in medio populi. Hebraiſmus eſt, pro liberè agere, vt ſuprà exemplis docuimus, cap. 37. 4. & 4. Reg. 4. 13.

16. *Et erunt in conſpectu tuo.*] id eſt, te inſpectante euenient, & tu oculis tuis videbis.

18. *Sed erit tibi anima tua in ſalutem.*] Noſter interpres ſententiam reddidit, non verba. H. לשלל. *in ſpolium*, id eſt, eripies, quaſi ſpolium animam tuam, liberabis vitam tuam, pro magno duces, quòd viuas. Hebraïſmum explicauimus ſuprà cap. 21. 9. & cap. 38. 2. & infrà iterum occurret cap. 45. 5.

IOANNIS MALDONATI SOCIETATIS IESV THEOLOGI COMMENTARII IN IEREMIAM,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT XL.

SERMO qui factus eſt ad Ieremiam à Domino, poſtquam dimiſſus eſt à
Nabuzardam magiſtro militiæ de Rama, quando tulit eum vinctum catenis
in medio omnium qui migrabant de Ieruſalem, & Iuda, & ducebantur in
Babylonem. 2 *Tollens ergo princeps militiæ Ieremiam, dixit ad eum, Dominus*
Deus tuus locutus eſt malum hoc ſuper locum iſtum. 3 *Et adduxit & fecit Dominus*
ſicut locutus eſt: quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius, & factus eſt vobis
ſermo hic. 4 *Nunc ergo ecce ſolui te hodie de catenis, quæ ſunt in manibus tuis: ſi*
placet tibi vt venias mecum in Babylonem, veni, & ponam oculos meos ſuper te, ſi autem
diſplicet tibi venire mecum in Babylonem, reſide: ecce omnis terra in conſpectu tuo eſt,
quod elegeris, & quò placuerit tibi vt vadas, illuc perge. 5 *Et mecum noli venire:*
ſed habita apud Godoliam filium Ahicam filij Saphan: quem præpoſuit rex Babylonis
ciuitatibus Iuda: habita ergo cum eo in medio populi: vel quocumque placuerit tibi vt
vadas, vade. Dedit quoque ei magiſter militiæ cibaria, & munuſcula: & dimiſit eum.
6 *Venit autem Ieremias ad Godoliam filium Ahicam in Maſphath: & habitauit*
cum eo in medio populi qui relictus fuerat in terra. 7 *Cúmque audiſſent omnes prin-*
cipes exercitus, qui diſperſi fuerant per regiones, ipſi & ſocij eorum, quòd præfeciſſet
rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ: & quòd commendaſſet ei viros, & mulie-
res, & paruulos, & de pauperibus terræ, qui non fuerant tranſlati in Babylonem:
8 *Venerunt ad Godoliam in Maſphath, & Iſmahel filius Nathaniæ, & Iohanan, &*
Ionathan, filij Caree, & Sareas filius Thanchumeth, & filij Ophi qui erant de Netho-
phati, & Iezonias filius Maachathi, ipſi & viri eorum, 9 *Et iurauit eis Godolias*
filius Ahicam filij Saphan, & comitibus eorum, dicens, Nolite timere ſeruire Chaldæis:
habitate in terra, & ſeruite regi Babylonis, & bene erit vobis. 10 *Ecce ego habito*
in Maſphath, vt reſpondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos: vos autem
colligite vindemiam, & meſſem, & oleum, & condite in vaſis veſtris, & manete in vrbi-
bus veſtris quas tenetis. 11 *Sed & omnes Iudæi qui erant in Moab, & in filiis Am-*
mon, & in Idumæa, & in vniuerſis regionibus, audito quòd dediſſet rex Babylonis reli-
quias in Iudæa, & quòd præpoſuiſſet ſuper eos Godoliam filium Ahicam filij Saphan:
12 *reuerſi ſunt inquam omnes Iudæi de vniuerſis locis ad quæ profugerant, & venerunt*
in terram Iuda ad Godoliam in Maſphath: & collegerunt vinum: & meſſem multam
nimis. 13 *Iohanan autem filius Caree, & omnes principes exercitus, qui diſperſi fue-*
rant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Maſphath. 14 *Et dixerunt ei, Scito,*
quòd Baalis rex filiorum Ammon miſit Iſmahel filium Nathaniæ percutere animam
tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. 15 *Iohanan autem filius Caree dixit*
ad Go-

ad Godoliam ſeorſum in Maſphath loquens. Ibo, & percutiam Iſmahel filium Nathaniæ nullo ſciente: ne interficiat animam tuam, & diſſipentur omnes Iudæi, qui congregati ſunt ad te, & pereant reliquiæ Iuda. 16 *Et ait Godolias filius Ahicam ad Iohanan filium Caree. Noli facere verbum hoc: falſum enim tu loqueris de Iſmahel.*

IEREMIAS eductus è carcere per Nabuzardan libertate donatur. Godolias Iudææ à rege Babylonis præficitur, apud quem Ieremias, & cæteri Iudæi, qui remanſerant, ſeſe recipiunt.

1. *Sermo, qui factus eſt.*] neque hoc cap. neque ſequenti verbum vllum fit Ieremiæ à Deo, quæ res nonnullos fefellit interpretes, vt דבר verbum, rem, aut factum interpretarentur; vt illud Lucæ 2. 15. *Transeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt.* Melius R. Dauid, & Salom. & ex Latinis nõnulli putant referẽda eſſe hæc verba ad illa capitis 42. verſ. 7. *Cùm autem completi eſſent decem dies, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam*; vt ſit hic quaſi titulus noui libri, quo continentur omnia, quæ Ieremias poſt captiuitatem vaticinatus eſt. Sed antequam vaticinia ipſa narrare incipiat, interponit hiſtoriam liberationis ſuæ, Godoliæ Iudææ præfecti, deinde eiuſdem occiſi, hoc cap. & 41.

3. *Et factus eſt vobis ſermo hic.*] id eſt, euenit vobis malum, quod Deus per te locutus fuerat ſermo, pro re & euentu, vt ſæpe fit, niſi interpretemur, *Factus eſt vobis ſermo hic*, id eſt, verbum Dei in vobis impletum eſt.

4. *Ponam oculos meos ſuper te.*] id eſt, benignè te tractabo, proſpiciam tibi, ne quid tibi mali accidat, vt cap. præcedenti 12. *Reſide*, id eſt, ne venias, deſine venire, ne pergas vlteriùs חדל. *Omnis terra in conſpectu tuo eſt*, id eſt, in poteſtate tua eſt. optio tibi datur ex vniuerſa terra, vt eligas quamcumque partem volueris. Elegans eſt & vſitatus Hebraiſmus vt Gen. 13. 9. *Ecce vniuerſa terra coram te eſt; recede à me obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo.* & cap. 20. 15. *Terra coram vobis eſt, vbicumque tibi placuerit habita.* Iſai. 41. 2. *Dabit in conſpectu eius gentes*, id eſt, ſubiiciet eius poteſtati.

5. *Et mecum noli venire.*] Si tibi non placet, etſi non vis. Hæc verba. Sept. non legunt. Hebræi verò legunt aliter ועדנו לא ישוב. Ad verbum. Et adhuc ille non eſt reuerſus. Quod R. Salom. exponit ad hunc modum. Quamuis hæc illi dixiſſet Nabuzardan, tamen nolebat reuerti, donec Deus illi dixit, vt reuerteretur. Meliùs R. Dauid. Adhuc ille non reuertebatur, id eſt, nõ ſignificabat ſe velle reuerti, & Nabuzardan ſuſpicans eum magis propenſum eſſe ad reuertendum, dixit illi. שובה. reuertere. Vult enim ſignificare Nabuzardan, cùm vidiſſet cunctantem, dubitantémque an reuerteretur, eum præueniſſe, dixiſſe vt reuerteretur, & apud Godoliam habitaret. Noſter interpres, & Chald. Paraphraſtes videntur legiſſe ועדני לא שוב. & mecum ne venias. *Apud Godoliam.* Creditur Godolias vnus fuiſſe ex iis Iudæis, qui Ieremię conſilio ad Chaldæos transfugerant, ideoque præfectum fuiſſe Iudææ à rege Babylonis, vt terram ab iis pauperibus, qui relicti fuerant, colendam curaret, eoſque gubernaret. *In medio populi*, id eſt, liberè. Hebraiſmus ſuprà explicatus cap. 37. 4. & 4. Regum 4. 13. Idem Hebraiſmus verſu ſequenti repetitur.

8. *Et Iſmahel.*] ו. pro, ſcilicet.

10. *Vt reſpõdeam præcepto Chaldæorum.*] id eſt, Chaldæis ſatisfaciã, ſi quid à vobis exigant, vt veſtrã apud Chaldæos cauſam defendam. H. לשמוד לפני הכשדים, *vt ſtem in conſpectu Chaldæorum*, id eſt, vt illis reſiſtam, ſi quid vobis mali velint facere, vt illis pro vobis reſpondeam, aut vt Chaldæos pro vobis rogem. Hebraica

braica phraſis eſt vt Pſalm. 105. 23. *Et dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.*

11. *In finibus.*] H. בבני. In filiis Ammon, id eſt, inter filios Ammon, Atque ita noſtrum interpretem vertiſſe arbitror, ſic enim multa emendata exemplaria habent, atque ita Sept. & Chaldæus Paraphraſtes verterunt.

14. *Percutere animam tuam.*] id eſt, ad occidendum te. anima pro vita, vt aliâs ſæpe. H. להכותך נפש. ad percutiendum te, (percuſſione) animæ, id eſt, læthali plaga. Similis Hebraiſmus Deut. 19. 6. *Ne forſitan proximus eius, cuius effuſus eſt ſanguis, dolore ſtimulatus perſequatur, & apprehendat eum, ſi longior via fuerit; & percutiat animam eius, qui non eſt reus mortis.* & c. 27. 21. *Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam ſanguinis innocentis.* & Ioſue 20. 3. *Vt confugiat ad eas quicumque animam percuſſerit neſcius.* Idem Hebraiſmus eſt verſu ſequenti. *Ne interficiat animam tuam.*

15. *Loquens.*] לאמר. locutus eſt dicens. *Ibo.* אלכה נא. eam quæſo, id eſt, liceat quæſo mihi ire.

16. *Verbum hoc.*] rem hanc.

CAPVT XLI.

*ET factum eſt in menſe ſeptimo, venit Iſmahel filius Nathaniæ, filij Eliſama de
ſemine regali & optimates regis, & decem viri cum eo, ad Godoliam filium A-
bicam in Maſphath: & comederunt ibi panes ſimul in Maſphath. 2 Sur-
rexit autem Iſmahel filius Nathaniæ, & decem viri qui cum eo erant, & percuſſerunt Go-
doliam filium Abicam filij Saphan gladio, & interfecerunt eum, quem præfecerat rex
Babylonis terræ. 3 Omnes quoque Iudæos, qui erant cum Godolia in Maſphath, &
Chaldæos qui reperti ſunt ibi: & viros bellatores percuſſit Iſmahel. 4 Secundo au-
tem die poſtquam occiderat Godoliam nullo adhuc ſciente. 5 Venerunt viri de Sichem,
& de Silo, & de Samaria octoginta viri: raſi barba, & ſciſſis veſtibus, & ſqualentes: &
munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini. 6 Egreſſus ergo Iſ-
mahel filius Nathaniæ in occurſum eorum de Maſphath, incedens & plorans ibat: cum
autem occurriſſet eis, dixit ad eos. Venite ad Godoliam filium Abicam. 7 Qui cum ve-
niſſent ad Medium ciuitatis, interfecit eos Iſmahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipſe
& viri qui erant cum eo. 8 Decem autem viri reperti ſunt inter eos, qui dixerunt ad
Iſmahel, Noli occidere nos, quia habemus theſauros in agro frumenti, & hordei, & olei,
& mellis. & ceſſauit, & non interfecit eos cum fratribus ſuis. 9 Lacus autem, in quem
proiecerat Iſmahel omnia cadauera virorum, quos percuſſit propter Godoliam, ipſe eſt
quem fecit rex Aſa, propter Baaſa regem Iſraël: ipſum repleuit Iſmahel filius Natha-
niæ occiſis. 10 Et captiuas duxit Iſmahel omnes reliquias populi, qui erant in Ma-
ſphath: filias regis & vniuerſum populum, qui remanſerat in Maſphath: quos commen-
dauerat Nabuzardan princeps militiæ, Godoliæ filio Abicam. Et cepit eos Iſmahel
filius Nathaniæ: & abijt, vt tranſiret ad filios Ammon. 11 Audiuit autem Io-
hanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne malum
quod fecerat Iſmahel filius Nathaniæ. 12 Et aſſumptis vniuerſis viris, profecti ſunt
vt bellarent aduerſum Iſmahelem filium Nathaniæ, & inuenerunt eum ad aquas mul-
tas, quæ ſunt in Gabaon. 13 Cumque vidiſſet omnis populus qui erat cum Iſma-
hel, Iohanan filium Caree, & vniuerſos principes bellatorum, qui erant cum eo,
lætati*

latati ſunt. 14 *Et reuerſus eſt omnis populus, quem ceperat Iſmahel, in Maſphath: reuerſúſque abiit ad Iohanam filium Caree.* 15 *Iſmahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris à facie Iohanan, & abiit ad filios Ammon.* 16 *Tulit ergo Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, vniuerſas reliquias vulgi, quas reduxerant ab Iſmahel filio Nathaniæ de Maſphath, poſtquam percuſſit Godoliam filium Ahicam: fortes viros ad prælium, & mulieres & pueros, & eunuchos quos reduxerat de Gabaon.* 17 *Et abierunt, & ſederunt peregrinantes in Chamaan, quæ eſt iuxta Bethlehem: vt pergerent, & introirent Ægyptum* 18 *à facie Chaldæorum, timebant enim eos, quia percuſſerat Iſmahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præpoſuerat rex Babylonis in terra Iuda.*

ISMAEL occidit Godoliam, & qui cum eo erant, Iudæos, & Chaldæos: fugatur à Iohanan; & ij, quos captiuos ducebat, reducuntur.

1. *De ſemine regali.*] Ex progenie regis Ammon, aut meliùs, ex ſemine Dauid, vt putant Hebræi auctore R. Dauid hoc loco. Propterea enim inuidebat Godoliæ, quòd præpoſitus fuiſſet Iudææ à rege Babylonis. *Et decem viri.* ו. Et, hoc loco accipio pro, Scilicet, aut nempe, vt capite præcedenti ver. 8. *Et comederunt ibi panes*, לחם. *panem*, id eſt, excepti ſunt conuiuio à Godolia. Vulgare eſt, vt panis apud Hebræos conuiuium ſignificet, & omnia eſculenta, & poculenta. *Panis apud Hebræos cõuiuiũ ſignificat.*

2. *Quem præfecerat.*] id eſt, quia præfecerat. אשר, vt reddatur cauſa, cur eum interfecerint. Senſus enim eſt melior atque ita exponit. R. Dauid.

4. *Nullo adhuc ſciente.*] cùm nemo adhuc ſciret; extra ciuitatem, intelligendum eſt. Quod propterea dicit, vt reddat tacitè cauſam, quomodo Sichemitæ venire auſi ſint.

5. *Raſi barba, ſciſſis veſtibus.*] Hæc erant luctus indicia apud Iudæos, vt multis in locis adnotauimus. lugebant autem ob templum euerſum, & incenſam vrbem. *Squalentes*. H. מתגודדים. laniati, inciſi; ſolebant enim ſe lugentes vnguibus lacerare, quod hodie etiam in nonnullis locis fieri ſolet. Ita Hebræorum commentarij exponunt: ita Chaldæus Paraphraſtes; ita etiam noſter interpres vertit idem verbum, infrà ca. 47. 5. *Vſquequo conciderıs. Vt offerrent in domo Domini.* Quomodo munera in templum afferebant, cùm iam eſſet euerſum? Reſpondent R. Salom. & R. Dauid, cùm ex patria ſua diſceſſerunt, audiuiſſe quidem captam eſſe vrbem: ſed nondum audiuiſſe eam eſſe incenſam, nec vaſtatum templum. Vrbs enim capta eſt menſe quarto, vt dictum eſt ſuprà cap. 39. verſu 2. 3. & 4. Reg. cap. 25. verſ. 4. Incenſa autem fuit menſe quinto, vt apparet. 4. Reg. 25. verſ. 8. 9. & infrà cap. 52. 12. 13. Hoc mihi non videtur vllam veriſimilitudinem habere. Nam, vt alij ante me auctores adnotauerunt, iſti octoginta viri venerunt ſeptimo menſe, vt ex initio huius capitis manifeſtum eſt. itaque poſt templi euerſionem, & vrbis incendium duo menſes effluxerant: quis autem credat duobus menſibus tantæ rei famam ad eos non perueniſſe; præſertim, cùm Samaria, quæ longiſſimè omnium diſtabat, non niſi viginti octo millia paſſuum dicatur abfuiſſe? Quare magis mihi placet, quod nonnulli auctores noſtri dixerunt, Octoginta illos viros non veniſſe in Ieruſalem, ſed in Maſphath, vbi audierant collectas fuiſſe ſub Godolia reliquias Iudæorum, ibíque erectum fuiſſe altare Domino, vt olim factum fuiſſe colligitur ex 1. Reg. cap. 7. verſ. 5. 6. *Mos lugentiũ apud Hebræos.*

6. *Incedens & plorans ibant.*] H. הלך הלך ובכה. eũdo ibat, & flebat, id eſt, inter eundum flebat, aut, cùm iret flebat, vt Pſalm. 125. 6. *Euntes ibant, & flebant,*

mutentes ſemina ſua. Simulabat autem Iſmaël ſe flere ob templi euerſionem, vt illis faciliùs imponeret ſpecie ſanctitatis.

7. *Circa medium laci.*] אל חוך הבור. Quod aliqui non malè interpretantur ſubintellecto vno verbo, Occidit eos & coniecit in medium laci, vt ſignificatur poſtea, ver. 9. Sept. ἔσφαξεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ. quaſi dicat, occidit eos præcipitans in lacum.

8. *Theſauros in agro.*] id eſt, in patria noſtra; quos tibi dabimus, ſi non occideris nos. *Theſauros* inquam, *frumenti*, &c. *Et non interfecit eos cum fratribus ſuis*, id eſt, ſicut interfecerat ſocios eorum. Hebræi ſocios, & omnes, qui aliqua inter ſe neceſſitudine vinciuntur, fratres appellant.

9. *Propter Godoliam.*] H. ביד גדליהו. Ad verbū, In manu Godoliæ; Quod optimè vertit noſter interpres, *Propter Godoliam*; Sicut & R. Dauid interpretatur; quia, vt interficeretur Godolias, cæteri interfecti ſunt; aut inuidia, & odio in Godoliam. R. Salom. & alij Hebræi, quorum opinionem refert hoc loco R. Dauid, interpretantur, qui erant à conſiliis Godoliæ. Nam etſi manus apud Hebræos aliquando ponitur pro conſilio, vt adnotauimus. 2. Reg. cap. 14. verſ. 19. *Numquid manus Ioab tecum eſt in omnibus iſtis*: tamen huic loco ea ſignificatio nō conuenit. Non enim occiderat Iſmael eos tantùm, qui Godoliæ à conſiliis erāt; ſed omnes etiam Iudæos, & Chaldæos, vt ſuprà dictum eſt verſ. 3. *Quem fecit rex Aſa.* Id nuſquam in ſacris litteris apertè ſcriptum eſt, Sed tamen legimus. 3. Reg. c. 15. ver. 22. Aſa regem Iuda muniuiſſe Maſphath propter Baaſam regem Iſraël quocum tota vita bellum geſſit, & eſt veroſimile tunc ad muniendam vrbem hunc lacum feciſſe.

10. *Filias Regis.*] Incertum eſt, vt ait R. Dauid; cuius Regis filias dicat, Sedeciæ, an Ioacin, an Ieconiæ. Sed cùm abſolutè, *filias Regis* nominauerit, ſuſpicor Sedeciæ filias ſignificari, & quia eius narratur hiſtoria, & quia non ſine cauſa filiarum, non filiorum mentionem facit. Nempe filij trucidati fuerant. cap. 39. 6. filias autem credibile eſt cum ignobili vulgo Godoliç commendatas remanſiſſe vtpote à quibus nihil periculi timeretur.

11. *Et omnes principes bellatorum.*] וכל שרו החילים. & omnes duces exercituum, Multi duces fugiente rege Sedecia huc illuc fugerunt, ex quorum numero hi erant.

12. *Ad aquas multas.*] id eſt, iuxta loca paluſtria, quæ erant in valle ad radicem montis Gabaon.

16. *De Maſphath.*] id eſt, quas Iſmael captiuas duxerat de Maſphath, Oratio conciſa: intelligendum autem, aut repetendum eſt verbum ex ſuperioribus ἀπὸ κοινοῦ

17. *Et ſederunt.*] id eſt, habitarunt, ſedes ſuas fixerunt. ישבו. *Peregrinantes*, Hebraicè vnicum eſt nomen proprium vrbis. גרות כמוהם. *Gueruth-Chimham*; ſicut etiam Sept. tranſtulerunt. Chaldæus verò Paraphaſtes. Sederunt, aut habitarunt in peregrinatione, quam dederat Dauid Berzellai filio Chamaam Galaaditæ. hiſtoria obſcurè indicatur 2. Reg. c. 19. 23. quaſi dicat, habitarunt in terra, in qua peregrinatus eſt Chamaam. *Vt irent, & introirent*, id eſt, vt inde facilè poſſent ſe, ſi quid periculi immineret in Ægyptum recipere.

18. *A facie Chaldæorum.*] propter Chaldæos, aut metu Chaldæorum, Hebraiſmus ſæpè à nobis explicatus. *Quia percuſſerat Iſmaël.* Quid hæc culpa pertinebat ad Iohanan, & eos, qui cum illo erant? Nimirum verebantur, ne cum Iſmaele, quia fugitiui erant, in eadem cauſa inuoluerentur.

CAPVT XLII.

ET acceſſerunt omnes principes bellatorum, & Iohanan filius Caree, & Ieſonias
filius Oſaiæ, & reliquum vulgus à paruo vſque ad magnum. 2 Dixe-
rúntque ad Ieremiam Prophetam, Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo: & ora
pro nobis ad Dominum Deum tuum pro vniuerſis reliquiis iſtis, quia derelicti ſumus
pauci de pluribus, ſicut oculi tui nos intuentur. 3 Et annuntiet nobis Dominus Deus
tuus viam per quam pergamus, & verbum quod faciamus. 4 Dixit autem ad eos
Ieremias Propheta, Audiui: ecce ego oro ad Dominum Deum veſtrum ſecundùm ver-
ba veſtra, omne verbum quodcúmque reſponderit mihi, indicabo vobis: nec celabo vos
quidquam. 5 Et illi dixerunt ad Ieremiam, Sit Dominus inter nos teſtis veritatis &
fidei, ſi non iuxta omne verbum in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus.
6 Siue bonum eſt, ſiue malum, voci Domini Dei noſtri ad quem mittimus te, obediemus:
vt bene ſit nobis cùm audierimus vocem Domini Dei noſtri. 7 Cùm autem completi
eſſent decem dies, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam: 8 Vocauítque Iohanan
filium Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, & vniuerſum populum à
minimo vſque ad magnum. 9 Et dixit ad eos, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ad
quem miſiſtis me, vt proſternerem preces veſtras in conſpectu eius, 10 Si quieſcentes
manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam: plantabo, & non euellam: iam
enim placatus ſum ſuper malo quod feci vobis. 11 Nolite timere à facie regis Baby-
lonis, quem vos pauidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus, quia vobiſcum
ſum ego, vt vos ſaluos faciam, & eruam de manu eius. 12 & dabo vobis miſericor-
dias, & miſerebor veſtri, & habitare vos faciam in terra veſtra. 13 Si autem di-
xeritis vos, Non habitabimus in terra iſta, nec audiemus vocem Domini Dei noſtri,
14 dicentes, Nequaquam, ſed ad Terram Ægypti pergemus: vbi non videbimus
bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non ſuſtinebimus: & ibi habita-
bimus: 15 Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Iuda: Hæc dicit Do-
minus exercituum, Deus Iſraël: Si poſueritis faciem veſtram, vt ingrediamini Ægy-
ptum, & intraueritis vt ibi habitetis: 16 gladius, quem vos formidatis, ibi compre-
hendet vos in Terra Ægypti: & fames, pro qua eſtis ſoliciti, adhærebit vobis in Ægy-
pto, & ibi moriemini. 17 Omnéſque viri, qui poſuerint faciem ſuam vt ingredian-
tur Ægyptum & habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peſte: nullus de eis remane-
bit, nec effugiet à facie mali quod ego afferam ſuper eos. 18 Quia hæc dicit Domi-
nus exercituum, Deus Iſraël. Sicut conflatus eſt furor meus, & indignatio mea ſuper ha-
bitatores Ieruſalem: ſic conflabitur indignatio mea ſuper vos, cùm ingreſſi fueritis Ægy-
ptum: & eritis in iusiurandum, & in ſtuporem, & in maledictum, & in opprobrium: &
nequaquam vltrà videbitis locum iſtum. 19 Verbum Domini ſuper vos reliquiæ Iu-
da: Nolite intrare Ægyptum: Scientes ſcietis, quia obteſtatus ſum vos hodie, 20 quia
decepiſtis animas veſtras, vos enim miſiſtis me ad Dominum Deum veſtrum dicentes, Ora
pro nobis ad Dominum Deum noſtrum, & iuxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus
Deus noſter, ſic annuntia nobis, & faciemus. 21 Et annuntiaui vobis hodie, & non
audiſtis vocem Domini Dei veſtri ſuper vniuerſis, pro quibus miſit me ad vos: 22 Nũc
ergo ſcientes ſcietis, quia gladio & fame & peſte moriemini in loco ad quem voluiſtis in-
trare vt habitaretis ibi.

4. CONSVLITVR Ieremias à Iohanan,& cæteris principibus.Reſpondet vt maneant in Iudæa, & obediant regi Babylonis: futurum, vt ſi migrent in Ægyptum,gladio fame,& peſte ibi moriantur.

2. *Cadat oratio noſtra.*] id eſt,valeat apud te oratio noſtra, exaudi nos, ſine te à nobis exorari, Concede hoc precibus noſtris. Hebraiſmus,vt ſuprà cap. 36.7. & cap.37.19.& cap.38.26.Eadem phraſis ſequitur paulò pòſt ver. 9. Hunc eſſe ſenſum huius phraſis intelligitur ex verſ.4.vbi Propheta reſpondet, *Audiui*, id eſt, exoratus ſum.

Forma iurãdi apud Hebræos

5. *Sit Dominus inter nos teſtis veritatis, & fidei.*] Forma iurãdi eſt apud Hebræos; pro,Iuramus per Deum verum,& fidelem: aut Dominus teſtis nobis ſit verus, & fidelis,vt Geneſ.31.48.*Tumulus iſte erit teſtis inter me, & te hodie.* Et 1.Reg.20. 23. *De verbo autem, quod locuti ſumus, ego & tu ſit Dominus inter me, & te vſque in ſempiternum,* id eſt, iuremus nos celaturos. Et rurſus verſ. 42. *Dixit ergo Ionathas ad Dauid, Vade in pace:quacumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes, Dominus ſit inter me, & te, & inter ſemen tuum, & ſemen meum vſque in ſempiternum:* Hoc ergo loco, *Inter nos*, ſignificat inter principes, & populum vna ex parte, & Ieremiam ex altera. *Si non iuxta omne verbum.* Oratio eſt ſuſpenſa, atque conciſa, qua Hebræi poſt verba iurandi vti ſolent. vt Pſalm. 88. 36. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar.* & Pſalm. 94. 11. *Vt iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Aliquando autem generaliter declaratur, quod alias ſubintelligi ſolet,vt Ruth cap. 1. 17. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non ſola mors me, & te ſeparauerit.* & 1. Regum 25. 22. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent vſque mane, mingentem ad parietem.* Aliquando nominatim, vt Pſalm.136.5. *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Aliquid ergo ſimile hoc loco intelligendum eſt ad explendam vacuam orationem.

Lõgiſſima parentheſis.

6. *Siue bonum ſiue malum.*]nobis fuerit,id eſt,ſiue proſpera, ſiue aduerſa nobis denuntiauerit. Nihil enim mali Deus facere poteſt. Hic eſt finis longiſſimæ parentheſis,quæ cap.40.ver.2. inchoata fuerat. Et verſu ſequenti incipitur prophetia.

10. *Si quieſcentes.*] אם שׁוב תשבו Si manendo manſeritis,aut ſi habitando habitaueritis,id eſt,ſi omnino habitaueritis, ita vt ne cogitetis quidem de abitu in Ægyptum. *Ædificabo vos,* id eſt,ſtabiliam, & multiplicabo. phraſis explicata eſt ſuprà cap.1.10.& cap.18.9.& cap.33.7. Alludit autem hoc loco ad promiſſionem factam illis locis. *Iam enim placatus ſum ſuper malo*, id eſt, ſatis pœnarum de vobis ſumpſi.H.נחמתי.pœnitet me mali: *quod feci vobis*,id eſt, quod vobis facere decreueram,vt alludat ad id,quod dixerat,c.18.verſ. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo,quod locutus ſum aduerſus eam:agam & ego pœnitentiam ſuper malo,quod cogitaui vt facerem ei.*

12. *Et miſerebor.*]Eodem modo Septuag.verterunt,niſi quod vbi noſter interpres dixit, *Habitare vos faciam*: illi dixerunt ἐπιστρέψω ὑμᾶς εἰς τὴν γῆν ὑμῶν. *reducã vos in terram veſtram.* H. ואתן לכם רחמים ורחם אתכם אתכם אל אדמתכם. Et dabo vobis miſericordias, & miſerebitur veſtri (rex Babylonis) & reducet vos in terram veſtram, vt Ionathan interpretatur. quaſi dicat, dabo vobis gratiam in oculis Regis Babylonis,vt loquuntur Hebræi, & miſerebitur veſtri, & redire permittet in terram veſtram.

Digitized by Google

13. *Neque audiemus.*] לבלתי שמע non audiendo, aut, ita vt non audiatis vocem Domini, id eſt, ita vt non obediatis illi.

14. *Nequaquam.*] ſub. audiemus vocem Domini, vt antè dixit, aut, Nequaquam faciemus, quod Dominus præcepit: ſed potiùs ibimus in Ægyptum. *Et famem non ſuſtinebimus.* H. וללחם אל נרעב. & ad panem non eſuriemus. Hebraiſmus, pro, panem non deſiderabimus, pane non indigebimus, panis penuria non eſuriemus. Sept. ad verbum conuerterunt. καὶ ἐν ἄρτοις οὐ μὴ πεινάσωμεν. *& in panibus non eſuriemus.*

15. *Propter hoc.*] id eſt, propter hæc verba, ſi ea fortè dixeritis, aut, propter hoc, ſi id fortè feceritis. *Si poſueritis faciem veſtram.* אתם שום תשמון. ſi ponendo poſueritis faciem veſtram, id eſt, ſi omnino poſueritis. duo Hebraiſmi coniuncti, alter, Ponendo ponere, id eſt, omnino ponere qui ſæpe à à nobis explicatus eſt: Alter, Ponere faciem ad eundum, qui ſignificat firmo conſilio velle aliquò ire; quia qui obſtinato animo in aliquem locum contendunt, in eum faciem ita dirigunt, vt nullis terroribus auertant. dicitur autem eodem ſenſu, Ponere faciem, Dirigere faciem, & Obfirmare, aut firmare faciem niſi quòd dirigere faciem aliquando non ſignificat obſtinatè id facere: ſed ſimpliciter iter dirigere, vt infrà verſ. 17. & 4. Reg. 12. 17. *Et direxit faciem ſuam, vt aſcenderet in Ieruſalem.* & Dan. 11. 17. *Et ponet faciem ſuam, vt veniat ad tenendum vniuerſum regnum eius.* Hunc Hebraiſmum Lucas Græcè ſcribens imitatus eſt. c. 9. 51. *Et ipſe faciem ſuam firmauit, vt iret in Ieruſalem.*

Duplex Hebraiſmus ſimul iunctus.

16. *Adhærebit vobis.*] id eſt, in veſtris viſceribus fames incluſa erit perpetuò, quamuis panis copiam habeatis. Patiemini caninam famem, vt medici vocant. Famē patiemini, vt canes, & circuibitis ciuitates, Pſa. 58. 7. 15. H. ידבק אחריכם. adhærebit poſt vos, id eſt, prope vos perſequetur, quocumq; eatis, ſequetur vos.

18. *Conflatus eſt.*] נתך. effuſus eſt. metaphora ſumpta ex metallis, quæ in fornace diuturnis ignibus conflata, magno impetu erumpunt, atque effunduntur; ſic enim ira Dei ſolet effundi, vt Seneca elegantiſſimo carmine deſcripſit. *Super habitatores Ieruſalem*, qui captiui ducti ſunt, quia vocem meam non audierūt, id eſt, ſicut illos tractaui, tractabo vos, ſi me non audieritis. *In iuſiurandum*, id eſt, in execrationem. לאלה. in imprecationem. ita vt quicumque voluerit aliquem deuouere, dicat, Accidat tibi, quod accidit Iudæis, qui in Ægyptum fugerunt, vt infrà cap. 44. 12.

19. *Verbum Domini ſuper vos.*] Hoc eſt, quod ſequitur, *Nolite intrare in Ægyptum.* Hebræi nunc legunt. דבר יהוה. *diber.* locutus eſt Dominus. Sept. verterūt, ἃ ἐλάλησεν κύριος. *quæ Dominus locutus eſt.* Noſter interpres aliis punctis legit, דבר. *dabar.* verbum; meliùs, quia magis vſitatè: ſic enim Prophetæ ferè ſemper loqui ſolent. *Scientes ſcietis*, id eſt, ſcitote. Futurum Hebraicum pro imperatiuo. Memores eſtote, quod ego hodie vobis ſim conteſtatus.

20. *Decepiſtis animas veſtras.*] Hebraiſmus, id eſt, ficto, ac ſimulato animo cum Deo egiſtis, vt ſtatim explicatur. *Vos enim miſiſtis me.* vel, Decepiſtis quantum in vobis fuit Deum in periculum animarum veſtrarum, id eſt, contra vitam veſtram. vt ſuprà c. 37. 8. *Nolite decipere animas veſtras, dicentes, euntes abibunt, & recedent à nobis Chaldæi* Alij minùs propriè, & magis audacter interpretantur, quia decepiſtis me cogitationibus veſtris.

Hebraiſmus.

22. *In loco, ad quem voluiſtis intrare.*] id eſt, in Ægypto. Videbat Ieremias eos certos eſſe eundi in Ægyptum, quia aut indicauerant, aut planè dixerant, quamuis eorum verba non poſuerit vſque ad verſ. 2. capitis ſequentis.

 CA-

Digitized by Google

CAPVT XLIII.

FACTVM eſt autem, cùm compleſſet Ieremias loquens, ad populum vniuerſos
ſermones Domini Dei eorum, pro quibus miſerat eum Dominus Deus eorum ad
illos, omnia verba hæc: 2 *Dixit Azarias filius Ioſiæ, & Iohanam filius Ca-*
ree, & omnes viri ſuperbi, dicentes ad Ieremiam, Mendacium tu loqueris: non miſit te
Dominus Deus noſter: dicens, Ne ingrediamini Ægyptum: vt habitetis illic. 3 *Sed*
Baruch filius Neriæ incitat te aduerſum nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum, vt in-
terficiat nos, & traduci faciat in Babylonem. 4 *Et non audiuit Iohanan filius Caree,*
& omnes principes bellatorum, & vniuerſus populus, vocem Domini, vt manerent in ter-
ra Iuda: 5 *Sed tollens Iohanan filius Caree, & vniuerſi principes bellatorum vni-*
uerſos reliquiarum Iuda, qui reuerſi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante di-
ſperſi, vt habitarent in terra Iuda: 6 *Viros & mulieres, & paruulos, & filias regis: &*
omnem animam quem reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Abi-
cam filij Saphan & Ieremiam Prophetam, & Baruch filium Neriæ. 7 *Et ingreſſi*
ſunt in terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini: & venerunt vſque ad Taphnis.
8 *Et factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam in Taphnis, dicens.* 9 *Sume lapides*
grandes in manu tua, & abſcondes eos in crypta, quæ eſt ſub muro lateritio, in porta domus
Pharaonis in Taphnis: cernentibus viris Iudæis. 10 *Et dices ad eos, Hæc dicit Do-*
minus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor regem
Babylonis ſeruum meum, & ponam thronum eius ſuper lapides iſtos, quos abſcondi, & ſta-
tuet ſolium ſuum ſuper eos. 11 *Veniénſq; percutiet terram Ægypti: quos in mortem,*
in mortem: & quos in captiuitatem, in captiuitatem: & quos in gladium, in gladium.
12 *Et ſuccendet ignem in delubris Deorum Ægypti, & comburet ea, & captiuos du-*
cet illos: & amicietur terra Ægypti, ſicut amicitur paſtor pallio ſuo: & egredietur inde in
pace. 13 *Et conteret ſtatuas Domus Solis, quæ ſunt in terra Ægypti, & delubra Deo-*
rum Ægypti comburet igni.

PRINCIPES non credentes Deo, nec Ieremiæ, eum cum reliquis Iudæis ducunt in Ægyptum. Ibi vaticinatur futurum vt rex Babylonis Ægyptum occupet, & idolorum templa incendat.

1. *Omnia verba hæc.*] Appoſitio: nempe omnia verba hæc, quæ modò ſuperiori capite recitata ſunt.

9. *Et abſcondes eos.*] id eſt, ſuperextrues, ac lines luto, quaſi fabricans ex illis ſolium, vt ſignifices fore, vt rex Babylonis occupata Ægypto, ſolium ſuum ponat in Taphnis, vel *abſcondes* ſub terram, quaſi alicuius ædificij, fundamenta iaciens. Huc enim ſpectat, quod non qualeſcumque lapides ſumere iubetur, ſed magnos, quales in imis fundamentis poni ſolent. Sic interpretor, vt ſenſus prophetiæ conueniat. Nam quia Iudæi verbis Ieremiæ non crediderant, iubetur à Deo non ſolùm verbis, ſed rebus etiam ipſis futuram illis calamitatem antè nuntiare, quod ſuprà adnotauimus ſæpe fieri ſolere. Sic iuſſus eſt Ieremias lagenam in oculis Iudæorum confringere, cap. 19. 10. Sic catenas collo ſuſpenſas portare, cap. 27. 2. Sic agrum emere ab Hanameel, cap. 32. 7. Sic hoc loco iubetur grandes lapides ſuperſtruere, aut abſcondere ſub terra, quaſi ponens fundamenta regiæ, quam Nabuchodonoſor in Taphnis ædificaturus erat.

Quid ſit crypta. *In crypta*, id eſt, in loco ſubterraneo, in cauerna, ex qua terra effodiebatur ad faciendum lutum, ex quo lateres conficiebantur. H. במלט. quod R. Dauid interpretatur

Digitized by Google

pretatur lutum, ex quo lateres fiunt, aut cementum ex calce, & arena confectum. *Quæ eſt ſub muro latericio*, qui lateribus ædificatus erat, qui confecti fuerant ex terra effoſſa ex proxima crypta. H. במלבן. quem R. Dauid dicit locum eſſe vbi lateres coquuntur. Quod bene conuenit; credibile enim eſt fornacem, qua lateres coquebantur fuiſſe iuxta cryptam, vnde terra excauabatur. *In porta*, id eſt, iuxta portam, aut è regione portæ regiæ Pharaonis. Omnes reges Ægypti Pharaones appellatos nemo neſcit. Erat autem Taphnes maxima ciuitas Ægypti, & regum ſedes. Propterea dicit, *In porta domus Pharaonis*, vt oſtendat vbi tunc domus Pharaonis erat, ibi domum Nabuchodonoſoris futuram eſſe. Vult autem hæc prophetia Iudæos docere, fore vt in Ægypto, vbi ſe contra regem Babylonis maximè tutos eſſe putabant, non ſolùm ipſi, ſed etiam Ægyptij eorum cauſa in manus regis Babylonis veniant; quaſi calamitatem & peccatorum ſuorum pœnam, quocumque tendant, ſecum trahant. Sicut dixerat c. præcedenti verſ. 16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos.*

10. *Ecce ego mittam.*] nuntios, qui eum vocent; nuntij autem ſunt inſpirationes, & veniendi cogitatio in mentem eius iniecta. Hebræi ſolent dicere שלח. abſolutè, id eſt, mittere, pro, mittere nuntios aut epiſtolas, ſicut Græci dicunt ἀποστέλλειν, & ἐπιστέλλειν, Exempla non ponimus, quia ſunt innumerabilia. *Seruum meum*. Seruum ſuum vocat Deus hominem impium, quaſi carnificem ſuum, quia quamuis ille non Deo, ſed ambitioni ſuæ ſeruiret, tamen Deus eius miniſterio vtebatur ad punienda aliorum flagitia. Ita ſuprà cap. 25. 9. & cap. 27. 6. Sicut vocat Cyrum Chriſtum ſuum, Iſai. cap. 45. 1. *Quos abſcondi*. per Ieremiam. Deus dicit ſe feciſſe quod Ieremias fecerat, quia ipſe iuſſerat facere. *Et ſtatuet*, Nabuchodonoſor. H. נטה. *extendet*, id eſt dilatabit, amplificabit. quaſi dicat, ego tantùm pono primos lapides fundamenti; ille verò ædificium amplificabit. *Solium ſuum*. H. שפרירו. tabernaculum ſuum, id eſt, palatium ſuum, regiam ſuam Sept. τὰ ὅπλα αὐτοῦ. *arma ſua*.

11. *Quos in mortem, in mortem.*] id eſt, alios morte naturali, alios captiuitate, alios gladio. Elegans eſt Hebraiſmus, quem Hiſpani, Itali, Galli ſua quiſque lingua imitari ſolent. Qualis ſuprà c. 15. 2. *Hæc dicit Dominus, Qui ad mortem, ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem*. & Zachar. 11. 9. *Quod moritur, moriatur; & quod ſuccidutur, ſuccidatur.* *Hebraiſmus elegans.*

12. *Et captiuos ducet illos.*] Deos Ægypti argenteos, & aureos, id eſt, transferet Ægyptiorum idola Babylonem: aut, *illos*, Ægyptios ſcilicet, vt ſit relatiuum ſine antecedente, quod apud Hebræos vſitatum eſt. *Et amicietur*. Nabuchodonoſor. *Terra Ægypti*, id eſt, ſpoliis terræ Ægypti. ablatiuus eſt. *Sicut amicitur paſtor.* Quemadmodum paſtor, cùm vult ex vno loco in alium migrare, veſtit ſe pallio ſuo, ſumítque in humeros quidquid habet, nihílque ibi relinquit, atque ita onuſtus in alium locum abit; ſic rex Babylonis ſpoliis Ægyptiorum onuſtus Babylonem redibit. Propterea vſus eſt ſimilitudine paſtoris, potiùs quàm alterius hominis, quia paſtoris proprium eſt onuſtum ex vno loco in alium migrare. Ita interpretantur Hebræi, vt R. Salomon & R. Dauid in commentariis huius loci. *Et egredietur inde in pace* id eſt, proſperè, re ex ſententia confecta, aut, nullo accepto detrimento, ſine vlla ſua moleſtia, nemine illi reſiſtente.

13 *Domus Solis.*] templi, in quo Ægyptij Solem adorabant, vt ait R. Dauid. Sunt qui putent domum Solis vocari Heliopolim ciuitatem Ægypti, quæ ex Sole nomen habet. de qua Gen. 41. 45. & 46. 20. & Ezech. 30. 17. *Et delubra*. Confirmatio eſt eiuſdem ſententiæ, vt ait R. Dauid. CA-

CAPVT XLIIII.

VERBVM quod factum eſt ad Ieremiam ad omnes Iudaos, qui habitabant
in terra Ægypti, habitantes in Magdalo, & in Taphnis & in Memphis, & in
terra Phathures, dicens, 2 Hac dicit Dominus exercituum Deus Iſraël,
Vos vidiſtis omne malum iſtud, quod adduxi ſuper Ieruſalem, & ſuper omnes vrbes Iuda:
& ecce deſertæ ſunt hodie, & non eſt in eis habitator: 3 Propter malitiam quam fe-
cerunt, vt me ad iracundiam prouocarent, & irent, & ſacrificarent, & colerent Deos alie-
nos, quos neſciebant, & illi & vos & patres veſtri. 4 Et miſi ad vos omnes ſeruos
meos Prophetas de nocte conſurgens, mittenſque & dicens: Nolite facere verbum abomi-
nationis huiuſmodi quam odiui. 5 Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem
ſuam vt conuerterentur à malis ſuis, & non ſacrificarent Diis alienis. 6 Et conflata
eſt indignatio mea & furor meus: & ſuccenſa eſt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſa-
lem: & verſa ſunt in ſolitudinem & vaſtitatem ſecundùm diem hanc. 7 Et nunc
hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Quare vos facitis malum grande hoc contra
animas veſtras: vt intereat ex vobis vir & mulier, paruulus & lactens de medio Iuda, nec
relinquatur vobis quidquam reſiduum: 8 Prouocantes me in operibus manuum
veſtrarum, ſacrificando Diis alienis in terra Ægypti, in quam ingreſſi eſtis, vt habitetis
ibi: & diſpereatis, & ſitis in maledictionem & in opprobrium cunctis gentibus terræ?
9 Numquid obliti eſtis mala patrum veſtrorum, & mala regum Iuda, & mala vxo-
rum eius, & mala veſtra, & mala vxorum veſtrarum, quæ fecerunt in terra Iuda, & in
regionibus Ieruſalem? 10 Non ſunt mundati vſque ad diem hanc, & non timue-
runt, & non ambulauerunt in lege Domini & in præceptis meis, quæ dedi coram vobis, &
coram patribus veſtris, 11 Ideo hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Ecce ego
ponam faciem meam in vobis in malum: & diſperdam omnem Iudam. 12 Et aſſu-
mam reliquias Iuda, qui poſuerunt facies ſuas vt ingrederentur terram Ægypti, & habi-
tarent ibi: & conſumentur omnes in terra Ægypti: cadent in gladio, & in fame: & con-
ſumentur à minimo vſque ad maximum, in gladio & in fame morientur: & erunt in iuſiu-
randum & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium. 13 Et viſitabo
habitatores terræ Ægypti, ſicut viſitaui ſuper Ieruſalem: in gladio & fame, & peſte.
14 Et non erit qui effugiat, & ſit reſiduus de reliquiis Iudæorum qui vadunt vt pere-
grinentur in terra Ægypti: & reuertantur in terram Iuda ad quam ipſi eleuant ani-
mas ſuas, vt reuertantur & habitent ibi, non reuertentur niſi qui fugerint: 15 Reſpon-
derunt autem Ieremiæ omnes viri, ſcientes quòd ſacrificarent vxores eorum Diis alienis:
& vniuerſæ mulieres, quarum ſtabat multitudo grandis: & omnis populus habitantium in
terra Ægypti in Phathures, dicentes: 16 Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine
Domini, non audiemus ex te: 17 Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de
ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina ſicut fecimus nos & patres no-
ſtri, reges noſtri & principes noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalē & ſaturati ſumus
panibus, & bene nobis erat, malumque nō vidimus. 18 Ex eo autē tempore quo ceſſauimus
ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio et fame cōſumpti
ſumus. 19 Quòd ſi nos ſacrificamus reginæ cœli, et libamus ei libamina; numquid ſine vi-
ris noſtris fecimus ei placentas ad colendam eam, et libandum ei libamina? 20 Et dixit
Ieremias ad omnem populum, aduerſum viros, et aduerſum mulieres, et aduerſum vniuer-
ſam plebem, qui reſponderant ei verbum, dicens: 21 Numquid non ſacrificium, quod ſa-
crificaſtis in ciuitatibus Iuda, et in plateis Ieruſalem vos et patres veſtri, reges veſtri et
principes veſtri et populus terræ, horum recordatus eſt Dominus, et aſcendit ſuper cor eius?

22 Et

22 *Et non poterat Dominus vltrà portare propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, & propter abominationes quas feciſtis: & facta eſt terra veſtra in deſolationem, & in ſtuporem & in maledictum, eò quòd non ſit habitator, ſicut eſt dies hæc.* 23 *Propterea quod ſacrificaueritis idolis, & peccaueritis Domino: & non audieritis vocem Domini, & in lege, & in præceptis, & in teſtimoniis eius non ambulaueritis: idcirco euenerunt vobis mala hæc ſicut eſt dies hæc.* 24 *Dixit autem Ieremias ad omnem populum, & ad vniuerſas mulieres: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui eſtis in terra Aegypti:* 25 *Hæc inquit Dominus exercituum Deus Iſraël, dicens: Vos & vxores veſtræ locuti eſtis ore veſtro, & manibus veſtris impleſtis, dicentes, Faciamus vota noſtra, quæ vouimus, vt ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, impleſtis vota veſtra, & opere perpetraſtis ea.* 26 *Ideo audite verbum Domini omnis Iuda, qui habitatis in terrà Aegypti. Ecce ego iuraui in nomine meo magno, ait Dominus: quia nequaquam vltrà vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Iudæi, dicentis, Viuit Dominus Deus, in omni terra Aegypti.* 27 *Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum & non in bonum: & conſumentur omnes viri Iuda qui ſunt in terra Aegypti, gladio & fame, donec penitus conſumantur.*
28 *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Aegypti in terram Iuda viri pauci, & ſcient omnes reliquiæ Iuda ingredientium terram Aegypti, vt habitent ibi: cuius ſermo compleatur, meus, an illorum.* 29 *Et hoc vobis ſignum, ait Dominus, quòd viſitem ego ſuper vos in loco iſto: vt ſciatis quia verè complebuntur ſermones mei, contra vos in malum.* 30 *Hæc dicit Dominus, Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Aegypti in manu inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius: ſicut tradidi Sedeciam regem Iuda in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis inimici ſui, & quærentis animam eius.*

CONFIRMAT ſuperiorem prophetiã, monetq́; Iudæos, ne ſacrificent Diis Ægypriorum. Reſpondent mulieres ſe eius verbis non obtemperaturas.
3. *Vt me ad iracundiam prouocarent.*] Me ad iram prouocantes, euntes, & ſacrificantes, & colentes Deos alienos, quos nec illi, nec vos, nec patres veſtri cognouerant.
4. *De nocte conſurgens.*] id eſt, magno ſtudio, ac diligentia miſi, quia quod magno ſtudio facimus, id vt faciamus ſummo mane ſurgimus, vt ſuprà c. 7. 13. 25. & c. 11. 7. & c. 25. 3. 4. & 26. 5. & 29. 19. & 35. 14. 15. *Verbum abominationis*, id eſt, rem hanc abominabilem, verbum pro re, vt ſuprà adnotauimus.
6. *Et conflata eſt indignatio mea.*] id eſt, liquefacta & magno impetu effuſa. Metaphora ſumpta ex metallis, quæ funduntur, vt explicauimus c. 42. 18. *Et in plateis Ieruſalem*, id eſt, in media Ieruſalem, in viſceribus Ieruſalem Hebræi, cùm de aliqua vrbe loquuntur, ſolent dicere, in plateis, pro, in medio vrbis, quia plateæ in medio vrbis eſſe ſolent, ſicut cùm loquuntur de homine, dicunt בלב. in corde. pro, in medio, quia cor in medio hominis eſt, vt Iſai. 15. 3. *In plateis eius omnis vlulatus*, id eſt, in medio eius. & c. 59. 14. *Quia corruit in platea veritas*, id eſt, ſublata eſt omnis veritas de medio eius. *Secundum diem hanc.* id eſt, vt hodierno die videre licet, aut, vt nunc eſt res habet, aut, vſque ad hodiernum diem. Hebraïſmus, vt ſuprà c. 11. 5. & c. 25. 18. & c. 32. 20.
9. *Numquid obliti eſtis.*] quaſi dicat, num meliores facti eſtis quàm patres veſtri, cùm eorum punitionem videritis? non. *Et mala vxorum eius.* id eſt, cuiuſque eorum. Hebraïſmus. Sic legendum, quia Hebraïce affixum eſt numeri ſingularis נשיו. Sept. καὶ τῶν κακῶν τῶν ἀρχόντων ὑμῶν. *& malorum principum veſtrorum.* quaſi legerint à נשיא.

10. *Non ſunt mundati.*] לא דוכאו. Non ſunt contriti, id eſt, non ſunt facti meliores poſtquam puniti ſunt, vt ſuprà c.2.30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt.* & c.5.3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.* & c.13.27. *Væ tibi Ieruſalem, non mundaberis poſt me.* & infrà c.51.9. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Ezech.24.12. *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit ex ea nimia rubigo eius, neque per ignem.* & Oſee 8.5. *Vſquequo non poterunt emundari? Caſtigaſti, & non mortificati.* vt in aliam ſententiam dixit D.Paulus 2.Cor.6.9. *Quæ dedi coram vobis.* נתתי לפנים quæ poſui in conſpectu veſtro. Hebræorum phraſis eſt, qua ſignificatur aliquid in alicuius poteſtate, & arbitrio relinqui, vt faciat, ſi velit, ſin minùs, non faciat, quamuis illi præcipiatur, vt Deut.30.15. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem, & malum*; id eſt, optionem tibi dedi vitæ & mortis, boni & mali. Sic illud intelligendum Eccle.45.6. *Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ.*

11. *Ponam faciem meam in vobis in malum.*] id eſt, iraſcar vobis, reſpiciam vos toruo, iratóque vultu, aut, certum, firmúmque conſilium ſuſcipiam malè vobis faciendi, vt ſup.c.21.10. *Poſui enim faciem meam ſuper ciuitatem hanc in malum, & non in bonum* & Amos 9.4. *Et ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonũ.* Eadem phraſis explicatur aliis verbis infrà v.27. *Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum, & non in bonum.*

12. *Qui poſuerunt facies ſuas.*] id eſt, qui obſtinatè, ac pertinaciter voluerunt in terram Ægypti ire. Hebraïſmus ſuprà eſt explicatus c.42.15.17. *Et erunt in iuſiurandum*, id eſt, in execrationem, ita vt quicunque voluerit alicui imprecari, dicat, Accidat tibi, quod accidit Iudæis, qui in Ægyptum fugerunt, vt ſup.c.42.18. *Et in miraculum* id eſt, in ſtuporem. לשמה ita vt omnes, qui exitium veſtrũ audiuerint admirentur, & obſtupeſcant.

14. *Et reuertantur in terram Iuda*]Poſtquam ibi peregrinati fuerint, réſque in meliorem ſtatum, vt ipſi putant, commutatæ. *Ad quam ipſi eleuant animas ſuas*, id eſt, ad quam ipſi maximè redire cupiunt, aut, ad quam ſe redituros ſperant. Leuare animam apud Hebræos ſignificat ſperare, aut, deſiderare. Sicut apud Latinos, animum in ſpem, & in deſiderium erigere: vt ſup.c.22.27. *Et in terram, ad quam ipſi leuant animam ſuam, vt reuertantur illuc, non reuertentur niſi qui fugerint*, id eſt, niſi illi, qui ex Ieruſalem ad regem Babylonis Ieremiæ conſilio transfugerunt, vt Ieremias dixerat c.38.2.H. כי אם פליטים. niſi qui euaſerint, aut, qui euaſerunt. Euaſores R.Salom. interpretatur, niſi Ieremias, & Baruch, qui, quemadmodum euaſerunt, libertatéq; donati ſunt; cùm Ieruſalem capta eſt, ita regis Babylonis gratia liberabuntur, cùm capietur Ægyptus. eodem modo R. Dauid interpretatur ſimilem ſententiam ver.28. Prior interpretatio eſt melior, non ſolùm quia Ieremias, vt in prologo diximus, in Ægypto mortuus fuiſſe creditur: ſed etiam quia de ſe, & Baruch aliter loqueretur; aut certè, qui fugerint ex Ægypto timentes futurum gladium, vt videtur explicari ver.28.

16. *Sermonem.*] Hebraïcè ad verbum. Sermo, *quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus tibi.*] אלך. id eſt, in re, quam nobis nomine Dei annuntiaſti, non obediemus tibi.

17. *Sed facientes faciemus.*] id eſt, omnino faciemus, vt nemo nos impediat, vulgaris Hebraïſmus. *Omne verbum, quod egredietur de ore noſtro*, id eſt, quidquid nos dixerimus, quidquid nobis libuerit: nõ faciemus, quod tu nobis dicis; ſed quod nos dicimus. Hoc enim ſignificat egredi ex ore, aut ex labiis, vt ſuprà c.17.

Digitized by Google

cap. 17. 16. *Quod egreſſum eſt de labiis meis, rectum in conſpectu tuo fuit.* & Thren. 3. 38. *Ex ore altiſſimi non egredientur nec mala, nec bona*, id eſt, nihil, dicet Deus. & Pſalm. 88. 35. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Poteſt etiam Hebraïſmus ſignificare, vouere, vt ſit ſenſus, Omnia ſacrificia, quæ Diis Ægypriorum vouimus, aut, vouemus, perſoluemus. quaſi dicant, Reddemus illis vota noſtra, quæ diſtinguent labia noſtra, vt Dauid loquitur Pſalm. 65. 14. vt explicatur ver. 25. *Locuti eſtis ore veſtro, & manibus veſtris, impleſtis, dicentes faciamus vota noſtra, quæ vouimus, vt ſacrificemus reginæ cœli.* Reginæ cœli, id eſt, Lunæ, quæ in cœlo quaſi regina ſtellarum eſt, ſicut Sol quaſi rex, vt ego quidem ex Græcorum & Latinorum auctorum ſententia interpretari ſoleo, vt ſuprà cap. 7. 18. quamquam Hebræi alij Solem, alij omnes ſtellas ſic vocari putant. *Et ſaturati ſumus.* ו. *&*, hoc loco cauſam ſignificat, id eſt, quamobrem ſaturati ſumus.

19. *Sine viris noſtris.*] quaſi dicant, non. Non fecimus noſtro conſilio, & auctoritate, ſed viris noſtris cohortantibus & adiuuantibus. Filij enim colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, & faciunt placenras reginæ cœli, vt Propheta dixit cap. 7. 18.

21. *Et in plateis Ieruſalem.*] id eſt, in medio Ieruſalem, vt ſuprà ver. 6. *Recordatus eſt Dominus*, vt puniret: *Et aſcendit ſuper cor eius*, id eſt, irritauit animum eius, aut, in mentem illi venit, vt Ionathas, & R. Dauid interpretantur. Eum Hebraïſmum explicauimus cap. 3. 16. & cap. 19. 5. & 32. 35.

22. *Et non poterat Dominus vltrà portare.*] Loquitur de Deo ἀνθρωποπάθως, id eſt, humano more. Deus enim ferre poterat, cuius patientia & longanimitas eſt infinita; ſed Iudæorum peccata erant natura ſua intolerabilia. Eodem modo dixit cap. 6. 11. *Furore Domini plenus ſum, laboraui ſuſtinens. Eò quòd non ſit habitator.* Defectu habitatoris. *Sicut eſt dies hæc.* Vſque ad hodiernum diem, aut ſicut hodierno die apparet, vt nunc ſeſe res habet, vt ſuprà ver. 6. & cap. 11. 5. & cap. 25. 18. & cap. 32. 20. eadem phraſis eſt verſu ſequenti.

23. *Propterea quod ſacrificaueritis idolis.*] מפני אשר קטרתם. Propter ea, quibus ſacrificaſtis, id eſt, propter idola. aut, Propterea quod ſacrificaſtis Sept. ἀπὸ προσώπου αὐτῶν, ὧν ἐθυμιᾶτε. *à facie eorum, quæ adolebatis.*

25. *Faciamus vota noſtra.*] עשת נעשה. faciendo faciamus, aut, faciendo faciemus, id eſt, omnino faciemus: verba ſunt animi obſtinati, vt ſupra ver. 17. *Et opere perpetraſtis.* עשה תעשינה. faciendo feciſtis, id eſt, compleuiſtis. Rectè dixit noſter interpres, *Opere perpetraſtis.* Loquitur autem Hebraïcè fœminino genere, quia præcipuè verba dirigit ad mulieres, quæ placentas faciebant, vt reginæ cœli libarent, vt ipſæ gloriatæ ſunt ver. 17.

26. *Iuraui.*] Iuro, præteritum Hebr. pro præſenti. *In nomine meo magno.* per nomen meum, quod magnum eſt, aut per nomen meum non qualecunque cum multa habeam nomina, ſed illud magnum, & ineffabile יהוה. *Quia nequaquam*, id eſt, quòd non vſurpabitur ampliùs nomen meũ à Iudæis, qui in Ægypto ſunt iurandi cauſa, quia omnes peribunt. Indicat ſingulare fuiſſe ſuum erga Iudæos beneficium, quòd eos per ſanctum nomen ſuum iurare ſineret, vt indicatur etiam Deut. 6. 13. *Per nomen eius iurabis*, & Pſalm. 62. 12. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Porrò noſter interpres non verba, ſed ſenſum reddere curauit. Nam H. vſitato more legitur, אם יה"ה עוד שמי נקרא. ſi erit ampliùs inuocatum nomen meum. Sæpe autem adnotauimus Hebræos poſt verba iurandi vti ſolere conditionali particula אם. *ſi*, orationémque vacuam relinquere at-

que ſuſpenſam, quæ ſubintellecta aliqua re complenda ſit. Lege exempla ſuprà cap. 42. ver. 5. Illud etiam adnotandum poſt verba iurandi ſequente dictione *ſi*, orationem affirmantem in negantem; negantem verò in affirmantem eſſe reſoluendam, ſi nihil ſubintelligere velimus, vt Pſalm. 94. 11. ad Hebr. 4. 3. *Sicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam,* id eſt, quòd non introibunt. & Iſai. 14. 24. *Iurauit Dominus exercituum dicens, ſi non vt putaui, ita erit*, id eſt, quòd, vt ipſe putauit, ita erit. Ita hoc loco, vltrà inuocabitur nomen meum, id eſt, quòd non vltrà inuocabitur.

27. *Vigilabo.*] id eſt, diligens ero & ſolicitus ad malefaciendum, non ad benefaciendum illis. Sicut Latinè hominem diligentem vigilantem appellamus; vt ſuprà cap. 1. 11. 12. *Quid tu vides? virgam vigilantem ego video. Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo vt faciam illud.* & cap. 31. 28. *Et ſicut vigilaui ſuper eos, vt euellerem, & demolirer, & diſſiparem, & diſperderem, & affligerem; ſic vigilabo ſuper eos, vt ædifi em, & plantem.* Vigilare dicit vno verbo, quod ſolet pluribus dicere. Manè, aut, diluculo, aut de nocte conſurgere, cap. 7. 13. 25. & cap. 11. 7. & 25. 3. 4. & 26. 5. & 29. 19.

28. *Et qui fugerint gladium.*] Ex iis qui ſunt in terra Ægypti, vt Ieremias, & Baruch, & nonnulli alij iuſti, ſi qui erunt qui inuiti eò iuerint, vt exponunt R. Dauid, & vt R. Salom. ſimilem ſententiam expoſuit ver. 14. Quomodo ergo dixit verſu præcedenti fore vt omnes perirent, & conſumerentur? Reſpondet R. Dauid, Omnes accipi pro maiori parte, & pro ferè omnibus. Sed quia, vt in prologo diximus, credimus Ieremiam in Ægypto fuiſſe mortuum, meliùs poſſumus interpretari, *Qui fugerint gladium,* non poſtquam venerit; tunc enim omnes morientur, vt verſu præcedenti dictum eſt: ſed qui antequam veniat, verbis Ieremiæ credentes venturum fugerint gladium, ſeque iterum in Iudæam receperint.

29. *Quòd viſitem ego.*] id eſt, quod vos perditurus ſim in Ægypto. Viſitare in malam partem, vt multis alijs locis. *Quia verè complebuntur.* כִּי קוֹם יָקֻמוּ. quod ſurgendo ſurgent. Hebraiſmus, id eſt, quòd omnino fient, quem rectè noſter interpres explicauit, *Verè complebuntur.* Sept. ἐμμενοῦσι, *manebunt*, id eſt, ſtabunt, conſiſtent, non cadent in terram, vt loquuntur Hebræi, id eſt, non erunt falſi.

30. *Pharaonem Ephree.*] R. Dauid exiſtimat Ephree nomen eſſe propriũ regis Ægypti, qui tunc regnabat; ſicut Pharao eſt nomen omnibus regibus Ægypti commune. Alij, vt idem R. Dauid recitat, in quibus videntur eſſe Ionathas & R. Salom. ſubtiliter interpretantur litteris Hebraicis paululum commutatis. Dicunt enim in nomine חפרע. Ephree ח, poni, pro, ה. demonſtratiuo. Pharao autem vocatur פרעה & פרע. ſignificat deficere, debilitare. ludit ergo Deus ſimilitudine dictionum dicens. נתן את פרעה חפרע. quaſi dicat, faciam Pharaonem eſſe Pharuonem, id eſt, debilem, deficientem, victum; quemadmodum ſi Latinè diceremus, Faciam regem Claudium eſſe claudum.

CAPVT XLV.

VERBVM quod locutus eſt Ieremias Propheta ad Baruch filium Neriæ, cum ſcripſiſſet verba hæc in libro ex ore Ieremiæ, anno quarto Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda, dicens: 2 Hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad te Baruch, 3 Dixiſti:

*xiſti: Ve miſero mihi quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboraui in gemitu
meo, & requiem non inueni.* 4 *Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum: Ecce quos
ædificaui, ego deſtruo: & quos plantaui, ego euello, & vniuerſam terram hanc.* 5 *Et
tu quæris tibi grandia? noli quærere, quia ecce ego adducam malum ſuper omnem car-
nem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in ſalutem in omnibus locis ad quæcun-
que perrexeris.*

PONIT hoc loco prophetiam, quam accepit à Deo anno quarto Ioacim, qua promittit Baruch incolumitatem omnibus in locis, Redit ad ſuperiora tempora, quia, vt ſæpe monuimus, non ſeruat ſeriem hiſtoriæ, nec ordinem temporis. Cap. 21. & alibi.

1. *Cùm ſcripſiſſet.*] Baruch dictante Ieremia, vt dictum eſt ſuprà cap. 36. 2. *Verba hæc.* Non referuntur ad verba huius capitis; ſed ad ea, quæ cap. 36. ſcripta fuiſſe dicuntur; eò enim vſque tenditur demonſtratio, & Prophetæ digitus: & cum eius capitis ſententia, ſententia huius capitis coniuncta eſt. *Anno quarto Ioacim.* Regnauit Ioacim vndecim annos 4. Reg. 23. 36. & Sedecias alios vndecim 4. Reg. 24. 18. qui ſunt viginti duo, vnde ſi demas quattuor, reliqui erunt decem & octo. Ex quo nonnulli colligunt inter tempus, quo hæc prophetia edita eſt, & tempus hoc, quo nunc ſcribitur, decem & octo fuiſſe & annos. Quod non video quò modo neceſſariò colligatur. Incertum enim eſt, an ſenſus ſit, Verbum, quod locutus eſt Ieremias Propheta anno quarto Ioacim, an, verbum, quod locutus eſt. poſtquam anno quarto ſcripſiſſet verba hæc in libro ex ore Ieremiæ. Vtroque enim modo verba iungi poſſunt.

3. *Dolorem dolori meo.*] id eſt, dolorem alium ſuper alium ſine fine; cùm enim puto me ex vno dolore releuatum, alius mihi dolor naſcitur. R. Dauid, & R. Salom. dicunt Baruch duplici de cauſa doluiſſe, & quòd tam diu Ieremiæ Prophetæ miniſtraſſet, & nondum ſpiritus prophetiæ ſibi datus eſſet, cùm datus eſſet olim Ioſue miniſtro Moyſis, & Eliſæo miniſtro Eliæ: & quòd adhuc quæreretur, vt coniiceretur in carcerem cap. 36. 26. propterea dixiſſe. *Addidit Dominus dolorem dolori meo.* id eſt, affecit me duplici dolore: propterea etiam vſum eſſe hac phraſi. *Requiem non inueni?* quia cùm datur alicui ſpiritus prophetiæ, dicitur requieſcere ſuper eum. vt 4. Reg. 2. 15. *Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum.* Et Iſai. 11. 2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. ſpiritus ſapientiæ & intellectus.* Subtilis interpretatio; ſed habet neſcio quid Rabinicum, & ſimile commenti: Quare malo ſimpliciter interpretari, *Addidit dolorem dolori meo*, id eſt, afflictum magis, ac magis in dies affligit, eadem phraſi, qua Dauid vtitur Pſalm. 68. 27. *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt; & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et verſu 28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*, id eſt, magis ac magis eos puni. Iniquitas pro pœna iniquitatis, vt ſæpe obſeruauimus.

4. *Quos ædificaui.*] hæ duæ metaphoræ, ædificandi, & plantandi ſæpe ſunt à nobis explicatæ, vt cap. 1. 10. & 18. 9. & 24. 6. & 33. 7. & 42. 10. Sed quorſum hæc ad Baruch, quæ magis illum affligere, quàm conſolari poterant? qui Hebræorum ſuperiori verſu interpretationem ſequuntur, ſenſum horum verborum eſſe putant, Non eſt, quòd ſpiritum prophetiæ habere cupias, quia quos ædificaui, deſtruam; & quos plantaui, euellam nemóque erit, cui vaticinari poſſis. Ego aliter, Quamuis quos ædificaui, deſtructurus ſim, & quos planta-

uerain, auulſurus, te tamen non deſtruam, neque euellain; ſed animam tuam tibi dabo in ſalutem, quo contentus beneficio, non debes quætere maiora.

5. *Et tu quæris tibi grandia.*] R. Dauid, & Salom. donum prophetiæ. Ego potiùs, quætis non ſolùm tuam, ſed etiam totius populi ſalutem, malo enim Barucho charitatem, quàm ambitionem attribuere. ſtatim enim videtur explicate, quid ille peteret, *Ecce ego adducam malum ſuper omnem carnem*; indicans illum ſalutem omnis carnis petiuiſſe, quod ei ſalua Dei iuſtitia concedi non poterat. *Et dabo tibi animam tuam in ſalutem.* לשלל. in ſpolium, id eſt, vt eam ſerues incolumem, & ſaluam ex communi calamitate. Hebraiſmus eſt à nobis explicatus cap. 21. 9. & cap. 38. 2. & 39. 18.

CAPVT XLVI.

QVOD factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam contra gentes.
2 ad Ægyptum aduerſum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti,
qui erat iuxta fluuium Euphratem in Charcamis, quem percuſſit Nabucho-
donoſor rex Babylonis in quarto anno Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda. 3 Præparate
ſcutum, & clypeum, & procedite ad bellum. 4 Iungite equos, & aſcendite equites:
ſtate in galeis, polite lanceas, induite vos loricis. 5 Quid igitur, vidi ipſos pauidos &
terga vertentes, fortes eorum cæſos: fugerunt conciti, nec reſpexerunt, terror vndique ait
Dominus. 6 Non fugiat velox, nec ſaluari ſe putet fortis. Ad Aquilonem iuxta
flumen Euphraten victi ſunt, & ruerunt. 7 Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit:
& veluti fluuiorum intumeſcunt gurgites eius, 8 Ægyptus fluminis inſtar aſcendit,
& velut flumina mouebuntur fluctus eius, & dicet: Aſcendens operiam terram, perdam
ciuitatem, & habitatores eius. 9 Aſcendite equos, & exultate in curribus & proce-
dant fortes Aethiopia & Libyes tenentes ſcutum, & Lydij arripientes, & iacientes ſa-
gittas. 10 Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt ſumat vindi-
ctam de inimicis ſuis: deuorabit gladius, & ſaturabitur & inebriabitur ſanguine eorum,
victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis iuxta flumen Euphraten.
11 Aſcende in Galaad & tolle reſinam virgo filia Ægypti: fruſtra multiplicas medi-
camina, ſanitas non erit tibi. 12 Audierunt gentes ignominiam tuam, & vlulatus
tuus repleuit terram: quia fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt. 13 Ver-
bum quod locutus eſt Dominus ad Ieremiam Prophetam, ſuper eo quòd venturus eſſet
Nabuchodonoſor rex Babylonis, & percuſſurus Terram Ægypti. 14 Annuntiate
Ægypto, & auditum facite in Magdalo, & reſonet in Memphis, & in Thaphnis: dicite,
Sta, & præpara te: quia deuorabit gladius ea quæ per circuitum ſunt. 15 Quare
computruit fortis tuus? non ſtetit: quoniam Dominus ſubuertit eum. 16 Multiplica-
uit ruentes, ceciditque vir ad proximum ſuum, & dicent: Surge, & reuertamur ad po-
pulum noſtrum & ad terram natiuitatis noſtræ, à facie gladij columbæ. 17 Vo-
cate nomen Pharaonis regis Ægypti tumultum, adduxit tempus. 18 Viuo ego
(inquit rex, Dominus exercituum nomen eius) quoniam ſicut Thabor in montibus, &
ſicut Carmelus in mari, veniet. 19 Vaſa tranſmigrationis fac tibi habitatrix
filia Ægypti: quia Memphis in ſolitudinem erit, & deſeretur, & inhabitabilis
erit. 20 Vitula elegans atque formoſa Ægyptus: ſtimulator ab Aquilone veniet ei:
21 Mercenarij quoque eius qui verſabantur in medio eius, quaſi vituli ſaginati verſi
ſunt, & fugerunt ſimul, nec ſtare potuerunt, quia dies interfectionis eorum venit ſuper
eos, tempus viſitationis eorum. 22 Vox eius quaſi æris ſonabit: quoniam cum exercitu

propera-

properabunt,& eum ſecuribus venient ei,quaſi cedentes ligna. 23 *Succiderunt ſaltum eius,ait Dominus,qui ſupputari non poteſt:multiplicati ſunt ſuper locuſtas,& non eſt eis numerus.* 24 *Confuſa eſt filia Ægypti, & tradita in manum populi Aquilonis.* 25 *Dixit Dominus exercituum Deus Iſraël,Ecce ego viſitabo ſuper tumultum Alexandriæ, & ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum, & ſuper Deos eius, & ſuper reges eius:& ſuper Pharaonem,& ſuper eos qui confidunt in eo.* 26 *Et dabo eos in manum quærentium animam eorum,& in manum Nabuchodonoſor regis Babylonis, & in manum ſeruorum eius & poſt hæc habitabitur ſicut diebus priſtinis ait Dominus.* 27 *Et tu ne timeas ſerue meus Iacob,& ne paueas Iſraël,quia ecce ego ſaluum te faciam de longinquo, & ſemen tuum de terra captiuitatis ſuæ: & reuertetur Iacob, & requieſcet, & proſperabitur, & non erit qui exterreat eum.* 28 *Et tu noli timere ſerue meus Iacob, ait Dominus: quia tecum ego ſum, quia ego conſumam cunctas gentes ad quas eieci te: te vero non conſumam, ſed caſtigabo te in iudicio, nec quaſi innocenti paream tibi.*

VATICINATVR Ægyptum per regem Babylonis vaſtandam;conſolatúrque Iudæos,qui in captiuitate erant,ſpe reditus in patriam.

1. *Contra gentes.*] contra Ægyptios, nomen gentis accipitur hoc loco, vt opponitur Iudæis.

2. *Pharaonis Nechao.*] Pharao nomen commune omnium regum Ægypti. Nechao verò proprium eius,qui tunc regnabat: quem eundem fuiſſe arbitror, qui ſuprà cap.44.30. Ephree appellatus eſt; quamuis ſciam me in eo à pleriſq; interpretibus diſſentire. Nam & nomen idem ſignificat, vt Ionathas interpretatur,& nempe claudum,aut debilem; & ipſe Ionathas eundem eſſe putat. *In Charcamis.* Ea vrbs erat Syriæ ad ripam fluminis Euphratis ſita: quam,vt ait R. Dauid priùs rex Aſſur,& Aram occupauerat. Ad eam expugnandam venit Nechao iuſſu Dei, quatuórque annis eam obſedit. Nam vltimo anno regis Ioſiæ venit, regémque Ioſiam volentem ciuitati opem ferre, occidit; & pro eo Ioacim filium eius regem conſtituit. Cuius anno quarto à Nabuchodonoſor debellatus eſt. lege hiſtoriam 4.Reg.23.29.& 2.Paral.35.20.& 3. Eſdræ 1.23.

3. *Præparate ſcutum.*] poſſunt hæc verba, aut Chaldæis, vt eos Propheta exhortetur ad pugnandum contra Ægyptios, prædicens fore vt eos vincant, aut Aegyptiis, vt ſe præparent ad pugnandum contra Chaldæos; fore enim vt ab illis vincantur,quam vtramque interpretationem approbat R.Dauid. Mihi videntur hæc verba Ægyptiis dici, ſed irriſoriè:quaſi dicat, Præparate omnia arma,omniáque inſtrumenta bellica,quæ volueritis;certè vincemini,nihil vobis proderunt arma,nihil iſte tantus apparatus belli,quem facitis.vt Pſal. 77.9. *filij Ephrem intendentes,& mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli.*

4. *Iungite equos.*] Ad trahendos currus,falcatis enim curribus pugnabant,aut, אסרי ligate,id eſt,frænum equis iniicite.

5. *Quid igitur?*] id eſt,quorſum apparatus iſte tantus armorum, cùm prophetico ſpiritu videam eos trepidantes, & in fugam verſos? H. מדוע ראיתי. quare vidi eos pauidos(cùm tam bene armati ſint, *Fortes eorum cæſos,* יכתו. cæſi ſunt *Fugerunt concuſi,* מנוס נסו. fuga fugerunt, vulgaris Hebraiſmus, id eſt, valde, ſumma celeritate fugerunt, ita vt ne retrorſum quidem reſpicerent. Hæc omnia ſub illa interrogatione legenda ſunt, מדוע quare? Reſponſio verò intelligenda eſt,qualem aliis locis explicatam videmus.vt Deuter.32.30. *quomodo perſequerentur vnus mille,& duo fugarent decem millia? nonne ideo quia Deus ſuus vendidit*

eos, &

Digitized by Google

eos, & *Dominus concluſit illos*: Et Amos 2. 13. 14. *Ecce ego ſtridebo ſuper vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam.*

6. *Non fugiat.*] Docet fore vt nemo vlla ratione poſſit euadere, neque velox fugiendo, neque fortis pugnando, vt Amos 2. 13. & 9. 1. *Non erit fuga eis, qui fugient; & non ſaluabitur ex eis qui fugerit.* Et Pſal. 41. 5. *Periit fuga à me, & non eſt, qui requirat animam meam. Ad Aquilonem.* Erat Syria comparatione Ægypti Aquilonaris. *Victi ſunt.* Ægyptij. H. כשלו ונפלו. offenderunt, & ceciderunt, vt Chaldæus vertit. alludit autem ad fugam, de qua loquebatur. Solent enim qui fugiunt, præ currendi velocitate impingere, & cadere, atque à perſequentibus comprehendi. Septuag. ἠσθένησαν. infirmati ſunt, & ceciderunt, id eſt, præ laſſitudine ceciderunt, vt Pſal. 19. 9. & 26. 2. *Ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt; nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.*

7. *Quis eſt iſte?*] non interrogat ignorando; ſed irridendo; nec vt diſcat, ſed vt doceat: ſubiectio enim eſt, quæ verſu inſequenti explicatur. Declarat autem Ægyptiorum arrogantiam comparans eos flumini exundanti, & tumentibus gurgitibus terram operientibus. Solet per flumina, & aquas populorum multitudo ſignificari, qua rex Ægypti maximè gloriabatur. vt Iſai. 8. 7. *Propter quod ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes & multas regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius.* Et Apoc. 17. 15. *Aquæ, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes & linguæ.*

9. *Aſcendite equos.*] Alij עלו הסוסים. aſcendite equi, vt Chaldæus. Eſt autem ironia, qua Propheta inuitat Ægyptios ad veniendum, & pugnandum contra Charcamis: quaſi dicat, Venite in macellum, vt iugulemini. Sicut dixerunt Philiſthiim Ionathæ & eius armigero 1. Reg. 14. 12. *Aſcendite ad nos & oſtendemus vobis rem. Æthiopia, & Lybies, & Lydij*; hi populi Ægyptiis vicini, amiciq; erant, cùmque illis venerunt ad obſidionem Charcamis.

10. *Dies autem ille Domini.*] Quo occidit Ægyptios. Vocatur dies Domini in litteris ſacris, omnis dies, quo Dominus facit quidquid vult, potentiamq; ſuam maximè oſtendit, vt dies iudicij. 1. Cor. 3. 13. & c. 5. 5. & 2. Cor. 1. 14. & 1. Theſſ. 5. 2. Sic etiam omnis alius dies, quo Deus iudicium aliquod exercet inſigne. vt Iſai. 2. 12. *Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur.* Et c. 13. 6. *Vlulate, quia propè eſt dies Domini, quaſi vaſtitas à Domino veniet.*

11. *Aſcende in Galaad.*] Ironica conceſſio eſt, qualis illa ſuperior ver. 3. *Præparate ſcutum, & clypeum.* & ver. 9. *Aſcendite equos, & exultate.* Galaad regio reſina, & balſamo abundabat, ſuprà c. 8. 22. *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? Tolle reſinam.* צרי. alij reſinam, alij balſamum, alij opobalſamum interpretantur, quod curandis vulneribus præſentiſſimum eſt remedium: quaſi dicat, ſume, quidquid balſami eſt in Galaad, non curaberis à vulneribus quæ tibi infligent Chaldæi, quia lethalia erunt. Hoc eſt, quod dicit, *fruſtra multiplicas medicamina,* (pro multiplicabis,) id eſt, fruſtra multis veteris medicamentis, non enim ſanaberis. תעלה. propriè ſanationem vulnerum ſignificat; nomen enim à עלות id eſt, ab aſcendendo ductum eſt, quòd, cùm vulnera ſanantur, noua caro, & noua cutis in locum plagæ aſcendit. *Virgo filia Ægypti.* Virginem vocat Ægyptum, vel quòd antea non fuiſſet debellata, vt nonnulli putant; vel, vt ego credo, quòd Hebræi omnem ciuitatem, & regionem inſolentem atque exultantem

Digitized by Google

tantem virginem per metaphoram appellare ſoleant.

12. *Audietur . gentes.*]Perueniet fama ad omnes gentes,te ignominioſè,& turpiter à Chaldæis victam fuiſſe. *Vlulatus tuus,*quem edes,cùm vincêris,audietur per totum terrarum orbem. hyperbole. *Fortis impegit in fortem*, id eſt, fortiſſimus quiſque Ægyptius adeo celeriter fugiet,vt in alium fortiſſimum quemque impingens,cum illo pariter corruat.Significat tantam futuram eſſe fugientium preſſuram,vt alij alios deiiciant,conculcent,occidant.Ita R.Dauid.

13. *Verbum quod locutus eſt.*] Hactenus prædixit Ieremias, quo modo cædendi eſſent Ægyptij à Chaldæis in obſidione Charcamis: nunc prædicit Chaldæorũ in ipſam Ægyptum aduentum,eiúſque vaſtationem.

14. *In Magdalo.*] Nominat quattuor ciuitates Ægypti loco omnium: *ſta*, idem eſt,*ſta,& prepara te.* Iubet autem præparare ſe non ad reſiſtendum,ſed ad patiendum.

15. *Quare computruit.*] id eſt, tanquam res putrida concidit. H. נסחף. quod non reperitur niſi hoc loco,& Prouerb.28.3.& R.Dauid interpretatur.vi pluuiæ cadere aut lubrica via veſtigium fallante corruere. Significat ergo Ieremias fore vt Ægyptij non ſua imbecillitate,nec Chaldæorum virtute, ſed Dei iudicio atque impulſu vincentur,vt Deuter.32.30. *Quomodo perſequebatur vnus mille aut duo fugarent decem millia? Nonne quia Deus ſuus vendidit eos, Dominus concluſit illos?* Et Pſalm.17. 40. *Et præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Fortis tuus.* אביריך. fortes tui, nomen plurale cum verbo ſingulari,id eſt,quilibet ex fortibus tuis,vt exponit R.Dauid. Sept. *διότι ἔφυγεν ὀπίσω ὁ μόσχος ὁ ἐκλεκτός σου, quia fugit retro vitulus electus tuus,*quia אבירים. vitulos, aut tauros ſignificat. Senſus autem idem eſt. Nam viri fortes per metaphoram vituli appellantur, ſicut & ipſa Ægyptus paulò infrà ver. 20. dicitur vitula.

16. *Multiplicauit Deus.*] id eſt,adeo multos cadere fecit, vt alij ſuper alios corruerent. *A facie gladij columbæ.* id eſt,propter gladium columbæ Hebraiſmus ſæpe à nobis declaratus. Columbam autem vocat Nabuchodonoſorem, quòd à Deo celeriter venturus eſſet,vt aduolaſſe videretur,vt ſuprà c.25.38. & infrà c. 50.16. H. מפני חרב היונה. à facie gladij opprimentis, ac vaſtantis, exponit R. Dauid hoc loco. Ionathas verò hic,& ſuprà c. 25.38.vnà cum R. Salom. interpretatur gladium inebriantem,ſicut ſuprà ver.10.dictum eſt. *Deuorabit gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum.* Sept. *ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς, A facie gladij Græci.* Quia, יון. ſimile nomen Græciam ſignificat Daniel. 10. 20.At hic non de Græcis, ſed de Chaldæis agebatur. Et iidem Sept.ſuprà c.25. 38.verterunt, *ἀπὸ προσώπου μαχαίρας μεγάλης, à facie gladij magni.*

17. *Vocate nomen Pharaonis, tumultum, adduxit tempus.*] quia ſcilicet tempus à Deo conſtitutum (hoc enim ſignificat מועד. (tumultum, & magnam illi calamitatem afferet;genus eſt prophetiæ,quod nominum impoſitione conſtat,qua, quod venturum eſt declaratur; ſicut Abram vocatus eſt Abraham, quia pater futurus erat multarum gentium.Et Iſai.c.8. 3. 4. Iuſſus eſt nomen infantis vocare. *Accelera ſpolia detrahere.feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam,auferetur fortitudo Damaſci,& ſpolia Samariæ.* Hebræi nunc eadem verba aliis punctis legunt,& aliter interpretantur. קראו שם. Clamate aut clamauerũt ibi,id eſt,in Ægypto:quod ſequitur.פרעה מלך מצרים שאון. Pharao rex Ægypti; & tumultus (in genitiuõ,) id eſt, magnæ turbæ, ac multitudinis hominum. העביר המועד. tranſire fecit tempus conſtitutum: id eſt,

Species prophetiæ nominum impoſitione conſtans.
Gen.17.5.

Y cùm

Digitized by Google

cùm magnum haberet exercitum, non eſt auſus dicta die cum Chaldæis prælium committere. Hoc, inquam, ibi clamauerunt, id eſt, tanquam prouerbium vulgo iactauerunt. in hanc ſententiam R. Salom. & R. Dauid interpretatur. Sept. Hæc tria. Tumultum, adduxit, Tempus, vnum nomen proprium fecerunt. Καλέσατε τὸ ὄνομα Φαραὼ Νεχαὼ βασιλέως Αἰγύπτου, Σαὼν Ἐσβεὶ Μωήδ. *Vocate nomen Pharaonis Nechao regis Ægypti, Saon Eſbie Moed.* Quod non debuit interpres, quiſquis fuit, ſignificatiuè, ſed materialiter vertere, vt Grammatici loquuntur. Ego Hebraica alium meliorem ſenſum habere puto, quàm quem eliciunt Hebræi. Clamauerunt ibi, Pharao rex Ægypti, & tumultus tranſire fecit tempus, aut tranſire faciet, id eſt, efficiet, vt prophetia Ieremiæ falſa ſit, & Chaldæi non veniant, quo tempore eos venturos dixerat Ieremias: quem ſenſum confirmant verba quæ ſequuntur.

18. *Viuo ego.*] Dei iuramentum. *Sicut Thabor in montibus.* id eſt, ſicut verum eſt Thabor eſſe in montibus, id eſt, vnum è montibus, & Charmelum in mari, id eſt, iuxta mare, ſic verum eſt, quod Ieremias prædixit venturum eſſe regem Babylonis. Sic Ionathas in paraphraſi, & R Salom. in commentariis & inter Græcos Theodoretus interpretantur. R. verò Dauid ex patris ſui ſententia ad hunc modum, ſicut Thabor inter montes aptus eſt ad venandum, & ad retia tendenda, vt Oſee 5.1. *rete expanſum eſt ſuper Thabor*, ita rex Babylonis veniet ad venandos homines in Ægyptum: & ſicut ligna Charmeli per mare transferuntur, ita Chaldæi transferent Ægyptios in captiuitatem. Poſſumus etiam nos ſimplicius, & fortaſſis aptiùs interpretari, Regem Babylonis & terra, & mari potentiſſimum venturum eſſe, ſicut Thabor in continenti inter montes, & Charmelus in mari inter promontoria maximè eminet.

19. *Vaſa tranſmigrationis.*] id eſt, res neceſſarias ad tranſmigrationem, & captiuitatem, baculum quo innitare, & cucurbitulam, qua bibas, vt ſolent facere peregrini. Habitatrix יושבת. quæ ſecurè, & confidenter nunc deſides, vt exponit Quimchi. putat enim eſſe antitheſin inter יושבת. habitatricem & גולה. tranſmigrationem. quaſi dicat, Quæ nunc otioſa & ſecura ſedes, præpara te ad longum tranſmigrationis iter conficiendum. *Quia Memphis.* Memphim poſuit pro toto regno, quia regni caput erat.

Cur poſuerit Memphim pro toto regno

20. *Vitula.*] Vitulam vocat Ægyptum, quòd diues eſſet, & delicioſa, moreque pinguis & indomitæ vitulæ laſciuiret. qua metaphora alij etiam Prophetæ vti ſolent. Iſai. c. 15. 5. *Vectes eius vſque ad Segor vitulam conſternantem.* Et Oſee c. 10. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram. & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius. Stimulator*, id eſt, qui eam ſtimulet, & de Ægypto, quaſi de prato ſuo demigrare cogat: hactenus enim indomita fuit, nec ſenſit ſtimulum. קרץ. R. Dauid, & R. Salom. exciſionem interpretantur. ſicut & Sept. ἀπόσπασμα. Meliùs alij Hebræi iugulationem. quaſi dicat, *ab Aquilone*, id eſt, Babylone *veniet ei*, qui eam iugulet. Optimè verò omnium noſter interpres. Agebatur enim hîc non de exciſione, non de iugulatione; ſed de tranſmigratione.

21. *Mercenarii quoque eius.*] Milites alienigenæ, quos mercede conduxerant, vt R. Dauid interpretatur. *Verſi ſunt.* כי גם המה הפנו. quia etiam ipſi verſi ſunt, id eſt, Milites mercenarij eius ſimiles etiam ſunt vitulis ſaginatis, propterea viſo hoſte in fugam verſi ſunt, ſicut vituli pingues fugere ſolent viſo homine non ruſtico more veſtito. *Nec ſtare potuerunt.* לא עמדו. non ſteterunt, id eſt, non potuerũt reſiſtere. *Quia dies interfectionis*, אידם. calamitatis eorum. Quo die Deus decreuerat eos iugulare, & perdere, Significat enim non potuiſſe Dei ſententiam

tentiam effugere. Iſai. 10. 3. *Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis?*

22. *Vox eius.*] Ægypti, *quaſi æris ſonabit*, id eſt, valde ſonabit, æs enim metallum eſt valde tinniens, & ſonorum. ſignificat autem ſimilitudine tinnientis æris querulum, & doloris plenum clamorem, quem Ægyptus hoſte perſequente editura erat. H. קולה כנחש ילך. ſerpentis ibit, id eſt, longè penetrabit, longè clamor eius exaudietur, ſicut ſibilus ſerpentis, qu cù m fugit, ſibilos in cœlum tollit. Ita etiam Chaldæus Paraphraſtes, & Sept. ita omnes Hebræi interpretantur. Noſter verò interpres videtur pro נחש. ſerpente legiſſe נחשת, æs, vnius additiòne litteræ, ſenſúſque bene hæret: præterquam quod Ieremias ita loqui ſolet, cap. 48. 36. *Propterea cor meum ad Moab, quaſi tibia aris reſonabit.* Et D. Paulus 1. Cor. 13. 1. ſonoram vocem, æris tinnitui comparauit. Serpentis autem ſibilo nuſquam clamor validus comparatur. *Quia cum exercitu,* (magno) *properabunt*, Chaldæi, *Quaſi cædentes ligna*, ſicut cæſores arborum, aut lignorum. *Vox eius ſicut.*

23. *Succiderunt.*] præteritum pro futuro, ſuccident Chaldæi. *Saltum eius*, ſyluam Ægypti. Ægyptum comparat ſyluæ, habitatores arboribus, Chaldæos cæſoribus, & lignatoribus. *Qui ſupputari non poteſt*, Exercitus Chaldæorum, quaſi dicat, Exercitus Chaldæorum, qui innumerabilis erit, ſyluam Ægypti ſuccident. H. כי לא יחקר. quia numerari non poterit. Reddit enim cauſam, cur exercitus Chaldæorum poterit totam Ægyptum excindere, quia nimirum innumerabilis erit, quemadmodum, ſi innumerabiles homines ſyluam cæderent, quamuis ſinguli ſingulas tantùm arbores ſuccìderent, breui tempore totam ſyluam excinderent. Ita Sept. & Chald. vetterunt, ac fortaſſe etiam noſter interpres. Facilè enim *quia*, in *qui*, mutari potuit.

25. *Super tumultum.*] id eſt, turbam, populum, multitudinem. אמון. quod Sept. Chald. & R. Salom. & R. Dauid putarunt Ammon nomen eſſe proprium regis Alexandriæ, qui regi totius Ægypti vectigalis eſſet. *Alexandriæ* מנא. de No. No vocabatur olim ea ciuitas Ægypti, quæ poſtea ab Alexãdro magno reſtaurata eius nomen accepit. Itaque Chaldæus אלכסנדריא. Alexandriã vertit. Sept. multò ſecus, *ἰδοὺ ἐγὼ ἐκδικῶ τὸν Αμμων υἱὸν αὐτῆς. Ecce ego vlciſcor Ammon filium eius.* quaſi legerint בנת. pro, מנא. Quid ſignificet viſitare hoc loco notum eſt.

26. *Et in manum Nabuchodonoſor.*] ו. *&*, ponitur pro, hoc eſt. Exponit enim, qui ſint illi, qui quærunt animam eius, nempe Nabuchodonoſor, & Chaldæi ſerui eius. *Et poſt hæc*, id eſt, poſtquam quadraginta annos vaſtata fuerit, vt clariùs prædixit Ezechiel. cap. 29. 11. 12. 13. 14. *Poſt finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus diſperſi fuerant.*

27. *Ne timeas.*] Apoſtrophe ad Iſraëlitas, per comparationem minoris cum maiore. quaſi dicat, ſi Ægyptios reducam in patriam ſuam, quantò magis reducam te, ô Iacob, qui ſeruus meus es. *De longinquo*, id eſt, reducens te ex longinquis, & remotis locis, in quibus exulas. Eadem ſententia eſt ſuprà cap. 30. 10. & apud Iſaiam cap. 43. 1. & 44. 2.

28. *Et tu.*] Tu; inquam, noli timere. hanc enim vim habet repetitio apud Hebræos. *Conſumam*, id eſt, penitus delebo tanquam hoſtes meos, poſtquam eorum opera in te caſtigando vſus fuero: te verò non delebo, vt promiſi ſup. cap. 4. 27. *Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam.* & c. 5. 10. *Aſcendite muros eius, & diſſipate, conſummationem autem nolite facere.* & ver. 18. *Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in conſummationem.* Sed ca-

Digitized by Google

ſtigabo te in iudicio, id eſt, miſericorditer, & moderatè, tanquam pater, non tanquam hoſtis. Sæpe adnotauimus nomen iudicij cùm furori & iræ opponitur, miſericordiam, lenitatémque ſignificare, vt ſuprà cap. 8. 7. *Populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* & cap. 10. 24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* & cap. 30. 11. *Sed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. Nec quaſi innocenti*, id eſt, ea te moderatione caſtigabo, vt neque prorſus perdam te quaſi hoſtem; neque prorſus impunem relinquam te tanquam innocentem. H. ונקה לא אנקך. & abſoluendo non abſoluam te tanquam innocentem, vt ſuprà cap. 30. 11. vbi Ionath. & R. Dauid interpretantur, ſicut hoc loco, Excindendo non excindam te, vel conſumendo non conſumam te. Symmachus apud Hieron. Mundans non mundabo te. Sept. ἀθῶον οὐκ ἀθωώσω σε. *innocentem faciendo, non innocentem faciam te,* Vtrumque verbum נקה. ſignificat, & innocentem facere, aut abſoluere, & excindere ac perdere; & vterque ſenſus aptè conuenit.

Iudicium pro miſericordia interdum ſumitur.

CAPVT XLVII.

QVOD factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam contra Paleſtinos, antequam percuteret Pharao Gazam: 2 *Hæc dicit Dominus, Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt quaſi torrens inundans: & operient terram & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius: clamabunt homines, & vlulabunt omnes habitatores terræ.* 3 *A ſtrepitu pompæ armorum & bellatorum eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum illius. Non reſpexerunt patres filios manibus diſſolutis,* 4 *Pro aduentu diei in quo vaſtabuntur omnes Philiſthiim, & diſſipabitur Tyrus & Sidon cum omnibus reliquis auxilijs ſuis: depopulatus eſt enim Dominus Paleſtinos reliquias inſulæ, Cappadociæ.* 5 *Venit caluitium ſuper Gazam: conticuit Aſcalon, & reliquiæ vallis earum, vſquequo concideris.* 6 *O mucro Domini, vſquequo non quieſces? ingredere in vaginam tuam: refrigerare, & ſile.* 7 *Quomodo quieſcet, cùm Dominus præceperit ei aduerſus Aſcalonem, & aduerſum maritimas eius regiones, ibique condixerit illi.*

PRÆDICIT hoc capite Ieremias Philiſthinorum excidium.

1. *Quod factum.*] Ordo verborum inuerſus, vt initio cap. præcedentis. *Antequam percuteret Pharao.* Tradunt Hebræi hoc accidiſſe anno decimo regni Sedeciæ, tum, cùm Chaldæis Ieroſolymas obſidentibus Pharao in auxilium Iudæorum venit; qua fama audita Chaldæi obſidionem reliquerunt, vt vidimus ſuprà cap. 37. 4. Tunc ergo Pharaonem in Ægyptum reuertentem in Gazam principem Paleſtinorum vrbem irruiſſe, ac diſpoliaſſe. Ita auctor סדרעולם. & R. Salom. & R. Dauid in comment. in hunc locum.

2. *Ecce aquæ.*] Aquas vocat per metaphoram militares Chaldæorum copias, quæ ab Aquilone venerunt, vt ait R. Dauid, vt Iſai. 8. 7. *Propter hoc, Ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius, & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius.* & cap. 17. 13. *Sonabunt populi ſicut ſonitus aquarum inundantium, & increpabit eum. Vrbem.* ſingularis pro plurali. *Et vlulabunt.* vlulabit omnis habitator terræ, vt Hebraïcè legitur, & vt aliorum magis correcta exemplaria habent: quamquam Sept. pluraliter tranſtulerunt; ἀλάξουσιν ἅπαντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν.

3. A

3. *A ſtrepitu pompæ.*] id eſt, propter ſtrepitum bellici apparatus: notus Hebraïſmus. מ. *à*, pro, propter, vt Pſalm. 103. 7. *A voce tonitrui tui formidabunt.* Poſſunt autem hæc verba vel cum præcedentibus iungi, vel cum ſequentibus; cum præcedentibus ſic, Clamabunt homines, & vlulabit omnis habitator terræ propter ſtrepitum pompæ armorum eius? cum ſequentibus hoc modo, Propter ſtrepitum pompæ armorum, non reſpexerunt patres filios. Prior ſenſus mihi videtur melior. H. eſt מקול שעטת פרסות אביריו. propter ſonitum ſtrepitus vngularum fortium eius, id eſt, equorum eius vnguipotentium, vt ita dicam, quemadmodum interpretatur R. Dauid; equi enim admirabilem in pedibus vim habent, & currentes magnum ſtrepitum cient. Iſai. 5. 28. *Vngulæ equorum eius vt ſilex, & rota eius quaſi impetus tempeſtatis.* & Ezechiel de Tyri vaſtatione loquens, ſicut hoc loco Ieremias, déque exercitu & potentia regis Babylonis, cap. 26. 10. 11. *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum; à ſonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui. Vngulis equorum ſuorum conculcabit omnes plateas tuas. Non reſpexerunt patres filios manibus diſſolutis.* Ablatiuus abſolutus cauſam ſignificans, id eſt, propter manuum diſſolutionem, vt Hebraicè eſt מרפיון. id eſt, propter metum non reſpicient patres retrorſum, vt liberent filios ſuos, vel, vt videant, quid illis fiat. Hominis enim eſt nimio timòre correpti, ita fugere, vti ne reſpicere quidem audeat, vt cap. præcedenti ver. 5. *Vidi ipſos pauidos, & terga vertentes, fortes eorum caſos, fugerunt conciti nec reſpexerunt.* Diſſolutio autem manuum metum arguit, quia ſolent manus præ timore concidere, & quodammodo diſſolui. Frequens Hebraïſmus, vt ſuprà cap. 6. 24. & cap. 38. 4. & infra cap. 50. 43. & apud Iſai. cap. 13. 7. & cap. 35. 3.

4. *Pro aduentu diei.*] על היום הבא. propter diem, qui veniet, id eſt, propterea quòd veniet dies, quo die tota Paleſtina vaſtetur. Propterea, inquam, tantus erit metus, vt patres non audeant filios reſpicere, vt dixit verſu præcedenti. *Et diſſipabitur.* הכרית. ad exſcindendum Tyrum, & Sidonem (venit dies.) Erant Tyrus & Sidon ſibi auxiliares, & confœderatæ ciuitates, vt colligit R. Dauid ex verbis Ioëlis cap. 3. 4. *Quid mihi & vobis, Tyrus & Sidon, & omnis terminus Paleſtinorum*; ideóque ferè ſemper copulari ſolent, vt Matt. 11. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Cum reliquis auxiliis ſuis*, id eſt, Paleſtinorum, quibus Tyrus & Sidon auxilium tulerant. Dicit ergo non ſolùm Paleſtinos abolendos; ſed Tyrios etiam, & Sidonios, & Cappadoces, reliquóſque omnes qui auxilio illis fuerunt. *Reliquias inſulæ Cappadociæ.* Reliquias dicit, quia nihil reliquum in Cappadocia facturus erat rex Babylonis, vt ait R. Dauid: inſulam autem Cappadociam appellat, non quòd propriè inſula eſſet, ſed quod maritima. Idem adnotat auctor Philiſthinos, & Cappadoces fratres fuiſſe, vt dicitur Geneſ. 10. 14. *De quibus egreſſi ſunt Philiſtum, & Caphtorim*, id eſt, Cappadoces, ſic enim Hebraïcè vocantur. Propterea ergo Cappadoces in Philiſthinorum auxilium venerunt. *Paleſtini colonia Cappadocum.*

5. *Venit.*] Præteritum pro futuro, venturum eſt. *Caluitium*, id eſt, magnus luctus atque calamitas. Caluitium ponitur pro luctu, quia mos erat Iudæorum, & vicinarum gentium in magno luctu ſeſe decaluare, vt colligitur ex Deut. cap. 14. 1. & Iſai. 15. 2. & 22. 12 Sic deſcribitur etiam luctus cap. ſequenti ver. 37. *Omne enim caput caluitium, & omnis barba raſa erit.* & apud Ezechielem cap. 7. 18. *In omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium.* & Amos *Caluitium ſignum luctus apud Iudæos.*

8. 10. *Et induetam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput caluitium.* Hebræi aliter interpretantur, vt R. Dauid hoc loco, vt caluitium ſpoliationem, & expilationem omnium rerum ſignificet; primùm enim Pharao Gazam ſpoliauit, vt diximus verſu 1. Deinde Nabuchodonoſor ita expilauit eam, vt

Hebraïſmus. ne pilum quidem reliquiſſe videretur. Prior interpretatio probabilior, quia metaphora eo ſenſu magis eſt vſitata. *Conticuit Aſcalon.* Hebraïſmus, id eſt, prorſus exciſa eſt, & euerſa, vt R. Salom. & R. Dauid interpretantur. נדמתה. ad verbum, tacita eſt, paſſiuè, id eſt, obliuione ſepulta, vt nemo iam de ea loquatur. Similis phraſis occurrit ſuprà cap. 25. 37. *Conticuerunt arua pacis, à facie iræ furoris Domini*, id eſt, vaſtata ſunt. & infrà cap. 49. 26. *Omnes viri prælij conticeſcent in die illa*, id eſt, penitus peribunt, vt nulla ſuperſit eorum memoria, nulla fiat de illis mentio. Eadem verba ſunt cap. 50. 30. & Iſai. 15. 1. *Quia nocte vaſtata eſt Ar, Moab conticuit*; quia nocte vaſtatus eſt murus, Moab conticuit. & Oſee 4. 6. *Conticuit populus meus, eo quòd non habuerit ſcientiam*, id eſt, ignorantia perdidit populum meum. & Sophon. 1. 11. *Vlulate habitatores Pilæ,*

Aſcalon vrbs Palæſtinæ contra Ioſephum. *conticuit omnis populus Chanaan, diſperierunt omnes inuoluti argento.* Vel ex hoc loco perſpicuum eſſe poteſt Aſcalonem vrbem fuiſſe Paleſtinæ. Nam contra Philiſthæos ſermo eſt: itémque ex lib. Iud. cap. 1. 18. vbi quemadmodum hoc loco cum Gaza coniungitur. Quod proprerea obiter adnotaui, quod Ioſephus lib. 5. Antiquit. cap. 2. Idumæa, inque tribu Iudæ ponat. *Et reliquiæ vallis.* reliqua earum oppida ſuburbana, quæ in valle erant. Nam Gaza, & Aſcalon in editioribus locis erant ſitæ. Ionathas verò & R. Dauid interpretantur, Et

Cultris aut vnguibus in magno luctu qui ſeſe conſciderent. reliquiæ opum, aut roboris, & exercitus eorum. Non aſſentior. *Vſquequo conciſeris*, id eſt, vſquequo Gaza, & Aſcalon cultris te te incides, aut vnguibus lacerabis? hoc eſt, vſquequo lugebis. quaſi dicat, diu. Solebant enim omnes illæ gentes in maximo luctu cultris ſeſe aut vnguibus exarare, vt conſtat ex Leuit. cap. 19. 28. & ex Deuter. cap. 14. 1. & ex lib. 3. Reg. cap. 18. 28.

6. *O mucro Domini.*] Exclamat Propheta, poſtquam oculis mentis gladium Domini latè graſſantem vidiſſet, rogatque vt quieſcat, ſatis enim magnam cædem factam eſſe. *Refrigerare*, id eſt, deſine ardere. Dicitur enim gladius Dei ardere, quandiu cædem facit. Hebraïcè eſt הרגעי, id eſt, quieſce; ſicut Sept. tranſtulerunt. *Et ſile*, id eſt, ceſſa, quieſce, ſicut dixit paulò antè דמי. Verbum נדמת. paſſiuè, id eſt, taceri, ſignificat perire, vt ſuperiori verſu notauimus. דמה. verò actiuè, id eſt, tacere, ſignificat aliquando non loqui, aliquando autem ceſſare, quia qui tacet, ceſſat loqui. Et quieſcere, quia qui tacet, quieſcet, & vt Galli dicunt, *ne ſonner mot.* Pſalm. 27. 1. *Deus meus ne ſileas à me*, id eſt, ne deſinas mihi opem ferre. & 2. Reg. 19. 10. *Vſquequo ſiletis, & non reducitis Regem?* id eſt, vſquequo ceſſatis Regem reducere.

7. *Quomodo quieſcet?*] Reſpondet ipſe ſibi Propheta, non poſſe gladium quieſcere, quia diuino præcepto graſſatur aduerſus Aſcalonem. H. איך תשקטי. quomodo quieſces? quamquam Sept. per tertiam perſonam verterunt. *Cùm Dominus præceperit ei*, id eſt, tibi. mutatio perſonæ. H. לה. illi gladio, vel, Aſcaloni præcepit, id eſt, miſit, deſtinauit gladium; itaque non poteſt ceſſare. donec legatione ſua functus fuerit, vt exponit R. Dauid. *Ibique condixerit illi*, id eſt, præcepit, vt ibi graſſaretur. H. ועדה. Conſtituit ei tempus, quo graſſari debeat; itaque non poteſt antè ceſſare, vt videtur Chaldæus Paraphraſtes, & R. Dauid interpretari.

CAPVT

CAPVT XLVIII.

AD Moab. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Væ ſuper Nabo, quo-
niam vaſtata eſt & confuſa: capta eſt Cariathàim: confuſa eſt fortis, & tremuit.
2 Non eſt vltrà exultatio in Moab contra Heſebon: cogitauerunt malum,
Venite: & diſperdamus eam de gente: ergo ſilens conticeſces, ſequetúrque te gladius. 3 Vox
clamoris de Oronáim, vaſtitas, & contritio magna. 4 Contrita eſt Moab: anuntiate
clamorem paruulis eius. 5 Per aſcenſum enim Luith plorans aſcendet in fletu: quo-
niam in deſcenſu Oronáim hoſtes vlulatum contritionis audierunt. 6 Fugite, ſaluate
animas veſtras: & eritis quaſi myrica in deſerto. 7 Pro eo enim quòd habuiſti fidu-
ciam in munitionibus tuis, & in theſauris tuis, tu quoque capieris: & ibit Chamos in tranſ-
migrationem, ſacerdotes eius, & principes eius, ſimul. 8 Et veniet prædo ad
omnem vrbem, & vrbs nulla ſaluabitur: & peribunt valles, & diſſipabitur campe-
ſtria, quoniam dixit Dominus: 9 Date florem Moab, quia florens egredietur: &
ciuitates eius deſertæ erunt & inhabitabiles. 10 Maledictus qui facit opus domini
fraudulenter, & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. 11 Fertilis fuit
Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis: nec transfuſus eſt de vaſe in vas, &
in tranſmigrationem non abiit: idcirco permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt im-
mutatus. 12 Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam ei ordinatores &
ſtratores lagunculárum, & ſternent eum: & vaſa eius exhaurient, & lagunculas eorum
collident. 13 Et confundetur Moab à Chamos, ſicut confuſa eſt domus Iſraël à
Beth el, in qua habebat fiduciam. 14 Quomodo dicitis: Fortes ſumus, & viri robuſti
ad præliandum? 15 Vaſtata eſt Moab, & ciuitates illius ſucciderunt, & electi iuue-
nes eius deſcenderunt in occiſionem: ait rex, Dominus exercituum nomen eius. 16 Prope
eſt interitus Moab, vt veniat: malum eius velociter accurret nimis. 17 conſolamini
eum omnes qui eſtis in circuitu eius: & vniuerſi qui ſcitis nomen eius: dicite: Quomodo con-
fracta eſt virga fortis, baculus glorioſus? 18 Deſcende de gloria, & ſede in ſiti habitatio
filiæ Dibon: quoniam vaſtator Moab aſcendet ad te, diſſipabit munitiones tuas. 19 In
via ſta, & proſpice habitatio Aroër: interroga fugientem: & ei qui euaſit, dic: Quid accidit?
20 Confuſus eſt Moab, quoniam victus eſt: vlulate, & clamate, annuntiate in Arnon,
quoniam vaſtata eſt Moab. 21 Et iudicium venit ad terram campeſtrem: ſuper
Helon, & ſuper Iaſa, & ſuper Mephàath, 22 Et ſuper Dibon, & ſuper Nabo, &
ſuper domum Deblathàim, 23 Et ſuper Cariathàim & ſuper Beth-gamul,
& ſuper: Beth maon, 24 Et ſuper Carioth, & ſuper Boſra: & ſuper omnes
ciuitates terræ Moab, quæ longè & propè ſunt. 25 Abſciſſum eſt cornu Moab,
& brachium eius contritum eſt, ait Dominus. 26 Inebriate eum, quoniam contra
Dominum erectus eſt: & allidet manum Moab in vomitu ſuo, & erit in deriſum etiam
ipſe. 27 Fuit enim in deriſum tibi Iſraël quaſi inter fures reperiſſes eum, propter ver-
ba ergo tua quæ aduerſum illum locutus es captiuus duceris. 28 Relinquite ciuitates, &
habitate in petra habitatores Moab, & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore fo-
raminis. 29 Audiuimus ſuperbiam Moab (ſuperbus eſt valde) ſublimitatem eius
& arrogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis eius. 30 Ego ſcio, ait Dominus,
iactantiam eius: & quod non ſit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata ſit
facere. 31 ideo ſuper Moab eiulabo, & ad Moab vniuerſam clamabo, ad muros
viri fictilis lamentantes. 32 De planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama: propagi-
nes tuæ tranſierunt mare, vſque ad mare Iazer peruenerunt ſuper meſſem tuam, & vin-
demiam tuam prædo irruit. 33 Ablata eſt lætitia & exultatio de Carmelo & de
terra

terra Moab, & vinum de torcularibus ſuſtuli, nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuſ-
ma cantabit. 34 *De clamore Heſebon vſque Eleale & Iaſa dederunt vocem ſuam:*
à Segor vſque ad Oronáim vitulam conſternantem aquæ quoque Nenrim peſſimæ erunt.
35 *Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelſis, & ſacrificantem Diis*
eius. 36 *Propterea cor meum ad Moab quaſi tibia reſonabit: & cor meum ad viros*
muri fictilis dabit ſonitum tibiarũ: quia plus fecit quàm potuit, idcirco perierunt. 37 *O-*
mne enim caput caluitium & omnis barba raſa erit in cunctis manibus colligatio, & ſu-
per omne dorſum cilicium. 38 *Super omnia tecta Moab, & in plateis eius omnis plan-*
ctus: quoniam contriui Moab ſicut vas inutile, ait Dominus. 39 *Quomodo victa eſt,*
& vlulauerunt? quomodo deiecit ceruicem Moab, & confuſus eſt? eritq́ue Moab in deriſum,
& in exemplum omnibus in circuitu ſuo. 40 *Hæc dicit Dominus: Ecce quaſi Aquila*
volabit, & extendet alas ſuas ad Moab. 41 *Capta eſt Carioth, & munitiones compre-*
henſa ſunt: & erit cor fortium Moab in die illa, ſicut cor mulieris parturientis. 42 *Et*
ceſſabit Moab eſſe populus: quoniam contra Dominum gloriatus eſt. 43 *Pauor & fo-*
uea & laqueus ſuper te, ô habitator Moab dicit Dominus. 44 *Qui fugerit à facie pa-*
uoris cadet in foueam: & qui conſcenderit de fouea, capietur laqueo. adducam enim ſuper
Moab annum viſitationis eorum, ait Dominus. 45 *In vmbra Heſebon ſteterunt de*
laqueo fugientes: quia ignis egreſſus eſt de Heſebon, & flamma de medio Sehon, & deuo-
rauit partem Moab, & verticem filiorum tumultus. 46 *Væ tibi Moab, periſti popule*
Chamos, quia comprehenſi ſunt filij tui & filiæ tuæ in captiuitatem. 47 *Et conuertam*
captiuitatem Moab, in nouiſſimis diebus, ait Dominus. Hucuſque iudicia Moab.

VATICINATVR Moabitis extremum exitium, ſicut Iſaias c.15. quia, cùm Iudæis cognati eſſent, non ſolùm non tulerunt illis opem, cùm ab hoſtibus vexarentur, ſed etiam irriſerunt eos, vt ait ver. 27.

1. *Ad Moab.*] ſub. prophetia. Eſt enim prophetiæ titulus, qualis apud Iſai. c. 15.1. *Onus Moab. Væ ſuper Nabo,* id eſt, magnum excidiũ imminet Nabo Moabitarum ciuitati, Iſai. 15.2. *Super Nabo, & ſuper Medaba Moab vlulabit. Capta eſt Cariathaim,* alia Moabitarum vrbs in tribu Ruben, Ioſue 13.19. Ponuntur toto ferè capite præterita pro futuris. *Confuſa eſt fortis*, id eſt, Cariathaim. H. הבישה המשגב. Confuſa eſt refugium, id eſt, ignominioſè capta eſt ea ciuitas, quæ aliis refugium eſſe ſolebat. Ego quidem ita expono. Alij videntes verbum eſſe fœminini generis, nomen autem maſculini, & non perſpicientes latentem appoſitionem ſubintelligunt ב. Confuſa eſt in loco munito, id eſt, ciuitas, quæ in loco munito ſita erat. R. verò Dauid putat Miſgab nomen eſſe propriũ vrbis. Sept. *κραταίωμα ἡττήθη, fortitudo victa eſt.* Chald. בחיתו מבית רחצנהון. Cõfuſi ſunt à domo cõfidentiæ ipſorũ, id eſt, Moabitæ ignominia ſunt affecti, quia perdiderũt Cariathaim, in qua confidebant. Vocat domũ vrbẽ, quaſi habitationẽ.

Sept. aliter.

2. *Non eſt.*] Non erit. *Contra Heſebon.* Hæc verba, vt verſio noſtra congruum ſenſum habere poſſit, cum ſequentibus ſunt copulanda, *Contra Heſebon cogitauerunt malum*, Chaldæi, qui eam vaſtare decreuerunt. Erat enim Heſebon Moabitarum ciuitas, vt conſtat Iſai. c. 15.4. Quare non poteſt eſſe ſenſus Moab cõtra Heſebon exultare deſiiſſe. H. בחשבון. in Heſebon, vt Sept. & Chald. Paraphr. tranſtulerũt, id eſt, Deſiit Moab gloriari in Heſebon, qua gloriari ſolebat, quòd vrbs eſſet bene munita; quia iam euerſa eſt. *Ergo ſilens conticeſces.* O Heſebon. Duplex in vno verbo Hebraïſmus eſt, alter in repetitione. *Silens conticeſces.* מדמן תדמי. ſilentio ſilebis, id eſt, prorſus ſilebis, aut ſileberis. Alter, ſileri, pro perire, quem multis exemplis explicauimus capite ſuperiori ver. 5.

Duplex in vno verbo Hebraiſmus.

3. *Vox*

3. *Vox clamoris.*] ſubaudietur, *de Oronaim*, quæ & ipſa Moabitarum ciuitas erat, Iſai. 15.5. *In via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* H. מחרונין. de vtraque Hornon. Erat enim duplex, ſuperior, & inferior, vt ait R. Dauid.

4. *Annuntiate clamorem.*] iſt eſt, prædicite pueris eius fore vt clament; puerorum enim proprium eſt clamare ac plorare in rebus aduerſis. Heb. השמיעו. quod alij per tertiam perſonam interpretantur. Audire fecerunt clamorem (ſuum) paruuli eius,id eſt,adeo vehementer clamauere,vt vbique exaudirētur.

5 *Per aſcenſum enim Luith.*] Luith Euſebius oppidum eſſe putat. R. verò Dauid in comment. in hunc locum, & in cap. 15. Iſai. montem eſſe dicit. Significat ergo futurum vt Moabitæ Chaldæorum metu in montem Luith plorantes ſeſe recipiant: quem verſum ex Iſai. cap. 15. ver. 5. ad verbum ſumpſit Ieremias. *Quoniam in deſcenſu Oronaim*, id eſt, hoſtes ex Oronaim poſt earum vaſtationem deſcendētes voces audient Moabitarum in montibus vlulantium.

6. *Fugite.*] Hortatur Propheta Moabitas ad fugam,ſi ſalui eſſe velint, vt confirmet certò euentura, quæ dicit, *Et eritis quaſi myrica*, id eſt, eritis ſteriles, & infructiferi, aut, habitabitis in locis deſertis, incultis, & aridis, vbi non niſi myricæ naſci ſolent. H. ותהיינה. & erunt (genere fœminino) ſub. animæ veſtræ, aut vt R. Dauid interpretatur, ciuitates veſtræ, ſicut myricæ, כערוער. Quod Hebræi alij myricam,alij iuniperum;alij magnam arborem,quæ in ſolo arido naſcatur,vt ait R.Dauid:alij turrim interpretātur, quæ Aroer vocaretur, vt Ionath. & R.Salom. Sept. καὶ ἔσεσθε ὥσπερ ὄνος ἄγριος ἐν ἐρήμῳ, *Et eritis ſicut onager in ſolitudine.* Senſus valde cōueniret,ſi verba Hebraica id ſignificare poſſent.

7. *In munitionibus tuis.*] במעשיך. R. Dauid interpretatur,In pecudibus tuis,id eſt,in diuitijs tuis,quia omnes olim diuitiæ,vt ſæpe adnotauimus,in pecoribus erant.Hunc ſenſum ſequentia verba confirmant. *Et in theſauris tuis.* Chald.quia confiſa es in theſauris tuis, & in domo opum tuarum.Alij ad verbum,In opere tuo,id eſt,in opibus à te acquiſitis,aut in negociatione tua. Nam מעשה. opus, diuitias,& negociationem ſignificat, vt Geneſ. 46.33.34.& c.47.3. *Ibit Chamos in transmigrationem.* Chamos nobile erat Moabitarum idolum,Numer.21.29 & 3. Reg.11.5. 7.33.& 4. Reg. 23.13. Irridet ergo Propheta, quaſi dicat, præcipuus Moabitarum Deus in captiuitatem ducetur, non quòd aliquid habeat numinis, ſed quòd aureus ſit,vel argenteus. Sicut dixit ſuprà de Dijs Ægyptiorum loquens.c.43.12. *Et ſuccendet ignem in delubris Deorum Ægypti, & comburet ea & captiuos ducet illos.* & infrà cap.ſeq.ver. 3. de Melchom Ammonitarum idolo.

9. *Date florem Moab.*] id eſt, ſinite nunc Moab florere, quia adhuc florens, antequam ad fructum perueniat,in captiuitatem ibit. Chald. Paraphraſt. אעדו כתרא מן מואב. auferre coronam à Moab,quia tranſmigrando tranſmigrabit, id eſt,tollite illi regnū,& date illud Chaldæis.H. תנו ציץ למאב כי נצא תצא. R. Salom. & R. Dauid exponunt,Date alas Moab, quia volando volabit; aut, quia volando exibit,id eſt,vt celeriter fugiat,vt Pſal.54.7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* & Pſal.138.9. *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.* Sept. alio prorſus ſenſu, δότε σημεῖα τῷ Μωὰβ ὅτι ἁφῇ ἀναφθήσεται. *date ſigna Moab, quia plaga ſuccendetur.* Quæ verba Theodor. ad hunc modum interpretatur,Ponite ſigna per ſolitudinē,quæ ad dignoſcendam viam poni ſolent, vt Moab recta via poſſit in ſolitudinē fugere;quia plagâ incēdetur Moab.(plaga in ablatiuo; ſic enim ille legit)id eſt, œſtro agitabitur,& fugiet. *Sept. aliter:*

10. *Maledictus qui facit.*] Hæc verba ad Chaldæos referuntur. Vocat Prophe- *Opus Domini vaſtatio Moab.*
ta *opus Domini* vaſtationem Moab, quæ iuſſu Domini fiebat. Execratúrque ho-

 ſtem,

ſtem. qui *fraudulenter*, id eſt, non ſeriò, vt Sept. verterunt, diligenter in Moabitarum cædem incubuerit, quemadmodum cap. 50. ver. 25. vocat opus Domini Chaldæorum interneccionem.

11. *Fertilis fuit Moab.*] id eſt, diues & florens nullius particeps calamitatis, Ideóque Iudæos bellis, exiliíſque ſæpe agitatos irridebat. Heb. שאנן. pace, & quiete vſus eſt ab adoleſcentia ſua. *Requieuit in fæcibus ſuis.* Metaphora ex vino ſumpta, quod aliquando agitatur, & ex vno dolio in aliud transfunditur; aliquando verò in ipſis primis fæcibus requieſcit. Ionathan & R. Dauid putant per fæces diuitias intelligi, quia ſicut in fæcibus vinum meliùs conſeruatur, cum autem ex vno vaſe in aliud transfunditur, vis & odor eius euaporatur; ita regnum conſeruatur diuitijs, perit paupertate. Ego aliter interpretor. Solent in regionibus calidioribus, vbi vina fortiora ſunt, ex vno dolio in aliud infundi, vt puriora, atque delicatiora fiant. Nam cum in fæcibus manent, robuſtiora ſunt, & minùs delicata, ſapiúntque neſcio quid fæculentum, quod Hiſpani dicunt, *Saber à la madre*, Moabitæ ergò comparantur vino; terra eorum, dolio; pax & abundantia rerum, fæcibus; mores eorum ſapori, & odori vini. Nam quemadmodum vinum non transfuſum ex vno vaſe in aliud, ſed in ſuis manẽs fæcibus nimis robuſtum eſt, & agreſte: ita Moabitæ, quia nondum fuerant ex vno loco in alium ducti captiui, ſed ſumma pace, rebúſq; proſperis ſemper vſi fuerant; facti fuerunt inſolentiores, necdum mutauerant priſtinos ſuos mores. Hoc eſt, quod dicit, *Idcirco permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutatus*, id eſt, nondum vexatio dedit illi intellectum, vt Iſai. ait cap. 28. 19.

12. *Et mittam ei ordinatores.*] id eſt, qui lagunculas, aut dolia ordine ſolent diſponere. *Et ſtratores*, id eſt, qui ſolent proſternere, aut inclinare dolia, vt vinum ex vno in aliud fundant. quod clariùs Sept. dixerunt, *κλίνοντας ϗ κλινοῦντας αὐτὸν, declinatores qui eum declinabant*. H. צעים וצעהו. transmigratores, & transmigrare facient eum, id eſt, transfuſores, &, vt ita dicam, tranſuaſatores, qui transfundant eum ex vno dolio in aliud, id eſt, ex ſua terra in alienam traducãt: perſiſtit enim in metaphora vini. *Et vaſa eius exhaurient*, id eſt, vrbes eius habitatoribus in captiuitatem ductis euacuabunt: vrbes enim & totam regionem, vt diximus, Moabitarum vaſis vinarijs comparat, *Et lagunculas eorum collident*, id eſt, vrbes eorum deſtruent, pro eodem enim accipit vaſa & lagunculas. quaſi dicat, poſtquam vinum transfuderint, vaſa, in quibus erat, confringent: i. poſtquam homines vrbibus captiuos abduxerint, vrbes ipſas vaſtabunt ac diruent.

13. *Et confundetur Moab a Chamos.*] id eſt, fallet Moab ſpes & fiducia, quam in ſuo idolo Chamos poſuerat, ideóque pudore ſuffundetur: quemadmodum Iſraelitas fefellit ſpes, quam in vitulo aureo poſuerant, quem in Bethel adorabant. Nota eſt hiſtoria 3. Reg. 12. 29. 30. vbi Ieroboan, poſtquam decem tribus à regno Iudæ ſegregaſſet, ne in Ieruſalem populus religionis cauſa reuerteretur, duos vitulos feciſſe dicitur, & alterum in Bethel, alterum in Dan conſtituiſſe.

15. *Et ciuitates eius aſcenderunt.*] Sic legendum, non, vt alij codices habent, Deſcenderunt. Quia ſic Hebraicè eſt, ועריה עלה. & ciuitates eius aſcendit, id eſt, aſcenderunt, ſingularis pro plurali, aut vnaquæque ciuitatum eius aſcendit, id eſt, in captiuitatem ducta eſt, vt ego quidem interpretor: ſtudio enim mihi videtur Propheta dicere, *Ciuitates eius aſcenderunt, & electi iuuenes eius deſcenderunt in occiſionem.* Eſt enim antitheſis, inter ciuitates, & iuuenes electos; & inter aſcendere, & deſcendere. Nam per ciuitates intelligit populum imbellem, qui

Interpretatio authoris.

non

non ſolet ab hoſtibus occidi; ſed in ſeruitutem redigi,& in captiuitatem duci: per iuuenes electos intelligit milites,qui expugnata vrbe ſolent occidi. Per aſcendere intelligit in captiuitatem ire; per deſcendere in occiſionem occidi. quaſi dicat, populus imbellis in captiuitatem ducetur; & viri militares & bellicoſi occidentur. Vulgaris eſt Hebraiſmus. Aſcendere, pro, Ire,Proficiſci, Migrare. vt 3. Reg. 1. 40. *Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum*, id eſt, egreſſa eſt ex vrbe, migrauit ab Ieruſalem, vt Salomonem ſequeretur. Alias apud Hebræos, & nonnullos etiam Latinos interpretationes eſſe ſcio; ſed minùs proprias & conuenientes eſſe puto. Alij enim exponunt, Aſcendit, id eſt, in aures euanuit, Alij, hoſtis aſcendit in ciuitates eius. Alij, aſcenderunt, id eſt, vaſtatæ ſunt, vt Chald. Sept. verò verbum, Aſcenderunt, prætermiſerunt, verterúntque ὤλετο Μωὰβ πόλις αὐτῆ. *Perijt Moab ciuitas eius. Dominus exercituum.* Hebraiſ- *Hebraiſmus.*
mus, pro, ait Rex,cuius nomen eſt Dominus exercituum. Regem autem appellat hoc loco potiùs, quàm Deum, quia de regni tranſlatione loquebatur. quaſi dicat, Rex Regum, & Dominus dominantium, per quem *regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Eccleſ. 10. 8. & Daniel. 4. 14. 28.

17. *Qui ſcitis nomen eius.*] id eſt, quicunque habetis aliquam cum eo amicitiam. Scire, pro, amare, vt *Ego cognoſco oues meas*, id eſt, amo. Ioan. 10.14. *Virga* *Virga & baculus pro regno.*
fortis, id eſt, quomodo concidit regnum tam potens,& glorioſum. virga & baculus pro eodem accipitur, regnúmque ſignificat. vt Pſalm. 73. 2. *redemiſti virgam hereditatis tuæ.* Et Pſalm. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

18. *Deſcende.*] id eſt, cade, aut decides. eſt enim imperatiuum Hebraicum pro futuro. quaſi dicat deijcieris de gloria iſta tua in qua nunc es. Gloriam autem vocat omnium rerum affluentiam, ſicut ſitim rerum omnium inopiam ex parte totum. *Sede in ſiti*, id eſt, habita in loco arido, & ſitibundo, *ſicut myricæ in deſerto*, vt dixit ver. 6. *Habitatio filia Dibon.* id eſt, populi multitudo, quæ habitas in ciuitate Dibon. H. ישבת בת דיבון. habitatrix filia Dibon, id eſt. ô ciuitas Dibon, quæ frequentiſſimè habitas vel quæ nunc otioſè & ſecurè deſides in magna rerum copia vt ſuprà cap. 46. 19. *Habitatrix filia Ægypti.* Eſt au- *Elegans paronomaſia Hebraica.*
tem Hebraicè elegans paronomaſia inter שבר. & ישבת. ac ſi Latinè dicas Habitabis in ſolitudine, quæ nunc habitas in frequentiſſima ciuitate. Erat Dibon Moabitarum ciuitas, vt conſtat ex Iſai. cap. 15. 2. 9. Solent autem Hebræi, vt ſæpè monuimus, ciuitates filias appellare. *Vaſtator Moab.* genitiuus, id eſt, Chaldæorum rex, qui vaſtabit Moab.

19. *Habitatio Aroer.*] Aroer ciuitas etiam Moabitarum erat, vt putat R. Dauid, quamquam id mihi non videtur eſſe compertum. Nam apud Iſaiam cap. 17.2. cum Damaſco tamquam vicina coniungitur. Damaſcum autem in Phœnicia fuiſſe conſtat. Exiſtimat ergo R. Dauid ſenſum eſſe, ô Aroer cùm cœperint Chaldæi proximas Moabitarum vrbes vaſtare, interroga eos, qui ex illis fugerint, quidnam acciderit, quia ſimile tibi exitium impendet. quaſi dicat. *Horatius*

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet. *epiſt. 18 lib. 1.*

Hoc idem nomen ערוער. ſuprà ver. 6. noſter interpres vertit myricam: idémque ſenſus mihi videtur poſſe in hunc conuenire; quaſi dicat, Habitatrix myricæ, id eſt, ô vos, qui in ſolitudine inter myricas habitatis, cùm videritis homines ex vrbibus ad montes, vbi vos eſtis, confugientes. interrogate quid acciderit. *Interroga fugientem, & ei qui euaſit, dic.* H. נס ונמלטה, interroga profugũ,&

Z 2 profu-

profugam. Nam & alterum nomen eſt maſculini generis, alterum fœminini, id eſt, interroga omnes tam viros, quàm mulieres, vt adnotat R. Dauid.

20. *Confuſus eſt Moab.*] Hæc eſt reſponſio Moabitarum fugientium, *Quoniam victus eſt*. H. חתה. contrita eſt genere fœminino, vt ad primum nomen ad עם. populum ſecundum ad עיר, vrbem referatur. Sicut verſu præcedenti dixit. נס. profogum, & נמלטה. profugam.

21. *Iudicium venit.*] Iudicium vocat Dei punitionem, & flagellum. Loquitúrque de rebus futuris, quaſi iam præteritæ eſſent Prophetarum more, quæ autem ſequuntur vſque ad ver. 25. nomina ſunt ciuitatum Moabitarum.

25. *Abſciſſum eſt cornu.*] id eſt, regnum Moab. Cornu enim per metaphoram regnum, aut regem ſignificat, quia ſicut taurus in cornibus omne ſuum robur habet, ita rex in regno, aut regnum in rege. Sic Apocal. 17. 12. *Decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt*. Et Lucæ 1. 69. *Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui*, id eſt, excitauit nobis regem ex domo Dauid, qui nobis ſalutem afferat. Poteſt etiam cornu hoc loco gloriam & ſuperbiam ſignificare, vt Pſal. 74. 5. 6. *Nolite exaltare cornu, nolite tollere in altum cornu veſtrum*: ac ſi dicat, deiectus eſt Moab de gloria, & arrogantia; ſicut dixit ver. 18. *Deſcende de gloria. Et brachium eius.* idem ſignificat brachium, quod cornu. Eſt enim repetitio. Chald. Paraphraſt. ſucciſum eſt regnum Moabitarum, & dominatores eorum contriti ſunt.

26. *Inebriate eum.*] Vino iræ Dei, O vos Chaldæi, qui diuinæ iuſtitiæ miniſtri, & executores eſtis, id eſt, implete cum afflictionibus, ita vt neſciat attonitus quò ſe vertat. Propinate illi calicem furoris Domini: vt Iſai. 51. 17. *Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius: vſque ad fundũ calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad feces*. Et ſuprà apud hunc ipſum Prophetam, cap. 25. 15. 16. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea; & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Et allidet manum Moab in vomitu ſuo*, id eſt, cadet in terram, & manus allidet vomens præ ebrietate. Hebr. ספק. plaudet manibus, aut, voluet ſeſe ſicut ebrius, qui vomit, huc, illuc. vt Rab. Dauid interpretatur, vt Pſalm. 106. 27. *Moti ſunt, ſicut ebrius*. Et Iob 12. 25. *Errare eos faciet, quaſi ebrios*. Et Iſai. 19. 14. *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens*. Et cap. 51. 21. *Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non à vino. Et erit in deriſum etiam ipſe*, id eſt, ſicut deriſit Iſraël cùm ab hoſtibus affligeretur, vt dicit ver. ſeq. ita etiam deridebitur.

27. *Fuit enim in deriſum tibi.*] Chaldæus Paraphraſtes in eundem ſenſum, quem noſter interpres reddidit, & quia lætati eſtis propter exitium Iſraël, cùm in vos non peccauiſſent, quaſi inter fures reperti eſſent, multáque contra eos verba dictitaſtis. ideo in captiuitatem ducemini. Quorſum dicit, *Quaſi inter fures repeRiſſes eum*? non enim fures rideri ſolent, ſed occidi. Ideo dicit, quia fures cùm deprehenſi iam ſunt, ac tenentur; irridentur ab omnibus, ſicut lupi, & conuitijs afficiuntur; vt dixit ſuprà Ieremias cap. 2. 26. *Quo modo confunditur fur, quando deprehenditur; ſic confuſi ſunt domus Iſraël, ipſi & reges eorum, principes, & ſacerdotes, & Prophetæ eorum*, Hebræi per interrogationem legunt. ואם לוא חשחק היה לך. an non in riſum fuit tibi Iſraël? an inter fures deprehenſus? כי מדי דבריך בו תתנודד. quia à verbis tuis de illo commouiſti te, id eſt, quia ex quo de illo loqui cœpiſti; aut ſimulátq; de illo incipi loqui, quotieſcunque tibi

tibi de illo ſermo eſt, commoues te lætitia, id eſt, gaudio exultas. vt R. Dauid exponit: vel, vt ait R. Salom. quoties de illo loqueris מנהיד בראשך. moues caput tuum, ac derides eius vaſtationem, aut vt idem R. Salom. aliter interpretetur, ex quo cœpiſti de illo loquens lætari; motus es, vt in captiuitatem ires. Sept. longè á verbis Hebraicis diſceſſerunt.

28. *Habitate in petra.*] id eſt, in locis deſertis, & petroſis, aut in rupibus montium, vt dixit ver. 6. *Eritis quaſi myrice in deſerto. In ſummo ore foraminis.* בעברי פי פחת. in extremitatibus oris foraminis, id eſt, in ſummis ſciſſuris rupium. Nemo mihi videtur tam bene hũc locum vertiſſe, atque noſter interpres.

29. *Et altitudinem cordis eius.*] repetendum eſt idem verbum. *Audiuimus*, λαὸ κοινῶ. exaggerat ſuperbiã Moabitarum multorum verborum idem ſignificantium conglobatione.

30. *Quod non ſit iuxta eam.*] (iactantiam) *virtus eius*, id eſt, quòd eius vires iactantiæ non reſpondeant, plura enim iactat, quàm poſſit facere, vt clariùs dixit Iſai. cap. 16. 6. *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plus quàm fortitudo eius. Neque iuxta quod poterat, conata ſit facere*, id eſt, non conſuluerit vires ſuas, non viderit, quid ferrent humeri, ſed plus conata ſit facere, quàm præſtare poſſet. Meliùs mihi videtur noſter interpres ſenſum expreſſiſſe, quàm Hebræi. Quorum alij interpretantur. אני ידעתי עברתו. Ego noui indignationem eius, id eſt, odium contra Iſraël, vt R. Salom. Noſter interpres iactantiam reddidit; non enim hîc de odio agitur; ſed de ſuperbia. ſuperbia autem, arrogantia, iactantia, indignatio pro eodem accipiuntur, quia indignatio ſuperbi, & elati animi indicium eſt, vt apud Iſai. cap. 16. 6. & apud poëtam quendam Latinum.

Vulgata interpretatio probatur.

----*vana eſt ſine viribus ira.*

Alij, ego noui indignationem eius, ולא כן & mendacia eius. Alij iungunt hæc verba cum ſequentibus. ולא כן בדיו. & non ſic vires eius, aut ad verbum, membra eius, id eſt, vires eius non reſpondent indignationi eius. Ego Hebraica ſic interpretor, vt noſter interpres videtur interpretari. Ego noui indignationem eius ולא כן. & non ſic, vel, non veritas, id eſt, quòd vana ſit, & vires eius excedens. בדיו לא כן עשו. membra eius, id eſt, vires eius non ſic facient, id eſt, non potuerunt præſtare, quidquid eius indignatio iactauit. Alias interpretationes R. Dauid, & R. Salom. & Chaldæi Paraphraſt. & Sept. ne longior ſim, conſilio prætermitto.

31. *Ad viros.*] id eſt, propter viros אל אנשי. *Muri fictilis*, id eſt, qui lateritijs muris cingebantur, vt ſibi in tutò eſſe viderentur. Hebræi verò, vt R. Salom. & R. Dauid, dicunt nomen proprium eſſe vrbis, quæ קיר חרש. *Cir cheres* vocabatur apud Moabitas. Sic etiam putarunt Septuaginta nomen Hebraicum relinquentes Κειραδὰς, noſter interpres reddit murum fictilem, ſicut apud Iſai. c. 16. 7. *Lamentantes*, יהגה. Lamentabitur, ſub. Moab. vt vult R. Dauid, vel, cor meum, vt alij dicunt.

32. *De planctu Iazer.*] Iazer & Sabama duas fuiſſe Moabitarum ciuitates, & ex hoc ipſo loco & ex Iſai. cap. 16. 9. manifeſtum eſt. Interpretantur Hebræi Iazer priùs captam fuiſſe, quàm Sabama: cúmque populus Sabama, vt ait, R. Dauid, audiuiſſet planctum populi Iazer, hæc verba dixiſſe מבכי. de planctu aut à planctu Iazer, id eſt, quia audio planctum vicinæ Iazer, incipiam te quoque plorare ô mea ciuitas Sabama. quia ſcio tibi idem, quod illi, venit excidium, eſſe venturum. Alij putant verba eſſe Prophetæ: quod ego magis credo,

&,vt videtur R.Salom. ita exiſtimat: quaſi Propheta animo proſpiciens priùs quidem excidium Iazer, deinde Sabama, miſerans, aut ſimulata miſerantis perſona dicat מבכי. à fletu, id eſt, propter fletum Iazer. Sæpe enim huiuſmodi
Hebraiſmus frequens. Hebraiſmum explicauimus. vt Pſalm. 37. 9. *Rugiebam à gemitu cordis mei*, id eſt, propter gemitum cordis mei. Et Pſalm. 103. 7. *A voce tonitrui tui formidabunt*, id eſt, propter ſtridorem tonitrui tui. Accedit quod Iſai. cap. 16. 9. hanc ipſam ſententiam ſcribens dixit בבכי propter fletum. Alij exponunt, מבכי. à fletu, id eſt, fletu ſimili illi fletui, quo fleui Iazer. Atque hoc ſenſu Septuaginta verterunt. *ὡς κλαυθμὸν Ιαζηρ ὥστε κλαύσομαί σοι ἄμπελος Σαβαμά. Iuxta planctum Iazer, plangam te vinea Sabama.* Chaldæus Paraphraſtes exiſtimauit hæc eſſe verba Dei, actiuéque accipienda, quaſi dicat, ſicut feci flere Iazer, ita flere te faciam vinea Sabama. Vertit enim, ſicut adduxi exercitum contra Iazer, ſic adducam interfectores contra Sabama. *Plorabo tibi*, id eſt, propter te, vt ait R. Dauid, *Vinea Sabama.* Vſitatum eſt apud Prophetas, vt ciuitates vineæ, ciues vites appel-
Vineæ nomine ciuitatem appellare Hebræis vſitatum. lentur, vt ſupra cap. 2. 21. *Ego plantaui te vineam electam.* & cap. 12. 10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam.* Et Iſai. 3. 14. *Vos enim depaſti eſtis vineam meam.* Sicut & Chriſtus Eccleſiam vineam vocat, Chriſtianos palmites. Matth. 20. & 21. & Ioan. 15. 5. *Propagines tuæ*, id eſt, ciues tui vltra mare in captiuitatem ducti ſunt, vt R.Salom. & R.Dauid interpretantur. Vel, quod mihi magis placet, *propagines tuæ tranſierunt mare.* id eſt, multitudo tuorum ciuium vſque ad mare, & vltrà perueniebat. quaſi dicat, nimis fertilis eras, nimis longè mittebas ſarmenta tua, oportet, oportet te amputare. Hæc enim phraſis nimiam fertilitatem ſignificare ſolet, vt Pſalm. 79. 12. *Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumen propagines eius.* & Iſa. 16. 8. *Propagines eius relictæ ſunt, tranſierunt mare*, id eſt, propagines eius, quæ adeo longæ erant, vt mare tranſire viderentur, abſciſſæ ſunt, aut conculcatæ vt illic explicauimus.

33. *Ablata eſt lætitia.*] Lætitiam vocat non quamcumque, ſed eam, qua meſſores, & vindemiatores exultare ſolent, vt ex præcedentibus, & ſequentibus apparet. Dixerat enim verſu præcedenti, *Super meſſem tuam, & vindemiam tuam prædo irruit.* Et ſequitur, *Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuſma cantabit.* Itaque hæc tria, lætitia, exultatio, celeuſma idem ſignificant. *De carmelo.* Sæpe apud Iſaiam monuimus nomen Carmeli aliquando proprium eſſe
Carmeli nomen pro quouis agro fertili ſæpe in ſcriptura. montis qui in Iudæa; & alterius montis, qui in Tyriorum regione erat: aliquando verò eſſe appellatiuum, omnémque fertilem agrum ſignificare: atque ita accipitur hoc loco, vt adnotat R. Dauid; nam apud Moabitas, de quibus hic agitur, non legimus vllum fuiſſe montem, qui Carmelus diceretur. *Nequaquam calcator.* explicat, quomodo lætitia, & exultatio auferenda ſit, quia non erit calcator, qui ſolitum canat celeuſma. Eſt autem *κέλευσμα, celeuſma*, vt
Celeuſma quid. ſuprà cap. 25. 30. explicatum à nobis eſt, cantus, quo qui ſimul laborant, ſeſe cohortari ſolent, vt remiges, & qui in torculari calcant, aut prælum torquent, vt poeta quidem dixit,

Martial epigram. 25. lib. 3. *Lentos figitis ad celeuſma remos.*

H. לא ידרך הידד הידד לא הידד. Ad verbum. Non calcabit celeuſmate, celeuſma non celeuſma, id eſt, Calcator vuæ non calcabit cum celeuſmate, celeuſma non erit celeuſma, id eſt celeuſma, quod antè calcantes cantabant, non ampliùs vocabunt celeuſma, vt ait R.Dauid: aut celeuſma non erit celeuſma, ſed luctus, vt quidam ex noſtris interpretantur: aut celeuſma non erit celeuſ-
Interpretatio auctoris. ma adhortantium ſeſe ad calcandum, ſed ad fugiendum, vt exponit R. Salom.

Ego

Digitized by Google

Ego ex aliorum locorum collatione ita interpretor. Celeuſma non iam erit celeuſma calcantium cohortantium ſe ad laborem: ſed erit celeuſma hoſtium cohortantium ſe ad cædem Moabitarum, & ad conculcationem meſſis, & vindemiæ eorum, Dixit enim v. 32. *Super meſſem tuam, & vindemiam tuam prædo irruet.* &c. 25. 30. *Celeuſma quaſi calcantium concinetur aduerſus omnes habitatores terræ.* & infrà c. 51. 14. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam, quoniam replebo te hominibus quaſi brucho & ſuper te celeuſma cantabitur.* Iſa. c. 16. 9. *Super vindemiam tuã, & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit,* H. הידד. celeuſma ſicut hoc loco.

34\. *De clamore Heſebon.*] id eſt, Clamor Heſebon, cùm capietur vſque Eleale, & Iaſa audietur: vel, vt alij explicant, ab Heſebon vſque ad Eleale, & Iaſa fugientes clamauerunt. Omnes quæ hîc nominantur Moabitarum ciuitates ſunt. *Vitulam conternantem.* Quæ ciuitas Oronaim ſimilis eſt vitulæ conternanti. H. שלישיה. trium annorum, trienni; quod idem noſter interpres ficto nouo verbo ſignificare voluit. Nam conternare dixit, pro, tertium annum agere, vt etiam apud Iſa. c. 15. 5. Sic enim legendum, non vt aliqui libri habent, Conſternantẽ, quod neque cum Hebraica veritate conuenit, neque ſenſum accommodatum habet. Sept. exiſtimantes nomen eſſe ciuitatis, quæ ita vocaretur, nomen ipſũ Hebraicum integrum reliquerunt, ἐγλὰ σαλισία. Alij in nominatiuo interpretantur, Vitula triennis, vt referatur ad Moab, quæ vitula triennis, vt ait R. Dauid, appellatur, id eſt, bona, pulchra, pinguis, exultans: ea enim ætate vitulæ elegantiores, ac fortiores eſſe ſolent. quaſi dicat, fore vt, cùm Moab maximè florebit, maxima illi calamitas ſuperueniat, vt ſup. c. 46. 20. *Vitula elegans atq; formoſa, Ægyptus; ſtimulator ab Aquilone veniet ei.* Oſee 10. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram,* id eſt, pinguis, quia ſolent boues triturantes pingues eſſe, *Et ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius. Aquæ quoq; Nemrim.* Nẽrim locus erat multis aquis irriguus in Moabitide. Iſa. 15. 6. *Peſſimæ erunt,* id eſt, turbabuntur multitudine calcantiũ hoſtium. H. למשמות יהיו. indeſolationes erunt, id eſt, deſertæ, vt ait Iſa. c. 15. 6. Quia non erunt habitatores, qui illis vtantur, vt exponit R. Dauid.

Conternare eſt tertium annum agere

Quid fuerit Nemrim.

35\. *Auferam.*] id eſt, de medio tollam, diſperdam omnes idololatrias Moab. duo genera ſacrificij poſuit, pro omni idololatria.

36\. *Cor meum ad Moab.*] id eſt, propter Moab. למואב. *quaſi tibiæ reſonabit,* id eſt, gemet, ſuſpirabit, ſicut tibia lugubre carmen reſonans, vt apud Iſai. 16. 11. *Super hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit,* Et apud Matth. 11. 17. & Lucam 7. 32. *Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis, lamentauimus,* (id eſt, triſte carmen tibijs cecinimus) *Et non planxiſtis. Ad viros muri fictilis.* Ad viros, קיר חרש. *Cercheres.* nomen enim eſt proprium vrbis, vt ſuprà adnotauimus verſu 31. & Iſaias cap. 16. 7. 11. Verba ſunt Prophetæ, perſonam & affectum hominis Moabitæ inducentis, vt futuram vaſtationem ob oculos ponat. *Quia plus fecit,* id eſt, quia plùs conatus eſt facere Moab, quàm poterat: quaſi dicat, propter ſuperbiam, & arrogantiam ſuam perierunt, vt verſu trigeſimo. *Ego ſcio iactantiam eius, & quod non ſit iuxta eam virtus eius; neque iuxta quod poterat conata ſit facere.* Heb. עלכן יתרת עשה אבדו. ad verbum, quia plus fecit, perierunt, aut, quia reliquum fecit, perierunt. quod aliqui ita interpretantur, propterea, inquam, lugebo, quia diuitiæ quas acquiſierant perierunt, vt Septuaginta & Chald Paraphraſtes verterunt, & vt R. Dauid exponit. Sed multò meliùs meo iudicio noſter interpres, על כן יתרת עשה. quia plus fecit (ſub. quàm potuit) perierunt. mutat autem numerum, quia loquitur collectiuè de populo.

37\. Omne

37. *Omne enim caput.*] id eſt, ſuper omne caput caluitium erit. Deſcribit miſerabilem Moabitarum luctum, ex habitu captiuorum, & lugentium. ſolebant Iudæi, & vicinæ Iudæorum gentes in magno luctu capillum & barbam vellere, & ſacco indui, vt docuimus capite præcedenti, verſu 5. quemadmodum Romani è contrario, in luctu barbam, capillúmque promittebant, vt ex nonnullis M. T. Ciceronis locis diſcimus. Id apparet Deut. 14. 1. & Iſai. 15. 2. *In cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Et cap. 22. 12. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum ſacci.* Et Ezech. 7. 18. *In omni facie confuſio. & in omnibus capitibus eorum caluitium.* Et Amos 8. 10. *Inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput caluitium. Et omnis barba raſa erit.* H. גרעה. ad verbum, imminuta, id eſt, inæqualiter, & turpiter euulſa, vt illi, quibus dimidia pars barbæ, ignominiæ cauſa raſa fuerat, 2. Reg. 10. 4. *In cunctis manibus colligatio,* id eſt, vincula, quod captiuitatem ſignificat. ſolent enim captiui duci, vt poeta dicit, — *manibus poſt terga reuinctis.* H. על כל ידים גדודת. ſuper omnes manus inciſiones, vt R. Salom. & R. Dauid interpretantur, quo etiam ſenſu Sept. tranſtulerunt, *καὶ πᾶσαι χεῖρες κόψονται, Et omnes manus incidentur.* Solebant enim illæ gentes in luctu manus ſibi, & brachia, aut vnguibus lacerare, aut cultellis incidere, vt cõſtat Deut. 14. 1. & Leuitic. 19. 28. Et 3. Reg. 18. 28. & ſuprà apud hunc ipſum Prophetam, cap. 16. 6. *Non ſepelientur, neque plangentur, & non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis.*

Luctus ſigna apud Iudæos & Romanos.

Orat. pro Seſt. Cn. Plãc. &c.

38. *Super omnia tecta.*] Putat R. Dauid על. *ſuper* ſignificare hoc loco materiam, non locum, vt ſenſus ſit, fore vt homines Moabitæ, cùm captiui ducentur, tecta ſua reſpiciant, & ea defleant: ſicut Chriſtus reſpexit ciuitatem, & fleuit ſuper eam, Luc. 19. 41. Ego aliter interpretor, ſicut ſuprà alios duos ſimiles locos expoſuiſſe memini, c. 19. 13. Erant in Iudæa tecta ſupernè aperta, & complanata, ſtratáq; lateribus, & lita cæmento, qualia hodie in Bœtica noſtra, & in Italia ſunt multa, vt etiam Hieron. adnotauit in epiſt. ad Suniam, & fretellam de correctione Pſalmorum, Romæq; ſolaria, vel mœniana vocari dicit, quo verbo Sueton. in Calig. c. 18. vſus eſt. Itaq; in tectis in hyeme apricabantur, in æſtate noctu cœnabant, & ſub dio dormiebant, & ſæpe ad confabulandum conueniebant Iudæi. Ex quo illud intelligitur, *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta,* Mat. 10. 27. Et quod legimus in Actis Apoſt. c. 10. 9. Petrum aſcendiſſe orandi cauſa *ἐπὶ τὸ δῶμα, in tectum.* Et quod præcipitur Iudæis, Deut. 22. 8. facere murum tecti per circuitum, ne quis ex eo cadat & homicidij rei ſint. Significat ergo futurum, vt omnia plena ſint planctus, & loca publica, vt plateæ; & priuata, vt tecta. *Omnis planctus,* id eſt, omne genus planctus, virorum, fœminarum, puerorum; aliorum, qui patres interfectos; aliorum, qui captos, aliorum, qui bona ſua direpta; aliorum, qui ſe ipſos plangant, vt in vrbis expugnatione fieri ſolet. *Sicut vas inutile,* id eſt, reprobatum. hac enim metaphora vaſis vtilis & inutilis, prædeſtinati & reprobati deſignari ſolent. vt ad Rom. 9. 21. 22. 23. & 2. ad Thimoth. 2. 20. 21. Heb. ככלי אין חפץ בו. ſicut vas, in quo non eſt voluntas, id eſt, quo nemo iam vti vult. Rectè noſter interpres, *Inutile*: ſicut è contrario D. Paulus hominem prædeſtinatum vocat vas vtile ad omne opus bonum 2. ad Timoth. 2. 21. eodem modo Sept. *ὡς ἀγγεῖον οὗ οὐκ ἔστιν χρεία αὐτοῦ. ſicut vas, cuius nullus eſt vſus.*

39. *Quomodo victa eſt?*] Moabitis regio איך חתה. quomodo confractus eſt (Moab) id eſt, quomodo regnum Moab attritum eſt. *Et vlulauerunt*; mutat

mane-

Digitized by Google

numerum ; quia collectiuè loquitur de omni populo. R. Salom. & alij Hebræi interpretantur, Moabitæ vlulabunt dicentes, quomodo confractus eſt Moab; *Quomodo deiecit ceruicem?* Alludit ad vitulam triennem, quo nomine Moab appellauerat ver. 34. quòd ceruicem haberet ſuperbã, & non dum ſubactam iugo. quaſi dicat, Quomodo Moab vitula illa elegans, & indomita, *Submiſit triſti colla ſuperba iugo?* vt poëta quidem dixit. *Eritque Moab*. Hebraicè præteritũ eſt. והיה, & factus eſt; referturque ad idem verbum, vlulabunt dicentes, *factus eſt Moab in deriſum, & in exemplum*. H. ולמחתה. & in terrorem, id eſt, in exemplum terroris, vt omnes vicinæ gentes, eius vaſtationem videntes, timeant, ne idem aliquando ſibi accidat.

40. *Quaſi aquila volabit.*] hoſtis Nabuchodonoſor vt R. Salom. & R. Dauid exponunt: quare ſuprà columba vocatus eſt, quorundam interpretum opinione c. 25. 38. & c. 46. 16. & infrà c. 50. 16. Aquila citiſſimi volatus eſt, raptuq; viuit. ſignificat ergo hoſtem celerrimè venturum, & Moabitidem regionem direpturum. *Alas ſuas*. alas vocat exercitus, vt Chald. interpretatur: nam & Latini in exercitu duas extremas partes, & latera alas appellant.

41. *Capta eſt Carioth.*] הקריות. R. Dauid, & Ionath. exiſtimant non eſſe nomen proprium, ſed appellatiuum ciuitatis numero plurali, propter ה. demonſtratiuum, quod nominibus propriis iungi non ſolet. Meliùs noſter interpres, & Sept. & inter Hebræos R. Salom. nomen proprium efficiunt ſingularis numeri; nam & verbum נלכדה. ſingularis numeri, & fœminini generis eſt, vt Ioſue 15. 24. *Sicut cor mulieris parturientis*. מצרה. in anguſtiis (partus) conſtitutæ, id eſt, parturientis, ſicut Sept. & Chaldæus Paraphraſtes etiam tranſtulerunt, id eſt, erit infirmum, & plenum doloris.

42. *Et ceſſabit Moab.*] נשמד מעם. perdetur à populo. Hebraïſmus, pro, ita abolebitur, vt non ampliùs ſit populus, id eſt, non ampliùs habitetur, vt 1. Reg. 15. 26. *Proiecit te Dominus*. מהיות. ab eſſe, id eſt, *ne ſis rex ſuper Iſraël*. Itaq; rectè noſter interpres. *Quoniam contra Dominum*, id eſt, contra Iſraël populum Domini, vt dixit ver. 27. Nam qui eos tangebat, tangebat pupillam oculi Domini, Zachar. 2. 8.

43. *Pauor.*] Pauorem vocat hoſtilem gladium, foueam caſum improuiſum, laqueum inſidias ab hoſte poſitas ad capiendos Moabitas, & in captiuitatem abducendos. Itaque ſignificat fore, vt alij gladio interficiantur, alij dum fugiunt in foueam cadant, id eſt, aliquo improuiſo caſu pereant; alij ſicut aues laqueo viui capiantur, & in ſeruitutem redigantur. Ponit autem hæc tria periculorum genera loco omnium, vt explicatur duobus verſibus qui ſequuntur. Ita apud Iſai. c. 24. 17. 18. *Formido, & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ. Et erit qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, & qui ſe explicauerit de fouea, tenebitur laqueo.* Eſt autem Hebraïcè elegans παρανομασία, inter hæc tria nomina, פחד. פחת. פח. quæ Latinè exprimi non poteſt. *Elegans Hebraica paranomaſia.*

44. *Adducam enim ſuper Moab.*] H. כי אביא אליה אל מואב. quia adducam ſuper eam, ſuper Moab, id eſt, ſuper ipſam Moab. Hebraïſmus eſt firmitatem ſignificans ſententiæ, aut demonſtrationem, vt ait R. Dauid, quaſi Propheta Moab digito demonſtret. *Annum viſitationis eorum*, id eſt, punitionis; nota eſt phraſis. mutat numerum, quia de populo loquitur, qui & vnus eſt, & multi

45. *In vmbra Heſebon.*] id eſt, qui manus, & inſidias hoſtium effugient, recipient ſe in protectionem, & fidem Heſebon. *Quia ignis egreſſus eſt de Heſebon*, id eſt, milites fortes, & quaſi ignis ardentes, & omnia depopulantes, vt

Aa Hebræi

Hebræi interpretantur. *Et flamma de medio Sion.* Vitioſè ſine aſpiratione ſcriptum eſt. Nam ſine aſpiratione ſignificat montem, vbi templum Ieroſolymitanum ſitum erat, Sihon verò cum aſpiratione vrbs eſt Moabitarum, vt ait R. Salom. in comm. in hunc locum. H. *In vmbra Heſebon ſteterunt.* מכח נסים à fortitudine fugientes, id eſt, propter fortitudinem hoſtis, vel, defectu fortitudinis fugientes, id eſt, cùm non poſſent iam præ laſſitudine fugere, vt R. Salom. & R. Dauid interpretantur. Huiuſmodi Hebraïſmum ver. 42. adnotauimus. Eodem modo Sept. verterunt. ἀπὸ δυνάμεως φυγόντες. *à fortitudine fugientes.* Noſter interpres non videtur legiſſe מכח. à fortitudine; ſed מפח. à laqueo, quod non differt niſi puncto, ſenſuſque eſt melior; agebat enim de iis, qui è laqueo fugerant. Ionathas interpretatur ſic: *In vmbra Heſebon ſteterunt*, id eſt, propterea quod confiderunt in Heſebon, & illi pauerunt, virtus eorum defecit, & fugerunt, & milites de Heſebon quaſi ignis vrens exierunt, & interfecerunt principes Moab. quaſi dicat, ex Heſebon, in qua ſpem ſalutis poſuerant, interitus illis proceſſit. R. Dauid refert hæc vltima verba ad illud tempus, quo Heſebon & Sehon erant in Amorrhæorum ditione; tunc enim putat ex Heſebon, & Sehon Amorrhæos quaſi flammam ignis exiluiſſe, & maiorem partem Moabitidis deuaſtaſſe, aut vt Hebraïcè eſt, פאת מואב. angulum Moab, id eſt, totam Moab vſque ad vltimum angulum. Ionathæ mihi interpretatio magis placet, quia conuenit cum hiſtoria quæ ſcribitur in Numer. c. 21. 26. 27. 28. *Vrbs Heſebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab; & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, vſque ad Arnon. Ignis egreſſus eſt de Heſebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelſorum Arnon.* Accommodat ergo Propheta rem præteritam ad futuram. quaſi dicat, quemadmodum tunc exiit Sehon ex Heſebon, qui totum regnum Moab quaſi ignis abſumpſit, ita Chaldæi capta Heſebon, in qua Moabitæ maximè confidebant, inde erumpent, & totum regnum occupabunt. *Et verticem filiorum tumultus* id eſt, principes Moabitarum tumultuantium, & ad rebellionem procliuium. H. בני שאון filiorum Saon. Sept. ipſum Hebraïcum vocabulum integrum reliquerunt, æſtimantes nomen eſſe proprium ciuitatis, quod probabilitate non caret.

46. *Væ tibi Moab. Periſti.*] אבד. periit populus Chamos, ſicut Sept. verterunt, id eſt, populus Moabitarum, qui idolum Chamos adorabat. 3. Reg. 11. 5. 7. 33. & 4. Reg. 23. 13. *Quia comprehenſi*, pro, comprehendentur. præteritum pro futuro. Sententia ſumpta ex libro Num. c. 21. 29. Sed illic agitur de re præterita. hic de futura. quaſi dicat, quemadmodum olim periit Moab, & filij eius capti ſunt, ita nunc peribit, filiique eius capientur.

47. *Et conuertam.*] Hebræi hoc referunt ad tempus Chriſti, quo tempore Moabitæ erant ex captiuitate reuocandi, vt R. Dauid interpretatur, vt dicitur cap. ſequenti ver. 6. de Ammonitis, & ver. 39. de Ælan. *Huc uſque iudicia Moab.* H. משפט. iudicium, id eſt, ſententia à Deo profligata, prophetia contra Moab. Quod ideo Propheta addidit, vt ait R. Dauid, quia prophetia longa fuerat & difficilis.

Sion, & Sihon quid ſignificant.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XLIX.

*AD filios Ammon. Hæc dicit Dominus: Numquid non filij ſunt Iſraël? aut
hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditate poſſedit Melchom, Gad: & populus eius
in vrbibus eius habitauit?* 2 *Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus: & au-
ditum faciam ſuper Rabbath filiorum Ammon fremitum prælij, & erit in tumulum diſſi-
pata, filiæque eius igne ſuccendentur, & poſſidebit Iſraël poſſeſſores ſuos, ait Dominus.*
3 *Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hai, clamate filiæ Rabbath, accingite vos ci-
liciis: plangite & circuite per ſepes: quoniam Melchom in tranſmigrationem ducetur, ſa-
cerdotes eius, & principes eius ſimul.* 4 *Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis
tua filia delicata: quæ confidebas in theſauris tuis, & dicebas: Quis veniet ad me?*
5 *Ecce ego inducam ſuper te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui
ſunt in circuitu tuo: & diſpergemini ſinguli à conſpectu veſtro, nec erit qui congreget fu-
gientes.* 6 *Et poſt hæc reuerti faciam captiuos filiorum Ammon, ait Dominus.*
7 *Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non vltrà eſt ſapientia
in Theman: periit conſilium à filijs: inutilis facta eſt ſapientia eorum.* 8 *Fugite &
terga vertite, deſcendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Eſaü
adduxi ſuper eum, tempus viſitationis eius.* 9 *Si vindemiatores veniſſent ſuper te,
non reliquiſſent racemum: ſi fures in nocte rapuiſſent quod ſufficeret ſibi.* 10 *Ego diſ-
cooperui Eſaü, reuelaui abſcondita eius, & celari non poterit: vaſtatum eſt ſemen eius, &
fratres eius, & vicini eius, & non erit.* 11 *Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vi-
uere: & viduæ tuæ in me ſperabunt.* 12 *Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat
iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quaſi innocens relinquêris? non eris
innocens, ſed bibens bibes.* 13 *Quia per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quòd in ſo-
litudinem & in opprobrium, & in deſertum, & in maledictionem erit Boſra, & omnes
ciuitates eius erunt in ſolitudines ſempiternas.* 14 *Auditum audiui à Domino, &
legatus ad gentes miſſus eſt. Congregamini, & venite contra eam, & conſurgamus in
prælium.* 15 *Ecce enim paruulum dedi te in Gentibus, contemptibilem inter homi-
nes.* 16 *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis
petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis, cùm exaltaueris quaſi aquila nidum
tuum, inde detraham te: dicit Dominus.* 17 *Et erit Idumæa deſerta: omnis qui tran-
ſibit per eam, ſtupebit & ſibilabit ſuper omnes plagas eius.* 18 *Sicut ſubuerſa eſt Sodo-
ma & Gomorrha, & vicinæ eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam
filius hominis.* 19 *Ecce quaſi leo aſcendet de ſuperbia Iordanis ad pulchritudinem robu-
ſtam: quia ſubitò currere faciam eum ad illam; & quis erit electus quem præponam ei:
quis enim ſimilis mei? & quis ſuſtinebit me? & quis eſt iſte paſtor, qui reſiſtat vultui
meo?* 20 *Propterea audite conſilium Domini quod iniji de Edom: & cogitatio-
nes eius, quas cogitauit de habitatoribus Theman. Si non deiecerint eos paruuli gre-
gis, niſi diſſipauerint cum eis habitaculum eorum.* 21 *A voce ruinæ eorum com-
mota eſt terra: clamor in mari rubro auditus eſt vocis eius.* 22 *Ecce quaſi aquila
aſcendet & auolabit: & expandet alas ſuas ſuper Boſram, & erit cor fortium Idumææ
in die illa, quaſi cor mulieris parturientis.* 23 *Ad Damaſcum. Confuſa eſt Emath
& Arphad: quia auditum peſſimum audierunt, turbati ſunt in mari, præ ſolicitudine
quieſcere non potuit.* 24 *Diſſoluta eſt Damaſcus, verſa eſt in fugam: tremor ap-
prehendit eam: anguſtia & dolores tenuerunt eam quaſi parturientem.* 25 *Quo-
modo dereliquerunt ciuitatem laudabilem, vrbem lætitiæ?* 26 *Ideo cadent iuuenes
eius in plateis eius: & omnes viri prælij conticeſcent in die illa, ait Dominus exercituum.*

Digitized by Google

27 *Et ſuccendam ignem in muro Damaſci, & deuorabit mœnia Ben-adad.* 28 *Ad*
Cedar, & ad regna Aſor, quæ percuſſit Nabuchodonoſor rex Babylonis. hæc dicit Domi-
nus: Surgite, & aſcendite ad Cedar, & vaſtate filios Orientis. 29 *Tabernacula eorum,*
& greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vaſa eorum, & camelos eorum tollent ſi-
bi: & vocabunt ſuper eos formidine in circuitu. 30 *Fugite, abite vehementer, in vorá-*
ginibus ſedete qui habitatis Aſor, ait Dominus: iniji enim contra vos Nabuchodonoſor
rex Babylonis conſilium, & cogitauit aduerſum vos cogitationes. 31 *Conſurgite, & aſ-*
cendite ad gentem quietam, & habitantem confidenter, ait Dominus: non hoſtia, nec
vectes eis, ſoli habitant. 32 *Et erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo iu-*
mentorum in prædam: & diſpergam eos in omnem ventum, qui ſunt attonſi in comam: &
ex omni confinio eorum adducam interitum ſuper eos, ait Dominus. 33 *Et erit Aſor in*
habitaculum draconum, deſerta vſque in æternum, non manebit ibi vir, nec incolet eam
filius hominis. 34 *Quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam aduer-*
ſus Aelam in principio regni Sedeciæ regis Iuda, dicens: 35 *Hæc dicit Dominus*
exercituum. Ecce ego confringam arcum Aelam, & ſumam fortitudinem eorum. 36 *Et*
inducam ſuper Aelam quattuor ventos à quattuor plagis cæli: & ventilabo eos in omnes
ventos iſtos: & non erit gens ad quam non perueniant profugi Aelam. 37 *Et pauere*
faciam Aelam coram inimicis ſuis & in conſpectu quærentium animam eorum: & addu-
cam ſuper eos malum, iram furoris mei dicit Dominus, & mittam poſt eos gladium, do-
nec conſumam eos. 38 *Et ponam ſolium meum in Aelam, & perdam inde reges &*
principes, ait Dominus. 39 *In nouiſſimis autem diebus reuerti faciam captiuos Aelam,*
dicit Dominus.

QVINQVE Prophetiæ hoc capite continentur, non eodem, ſed diuerſo tempore reuelatæ. Prima contra Ammonitas, ſecunda contra Idumæos, tertia contra Damaſcenos, quarta contra regna Aſor, quinta contra Ælam.

Contra Ammonitas prophetia.

1. *Ad filios Ammon.*] id eſt, prophetia ad Ammonitas, aut de Ammonitis, aut contra Ammonitas; hæc enim omnia ל. ſignificare poteſt. Eſt autem titulus prophetiæ, vt cap. ſuperiori ver. 1. *Ad Moab.* Alij hæc verba cum ſequentibus iungunt. *Ad Ammon hæc dicit Dominus*, vt Sept. & Chald. Paraphr. melius noſter interpres. *Nunquid non filij ſunt Iſraël?* Iſraëli. Tribus Gad vicina erat Ammonitis, qui cùm Iſraëlitæ in captiuitatem ducti eſſent, in eorum poſſeſſiones irruerunt, quaſi de Iſraël actum eſſet, neque filios & hæredes haberet, qui poſt captiuitatem in patriam terram redituri eſſent. Erant autem Ammonitæ fratres Iſraëlitarum, ſicut & Moabitæ, vtrique ex Lot progeniti, Geneſ. 19. 37. 38. Itaque cùm viderent Iſraëlitas abolitos penè eſſe, eorum hereditatem quaſi iure ſuo occuparunt. Hoc eſt, quod dicit, *Nunquid non filij ſunt Iſraël? aut hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditate poſſedit*, cur quaſi hæreditario iure poſſedit *Melchom. Gad*, quemadmodum ſi Iſraël filios & legitimos hæredes non haberet. Melchom idolum Ammonitarum erat, 4. Reg. 23. 13. & hoc ipſo capite ver. 3. atque hoc ſenſu vertit noſter interpres; & Sept. & exponit R Salom. Ponit autem idolum Ammonitarum pro ipſis Ammonitis; ſicut capite præcedenti ver. 46. Alij faciunt nomen appellatiuum מלכם. rex eorum, vt Ionathas, & R. Dauid. Meliùs noſter interpres.

2. *Auditum faciam.*] auditi faciam. והשמעתי. & efficiam vt audiatur clangor bellicus contra Rabbath Ammonitarum ciuitatem, id eſt, inducam aduerſus illam bellum. *Et erit in tumultum.* לתל. in aceruum lapidum & ruderũ, vt ſolent eſſe vrbes dirutæ. *Filiæq; eius*, id eſt, minores vrbes circumuicinæ. Solẽt Hebræi

principem

principem ciuitatem matri, minores filiabus comparare, vt 2. Par. 13. 19. *Et cepit ciuitates eius, Beth-el & filias eius; & Ieſana cum filiabus ſuis; Ephron quoque & filias eius. Et poſſidebit Iſraël poſſeſſores ſuos*, ſui, paſſiuè, id eſt, qui ſe antè poſſederunt: ac ſi dicat, Reuertentur filij Iſraël ex captiuitate, poſſidebúntque non ſolùm terram ſuam, ſed etiam Ammonitarum, qui ipſorum hæreditatem occupantes poſſederant.

3. *Vlula Heſebon.* Heſebôn non erat Ammonitarum, ſed Moabitarum vrbs, vt ſuperiore capite manifeſtum eſt. Sed tamen quia vicina erat Ammonitis, & Ammonitarum vrbes erant deuaſtandæ, monet illam, vt paret ſe ad ſimilem calamitatem excipiendam; ſicut dixit cap. præcedenti ver. 19. *In via ſta, & proſpice habitatio Aroer: interroga fugientem, & ei, qui euaſit, dic, Quid accidit?* Ex hoc loco peſpicuum eſt priùs terram Ammonitarum, quàm Moabitarum fuiſſe vaſtatam, & hanc prophetiam propheta ſuperioris capitis priorem eſſe; ſed non ſeruari ordinem temporis. *Quoniam vaſtata eſt Hai*, ciuitas Ammonitarum. *Clamate filiȷ Rabbath*, id eſt, minores vrbes vicinæ Rabbath, vt verſu præcedenti. *Circuite per ſepes.* R. Dauid dicit ſepes vocari villarum clauſtra, quia cùm muros non habeant, ſepibus ſicut ouilia, & horti cinguntur, ſenſúmque eſſe putat, Ne confugiatis ad vrbes munitas, quia & ipſæ capientur: ſed continete vos intra ſepta veſtra, & plangite. Ego ſimpliciùs interpretor, quemadmodum & R. Salom. videtur interpretari, *Circuite per ſepes*, vt quæratis aliquam latebram, vbi poſſitis deliteſcere. Solent enim qui ab hoſte fugiant ad ſepes vinearum, & hortorum latendi cauſa ſeſe recipere. Chald. ואתהסמו בסיעך. & lacerate vos in tubis, id eſt, publicè. Sept. ἐπὶ ἀναπάλαισθε καὶ κόψασθε ἐπὶ Μολχόμ. *Triſtamini & plangite propter Molchom. Quoniam Melchom,* Ammonitarum Deus, vt ver. 1. expoſuimus, *in captiuitatem ducetur.* Irriſio eſt. quaſi dicat, Deus, veſter, in quo maximè confidebatis in captiuitatem abducetur, non quòd viuens ſit; ſed quòd aureus, vel argenteus, vt capite ſuperiori ver. 7. *Et ibit Chamos in tranſmigrationem: ſacerdotes eius, & principes eius ſimul.* & cap. 43. 12. *Et ſuccendet ignem in delubris Deorum Ægypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos.*

4. *Quid gloriaris in vallibus.*] id eſt, locis irriguis & frugiferis. *Valles enim abundabunt frumento*, Pſalm. 64. 14. *Defluxit vallis tua*, id eſt, vaſtata eſt, ſterilis facta eſt defectu cultoris, vt Iſai. 24. 4. *Luxit, & defluxit terra.* Alij, fluxit aquis, id eſt, abundauit aquis, vt R. Salom. alij. fluxit occiſorum ſanguine, quæ minùs aptè dicta ſunt. *Filia delicata.* H. שובבה. quod alij vertunt, filia rebellis. ſicut & Sept. θυγάτηρ τῆς ἰταμίας. *filia temeritatis*. Chaldæus, regnum inſipiens. שוב. ſignificat auerti, rebellare, ſedere, habitare. Multò ergo meliùs noſter interpres reddidit, filia שובבה. ſedens. id eſt, otioſa, domi ſedens, delicata, non aſſueta labori, quæ nondum captiuitatem experta es, quæ nondum coacta eſt de loco ſurgere, & aliò migrare; vt ſuprà c. 6. 2. *Specioſa & delicata aſſimilaui filiam Sion. Ad eam venient paſtores, & greges eorum, fixerunt in ea tentoria in circuitu.* & Iſai. cap. 47. 8. 9. *Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo, ego ſum, & non eſt præter me ampliùs. Non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem; venient tibi duo hæc ſubitò in die vna, ſterilitas, & viduitas. Quæ confidebas in theſauris tuis.* באצרותיה. Confidens in theſauris ſuis per tertiam perſonam, quam noſter interpres perſpicuitatis cauſa vertit in ſecundam. *Quis veniet ad me?* id eſt, quis accedere audebit ad me? quis me capiet? Noſter interpres explicandi gratia addidit verbum, *& dicebas*, quod Hebraicè non legitur, ſed in-

 telligitur.

telligitur. Quod idem Chald. Paraphr. & Sept. fecerunt.

5 *Terrorem.*] bellicum, milites terribiles. ***Ab omnibus, qui ſunt in circuitu tuo,*** id eſt, efficiam, vt omnes gentes tibi vicinæ irrumpant in te. H. מכל סביביך. ab omnibus circuitibus tuis, id eſt, vndique. ***Singuli à conſpectu veſtro***, id eſt, alij ab aliis. איש לפניו. vnuſquiſque in faciem ſuam, id eſt, vnuſquiſque in locum ſitum, alij huc, alij illuc.

6. *Poſt hæc.*] id eſt, in nouiſſimis diebus, vt dixit de Moab in fine capitis præcedentis, quod intelligitur de tempore Chriſti, quo tempore Ammonitæ cum omnibus gentibus ex vera Diaboli captiuitate liberati ſunt.

Prophe. in contra Idumæos.

7. *Ad Idumeam.*] prophetia. titulus enim eſt prophetiæ, qualis ille ver. 1. *Ad filios Ammon. In Theman*, id eſt, in Idumæa, quæ, vt ait R. Dauid, Theman dicta eſt à Theman filio Elephaz, nepote Eſau, Geneſ. 36. 15. quaſi dicat, quî fit vt Idumæi, qui ſapientes eſſe ſolebant, ſtulti facti ſint? Interrogatio affirmatiua hoc loco, non poſtulat reſponſionem negatiuam, ſed potiùs affirmatiuam, quod aliis locis adnotauimus, frequenter apud Hebræos fieri. *Periit conſilium à filiis*: eius. Ita etiam Chaldæus. Hebraïcè מבנים quod & filios, & intelligentes ſignificat, itaque noſter interpres & Chald. Paraphr. vertunt, *à filiis*. eodémque modo R. Salom. interpretatur. Sept. *ἐκ συνετῶν*, *ab intelligentibus*, ſicut & R. Dauid exponit. quaſi dicat, periit ſapientia ſapientum, & prudentia prudentum reprobata eſt, Iſai. 29. 14. ſicut per Abdiam dicit ver. 8. ***Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam ſapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſau?*** Cùm enim Deus aliquem populum punire vult, ſapientes ab illo tollit, aut ita excœcat, vt neſciant quid agant. *Inutilis facta eſt.* נסרחה. corrupta eſt, ita vt nihil illis prodeſſe poſſit. quaſi dicat, ſtulta facta eſt, vt ſuprà cap. 18. 14. ***Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia.***

8. *Fugite.*] Exhortatur Idumæos ad fugam, ſignificans propè eſſe eorum exitium. *Deſcendite in voraginem*, id eſt, abdite vos in cauernis, & locis ſubterraneis, ne vos hoſtis inueniat. H. העמקו לשבת. ad verbum, profundate ad habitandum, id eſt, habitate in locis profundis, aut longè diſcedite ad habitandum, vt Chaldæus interpretatur. Alij, vt R. Dauid, putant hæc duo verba poſteriora non eſſe imperatiua, ſed præterita poſita pro futuris, vt ſit ſenſus, Fugite, (quia) conuerſi ſunt (hoſtes veſtri contra vos) & deſcenderunt ad habitandum (in terra veſtra) quod mihi nullo modo placet. Alij etiam peiùs, Confuſi ſunt hoſtes veſtri contra vos, cùm ſe fugere ſimulaſſent, & callidum conſilium inierunt ad habitandum in terra veſtra. Eadem ſententia eſt infrà ver. 30. *Habitatores Dedan.*] O vos, qui habitatis in terra Dedan vrbe Idumeæ, quam pro toto Idumæa ponit. *Quoniam perditionem Eſau*, id eſt, Eſau iam diu deſtinatam. Eſau autem vocat Idumæam, quia Eſau Idumeæ habitator & princeps Edom cognominatus eſt, Geneſ. 25. 30. & 36. 1. Ita etiam loquitur Abdias ver. 6. *Adduxi.* adducam, vel, adducere decreui.

9. *Si vindemiatores.*] Interrogatiue legendum, Si vindemiatores veniſſent ſuper te, nonne racemos aliquos reliquiſſent, vt ſolent? vtique reliquiſſent. *Si fures in nocte.* Intelligitur verbum cum negatione, & interrogatione, *ἀπὸ κοινοῦ*. Si fures in nocte veniſſent ad te, nonne rapuiſſent quod ſibi ſufficeret, reliquum tibi reliquiſſent? Intelligitur altera pars comparationis ad explendam ſententiam, vt ſi dicant, vindemiatores reliquiſſent tibi aliquos ſaltem racemos; & fures, quidquid illis non eſſet neceſſarium: hoſtes autem, quos ego ad te mittam, nihil in te relinquent: quod partim explicatur verſu ſequenti. Eadem

Digitized by Google

dem ſententia apud Abdiam verſu 5.

10. *Ego verò diſcooperui Eſaü.*] Idumæam, vt, ver. 8. quaſi dicat, vindemiatores non poſſunt omnes racemos vindemiare, quia aliqui latent inter folia; & fures non poſſunt furari omnia, quia multa ſunt adeo abſcondita, vt ab illis inueniri non poſſint: ego verò ita diſcooperiam, & nudabo Idumæam, & quidquid in ea abſconditum eſt, vt ab hoſtibus inueniri poſſit. *Vaſtatum eſt*, vaſtabitur, *ſemen eius*, omnis eius poſteritas. *Et non erit*. id eſt, ita vt nemo remaneat. ואיננו & non ille. ad verbum. id eſt, & non ampliùs erit Edom. penitus delebitur, ita vt ne veſtigium quidem eius remaneat. Peribit memoria eius cum ſonitu, vt Pſalm. 9. 7. Alij, *Et non erit*. ſub. qui dicat: *Relinque pupillos tuos, ego faciam eos viuere*; iungunt enim hæc verba cum verſu præcedẽti. ita R. Dauid, & Septuaginta.

11. *Ego faciam eos viuere*] Hebraïſmus, id eſt, ego eos nutriam, & viduas tuas protegam. Verba Dei dicentis, vt, cùm Edom in captiuitatem ibit; ſibi relinquat pupillorum ſuorum, & viduarum ſuarum curam; aut, vt ait R. Dauid, & Septuag. vertunt, verba ſunt eorum, qui ſuperſtites in Idumæa manſerint, vt ver. præcedenti explicatum eſt. Ego aliter interpretor. Ita omnes peribunt, vt ne viduæ quidem, & infantes maneant, de quibus ego, qui maximam viduarum, ac pupillorum curam gero, poſſim tibi dicere. *Relinque pupillos tuos*, ego eos nutriam. Atque ita videntur Septuaginta intellexiſſe, ϗ οὐκ ἔστιν ὑπολείπεσθαι ὀρφανόν σου ἵνα ζήσηται. *Et non eſt relinqui orphanum tuum, vt viuat.*

12. *Quibus non erat iudicium.*] id eſt, quos æquum non erat calicem bibere, biberunt. Hebraïſmus. Iudaïcum eſt, pro, æquum eſt, vt ſuprà cap. 26. ver. 11. *Iudicium mortis eſt viro huic*, id eſt, æquum eſt virum hunc mori. Intelligenda autem eſt hæc ſententia per comparationem, quos æquum non erat bibere, comparatione veſtri, id eſt, qui minùs digni erant pœna, quàm vos, ij puniti ſunt, & vos impunes euaditis? nota eſt phraſis, calicem bibere, id eſt, puniri, affligi. Loquitur autem de aliis gentibus, quas Deus propter bella, quæ Iudæis intulerant, afflixit, cùm idcirco minùs contra Iudæos peccauiſſent, quòd eorum fratres non erant: Edom autem, qui frater erat Iacob, maiore pœna dignus erat, quòd fratrem, id eſt, populum Iudæorum, quem iuuare debuit, potiùs vexauerit. Ita interpretantur R. Salomon, & R. Dauid, idque conuenit cum ſimili Abdiæ ſententia ver. 10. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confuſio, & peribis in æternum.* Alij id interpretantur de Iudæis, vt loquatur Deus non ex veritate, ſed ex eorum opinione. Ecce quibus non erat iudicium, id eſt, Iudæi, qui putabant non eſſe æquum vt ipſi, qui populus Dei peculiaris erant, biberent calicem, biberunt, & tu non bibes? Alij minùs etiam accommodatè id de Ieremia, & Baruch, & aliis iuſtis intelligunt, qui vnà cum cæteris afflicti ſunt. *Et tu quaſi innocens.* נקה תנקה. Eſſendo innocens, innocens eris, id eſt, impunis eris omnino: Non eris impunis; ſed שתו תשתה. bibendo bibes, & prorſus exhauries calicem furoris Domini.

Calicem bibere, id eſt, puniri.

13. *Boſra.*] Princeps erat Idumæorum ciuitas, quæ pro toto regno ponitur. *Et omnes ciuitates eius*, minores vrbes, quæ in eius ditione erant, omnes filiæ eius, vt locutus eſt ſuprà verſu 2. & 3. *In ſolitudines ſempiternas*, id eſt, ita vaſtabuntur, & euertentur, vt numquam ampliùs reædificentur. Sicut dicuntur mortui ſempiterni, vt qui non reſurgent, Thren. 3. 6. non quòd numquam reſurrecturi ſint, ſed quòd non ante finem mundi.

14. *Auditum audiui.*]id eſt, audiens audiui, aut rem audiui ego Ieremias à Domino. quaſi dicat, Dominus animo me audire fecit ſententiam contra Boſra, & mandatum, quo ad omnes gentes legationem miſit, vt ad expugnandam Idumæam conſpirarent.

15 *Paruulum dedi te.*]dabo, ponam. Hebraïſmus, id eſt, faciam, vel, facere decreui, deiiciam te, ac deprimam: cùm tu magnus tibi eſſe videare, ô Edon.

16. *Qui habitas in cauernis petræ.*] בחגוי. in ſciſſuris, vt Cantic. 2. 14. hoc eſt, qui tibi inexpugnabilis eſſe videaris, quaſi habites in ſummis ſciſſuris altiſſimarum rupium, vbi aues nidificare ſolent. *Et apprehendere niteris,* תפשי. qui attingis, id eſt, attingere tibi videris altitudinem collis. quaſi dicat, qui tibi videris ſimilis eſſe altiſſimo colli. Alij, qui apprehendis, id eſt, occupas, tenes altitudinem collis, qui habitare tibi videris in ſummo colle. Clarior hic locus apud Abdiam 2.3.4. *Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, etſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Similis de impio ſententia apud Iob. cap. 20. ver. 6. 7. *Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius cœlum tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, vbi eſt?* Et de Capernaum Lucæ cap. 10. ver. 15. *Et tu Capernaum vſque in cœlum exaltata, vſque in infernum demergeris.* Semper enim illud verſum eſt, *Qui ſe exaltauerit, humiliabitur,* Matth. 23. 12.

Sibilus admirationem aut contemptum apud Hebræos ſignificat.

17. *Et ſibilabit.*] id eſt, obſtupeſcet videns ruinas eius, vel contemnet eam videns euerſiones eius. Sibilus apud Hebræos admirationem, aut contemptum ſignificat, vt ſuprà cap. 18. 16. & 19. 8. & 25. 9. 18. & 29. 18, & infrà capite ſequenti ver. 13.

19. *Ecce quaſi leo.*] Variæ ſunt apud interpretes huius loci explicationes. Mihi R. Dauid optimè videtur omnium interpretari. Ecce hoſtis aſcendet quaſi leo, ſi furorem ſpectes, *De ſuperbia Iordanis,* id eſt, tanquam ſuperbus Iordanis, ſicut Iordanis cum nimia aquarum exundatione terram obruit. ſic veniet hoſtis multitudine militum terram operiens, vt ſuprà cap. 46.7. *Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit, & veluti fluuiorum intumeſcunt gurgites eius?* Et Iſai. 8.7.8. *Propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius, & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius.* Et Iſai. 59.19. *Cùm venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit.* Superbiam ergo Iordanis vocat tumentes eius fluctus, vt capite ſequenti, verſu 44. Dixit autem, *de ſuperbia Iordanis*, vt indicaret ex Iudæa hoſtem eſſe venturum, Iudæoſque, poſtquam ex captiuitate reuocati fuerint, Idumæam vaſtaturos, vt prædicit Abdias, ver. 18. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & deuorabunt eos; & non erunt reliquiæ Eſaü. Ad pulchritudinem robuſtam*, id eſt, ad Idumæam, quæ & amœna eſt, & fortis. H. אל נוה איתן. ad habitationem Æthan. Quem aliqui propriũ nomen loci eſſe putant, vt Septuaginta. Et R. Dauid interpretatur Æthan eſſe montem Idumææ, qui vocatur Seir, quaſi hirſutus ab Eſaü, qui hirſutus erat, & in eo habitauit. Geneſ. 36.8.9. Sed meliùs mihi videtur noſter interpres facere nomen appellatiuum, quia cap. ſequenti ver. 44. eadem prorſus verba contra Babylonios dicuntur, atqui non poterat in Idumæa, & in Chaldæa idem eſſe locus. Quare אל נוה איתן. interpretor, ad habitationem fortem, id eſt, ad Idumæam, quæ eſt habitatio fortis, & munita. *Quia ſubitò currere faciam eum,* id eſt,

eſt,ſumma celeritate hoſtem adducam contra Idumæam, H. כי ארגיעה אריצנו מעליה. Quod R.Dauid,& alij eum ſecuti interpretantur,poſtquam quieſcere fecero(Iſraël)currere faciam eum,ab illa,id eſt,faciam cum celeriter in patriam ſuam redire ex Idumæa, vbi exulabat. At neque legimus Iſraëlitas apud Idumæos exulaſſe:etſi legeremus, tamen non id agitur hoc loco, vt Iudæi ex Idumæa redeant,ſed vt in Idumæam irruant,vt ex Abdia verſu 18.manifeſtum eſt. Meliùs ergo R. Salom. ſicut & noſter interpres, & Chaldæus Paraphraſtes, *Subitò currere faciam*, id eſt, momento temporis adducam Iſraël ſuper eam, id eſt,vt ſuperior ſit ea.Hăc enim vim habere dicit R.Salom.præpoſitionem illam מעל. ſicut. Deſuper apud Latinos.Ita quidam poëta, *Virgil. 2. Aeneid.*

Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros;
Inſpectura domos, venturáque deſuper vrbi.

Quis erit electus? id eſt, Electos milites inducam contra eam, vel, vt alij volunt, quem ducem præficiam Idumęæ,vt poſſit eam contra Iſraëlitas defendere?quaſi dicat,nullus reperietur. *Quis enim ſimilis mei*, vt poſſit mihi reſiſtere pugnanti pro Iſraël? *Et quis ſuſtinebit me?* id eſt,quis ferre poterit impetũ meum.H.יעידני. quis conſtituet mihi tempus?id eſt,quis audebit diem mihi præſcribere ad pugnandum contra me,vt R.Salom. & R.Dauid exponunt. *Quis eſt iſte paſtor*,id eſt, quis erit paſtor ille, qui reſiſtat mihi. paſtorem vocat Regem vt Hebræi adnotant, quia rex paſtor populi eſt, ſicut paſſim Homerus ποιμένα λαῶν. Ita etiam ſuprà cap.6.3. *Ad eam venient paſtores,& greges eorum;fixerunt in ea tentoria in circuitu.* Et Iſai. cap. 44. 28. *Qui dico Cyro, paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.*

20. *Audite conſilium.*]id eſt,quid Dominus decreuerit,aduerſus Edom,&quid cogitauerit aduerſus Theman, id eſt, Idumæam, quæ Theman appellabatur à Theman filio Elephaz nepote Eſaü,Geneſ.36.15.vt ſuprà explicauimus ver. 7. *Si non deiecerint eos.* ſi non vicerint,ſi non conculcauerint eos.אם לא יסחבים. ſi non traxerint,aut,reptauerint eos,vt ſuprà cap.22.19. aut ſi non lacerabunt eos,ac diſcerpent,vt cap.15.3. *Paruuli gregis*,id eſt,pueri, qui gregem cuſtodire ſolẽt.Vocat paruulos gregis Iudæos,vt ait R.Dauid, quia Iacob,ex quo deſcendebant,minor erat natu, quàm Eſaü, ex quo Idumæi originem ducebant: vel, Iſraël,vt idem auctor dicit,quòd aliorum populorũ comparatione paruus eſſet. *Niſi diſſipauerint cum eis.*id eſt,niſi eos deiectis ipſorum domiciliis oppreſſerint, nolo Deus haberi, aut, nolo mihi in poſterum credi. forma iurandi eſt apud *Idumæa Theman vnde dicta.* Hebræos vſitatiſſima,per apoſiopeſin,vt ſuprà c.42.5. *Sit Dominus inter nos teſtis veritatis,& fidei,ſi non iuxta omne verbum, in quo miſerunt te Dominus Deus tuus ad nos,ſic faciemus.*vide quæ illic adnotauimus,ſi quid ampliùs ad huius loci explanationem deſideras. *Forma iurandi Iudæis vſitata.*

21. *A voce ruinæ.*]id eſt, præ fragore caſus eorum terra commouebitur. Sæpe monuimus omnem ſonitum apud Hebræos קול. vocem appellari. *Clamor in mari rubro.* Hebræi ſic verba diſtingunt. *Clamor in Mari rubro* (audietur,) audietur vox eorum, ſicut Chaldæus etiam vertit. At ſenſus eſt idem Sept. κραυγή σου ἐν θαλάσσῃ ἠκούσθη.*Clamor tuus in mari auditus eſt.* Erat mare rubrum vicinum Idumææ,propterea illud potiùs,quàm aliud nominauit.

22. *Ecce quaſi aquila aſcendet,hoſtis.*] vide eadem verba explicata ſuprà c. 48. 40. *Alas ſuas*,copias ſuas militares. *Super Boſram*,principem Idumæorum ciuitatem, vt ver.13.dictum eſt. *Prophetia contra Damaſcũ. ſeu Syriam totam.*

23. *Ad Damaſcum.*] ſub. prophetia, quæ tertia eſt huius capitis. Eſt enim titu-

 lus, vt

lus,vt ille verſu primo. *Ad filios Ammon.* Et ille alter vet. 7. *Ad Idumæam.* Damaſcum autem ponit pro tota Syria,quia caput eius erat, vt dicit Iſaias c. 7. 8. *Caput Syriæ Damaſcus,& caput Damaſci Raſin.* Inter alias autem gentes, quæ Iudæos afflixerant,erant Syrij;vt apparet.4.Reg.16.5.& Iſai. 7. 1. Propterea poſt Moabitas,Ammonitas,& Idumæos,qui Iudæis cognati erant,ideoque grauiùs caſtigandi, quod illis bellum intuliſſent; contra Syros Ieremias vaticinatur, vt fecit etiam Iſaias cap.17. *Confuſa eſt Emath, & Arphad,* duæ erant Syrorum ciuitates. *Quia auditum peſſimum*, malum nuntium audierunt, nempe captam eſſe Damaſcum. Significat Damaſcum primo loco captum iri, eaque fama cæteras minores Syrorum ciuitates terrefaciendas. *Turbati ſunt in mari.* Hebræi intelligunt, כאשר. quemadmodum qui in mari quieſcere non poteſt præ ſolicitudine, exorta tempeſtate, id eſt, non poteſt pacato eſſe animo, cum videat ſe neque fugere poſſe, neque reſiſtere. In hanc ſententiam Chaldæus Paraphraſtes,& R. Salom. & R. Dauid interpretantur. Ponuntur autem præterita pro futuris.

24. *Diſſoluta eſt Damaſcus.*] id eſt, perterrita eſt, manus eius diſſolutæ ſunt, vt Hebræi loqui ſolent,cùm integra phraſi vti volunt.Iſai.13.7. & 35.3. & ſuprà c.6.24.& 38.4.& 47.3.

25. *Quomodo dereliquerunt.*] ciues quomodo deſeruerunt Damaſcum metu hoſtis,quomodo non defenderunt.H.איך לא עזבה. quomodo non eſt derelicta ciuitas laudabilis, vt etiam Sept. & Chaldæus Paraphraſtes legunt, quod Hebræi variè interpretantur.Alij ſic,quomodo non eſt relicta immunis ab iſta tanta calamitate ciuitas laudabilis, id eſt, Damaſcus.ita aliquos interpretari ſcribit R.Salom.Alij,in quibus eſt ipſe Salom. Quomodo eſt relicta. ſine præſidio,& munitionibus. quomodo vrbem tam pulchram non muniuerunt ciues.Meliùs R.Dauid putat hæc verba eſſe Damaſcenorum fugientium, qui dicant,quomodo non eſt derelicta,ab hoſtibus,id eſt,quomodo tam pulchræ ciuitati hoſtes non pepercerunt.Hæc interpretatio in eo,quo cum prima conuenit,vera eſt.Sed malim dicere hæc eſſe verba Prophetæ,quàm Damaſcenorum; quamuis vtrumque probabile ſit.

Hebræi milites vocare ſolent Iuuenes. Virgil. 9. & 11 Aeneid. & alibi.

26. *Iuuenes eius.*] id eſt, milites. Solent enim Hebræi milites בחורים. iuuenes appellare, quòd milites plerumq; iuuenes ſint; ſicut Latinus poëta exercitum lectiſſimam pubem appellauit. Exempla reperies ſuprà c.9.21. & c.11.22.& c.18.21.& c.48.15.Itaque repetitio eſt hoc loco, *Iuuenes,& viri prælij:* idem enim ſunt. *Conticeſcent.* id eſt,prorſus peribunt,ita vt nulla fiat ampliùs de illis mentio. Hebraiſmum multis exemplis explicauimus,c. 47.5.

27. *Mœnia Benadad.*] ארמנות בן הדד palatia Benadad, regis Syriæ, 3.Reg. 15.18.Fuit & alius Benadad eius nepos rex etiam Syriæ,4. Reg.13.24. De quo fortaſſe hic loquitur Ieremias. Niſi dicamus ſenſum eſſe,Palatia Benadad,non qui tunc viueret,ſed qui ea dum viueret, ædificauerat.

Prophetia contra Cedar,ſeu Agarenos.

28. *Ad Cedar.*]id eſt,propheria de Cedar, vel, contra Cedar, vel pertinens ad Cedar.Fuit Cedar ſecundus filius Iſmaëlis filij Abraham ex Agar ancilla,Gen. 25.13.ex quo Agareni Cedar nomine Patris appellati ſunt. Vaticinatur ergo nunc Propheta contra Agarenos,qui,cum Iudæis,ſicut Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæi cognationem habebant. *Et ad regna Aſor.* pluralis pro ſingulari, aut regna vocat dominationes, & diuerſas eiuſdem regni ciuitates. Septuag. τῆ βασιλίσσῃ τῆς αὐλῆς. *Et reginæ aulæ.* quaſi legerint חציר למלכיה חצור enim aulam, aut atrium ſignificat. Quod Theodoritus interpretatur, ad Cedar

ciuita-

ciuitatem reginam aulæ; id eſt, quæ Agarenis imperat, qui in aulis ac tabernaculis habitant. Alij meliùs, Ad omnia regna Aſor, id eſt, ad omnes ciuitates, quæ ſunt in ditione Aſor, quæ ciuitas erat, in qua erat ſedes regis Agarenorum Iud. 4. 2. *Hæc dicit Dominus.* Chaldæis. Indicat Deum fuiſſe, qui Chaldæos ad pugnandum contra Agarenos excitauit. *Vaſtate filios orientis*, id eſt, eos, qui ad orientem Cedar habitant, vt Chaldæus interpretatur. Hebræi בני קדם. filios Cedem. Quod & Hebræi, & Septuaginta nomen proprium eſſe putant alterius filij Iſmaëlis, qui ad orientem Cedar habitauit, vnde fortaſſe nomen traxit, nam, Cedem, orientem ſignificat. lege cap. 25. Geneſ. ver. 15.

29. *Tabernacula eorum.*] Scitum eſt Agarenos paſtores fuiſſe, & in tabernaculis & tentoriis habitaſſe. Itaque eorum opes tabernacula, greges, pelles, & cameli erant, & ſarcinulæ, quas ſecum, quocumque migrabant, comportare conſueuerant, eas vocat hoc loco vaſa. Sicut omnia impedimenta bellica & Græci σκεύη, & Latinè vaſa dicuntur. Per pelles omne diuitiarum genus intelligi ſolet, vt apud Iob cap. 2. 4. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Et vocabunt ſuper eos.* contra eos עליהם. *formidinem*, id eſt, milites formidabiles ex omni parte, vt ſuperiùs ver. 5. *Ecce ego inducam ſuper te terrorem, ait Dominus.*

30. *Abite vehementer.*] נדו מאד. recedite valde, id eſt, longè. *In voraginibus ſedete*, id eſt, abdite vos ſub terra, ne vos hoſtis inueniat. H. העמיקו לשבת. profundate ad habitandum, ad verbum, id eſt, quærite loca ſubterranea, & profunda, in quibus habitetis, vt ſuprà verſu 8. *Qui habitatis Aſor*, id eſt, qui nunc in frequẽtiſſima ciuitate Aſor habitatis, fugite, & habitate in cauernis ſolitudinis.

31. *Conſurgite.*] Apoſtrophe ad Chaldæos, qua eos exhortatur, vt veniant contra Agarenos. *Ad gentem quietam*, id eſt, pace abundantem. Ita deſcribit Agarenos, ac Nomadas, qui extra vrbes habitabant ſine oſtiis, ac ſine vectibus, quamuis aliquas haberent ciuitates, vt Aſor, & alias.

32. *Et diſpergam eos in omnem ventum.*] in omnes terrarum oras. *Qui ſunt attonſi in comam*, id eſt, Agarenos, qui ſecundum aures comam attondebant, vt nunc Poloni, & Hungari faciunt. קצוצי פאה. Quod Hebræi interpretantur terminatos anguli; id eſt, ad eos qui habitant in extremis terræ angulis. ſenſus noſtri interpretis mihi magis placet. Similis locus ſuprà c. 9. 26. & c. 25. 23.

34. *Quod factum eſt verbum.*] Ordo verborum inuerſus. vt cap. 46. 1. & cap. 47. 1. *Aduerſus Aelam.* Ælam pars eſt Perſidis, quæ Ailam ab Ælam filio Sem dicta eſſe creditur. Tradunt autem Hebræi, vt R. Dauid hoc loco refert, Ælamitas Chaldæis contra Iudæos opem tuliſſe, ideóque contra illos nunc Ieremiam vaticinari.

35. *Confringam arcum.*] id eſt, fortitudinem, & robur Ælamitarum, Erant enim peritiſſimi ſagittarij, vt apparet Iſai. cap. 22. 6. itaque omne robur bellicum in arcu ponebant. *Et ſumam fortitudinem eorum*; id eſt, auferam fortitudinem eorum, hoc eſt arcum. H. ראשית גבורתם. caput fortitudinis eorum, appoſitio: quaſi dicat, confringam arcum Ælamitarum, qui eſt caput, & principium fortitudinis eorum. Quo etiam ſenſu Chaldæus, & Septuag. verterunt. eodémque modo R. Salom. interpretatur. Ac fortaſſis etiam noſter interpres verterat, Summam fortitudinis aut fortitudinem eorum, eodem ſenſu, demptáque vna littera m, ſenſus mutatus eſt.

36. *Quatuor ventos.*] per ventos hoſtes intelligit, per quattuor omnes, quia ad quattuor omnes venti referuntur. quaſi dicat, hoſtes vndique contra Æla-

nitas excitabo, qui eos tanquam vehementiſſimi venti in omnes terræ partes abripiant.

37. *Et mittam poſt eos gladium.*] id eſt, efficiam vt hoſtes eos, quocumque fugerint, perſequantur, donec eos penitus deleam.

30. *Et ponam ſolium meum.*] id eſt, poſtquam Ælamitas eiecero, conſtituam alium regem in Ælam, vt R. Dauid interpretatur. Vocat ſolium ſuum, quod ipſe dat. Aliter R. Salom. *ponam ſolium meum*, id eſt, obſidionem meam: efficiam, vt hoſtes obſideant Ælam; quemadmodum Galli obſidionem vocant *ſiege*, ſolium. Scribit R. Dauid Hebræorum magiſtros hoc de Regina Vaſthi & Aman exponere conſueuiſſe, quòd repudiata Vaſthi, & ſuſpenſo Aman cum decem filiis ſuis Eſther in reginæ, Mardochæus in Aman locum ſucceſſerit.

39. *Reuerti faciam captiuitatem.*] id eſt, captiuos Ælamitas in libertatem aſſeram, quod de tempore Chriſti intelligendum eſt; quo tempore Ælamitæ inter alias gentes à captiuitate Diaboli liberati, & in libertatem Chriſti vocati ſunt; ſicut Hebræi interpretantur ſimilem locum ſuprà cap. 48. 47. Vide caput 2. Act. ver. 7. 8. 9.

CAPVT L.

VERBVM quod locutus eſt Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum
in manu Ieremiæ Prophetæ. 2 *Annunciate in gentibus, & auditum facite,*
leuate ſignum, prædicate, & nolite celare, dicite: Capta eſt Babylon, confuſus
eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia eius, ſuperata ſunt idola eorum.
3 *Quoniam aſcendit contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram eius in ſolitudi-*
nem: & non erit qui habitet in ea ab homine vſque ad pecus, & moti ſunt & abierunt.
4 *In diebus illis, & in tempore illo ait Dominus, venient filij Iſraël ipſi & filij Iuda*
ſimul: ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent. 5 *In*
Sion interrogabunt viam, huc facies eorum, venient, & apponentur ad Dominum fœde-
re ſempiterno, quod nulla obliuione delebitur. 6 *Grex perditus factus eſt populus*
meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos: feceruntque vagari in montibus: de monte in col-
lem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui. 7 *Omnes qui inuenerunt, comederunt eos: &*
hoſtes eorum dixerunt: Non peccauimus: pro eo quòd peccauerunt Domino decori iuſtitiæ:
& expectationi patrum eorum Domino. 8 *Recedite de medio Babylonis, & de*
terra Chaldæorum egredimini: & eſtote quaſi hœdi ante gregem. 9 *Quoniam ecce*
ego ſuſcito, & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra
Aquilonis: & præparabuntur aduerſus eam, & inde capietur: ſagitta eius quaſi viri
fortis interfectoris, non reuertetur vacua. 10 *Et erit Chaldæa in prædam, omnes*
vaſtantes eam replebuntur, ait Dominus. 11 *Quoniam exultatis, & magna loqui-*
mini, diripientes hæreditatem meam, quoniam effuſi eſtis ſicut vitulus ſuper herbam, &
mugiſtis ſicut tauri. 12 *Confuſa eſt mater veſtra nimis, & adæquata pulueri, quæ*
genuit vos, ecce nouiſſima erit in gentibus, deſerta, inuia, & arens. 13 *Ab ira Do-*
mini non habitabitur, ſed redigetur tota in ſolitudinem: omnis qui tranſibit per Babylo-
nem, ſtupebit, & ſibilabit ſuper vniuerſis plagis eius. 14 *Præparamini contra Ba-*
bylonem per circuitum omnes qui intenditis arcum, debellate eam, non parcatis iaculis,
quia Domino peccauit. 15 *Clamate aduerſus eam, vbique dedit manum, ceciderunt*
fundamenta eius, deſtructi ſunt muri eius; quoniam vltio Domini eſt, vltionem accipite
de ea,

Digitized by Google

de ea, ſicut fecit, facite ei. 16 Diſperdite ſatorem de Babylone, & tenentem falcem
in tempore meſſis: à facie gladij columbæ vnuſquiſque ad populum ſuum conuertetur, &
ſinguli ad terram ſuam fugient. 17 Grex diſperſus Iſraël, leones eiecerunt eum:
primus comedit eum rex Aſſur: iſte nouiſſimus exoſſauit eum Nabuchodonoſor rex Ba-
bylonis. 18 Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Ecce ego viſitabo
regem Babylonis, & terram eius ſicut viſitaui regem Aſſur, 19 & reducam Iſraël
ad habitaculum ſuum: & paſcetur Carmelum & Baſan, & in monte Ephraim & Ga-
laad ſaturabitur anima eius. 20 In diebus illis & in tempore illo, ait Dominus
quæretur iniquitas Iſraël & non erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur: quoniam
propitius ero eis quos reliquero. 21 Super terram dominantium aſcende, & ſuper
habitatores eius viſita, diſſipa, & interfice quæ poſt eos ſunt, ait Dominus: & fac iuxta
omnia quæ præcepi tibi. 22 Vox belli in terra, & contritio magna. 23 Quomodo
confractus eſt, & contritus malleus vniuerſæ terræ, quomodo verſa eſt in deſertum Babylon
in gentibus? 24 Illaqueaui te, & capta es Babylon, & neſciebas: inuenta es & ap-
prehenſa quoniam Dominum prouocaſti. 25 Aperuit Dominus theſaurum ſuum,
& protulit vaſa iræ ſuæ: quoniam opus eſt Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum.
26 Venite ad eam ab extremis finibus, aperite vt exeant qui conculcent eam: tollite de
via lapides, & redigite in aceruos, & interficite eam: nec ſit quidquam reliquum.
27 Diſſipate vniuerſos fortes eius, deſcendant in occiſionem: væ eis quia venit dies
eorum, tempus viſitationis eorum. 28 Vox fugientium, & eorum qui euaſerunt de
terra Babylonis: vt annuntient in Sion vltionem Domini Dei noſtri, vltionem templi eius.
29 Annuntiate in Babylonem plurimis omnibus qui tendunt arcum: conſiſtite aduerſus
eam per gyrum, & nullus euadat: reddite ei ſecundum opus ſuum: iuxta omnia quæ fecit,
facite illi: quia contra Dominum erecta eſt, aduerſum ſanctum Iſraël. 30 Idcirco ca-
dent iuuenes eius in plateis eius: & omnes viri bellatores eius conticeſcent in die illa, ait
Dominus. 31 Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit
dies tuus, tempus viſitationis tuæ. 32 Et cadet ſuperbus & corruet, & non erit qui
ſuſcitet eum: & ſuccendam ignem in vrbibus eius, & deuorabit omnia in circuitu eius.
33 Hæc dicit Dominus exercituum, Calumniam ſuſtinent filij Iſraël & filij Iuda ſimul:
omnes qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos. 34 Redemptor eorum fortis,
Dominus exercituum nomen eius iudicio defendet cauſam eorum, vt exterreat terram, &
commoueat habitatores Babylonis. 35 Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, & ad
habitatores Babylonis, & ad principes & ad ſapientes eius. 36 Gladius ad diuinos
eius, qui ſtulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt. 37 Gladius ad equos eius,
& ad currus eius, & ad omne vulgus, quod eſt in medio eius: & erunt quaſi mulieres:
gladius ad theſauros eius, qui diripientur. 38 Siccitas ſuper aquas eius erit & areſ-
cent quia terra ſculptilium eſt, & in portentis gloriantur. 39 Propterea habitabunt
dracones cum fatuis ficarijs: & habitabunt in ea ſtruthiones: & non inhabitabitur vltrà
vſque in ſempiternum, nec extruetur vſque ad generationem, & generationem. 40 Si-
cut ſubuertit Dominus Sodomam & Gomorrham, & vicinas eius, ait Dominus: non ha-
bitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis. 41 Ecce populus venit ab Aquilone,
& gens magna, & reges multi conſurgent à finibus terræ. 42 Arcum & ſcutum ap-
prehendent, crudeles ſunt & immiſericordes: vox eorum quaſi mare ſonabit, & ſuper equos
aſcendent, ſicut vir paratus ad prælium contra te filia Babylon. 43 Audiuit rex
Babylonis famam eorum & diſſolutæ ſunt manus eius: anguſtia apprehendit eum, dolor
quaſi parturientem. 44 Ecce quaſi leo aſcendet de ſuperbia Iordanis ad pulchritudi-
nem robuſtam: quia ſubitò currere faciam eum ad illam: & quis erit electus quem præpo-
nam ei? quis eſt enim ſimilis mei? & quis ſuſtinebit me? & quis eſt iſte paſtor qui reſiſtat

Digitized by Google

vultui meo 45 *Propterea audite conſilium Domini, quod mente concepit aduerſum Babylonem: & cogitationes eius quas cogitauit ſuper terram Chaldæorum: Niſi detraxerint eos paruuli gregum, niſi diſſipatum fuerit cum ipſis habitaculum eorum.* 46 *A voce captiuitatis Babylonis commota eſt terra, & clamor inter gentes auditus eſt.*

HOC capite, & ſequenti vaticinatur contra Chaldæos, & intermiſcet ad conſolandos Iudæos, eorum liberationem.

1. *In manu Ieremiæ.*] Hebraiſmus, pro, per Ieremiam Prophetam, vt ſuprà cap. 27. 3. *Mittes eos in manu nuntiorum, qui venerunt Ieruſalem*, Id eſt, per nuntios. Et cap. 37. 2. *Et non obediuit ipſe, & ſerui eius, & populus terræ verbis Domini, qui locutus eſt in manu Ieremiæ Prophetæ.*

2. *Annuntiate in Gentibus.*] Aliqui putant verba eſſe Dei ad Prophetas, quaſi dicat, annuntiate gentibus, ô Prophetæ mei, futuram Babylonis euerſionem. Mihi verba Prophetæ eſſe videntur dicentis omnibus hominibus, vt apud omnes Gentes annuntient Babylonis excidium; fuerat enim rex Babylonis in omnes ferè gentes longè, latéque dominatus; propterea dicit Propheta, vt eius interitus quaſi lætiſſimum nuntiũ narretur omnibus Gentibus, vt rectè obſeruauit R. Dauid. *Auditum facite*, narrate. *Leuate ſignum*, id eſt, publicè prædicate, vt nemo ignorare poſſit, vel, vt alij volunt, tollite ſignum victoriæ: alij, tollite ſignum, vt omnes Gentes veniant ad pugnandum contra Babylonem. *Capta*, Præteritum pro futuro, capietur enim Babylon, confundetur Bel Chaldæorum idolum, vincetur. H. חת contetetur Merodach alterum idolum, Duos præcipuos Chaldæorum Deos pro omnibus poſuit, quos ideo confundendos, id eſt, ignominia afficiendos eſſe dicit, quia tunc manifeſtum erit, non poſſe eos ſuos cultores liberare, vt ait R. Dauid. *Superata ſunt.* חתו contrita, confracta ſunt, vt exponit Chaldæus Paraphraſtes. Septuag. παρεδόθη, *tradita ſunt*, id eſt, capta ſunt ab hoſtibus, & in captiuitatem ducta. Qui ſenſus valde mihi videtur huic loco conuenire. Nam & חתו. à חתת. venire poteſt, & eodem modo ſuprà de Chamos Moabitarum idolo locutus eſt Ieremias cap. 48. 7. *Ibit Chamos in transmigrationem*; & cap. 43. 12. de Diis Ægypti, *Et ſuccendet ignem in delubris Deorum Ægypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos.* Certè Septuag. ita videntur intellexiſſe. quamquam R. Dauid contendit verbum eſſe חתת.

3. *Ab Aquilone.*] Perſæ ſcilicet, & Medi, qui Babyloniis Aquilonares erant, vt ait R. Dauid, & vt euentus ipſe demonſtrauit, Daniel. 5. 31. & 6. 28. *Et Moti ſunt*, præteritum pro futuro, mouebuntur, id eſt, diſſipabuntur, diſpergentur Babylonij נדו. *Et abierunt*, id eſt, fugient aut ibunt in captiuitatem.

An 10. tribus à captiuitate redierũt.

4. *Ipſi, & filij Iuda ſimul.*] id eſt, tam decem tribus, quæ Iſraël; quàm duæ, quæ Iuda vocabantur. Non legimus in libris Eſdræ decem tribus à captiuitate rediiſſe: ſed eſt veroſimile earum reliquias vnà cum duabus tribubus, cùm poteſtas illis à Cyro reuertendi facta eſſet; reuertiſſe. *Ambulantes, & flentes.* præ gaudio, vt ſuprà c. 31. 9. *In fletu venient, & in miſericordia reducam eos.* Eſt enim fletus quidam lætitiæ: ſicut Eſau fleuit amplexans, & oſculans fratrem ſuum; Geneſ. 33. 4. Et ſicut Ioſeph fleuit conſpiciens fratres ſuos, Geneſ. 42. 24. & 43. 30. & 45. 14. Ita etiam Hebræi interpretantur. Idque valde conuenit cum hiſtoria. Nã lib. 1. Eſdræ c. 3. 12. dicuntur Iudæi templi reſtaurationem videntes, magna voce præ gaudio fleuiſſe. Alij quidam exponunt, *flentes* cùm viderint ſe multos fuiſſe in captiuitatem abductos, paucos verò redire, minus propriè. *Et Dominum Deum ſuum quærent.* Hoc non ſolùm ad illud tẽpus referendũ eſt, quo

Fletus lætitiæ.

tempore

tempore Iudæi ex Chaldæa Ieroſolymam redierunt:ſed multò etiam magis ad tempus Chriſti, quo ex Diaboli captiuitate Iudæi liberati, non iam Ieroſolymis,neque in monte Samariæ; ſed in ſpiritu & veritate Deum adorare didicerunt Ioan.4.21. Sicut illa altera prophetia,quam ſuprà explicauimus,cap. 31. 11. 12. 13. Id perſpicuum eſt ex verſu ſequenti, vbi agitur de fœdere ſempiterno.

5. *In Sion.*] id eſt, viam, qua veniant in Sion; &, ſi prophetiæ finem reſpiciamus,interrogabunt viam qua veniant in Eccleſiam. *Huc facies eorum*;id eſt,huc recta via contendent, non diuertent huc nec illuc, facilis eſt Hebraiſmus. *Venient,& apponentur*,id eſt,adhærebunt Domino,*fœdere ſempiterno*,id eſt, euangelico,quod nullum finem habiturum eſt. R. Dauid, putat בֹאוּ וְנִלְווּ. eſſe imperatiua,venite, & adhærete Domino. Meliùs noſter interpres fecit præterita, eaque in futura conuertit,ſicut &,Septuag.& Chaldæus Paraphraſtes, vt apud Iſaiam,c.14.1. *Propè eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſraël, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: Adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.*

6. *Grex perditus.*] id eſt, Hactenus ſimilis fuit populus meus gregi erranti per montes,& colles,ſic enim ille ſine paſtore,ſine rege, ſine ſacerdote in captiuitate errauit.ſic ego interpretor. Alij referunt ad mores,Errauerunt, id eſt, deprauati ſunt moribus,quod etſi verum eſt, tamen non videtur mihi proprius eſſe ſenſus huius loci. Paſtores eorum vocat reges, & pſeudoprophetas, qui populum blandiendo ſeduxerunt,in cauſaque fuerunt,vt in captiuitatem irent: ſicut dixit ſuprà c.12.10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam.*& c.23.1. *Væ paſtoribus, qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ,dicit Dominus. Obliti ſunt cubilis ſui*,ouilis: alludit enim ad gregem errantem, qui neſcit ad ouile reuerti.Ouile autem vocat Sion,propterea dixit verſu præcedenti, *In Sion interrogabunt viam.* Exponit populi calamitates, vt magis ſuum in eo reducendo beneficium commendet.

7. *Comederunt.*] id eſt, facti ſunt in prædam, & deuorationem omnibus gentibus,Ezechiel.34.58. *Facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri. Et dixerunt, non peccauimus*, id eſt, omnes, qui interficiebant eos, arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo, vt ipſi poſtea putabant, cùm Apoſtolos interficiebant, Ioan. 16. 2. quaſi omnes gentes dicerent, *Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt, qui eripiat*, Pſal. 70.11. *Decori iuſtitiæ* נְוֵה צֶדֶק. qui illis,antequam peccarent,erat iuſtitiæ decus, id eſt, qui eorum iuſtitiam multis beneficiis decorabat. Alij, habitaculo iuſtitiæ,id eſt,in quo cùm iuſti eſſent, confidebant, à quo ſicut ab habitaculo protegebantur. quaſi dicat, habitabant in adiutorio altiſſimi, & in protectione Dei cœli commorabantur,Pſal.90.1. Ita Hebræi. Alij, Non peccauimus, quia peccauerunt diſcedendo à Deo habitaculo iuſtitiæ, & veritatis, vt Chaldæus interpretatur. *Et expectationi*,id eſt,Domino,in quo pătres eorum ſperauerant: & adiutor eorum, & protector eorum fuit, Pſal. 113.17.18.19.

8. *Et eſtote quaſi hœdi ante gregem.*] R.Dauid interpretatur, nihil timeatis, ſed ſecuri redite in patriam veſtram, quemadmodum hœdi nihil metuentes, gregem præcedunt. Magis mihi placet multorum Latinorum interpretatio, qui exiſtimant hac ſimilitudine lætitiam,&celeritatem ſignificari,quaſi dicat,redite celeres,& læti, ſicut hirci gregem præcedunt. Chaldæus aliũ ſenſum reddidit,Eſtote quaſi principes in capite populi:quaſi dicat,hactenus quaſi grex ſine

ductore

ductore errastis,nunc conſtituite vobis principes,qui populum antecedant, & redite in ouile veſtrum,vt dixit ver.6. Sept. *ὥσπερ δράκοντες κατὰ πρόσωπον προβάτων. ſicut dracones ante faciem ouium.* quod tamen Theodorit. exponit, ſicut arietes,& ex Syro interprete,ſicut hirci,id eſt,eſtote ſuperiores Babyloniis, ſicut arietes,aut hirci ſuperiores ſunt ouibus.

9. *Preparabuntur aduerſus eam.*] ערכו.præparabunt,id eſt,aciem inſtruent,aut obſidionem parabunt aduerſus eam. *Et inde.* משם.primo conflictu,aut prima vice,vt ita loquar,prima obſidione,id eſt,non priùs inde Medi diſcedēt, quàm eam capiant,vt R.Dauid exponit. *Sagitta eius*, congregationis,id eſt, exercitus. *Quaſi viri fortis interfectoris.* כגבור משכיל ſicut viri fortis orbantis,id eſt,interficientis multos,orbantiſque multas mulieres viris ſuis, vt quidam explicant, Chaldæum Paraphraſtem imitati. Alij melius meo quidem iudicio, ſicut viri, aut,ſicut bellatores periti,id eſt,qui numquam iaculando ſagittas errant. Idenim ſignificat שכיל. puncto in cornu ſiniſtro,ſicut Sept.legiſſe manifeſtum eſt: verterunt enim, *ὡς βολὶς μαχητοῦ συνετοῦ. ſicut iaculum bellatoris. intelligentis. Non reuertetur vacua*: id eſt, ſingulis ſagittis ſingulos homines interficiet. Hebraïſmus,qualis apud Iſaiam c.55.11.

10. *Replebuntur.*] ſpoliis,diuites efficientur eius direptione. וישבעו. ſaturabuntur.id eſt,explebunt occidendi,prædandique cupiditatem.

11. *Quoniam exultatis.*] Vos ô Chaldæi. *Et magna loquimini*,id eſt,arroganter loquimini contra me. תעלזי. exultaſtis, extuliſtis vos victoria contra populum meum parta. *Effuſi eſtis*, id eſt, multiplicati, vt Hebræi interpretantur, opibus hæreditatis meæ, aut locupletati, pingues facti, *ſicut vitulus ſuper herbam. Et mugiſtis*, id eſt, feroces facti eſtis, ſicut tauri propter diuitias, quas à populo meo abſtuliſtis. Mugitus enim in tauro ferocitatem, elationémque ſignificat.

12. *Confuſa eſt mater veſtra.*] id eſt,Babylon,aut Chaldæa. *Adæquata pulueri.* id eſt,euerſa,ſolo æquata. חפרה idem ſignificat quod *confuſa*,ſicut Sept.reddiderunt.Eſt enim repetitio. *Ecce nouiſſima erit in gentibus* id eſt, abiectiſſima erit inter omnes gentes. H. הנה אחרית גוים. Ecce poſtremum gentium,id eſt,finis veſter erit deſertus,inuius,& arens,id eſt,in fine terra veſtra erit deſerta, inuia, & arens. aut, ציה וערבה. ſitiens & ſola. Gentes vocat ipſos Chaldæos.quaſi dicat,principium veſtrum fuit iucundum & proſperum; finis autem erit miſerabilis,& luctuoſus.ita Hebræi,R.Salom.& R.Dauid.

13. *Ab ira Domini.*] propter iram Domini.Hebraiſmus,vt Pſal.37.9.*rugiebam à gemitu cordis mei*,id eſt,propter gemitum. *Sibilabit*, id eſt,obſtupeſiet,vel admirabitur,aut contemnet. Sæpe diximus ſibilum apud Hebræos,aut ſtuporem, aut contemptum ſignificare.vide quæ diximus ſuperiori cap.ver.17.

14. *Præparamini.*] ערכו præparate, aut inſtruite aciem contra Babylonem, vt ver.9. *Omnes qui intenditis arcum*, id eſt,omnes bellicoſi viri armis aſſueti. Arcū enim pro omni armorum genere poſuit. *Debellate eam.* H.ידו אליה. proiicite (ſagittas)contra eam,ſicut Chaldæus,& Sept.conuerterunt.

15. *Clamate.*] id eſt, pulſate vaſa bellica,canite claſſicum, clangite tubis, vt olim contra Iericho factum eſt,Ioſue 6.ita R.Dauid. Ergo, *Clamate*,id eſt cātate celeuſma contra eam,exhortantes vos ad bellum.Hiſpanicè, *Dalde Santiago*. Sicut ſuprà dixerat cap. 25. ver. 30. *Celeuſma quaſi calcantium concinetur aduerſus omnes habitatores terræ*? & infrà cap. 51. v. 14. de eadem loquens Babylone. *Iurauit Deus per animam ſuam,quia replebo te hominibus quaſi brucho, & ſuper te ce-*

Digitized by Google

te celeuſma cantabitur. Vbique dedit manum. Hebræi aliter verba coniungunt. Legunt enim ſic: חריעו עליה סביב נתנה ידה. clamate contra eam in circuitu; quod noſter interpres dixit, *Vbique dedit manum ſuam.* Quod R. Sal. & R. Dauid exponunt, infirmata eſt, ita vt non ſit illi vllum robur. quaſi dicat, cecidit, & alliſit in terram manus ſuas, ſicut dixit de Moab, cap. 48. ver. 26. Aut, *dedit manum ſuam*, id eſt, victa eſt, vt alij interpretantur, quemadmodum Latinè dicimus, Date manus, id eſt, dedere ſe. At ea phraſis non eſt Hebraica. Septuag. παρελύθησαν αἱ χεῖρες αὐτῆς. *ſolutæ ſunt manus eius*, id eſt, perterrita eſt. Chaldæus, Tradita eſt in manus eorum, id eſt, hoſtium. Ponuntur præterita pro futuris, aut imperatiuis. *Sicut fecit*, Ieruſalem, & alijs vrbibus tum Iudæorum, tum etiam aliarum gentium. Ita etiam Abdias contra Edom ver. 15. *Quoniam iuxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes: ſicut feciſti, fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.* & Apocal. 18. 6. *Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundum opera eius. In poculo quo miſcuit, miſcite illi duplum.*

16. *Diſperdite ſatorem.*] id eſt, occidite omnes Babylonios, ita vt nemo remaneat, neque qui ſeminet, neque qui metat, vt explicat R. Dauid. Eodem ſenſu, quamuis alijs verbis Septuag. Diſperdite ſemen de Babylone. *Et tenentem falcem in tempore meſſis*, Chaldæus putauit eſſe metaphoram, qua per ſemen reges, per tenentes falcem milites gladium tenentes, per tempus meſſis, tempus belli & occiſionis intelligeretur. Itaque vertit, Diſperdite regem de Babylone, & tenentem gladium in tempore occiſionis. *A facie gladij columbæ.* Hunc locum ſuprà explanauimus cap. 25. 38. & cap. 46. 16. Columbam vocat hoſtem, non propter manſuetudinem, quæ in illo nulla erat: ſed propter celeritatem. H. מפני חרב היונה. R. Dauid exponit, vt ſuperiùs diximus, propter gladium vaſtantem. Ionathas verò & R. Salomon, propter gladium inebriantem, id eſt, qui ſanguine inebriatur, vt ſuprà cap. 45. ver. 10. & Iſai. cap. 34. 5. Septuaginta, ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς. *à facie gladij Græci*, vt ſuprà cap. 46. 16. quod illic refutauimus, nam neque hoc loco, neque illo de Græcis agitur: ſed illic de Chaldæis: hîc de Medis, & Perſis. *Vnuſquiſque*, eorum, qui in auxilium Babyloniorum venerant, vt R. Dauid exponit.

Quo ſenſu vocat hoſtē Columbam.

17. *Grex diſperſus.*] id eſt, ſimilis gregi diſperſo, & erranti, vt ver. 6. *Grex perditus factus eſt populus meus. Leones eiecerunt eum*, de loco ſuo. leones vocat regem Aſſyriorum, & Chaldæorum, Iudæos comparat ouibus, quæ à leonibus territæ locum ſuum deſerunt. *Primus comedit eum rex Aſſur.* Hunc locum & Hebræi, & Latini, & Græci auctores eodem modo interpretantur. Rex Aſſyriorum dicitur primus comediſſe populum Dei, id eſt, ſolam carnem ediſſe, oſſa verò non comminuiſſe, quia decem tribus, quæ quaſi caro erant, in captiuitatem duxit, 4. Regum 18. 11. Duas verò tribus, in quibus erat regnum, & ſacerdotium, ac templum Dei, quaſi oſſa, & robur populi, non perdidit. Rex verò Babylonis oſſa confregit, quia & duas tribus in captiuitatem duxit, & templum euertit, 4. Reg. 25. 9.

19. *Et paſcetur Carmelum.*] Sic legendum, non Carmelus, quia ſic eſt Hebr. & ſic emendatiora habent exemplaria, & eodem ſenſu Sept. καὶ νεμήσεται ἐν τῷ Καρμήλῳ. *Et paſcentur in Carmelo.* Loquitur de populo, tanquam de grege, perſiſtens in ſuperiore metaphora, ver. 6. & 17. q. d. reducam oues meas in loca paſcua, vnde eas leones eiecerant, & paſcentur ibi, ſicut antè. *Et ſaturabitur anima eorum*, eſt, appetitus. Heb raiſmus eſt, anima pro appetitu, vt Pſal. 41. 3. *Sitiuit*

Anima pro appetitu phraſis Hebraica.

Digitized by Google

anima mea ad Deum fontem viuum. & Pſalm. 62. 6. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Iſai. 5. 14. *Dilatauit infernus animam ſuam.*

20. *Quæretur.*] id eſt, etiamſi quæratur, non inuenietur: quia delebo illam, & vt ait per Michæam cap. 7. 19. *Reuertetur & miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras; & proyciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Locutio eſt abſoluta, pro conditionali, quales frequentes occurrunt apud Hebræos, *Quoniam propitius ero eis, quos reliquero.* quos ex calamitate captiuitatis reliquos fecero, aut, vt longius proſpiciamus ad tempus Chriſti, quò videtur ſpectare prophetia, propitius ero reliquijs Iſraël, quæ ſaluæ erunt, id eſt, prædeſtinatis Iſraël, Iſai. 10. 22. ad Rom. 9. 27. & 11. 5.

21. *Super terram*] contra terram. עַל הארץ. *Dominantium*, id eſt, Chaldæorum, qui nunc dominantur. H. מרתים. rebellionum, id eſt, rebellem, ita vocat Babylonem, quòd contra populum Dei rebellaſſet, ac proinde etiam contra Deum. Septuag. ἐπὶ τῆς γῆς πικρῶς. *contra terram amarè*, exiſtimantes eſſe à מרר quod vix conuenire poteſt. *Aſcende*, ô hoſtis ô Medæ, ô Perſa: eſt enim apoſtrophe Dei. aut Prophetæ ad hoſtes. *Interfice quæ poſt eos ſunt.* Dele omnem eorum poſteritatem. H. וחחרם אחריהם. & interfice poſt eos, id eſt, non ſolùm ipſos, ſed etiam ipſorum filios, qui poſt ipſos erant ſucceſſuri; aut vt R. Dauid interpretatur, perſequere, & interfice à tergo eos fugientes. *Iuxta omnia quæ præcepi.* Indicat Deus ſe Medos ac Perſas contra Chaldæos excitaſſe. Vocat autem præceptum inſtigationem, aut permiſſionem, vt 2. Reg. 16. 10. *Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid.*

22. *Vox belli.*] Clamor bellicus, ſubauditur. hypotypoſis belli eſt.

Cur malleum vocet rege. Babylonium

23. *Contritus eſt malleus.*] Malleum vocat per metaphoram regem Babylonis, quia cætera regna percutere ſolebat. Loquitur autem de re futura, tanquam de iam confecta, vt eam magis ob oculos ponat. *Babylon in Gentibus.* id eſt, quæ priùs in Gentibus, aut inter Gentes dominabatur: aut, Babylon, quæ apud Gentes eſt vt Galilæa Gentium, Matth. 4. 15. aut, quod mihi magis placet. Quomodo conuerſa eſt in deſertum in Gentibus? id eſt, inter Gentes. ſicut aliæ gentes Quemadmodum dixerat verſu 12. *Ecce nouiſſima erit in Gentibus, deſerta, inuia, & arens.*

24. *Et neſciebas.*] id eſt, illaqueaui, & comprehendi te antequam animaduerteres ſubitò, de improuiſo. *Inuenta es*, id eſt, deprehenſa & capta. *Quoniam Dominum prouocaſti*, ad iram. H. ביהוה התגרית. Cum Domino miſcuiſti te, id eſt, litem ſuſcepiſti.

25. *Theſaurum tuum.*] id eſt, armarium, vbi habet repoſita arma iræ ſuæ, famem, peſtem, bellum, & alia huiuſmodi. Alij putant armarium appellare Mediam & Perſiam, & vaſa iræ ſuæ Darium, & Cyrum. Non abs re. *Quoniam opus eſt.* Opus Domini, aut quod Domino faciendum eſt, vocat Chaldææ deuaſtationem; quæ iuſſu Dei facienda erat. Sicut cap. 48. 10. vocauit opus Domini Moabitarum cædem. *Maledictus*, inquit, *qui facit opus Domini fraudulenter.*

26. *Aperite.*] vias, aut portas omnium ciuitatum, omnium gentium, vt liberum ſit omnibus exire, vt pugnent aduerſus eam. *Tollite de via lapides*, vt contra eam iaciatis, aut, auferte lapides à via, vt omnes qui velint ſine impedimento contra eam venire poſſint. Hic noſtro interpreti ſenſus eſt. Aliter Hebræi. פתחו מאבסיה aperite horrea eius. סלוה כמו ערמים. conculcate eam ſicut aceruos, id eſt, ſicut triturantes ſolent frumenti aceruos conculcare, vt interpretan-

pretantur R. Dauid & R. Salom. Chaldæus verò, Aperite horrea eius, conſumite facultates eius; ſicut conſumi ſolent acerui tritici. Sept. alio prorſus ſenſu, quem non opus eſt explicare.

27. *Diſſipate vniuerſos fortes eius.*] id eſt, omnes potentes principes eius, aut, omnes viros bellicoſos eius. חרבו כל פריה. occidite omnes vitulos eius. Vitulos vocat per metaphoram principes ac magnates, vt dicunt Hebræi, quod fortes ſint. Ego id non reprehendo, ſed fortè vituli vocantur omnes Chaldæi, quòd omnes eſſent quaſi vituli mactandi, ſicut ſtatim dicit, *Deſcendant in occiſionem.* quæ phraſis propriè ſignificat non tanquam homines; ſed tanquam pecudes occidi, vt cap. 48. 15. *Electi iuuenes eius deſcenderunt in occiſionem.* Septuag. exiſtimarunt פריה פרי, quod fructum ſignificat. Verterunt enim, *ἀναξηράνατε πάντας τοὺς καρποὺς αὐτῆς. Exſiccate omnes fructus eius*, quaſi perſeueret in metaphora ſuperioris verſus, Aperite omnia horrea eius.

28. *Vox fugientium.*] Iudæorum audietur. Quo modo vocat fugientes Iudæos, cùm non fugerint; ſed publico Cyri edicto diſceſſerint? Reſpondet R. Dauid, cùm primùm Medi Babylonem obſederunt. nonnullos Iudæos profugiſſe, & Ieroſolymam rediiſſe, annuntiaſſeque eueniſſe iam quod de Babylonis expugnatione, & Iudæorum liberatione Ieremias prædixerat.

29. *Annuntiate in Babylonem.*] id eſt, dicite pleriſque omnibus gentibus tendendi arcus peritis, vt contra Babylonem veniant. Galli dicunt, *Donnez le rendez-vous.* Id clariùs dicitur Hebraïcè, השמיעו אל בבל רבים. Congregate contra Babylonem iaculatores. כל דרכי קשת חנו עליה סביב. Omnes qui arcum tenditis caſtrametamini contra eam in circuitu. Ita R. Salom. & R. Dauid. *Secundum opus ſuum*, id eſt, ſicut ipſa fecit aliis gentibus, quas expugnauit, vt ſtatim explicat. *Iuxta omnia quæ fecit, facite illi.* vt ſuprà ver. 15. & Abd. ver. 15. 16. & Apoc. 18. 6. *Erecta eſt.* זדה. ſuperbè egit, extulit ſe. *Sanctum Iſraël*, id eſt, contra Deum, qui ſanctificat Iſraël, vt aliis locis adnotauimus. Alij, *Sanctum Iſraël*, templum vocari putant.

30. *Iuuenes.*] id eſt, milites. Sæpe docuimus Hebræos milites, בחורים. iuuenes, aut electos eum appellare, quod milites plerumque iuuenes ſint, & deligi ſoleant. Repetitio enim eſt, *Iuuenes eius, & bellatores eius.* Vide ſuprà cap. 49. ver. 26. vbi & alterum Hebraïſmum, qui ſequitur, declarauimus. *Conticeſcent*, id eſt. prorſus peribunt, ita vt nulla deinceps de illis mentio fiat, vt ſuprà cap. 25. 37. & cap. 47. 5. & Iſai. cap. 15. 1. & Oſee cap. 4. 6. & Sophon. cap. 1. 11.

31. *Ecce ego ad te.*] אליך. contra te (venio.)

33. *Calumniam ſuſtinent.*] עשוקים. oppreſſi ſunt, vi tenentur in captiuitate, vt ſtatim exponit.

34. *Redemptor eorum fortis.*] Conditio, comparatio, & adnominatio in ſimplici oratione latent. Conditio, & comparatio, quia ſenſus eſt, Quamuis filij Iſraël, & Iuda fortiter teneantur, tamen fortior eſt Dominus redemptor eorum, qui ipſorum cauſam defendendam ſuſcipiet. Adnominatio autem eſt, quia ver. præcedenti dixit, החזיקו בם. fortiter tenent eos: nunc autem dicit. גאלם חזק. redemptor eorum fortior. *Iudicio defendet.* ריב יריב. ſuſcipiendo ſuſcipiet, *cauſam eorum*, id eſt, omni ſtudio ac diligentia defendet. *Vt exterreat terram.* הרגיע את הארץ. quod R. Salom. & R. Dauid exponunt, vt quieſcere faciat terram, commouebit habitatores Babylonis. Nam priùs Babilonij omnem terram bellis turbabant: turbata autem Babylone omnis terra conquieuit. Eodem ſenſu verterunt Septuag. *ὅπως ἐξάρῃ τὴν γῆν. vt liberet terram.* Duplex Hebraiſmus.

Digitized by Google

Chaldæus aliter, למתבר רשיעי ארעא. vt conterat impios terræ.

36. *Gladius ad diuinos.*] contra diuinos eius, ſub. veniet. בדים. Mendaces, ſic appellantur diuini, quia mentiri ſolent; itaque non ſolùm noſter interpres, ſed etiam Sept. & Chaldæus Paraphraſtes diuinos tranſtulerunt. *Qui ſtulti erunt.* ונאלו & deſipient, id eſt, apparebit eos deſipere, quia non bene ſuum ipſorum interitum diuinauerant. *Ad fortes.* ad fortiſſimos quoſque וחתו. & confringentur, id eſt gladio concidentur.

38. *Siccitas ſuper aquas.*] Sunt qui putent hoc dici propter aquas Euphratis, quæ à Cyro in varios riuulos deductæ ſint, vt facilè traiici poſſent; hoc enim modo captam vrbem. At neque conſtat veritas hiſtoriæ, & aquas deriuari, non eſt יבשו. areſcere, & ſiccari. Quare de vera ſiccitate interpretor, quam Deus ad puniendos Chaldæos miſerit; aut verò ſignificat fore, vt terra deficientibus habitatoribus inculta ſit, & arida, id eſt, non irrigata, vt videtur verſu ſequenti declarare.

39. *Cum fatuis ſiccariis.*] Fatuos vocat Faunos, aut Satyros, qui cum hominibus colludunt: ſicut Galli huiuſmodi genus dæmonum appellant, *Folets*, ſtultulos. Siccarios autem, id eſt, in locis ſiccis, atque aridis habitantes, vt exprimeret Hebraïcam vocem ציים, quod non intelligentes nonnulli miras interpretationes excogitarunt. H. ציים את איים. Vtraſque dicunt Hebræi beſtias eſſe ſylueſtres, quæ in locis aridis verſari ſoleant. Alij, feles cum vlulis; alij, cercopithecos cum felibus, vt Chaldæus Paraphraſtes. Septuag. *κατοικήσουσιν ἰνδάλματα ἐν ταῖς νήσοις. habitabunt ſpectra in inſulis.* Vide Iſai. cap. 13. 21. 22. vbi eædem voces explicatæ ſunt.

41. *Gens.*] Medi, & Perſæ, qui Chaldæis Aquilonares erant, vt ſuprà verſ. 3. & 9.

43. *Audiuit.*] Hebraïſmus, id eſt, cùm audierit, diſſoluentur manus eius, vehementer timebit, vt cap. 6. 24. & cap. 38. 4. & cap. 47. 3. Cætera omnia vſque ad finem capitis explicata ſunt ſuperiori capite, à verſu decimo nono vſque ad vigeſimum ſecundum, vbi iiſdem verbis eadem contra Idumæos dicta ſunt.

CAPVT LI

HÆC dicit Dominus, Ecce ego ſuſcitabo ſuper Babylonem & ſuper habitatores eius qui cor ſuum leuauerunt contra me: quaſi ventum peſtilentem. 2 *Et
mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam, & demolientur terram eius: quoniam venerunt ſuper eam vndique in die afflictionis eius.* 3 *Non tendat qui tendit arcum ſuum, & non aſcendat loricatus, nolite parcere iuuenibus eius, interficite omnem militiam eius.* 4 *Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, & vulnerati in regionibus eius.* 5 *Quoniam non fuit viduatus Iſraël & Iuda à Deo ſuo Domino exercituum: terra autem eorum repleta eſt delicto à ſancto Iſraël.* 6 *Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam, nolite tacere ſuper iniquitatem eius, quoniam tempus vltionis eſt à Domino, viciſſitudinem ipſe retribuet ei.* 7 *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram: de vino eius biberunt Gentes, & ideo commota ſunt.* 8 *Subitò cecidit Babylon, & contrita eſt: vlulate ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem eius, ſi fortè ſanetur.* 9 *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam, quoniam*

pera-

peruenit vſque ad cælos iudicium eius, & eleuatum eſt vſque ad nubes. 10 Protulit
Dominus iuſtitias noſtras: venite & narremus in Sion opus Domini Dei noſtri.
11 Acuite ſagittas, implete pharetras: ſuſcitauit Dominus ſpiritum regum Medo-
rum & contra Babylonem mens eius eſt vt perdat eam, quoniam vltio Domini eſt, vltio
templi ſui. 12 Super muros Babylonis leuate ſignum, augete cuſtodiam: leuate cuſto-
des: præparate inſidias: quia cogitauit Dominus, & fecit quæcumque locutus eſt contra
habitatores Babylonis. 13 Quæ habitas ſuper aquas multas locuples in theſauris: ve-
nit finis tuus pedalis præciſionis tuæ. 14 Iurauit Dominus exercituum per animam
ſuam: Quoniam replebo te hominibus quaſi brucho, & ſuper te celeuſma cantabitur.
15 Qui fecit terram in fortitudine ſua, & præparauit orbem in ſapientia ſua, & pru-
dentia ſua extendit cœlos. 16 Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo: qui leuat
nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit: & produxit ventum de theſauris ſuis.
17 Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia, confuſus eſt omnis conflator in ſculptili: quia
mendax eſt conflatio eius, nec eſt ſpiritus in eis. 18 Vana ſunt opera, & riſu digna,
in tempore viſitationis ſuæ peribunt. 19 Non ſicut eſt pars Iacob, quia qui fecit omnia
ipſe eſt, & Iſrael ſceptrum hæreditatis eius: Dominus exercituum nomen eius. 20 Col-
lidis tu mihi vaſa belli, & ego collidam in te gentes, & diſperdam in te regna. 21 Et
collidam in te equum, & equitem eius, & collidam in te currum, & aſcenſorem eius:
22 Et collidam in te virum & mulierem, & collidam in te ſenem, & puerum, & colli-
dam in te iuuenem & virginem. 23 Et collidam in te paſtorem & gregem eius, &
collidam in te agricolam, & iugales eius, & collidam in te duces & magiſtratus. 24 Et
reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum ſuum quod fecerunt in
Sion, in oculis veſtris, ait Dominus. 25 Ecce ego ad te mons peſtifer, ait Dominus,
qui corrumpis vniuerſam terram: & extendam manum meam ſuper te, & euoluam te de
petris, & dabo te in montem combuſtionis. 26 Et non tollent de te lapidem in angu-
lum, & lapidem in fundamenta, ſed perditus in æternum eris, ait Dominus. 27 Le-
uate ſignum in terra: clangite buccina in gentibus: ſanctificate ſuper eam gentes, annun-
tiate contra illam regibus Arat, Menni, & Aſcenez: numerate contra eam Taphſar,
adducite equum quaſi bruchum aculeatum. 28 Sanctificate contra eam gentes, reges
Mediæ, duces eius, & vniuerſos magiſtratus eius, cunctámque terram poteſtatis eius.
29 Et commouebitur terra, & conturbabitur: quia euigilabit contra Babylonem cogi-
tatio Domini, vt ponat terram Babylonis deſertam & inhabitabilem: 30 Ceſſaue-
runt fortes Babylonis à prælio, habitauerunt in præſidijs: deuoratum eſt robur eorum, &
facti ſunt quaſi mulieres: incenſa ſunt tabernacula eius, contriti ſunt vectes eius.
31 Currens obuiam currenti veniet: & nuntius obuius nuntianti: vt annuntiet regi
Babylonis, quia capta eſt ciuitas eius à ſummo vſque ad ſummum, 32 Et vada præ-
occupata ſunt, & paludes incenſa ſunt igni, & viri bellatores conturbati ſunt. 33 Quia
hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael. Filia Babylonis quaſi area tempus trituræ
eius: adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis eius. 34 Comedit me, deuorabit
me, Nabuchodonoſor rex Babylonis, reddidit me quaſi vas inane: abſorbuit me quaſi
draco, repleuit ventrem ſuum teneritudine mea, & eiecit me, 35 Iniquitas aduer-
ſum me, & caro mea ſuper Babylonem, dicit habitatio Sion, & ſanguis meus ſuper habi-
tatores Chaldææ, dicit Ieruſalem. 36 Propterea hæc dicit Dominus, Ecce ego iudicabo
cauſam tuam, & vleiſcar vltionem tuam: & deſertum faciam mare eius, & ſiccabo ve-
nam eius. 37 Et erit Babylon in tumulos habitatio draconum, ſtupor & ſibilus, eo
quòd non ſit habitator. 38 Simul vt leones rugient, excutient comas velut catuli leo-
num. 39 In calore eorum ponam potus eorum: & inebriabo eos, vt ſopiantur, &
dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant, dicit Dominus. 40 Deducam eos

 quaſi

quaſi agnos ad victimam, & quaſi arietes cum hædis. 41 *Quomodo capta eſt Se-*
ſach & comprehenſa eſt inclyta vniuerſa terra? quomodo facta eſt in ſtuporem Babylon
inter gentes? 42 *Aſcendit ſuper Babylonem mare: multitudine fluctuum eius oper-*
ta eſt. 43 *Factæ ſunt ciuitates eius in ſtuporem: terra inhabitabilis & deſerta, terra*
in qua nullus habitet, nec tranſeat per eam filius hominis. 44 *Et viſitabo ſuper Bel*
in Babylone, & eijciam quod abſorbuerat de ore eius: & non confluent ad eum vltrà gen-
tes, ſiquidem & murus Babylonis corruet. 45 *Egredimini de medio eius populus meus:*
vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini. 46 *Et ne forte molleſ-*
cat cor veſtrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet in anno audi-
tio, & poſt hunc annum auditio, & iniquitas in terra, & dominator ſuper domina-
torem. 47 *Propterea ecce dies veniunt, & viſitabo ſuper ſculptilia Babylonis: &*
omnis terra eius confundetur, & vniuerſi interfecti eius cadent in medio eius. 48 *Et*
laudabunt ſuper Babylonem cæli & terra, & omnia quæ in eis ſunt, quia ab Aquilone
venient ei prædones, ait Dominus. 49 *Et quomodo fecit Babylon vt caderent occiſi in*
Iſraël: ſic de Babylone cadent occiſi in vniuerſa terra. 50 *Qui fugiſtis gladium, ve-*
nite, nolite ſtare: recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.
51 *Confuſi ſumus, quoniam audiuimus opprobrium: operuit ignominia facies noſtras:*
quia venerunt alieni ſuper ſanctificationem domus Domini. 52 *Propterea ecce dies*
veniunt ait Dominus: & viſitabo ſuper ſculptilia eius & in omni terra eius mugiet vul-
neratus 53 *Si aſcenderit Babylon cælum, & firmauerit in excelſo robur ſuum: à*
me venient vaſtatores eius, ait Dominus. 54 *Vox clamoris de Babylone, & contritio*
magna de terra Chaldæorum. 55 *Quoniam vaſtauit Dominus Babylonem, & per-*
didit ex ea vocem magnam: & ſonabunt fluctus eorum quaſi aquæ multæ: dedit ſoni-
tum vox eorum. 56 *Quia venit ſuper eam, id eſt, ſuper Babylonem prædo, & ap-*
prehenſi ſunt fortes eius, & emarcuit arcus eorum: quia fortis vltor Dominus reddens re-
tribuet. 57 *Et inebriabo principes eius, & ſapientes eius, & duces eius, & magi-*
ſtratus eius, & fortes eius, & dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur, ait
rex, Dominus exercituum nomen eius. 58 *Hæc dicit Dominus exercituum, Murus*
Babylonis ille latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur, & portæ eius excelſæ igne comburentur, &
labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt. 59 *Ver-*
bum quod præcepit Ieremias Propheta Saraiæ filio Neriæ filij Maaſiæ, cùm pergeret cum
Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni eius: Saraias autem erat princeps pro-
phetiæ. 60 *Et ſcripſit Ieremias omne malum, quod venturum erat ſuper Babylo-*
nem in libro vno: omnia verba hæc quæ ſcripta ſunt contra Babylonem. 61 *Et dixit*
Ieremias ad Saraiam, Cùm veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba
hæc, 62 *dices, Domine tu locutus es contra locum iſtum vt diſperderes eum: ne ſit qui*
in eo habitet ab homine vſque ad pecus, & vt ſit perpetua ſolitudo. 63 *Cúmque com-*
pleueris legere librum iſtum, ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum in medium Eu-
phraten, 64 *Et dices: Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictio-*
nis, quam ego adduco ſuper eam, & diſſoluetur. Hucuſque verba Ieremiæ.

IN hoc capite nihil aliud facit, niſi amplificare, quæ capite præcedenti contra Babylonem dixit; datque prophetiam ſcriptam Saraiæ Prophetæ eunti Babylonem, vt in Euphratem proiiciat, addens fore, vt eodem modo Babylon proiiciatur, ver. 59.

1. *Et ſuper habitatores.*] H. ואל ישבי לב קמי. ad verbum. Et contra habitatores cordis ſurgentis contra me: quod rectè noſter interpres explicauit, *ſuper habitatores eius, qui cor ſuum leuauerunt contra me*, id eſt, qui ſe aduerſus populum meum

meum extulerunt: quod enim populo factum eſt, ſibi factum dicit, quia qui eos tangebat, tangebat pupillam oculi ipſius, Zach. 2. 8. ſicut cap. 48. 26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus eſt.* & cap. 50. 29. *Quia contra Dominum erecta eſt, aduerſum ſanctum Iſraël. Quaſi ventum peſtilentem*: ventum peſtilentem, aut. משחית. corrumpentem vehementem omniaque deiicientem, Aquilonem vocat, qui magnas tempeſtates ciere ſolet, per Aquilonem autem, Medos, & Perſas intelligit, qui ab Aquilone venturi erant, vt dixit ſuperiore cap. ver. 3. 9. 41. Chaldæos autem comparat areæ, quæ flante Aquilone ventilatur, vt declarat verſu ſequenti.

2. *Et demolientur.*] ויבקקו Qui euacuabunt eam, id eſt diſpergent omnes habitatores eius, ita vt nemo in ea remaneat, ſicut paleæ, cum area ventilatur, vento extra aream deferuntur: *Quoniam venerunt ſuper eam vndique.* quia venient hoſtes, & vndique eam obſidebunt.

3. *Non tendat qui tendit.*] Hebræi nunc aliter legunt אל ידרך הדרך קשתו. Quod ſic R. Salomon & R. Dauid interpretantur, Ad tendentem, qui tendit arcum (ſub. dicam) & ad loricatum, qui gloriatur lorica ſua, nolite parcere iuuenibus eius. quaſi dicat, Præcipiam militibus Medorum, & Perſarum tam leuioris, quàm grauioris armaturæ, vt nequaquam pareant Chaldæis. Multò meliùs mihi videtur noſter interpres legiſſe אל, *al*, ne, quod non differt niſi puncto. Quemadmodum Chaldæus etiam legit: ſenſúſque eſt melior. Nam Hebræorum lectio violenta eſt. Quis enim vidit אל. *el*, articulum cum verbo futuri temporis iungi, vt ſi Latinè diceres, Ad tendet tendens, aut, Ad tendet tendentem. Deinde neceſſe illis eſt duo verba ſubintelligere אשר & אומר. vt ſenſum impleant. Negatio autem aptiſſimè conuenit, *Non tendet qui tendit* (aut tenſor) *arcum, & non aſcendet loricatus*, ponitur enim imperatiuum pro futuro apud noſtrum interpretem. Senſus eſt, ego manus ac pedes Chaldæorum ligabo, vt neq; ſagittarij arcũ tendere, neq; loricati fugere, aut mouere ſe poſſint, Trucidate ergo eos, nec parcatis illis. Iuuenes vocat milites, vt ſtatim explicat, quem ſæpe adnotauimus Heb. morem eſſe, vt c. 50. 30. & c. 49. 26. & c. 48. 15. *Probatur lectio noſtri Interpretis.*

4. *In regionibus eius.*] Eodem ſenſu Septuag. *ἔξωθεν αὐτῆς. Extra eam.* Hebr. בחוצתיה. In plateis eius, vt vertit Paraphraſtes Chaldæus, Terram enim Chaldæorum vocauerat Babylonem, propterea dicit. In plateis eius.

5. *Quoniam non fuit.*] non eſt, *viduatus.* quaſi dicat, Nondum Deus, qui maritus eſt Iſraëlis, & Iuda, mortuus eſt; nam ſi mortuus eſſet, non haberent, qui eos liberaret. Nunc verò quia mortuus non eſt, ipſe eos liberabit. *Terra autem eorum*, id eſt, Chaldæorum, vt exponunt R. Salom. & R. Dauid. *Repleta eſt delicto à ſancto Iſraël*, id eſt, contra Sanctum Iſraël, contra Deum, qui ſanctificat Iſraël, vel contra populum ſanctum Iſraël, Sanctus Iſraël vocatur Deus, vt cap. præcedenti v. 29. & Iſa. 54. 5. & 55. 5. *Delicto à Sancto*, dixit noſter interpres, pro, præuaricatione à Sancto. Sicut Hebraicè אשם מקדוש. Sept. alio ſenſu. *ἀπὸ τῶν ἁγίων Ισραὴλ. à ſanctis Iſrael*, id eſt, contra filios Iſraël, qui ſanctificati ſunt Deo.

6. *Fugite.*] R. Dauid exiſtimat, hæc verba dici alienigenis, qui negotiandi cauſa in Babylone erant. Meliùs Latini, & inter Hebræos R. Salom. referunt ad Iudæos, qui in Babylone erant, quaſi dicat, parate vos ad fugiendum ex Babylone, ne communi calamitate pereatis, vt infrà v. 45. *Egredimini de medio eius populus meus*, &c. Poſſunt etiam dici ipſis Chaldæis admodum cõſilij, vt ſignificetur tantam futurã ſtragẽ, vt ſi quis ſaluus eſſe velit, tempeſtiuè fugere debeat: ſicut Moabitis dicitur, c. 48. 6. *Fugite, ſaluate animas veſtras: & eritis quaſi myrica*

in

in deſerto. Et Idumæis, cap. 49. 8. *Fugite, & terga vertite, deſcendite in voraginem habitatores Dedam.* Atque hic ſenſus mihi melior videtur, & quia cum alijs locis magis conuenit; & quia Iudæi non fuga, ſed publico Cyri regis edicto liberandi erant; & quia de alijs alienigenis minor cura erat Deo. *Nolite tacere.* Apoſtrophe ad hoſtes. Tacere ſignificat hoc loco ceſſare, deſiſtere, parcere. Hebræorum phraſis, vt Pſal. 27. 1. *Ne ſileas à me*, id eſt, ne deſinas mihi opem ferre, & 2. Reg. 19. 10. *Vſquequo ſiletis, & non reducitis regem?* lege quæ adnotauimus, c. 47. 6. Iniquitas autem ſignificat hîc iniquitatis pœnam, vt Pſalm. 37. 5. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*, id eſt, pœnæ iniquitatum mearum oppreſſerunt me. Et Pſalm. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Eodem modo ſolent Hebræi ſacrificium pro

Iniquitas & peccatum pro pœna iniquitatis & ſacrificij pro peccato.

peccato, peccatum appellare. H. אל תדמו בעונה. quod R. Dauid interpretatur, ne excidamini, id eſt, ne pereatis propter iniquitatem eius, Quem eundem ſenſum Chald. Paraphraſt. & Sept. reddiderunt. Noſter interpres legit. תדמו. actiuè, illi paſſiuè, quod non differt niſi puncto.

7. *Calix aureus.*] Putat R. Dauid, calicem aureum appellari calicem plenum vini puri, ſicut aurum purum eſt. Chaldæus verò, calicem pretioſum. Vterque ſenſus conuenit. Nam Babylon fuit quaſi calix plenus ira Dei, quo omnes gentes inebriatæ ſunt, id eſt, vſque ad inſaniam afflictæ, vt dixit cap. 25. 15. calix autem aureus erat, quia diues & potens.

8. *Subitò cecidit.*] perſiſtit in metaphora calicis. quaſi dicat, poſtquam ex ea, tanquam ex calice iræ Dei omnes gentes biberunt, deiecit Deus calicem ipſum in terram, & confractus eſt. Ita Iſai. 21. 9. & Apoc. 14. 8. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Tollite reſinam.* צרי. balſamum, id eſt, adhibete illi balſamum, vt experiamur num ſanetur. Ironicè dictum; Ac ſi diceret, ita percutietur, vt ne balſamo quidem ſanari poſſit, ſicut ſuprà de Ægypto dixit, cap. 46. 11. *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Ægypti; fruſtrà multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi.*

Dialogus in textu.

9. *Curauimus.*] Dialogus eſt. Introducit enim homines, ad quos verba fecerat reſpondentes. *Curauimus Babylonem & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam*, hæc dicunt externi milites, qui in Chaldæorum auxilium venerant. Illis enim dixerat Deus ſuperiori verſu, *Tollite reſinam*, id eſt, defendite illam ſi poteſtis, reſpondent non poſſe, *quoniam peruenit vſque ad cœlos iudicium eius*, id eſt, quia non ab hominibus, ſed à Deo ipſo cœlitus oppugnatur; vel vt interpretatur R. Salom. *peruenit vſque ad cœlos*, id eſt, magna eſt pœna eius, vt Pſal. 107. 5. *Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.*

Quo ſenſu Iudæos hîc dicit iuſtos.

10. *Protulit.*] id eſt, reipſa oſtendit Deus nos eſſe iuſtos, (dicunt Iudæi) liberans nos à tyrannide Chaldæorum; ſicut re ipſa oſtendit Chaldæos eſſe iniuſtos puniens eos. Non ſignificat Iudæos eſſe iuſtos, aut ſine cauſa eos puniuiſſe, cùm tam ſæpe dixerit ſuprà, propter ipſorum peccata in captiuitatem ductos fuiſſe: Sed docet eos eſſe iuſtos, & innocentes hoc ſenſu, quòd, cùm Chaldæis nullam intuliſſent iniuriam, crudeliter ab eis tractati fuerint. Deus enim iuſtè eos puniebat, quia contra eum peccauerant: Chaldæi autem iniuſtè, quia contra eos nihil peccauerant. *Opus Domini*, id eſt, quomodo Chaldæos perdiderit, nos ſeruauerit.

11. *Acuite ſagittas.*] O vos Medi, & Perſæ, vt pugnetis contra Babylonem; quaſi dicat, præparate vos, Deus enim miſſurus eſt vos, vt Babylonem expugnetis.

Implete

Digitized by Google

Implete pharetras. ſagittis. H. מלאו השלטים. Quod R. Dauid interpretatur, congregate clypeos. Senſus noſtri interpretis eſt multò melior, quo ſenſu etiã Chaldæus,& Septuaginta verterunt.

12. *Leuate ſignum.*] O Medi, Inferte ſigna bellica Babylonem, & ſuper muros eius ponite. Primum captæ vrbis argumentum eſt, ſi hoſtis ſuper muros vexillum poſuerit. *Augete cuſtodiam*, id eſt, ſummittite nouos milites, qui feſſis ſuccedant החזיקו המשמר. ad verbũ, fortificate cuſtodiã. Cuſtodiã autẽ vocat, eos milites, qui muros conſcenderãt, ibique ſigna collocauerãt, quia ſolet cuſtod ia in muris eſſe: *Leuate cuſtodes.* הקימו שמרים. excitate cuſtodes, id eſt, ponite nouos cuſtodes. Hoc enim verbum Hebraïcum ſignificat: quaſi dicat, roborate priora præſidia, & conſtituite alia noua. *Et fecit*, faciet, quidquid cogitauit, ac prædixit.

13. *Quæ habitas.*] Deſcriptio eſt Babylonis, quæ & aquis Euphratis alluebatur, & theſauris abundabat. *Pedalis præciſionis tuæ*, id eſt, vt funditus excindaris. loquitur de Babylone, metaphoricè, tanquam de arbore, cuius pes, id eſt, truncus præſcindendus eſſet. quaſi dicat, *Iam ſecuris ad radicem tuam poſita eſt*, vt loquitur S. Ioannes Baptiſt. Lucæ 3.9. H. בא קצך אמת בצעך Quod R. Salom. exponit. *Venit finis tuus*, menſura rapinæ, id eſt, tempus, quo quemadmodum tu alias gentes ſpoliaſti; tu quoque ab aliis gentibus ſpolieris, vt apud Iſai. cap. 33. 1. *Væ qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nónne & ipſe ſperneris? cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis.* R. Dauid, venit menſura oppreſſionis tuæ, id eſt, vt quemadmodum tu alias gentes oppreſſiſti, tu etiam ab aliis gentibus opprimaris. qua enim menſura menſa es aliis, remetietur tibi. Matth. 7. 2. Luk. 6. 38.

14. *Replebo te hominibus.*] Priùs locutus eſt de Babylone tanquam de arbore, nunc loquitur tanquam de vinea, & de Medis, & Perſis tanquam de locuſtis eam depopulantibus; & tanquam de vindemiatoribus cantantibus celeuſma, vt ſe ad vindemiandi, calcandíque laborem cohortentur. hunc locum explicauimus, cap. 48. 33.

15. *In fortitudine ſua.*] potentia ſua. Ideo agit de potentia ſua Deus, vt oſtendat poſſe ſe Babylonem euertere. Vox Dei tonitrua.

16. *Dante eo vocem.*] Vocem Dei appellat tonitrua, quæ pluuia conſequi ſolet: ſignificátque tonante Deo cœlum quodammodo diſrumpi, ac pluuiam decidere. Cætera, quæ ſequuntur vſque ad verſum 20. explicata ſunt à nobis cap. 10. ver. 14. 15. 16.

20. *Collidis tu mihi vaſa belli.*] Senſus noſtræ verſionis eſt, Tu mihi hactenus omnes bellicoſas gentes confregiſti, (has enim vocat *vaſa belli*) ſed ego te nunc confringam. Eodem ſenſu, quamuis non verbis iiſdem Septuag. verterunt, &, vt videtur, etiam Caldæus Paraphraſtes. Hebræi verò ſic. מפץ אתה לי. Malleus tu mihi (ſub. hactenus fuiſti) quo ſcilicet omnes gentes confregi, ac diſſipaui. כלי מלחמה. & *vaſa belli*, id eſt, inſtrumentum, quo omnes debellaui. plurale pro ſingulari. *Et ego collidam in te.* poſſunt hæc omnia verba per præteritum verti, ego per te colliſi omnes gentes. *In te.* בך. per te, tanquam per malleum; ב enim apud Hebræos inſtrumentum ſignificat. ita etiam verſus ſequentes intelligendi ex ſententia R. Dauid, & R. Salom.

23. *Agricolam, & iugales eius.*] id eſt, boues, quibus iugatis arat. Deſcribit bellicam deuaſtationem. *Duces & magiſtratus.* סגנים. principes.

24. *Et reddam Babyloni.*] poſtquam illa tanquam malleo ad contundendas

omnes gentes viſus fuero. *In oculis veſtris.* O Iudæi, id eſt, videntibus vobis Iudæis puniam eos propter euerſionem templi,& Ieruſalem, vel, puniam eos propter malum, quod vobis videntibus fecerunt in Sion.

25. *Ecce ego ad te mons peſtifer.*] המשחית. corrumpens, ſicut ſtatim dicit, *Qui corrumpis* idem verbum alter vertens. Babylonem vocat montem. vt ait R. Dauid, non quòd in monte ſita eſſet, (erat enim in loco plano) ſed quòd eſſet fortis, & munita, quales ſolent eſſe vrbes, quæ in montibus ſitæ ſunt. Corrumpentem autem appellat quaſi lacerantem, ac deuorantem omnes gentes; quia ſicut ex montibus exire ſolent beſtiæ, quæ homines diſcerpunt, & vorant; ita ex Babylonis vrbe milites érumpebant, qui omnes gentes tamquam feræ dilacerabant. *Et euoluam te de petris*, id eſt, extraham te ex mediis rupibus, in quibus habitas; vt capiatis ab hoſtibus; deiiciam munitiones tuas. Quemadmodum vrbem vocauit montem; ita turres, vt ait R. Dauid, rupes appellat, quia quod ſunt rupes in monte, hoc ſunt turres in vrbe. *Et dabo te in montem combuſtionis*, id eſt, faciam vt non ſis deinceps mons corrumpens, habens feras corrumpentes: ſed mons combuſtus; Solent enim feræ combuſto monte, vbi habitabant, huc illucque diffugere.

Babylon cur mons corrumpens dicta.

26. *Non tollent de te.*] ſignificat montem, de quo loquebatur, vſque adeo conflagraturum, vt omnes eius lapides in cinerem redigantur. Solent autem in fundamentis, & in angulis maiores lapides poni, per quos Reges, & principes intelliguntur: quaſi dicat, non reperietur in te vir, qui poſſit eſſe rex, aut princeps, quia omnes delebuntur, vt Chaldæus Paraphraſtes, & R. Dauid interpretantur. *Sed perditus in æternum eris.* כי שממות עולם תהיה. Sed eris in deſolationes ſempiternas, id eſt, non reſtauraberis vltrà. Non quòd vrbs non fuerit reædificata; ſed quòd regnum non fuerit reſtitutum. Non enim de lapidibus; ſed de hominibus loquitur.

27. *Leuate ſignum.*] Tollite ſignum bellicum vbique (hoc enim eſt, *in terra*, id eſt, per totam terram. Alloquitur Deus ſummus imperator omnes inferiores duces, qui apud omnes gentes ſunt, iubetque milites contra Babylonem colligere. *Sanctificate*, id eſt, publico præconio omnes gentes ad pugnandum contra eam inuitate. Sæpe huiuſmodi Hebraiſmos declarauimus, vt ſuprà cap. 6. 4. *Sanctificate ſuper eam bellum.* Sicut ſanctificare ieiunium, eſt publicè ieiunium indicere, Ioël. 1. 14. & 2. 15. *Annunciate contra illam*, bellum. השמיעו. quod R. Dauid exponit, congregate contra eam regna Ararat, id eſt, maioris Armeniæ, & Menni, Armeniæ minoris, & Aſcanez, Gothiæ, vel, vt alij interpretantur, Germaniæ. *Numerate*, id eſt, conſcribite contra eam milites Taphſar. quod noſter interpres exiſtimauit nomen proprium eſſe loci. Quamquam Nahum 3. 17. idem nomen טפסריך, vertit paruuli tui. R. Salom. hoc loco putat exercitum; R. verò Dauid ducem, ac principem ſignificare, & interpretatur פקדו עליה טפסר. præficite contra eam principẽ. Chaldæus עלה עממיא עבדי זמנו præparate contra eam populos bellatores. Septuag. *Ἐπιστήσατε ἐπ' αὐτὴν βελοστάσεις. Conſtituite aduerſus eam iaculationes. quaſi bruchum aculeatum*, id eſt, horridis pilis. כמר. Equi non comparantur brucho propter fortitudinem; ſed propter multitudinem. Poteſt autem סמר. referri aut ad bruchum, aut quod magis mihi placet, ad equum, qui in bello erectis, & horrentibus crinibus eſſe ſolet.

Hebraiſmus.

19. *Commouebitur.*] Commoueatur, & conturbetur: futurum pro imperatiuo. *Quia euigilabit.* כי קמה. quia excitabitur. quaſi dicat, conſilium Domini, quod contra Babylonem iamdiu cogitauit, videtur hactenus dormiuiſſe, quia nondũ factum

factum eſt; ſed nunc excitabitur, id eſt, fiet. Phraſis Hebraica, vt Ezech. 7. 6. *finis venit, venit finis, euigilauit aduerſum te.* H. iungitur nomen plurale cum verbo ſingulari קמה חשבות excitabitur cogitationes, Domini, id eſt, vnaquæque cogitationum, quidquid Dominus cogitauit. Hebræ. inv.

30. *Ceſſauerunt.*] præ timore; aut laſſitudine. Deuoratum eſt. נשתה. defecit robur eorum, loquitur de re futura, vt de præterita, vt magis ponat ante oculos.

31. *Currens obuiam currenti.*] tam multi curſores, tam multi nuntij ad regem mittentur, qui vrbem captam eſſe dicant, vt alij euntes alijs redeuntibus in via occurrant. *A ſummo vſque ad ſummum.* מקצה. ab extremo, aut, à fine, id eſt, captam eſſe extremam partem vrbis, hoſtes in vrbem ingreſſos eſſe, vt interpretatur R. Dauid, & vt Septuag. verterunt. Alij dicunt captam fuiſſe vrbem per angulum, qua Euphrates in vrbem influebat, ídque hoc loco ſignificari: Sed quia hiſtotia non conſtat, videntur mihi de ſuo diuinare.

32. *Vada.*] Euphratis. *Et paludes.* אגמים. arundines, quæ in locis paluſtribus naſci ſolent.

33. *Tempus trituræ eius.*] propè eſt, trituram vocat, attritionem, & afflictionem ciuium; Meſſem autem ſpoliationem rerum omnium. Quia in meſſe agri, qui ſegetibus veſtiti erant, ſpoliantur.

34. *Comedit me.*] Verba ſunt Sionis, & populi Iudæorum, vt appatet ex verſu ſequenti. *Reddidit me*, id eſt, fecit me quaſi vas ריק. vacuum, id eſt, euacuauit me omnibus meis bonis. *Teneritudine mea.* מעדני. deliciis meis. ventrem Nabuchodonoſoris vocat theſaurum, aut ærarium eius, delicias autem ſuas, ſua bona, quibus Nabuchodonoſor theſauros ſuos impleuit vt Chaldæus interpretatur. *Et eiecit me*, id eſt, euomuit. quaſi dicat, poſtquam omnes facultates meas deuorauit, pepulit me ex patria mea, & in captiuitatem miſit.

35. *Iniquitas aduerſum me.*] id eſt, qua Babylon aduerſum me vſa eſt, חמסי. violentia mei. paſſiuè, id eſt, mihi à Babylone illata. *Et caro mea*, id eſt, meorum ciuium, qui à Babyloniis interfecti ſunt. *Super Babylonem*, id eſt, contra Babylonem clamat, ſicut ſanguis Abelis contra Caim, Geneſ. 4. 10. aut ſuper Babylonem veniet, vt Matth. 23. 35: *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ.* Et Matth. 27. 25. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

36. *Iudicabo cauſam tuam.*] id eſt, defendendam ſuſcipiam, vlciſcar iniuriam tibi à Chaldeæis factam ô Ieruſalem, ſicut ſtatim explicat dicens, *Vlciſcar vltionem tuam*, *Et deſertum faciam*, id eſt, areſaciam, *mare eius*, Babylonis. Mare vocat abundantiam bonorum, vt ait R. Dauid, venam, vectigalia, quæ illi à multis gentibus ſoluebantur, aut negotiationem, vnde illi quaſi ex aliquo perenni fonte diuitiæ manabant.

37. Huius verſus explanationem ſi quis deſiderat, legat ſuprà cap. 25. 9. 18. & cap. 29. 18. & cap. 49. 17.

38. *Vt leones rugient.*] Adnotat R. Dauid, poſſe hæc verba aut de Babyloniis, aut de Medis intelligi: Si de Babyloniis, ſenſum eſſe fore, vt præ dolore ita gemant, vt rugire videantur, vt ait Dauid; Pſalm. 37. 9. *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Si de Medis, ſignificari eorum ferocitatem, vt ſuprà cap. 15. *Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam, poſuerunt terram eius in ſolitudinem*; Qui ſenſus magis mihi placet.

39. *In calore.*] In calorem eorum, id eſt, efficiam, vt eorum conuiuia in perpetuam ebrietatem conuertantur, ex qua numquam expergeſiant. Hebræorum

interpretes vt R. Salom. & R. Dauid, & R. Ionath. & ex noſtris nonnulli referunt hoc ad conuiuium, quod celebrauit Baltaſar rex Babylonis, qua nocte capta eſt vrbs, à Medorum rege Dario, quo conuiuio rex inebriatus fuiſſe dicitur Danielis 5. t. 2. & eadem nocte ab hoſtibus interfectus, ver. 30. Hoc eſt, quod Ieremias ait, *vt ſopiantur & dormiant ſomnum ſempiternum*, id eſt, moriantur, mortem enim vocat ſempiternum ſomnum.

Mors ſomnus ſempiternus.

40. *Quaſi agnos.*] id eſt, ebrios, ita vt non reſiſtant. *Ad victimam.* לטבח. ad macellum, aut, ad occiſionem.

Babylon cur hic Seſach dicta.

41. *Quomodo capta eſt.*] Epiphonema eſt Prophetæ ſecum mirantis vrbem captam, quæ inſuperabilis videbatur. *Seſach*, id eſt, Babylon, quæ Seſach appellatur per את בש, id eſt, per tranſmutationem litterarum alphabeti, vt expoſuimus cap. 25. 26. Propterea autem videtur hoc loco Propheta potiùs Seſach, quàm Babylonem appellare, vt ipſa litterarum tranſmutatione, vrbis euerſionem ſignificet. *Inclyt.* תהלת כל הארץ. laus & gloria; vniuerſæ terræ. *Babylon, inter Gentes*, id eſt, in ſtuporem Gentium, vel, quæ priùs in Gentibus dominabatur, vt expoſuimus cap. præcedenti, ver. 13.

42. *Mare.*] mare vocat Medorum exercitum, qui propter magnitudinem terram operiebat.

Cibus Belis quis.

44. *Viſitabo.*] id eſt, exitium inducam ſuper Bel nobiliſſimum Babyloniorum idolum. *Et eiiciam, quod abſorbuerat*, id eſt, faciam illud euomere quidquid diu comedit. Vocat cibum Belis, quem comedebat, dona, quæ illi honoris cauſa offerebantur, vt ait R. Dauid: Mihi autem videtur Ieremias alludere ad hiſtoriam Belis, quæ eſt apud Danielem, cap. 14. 2. vbi ſcribitur opinionem fuiſſe Babyloniorum, idolum comedere, idcóque duodecim ſimilæ artabas, & quadraginta oues, & amphoras vini ſex illi per dies ſingulos dari conſueuiſſe. Itaque ex hoc Ieremiæ loco hiſtoria illa confirmari videtur poſſe.

45. *Egredimini.*] vt ſuprà ver. 6.

46. *Et veniet in anno.*] R. Dauid ſic interpretatur, Baltaſar, inquit, regnauit tres annos, primo anno fama Babylonem peruenit Medos venturos eſſe; ſecundo anno venit fama, quòd iam veniret, tertio, vrbs ab illis expugnata eſt, & venit *dominator ſuper dominatorem*, id eſt, Darius Medus regnauit pro Baltaſare, Daniel, 5. 31. Alij de Cyro interpretantur, qui Dario ſucceſſit Daniel. 6. 28.

48. *Et laudabunt.*] ורננו. exultabunt *cœli, & terra*, id eſt, & Deus, & homines lætabuntur Babylonis expugnatione, quia & Deum, & homines grauiter offenderat.

Iudæos Deus alloquitur.

50. *Qui fugiſtis gladium.*] O vos Iudæi, qui in expugnatione Ieroſolymitana gladium Nabuchodonoſoris effugiſtis, & Babylonem captiui ducti eſtis; *venite* iterum in Ieruſalem, *Nolite ſtare*, id eſt, nolite tardare, nolite in Babylone diutiùs commorari; ſed tandem *recordamini procul Domini*. מרחוק. à longinquo, id eſt, longo pòſt tempore, poſt ſeptuaginta demum annos, quibus in captiuitate fuiſtis, vt exponit R. Dauid. quaſi dicat, videte ne longinquitas temporis memoriam vobis obliteret diuini cultus, quem Ieroſolymis exercebatis.

Reſpondent Iudæi.

51. *Confuſi ſumus.*] pudore affecti ſumus, reſpondent Iudæi propter opprobria, quæ à Chaldæis ſæpe contra Dominum, & eius templum audiuimus. *Operuit ignominia*, id eſt, rubore ſuffuſi ſumus propter ignominiam. Repetitio eſt: idem enim valet, *Operuit ignominia facies noſtras, &, confuſi ſumus. Quia venerunt alieni*, id eſt, homines profani, Chaldæi, & contaminauerunt *ſanctificatio-*

nem

nem domus Domini, id eſt, templum ſanctum Domini. H. על מקדשי. ſuper ſancta ſicut Septuag. tranſtulerunt, quod R. Dauid putat numero plurali dictum eſſe propter tres partes templi præcipuas, quarum vnaquæque templum appellabatur: eæ autem erant, atrium, templum, & adytum.

Templi tres partes præcipuæ, quæ ſingulæ templum etiam dicebãtur.

53. *Si firmauerit in excelſo robur ſuum.*] id eſt, ſi in cœlo ipſo præſidium ſuum poſuerit; ſi in cœlo arcem ſibi ædificauerit, qua ſeſe muniat, mittam vaſtatores, qui eam inde detrahant. Significat non poſſe Babylonem manus Dei effugere: ſicut ſuprà dixit de Idumæa, cap. 49. 16. & Abdias, verſu 4. *Si exaltatus fueris vt aquila, et ſi inter ſydera poſueris nidum tuum inde detraham te.* Simile illud apud Dauidem, Pſalm. 138. 8. *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades.*

54. *Vox clamoris de Babylone*] audietur, vt cap. 48. 3. *vox clamoris de Oronaim.*

55. *Perdidit ex ea vocem magnam.*] id eſt, faciet (præteritum pro futuro) vt Babyloni, vbi nunc propter populi frequentiam, magnus ſtrepitus, magnum murmur eſt, ſummum ſilentium ſit, quia magna erit occiſis habitatoribus ſolitudo. Sic interpretatur R. Dauid. Quidam ex noſtris *vocem magnam*, ſuperbiam eſſe dicunt. Solent enim ſuperbi magna loqui voce, vt Prouerb. 19. 1. *Melior eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia ſua* id eſt, ſuperbè loquens. *Et ſonabunt fluctus eorum*, Babyloniorum, cùm occidentur, gemitus ſonabunt, ſicut fluctus aquarum multarum.

56. *Apprehenſi.*] capti ſunt pugnatores eius. *Emarcuit*, elanguit, remiſſus eſt. חתתה. contritus eſt arcus eorum, vt Chaldæus vertit. Septuag. ἐπτόηται τόξον αὐτῶν. *timuit arcus eorum*, quia חתת. id etiam ſignificat. Sed ea ſignificatio huic loco minùs congruit.

57. *Et inebriabo.*] vino furoris mei, *& dormient ſomnum ſempiternum*, id eſt, morientur. Solent enim ebrij dormire. Putat etiam hoc loco R. Dauid alludi ad hiſtoriam Danielis c. 5. 2. & 30. vt ſimilis ſententia, quem explicauimus. v. 39.

58. *Murus ille latiſſimus.*] ſic legendum, non autem altiſſimus, vt nonnulli codices habent, quia ſic eſt Hebraïcè, & ſic vertunt Septuag. & Paraphraſtes Chaldæus. *Suffoſſione ſuffodietur.* ערער תתערער. Chaldæus Paraphraſtes & Septuaginta, & R. Salomon, ſicut noſter interpres, ſuffoſſione ſuffodietur. R. Dauid, confringendo confringetur. *Et labores populorum ad nihilum.* H. ויגעו עמים בדי ריק & laborabunt gentes in vanum, aut ad nihilum; quod quidam exponunt, fruſtrà conabuntur ignem extinguere; non enim poterunt. Alij, vt refert R. Dauid, laborabunt populi, vt eripiant ex flammis ſubſtantiam ſuam, ſed non poterunt. Meliùs noſter interpres ſenſum expreſſit; ſignificat enim fore, vt muri Babylonis, qui vectigalibus multarum gentium labore collectis, ædificati fuerant, in nihilum redigantur. Hic ſenſus elicitur ex Habacuc, vbi eadem ſententia clariùs ſcribitur, cap. 2. 13. *Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.* Sic etiam R. Dauid interpretatur. *Et Gentium* (ſub. labores) *in ignem erunt*, id eſt, vrbs, quæ multarum gentium labore ædificata fuerat, igne conſumetur.

59. *Verbum.*] Redit ad tempus præteritum, ad annum quartum Sedeciæ: quamquam fieri poteſt, vt ſuperior prophetia aduerſus Babyloné eodem anno, aut etiam antè edita fuerit; non enim tempus notatum eſt. *Cùm pergeret cum Sedecia.* Chaldæus Paraphraſtes interpretatur, Cùm in legationem pro Sedecia miſſus eſſet: quaſi ipſe Sedecias tunc non iuerit Babylonem, ſed Saraiam legatum miſerit. Eodem ſenſu Sept. verterunt, ὅτι ἐπορεύετο παρὰ Σεδεκίου. *cùm proficiſ-*

ceretur à Sedecia. Verumtamen verba Hebraïca non patiuntur hanc interpretationem. בלכתו את צדקיהו. cùm iret cum Sedecia. Interpretantur autem Hebræi hunc locum ex auctore, סוד עו:ם non de profectione Sedeciæ in captiuitatem; ſed de altera profectione, qua cum eo anno quarto regni ſui Babylonem iuit viſendi regis cauſa: quemadmodum locum alterum penè ſimilem intelligunt, ſuprà cap. 28. 1. *Saraias autem erat princeps prophetiæ*, id eſt, primus inter Leuitas, qui prophetias ſolebant decantare, vt quidam noſtrorum interpretantur, aut princeps ſacerdotum, vt vocatur cap. ſequenti ver. 24. & 4. Reg. 25. 18. H. שר מנוחה quod noſter interpres vertit, *Princeps prophetiæ*, quamuis nomen Hebraicum quietem ſignificet, quia per quietem Prophetæ afflari ſolent. Alij videntur legiſſe שר מנחה. princeps munerum, id eſt, qui excipiendis muneribus Regis præerat, vt interpretatur R. Salom. atque hoc ſenſu Chaldæus & Sept. tranſtulerunt. Alij, qui ſolebat regis munera ad alios reges deferre, ideóque ad regem Babylonis cum muneribus miſſum eſſe. Alij, ex R. Dauid, princeps quietis, id eſt, recreationis regis, quocum Rex ſolebat recreandi animi cauſa confabulari. Alij, princeps quietis, id eſt, cubiculi Regis. quaſi dicat, primus Regis cubicularius.

64. *Et non conſurget.*] R. Dauid, & alij eum ſecuti exponunt, non poterunt reſiſtere Babylonij hoſtibus, quos ego contra illos adducam. Ego ſic, ita peribit Babylon propter afflictionem, quam ego illi inducam, vt numquam ampliùs reſtauretur; quod non de ædificiis; ſed de regno, & poteſtate intelligendum eſt, vt dixit ſuperiori cap. ver. 39. *Non habitabitur vltra vſque in ſempiternum, nec extruetur vſque ad generationem, & generationem.* Loquitur autem hoc loco Saraias perſona Dei, propterea dicit, *Quam ego adduco ſuper eam. Hucuſque verba Ieremiæ*, contra Babylonem. Non enim ſignificat non eſſe verba Ieremiæ quæ ſequuntur; ſed eſt epilogus prophetiæ contra Babylonem titulo reſpondens, cap. 50. ver. 1. Quem epilogum idcirco addidit, quia prophetia longa fuerat, vt ait R. Dauid; quemadmodum in propheta contra Moab, cap. 48. ver. 47. dixit, *Hucuſque iudicia Moab.* Aut quia quæ ſequuntur non tam Ieremiæ, quàm auctoris lib. 4. Regum verba ſunt, cap. 24. & 25.

Babylon an poſtea reſtituta.

CAPVT LII.

FILIVS viginti & vnius anni erat Sedecias cum regnare cœpiſſet: & vnde-
cim annis regnauit in Ieruſalem: & nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ
de Lobna. 2 *Et fecit malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Ioa-*
cim 3 *Quoniam furor Domini erat in Ieruſalem & in Iuda, vſquequo proiiceret eos*
à facie ſua: & receſſit Sedecias à rege Babylonis. 4 *Factum eſt autem in anno nono*
regni eius, in menſe decimo, decima menſis: venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, ipſe,
& omnis exercitus eius aduerſus Ieruſalem, & obſederunt eam, & ædificauerunt contra
eam munitiones in circuitu. 5 *Et fuit ciuitas obſeſſa vſque ad vndecimum annum regis*
Sedeciæ. 6 *Menſe autem quarto, nona menſis, obtinuit fames ciuitatem: & non*
erant alimenta populo terræ. 7 *Et dirupta eſt ciuitas, & omnes viri bellatores eius*
fugerunt, exierúntque de ciuitate nocte per viam portæ, quæ eſt inter duos muros, & ducit
ad hortum regis (Chaldæis obſidentibus vrbem in gyro) & abierunt per viam quæ ducit
in eremum. 8 *Perſecutus eſt autem Chaldæorum exercitus regem: & apprehenderunt*
Sedeciam in deſerto, quod eſt iuxta Iericho. & omnis comitatus eius diffugit ab eo.
9 *Cùmque*

9. *Cúmque comprehendiſſent regem, adduxerunt eum ad Regem Babylonis in Reblá-*
tha, quæ eſt in terra Emath: & locutus eſt ad eum iudicia. 10 *Et iugulauit rex Ba-*
bylonis filios Sedeciæ in oculis eius: ſed & omnes principes Iuda occidit in Reblátha.
11 *Et oculos Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis*
in Babylonem: & poſuit eum in domo carceris vſque ad diem mortis eius. 12 *In*
menſe autem quinto, & decima menſis, ipſe eſt annus nonusdecimus Nabuchodonoſor re-
gis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiæ, qui ſtabat coram rege Babylonis in
Ieruſalem: 13 *Et incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Ieru-*
ſalem, & omnem domum magnam igne combuſſit. 14 *Et totum murum Ieruſalem*
per circuitum deſtruxit cunctus exercitus Chaldæorum qui erat cum magiſtro militiæ.
15 *De pauperibus autem populi, & de reliquo vulgo quod remanſerat in ciuitate, & de*
perfugis qui tranſfugerant ad regem Babylonis, & cæteros de multitudine tranſtulit
Nabuzardam princeps militiæ. 16 *De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzar-*
dam princeps militiæ in vinitores & agricolas. 17 *Columnas quoque æreas quæ erant*
in domo Domini, & baſes, & mare æneum quod erat in domo Domini, confregerunt
Chaldæi, & tulerunt omne æs eorum in Babylonem. 18 *Et lebetes, & creagras, &*
pſalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vaſa ærea quæ in miniſterio fuerant, tu-
lerunt. 19 *Et hydrias, & thymiamateria, & vrceos, & pelues, & cãdelabra, & morta-*
ria, & cyathos quotquot aurea, aurea: & quotquot argẽtea, argẽtea: tulit magiſter militiæ.
20 *Columnas duas, & mare vnum, vitulos duodecim æreos, qui erant ſub baſibus, quas*
fecerat rex Salomon in domo Domini: non erat pondus æris omnium horum vaſorum.
21 *De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna: & fu-*
niculus duodecim cubitorum circuibat eam: porrò groſſitudo eius, quatuor digitorum: &
intrinſecus caua erat. 22 *Et capitella ſuper vtramque ærea: altitudo capitelli vnius*
quinque cubitorum: & retiacula, & malogranata ſuper coronam in circuitu, omnia ærea
ſimiliter columnæ ſecundæ, & malogranata. 23 *Et fuerunt malogranata nonaginta*
ſex dependentia: & omnia malogranata centum retiaculis circundabantur. 24 *Et*
tulit magiſter militiæ Saraiam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecun-
dum: & tres cuſtodes veſtibuli. 25 *Et de ciuitate tulit eunuchum vnum, qui erat præ-*
poſitus ſuper viros bellatores: & ſeptem viros de his qui videbant faciem regis, qui inuen-
ti ſunt in ciuitate, & ſcribam principem militum, qui probabat tyrones: & ſexaginta vi-
ros de populo terræ, qui inuenti ſunt in medio ciuitatis. 26 *Tulit autem eos Nabu-*
zardam magiſter militiæ: & duxit eos ad regem Babylonis in Reblátha. 27 *Et*
percuſſit eos rex Babylonis: & interfecit eos in Reblátha in terra Emath: & tranſlatus
eſt Iuda de terra ſua. 28 *Iſte eſt populus quem tranſtulit Nabuchodonoſor: In anno*
ſeptimo, Iudæos tria millia & viginti tres. 29 *In anno octauodecimo Nabuchodono-*
ſor de Ieruſalem animas octingentas triginta duas. 30 *In anno vigeſimo tertio Na-*
buchodonoſor, tranſtulit Nabuzardan magiſter militiæ animas Iudæorum ſeptingentas
quadraginta quinque, omnes ergo animæ, quatuor millia ſexcentæ. 31 *Et factum eſt*
in trigeſimo ſeptimo anno tranſmigrationis Ioachim regis Iuda, duodecimo menſe, vige-
ſima quinta menſis, eleuauitq́; Euilmerodach rex Babylonis ipſo anno regni ſui, caput Ioa-
chim regis Iuda: & eduxit eum de domo carceris. 32 *Et locutus eſt cum eo bona, &*
poſuit thronum eius ſuper thronos regum, qui erant poſt ſe in Babylone. 33 *Et muta-*
uit veſtimenta carceris eius, & comedebat panem coram eo ſemper cunctis diebus vitæ
ſuæ. 34 *Et cibaria eius, cibaria perpetua dabantur ei à rege Babylonis ſtatuta per*
ſingulos dies, vſque ad diem mortis ſuæ cunctis diebus vitæ eius.

Hoc

HOc caput non prophetiam vllam continet, ſed regis Sedeciæ hiſtoriam tranſlatam in hunc locum iiſdem ferè verbis ex 4. lib. Regum cap. 24. & 25.

1. *Filius.*] Hebraiſmus paſſim in libris Regum occurrens pro eo, quod Latini dicunt, Viginti vnum annos natus erat Sedecias, cùm regnare cœpit. *Filiæ Ieremiæ*, non Prophetæ, ſed alterius eiuſdem nominis ſacerdotis. Nam Lobna ciuitas ſacerdotum erat. Quæ ex 4. lib. Regum ſunt, illic ſunt à nobis explicata; illic videat, qui explanationem deſiderat: hoc loco ea tantùm explicabimus, quæ illic non leguntur.

21. *Et funiculus.*] חוט. filum, *duodecim cubitorum*, id eſt, peripheria, quam filo metiri ſolemus, habebat duodecim cubitos.

23. *Dependentia.* id eſt, ad latus. H. רוחה. ad latus vnum, vt Chald. vertit. Similiter Sept. *τὸ ἐν μέρος. vna ex parte.*

Quo anno Ioacin fuit in Babyloneni tranſlatus.

28. *In anno ſeptimo.*] lib. 4. Reg. c. 24. 12. dicitur fuiſſe annus octauus regni Nabuchodonoſoris. Nulla mihi reſponſio melior videtur, quàm quam reddit R. Salom. in comm. in hunc, & in illum locum, fuiſſe tempus illud finem ſeptimi anni, & initum octaui: propterea hic ſeptimum, illic octauum annum dici. Alij, vt R. Dauid, reſpondent illic numerari annos, quibus Nabuchodonoſor in Chaldæa regnauerat, hîc verò annos, quibus capto Ioachin in Iudæa etiam regnauerat.

30. *In anno vigeſimo tertio.*] lib. 4. Reg. c. 25. v. 8. dicitur hîc fuiſſe annus decimus nonus. Reſpondent Hebræi ex libro סדר עולם. illuc notari annum, quo primùm Nabuzardam templum euertit, & incendit vrbem, captiuoſque duxit eos, quos Ieroſolymis inuenerat: hîc autem annum, quo Nabuchodonoſor vicina regna Ammonitarum, & Moabitarum occupauit, & Iudæos, qui eò confugerant, Babylonem traduxit, qui annus quartus fuit ab eo, quo templum euerſum fuerat.

31. *Vigeſima quinta menſis.*] lib. 4. Reg. c. 25. ver. 27. dicitur id factum eſſe, die vigeſima ſeptima menſis. Reſpondet R. Dauid, die vigeſima quinta mortuum fuiſſe Nabuchodonoſorem, die vigeſima ſexta ſepultum, & Euilmerodach ex carcere eductum, quo tenebatur; quia, vt dicunt Hebræi, regnum affectabat; die verò vigeſima ſeptima rex conſtitutus eſt, & Ioachin ex carcere eductum honorificè tractauit: quod ideo feciſſe tradunt Hebræi, quòd eo, cùm in carcere teneretur, familiariter vſus eſſet.

IOANNIS

IOANNIS MALDONATI SOCIETATIS IESV THEOLOGI, COMMENT. IN LAMENTATIONES IEREMIÆ.

PROOEMIVM.

LAMENTATIONES Ieremiæ non alium habent titulum Hebraïcè, quàm איכה. *Quomodo*, quod primum earum verbum eſt: ſicut Geneſis בראשית. *In principio*. Exodus ואלה שמות. *Hæc ſunt nomina*. Sic enim Hebræi ſolent ex prima dictione libro titulum dare. Vocatur tamen in Rabbinorum libris, קינות. lamentationes, vt apud Latinos, & apud Græcos *θρῆνοι*, *planctus*, Vnde perſpicuum eſt verba illa Ieremiæ non eſſe, quæ tituli loco in Græcis, & Latinis codicibus legi ſolent, Et factum eſt poſtquam in captiuitatem redactus eſt Iſraël, & Ieruſalem deſerta eſt, ſedit Ieremias Propheta flens, & planxit Lamentatione hac in Ieruſalem, & amaro animo ſuſpirans, & eiulans dixit. Nam neque nunc leguntur apud Hebræos, etſi aliquando lecta fuiſſent, numquam liber איכה appellatus eſſet, quia iam ea prima dictio non fuiſſet. Itaque aut à Septuaginta, aut, quod veriſimilius eſt, ab aliquo poſtea argumẽti loco addita creduntur. Chaldæus Paraphraſtes titulum etiam addidit, ſed diuerſum, his verbis. Dixit Ieremias Propheta, & ſacerdos magnus. Quo tempore lamentationes à Ieremia compoſitæ fuerint, incertum eſt. Quiſquis titulum illum, quem diximus, appoſuit. poſt Sedeciæ captiuitatem, templique, & vrbis euerſionem ſcriptas fuiſſe exiſtimauit. Quod Hebræi non credunt; non enim rei præteritæ hiſtoriam; ſed lamentabilem futuræ calamitatis prophetiam eſſe putant. Hieronymus etiam ante alias Ieremiæ prophetias, editas eſſe arbitratur. Has enim lamentationes fuiſſe, quas populus in funere Ioſiæ regis in ſecundo Paralipomenon libro dixiſſe fertur. A qua ſententia Ioſephus librô decimo Iudaïcarum Antiquitatum cap. 6. non longè videtur abhorrere: ita etiam ſentit Chaldæus Paraphraſtes c. 1. ver. 18. R. Salomon, & nonnulli alij docent hunc illum eſſe librum, quem à Ieremia dictatum, à Baruch ſcriptum, & in templo audiente vniuerſo populo perlectum, rex Ioacim cultello diſcidit, atque igne cremauit, vt vidimus c. 36. 23. quem poſtea Ieremias iterum ſcripſit, & alia vaticinia prioribus adiecit, vt præceperat illi Deus ver. 28. & 32. Hanc opinionem Aben Ezrà refellit, quòd initio illius cap. 36. ver. 2. Deus Ieremiæ dixerit, *Tolle volumen libri, & ſcribes in eo omnia verba quæ locutus ſum tibi, aduerſum Iſraël, & Iudam, & aduerſum omnes gentes*; in libro autem lamentationum, nihil aduerſum Gentes dicatur. Deinde quòd eodem cap. ver. 29. ſcriptum ſit. *Hæc dicit Dominus. Tu combuſſiſti volumen illud, dicens, quare ſcripſiſti in eo annuntians, Feſtinus veniet rex Babylonis, & vaſtabit terram hanc?* quæ verba in lamentationibus non reperiuntur. Quare omnium probabiliſſima eſt opinio

Quo tempore conſcripta.

Digitized by Google

Hieronymi, lamentationes in obitu Ioſiæ regis fuiſſe cõpoſitas. Itaque quamuis vltimo loco ponantur, maiorem tamen partem earum prophetiarum, quæ ſuperiori libro continentur, præceſſerunt, quia, vt ſæpe monuimus, in compingendis, collocandiſque prophetis ordo temporum non ſeruatur. *Argumentum libri.* Argumentum totius libri eſt, templi & vrbis euerſionem plangere, Ioſiamque regem mortuum lugere, vt ex libro 2. Paral. c. 35. ver. 25. manifeſtum eſt, & ex hoc ipſo libro c. 4. ver. 20. colligitur; vbi de Ioſia, aut de Sedecia dicitur, *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Cæterùm negandum non eſt, quod quidam nimis Hebraïzantes interpretes negant, prophetam longiùs etiam ad Eccleſiæ calamitates, & Chriſti mortem proſpicere, vt ipſa Eccleſia, dum in Chriſti paſſione has lamentationes decantat, tacitè videtur interpretari. Porrò nulla in toto opere ſententiarum connexio eſt: ſed vt in luctu fieri ſolet, tumultuariè congeruntur, prout eas dolor effundit. *Artificium.* Artificium maius hîc, quàm in cæteris prophetiis; carmine enim ſcribit, nõ certis quidem numeris temporum, ac pedum, vt Latini, & Græci ſolent; ſed, vt Hebræi; certo ferè numero ſyllabarum, & initio carminis Hebraïcorum elementorum ordine ſeruato, idem videmus Dauidem in centeſimo decimo octauo Pſalmo feciſſe. Sunt autem quattuor Alphabetha. In primo ſub ſingulis litteris terni dodecaſyllabi verſus concluduntur: in ſecundo Alphabetho terni quoque verſus ſub vna eademque littera continentur, quorum primus ſexdecim, reliqui duo duodecim ſyllabarum ſunt: in tertio terni verſus non ſolùm ſub vna littera ponuntur, ſed ab eadem etiam inchoantur, quorum vnus non ſeruato ordine quattuordecim, alij duodecim ſyllabarum eſſe ſolent: quartum ſimile eſt primo. Putat etiam Hieronymus in primis illis Alphabethi litteris aliquid, quod nos lateat, myſterij contineri: quod quamuis à nonnullis faſtidioſè refutetur, fortaſſe verum eſt; certè ab Hebræorum ingenio non alienum.

LAMENTATIONES IEREMIÆ.

CAPVT PRIMVM.

R Q*VOMODO ſedet ſola ciuitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina Gentium: princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.* 2 ב *Plorans plorauit in nocte, & lachryma eius in maxillis eius: non eſt qui con-*
ſoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei ini-
mici. 3 ג *Migrauit Iuda propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis: habitauit inter Gentes nec inuenit requiem: omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter*
anguſtias. 4 ד *Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolennitatem. Omnes portæ eius deſtructæ: ſacerdotes eius gementes: virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa*
amaritudine. 5 ה *Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt: quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatũ eius: paruuli eius ducti*
ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis. 6 ו *Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius: facti ſunt principes eius velut arietes non inuenientes paſcua: & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.* 7 ז *Recordata eſt Ieruſalem die-*
rum afflictionis ſuæ, & præuaricationis, omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à
diebus

diebus antiquis cùm caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator: vide-
runt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbatha eius. 8 ח *Peccatum peccauit Ieruſalem,*
propterea inſtabilis facta eſt: omnes, qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quia vide-
runt ignominiam eius: ipſa autem gemens, & conuerſa eſt retrorſum. 9 ט *Sordes*
eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui: depoſita eſt vehementer, non habens con-
ſolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. 10 י *Ma-*
num ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius: quia vidit gentes ingreſſas ſanctua-
rium ſuum, de quibus praeceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam. 11 כ *Omnis po-*
pulus eius gemens, & quaerens panem: dederunt pretioſa quaeque pro cibo ad refocillandam
animam. Vide Domine, & conſidera, quoniam facta ſum vilis. 12 ל *O vos omnes*
qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus: quoniam vinde-
miauit me, vt locutus eſt Dominus in die irae furoris ſui. 13 מ *De excelſo miſit ignem*
in oſſibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis: conuertit me retrorſum: poſuit
me deſolatam, tota die moerore confectam. 14 נ *Vigilauit iugum iniquitatum mearum:*
in manu eius conuolutae ſunt, & impoſitae collo meo: infirmata eſt virtus mea: dedit me
Dominus in manum de qua non potero ſurgere. 15 ס *Abſtulit omnes magnificos meos*
Dominus de medio mei, vocauit aduerſum me tempus, vt contereret electos meos: torcu-
lar calcauit Dominus virgini filiae Iuda 16 ע *Idcirco ego plorans, & oculus meus de-*
ducens aquas: quia longè factus eſt à me conſolator conuertens animam meam: facti ſunt
filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus. 17 פ *Expandit Sion manus ſuas: non eſt*
qui conſoletur eam: mandauit Dominus aduerſum Iacob, in circuitu eius hoſtes eius: facta
eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos. 18 צ *Iuſtus eſt Dominus, quia os eius*
ad iracundiam prouocaui. Audite obſecro vniuerſi populi, & videte dolorem meum: vir-
gines meae & iuuenes mei abierunt in captiuitatem. 19 ק *Vocaui amicos meos, ipſi*
deceperunt me: ſacerdotes mei & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt: quia quaeſierunt cibum
ſibi, vt refocillarent animam ſuam. 20 ר *Vide Domine quoniam tribulor, contur-*
batus eſt venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſa: quoniam amaritudine
plena ſum: foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. 21 ש *Audierunt quia in-*
gemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum,
laetati ſunt, quoniam tu feciſti, adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei.
22 ת *Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos ſicut vindemiaſti*
me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum moerens.

1. *Quomodo.*] Admirantis verbum eſt, & obſtupentis ob tantae vrbis euerſionem; ſicut dixerat cap. 18. 16. *Vt fieret terra eorum in deſolationem, & in ſibilum ſempiternum: omnis qui praeterierit per eam, obſtupeſcet, & mouebit caput ſuum.* & cap. 19. 8. *Ponam ciuitatem hanc in ſtuporem, & in ſibilum; omnis qui praeterierit per eam, obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper vniuerſa plaga eius. Sedet*, id eſt, habitat. ישבת. vt 37. 15. *Et ſedit ibi Ieremias diebus multis*, id eſt, habitauit. & cap. 41. 17. *Et abierunt, & ſederunt peregrinantes in Chamaam*: aut, *Sedet*, id eſt, iacet, proſtrata eſt, quae priùs ſtabat. Sicut de Dibon dictum eſt, cap. 48. 18. *Deſcende de gloria, & ſede in ſiti habitatio filiae Dibon. Sola*, id eſt, orbata liberis, deſerta à ciuibus ſuis, ſicut mulier ſine filiis; vt ſtatim declaratur, cùm dicitur, *plena populo*: quaſi dicat, quomodo deſerta eſt ciuitas, quae paulò antè plena erat frequentiſſimis habitoribus? Sicut dixit de Dibon, *Sede in ſiti*, id eſt, in loco ſolo, deſerto, ſitibundo; *habitatio filiae Dibon*, id eſt, Dibon, quae nunc frequentiſſimè habitaris: *vel ſola*, id eſt, ſine rege, quaſi mulier ſine marito, ſicut continuò ſequitur, *facta eſt quaſi vidua*, ita R. Salom. *Facta eſt quaſi vidua*, id eſt, ſine rege & ciuibus; ciues enim

per metaphoram, nunc filios nunc maritos ciuitatis appellat. *Domina gentium.*
Gentium nomine etiam Iudæorum frequens populus vocatur. Idem eſt, quod *Plena populo*, nam eodem verbo vtitur, רבתי. Et Gentes populorum concurſum,& frequentiam appellat. Iam enim aliis locis adnotauimus, Gentes non ſolùm alienas nationes, ſed etiam Iudæorum frequentes populos aliquando vocari, vt Iſai. 1. 4. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis.* & Pſalm. 2. 1. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania?* Vtroque enim loco de Iudæis agitur. Itaque ſenſus eſt, Viduata eſt, & orbata ciuibus, quæ populorum frequentia omnibus orbis terrarum ciuitatibus antecellebat. Hoc etiam ſenſu Septuag. verterunt, ἐγενήθη ὡς χήρα πεπληθυμμένη ἐν ἔθνεσι. *Facta eſt vt vidua, quæ in gentibus plena erat. Princeps prouinciarum*, id eſt, quæ aliis prouinciis tanquam princeps tributa ſolebat imperare, nunc aliis prouinciis, id eſt, regi Chaldæorum tributa ſoluit, vt Chaldæus interpretatur.

Hebraiſmus frequens. 2. *Plorans plorauit.*] id eſt, vberrimè & copioſiſſimè fleuit. frequens Hebraïſmus, quem R. Salom. ad myſterium detorquet; putat enim hac verbi gemi-
Rabbinica commenta. natione duplicem fletum ſignificari, alterum ob templi, alterum ob vrbis euerſionem. Sed nimis Rabbinicum hoc eſt. *In nocte* R. Salom. putat propterea dicere *in nocte*, quòd templum noctu incenſum fuerit, aut quòd noctu flentes maximè flere ſoleant. Liberiùs etiam Chaldæus Paraphraſtes fabulatur, cùm Moſes exploratores in terram promiſſionis miſiſſet, iique renuntiaſſent, terram eſſe aditu difficilem, Iudæos ea nocte præ triſtitia plorasse, quibus Deus iratus præceperit, vt ea nocte futuram templi vaſtationem deflerent. Hæc Iudæorum commenta ſunt. Ego ideo arbitror Prophetam dixiſſe, *In nocte*, vt alluderet ad metaphoram viduæ, qua verſu præcedenti vſus fuerat. Solet enim mulier vidua noctu maximè mariti ſocietatem deſiderare, ſuámque viduitatem experiri, ac deflere, vt ait ſponſa in Cant. cap. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Et lacrymæ eius.* repetitio eſt. *Ex omnibus charis eius.* ex omnibus amatoribus, quos habebat, antequam vidua eſſet. Amatores autem vocat Ægyptios, & cæteras ſibi confœderatas gentes, quarum auxilio confidebat; aut falſos Deos, quos colebat; ſicut dixerat, cap. 4. 30. *Contempſerunt te amatores tui, animam tuam quærent.* Et cap. 22. 20. *Aſcende Libanum & clama; & in Baſan da vocem tuam, & clama ad tranſeuntes, quia contriti ſunt omnes amatores tui.* & cap. 30. 14. *Omnes amatores tui obliti ſunt tui, téque non quærent. ſpreuerunt eam.* בגדו בה. fefellerunt eam, id eſt, cùm illi auxilium promiſiſſent, non præſtiterunt.

3. *Migrauit Iudas propter afflictionem.*] R. Salom. ſic interpretatur. Iudas propterea in captiuitatem abiit, quòd à Chaldæis nimis dura ſeruitute affligeretur. Sed hæc interpretatio non videtur mihi hiſtoriæ conuenire. Nam antequam Iudæi in captiuitatem ducerentur, non ſeruiebant Chaldæis; ſed potiùs vt eis ſeruirent, ducti ſunt. Chaldæus paulò meliùs, propterea Iudas in captiuitatem iuit, quia nimia ſeruitute ſeruos ſuos Iſraëlitas, & viduas, & pupillos afflixit. Ac videtur hoc cum Ieremiæ prophetia conſentire, cap. 34. 13. vbi propterea Deus Iudæis captiuitatem comminatur, quòd cùm ex Dei præcepto Sedeciæ edicto renouato, ſuos quiſque ſeruos liberos dimiſiſſet, eos iterum reuocarunt. Sed dura mihi videtur interpretatio. Ego igitur de illis Iudæis hoc loco Ieremiam loqui arbitror qui videntes cæteros Iudæos à Chaldæis affligi, & in ſeruitutem redigi, in Ægyptum, & ad alias gentes transfugerunt, vbi exiſtimantes ſe tutos eſſe, poſtea ab iiſdem Chaldæis capti ſunt, vt Ieremias multis ſuprà

Digitized by Google

ſuprà locis prædixit, c. 43. & c. 44. & 46. Atque hoc eſt quod dicit, migrauit, id eſt, fugit in Ægyptum, & in alia loca videns afflictionem, ſub: populi ſui, *& multitudinem ſeruitutis*, id eſt, nimiam eius ſeruitutem, Hebraiſmus. *Habitauit inter gentes*, apud Ægyptios: *nec inuenit requiem*, id eſt, locum tutum, nam ibi poſtea à Chaldæis capti ſunt. *Apprehenderunt eam inter anguſtias*, id eſt, in loco vndique periculis ſepto, vt effugere non poſſent, quemadmodum qui capitur inter duas parietes, aut inter duas agrorum, aut vinearum macerias, vt explicat R. Salom. Nam מצרים. macerias, & ſepes agrorum, ac vinearum ſignificare dicit. Sic erant Iudæi in Ægypto, nam neque in Iudæam fugere poterant, quia à Chaldæis tenebatur, neque ibi manere, quia vaſtabatur ab illis Ægyptus.

4. *Viæ Sion lugent.*] Vias lugere Hebraïci ſermonis proprietate, eſt deſertas eſſe, ac ſolas, & à viatoribus non frequentari; ſicut terram lugere, eſt non coli, aut non habitari, vt Iſai. 24. 4. *Luxit & defluxit terra, & infirmata eſt*. & Iſai. 33. 9. *Luxit, & elanguit terra, confuſus eſt libanus, & obſurduit, & factus eſt Saron, ſicut deſertum*. Et portas vrbis lugere eſt, neminem per eas tranſire. Iſai. 3. 26. *Mœrebunt atque lugebunt partes eius, vt deſolata in terra ſedebit*. Id explicatur, cùm dicitur, *eo quòd non ſint, qui veniant ad ſolennitatem*. Cùm enim adhuc ſtarent Ieroſolyma, magnus vndique concurſus ad ea religionis, feſtorúmque celebrandorum cauſa fiebat. R. Aben Ezra. מועד. non ſolennitatem, ſed ſanctuarium interpretatur. Hebraiſmus.

5. *Facti ſunt hoſtes eius in capite.*] לראש. in caput, id eſt, principes, ac Domini illius facti ſunt, vt Ionathas exponit; princeps enim caput eſt populi: ſicut Daniel cap. 2. ver. 38. per caput aureum ſtatuæ Nabuchodonoſorem ſignificari dixit, quia omnium regum locupletiſſimus erat. Sic illud intelligimus, Pſalm. 17. 44. *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput Gentium*; & quod hunc locum magis illuſtrat, illud Pſal. 65. 11. *Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro; impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Inimici eius locupletati ſunt*, eius ſpoliis. H. שלו proſperè egerunt, fœlicem contra eam ſucceſſum habuerunt. Sept. εὐθηνοῦσι, eodem ſenſu. *Quia Dominus locutus eſt*, id eſt, decreuerat eam punire, aut comminatus illi fuerat per Prophetas huiuſmodi calamitatem. H. הוגה. quod noſter interpres videtur legiſſe הגה. *Locutus eſt*. Hebræi & Septuag. legunt הוגה. afflixit eam. idem verbum quod verſu 3. propter afflictionem. *Paruulus eius*, filij eius, id eſt, ciues; non quòd paruuli eſſent, ſed quòd tanquam paruuli filij dilecti. *Ante faciem tribulantis* id eſt, ante hoſtem ſequente eos hoſte, vt verſu ſequenti. *Ante faciem ſubſequentis*.

6. *Et egreſſus eſt.*] id eſt, Rex, & principes, qui Ieroſolymitanam ciuitatem decorabant, in captiuitatem abierunt, vt ſtatim explicat dicens. *Facti ſunt principes eius velut arietes*, id eſt, huc illuc errantes, nuſquam locum tutum reperientes; ſicut arietes, cùm paſtum non inueniunt; oberrare ſolent. Chaldæus אילים. ceruos exponit: quaſi dicat: facti ſunt ſimiles ceruis, qui non inuenientes paſcua, non habent vires ad fugiendum; itaque facilè à venatoribus capiuntur, ſic enim Sedecias, & principes eius, cùm effugere conarentur, capti ſunt, 4. Reg. 25. 5. & Ierem. 39. 5. & 52. 8. fame priùs penè confecti, Ierem. 37. 20. & 38. 9. & 4. Reg. 25. 3.

7. *Recordata eſt, dierum afflictionis ſuæ.*] Poſſet etiam verti ימי עניה. In diebus afflictionis ſuæ, vt intelligatur ב. ſenſúſque magis cohærebit. quaſi dicat, in diebus afflictionis ſuæ, recordata eſt antiquæ proſperitatis ſuę, auxitque illi dolorem recordatio, vt Pſalm. 136. 1. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus*,

mus, dum recordaremur tui Sion. Et preuaricationis, id eſt, peccatorum ſuorum, quorum cauſa in captiuitatē venerat, aut, ſi intelligamus ב In diebus מרודה, paupertatum ſuarum, vt exponit Aben Ezra, vel, humiliationis ſuæ, vt Septua. vertunt, & R. Salom. interpretatur; In illis, inquam, diebus *recordata eſt omnium deſiderabilium*, id eſt. proſperarum rerum, quibus tempore Salomonis, cùm in ſumma pace viueret, vſa fuerat. *Cùm caderet*; Declarat, qui fuerint dies illi afflictionis, & humiliationis, nempe, *cùm caderet populus eius in manu hoſtis*, nec eſſet, qui auxilium ferret, cúmque viderent eam hoſtes, & riderent ſabbata eius, id eſt, cùm Chaldæi Iudæos in captiuitate viderent ſeptimum quemque hebdomadis diem celebrantes, & eos irriderent, vt explicat R. Salom. Alij במשבתה interpretantur; Ceſſationis eius, id eſt, quòd omnia eius bona ceſſaſſent; ita Chaldæus. *Viderunt eam hoſtes* in captiuitatem euntem, *& deriſerunt ſabbatha eius*, ob bona eius, quæ de medio eius ceſſauerant. Sept. ἐγέλασαν ἐπὶ τῇ μετοικεσίᾳ αὐτῆς. *riſerunt propter tranſmigrationem eius*. Interpretatio R. Salom. eſt vera.
8. *Peccatum peccauit.*] id eſt, quia multùm peccauit: nota eſt phraſis Hebraïca. *Inſtabilis facta eſt*, id eſt, vaga, huc illuc captiua, diſcurrens, nullam certam ſedem habens. לנידה. in commotionem: ſicut prædixerat Ieremias, cap. 34. 17. *Dabo vos in commotionē cunctis regnis terræ*. Et Deuter. 28. 25. *vt diſpergaris per omnia regna terræ*. Ita Sept. ita Chald. & R. Salom. interpretantur; verſuſque ſenſus hic eſt. Alij tamen, vt Aben Ezra, exponunt actiuè, *In commotionem*, id eſt, vt omnes gentes videntes Iudæos moueant caput, irridentium more, vt Pſalm. 43. 15. *Poſuiſti nos in ſimilitudinem Gentibus, commotionem capitis in populis*. Ita c. ſequēti 15. *plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem. Omnes, qui glorificabant*, omnes gentes priùs illam in magno pretio habebant, cùm viderēt ignominiam eius, id eſt, miſerum ſtatum, contempſerunt eam. *Et conuerſa eſt retrorſum*, id eſt, fugit gemens conſpectum hominum propter ignominiā; ſicut fugere ſolent, qui ex magnis diuitiis in magnam paupertatem; ex magnis honoribus in magnum contemptū deuenerunt.
9. *Sordes eius in pedibus eius.*] בשוליה Sept. pedes vertit, vt noſter interpres. Hebræi שולים. fimbrias veſtis ſignificare dicunt. Itaque R. Abē Ezra, & Ionathas ſic exponunt, vt loquatur de Ieruſalem tanquam de muliere menſtruata, cuius ſanguis vſque ad orā veſtis defluit, apparētque eius turpitudo. quaſi dicat, tanta eſt eius iniquitas & idololatria vt quodammodo redundet; hanc enim paulò antè vocauit ignominiam. Eundem ſenſum verſio Septuag. & noſtri interpretis habere poteſt. *Nec recordata eſt finis ſui*, id eſt, quid futurum ſibi eſſet, quòd punienda eſſet, poſtquam iniquitates ſuas, ſicut Sodoma, & Gomorrha compleuiſſet. quaſi dicat, ita peccauit, vt videretur non recordari eſſe Deum, qui eam denique puniturus eſſet; vt illi, qui dixerunt, *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Pſalm. 72. 11. *Depoſita eſt vehementer*, id eſt, cecidit grauiſſima ruina de ſua illa priſtina gloria. H. ותרד פלאים, & cecidit in mirabilibus, id eſt, admirabili caſu, vt interpretatur Aben Ezra, ſubito, magno, inſperato: quis enim exiſtimaſſet tantam, támque florentem ciuitatem perituram? *Vide Domine*. Apoſtrophe Ieremiæ ad Deum, nomine ciuitatis. *Quoniam erectus eſt*, id eſt, quia hoſtis meus ſæuit in me, הגדיל. effert ſeſe, inſolenter agit contra me, magnificat ſe, ad verbum, vt Pſalm. 9. 39. *Iudicate pupillo, & humili, vt non apponat vlträ magnificare ſe homo ſuper terram*, id eſt, ne quis audeat deinceps inſolenter contra eum agere; vel, הגדיל. magnificauit ſe inimicus meus, id eſt, locupletauit ſeſe meis ſpoliis, vt ſtatim videtur explicare, *manum ſuam miſit*

hoſtis ad omnia deſiderabilia eius. Ita etiam ſuprà c. 5. 27. *Ideo magnificati ſunt & ditati.*

10. *Manum ſuam miſit.*] id eſt, ſpoliauit hoſtis, quidquid illic pretioſum erat. Hoc de totius ciuitatis, maximè verò de templi ſpoliatione intelligendum eſt. Per hoſtem autem R. Aben Ezra intelligit Ammonitas, & Moabitas, quos ait libros legis, quorum verba auro pretioſiora erant, concremaſſe, quod in illis Deuter. 23. 3. ſcriptum eſſet, *Ammonitas, & Moabitas etiam poſt decimam generationem, non intrabunt in Eccleſiam Domini, in æternum.* Hoc Rabbinicum eſt. Meliùs Latini de Chaldæis interpretantur, qui templi vaſa diripuerunt, Ierem. 52. 17. & 4. Reg. 25. 13. 14. *Quia vidit*; Aliqui Hebraizantes interpretantur כי pro ו. Et vidit Gentes. Alij, quin etiam vidit Gentes. Septuag. εἶδεν γὰρ, *vidit enim.* Ego cauſalem eſſe puto, vt noſter interpres, & Septuag. verterunt; ſenſumque eſſe, propterea Deum permiſiſſe, vt Chaldæi templum ſpoliarent, quia Iudæis videntibus, & conſentientibus Ammonitæ, & Moabitæ contra Dei præceptum in templum ingreſſi fuerant, vt illis exprobratur per Ezechiel. cap. 44. 6. 7. *Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſraël. Eo quòd inducitis filios alienos incircumciſos corde, & incircumciſos carne, vt ſint in ſanctuario meo, & polluant domum meam*: ſicut permiſit etiam Deus, vt Babylonij omnes Ezechiæ theſauros deprædarentur, quia eorum legatos Ezechias induxerat in penetralia domus ſuæ, Iſai. 39. 2. 4. 5. 6. & 4. Reg. 11. 13. 14. 15. 17.

12. *O vos omnes.*] Inducit ciuitatem miſerias ſuas deplorantem, & per comparationem cum aliis exaggerantem. Noſter interpres videtur legiſſe הוי. Quæ vocandi dictio eſt: eodemque ſenſu Chaldæus vertere videtur. Hebræi autem legunt, לוא. non, & interpretantur ad hunc modum. לוא אליכם. non ad vos, ſup. perueniat malum, quod ad me peruenit; ne vobis contingat, quod mihi contigit. Attendite enim & conſiderate, num ſit vllus dolor ſimilis meo. Ita R. Salom. & R. Aben Ezra. Septuag. partim vt noſter interpres, partim vt Hebræi. Οἱ πρὸς ὑμᾶς πάντες παραπορευόμενοι ὁδὸν. *O ad vos omnes, qui per viam præteritis!* Credo enim οἱ disiunctè pronuntiaſſe, ſicut Hebraïcè הוי. *Quoniam vindemiauit me*, hoſtis, aut Deus, id eſt, ſpoliauit me penitus, ita vt nihil in me relinqueret; ſicut vindemiatores nihil in vinea relinquunt, niſi quod inutile eſt; ſicut comminatus fuerat Deus Idumææ, Ierem. 49. 9. & Abdiæ, verſu 5. *Si vindemiatores veniſſent ſuper te, non reliquiſſent racemum.* Hebraïcum verbum עלל. ſignificat racemare, id eſt, poſt vindemiam racemos, qui reliqui fuerant colligere: ita enim ciuitas, & templum, priùs fuit quaſi vindemiatum tempore Ioachin, cùm Nabuchodonoſor protulit inde omnes theſauros, 4. Regum 24. 13. poſtea verò quaſi racematum, cùm Nabuzardan dux Nabuchodonoſoris tempore Sedeciæ iterum illud ſpoliauit, & omnia quæ reliqua fuerant Babylonem comportauit, 4. Regum 25. 13. & Ierem. 52. 17. Atque hic mihi videtur eſſe verus ſenſus huius loci, quem noſter interpres exprimere voluit, vt infrà ver. 22. *Vindemia eos, ſicut vindemiaſti me propter iniquitates meas.* Et cap. 2. 20. *Vide Domine & conſidera quem vindemiaueris ita*: Quamuis Hebræi vt R. Abraham, & R. Salom. aliter exponant, אשר עולל לי. qui factus eſt mihi, ſicut, etiam Septuag. tranſtulerunt. Chaldæus verò, Quoniam occaſionem quæſiuit contra me, vt confringeret me Dominus in die furoris iræ ſuæ; qui ſenſus melior etiam eſt, quam ille Hebræorum. *Vt locutus eſt Dominus.* Deus enim illi prædixerat, vt ſpoliaretur, vt ſuprà multis locis vidimus. Noſter interpres legit הוגה. vt ſuprà ver. 5. Nunc Hebræi legunt הוגה. afflixit (me.).

οἱ πρὸς ὑμᾶς *Qui ad vos* ad verbum.

13. *De*

13. *De excelſo miſit ignem.*] Ignem,quo Chaldæi vrbem, templúmque inflammauerunt, *de excelſo*, id eſt, de cœlo miſſum eſſe dicit, quia diuino conſilio per Chaldæos miſſus fuerat. Oſſa autem per metaphoram ſignificant templum, & regiã & turres vrbis,quæ quaſi oſſa,& robur ciuitatis erant,& Ionathas interpretatur. *Et erudiuit me*,id eſt,caſtigauit,excoxit igne illo miſſo, ſicut adulterinum aurum. Videtur noſter interpres legiſſe ירדנה.*erudiuit*.Hebræi nunc וירדנה, dominatus eſt illi,id eſt,vnicuique eorum,quaſi dicat, contriuit, & in cinerem redegit omnia oſſa mea, vel euacuauit omnem medullam oſſium meorum, id eſt,ſpoliauit templum, & vrbem, & poſtea incendit ea: vtroque modo videtur R. Abraham explicare: Hanc ego interpretationem non reprobo, ſed huic aliam non minùs fortaſſe probabilem adiungo,vt ciuitas de ſe tanquam de fœmina aliqua loquatur. Solet autem ingens dolor ſignificari, cùm dicitur oſſa ipſa conterere: & ſolet dolor ignis per metaphoram appellari, vt Ierem. 20.9. *Et factus eſt in corde meo,quaſi ignis exæſtuans,clauſuſque in oſſibus meis.* Septuag.videntur legiſſe à verbo ירד. verterunt enim & *κατήγαγεν αὐτό, & deduxit illud*, id eſt,vnumquodque illorum.*Conuertit me retrorſum*,id eſt,irretiuit me,& fecit cadere, vt ab hoſtibus caperer.

14. *Vigilauit iugum.*] id eſt,acceleratum eſt, citò venit. Solent enim vigilare, qui citò aliquem in locum ire volunt,vt Ierem. 1.11.12. *Virgam vigilantem ego video. Bene vidiſti. quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud:* Eodem ſenſu R.Abraham interpretatur & eodem modo Sept. tranſtulerunt, ſenſuſque bene conuenit.vocat autem iugum iniquitatum, pœnam iniquitatum, quia grauis eſſe ſolet,ſicut iugum,vt Pſal. 37.5. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum,& ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*Noſter interpres,& Septuag. legerunt à verbo שקד.non à שקד, quæ non differunt niſi poſitu puncti. Nam puncto in dextro cornu poſito vigilare ſignificat; in ſiniſtro verò ligare, aut coniungere. Noſtrum verò interpretem, & Septuag. cum puncto in dextro cornu meliùs legiſſe, quàm nunc Hebræi legant in ſiniſtro, argumento eſt, & quod ſenſus ſit melior, & quòd ipſi Hebræi confiteantur nuſquam aliàs hoc verbum, niſi cum puncto in ſiniſtro cornu legi, niſi hoc loco. Ergo R. Salom. ſic explicat, iugum iniquitatum mearum quaſi punctis quibuſdã notatum eſt, id eſt,numeratæ ſunt,& ſignatæ iniquitates meæ in manu Dei.Hæc interpretatio mihi non placet; ſi enim ipſæ iniquitates punctis notatæ eſſe dicerentur, ſenſus eſſet accommodatus;At iugum eſſe notatum punctis quis dicat? Meliùs Chaldæus אתיקר. aggrauatum eſt, *In manu eius.* Hæc verba iungunt Hebræi, & Chald.cum præcedentibus,quod mihi non videtur bene quadrare: niſi vertant, ſicut noſter interpres, *vigilauit*, aut accelerauit, vt R. Abrah. rectè enim dicitur accelerari in manu,id eſt,cito manu Domini adduci. Sed aggrauatum eſſe in manu Domini,non bene dicitur.Sept. ſicut noſter interpres cũ ſequent. nectunt,ſed vertunt *ἐν χερσί μου,in manibus meis,legentes* י pro ו.*Conuolutæ ſunt*.id eſt,implexæ,implicatæ,vt me non queam ex illis extricare. quaſi dicat, iniquitatibus meis quaſi loris collum meum illigatum ad iugũ graue ſuppliciorum, quibus afficior,ſi legamus Hebræorum more:aut iniquitates meæ,quaſi vincula manu Dei implicatæ,iniectæ ſunt in collum meum,id eſt, captiuũ me ligato collo deduxerunt, ſi legamus; vt noſter interpres, vt ego legendum eſſe puto. Chald.conuolutæ ſunt quaſi propagines vitis. *Infirmata eſt virtus mea*.graui illo iugo.H.הכשיל. deiecit,proſtrauit(iugũ illud)vires meas; aut, Deus proſtrauit impoſito iugo. *De qua non potero ſurgere*, id eſt, liberare me; non enim de manu ſurgimus,

Digitized by Google

ſurgimus, ſed liberamur. H. בידי. In manus, (eorum) à quibus me non potero liberare, id eſt, in manus Chaldæorum.

15. *Abſtulit omnes magnificos meos.*] id eſt, vindemiauit quaſi racemos principes meos, aut, אבירי. fortes viros meos. Sic ego interpretor conuenienter metaphoræ torcularis, qua vtitur Propheta. Eodem ſenſu Chaldæus כנש. collegit, & Sept. ἐξῆρεν, *decerpſit*. H. סלה. quod Hebræi interpretantur, Conculcauit. *Vocauit aduerſum me tempus*, id eſt, venire fecit tempus maturitatis, & vindemiæ, vt me calcaret. Hoc ſignificat מועד. Gallicè, *la ſaiſon*; ſicut Chaldæus, & Sept. tranſtulerunt: qui ſenſus melior mihi videtur eſſe, quàm ille, quem Hebræi eſſe putant. Interpretantur enim cœtum (hoſtium) vocauit Dominus aduerſum me, vt me vindemiarent. *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda*. id eſt, Adduxit Chaldæos vindemiatores, qui illi torcular calcent. Datiuus ille hanc vim habet, vt vtilitatem ſignificet. quaſi dicat, nullos ſumptus facit in calcando ſuo torculari; Deus enim adduxit illi vindemiatores, qui gratis & ſponte ſua illud calcauerunt. loquitur de ſummo damno, tanquam de ſummo beneficio irriſoriè. Alij per accuſatiuum vertunt, torcular, id eſt, tanquam torcular calcauit Dominus virginem filiam Iuda. Hoc eſt, quod dixerat de Moab, cap. 48. 33. *Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuſma cantabit*, vt illic explicabimus, & cap. 25. 30. *Celeuſma quaſi calcantium concinetur aduerſus omnes habitatores terræ.*

16. *Et oculus meus.*] H. עיני עיני. oculus meus, oculus meus *deducēs aquas*, id eſt, perpetuò oculi mei lacrymis manant. Hanc enim vim habet nominis geminatio, vt R. Salom. adnotauit. *Conuertens animam meam*, id eſt, quieſcere faciens tranquillans. משיב. ſicut noſter interpres vertit, ver. 11. *ad refocillandam animam.*

17. *Expandit Sion manus.*] id eſt, quæſiuit, implorauitque auxilium, & non inuenit. ſolent enim qui auxilium implorant, precabundi manus extendere, vt Ierem. cap. 4. 32. *Vox filiæ Sion inter morientes, expandentéſque manus ſuas, Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos*; Et Pſalm. 87. 10. *Clamaui ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas*; Et Pſal. 142. 6. *Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. Hæc interpretatio noſtri eſt interpretis, & Chaldæi Paraphraſtis, & Sept. qui eodem modo reddiderunt, magiſque mihi probatur, quàm illa, quam adhibent nonnulli Hebraizantes, fregit Sion manibus ſuis, id eſt, fregit ſibi ipſa panem, cùm non haberet, qui illi frangeret, id eſt, qui eam conſolaretur; ſolemus enim mœrentibus panem frangere. Violentum hoc eſt, & coactum, nam neque verbum פרש. cum puncto in ſiniſtro cornu, id ſignificat, niſi fortaſſe rarò & ב. quæ eſt in nomine ידי. quæque eos mouet, vt ſic interpretentur, R. Abraham adnotauit redundare, *Mandauit Dominus*, id eſt, præcepit hoſtibus eius vt eſſent in circuitu eius, id eſt, vt eum obſiderent. *Quaſi polluta menſtruis*. id eſt execrabilis, vel ſeparata eſt, & ſegregata ex terra ſua in captiuitatem; ſicut mulier menſtrua ſeparabatur, Leuit. 15. 19. Sic etiam Chaldæus, & Sept. nonnulli etiam Hebræi interpretantur. Poſſemus etiam aliter exponere נדה. in commotionem. nam & verbum in ſignificat, & ſenſus eſt alijs ſcripturæ locis conſentaneus, vt ſuprà verſ. 8. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*, & Ieremiæ 34. 17. *Dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ*. Ab hac interpretatione R. Salom. non longè abeſt.

18. *Quia os eius.*] id eſt, faciendo contra præceptum, quod ore ſuo mihi dederat, eum ad iracundiam prouocaui. H. פיהו מריתי. os eius tranſgreſſus ſum,

 id

id eſt, præceptum eius. Ionathas Chaldæus putat hæc verba à Ieremia dicta perſona Ioſiæ regis, qui monitus à Deo ne contra regem Ægypti pugnaret, parere noluit, itaque in bello occiſus eſt, 4. Reg. 23. 29. 30. & 2. Paralip. 35. 21. 22. 23. Hanc enim exiſtimat eſſe Ieremiæ lamentationem, quæ 2. Paralip. 35. 25. in morte Ioſiæ decantata fuiſſe dicitur. Sed ex verbis ſequentibus manifeſtum eſt Hæc eſſe verba Ieruſalem; ait enim, *Virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.*

19. *Vocaui amicos meos.*] id eſt, quos mihi amicos eſſe credebam; vel, qui ſe amicos meos eſſe profitebantur; vel qui amici mihi eſſe debebant. Hoc eſt, quod dixit ver. 2. *Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici.* & cap. 4. 30. Prophetiæ. *Contempſerunt te amatores tui, animam tuam quærent.* & cap. 22. 20. *Aſcende Libanum, & clama: & in Baſan da vocem tuam, & clama ad tranſeuntes, quia contriti ſunt omnes amatores tui.* & cap. 30. 14. *omnes amatores tui obliti ſunt tui, ſéque non quærent.* Per amicos autem hoc loco alij Iſmaelitas intelligunt, qui ex eodem erant genere procreati, vt R. Salom. Alij Moabitas, & Ammonitas, qui propter generis coniunctionem, amici Iudæorum eſſe debebant: Alij Romanos qui cùm Iudæis amici eſſent, facti ſunt inimici, & Tito ac Veſpaſiano ducibus Ieruſalem iterum expugnarunt, quemadmodum Ionathas Chaldæus interpretatur. Ego ſimpliciùs Ægyptios intelligo, qui Iudæis confœderati erant, Ierem. 2. 18. & 37. 4. *Ipſi deceperunt me.* fruſtrati ſunt ſpem meam, quam in illis collocaueram, vt ver. 2. בגדו בה. fefellerunt eam. *Conſumpti ſunt.* Verbum גוע. vt ait R. Dauid, ſignificat ſenſim emori. Itaque hoc loco ſignificat paulatim fame confici, *Quia quæſierunt cibum ſibi*; intelligitur, & non inuenerunt.

20. *Vide.*] id eſt, opem fer, reſpice calamitatem & miſeriam meam. *Venter meus.* מעי חמרמרו: viſcera mea turbata sũt præ dolore. *Subuerſum.* נהפך. perturbatum, repetitio enim eſt eiuſdem ſententiæ. *Amaritudine plena ſum.* מרו מריתי. Eodem modo, aut eodem certè ſenſu, quo noſter interpres, & Sept. verterunt. quaſi legerint מרר מררתי. ſimilibus litteris. Hebræi nunc legunt מרו מריתי. quia præuaricando præuaricata ſum (contra te) vt Chaldæus reddidit. *Et domi mors ſimilis eſt,* כמות. ſicut mors, id eſt, fames, quæ aliud genus eſt mortis.

21. *Audierunt.*] amici mei. quaſi dicat, amici mei in mea calamitate non ſunt conſolati me, & inimici gauiſi ſunt. *Quoniam tu feciſti*, id eſt, videntes me abs te puniri. *Adduxiſti*, Adhuc, vel, Adduces, *diem conſolationis*, meæ, quo die eos punias, ſicut me puniuiſti. *lætabitur* enim *iuſtus, cùm viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Pſal. 57. 11. Videtur noſter interpres legiſſe קארתי. occurſus mei, id eſt, diem, quo mihi occurrat, & opem ferat. Et quidem ita legendum eſſe magnum indicium eſt quòd קארח. coniunctionem non habeat, quàm ſi verbum eſſet, vt Hebræi faciunt, habere debuiſſet, & quòd cum dictione præcedente per machab copuletur. Hebræi tamen legunt קארח. eodémque modo Chaldæum Paraphraſtem, & Septuaginta interpretes legiſſe conſtat. quod R. Salom. & Ionathas ſic explicant, Adduces, (ſub. ſuper eos,) diem, (conuocationis, id eſt, quo conuocabis contra eos Gentes) quem vocaſti (ſub. ſuper me) & erunt ſimiles mihi. Hæc omnia ſubintelligunt. Alij, induces, vel, Induc diem (ſuper eos) (quem) vocaſti, id eſt, quem te per Prophetas tuos inducturum prædixiſti, vt Ierem. 50. 15. & 51. 49. *Et quomodo fecit Babylon vt caderent occiſi in Iſraël, ſic de Babylone cadent occiſi in vniuerſa terra.* & Abd. ver. 15. *Sicut feciſti, fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.* Septuag.

ἐπήγαγες

ἐκάλεσας ἡμέρας ἐπάλλαγας καιρὸν. *Induxiſti diem, vocaſti tempus.*

22. *Ingrediatur omne malum eorum coram te.*] לְפָנֶיךָ. in conſpectum tuum; id eſt, conſidera, animaduerte omne malum eorum, vt eos punias, ſicut me propter iniquitates meas puniuiſti. Hebraiſmus, qualis ille Pſal. 78. 11. *Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.* id eſt, conſidera gemitus vinctorum compedibus. *Vindemia eos*, id eſt, ſpolia, & conculca, ſicut conculcaſti me in torculari, ver. 15. עוֹלֵל. noſter interpres, & Sept. vertunt, *Vindemia.* Sicut ſuprà verſu 12. & infrà cap. 2. ver. 20. Hebræi verò, Fac illis, ſicut feciſti mihi. Meliùs noſter interpres, vt verſu 12. probauimus. *Multi enim* (ſunt) *gemitus mei, quot ſunt dies ſeruitii: quando facias de perſequentibus me iudicium.* Pſalm. 118. 84.

CAPVT II

QVOMODO obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion proie-
cit de cœlo in terram inclytam Iſraël, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuo-
rum in die furoris ſui? 2 ב *Præcipitauit Dominus nec pepercit omnia*
ſpecioſa Iacob: deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda: & deiecit in terram
polluit regnum, & principes eius. 3 ג *Confregit in ira furoris omne cornu Iſraël:*
auertit retrorſum dexteram ſuam à facie inimici: & ſuccendit in Iacob quaſi ignem flam-
mæ deuorantis in gyro. 4 ד *Tetendit arcum ſuum quaſi inimicus, firmauit dexte-*
ram ſuam quaſi hoſtis: & occidit omne quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ
Sion, effudit quaſi ignem indignationem ſuam. 5 ה *Factus eſt Dominus velut ini-*
micus: præcipitauit Iſraël, præcipitauit omnia mœnia eius, diſſipauit munitiones eius,
& repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam. 6 ו *Et diſſipauit quaſi hor-*
tum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum: obliuioni tradidit Dominus in
Sion feſtiuitatem & ſabbathum: & in opprobrium & in indignationem furoris ſui re-
gem & ſacerdotem. 7 ז *Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi*
ſuæ: tradidit in manus inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini,
ſicut in die ſolemni. 8 ח *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion: tetendit*
funiculum ſuum: & non auertit manum ſuam à perditione: luxitque antemurale, &
murus pariter diſſipatus eſt. 9 ט *Defixæ ſunt in terra portæ eius: perdidit &*
contriuit vectes eius: regem eius & principes eius in gentibus: non eſt lex, & Prophetæ
eius non inuenerunt viſionem à Domino. 10 י *Sederunt in terra, conticuerunt ſe-*
nes filiæ Sion; conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt cilicijs abiecerunt in terram
capita ſua virgines Ieruſalem. 11 כ *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata*
ſunt viſcera mea: effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritionem filiæ populi mei, cùm
deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi. 12 ל *Matribus ſuis dixerunt, Vbi eſt tri-*
ticum & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis: cùm exhalarent ani-
mas ſuas in ſinu matrum ſuarum: 13 מ *Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te*
filia Ieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion? magna enim eſt velut
mare contritio tua: quis medebitur tibi? 14 נ *Prophetæ tui viderunt tibi falſa &*
ſtulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent, viderunt au-
tem tibi aſſumptiones falſas & eiectiones. 15 ס *Plauſerunt ſuper te manibus omnes trã-*
ſeuntes per viam: ſibilauerunt & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem. Hæccine
eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ? 16 פ *Aperuerunt ſuper te os*
ſuum omnes inimici tui: ſibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Deuorabimus:

en iſta eſt dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus. 17 ע *Fecit Dominus quæ*
cogitauit, compleuit ſermonem ſuum quem præceperat à diebus antiquis: deſtruxit & non
pepercit, & lætificauit ſuper te inimicum, & exaltauit cornu hoſtium tuorum. 18 צ
Clamauit cor eorum ad Dominum ſuper muros filiæ Sion, Deduc quaſi torrentem lacry-
mas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. 19 ק
Conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante
conſpectum Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defe-
cerunt in fame in capite omnium compitorum. 20 ר *Vide Domine & conſidera*
quem vindemiaueris ita, ergone comedent mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram
palmæ? ſi occiditur in ſanctuario Domini ſacerdos & Propheta? 21 ש *Iacuerunt*
in terra foris puer & ſenex: virgines meæ & iuuenes mei ceciderunt in gladio, interfeciſti
in die furoris tui: percuſſiſti nec miſertus es. 22 ת *Vocaſti quaſi ad diem ſolennem,*
qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret & relinque-
retur: quos educaui: & enutriui, inimicus meus conſumpſit eos.

1. *Quomodo obtexit.*] id eſt, quomodo Dominus obſcurauit ſplendorem illum priſtinum Sionis; ſicut ſtatim ſequitur. תפארת ישראל. Eodem etiam modo Hebræi interpretantur, vt R. Salom. & alij. Nonnulli verò, vt R. Abrah. exponunt, Quomodo extulit Dominus vſque ad nubes filiam Sion, & poſteà in terram deiecit. verbum enim יעיב à שב. nube ductum eſt. Senſus non malè congruit. quaſi dicat, quomodo eleuans alliſit eam, vt de ſe dicit Dauid Pſal. 101. 1. *De cælo*, hyperbole, id eſt, de altiſſimo diuinitatis gradu, in infamem ſeruitutis conditionem. *Scabelli pedum ſuorum*, id eſt, ſaltem templi ſui, quod erat ſcabellum pedum eius, vt Ionath. & R. Salom. interpretantur, vt ait Salomon 1. Paral. c. 28. 2. *Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* & Pſ. 98. 5. *Adorate ſcabellum pedum eius.*

2. *Præcipitauit nec pepercit.*] id eſt, ſine miſericordia præcipitauit. בלע. demolitus eſt. *Omnia ſpecioſa Iacob*, id eſt, omnia pulchra ædificia Iſraël. כל נאות. omnes domus exponunt Hebræi. Chaldæus, omne ornamentum. *Virginis Iudæ*, בת יהודה. filiæ Iuda. *Polluit regnum*, id eſt, tradidit profanis gentibus polluendum, quod priùs ſanctum erat Pſalm. 73. 7. *Incenderunt igni ſanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* & Pſalm. 78. 1. *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam.* Alij, *Polluit*, id eſt, pollutum eſſe oſtendit.

3. *Omne cornu.*] id eſt, omne robur, omnes vires. Solet robur ab Hebræis cornu vocari, quia tauris omne robur in cornibus eſt. Metaphora nota eſt. Alij per omne cornu, vtrumque regnum Iſraël, & Iuda intelligi putant. Chaldæus, כל יקרה. omnem ſplendorem, & gloriam. *Auertit retrorſum*, id eſt, fugit Iſraël hoſtes, non eſt auſus cum hoſte manus conſerere. חשיב אחור ימינו. Poſſumus etiam vertere, Conuertit, (Deus) retrorſum dexteram eius (Iſraëlis) id eſt, fecit eos fugere à conſpectu hoſtium, vel debilitauit dexteram eius, ne cum hoſte pugnare poſſent. *Quaſi ignem*, hoſtem, qui quaſi ignis omnia vndique conſumpſit.

4. *Tetendit.*] Deus, id eſt, pugnauit pro hoſtibus contra Iſraël, *Firmauit*, repetitio eiuſdem ſententiæ aliis verbis explicatæ. נצב ימינו. ſtetit dextera eius ſicut hoſtis, id eſt, pugnauit manus eius contra Iſraël, quemadmodum ſi fuiſſet hoſtis. Chaldæus, ſtetit ad dexteram Nabuchodonoſoris, id eſt, iuuit illum. Deuter. 32. 30. *Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia?*

nonne

nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Et occidit omne quod pulchrum erat viſu. id eſt, omnes elegantes, & florentes iuuenes, qui in ciuitatibus Iſraël habitabant, vt Ionathas exponit. Quod ſi velimus alias etiam res intelligere non animatas, verbum ויהרג. non erit vertendum, Occidit, ſed, Perdidit.

5. *Præcipitauit.*] בלע demolitus eſt, vt v. 2. *Et repleuit humiliatum*, id eſt. fecit vt magna eſſet copia virorum ac mulierum miſerorum, & plorantium. וירב תאניה ואניה Multiplicauit in Iſraël fletum & luctum, vt exponit Aben Ezra, & Chaldæus Paraphraſtes. Sept. eodem modo vertunt, quo noſter interpres, ac fortaſſe eos noſter hoc loco imitatus eſt, quòd aliàs facere non ſolet.

6. *Et diſſipauit.*] depopulatus eſt quaſi hortum, ויחמס כגן. excidit, eradicauit, *quaſi hortum tentorium ſuum*, id eſt, Ieruſalem, vbi tanquam in tentorio habitabat, vt R. Salom. & Ionathas interpretantur. Hoc eſt ciues Ieroſolymitanos alios occidit, alios in captiuitatem tranſtulit: ſicut qui hortum aliquem in agrum frugiferum vult conuertere, omnes eius plantas aut excindit aut euellit, vt in alium locum plantandas transferat. Poteſt etiam כגן. eſſe genitiuus hoc modo, Diſſipauit, aut tranſtulit quaſi horti tentorium ſuum, id eſt, ſicut qui hortos cuſtodiunt, poſtquam fructus collecti ſunt, caſam vbi habitabant diſſipant, aut aliò transferunt: ſic Deus diſſipauit & tranſtulit Ieruſalem, vt Iſai. 24. 20. *Agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius; & auferetur quaſi tabernaculum vnius noctis*. & cap. 38. 12. *Generatio mea ablata eſt: & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum*. Sept. alio ſenſu prorſus contrario, *διεπέτασεν ὡς ἄμπελον τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. extendit ſicut vineam tabernaculum ſuum. Obliuioni tradidit*, in obliuionem, id eſt, fecit vt nulla ampliùs mentio feſtorum dierum fieret: quòd non eſſent, qui eos celebrare poſſent, ſicut dixerat cap. 1. 4. *Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolennitatem.* Non ergo ſignificat Deum oblitum eſſe; ſed feciſſe, vt homines obliuiſcerentur. *Et in opprobrium*, repetendum eſt verbum, Tradidit. H. וינאץ בזעם אפו מלך וכהן. Et abiecit in indignatione iræ ſuæ: id eſt, cùm indignatus eſſet regem & ſacerdotem.

7. *Maledixit.*] id eſt, paſſus eſt euerti ſanctuarium ſuum, quemadmodum ſi maledictum, non benedictum & conſecratum eſſet. H. נאר. repulit, ſicut זנח. quod præceſſit. Idem enim vtrumq; verbum ſignificat, repetitióq; eiuſdem ſententiæ eſt. Sed noſter interpres, vt ſolet, orationem variare voluit. Sic etiam Sep. verterunt. Chaldæus verò, conculcauit. *Vocem dederunt*, Chaldæi: ſicut Iudæi in magna ſolennitate, præ lætitia in templo ſolebant exclamare: ita Chaldæi, cùm templum euerterent, vociferabantur, vt ait R. Salom. & Chaldæus.

8. *Tetendit funiculum ſuum.*] id eſt, deſignauit animo eius demolitionem. Solent enim architecti, qui aliquid deſignant, funem extendere. R. Salom. protulit iudicium, vt ſumeret de omnibus iniquitatibus eius. Hebraiſmus eſt, ſignificans ſententiam ad puniendum pronuntiare, vt ait R. Salom. vel dignam mercedem tribuere, & eadem menſura remetiri, vt putat Hieronymus; vel vlciſci, vt interpretantur R. Dauid, & R. Leui, quæ omnia eodem redeunt. Ita 2. Reg. 8. 2. *Menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*, id eſt, pronuntiauit ſententiam vt vna pars occideretur, altera ſeruaretur. & 4. Reg. 21. 13. *Et extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ*, id eſt, pronuntiabo contra Ieruſalem eandem ſententiam quam pronuntiaui contra Samariam: aut vlciſcar me de Ieruſalem, ſicut vltus ſum me de Samaria. Ita R. Dauid, & R. Leui in commentariis in illos duos

Hebraiſmus.

locos. *Et non auertit manum ſuam*, id eſt, poſtquam cœpit perdere ac demoliri, non ceſſauit, nec manum ab opere remouit donec perfecit. *Luxit antemurale*, id eſt; deſtructum eſt, ſolo æquatum. Huius Hebraiſmi explicationem ſi deſideras, lege cap. præced. vor. 4. *Defixæ ſunt*, id eſt, ſubmerſæ ſunt, & veluti ruderibus ſepultæ. Non amo Hebræorum fabulas, tamen ſi quis volet legat R. Abraham commentarios. *Regem eius, & principes eius*, (perdidit) vel, ad Gentes ducti ſunt, quia non cuſtodierunt legem, vt Chaldæus exponit: aut בגוים. inter Gentes, (diſperſi ſunt, vel, exulant) *Et Prophetæ eius non inuenerunt viſionem à Domino*, id eſt, non ſunt veri Prophetæ; non enim Dominus illis reuelat, quæ dicunt. Significat omnem Iudæorum ſtatum eſſe conuerſum, omnia eſſe in miſerabilem conditionem commutata, & ſacra, & prophana; & Reges & populum.

10. *Sederunt in terra.*] Summum dolorem deſcribit. Solebant enim qui maximo mœrore affecti erant, humi quaſi exanimati ſedere, tacere præ dolore ſaccis indui, caput cinere aſpergere, quemadmodum Iob, & amicos eius feciſſe traditur, Iob cap. 2. 8. 13. *Abiecerunt in terram*, id eſt valde demiſerunt capita ſua, quæ antè nimis erecto collo, nimíſque ſuperbè incedebant: valde humiliatæ ſunt. Similis ſententia apud Iſai. c. 3. 16. 17. *Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant: ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant; decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Per ſuperbiam puellarum, totius ciuitatis ſuperbiam denotat, quia puellæ in rebus proſperis maximam ornatu, inceſſúque ſuperbiam præ ſe ferunt.

11. *Effuſum eſt in terra* (in terram) *iecur meum.*] effuſa ſunt viſcera mea, hyperbole ad ſignificandum ingentem dolorem. *Cum deficeret*, cùm viderem pueros in medijs plateis fame, ſitíque emorientes, vt Chaldæus exponit, atque hoc ſignificat עטף. Gallicè, *paſmer*, vt ait R. Salom.

13. *Cui comparabo te?*] מה אעידך. quod teſtimonium afferam, id eſt, quod exemplum calamitatis reperire potero, quæ ſimilis ſit tuæ, vt te conſoler? In hanc interpretationem & Hebræi, & Chaldæus & Sept. conueniunt. *Magna eſt velut mare*, id eſt, ſicut nulla aquarum copia mari comparari poteſt, ita nullus eſt dolor, qui cum dolore tuo conferri poſſit.

14. *Prophetæ tui.*] Quos tu veros Prophetas eſſe dicebas, quibus tu credebas. *Viderunt tibi*, vaticinati ſunt tibi. Videre, pro, vaticinari, ſicut Propheta ipſe videns vocabatur, 1. Reg. 9. 9. *Neque aperiebant iniquitatem tuam.* Non ponebant tibi ob oculos peccata tua; ſed loquebantur tibi placentia, vt tu ab illis poſtulabas, Iſai. 30. 10. conſuebántque tibi *puluillos ſub omni cubito manus*, Ezech. 13. 18. *vt te ad pœnitentiam prouocarent.* להשיב שביתך. Ad conuertendam conuerſionem tuam. Quod rectè noſter interpres reddidit, *Vt te ad pœnitentiam prouocarent*, vt etiam Chaldæus interpretatur. Alij, vt Septuag. ad conuertendam captiuitatem tuam. Alij, vt R. Salom. Ad conuertendas, id eſt, corrigendas auerſiones, & tranſgreſſiones tuas. Hæc enim omnia nomen ſignificat, & in hunc locum aptè conueniunt. *Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas.* משאות. onera, ſiue aſſumptiones vocat prophetias, vt putat R. Abrah. & Chald. Paraphraſtes. Nam quamuis משא. non ſoleat niſi grauem, & triſtem prophetiam ſignificare, tamen aliquando generaliter pro qualibet prophetia vſurpatur, vt illi putant. Ego ſubtiliorem quendam ſenſum latere arbitror. Solebãt veri Prophetæ paſſim dicere, *Onus Domini*, vt c. 23. adnotauimus, & eiectiones, diſperſiones,

Digitized by Google

nes,exilia populo prædicere; quos pſeudoprophetæ imitari conabantur: & ne ſemper iucunda vaticinati viderentur, aduerſa nonnunquam admiſcebant; ſed falſa atque conficta: quemadmodum adulatores, vt Plutarchus dixit, Opuſc. de diſcrimine Adulatoris, & Amici, ne ad gratiam ſemper loqui videantur, aliquando eos, quibus maximè adulantur, reprehendunt; ſicut catuli, qui fingunt ſe dominum mordere; ſed dentes non figunt: propterea ergo vſus eſt Deus hoc loco nomine משא. oneris, מדוחים. eiectionis, quamuis non de veris, ſed de falſis Prophetis loqueretur.

15. *Plauſerunt.*] id eſt, obſtupefacti ſunt videntes ruinas tuas. Solent enim qui valde mirantur manibus plaudere; ſicut de homine ſtulto dicitur, Eccl. 12. 19. *Caput ſuum mouebit, & plaudet manu, & multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.* Idem ſignificat Sibilare, vt Ierem. 18. 16. & 19. 8. & 25. 9. 18. & 29. 18. & 49. 17. & 50. 13. & 51. 37. Idem etiam eſt, Mouere caput, Ierem. 18. 16. *Haccine eſt vrbs, dicentes.* Heb. שאמרו. quam dicebant perfecti eſſe decoris. Ita Chaldæus explicauit. Haccine eſt vrbs, quam patres noſtri antiqui dicebant perfecti eſſe decoris. *Gaudium vniuerſa terra*, id eſt, qua tanquam domina vniuerſa terra, quæ illi parebat, gaudebat, & gloriabatur.

16. *Aperuerunt os ſuum.*] id eſt, irriſerunt te, exprobrarunt tibi. *Sibilauerunt*, vide ſuperiorem verſum. *Fremuerunt dentibus.* Idem ſignificat inſultare, illudere ijs, qui afflicti ſunt, vt Iob 16. 10. *Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus ſuis.* & Pſal. 34. 16. *Tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.* & Pſal. 36. 12. *Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. Dixerunt, Deuorauimus*, præteritum pro futuro, vel, imperatiuo; deuoremus Ieruſalem.

17. *Quem præceperat.*] Prophetis, vt populo ſignificarent, vel, quem Deus in lege comminatus illis fuerat, ſi mandata eius non ſeruarent. Leuit. 26. 16. 25. & Deut. 28. 15. 16. 17. &c.

18. *Clamauit cor eorum.*] Iudæorum, cùm obſeſſi eſſent, nec poſſent vrbem defendere, vt auxilium à Deo peterent. *Super muros Sion*, id eſt, pro muris, ne muri ſubuerterentur. Hebræi, & Chaldæus, immo & Sept. aliter verba coniungunt. Clamauit cor eorum ad Dominum, חומת בת ציון. (ſub. & dixerunt) O mure filiæ Sion, deduc quaſi torrentem lacrymas; vt murus ipſe per proſopopœiam flere iubeatur, ſicut dixit ver. 8. *Luxitq; antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.* Alij putāt verba eſſe Prophetæ ad Hieruſalem. Vterque ſenſus congruit. *Neque taceat*, id eſt, ne ceſſet. Hebraiſmus, Tacere, pro Ceſſare, vt ſuprà cap. 47. 6. *O mucro Domini? vſquequò non quieſcis? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.* Vide alia exempla, quæ illic poſuimus.

19. *Conſurge, lauda.*] רני. Clama (ad Dominum.) *In principio vigiliarum.* לראש אשמרות. in capite cuſtodiarum, id eſt, ſtatim poſt primum noctis ſomnum, in prima vigilia, quæ aliarum caput, & principium eſt, quo tempore ſolent alij homines altiſſimè dormire. *Leua ad eum manus tuas.* Leuare manus hoc loco ſignificat auxilium petere, vt cap. præcedenti ver. 17. *Expandit Sion manus ſuas*: vide quæ illic adnotauimus. *Pro anima*, propter animam, propter vitam, qua priuati ſunt paruuli, qui paulatim fame conſumpti ſunt. Hoc enim eſt עטף. vt ſuprà ver. 11. *In capite omnium compitorum*, id eſt, in medio omnium חוצות. platearum.

20. *Quem vindemiaueris ita.*] (vt me vindemiaſti) id eſt, filiis meis orbaſti. עוללת. Cui feciſti ſic? vt exponunt Hebræi. Nos hunc locū ſup. explanauimus.

cap.

In obſidione Ieroſolymitana infantes matribus cibus factus.

Palma quid ſignificet.

cap. ſuperiori ver. 12. *Ergóne comedent?* Sicut comederunt in obſidione Ieroſolymitana. אם תאכלנה. ſi comederunt mulieres? per interrogationem. Ac ſi dicat, Quis vnquam audiuit mulieres infantes ſuos comediſſe, *ad menſuram palmæ*, id eſt, altitudinis vnius palmi, minimos ac recens natos? Hoc ſenſu vertit noſter interpres. Nam palma hoc loco non ſignificat arborem, vt nonnulli interpretes putauerunt; ſed palmam manus, aut palmum, vt ex dictione Hebraica manifeſtum eſt, עוללי טפוחים. infantes palmorum, aut palmares; qui ſic appellantur, vt ait R. Dauid, quia à nutricibus palmis tractantur, atque eorum membra corriguntur dum inuoluuntur faſciis. טפח enim palmum ſignificat. vnde factum eſt, vt verbum טפח ſignificet educare, enutrire, vt infrà ver. 22. אשר טפחים. *quos educaui, & enutriui, inimicus meus conſumpſit eos.* Atque ita alij Hebræi hunc locum interpretantur. עוללי טפוחים. paruulos educationum, id eſt, lactentes, ſugentes vbera vt etiam Sept. reddiderunt. Chaldæus verò, infantes amabiles, qui inuoluebantur ſericis linteis. Mirùm quàm ſæpe in populo illo Iudæorum hoc acciderit, vt matres filios ſuos ederent. Id enim & in obſidione Samariæ, 4. Reg. 6. 28. 29. eueniſſe legimus: & in obſidione

Quàm ſæpe id factum.

Ieroſolymitana idem factum eſſe, quamuis in libris Regum & Paral. non ſcribatur, Ieremias tamen hoc loco, & cap. 4. ſeq. v. 10. & Baruch c. 2. v. 3. non obſcurè docet. Niſi ſi quis de obſidione Samariæ velit intelligi; quod ego non probo, quia hoc loco Ieroſolymam deflet. Id ipſum poſtea in obſidione Titi & Veſpaſiani factum eſt, vt Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico, c. 8. auctor eſt. Neſcio an in alia gente tot exempla eiuſmodi flagitij reperiri queant. Accidit tamen id noſtra ætate etiam in Gallia. Nam ad caſtrum ſacri Cæſaris, quod vulgò Sancerra dicitur, cùm ab hæreticis teneretur, à Catholicis autem obſeſſum eſſet, duæ Caluinianæ ſectæ mulieres infantes ſuos comederunt. *Si occiditur*, id eſt, quando viſum, aut auditum eſt, vt ſacerdotes, & Prophetæ in ipſo templi adyto ab hoſtibus trucidarentur, quemadmodum Ieroſolymis factum eſt.

Idem noſtra ætate fecerunt Hæretici, teſte etiam Miniſtro in libello de hac obſidione, cui & interfuit anno Domini 1573. idem teſtatur Florimondus Ramõdus l. de Antichriſto c. 7 qui vult accidiſſe anno 1572. quod Belloforeſt ait 1573. & ſimilem narrat hiſtoriam in territorio Petragoricenſi quæ contigit anno 1582.

21. *Iacuerunt.*] mortui, trucidati. *Foris.* חוצות in plateis.

22. *Vocaſti.*] congregaſti, conuocaſti. *Qui terrerent me.* מגורי. ad verbum, terrores meos, id eſt, hoſtes meos terribiles, ac formidabiles, vt Ierem. 15. 8. *Miſi ſuper ciuitates repentè terrorem*; & cap. 49. 5. *Inducam ſuper te terrorem.*

CAPVT III.

א EGO vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. 2 א Me-
minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. 3 א Tantùm in me ver-
tit, & conuertit manum ſuam tota die. 4 ב Vetuſtam fecit pellem meam &
carnem meam, contriuit oſſa mea. 5 ב Ædificauit in gyro meo, & circundedit me felle
& labore. 6 ב In tenebroſis collocauit me: quaſi mortuos ſempiternos. 7 ג Circum-
ædificauit aduerſum me: vt non egrediar: aggrauauit compedem meum. 8 ג Sed &
cùm clamauero & rogauero excluſit orationem meam. 9 ג Concluſit vias meas lapi-
dibus quadris, ſemitas meas ſubuertit. 10 ד Vrſus inſidians factus eſt mihi: leo in abſ-
conditis. 11. ד Semitas meas ſubuertit, & confregit me, poſuit me doſolatam. 12 ד Te-
tendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. 13 ה Miſit in renibus meis
filias pharetræ ſuæ. 14 ה Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticũ eorum tota die.
15 ה Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio. 16 ו Et fregit ad numerũ
dentes meos: cibauit me cinere. 17 ו Et repulſa à pace eſt anima mea, oblitus ſum bono-
rum.

rum. 18 ר Et dixi, Periÿt finis meus, & ſpes mea à Domino. 19 ז Recordare pau-
pertatis & tranſgreſſionis meæ, abſynthij & fellis. 20 ז Memoria memor ero, & ta-
beſcet in me anima mea. 21 ז Hoc recolens in corde meo, ideo ſperabo. 22 ח Miſe-
ricordia Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius.
23 ח Noui, diluculo, multa eſt fides tua. 24 ח Pars mea Dominus, dixit anima
mea: propterea expectabo eum. 25 ט Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum: ani-
mæ quærenti illum. 26 ט Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. 27 ט Bo-
num eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. 28 י Sedebit ſolitarius &
tacebit: quia leuauit ſuper ſe. 29 י Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes. 30 י Da-
bit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. 31 כ Quia non repellet in ſempi-
ternum Dominus. 32 כ Quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem mi-
ſericordiarum ſuarum. 33 כ Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios ho-
minum. 34 ל Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ. 35 ל Vt decli-
naret iudicium viri in conſpectu vultus Altiſſimi. 36 ל Vt peruerteret hominem in
iudicio ſuo, Dominus ignorauit. 37 מ Quis eſt iſte qui dixit vt fieret Domino non
iubente? 38 מ Ex ore Altiſſimi non egredientur nec mala nec bona? 39 מ Quid
murmurauit homo viuens, vir pro peccatis ſuis? 40 נ Scrutemur vias noſtras & quæra-
mus, & reuertamur ad Dominum. 41 נ Leuemus corda noſtra, cum manibus ad Do-
minum in cœlos. 42 נ Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu
inexorabilis es. 43 ס Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos: occidiſti, nec pepercisti.
44 ס Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio. 45 ס Eradicationem & abiectio-
nem poſuiſti me in medio populorum. 46 פ Aperuerunt ſuper nos os ſuum omnes inimi-
ci noſtri. 48 פ Formido & laqueus facta eſt nobis vaticinatio & contritio. 48 פ Di-
uiſiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei. 49 ע Oculus meus
afflictus eſt, nec tacuit eo quòd non eſſet requies. 50 ע Donec reſpiceret & videret Do-
minus de cœlis. 51 ע Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus
vrbis meæ. 52 צ Venatione ceperunt me quaſi auem inimici mei gratis. 53 צ Lapſa
eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me. 54 צ Inundauerunt aquæ ſuper
caput meum: dixi: Periÿ. 55 ק Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouiſſimo.
56 ק Vocem meam audiſti: ne auertas aurem tuam à ſingultu meo & clamoribus.
57 ק Appropinquaſti in die quando inuocaui te: dixiſti, Ne timeas. 58 ר Iudicaſti
Domine cauſam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. 59 ר Vidiſti Domine iniquitatem
illorum aduerſum me: iudica iudicium meum. 60 ר Vidiſti omnem furorem, vniuerſas
cogitationes eorum aduerſum me. 61 ש Audiſti opprobrium eorum Domine, omnes
cogitationes eorum aduerſum me. 62 ש Labia inſurgentium mihi, & meditationes
eorum aduerſum me tota die. 63 ש Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum vide,
ego ſum pſalmus eorum. 64 ת Reddes eis vicem Domine, iuxta opera manuum ſua-
rum. 65 ת Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum. 66 ת Perſequêris in furore, &
conteres eos ſub cœlis Domine.

1. *Ego vir.*] Putant nonnulli Hebræi, vt R. Salomon, hanc lamentationem à Ieremia propria perſona dici. Alij compoſitam ab eo fuiſſe, cùm in carcere teneretur, cap. 20. *Ego vir.* הגבר vir ille. *videns*. id eſt vaticinans, vt exponit R. Salomon. Videre mortem, eſt, Mortem experiri, Ioan. 8. 51. & bellum, & gladium videre, enim, eſt habere reuelationem prophetiæ, vt cap. præcedenti ver. 14. & 1. Reg. 9. 9. Alij, *videns*, id eſt, qui experior, aut expertus ſum: ſicut, Videre, Ierem. 14. 13. Prior interpretatio mihi magis placet; quaſi conqueratur Ieremias, quòd nemo Prophetarum præter ſe tam triſtia, & calamitoſa prædixerit. *Paupertatem meam*, id eſt, miſeriam meam; עני. afflictionem

meã, id eſt, populi mei, vel res, quæ me affligunt. *In virga indignationis eius*, id eſt, Dei. Relatiuum ſine antecedente Hebræorum conſuetudine. Virga punitionem ſignificat, quia virgis caſtigare ſolemus pueros, vt Pſalm. 88. 33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum* & 1. ad Cor. 4. 21. *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* Videtur autem mihi Ieremias alludere ad primam illam viſionem, quam habuit cap. 1. 11. 12. *Quid tu vides Ieremia? virgam vigilantem ego video. Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.*

Virga punitionem ſignificat.

2. *Me minauit.*] i. duxit. Hoc verbo veteres auctores Eccleſiaſtici frequenter vtebantur, vnde Galli retinuerunt verbum, *Mener*, & Itali, *Menare*. H. נהג וילך. Duxit & deduxit, id eſt, duxit me ex vna afflictione in aliam, ita vt nunquam conquieuerim, nunquam re vlla proſpera vſus ſim. Tenebras enim vocat res aduerſas, lucem proſperas, vt Pſal. 54. 6. *Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* & Iob. 7. 4. *Replebor doloribus vſque ad tenebras.* & cap. 17. 12. *noctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem.*

Res aduerſæ teneb. & proſperæ lux.

3. *Tantùm in me vertit, & conuertit.*] id eſt, nihil aliud facit Deus totos dies, quàm me colaphis cædere. Sumpta metaphora ab iis, qui pueros colaphis vtraque gena feriunt, ducentes ac reducentes manum, & ictus geminantes. Noſter interpres, & Septuag. non legerunt ישוב. vt nunc legunt Hebræi, id eſt, cõuertit ſe: ſed יעיב. conuertit manum: ſenſuſque eſt melior, quemadmodum explicauimus. Poſſumus vertere. אך. veruntamen, vt Septuag. verterunt, aut ſed potius, vt aduerſetur ſuperiori verſu: Non adduxit me in lucem; ſed potiùs colaphizauit me tota die.

4. *Vetuſtam fecit.*] id eſt, rugoſam, qualem ſenes habere ſolent præ miſeria & fame; aut, liuidam reddidit carnem meam verberando.

5. *Ædificauit in gyro.*] עלי. Alij, contra me. meliùs noſter interpres, *in gyro meo*: perinde enim eſt, ac ſi diceret, circumuallauit me felle, &, labore, vt ſtatim explicat, id eſt, omni ex parte circundedit me periculis, & laboribus, ſicut vrbem, quæ cincta eſt muris; ita vt non poſſim ex vno malo fugere, quin in aliud incurram: quod Ionath. & R. Salomon non de Ieremia: ſed de Ieruſalem interpretantur, & in מדרש אגדה. dicitur fel fuiſſe Nabuchodonoſorem, cùm Ioachin captiuum duxit, 4. Reg. 24. 12. laborem autem fuiſſe Nabuzardan, qui templũ, & vrbem incendit, & qui reliqui fuerant, Iudæos Babylonẽ duxit, 4. Reg. 25. 9.

6. *In tenebroſis*]locis. Vocat res aduerſas tenebroſa loca, vt verſu 2. tenebras appellauerat. *Collocauit me*, הושיבני habitare fecit me: quod Chaldæus interpretatur de carcere, in quem Ieremias coniectus fuerat, cap. 32. 2. & cap. 37. 4. 14. 17. 20. & cap. 38. 6. 13. *Quaſi mortuos ſempiternos*, id eſt, quibus nulla ſpes eſt refugiendi. Sic vocat mortuos, non quòd non ſint reſurrecturi; ſed quòd ad aliam, non ad hanc vitam reſurrecturi ſint; vt cùm dicit Iob cap. 7. 9. 10. *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit; ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet; nec reuertetur vltrà in domum ſuam; neque cognoſcet eum ampliùs locus eius.* Et cap. 10. 21. *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.* & cap. 14. 12. *homo cùm dormierit, non reſurget, donec alteratur cœlum, non euigilabit.* Et quod ait Dauid Pſalm. 48. 12. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Et quod Salomon Eccleſ. 12. 5. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ*; & ſi qua ſunt alia generis eiuſdem, ad hunc modum intelligenda ſunt, vt in ſcholis noſtris copioſiùs explicauimus.

Mortui ſempiterni cur vocantur.

7. *Circumædificauit.*] גדר בעדי. ſepe (miſeriarum) circundedit me, vt euadere non poſſim; ſicut dixit ver. 5. *ædificauit in gyro meo. Aggrauauit compedem meum*; ſingu-

Digitized by Google

ſingulare pro plurali, compedes meos, id eſt, mala, quibus quaſi compedibus impeditus ſum, vt me expedire non queam, hæc omnia Chaldæus ad carcerem Ieremiæ refert. Malo metaphoricè de toto populo intelligere.

8. *Cum clamauero.*] vel, כי אזעק. cùm clamabam, futurum pro præterito, & orabam. אשוע. vociferabar. *Excluſit.* שתם. aditum occluſit orationi meæ, ne ad ſe perueniret. loquitur humano more. Non enim Deus, ſed ipſe populus ſuis peccatis aditum orationi ſuæ obſtruxerat; *Non* enim *abbreuiata eſt manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret,* vt ait Iſai. cap. 59. 1. 2. Videtur autem hoc loco Ieremias alludere voluiſſe ad id, quod illi Deus dixerat, cap. 7. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* & cap. 11. 14. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.* Quo præcepto aditum videtur Deus orationibus Ieremiæ pro populo præſtruxiſſe.

Humano more hic loquitur Ieremias.

9. *Concluſit vias meas.*] R. Salom. ad obſidionem Ieroſolymitanam hoc refert, vbi populus erat muris concluſus quadro lapide ædificatis, vt exire non poſſet. Sic interpretatur, quod ſequitur, *Semitas meas ſubuertit.* עוה peruertit, id eſt, per alia loca mutauit. Cùm enim hoſtes vias occuparent, non poterant Iudæi per conſuetas vias ire, ſed per occultas, & auias ſemitas: ſicut Sedecias euaſit per poſticum horti ſui, fugitque per viam quæ ducebat ad campeſtria ſolitudinis, 4. Regum 25. 4. & Ierem. 39. 4. & 52. 7. Hæc vera ſunt. Sed non eſt neceſſe ad obſidionem tantùm referre; cùm poſſimus per metaphoram omnia intelligere Deum quadro lapide vias concluſiſſe, id eſt, tam magnis vndique periculis circumſepſiſſe populum, vt ea perrumpere non poſſet, ſicut murus quadris ædificatus lapidibus difficile rumpitur; & ſemitas peruertiſſe, id eſt, excidiſſe, ita vt non videat vllam ſemitam, qua poſſit effugere, quemadmodum cùm agricolæ aratro vias proſcindunt, ita vt non appareant. Qua metaphora ſignificat Deum Iudæis omnem ſpem auxilij præcidiſſe, omnéque illis conſilium eripuiſſe.

10. *Vrſus inſidians factus eſt mihi.*] Deus, qui mihi pater, & auxiliator eſſe ſolebat, mutatus mihi eſt in vrſum, & in leonem mihi inſidiantem.

11. *Semitas meas ſubuertit.*] סורר. Quod Hebræi variè interpretantur. Aliqui putant idem ſignificare, quod עוה ſuprà verſu 9. quibus ego libenter aſſentior. Quamuis ſignificare etiam poteſt, remouit à me, & auertit ſemitas meas, id eſt, omnes actiones meas in alium exitum, quàm in quem ego intendebam, declinauit: fecit vt omnia mihi malè ſuccederent.

13. *Filias pharetræ ſuæ.*] id eſt, ſagittas pharetræ ſuæ: quæ filiæ pharetræ dicuntur, quia in pharetra ſicut filiæ in vtero matris geſtantur. Hebraïſmus eſt, qui non niſi hoc loco reperitur. Eſt autem ſenſus, Confixit renes meos ſagittis ſuis. Renes autem dixit ad declarandum grauiſſimum dolorem, qui renibus maximè ſentiri ſolet, vt Pſalm. 15. 7. *Vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Et Pſalm. 72. 21. *Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt.*

Hebraiſmus hoc tantùm loco reperitur.

14. *Omni populo meo.*] Videtur hinc poſſe colligi Ieremiam non de populo, ſed de ſe ipſo loqui.

16. *Confregit ad numerum.*] id eſt, ſigillatim, non omnes ſimul, quò dolor grauior, ac diuturnior eſſet. Dentes nominauit, quia vehementiſſimus eſt dolor dentium, ſicut verſu 13. nominauit renes. H. Confregit, בחצץ. lapide dentes

Digitized by Google

meos, vt Septuag. & Chaldæus reddiderunt, id eſt, ictu lapidis. R. Salom. interpretatur Iudæos, cùm in captiuitatem irent, præ inopia panem ſubcinericium feciſſe, in quo multus puluis, multíque lapilli mixti eſſent, quibus cùm veſcerentur, eorum dentes confringebantur, vt illis Deus comminatur, Ezech.
Fabula Iudaica. 4. 13. *Sic comedent filij Iſraël panem ſuum pollutum inter Gentes, ad quas eiiciam eos.* Videtur hoc mihi Iudæorum fabulas olere. Alij ſine hiſtoria dicunt Ieremiæ, cum in carcere eſſet, panem ſcrupulis plenum datum eſſe, vt eius dentes frangerentur. Ego per metaphoram, ſicut ſuperiora interpretari malo. Confregit lapide dentes meos, id eſt, maximum mihi dolorem fecit. *Cibauit me cinere*, id eſt, fecit me, cum maximo dolore cibum ſumere; quemadmodum ſi cinere mixtus eſſet, vt Pſalm. 101. 10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Eodem ſenſu Septuag. reddiderunt; quem ego credo verum eſſe: Quamquam Hebræi aliter. הכפישני באפר. voluit me, aut verſauit me in puluere; aut inquinauit me puluere, vt exponit Aben Ezra; aut inuertit me in cinere, ſicut vas ore inuerſo, & in cinere immerſo, vt ait R. Salo. Chaldæus כנע ית'. humiliauit me in cinere.

17. *Repulſa eſt à pace.*] Sic legendum, quia ſic Hebraïcè eſt, & ſic aliqui noſtri Latini codices habent, & ſic Chaldæus, & Septuag. legerunt. Senſus autem eſt, longè abfuit animus meus, vt vllam pacem, & tranquilitatem haberet, vel, תזנח. Elongauit ſe à pace, id eſt, non potuit conquieſcere, ſicut Dauid dixit Pſalm. 37. 4. *non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum. Oblitus ſum bonorum*, id eſt, priuatus ſum omnibus rebus proſperis, iam diu nihil proſperum experior; vt alio Hebraïſmo Dauid dixit Pſalm. 38. 3. *Silui à bonis; & dolor meus renouatus eſt.*

18. *Periit finis meus.*] id eſt, venit finis vitæ meæ, tranſactus eſt finis vitæ meæ, actum eſt de vita mea, Elapſum eſt, effluxit tempus conſtitutum vitæ meæ. Hic eſt ſenſus verſionis noſtræ. Quo etiam ſenſu R. Salom. interpretatur. *Periit.* נצחי id eſt, עולמי וסבדי. ſeculum meum, & ætas mea. R. verò Abraham, periit ſtatio mea in fortitudine, quæ mihi erat. R. Dauid in lib. rad. & Paraphraſtes Chaldæus, periit fortitudo. quaſi dicat, Cogitaui nullum mihi præſidium, nullam ſpem mihi ſupereſſe, cum viderem Deum ipſum mihi eſſe aduerſum. Septuag. ἀπώλετο τὸ νῖκος μου, *periit victoria mea*, id eſt, ſpes victoriæ, quam habebam.

19. *Recordare.*] O Deus, eſt enim repentina apoſtrophe lugentis hominis, & dolore huc illúcque fluctuantis. *Paupertatis, & tranſgreſſionis meæ*, id eſt, miſeriæ, in quam propter tranſgreſſiones meas incurri, vt Hieronymus interpretatur. H. זכר עניי ומרודי. quod Hebræi interpretantur, Recordare laboris mei, & humilitatis meæ. Alij vagationis meæ, id eſt, exilij mei. Alij tenuitatis, & paupertatis meæ. Chaldæus quòd ad amaritudinem duxit me inimicus meus, quaſi legerit מררי. Septuag. longè à verbis Hebraïcis diſceſſerunt. Alij putant infinitum eſſe. זכר. quaſi dicat, In recordando, vel cùm recordarer afflictionis, & humilitatis meæ; dixi, periit ſpes mea, vt hic verſus à ſuperiore pendeat.

Hebraiſmus. 20. *Memoria memor ero.*] Notus eſt Hebraïſmus idem valens, ac ſi dicat, præ vehemēti, & acerba recordatione calamitatis meæ. *tabeſcet in me anima mea.* H. זכור תזכור ותשיח. recordando recordabitur (anima mea,) & humiliabitur, id eſt, quotieſcunque mihi venit in mentem calamitatis meæ, deiicitur animus meus. Hoc ſenſu Chaldæus vertit, & nonnulli Hebræi interpretantur. Alij melius referunt ad Deum, Recordando recordaberis. Dixerat enim illi verſu præce-

præcedenti. *Recordare*, quaſi dicat, Certò ſcio fore, vt recordere Domine, tamen interim humiliatur, & affligitur animus meus.

21. *Hoc recolens.*] id eſt, Cùm hoc in mentem reuocas fore ſcilicet vt tandem afflictionis meæ recorderis, ſpem, quam abieceram, iterum reſumo.

22. *Miſericordia.*] id eſt, miſericordia Domini factum eſt, vt non ſimus penitus conſumpti, quia eius miſerationes infinitæ ſunt, & deficere non poſſunt: *Pſal.117.18.* itaque caſtigans caſtigauit; ſed morri non tradidit nos. R. Salom. hunc verſum cum ſuperiori iungit; quaſi ſenſus ſit, Recolens hoc in corde meo, ſcilicet quòd miſericordiæ Domini לא תמנו, non ſunt conſumptæ, neque defecerunt, ſpem concepi; putat enim ille, & Aben Ezra תמנו. poſitum pro, תמו. aut, תממו. conſumptæ ſunt, vel, defecerunt, quemadmodum etiam Septuag. & Chaldæus Paraphraſtes conuerterunt.

23. *Nouæ.*] Sic legendum; Quia ſic Hebræi legunt, & ſic emendata habent exemplaria, & ſic Septuag. quoque tranſtulerunt, Nouæ miſericordiæ Domini exiſtunt, *diluculo*, לבקרים. ſingulis matutinis, id eſt, ſingulis diebus, vt interpretantur Hebræorum commentarij. quaſi dicat, Non defecerunt Domini miſericordiæ, ſed creſcunt in dies magis, ac magis. *Multa eſt fides tua*, id eſt, ſemper præſtas, quod promiſiſti.

24. *Pars mea Dominus.*] Conſiderauit animus meus. *Dixit*, pro, cogitauit, Hebraïſmus; Deum partem meam eſſe, id eſt, portionem meam, menſuram meam, remunerationem meam, vt Pſalm. 72. 26. *Pars mea Deus in æternum.* & Pſalm. 118. 57. *Portio mea Domine, dixi, cuſtodire legem tuam.* & Pſalm. 141. 6. *Tu es ſpes mea: portio mea in terra viuentium.* & Iob 20. 29. *Hæc eſt pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino.* id eſt, remuneratio, retributio, & Eccleſ. 2. 10. *Hanc ratus ſum partem meam, ſi vterer labore meo.*

26. *Bonum eſt præſtolari.*] expectare, *cum ſilentio*, patienter, ſine querimoniis, & murmurationibus, vt Iſaiæ 30. 15. *In ſilentio, & in ſpe, erit fortitudo veſtra.* H. טוב ויחיל. Ad verbum, Bonum eſt, & ſilebit. Quod Hebræi ſic exponunt, Bonum eſt, aut, Bene faciet homo, ſi expectet, & taceat. Sicut ſtatim ſequitur.

27. *Bonum eſt viro.*] id eſt, vt Deo obediat, & illius iugo colla ſummittat, &, vt Chaldæus exponit, Bonum eſt viro; ſi docuerit animam ſuam, vt portet iugum præceptorum Domini ab adoleſcentia ſua. Poſſumus etiam, *iugum*, afflictionem interpretari, qua veluti graui quodam iugo Deus homines domare ſolet; ſicut Dauid dicit, *Bonum mihi, quia humiliaſti me: vt diſcam iuſtificationes tuas.* Pſalm. 118. 71. *Iugum* enim, *& lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ.* Eccleſ. 33. 27.

28. *Et tacebit.*] id eſt, patienter expectabit, vt verſu 26. *Quia leuauit*, ſub. iugum, *ſuper ſe.* id eſt, quia portauit iugum ab adoleſcentia ſua, *ſedebit*, id eſt, quietus erit, & patiens, quia edomitus iugo Domini. Ita legendum, & interpretandum, ſicut Hebraïcè legitur; & ſicut Sept. vertunt, & Complurenſe, & alia emendata exemplaria habent, ſenſúſque ipſe declarat ita eſſe legendum. Si quis pronomen *ſe*, legendum eſſe contendit, ſenſum quærat.

29. *Ponet in puluere os ſuum.*] id eſt, humiliabit ſe vſque ad terram, ſubmittit ſe Deo, donec os in terra ponat, vt R. Abraham, interpretatur. Alij ponere os in puluere exponunt, ſubmiſsè loqui, ac de ſe ſentire: nullum in ſcriptura eius Hebraïſmi exemplum reperitur. *Hebraiſmus non alibi in Scriptura repertus.*

30. *Dabit percutienti ſe.*] Deſcribit ſingularem patientiam viri, qui ab adoleſcentia ſua iugum Domini portauerit: quod quamuis generaliter dictũ ſit, tamẽ

Digitized by Google

ſpecialiter de Chriſto intelligendum eſt, qui omniū martyrū,& om nis patientiæ exemplar eſt; quemadmodum veteres auctores Eccleſiaſtici interpretātur.

31. Hoc autem faciet vir iuſtus, ſciens, atque conſiderans, *quia non repellet in ſempiternum Dominus.*

32. *Quia ſi abiecit.*] Quia etiam ſi aliquando hominem abieciſſe, repuliſſeque videatur, tandem miſeretur illius. *Non enim continebit, in ira ſua miſericordias ſuas.* Pſalm. 76. 10. H. אם הוגה, Si dolore affecerit, miſerebitur. Percutiet enim & ipſe ſanabit. Deuter. 32. 39.

Deus quaſi inuitus punit peccatores.

33. *Non enim humiliauit ex corde ſuo.*] id eſt, non affligit Deus homines ex animo, ſed quodammodo coactus eorum peccatis. Ita R. Abraham. Atque hic eſt verus ſenſus, quo Dei bonitas maximè commendatur, qui *non vult mortem impij, ſed vt conuertatur à via ſua, & viuat.* Ezech. 18. 32. & 33. 11. *Deus* enim *mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Sapient. 1. 13. Itaque non facit (vt Hieronymus obſeruat) ſed ſuſtinet *in multa patientia vaſa iræ apta in interitum,* Rom. 9. 22. Chaldæus alio prorſus ſenſu hunc locum exponit, quia propterea, inquit, quòd non affligit vnuſquiſque animam ſuam, & non aufert ſuperbiam de corde ſuo, ideo hoc fecit vt deuolueretur interitus in filios hominum. Sept. etiam aliter, ὐκ ἀπεκρίϑη ἀπὸ καρδίας αὐτῦ, ϗ ἐταπείνωσεν ὑιοὺς ἀνδρὸς. *Non reſpondit ex corde ſuo, & humiliauit filios viri,* Quia, ענה. & humiliare ſignificat, & reſpondere; quod Theodoritus ita exponit, quaſi Deus non ex animo loquatur, cùm ſe iratum eſſe dicit: ſed ſimulet ſe iratum eſſe, cùm re vera plenus ſit miſericordiæ.

34. *Vt contereret.*] vel, vt cōterat לדכא. hic verſus, & duo ſequentes à ſuperiori pendent, ſic, Non humiliauit homines, vt eos contereret, id eſt, prorſus perderet. Intelligitur altera pars orationis, ſed vt eos caſtigaret, ac meliores efficeret. *Omnes vinctos terræ,* id eſt, omnes homines qui in terra quaſi vincti ab illo tenentur. Hic enim mundus quaſi carcer eſt. Alij, *vinctos* peccatores vocari putant, qui peccatis obſtricti tenentur. Alij hunc verſum, & duos ſequentes non ad Deum: ſed ad hominem referunt hoc modo. Non abiecit ita Deus homines ex animo ſuo, vt permittat, vt vllus tyrannus eos conterat; & eorum iudicium declinet coram Deo, & peruertat eos in iudicio ſuo. Non diſſentior.

Homines vincti terræ cur dicti.

35. *Vt declinaret iudicium.*] Deus. Declinare iudicium eſt, non iuſta lance eius merita ponderare; ſed declinare libram in vnam, vel in alteram partem. *In conſpectu vultus altiſſimi,* id eſt, ſuo; loquitur enim Deus de ſe per tertiam perſonam.

36. *Vt peruerteret hominem.*] id eſt, vt calumniaretur, vt occaſionem quæreret accuſandi illum, cùm eius cauſa tractaretur. *Dominus ignorauit,* id eſt, hoc, inquam, Deus non nouit facere; aut hoc, inquam, ne cogitauit quidem Deus: aut, non approbauit. Vtroque modo explicat R. Salom. R. verò Abraham, non decreuit ſcientia ſua, vt ita fieret. Chaldæus, fieri ne poteſt, vt hoc in conſpectu Domini non reueletur? Ego aliter interpretor congruenter verbis quæ ſequuntur. אדני לא ראה. Dominus non vidit, id eſt, ita vt non videret, ita vt non prouideret, aut non curaret. quaſi dicat, non permittit Deus homines vexari ſine magno conſilio, & prouidentia, facit enim vt emendentur: hunc eſſe ſenſum indicant verſus ſequentes.

37. *Quis eſt.*] id eſt, Hæc cùm ita ſint, quis audeat dicere fieri quidquam *Domino non iubente,* id eſt, ſine eius voluntate, ac prouidentia?

38. *Ex ore altiſſimi non egredientur.*] id eſt, & ex ore altiſſimi, nō proficiſci bona,

nec

nec mala? id eſt, res proſperas & aduerſas non eius præcepto euenire. Os pro præcepto, vt cap. 1. 18. *Quia os eius ad iracundiam prouocaui.* Ad hunc locum pertinent illa ſententiæ. Iſai. 45.67. *Ego Dominus, & non eſt alter; formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum.* Et Amos 3.6. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* *Os pro præcepto ſumptum.*

39. *Quid murmurauit.*] Cùm ergo omnia diuina eueniant prouidentia, quid cauſæ eſt, cur obmurmuret homo, cùm à Deo pro peccatis ſuis caſtigatur? H. מה יתאונן. cur ſeſe affligit, cur impatienti, & iniquo animo fert? Nulla enim res magis nos in rebus aduerſis cõſolari poteſt, quã ſi cogitemus omnia diuino fieri conſilio; & noſtram culpam, Deiq; iuſtitiam agnoſcentes dicamus, *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.* Pſal. 118.75. *Pro peccatis ſuis*, id eſt, pro pœnis peccatorum ſuorum. ſæpe enim obſeruauimus peccatum pro peccati pœnis ſumi: aut, *pro peccatis*. id eſt, cùm pro peccatis ſuis affligitur: aut, quare peccatis ſuis acceſſit ſibi afflictionem? vt R.Salom. interpretatur.

43. *Operuiſti in furore.*] id eſt, armaſti te furore, & percuſſiſti nos; obtexiſti te furore tuo tanquam ſcuto. Alij, oppoſuit furorem ſuum inter ſe, & nos, ne orationes noſtræ ad eum peruenire poſſent, ſicut ſtatim dicit, ver. 44. *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio:* ita R.Salom. vtroque enim *loco idem eſt verbum.* סכת.

45. *Eradicationem & abiectionem.*] id eſt, tradidiſti me omnibus gentibus eradicandum, & huc illuc eiiciendum, vt dixerat c. 18. 7. *Repentè loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruã, & diſperdam illud.* H. סחי ומאס. *abraſionem, & euectionem*, id eſt, vt ſimus apud omnes tanquam ſordes, & purgamenta, hoc enim verba ſignificãt, ſicut ait D.Paulus 1.Cor. 4. 13. *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema.* Alij, vt Hebræorum interpretes, emotionem, & eiectionem, id eſt, vt exularemus, atq; huc illuc vagaremur inter gentes: ſicut illis Deus minatus fuerat, Ier. 34. 17. *Et dabo vos in cõmotionem cunctis regnis terræ.* Atque hoc ſenſu vertit Chaldæus Paraphraſtes. Sept. verò longè aliter, Καμμύσαι με, & ἀπωσθῆναι ἔθηκας ἡμᾶς ἐν μέσῳ τῶν λαῶν. *Conniuere me, & euci feciſti nos in medio populorum*; quaſi סחי. eſſet verbum cum affixo. Conniuere autem, aut oculos claudere, eſt timere, trepidare.

46. *Aperuerunt ſuper nos os ſuum.*] id eſt, locuti ſunt, contra nos, irriſerunt nos, conuitiati ſunt nobis, vt capite ſuperiori, ver. 16.

47. *Vaticinatio.*] id eſt, venit nobis formido, laqueus, & contritio, quemadmodum Prophetæ nobis vaticinati fuerant, Iſai. 24. 17. *formido, & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ:* aut, *Vaticinatio*, pſeudoprophetarum, quibus credidimus, *formido, & laqueus, facta eſt nobis, & contritio*; vt Oſee 5. 1. *Audite hoc ſacerdotes, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi.* & c. 9. 8. *Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius.* H. השאת, vaſtatio: quemadmodum nonnulli ſuſpicantur noſtrum etiam interpretem tranſtuliſſe; ſcriptorum autem vitio, & ſimilitudine litterarum factum eſſe vt legatur. *Vaticinatio.* Potiùs credo noſtrum interpretem legiſſe השאת. cum puncto in ſiniſtro, aut, משא, quod prophetiam ſignificat. Nam & Septuaginta legerunt.

48. *Diuiſiones.*] פלגי מים. riuos aquarum.

49. *Oculus.*] ſingulare pro plurali. Oculi mei dolent præ nimio fletu. H. נגרה. defluxit, id eſt, in lacrymas effunditur. *Nec tacuit*, id eſt, non quieſcit. Hebraiſmus, quem ſæpe explicauimus, vide ſup.cap. 47.6. *Eo quòd non eſſet requies*; à lacrymis: vel, eo quòd non eſſet, qui me conſolaretur, & requiem mihi afferret.

51. Oculus

Digitized by Google

51. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.*] id eſt, eripuit mihi animam flendo; exhauſit mihi animam; anima mea per oculos mihi in lacrymas effluxit; vel, oculi mei animam mihi extraxerunt, cùm viderent filias vrbis meæ, id eſt, vrbes Iudææ Ieroſolymis vicinas funditus euerſas; miſerabilis aſpectus vaſtatarum vrbium, animam mihi expectorauit. H. עיני עוללה. Oculus meus vindemiauit animam meam, id eſt, abſtulit, vt ſuprà vertit noſter interpres Thren. 1. 12. 22. & 2. 20. ita etiam R. Abraham hoc loco, & Septuag. R. verò Salomon, *Oculus meus inquinauit animam meam.* Dicit autem Ieremias animam ſuam inquinatam eſſe, quia cùm ex genere ſacerdotum eſſet, nõ debebat mortuos flere, Leuit. 21. 11. Alij interpretantur, plus fleui, quàm omnes filiæ vrbis meæ. מכל בנות עירי. præ omnibus filiabus vrbis meæ, id eſt, propter omnes filias vrbis meæ: vtrumq; enim phraſis Hebraïca ſignificare poteſt. Filias autem vrbis ſuæ appellat aut minores vrbes Iudææ vicinas Ieruſalem, vt ſup. c. 49. 2. *filiæq́; eius ſuccendentur*; aut mulieres Ieroſolymitanas.

52 *Venatione ceperunt me.*] צוד צדוני. venando venati ſunt me, vt etiam Septuag. verterunt, id eſt, ſummo ſtudio perſecuti ſunt me. *Gratis*, ſine vlla mea culpa: non quòd non peccaſſet in Deum; ſed quòd non peccaſſet in Chaldæos, vt Pſal. 34. 7. 19. & 68. 5. & 108. 3. & 118. 161. & 119. 7.

53. *Et poſuerunt lapidem ſuper me.*] ſuper lacum, aut בור. puteum, ne poſſem emergere, vt Pſalm. 68. 16. *Neque obſorbeat me profundum; neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* & Pſalm. 87. 7. *Poſuerunt me in lacu inferiori: in tenebroſis, & in vmbra mortis.* Fortaſſe alludit Ieremias ad lacum, in quem à principibus proiectus fuerat, cap. 38. 6. H. צמתו בבור חיי proiecerunt in lacum animam meam, id eſt, me ipſum; aut, conſtrinxerunt in lacu animam meam, vt R. Salom. exponit, hoc eſt, coniecerunt me in puteum anguſtum, & ſtrictum, & ſuperpoſito lapide os eius obſtruxerunt. Septuag. ἐθανάτωσαν ἐν λάκκῳ ζωὴν μου, *morte tradiderunt in lacu animam meam.*

54. *Inundauerunt aquæ.*] laci; aut per metaphoram aquas vocat, res aduerſas, fluctúſque Fortunæ, vt Pſal. 68. 2. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.*

55. *De lacu nouiſſimo.*] Ab imo lacu.

56. *Vocem meam audiſti.*] fortè præteritum Hebraïcum שמעת. ponitur pro imperatiuo, Audi: ſicut extera verba, quæ ſequuntur vſque ad finem, vt conſtat ex verſu 63.

57. *Appropinquaſti.*] pro, Appropinqua in die, quo inuocauero te. Chaldæus, Applicaſti angelum, qui me liberaret in die, quo inuocaui te.

58. *Iudicaſti.*] id eſt, iudica. רבר. defende cauſam animæ meæ. *Redemptor*, גאלת. redime vitam meam.

59. *Iniquitatem illorum.*] עותתי. iniquitatem meam, aut peruerſitatem meam, id eſt, iniuriam, quam mihi faciunt hoſtes mei, vt Ionathas. R. Salom. & Aben Ezra interpretantur: quem ſenſum noſter interpres optimè expreſſit.

60. *Omnem furorem*] כל נקמתם. omnem vltionem eorum: ſicut Septuag. & Chaldæus reddiderunt.

61 *Opprobrium eorum.*] id eſt, quo illi me affecerunt.

62. *Labia inſurgentium.*] Audiſti.

63. *Seſſionem, & reſurrectionem.*] id eſt, omnia quæ faciunt, vt Pſalm. 138. 2. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Vide.* Hinc apparet ſuperiora præterita pro imperatiuis poſita fuiſſe. *Ego ſum pſalmus eorum*, id eſt, materia cantio-

cantionum,& riſus vt ver. 14. *factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die.*

64. *Reddes.*]redde,futurũ pro imperatiuo;ſicut alia duo futura,quæ ſequũtur.

65. *Scutum cordis.*]id eſt,operimentum,tegumentum,ſicut ſcuto tegimus nos, quo ſenſu etiam Septuag.verterunt *ὑπερασπισμὸν, protectionem.* מגנת.id eſt, cardiacam paſſionem, vt vocant medici, qua cor quaſi impoſito operimento præ dolore ſuffocatur,vt cum R.Ioſeph R. Dauid exponit in lib. rad. Alij, contritionem interpretantur,vt R.Salomon, & Chald. Paraphraſtes. *Laborem tuum.* redde illis laborẽ,quo inimicos tuos ſoles affligere. תאלתך להם. maledictionem tuam(redde illis.Chald.Defatigatio tua defatigabit illos.

66. *Sub cælis.*] מתחת שמי יהוה.De ſub cœlis Domini,id eſt,tuis.quaſi dicat, tolle eos de medio, abole illos: & fortaſſe ita noſter vertit interpres: quamquam Sept. *κύριε*,in vocandi caſu reddiderunt.

CAPVT IIII.

א *QVOMODO obſcuratum eſt aurum,mutatus eſt color optimus: diſperſi*
ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? 2 ב *Filij Sion in-*
clyti,& amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus ma-
nuum figuli? 3 ג *Sed & lamiæ nudauerunt mammam,lactauerunt catulos ſuos: filia*
populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto. 4 ד *Adhæſit lingua lactentis in pala-*
tum eius in ſiti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. 5 ה *Qui*
veſcebantur voluptuoſè interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt
ſtercora. 6 ו *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum: quæ*
ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus. 7 ז *Candidiores Nazaræi*
eius niue,nitidiores lacte,rubicundiores ebore antiquo,ſapphiro pulchriores. 8 ח *Deni-*
grata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum
oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum. 9 ט *Melius fuit occiſis gladio, quàm inter-*
fectis fame, quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ. 10 י *Manus*
mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earum in contritione filiæ
populi mei. 11 כ *Compleuit Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ:*
& ſuccendit ignem in Sion,& deuorauit fundamenta eius. 12 ל *Non crediderunt*
reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per
portas Ieruſalem. 13 מ *Propter peccata Prophetarum eius,& iniquitates ſacerdotum*
eius qui effuderunt in medio eius ſanguinem iuſtorum. 14 נ *Errauerunt cæci in pla-*
teis,polluti ſunt ſanguine: cùmque non poſſent,tenuerunt lacinias ſuas. 15 ס *Recedi-*
te polluti, clamauerunt eis,recedite,abite, nolite tangere: iurgati quippe ſunt & commo-
ti: dixerunt inter Gentes, Non addet vltrà vt habitet in eis. 16 פ *Facies Domini*
diuiſit eos,non addet vt reſpiciat eos:facies ſacerdotum non erubuerunt, nec ſenum miſerti
ſunt. 17 ע *Cùm adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum*
vanum,cùm reſpiceremus attenti ad gentem quæ ſaluare non poterat. 18 צ *Lubri-*
cauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum, appropinquauit finis noſter,
completi ſunt dies noſtri,quia venit finis noſter. 19 ק *Velociores fuerunt perſecutores*
noſtri aquilis cœli: ſuper montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis. 20 ר
Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus eſt in peccatis noſtris:cui diximus, In vmbra tua
viuemus in Gentibus. 21 ש *Gaude & lætare filia Edom qui habitas in terra Hus:*
ad te quoque perueniet calix: inebriaberis atque nudaberis. 22 ת *Completa eſt ini-*

quitas tua filia Sion, non addet vltrà vt transmigret te: viſitauit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua.

HANC lamentationem exiſtimat R. Salom. Ieremiam in morte Ioſiæ regis compoſuiſſe; de qua fit mentio 2. Paralip. c. 35. 25.

1. *Quomodo obſcuratum eſt aurum?*] Deflet templi euerſionem, & ſpoliationem. Templum priùs auro collucebat: poſtquam incenſum eſt à Nabuzardan pro auro exuſti parietes, trabéſque videbantur. hoc *quomodo obſcuratum eſt aurum?* ſcio Hebræos aliter interpretari, ſuaſque miſcere fabulas: ſed hic mihi videtur verus eſſe ſenſus. *Mutatus eſt color optimus.* כתם, mutatum eſt aurum optimum. *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite*, id eſt, per medium omnium platearum, vt Thren. 2. 19. *Defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Euerſo ſcilicet templo, lapides diſperſi erant. Sunt qui, cùm vix vllum aliis in locis myſterium admittant, tamen hunc locum myſticè interpretentur; & aurum principes, lapides ſacerdotes vocari putent.

2. *Filij Sion.*] id eſt, ciues Ieroſolymitani, ſicut ciues Pariſienſes Gallicè vocantur, *les enfans de Paris*, filij Pariſiorum. Alij de filiis Ioſiæ intelligunt, qui *filij Sion* appellentur, quod in Sion, vbi Regia erat, nutriti eſſent: quod mihi non placet. *Amicti auro*; id eſt, elegantes, & pulchri. המסלאים. comparati, æquiparati auro puriſſimo, quaſi dicat, elegantes, & יקרים. pretioſi, ſicut aurum, reputati ſunt viles ſicut vaſa teſtacea facta manu figuli. Chaldæus hoc loco Hebræorum more fabulatur; quomodo fuerunt populi immundi poſiti contra lectulos eorum, vt vxores eorum eos aſpicientes, parerent filios pulchros ſimiles illis?

3. *Sed & lamiæ.*] Senſus huius verſus eſt, Ieruſalem magis ſyluestrem, & crudelem in exilio factam eſſe, quàm beſtias, quæ in ſolitudine verſantur. Nam & lamiæ, aut, vt Hebraïcè eſt, תנין. dracones, (vt etiam Sept. verterunt) *Nudauerunt mammam*, id eſt, nudatis mammis catulos ſuos lactant: ſed *filia populi mei*, id eſt, Ieruſalem facta eſt *crudelis quaſi ſtruthio in deſerto.* Struthio dicitur oua ponere, ac relinquere, nec excludere, vt ſcribit Iob. c. 39. 17. 18. *Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? obliuiſcitur, quòd pes conculcet ea aut beſtia agri conterat.* Significat ergo mulieres Ieroſolymitanas in captiuitate filios parere, & ſtruthionum more eos derelinquere, dum in alium locum à Dominis ſuis abripiuntur.

Struthionis erga sua ſua crudelitas.

4. *Adhæſit.*] Loquitur de filiis mulierum Iudæarum in captiuitate, qui ſiti, ac fame peribãt, quòd non eſſet, qui illis aquam, vel panẽ daret, aut qui eos lactaret.

5. *Qui veſcebantur.*] Iudæi, qui priùs lautè viuebant, fame perierunt. *In viis.* בחוצות. in plateis. & qui educabantur croceo veſtiti, *Amplexati ſunt ſtercora*, id eſt, ſordidis nunc veſtibus vtuntur. Amplexari dixit, pro indui.

Iniquitas pro pœna iniquitatis.

6. *Iniquitas.*] id eſt, pœna iniquitatis, vt multis aliis locis obſeruauimus, Exod. 28. 38. *Portabitq; Aaron iniquitates eorum*, id eſt, pœnas iniquitatum. & Leuit. 5. 1. *Niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam.* & inf. c. 5. 7. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt: & nos iniquitates eorum portauimus.* Senſus ergo eſt, Ieruſalem grauiùs punitam eſſe, quàm Sodomam: quia Sodoma *ſubuerſa eſt in momento: & non ceperunt in ea manus*, id eſt, non conſeruerunt manus cum hoſtibus. לא חלו. non ſunt caſtrametatæ manus hoſtium contra eam, vt Hebræi interpretantur: vel, vt Sept. meliùs, vt mihi videtur, tranſtulerunt, Non laborauerunt in ea manus: id enim חלו ſignificat. Laudatur repentina ſubuerſio Sodomorũ, ſicut mors

mors repentina, quæ minùs doloris habet, vt Iob. 21. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* & Pſalm. 72. 4. *Non eſt reſpectus morti eorum & firmamentum in plaga eorum.*

7. *Ebore antiquo.*] עצם מפנינים. rubicundiores corpore, quàm lapides pretioſi, *Sapphiro pulchriores.* ספיר גזרתם. ad verbum, ſapphiri exciſio eorum id eſt, elegantes erant, & politi, ſicut ſapphirus exciſus, ac ſectus. Cùm eiuſmodi, inquam, fuerint, tamen.

8. *Denigrata eſt ſuper carbones.*] id eſt, Nigrior facta eſt, quàm carbones facies eorum propter miſeriam captiuitatis, ita vt in mediis plateis alij ab aliis non cognoſcerentur.

9. *Extabuerunt.*] id eſt, paulatim confecti ſunt. יזבו. defluxerunt paulatim (in mortem.) *Conſumpti.* מדקרים. transfoſſi, מתנובות שדי. à fructibus agri, id eſt, defectu fructuum. Vocat transfoſſos, vt alludat ad alios, qui gladio transfoſſi fuerant: quaſi dicat, meliùs actum eſt cum illis, qui gladio, quàm cum illis, qui fame transfoſſi ſunt.

12. *Non crediderunt.*] Non credebant, aut, numquam credere potuiſſent.

14. *Errauerunt cæci in plateis.*] id eſt, vulnerati animam agentes obſcurata iam oculorum acie oberrabant in plateis, quærentes, qui manum daret, ac deduceret: cúmque neminem inuenire poſſent, *tenuerunt* & apprehenderunt *lacinias ſuas.* H. בלבשיהם. *lacinias eorum*, id eſt, aliorum. Relatiuum ſine antecedente Hebræorum more. Solent moribundi homines quidquid poſſunt, manu apprehendere, ac fortiter tenere. R. Salom. Hebraïca ita exponit, Volutati ſunt in ſanguine vſque eò, vt non poſſent (alij) attingere eorum lacinias, dicerentq; illis, quod ſequitur, *Recedite polluti.*

15. *Recedite polluti.*] Alij putant hæc eſſe verba hoſtium Iudæos tanquam contaminatos execrantium, vt videtur Chaldæus Paraphraſtes ſentire. Alij, verba ipſorum pollutorum dicentium aliis Iudæis. סורו טמא. Recedite, pollutus ſum. Alij, quibus ego magis aſſentior, verba eſſe aliorum Iudæorum, qui vulneratis dixerunt, *Recedite polluti.* טמא ſingulare pro plurali. *Iurgati quippe ſunt.* כי נצו. quia celeriter abierunt, & commoti ſunt. Ego כי. hoc loco interpretor, propterea, ſicut aliis locis adnotauimus, vt ſit ſenſus: Quia Iudæi, Prophetæ, & ſacerdotes illos ipſos, quos ipſi occiderant, execrati ſunt, factum eſt, vt ipſimet in exilium raperentur, & commouerentur, id eſt, incertis ſedibus huc illúcque vagarentur, ſicut prædixerat capite 34. verſu 17. *Dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. Dixerunt inter Gentes*, quicunque eos inter Gentes diſperſos, ac diſſipatos videbãt. *Non addet vltrà vt habitet.* H. לא יוספו לגור. non addent vltrà ad habitandum, id eſt, non reuertentur vltrà in terram ſuam, vt in ea habitent.

Quippe, *ſeu quia, pro, propterea, in cap. 8. Iean. ver. 25. & 44.*

16. *Facies Domini.*] id eſt, ira Domini, iratus vultus Domini: ſicut dicitur faciem Domini placare, id eſt, iram Domini, 1. Reg. 13. 12. *Diuiſit eos*, alios ab aliis diſperſit, diſſipauit. *Facies ſacerdotum.* Facies non eſt nominatiuus, ſed accuſatiuus. H. פני כהנים לא נשאו. faciem ſacerdotum non acceperunt, id eſt, occiderunt ſacerdotes nullam habentes vel ſacerdotij, vel ſenectutis rationem. Ionathas hoc interpretatur de Chaldæis. Meliùs R. Salom. & Aben Ezra de Iudæis, qui Prophetas, & ſacerdotes etiam ſenes occiderunt, vt dixit ver. 13.

17. *Cùm adhuc ſubſiſteremus.*] Verbum, *Subſiſteremus*, Hebraïcè nõ eſt. Sed quia ad explendam ſententiam aliquod verbum ſupplendum erat, noſter interpres hoc addidit. Senſus eſt, Dum adhuc erecti eſſemus in expectationem, Hebræis

dum adhuc magis, ac magis expectaremus auxilium Ægyptiorum, & Aſſyriorum, defecerunt oculi noſtri ſpectantes totos dies verſus Ægyptum. Solent enim qui aliquem expectant, oculos habere intentos, vt videant an veniat. Vocat auxilium Ægyptiorum *vanum*, quia, cùm iam veniſſent, vt Iudæis auxiliarentur, re infecta in Ægyptum reuerterunt; non ſuorum patrum imaginibus, ac ſimulachris deterriti, vt Hebræi fabulantur; ſed à Chaldæis repulſi: lege cap. 37. 6. Eoſdem Ægyptios appellat *gentem, quæ ſaluare non poterat.*

Hebræorum fabula.

18. *Lubricauerunt.*] id eſt, in mediis plateis noſtris non tutò poteramus ambulare. H. צדוצעדנו. venati ſunt greſſus noſtros, מלכת כר חובותינו. ne ambularemus in plateis noſtris; id eſt, hoſtes noſtri non ſolùm foris, ſed etiam in mediis plateis noſtris inſidias nobis poſuerunt, vt interpretatur R. Salom. Rab. verò Abraham de Ægyptiis interpretatur, qui nullum Iudæis auxilium tulerunt, ſed inſidias potiùs illis in mediis plateis tetenderunt.

19. *Velociores.*] Habebant Chaldæi velociſſimos equos, vt dixit Ieremias cap. 4. 13. *Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius: velociores aquilis equi eius.* & cap. 48. 40. *Ecce quaſi aquila volabit & extendet alas ſuas ad Moab.* Alludit autem hoc loco ad Chaldæos, qui perſecuti ſunt fugientem Sedeciam, eúmque celeritate curſus comprehenderunt, 4. Reg. 25. 5. & Ierem. 39. 5. & 52. 8. 9.

20. *Spiritus oris noſtri.*] id eſt, qui vitam noſtram conſeruabat, ſicut aër iſte, quem ducimus. Chaldæus interpretatur, Rex nobis dilectus, ſicut ſpiritus vitalis. R. Salom. & alij Hebræi hunc verſum de Ioſia rege interpretantur, qui occiſus fuit ab Ægyptiis, 2. Paral. 35. 23. Meliùs Aben Ezra putat hoc de Sedecia intelligendum, quia verſu præcedenti de eius comprehenſione locutus eſt. Longiùs autem prophetia tenditur ad Chriſtum, qui verè משיח יהוה. vnctus Domini eſt; quia vnxit eum Dominus oleo lætitiæ præ cõſortibus ſuis, Pſalm. 44. 8. & in quo *viuimus, & mouemur, & ſumus*, Act, 17. 28. *In peccatis noſtris*, id eſt, propter peccata noſtra. Nam & Sedecias propter populi peccata captus eſt: & Chriſtus *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*, Iſai. cap. 53. ver. 5. H. בשחיתותם. in foueis eorum, vt exponit R. Salomon, vel, in retibus vt R. Abraham, & Ionathas Chaldæus. Sept. in corruptionibus noſtris. *Cui diximus.* De quo dicebamus, fore vt ſub eius tutela viueremus. בגוים. contra omnes gentes, id eſt, vt nos ab omnibus gentibus defenderet.

21. *Gaude, & lætare.*] Quomodo gaudere, lætaríque iubet, cùm exitium illi prædicat? Dicunt aliqui ironiam eſſe, vt Eccleſ. 11. 9. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Poteſt etiam eſſe conceſſio, vt R. Abraham exiſtimat, & alluſio ad lætitiam, qua Idumæi afficiebantur, cùm Iudæi ab hoſtibus vexarentur, vt ſcribit Abdias ver. 11. & 12. *Inebriaberis*; calice iræ Domini, vt ſuprà cap. 51. 7. 39. 57. *Atque nudaberis*; ſicut ebrij nudari ſolent, quemadmodum fecit Noë Gen. 9. 21. quaſi dicat, ſpoliaberis. Putat autem R. Abraham alluſionem fieri ad verba, quæ Idumæi dicebant cùm Ieroſolyma reuerterentur, ערו ערו. nudate, nudate; vt ait Dauid Pſalm. 136. 7. *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem: qui dicunt, exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Hebraïcè enim eſt ערו ערו. nudate, nudate, id eſt, euertite, donec appareant fundamenta: idem verbum, quo vtitur Ieremias hoc loco תתערי. nudaberis. alij interpretantur, euacuabis te, id eſt, euomes præ ebrietate, vt R. Salom.

22. *Com-*

22. *Completa eſt iniquitas tua.*] id eſt, pœna iniquitatis tuæ, vt ſuprà ver. 6. & aliis locis, quos illic deſignauimus: Propterea Dominus *non addet vltrà vt transſmigret te:* ſed Edom, quæ nondum pœnas ſuarum iniquitatum dedit, viſitabit, & diſcooperiet omnia peccata eius; id eſt, faciet, vt ex pœnis, quas luet, conſtet, quàm multa, quàmque magna fuerint peccata eius, vt ſuprà cap. 49. 10. *Ego verò diſcooperui Eſaü, reuelaui abſcondita eius:* alludit autem ad verbum ערו ערו. *nudate, nudate,* ſicut ver. præcedenti.

ORATIO IEREMIAE.

CAPVT V.

RECORDARE *Domine quid acciderit nobis: intuere & reſpice oppro-*
brium noſtrum. 2 *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad*
extraneos. 3 *Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ.*
4 *Aquam noſtram pecunia bibimus: ligna noſtra pretio comparauimus.* 5 *Ceruı-*
cibus noſtris minabamur, laſſis non dabatur requies. 6 *Ægypto dedimus manum,*
& Aſſyriis: vt ſaturaremur pane. 7 *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt: & nos*
iniquitates eorum portauimus. 8 *Serui dominati ſunt noſtri: non fuit qui redimeret*
de manu eorum. 9 *In animabus noſtris afferebamus panem nobis, à facie gladij in*
deſerto. 10 *Pellis noſtra, quaſi clibanus, exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.*
11 *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.* 12 *Prin-*
cipes manu ſuſpenſi ſunt: facies ſenum non erubuerunt. 13 *Adoleſcentibus impudicè*
abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt. 14 *Senes defecerunt de portis: iuuenes de*
choro pſallentium. 15 *Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus*
noſter. 16 *Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis quia peccauimus.* 17 *Propterea*
mœſtum eſt cor noſtrum, ideo contenebrati ſunt oculi noſtri. 18 *Propter montem Sion*
quia diſperiit: vulpes ambulauerunt in eo. 19 *Tu autem Domine in æternum per-*
manebis, ſolium tuum in generatione & generationem. 20 *Quare in perpetuum*
obliuiſcêris noſtri? derelinques nos in longitudine dierum? 21 *Conuerte nos Domine*
ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros, ſicut à principio. 22 *Sed proiiciens repu-*
liſti nos, iratus es contra nos vehementer.

ORATIO *Ieremiæ.*] Septuaginta, & noſter interpres argumenti loco hunc titulum addiderunt, qui apud Hebræos non eſt.

3. *Pupilli facti ſumus.*] Hoc dicit propter captum Sedeciam; aut, vt alij putant, propter interfectum Ioſiam; regem enim ſuum loco patris habebant.

4. *Aquam noſtram.*] Deſcribit caritatem omnium rerum, quæ erat in Ieruſalem tempore obſidionis, vt Aben Ezra putat, vel cùm in Babylone captiui eſſent: quia, vt ait R. Salom. non audebant egredi vrbe vel domo, vt ex fluuio aquam haurirent.

5. *Minabamur*] Paſſiuè poſuit noſter interpres. quaſi dicat, Ceruicibus noſtris magnum periculum hoſtes minabantur, propterea non audebamus egredi ad hauriendam aquam, & ligna colligenda. H. על צורינו נרדפנו. ſuper ceruices noſtras perſecutionem paſſi ſumus, id eſt, duriſſimum ſeruitutis iugum ſuper ceruices noſtras portauimus, vt explicat R. Salom.

6. *Dedimus manum.*] id eſt, extendimus, vt auxilium ab illis ſupplices petere-

 mus,

mus, vt ſaltem poſſemus pane ſaturari ſoluta Chaldæorum obſidione, quemadmodum interpretantur D. Hieronymus, & R. Salom. vel, *Dedimus manus*, id eſt, fœdus pepigimus, vt exponit. R. Abraham: quod minùs mihi placet. Septuag. Ægyptus dedit manum, Aſſur ad ſatietatem ipſorum, id eſt, Ægyptij, & Aſſyrij annonam Iudæis ſuppeditarunt, vt pane ſaturarentur.

7. *Et non ſunt.*] id eſt, liberati ſunt ab iſtis pœnis, mortui ſunt, ne hæc mala, quæ nos experimur, experirentur. Quomodò filij pro patribus pœnas luant, diſſeruimus ſuprà cap. 31. 29.

8. *Serui.*] id eſt, qui ſerui noſtri eſſe debebant, vt Ammonitæ, & Moabitæ, & Idumæi, qui ex eodem genere prognati inferiores nobis erant, vt exponit Aben Ezra; aut, Chaldæi, qui propter generis obſcuritatem, & nobilitatem noſtram ſerui noſtri eſſe poterant.

9. *In animabus noſtris.*] id eſt, cum magno periculo vitæ noſtræ, vt R. Salom. & R. Abraham interpretantur. *A facie gladij*, id eſt, propter gladium, metu gladij. Hebraïſmus ſæpè à nobis explicatus. *In deſerto*, id eſt, qui in agris graſſatur.

10. *Exuſta eſt.*] נכמרו. pelles noſtræ denigratæ ſunt, vt Chaldæus vertit. Solet enim cutis præ fame contrahi, & ſicut in ſenibus nigreſcere. *A facie tempeſtatum famis*, id eſt, propter vehementem famem ſicut tempeſtatem ingraueſcentem. מפני זלעפות. propter exuſtiones famis, id eſt, famę vrentes; vel, propter exuſtiones agrorum famem afferentes.

11. *Humiliauerunt.*] id eſt, oppreſſerunt, conſtuprauerunt hoſtes.

12. *Manu.*] בידם. manu eorum: hoſtium. *Suſpenſi ſunt.* Et non ſunt hoſtes reueriti venerabilem ſenum canitiem; non habuerunt rationem ſenectutis, vt capite ſuperiori ver. 16. *Facies ſacerdotum non erubuerunt.*

13. *Impudicè abuſi ſunt.*] טחון נשאו. R. Abraham, & Chaldæus, ad molendum ducti ſunt; vel, duxerunt eos hoſtes. Significat etiam verbum impudicè abuti; ſicut noſter interpres maluit vertere; *Et pueri in ligno corruerunt*, id eſt, baculis percuſſi occiderunt.

14. *De portis.*] id eſt, non ſunt deinceps viſi in portis ciuitatis, vbi iudicia ſolebant exerceri, 2. Reg. 15. 2.

16. *Corona capitis noſtri.*] id eſt, gloria; regnum noſtrum, quod ad Chaldæos deuolutum eſt.

17. *Contenebrati ſunt.*] id eſt, vſi ſumus rebus aduerſis. Lucem enim vocat res ſecundas; tenebras, aduerſas, vt ſuprà cap. 3. 2. *Adduxit in tenebras, & non in lucem.* Significat adeo fuiſſe attonitos, & perterritos, vt oculi ipſorum obtenebrati eſſe viderentur.

18. *Vulpes ambulauerunt.*] id eſt, qui adeo deſertus eſt, vt vulpes in eo verſentur.

19. *Tu autem.*] id eſt, quamuis locus vaſtatus ſit, tamen poteſtas, & regnum tuum perire non potuit, ſed permanet in perpetuum.

Gratia liberum præcedit arbitrium in conuerſione peccatoris.

21. *Conuerte nos.*] Rectè D. Auguſtinus paſſim, & cæteri Teologi ex hoc loco collegerunt ad conuerſionem peccatoris, & gratiam, & liberum arbitrium eſſe neceſſarium; ſed gratiam liberum arbitrium præcedere.

22. *Sed proiiciens.*] Reſpondet hic verſus verſui vigeſimo, cum illoque iungendus eſt hoc modo, *Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri? Sed*, id eſt, atque adeo, כי אם quinetiam *proiiciens repuliſti nos?* R. Abraham, & Ionathas, & Chaldæus ſic interpretantur, Quamuis proieceris nos, tamen ſatis iam iræ in nos effudiſti, ſatis iam pœnarum dedimus. Alij, quibus minùs aſſentior, Quamuis proieceris nos, vehementerque nobis iratus fueris, tamen conuerte nos ad te, & conuertemur, vt repetatur verſus ſuperior.

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS MALDONATI SOCIETATIS IESV THEOLOGI, COMMENTARII IN BARVCH.

PROOEMIVM.

BARVCH Hebraïcè ברוך. benedictum ſignificat. Filium fuiſſe Neriæ non ſolùm ex initio libri eius, ſed etiam ex Ieremiæ prophetia, cap. 32. 12. & 36. 4. 8. 14. manifeſtum eſt. Ille hoc loco non tantùm Neriam patrem ſuum, ſed etiam Maaſiam auum, Sedeciam proauum, Sedei abauum, Helciam atauum recenſet, quos omnes Prophetas fuiſſe credendum eſt, ſi vera eſt Hebræorum regula, quos maiores aliquis Propheta initio libri commemorat, eos fuiſſe Prophetas. Ioſephus lib. 10. Antiq. Iudaïc. cap. 11. inſigni familia natum, & Hebraïca lingua doctum fuiſſe dicit. Fuit autem Baruch antequam ſpiritu prophetiæ donaretur, aſſecla & amanuenſis Ieremiæ, vt apparet Ierem. 36. 4. 27. & 45. 1. Fabulantur Hebræi, vt R. Salom. & R. Dauid in commentariis in cap. 45. Ieremiæ ver. 3. eum apud Deum eo loco conqueſtum, quòd tandiu Ieremiæ miniſtraſſet, & nondum prophetiæ ſpiritum accepiſſet; cùm Ioſue miniſter Moyſis, & Heliſæus miniſter Eliæ prophetiæ dono ornati fuiſſent. Sed hanc fabulam in commentariis in illum Ieremiæ locum refutauimus. Eſt veriſimile viuente adhuc Ieremia ſolitum vaticinari, ab eóque conſolandorum captiuorum cauſa Babylonem miſſum fuiſſe, ibíque hæc prædixiſſe. Veteres auctores non videntur exiſtimaſſe eum diuerſum ab Ieremia Prophetam eſſe, ſed hæc ab eo audita litteris conſignaſſe; itaque eius prophetias non ipſius; ſed Ieremiæ nomine citabant, vt ſcribit Auguſt. lib. 18. de Ciuit. cap. 33. Ita citat D. Cyprianus lib. 2. Aduerſus Iudæos cap. 6. ita Clemens Alexandr. lib. 1. Pædag. cap. 10. ita Sixtus epiſtola 1. ad omnes fideles. ita Chryſoſt. in ſermone de Trinitate, & in Demonſtratione aduerſus Gentiles, quòd Chriſtus ſit Deus. ita Ambroſ. ſerm. 18. in Pſalm. 118. & lib. 3. Exaëmer. cap. 14. & lib. 1. de pœnitent. cap. 8. & lib. de fide cap. 2. Sic Pelagius 1. in epiſt. ad Vigilium. Ita Epiphanius aduerſus Ebionæos. ita Baſil. lib. 4. aduerſus Eunomium; ita Felix Tertius epiſtola 2. ad Petrum Antiochenum Epiſcopum, quæ in quinta Synodo Conſtantinopolitana actione prima recitatur: quæ res in cauſa fuit, vt D. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. Gelaſius diſtinct. 15. cap. S. Rom. Eccleſia, & alij, qui ſacrorum librorum catalogum texuerunt, nec inter canonicos, neque inter apocryphos huius libri mentionem fecerint: Si quis verò nomine Baruch hanc prophetiam in teſtimonium induxerunt, non tanquam apocryphum; ſed tanquam ſcripturæ ſacræ teſtimonium induxerunt, quemadmodum fecit Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi. cap. 3. & Gregor. Nyſſen. lib. aduerſus Iudæos, cap.

Quis & qualis Baruch.

Hebræorum regula.

Fabula Hebræorum.

An diuerſus Propheta ab Ieremia.

Digitized by Google

cap. de aduentu Domini in carne, & Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theo logia, & Cyrillus lib. 10. contra Iulianum, & Idacicus in lib. contra Varimandum. Sed & epiſtolam Ieremiæ, quæ capite ſexto ponitur, citant Proſper Aquitanicus lib. 1. de prædictionibus par. 2. & Athanaſ. orat. 2. aduerſus Arianos. Euſebius quoque lib. 10. de præparat. euangel. cap. 3. inter Prophetas poſt Ieremiam connumerat. Ex quo perſpicuum eſt iam tunc hunc librum Eccleſiaſticam auctoritatem habuiſſe. Quamquam Hieronymus nimiùm fortaſſis in hac re Hebræis tribuens, negare videatur: quod tamen nunc, ſi Eccleſiæ conſenſum, & Florentini in vnione Armenorum, Tridentiníque concilij ſeſſ. 4. decreta vidiſſet, vir ſanctiſſimus non negaſſet. *Quo tempore hic conſcriptus liber.* Creditur autem hic liber, vt ex eius colligitur hiſtoria, eodem tempore, quo liber Tobiæ, eſſe conſcriptus: ideóque à nonnullis poſt illum ponitur.

PROPHETIA BARVCH.

CAPVT PRIMVM.

ET hæc verba libri quæ ſcripſit Baruch filius Neriæ, filij Maaſiæ, filij Sedeciæ,
filij Sedei, filij Helciæ in Babylonia, 2 *in anno quinto, in ſeptimo die*
menſis in tempore quo ceperunt Chaldæi Ieruſalem, & ſuccenderunt eam
igni. 3 *Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filij Ioachim regis Iu-*
da, & ad aures vniuerſi populi venientis ad librum: 4 *& ad aures potentium fi-*
liorum regum, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi, à minimo vſque ad maxi-
mum eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi. 5 *Qui audientes*
plorabant, & ieiunabant, & orabant in conſpectu Domini. 6 *Et collegerunt pe-*
cuniam, ſecundum quod potuit vniuſcuiuſque manus: 7 *& miſerunt in Ieruſalem*
ad Ioacim filium Helciæ filij Salon Sacerdotem, & ad ſacerdotes, & ad omnem popu-
lum qui inuenti ſunt cum eo in Ieruſalem, 8 *cùm acciperet vaſa templi Domini*
quæ ablata fuerant de templo, reuocare in terram Iuda decima die menſis Siban, vaſa
argentea quæ fecit Sedecias filius Ioſiæ rex Iuda, 9 *poſtea quàm cepiſſet Nabuchodonoſor*
rex Babylonis Iechoniam, & principes, & vinctos, & potentes, & populum terræ ab Ieru-
ſalem, & duxit eos in Babylonem. 10 *Et dixerunt, Ecce miſimus ad vos pecunias, de*
quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram
Domini Dei noſtri: 11 *& orate pro vita Nabuchodonoſor regis Babylonis, &*
pro vita Balthaſar filij eius, vt ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram: 12 *&*
vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros: vt viuamus ſub vmbra Na-
buchodonoſor regis Babylonis, & ſub vmbra Balthaſar filij eius, & ſeruiamus eis multis
diebus, & inueniamus gratiam in conſpectu eorum. 13 *Et pro nobiſipſis orate ad*
Dominum Deum noſtrum: quia peccauimus Domino Deo noſtro, & non eſt auerſus
furor eius à nobis vſque in hunc diem. 14 *Et legite librum iſtum quem miſimus ad*
vos recitari in templo Domini, in die ſolenni, & in die opportuno. 15 *& dicetis Do-*
mino Deo noſtro iuſtitia: nobis autem confuſio faciei noſtræ, ſicut eſt dies hæc omni Iuda &
habitantibus in Ieruſalem, 16 *Regibus noſtris, & principibus noſtris, & ſacerdotibus*
noſtris, & Prophetis noſtris, & patribus noſtris. 17 *Peccauimus ante Dominum Deum*
noſtrum, & non credidimus, diffidentes in eum: 18 *& non fuimus ſubiectibiles illi, & non*
audi-

audiuimus vocem Domini Dei noſtri, vt ambularemus in mandatis eius quæ dedit nobis.
19 *A die qua eduxit patres noſtros de Terra Ægypti, vſque ad diem hanc eramus*
incredibiles ad Dominum Deum noſtrum: & diſſipati receſſimus, ne audiremus vocem
ipſius. 20 *Et adhæſerunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ conſtituit Domi-*
nus Moyſi ſeruo ſuo: qui eduxit patres noſtros de terra Ægypti, dare nobis terram
fluentem lac & mel, ſicut hodierna die. 25 *Et non audiuimus vocem Domini Dei*
noſtri ſecundum omnia verba Prophetarum quos miſit ad nos, & ad iudices noſtros:
22 *& abiuimus vnuſquiſque in ſenſum cordis noſtri maligni, operari dijs alienis, fa-*
cientes mala ante oculos Domini Dei noſtri.

QVI in Babylone captiui erant, audita lectione libri Baruch, pecuniam colligunt, & ad Ioacim, & cæteros, qui Ieroſolymis remanſerant ſacerdotes, vt pro ſe, & pro Nabuchodonoſore, ſacrificarent, mittunt.

1. *Et hæc verba.*] Coniunctionem, *Et.* alij putant hunc librum cum ſuperiori Ieremiæ libro copulare: alij cum ijs, quæ in animo Baruch habebat. Ego Hebræorum more librum ipſum cum titulo, & nomine Baruch copulare arbitror; quod idem multis aliis locis fieri obſeruauimus, præſertim in hiſtoriis, vt initio lib. 2. Eſdræ, & lib. 1. Machabæorum: omnes enim illi ita inchoantur, ϗ ἐγένετο, *& factum eſt*, cùm nihil præter libri titulum præceſſiſſet, cum quo coniunctio copulare poſſet. Quin etiam Ciceronem videmus epiſtolam aliquando per particulam, Enim, cum inſcriptione coniungere. *Hebraiſmus notandus in initijs librorũ.*

2. *Anno quinto.*] Poſtquam Chaldæi cœperunt Ieruſalem. Sunt qui dicant Iudæos, qui in captiuitate erant, à deſtructione Ieruſalem annos numerare conſueuiſſe, ſicut nunc ab vltima per Titum & Veſpaſianum facta deſtructione numerare ſolent. Quod quamuis ita non eſſet, nihil referret ad ſenſum huius loci. Auctor enim ipſe declarat ſe ab initio captiuitatis numerare, cùm addit, *In tempore quo ceperunt Chaldæi Ieruſalem.* Sic enim interpretor, Ἐν τῷ καιρῷ. *In tempore*, aut, Illa tempeſtate, qua Chaldæi ceperunt Ieruſalem, vt nomen καιρὸς. non ad punctum: ſed ad totum captiuitatis tempus referatur, quaſi dicat, anno quinto captiuitatis, numerando ex eo tempore, quo Iechonias Babylonem ductus eſt: eo enim tempore cœpta eſt captiuitas. itaque quinto anno poſtquam Iechonias captus eſt, & ſex annis antequam vrbs, & templum euerterentur, Baruch hunc librum ſcripſit, & in Babylone captiuis legit: eò fortaſſe miſſus à Ieremia, vt eos conſolaretur. Nam hoc ante vrbis vaſtationem accidiſſe manifeſtum eſt; quia adhuc templum & altare ſtabat, vt dicitur ver. 10. adhuc erant ſacerdotes in Ieruſalem, vt dicitur ver. 7. adhuc erant vaſa, quæ fecerat Sedecias, cùm priora à Nabuchodonoſore ablata fuiſſent, verſu 8. Adde quòd ſi poſt vrbis excidium hoc accidiſſet, non legiſſet Baruch librum in auribus Iechoniæ, ſed Sedeciæ, cùm & Sedecias poſt excidium vrbis Babylone eſſet, illique potiùs liber eſſet legendus, quàm Iechoniæ. Quod quidam ex nouis hæreticis non intelligentes nullum certum ſenſum ex hoc loco colligi poſſe putauerunt. *in ſeptimo die menſis.* non dicit cuius menſis. itaque rectè nonnulli primum menſem intelligunt.

3. *Ad aures.*] ἐν ὠσὶν. Hebraiſmus. באזני. in auribus, id eſt, publicè audiente Iechonia, & omni populo, vt Iſai. 36.11. & Ierem. 2. 2. & 26. 15. & 28. 7. & 29. 29. & 36. 13. 15. Erat eo tempore Iechonias in Babylone in carcere. vnde poſt mortem Nabuchodonoſoris ab eius filio Euilmerodach eductus eſt, vt legimus Ierem. 52. 31. & Reg. 25. 27. Quæ res dubitare fecit multos, quo-

modo Baruch poſſet in eius, & populi auribus librum legere? Facilè reſpondeo aditum Iudæis ad regem ſuum etiam vinctum patuiſſe. Nec intelligendum eſſe totum populum vno, eodémque tempore ad audiendum conueniſſe, qui in carcere congregari non poſſet: ſed Baruch omnibus legiſſe aliis alio tempore. *Venientis ad librum.* id eſt, qui ad audiendum librum concurrebant; vel, τῶν ἐρχομένων πρὸς τὴν βίβλον. *Venientium ad librum*, id eſt, omnium, qui ad audiendum librum venire ſolebant.

4. *Filiorum regum.*] Ita vocat principes ſanguinis regij, qui cum Iechonia Babylonem ducti fuerant, Daniel. 1. 3.

5. *Qui audientes.*] hoc verbum Græcè non eſt, quamuis non temerè à noſtro interprete explicandi cauſa additum fuiſſe videatur. *Et orabant.* Græc. καὶ ηὔχοντο εὐχάς. *& orabant orationes*, aut, orationibus. Hebraiſmus, id eſt, vehementer, enixéque orabant, vt Iacobi 5. 17. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione orauit vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex.*

Hebraiſmus, manus pro facultate. 6. *Vniuſcuiuſque manus.*] Hebraiſmus, id eſt, pro cuiuſque facultate. כאשר יוכל ידאיש. vt Leuit. 5. 11. *Quod ſi non quiuerit manus eius, duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem Ephi decimam.* Manus pro facultate.

7. *Ad Ioacim.*] Eſt veriſimile Ioacim eo tempore ſacerdotem magnum fuiſſe, ſicut fuerat eius pater Helcias, 4. Reg. 22. 4. propterea ad eū pecunia dirigitur.

Locus difficilis. 8. *Cùm acciperet.*] locus eſt admodum difficilis, quòd nullo modo cum hiſtoria conuenire poſſe videatur. Si enim vaſa, quæ Sedecias fecerat, iam fuerant ex templo ablata, neceſſe eſt accidiſſe hoc poſt vrbis euerſionem, quod ver. 2. refutauimus; Si autem ante vrbis euerſionem hoc accidit, quomodo iam vaſa de templo elata fuerant, quæ poſt Iechoniæ captiuitatem Sedecias fecerat? Ego ſic interpretor. Poſtquam Nabuchodonoſor Iechoniam, & omnes principes Babylonem duxiſſet, vaſaque templi aurea compilaſſet, 4. Reg. 24. 13. Sedeciam regem ab eo creatum, cùm in Babylone eſſet, cúmque nouus rex in Iudæam rediturus eſſet, vaſa argentea pro aureis in Babylone feciſſe, vt ea ſecum ad templi miniſterium in Ieruſalem comportaret: ſenſúmq; eſſe, Cùm accepiſſet iam ipſe Ioacim ſacerdos, de quo agebatur, (quem credibile eſt cum Sedecia Babylone rediiſſe) vaſa, quæ de templo ſublata fuerant, reportanda in Ieruſalem; nō quidem eadem, neque aurea, qualia Nabuchodonoſor abſtulerat: ſed argentea, quæ fecerat Sedecias, cùm accepiſſet, inquam, *decima die menſis Siban. Siban*, aut, potiùs Siuan Syriacum verbum tertium anni menſem ſignificat, qui à Latinis Maius appellatur, Eſther 8. 9.

9. *Poſteaquam cepiſſet.*] G. μετὰ τὸ ἀποικίσαι, poſteaquam emigrare feciſſet ab Ie-
Sic in tranſlatione B. Hieronymi in Complutenſibus exemplaribus. ruſalem. *Et cunctos potentes.* Gr. καὶ τοὺς δεσμώτας. καὶ τοὺς δυνάστας. *& vinctos, & potentes.* Atque ita noſtrum interpretem vertiſſe credendum eſt: ſed pro, vinctos, cunctos ſcriptorem aliquem litterarum ſimilitudine deceptum poſuiſſe.

10. *Holocautomata*] id eſt, victimas ad offerenda holocauſta. Græcè poſt, *Holocautomata*, ſtatim ſequitur, καὶ περὶ ἁμαρτίας, *& pro peccato*. id eſt, victimas ad offerenda ſacrificia, quæ vocantur pro peccato: quod in noſtra verſione in fine verſus ponitur. Quaſi non ſignificet certum ſacrificij genus: ſed ad omnia ſacrificiorum genera, id eſt ad holocauſta, & thus, de quibus egerat, referatur. *Et facite*
Confutantur Hæretici in correctione Scripturæ. *manna.* Sic etiam Græcè eſt, καὶ ποιήσατε μάννα. Quod noui quidem hæretici ſubtili coniectura corrigere voluerunt, dixerúntque legendum eſſe, μανάα, vt Hebraicè מנחה. quod ſignificat oblationem, quæ manè, ac veſperi fieri ſolebat, &

gene-

Digitized by Google

generaliter omne munus quod Deo offertur. Scilicet non animaduerterant Sept. plerunq; quidem, מנחה, θυσίαν vertere ſolere, vt Geneſ. 43. & Leuit. 2. 1. aliquando δῶρον, donum, vt Geneſ. 32. 13. & 1. Reg. 10. 27. aliquando ipſum verbum Hebraicum relinquere volentes vertunt pro μαναὰ μαναά, vt 4. Reg. 8. 8. & Ierem. 17. 26. Quemadmodum Hieronymus in comment. in illum locum adnotauit. Atque ita credendum eſt hoc loco vertiſſe, noſtrúmque interpretem illos imitatum. Si quid ergo corrigendum eſt, pro manna legendum eſt, Manaa, aut, Manah, id eſt ſacrificium, & oblationem.

11. *Pro vita Nabuchodonoſor regis.*] Magna pietas Iudæos captiuos pro impio tyranno Deum precari, illíque offerre ſacrificia; Id illis præceperat Deus Ierem. 29. 7. *Quærite pacem ciuitatis, ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum quia in pace illius erit pax vobis.* Quod etiam D. Paulus docet facere Chriſtianos 1. ad Thim. 2. 1. 2. idque longo tempore eos feciſſe Tertul. in apologetico ſcribit. *Et pro vita Baltaſar.* Καὶ εἰς ζωὴν Βαλτάσαρ. εἰς dixerunt Septuaginta, pro ὑπὲρ, contra Græci ſermonis conſuetudinem, vt exprimerent Hebraicam præpoſitionem. על. Videtur loqui de Baltaſar tanquam de Nabuchodonoſoris ſucceſſore. Non tamen legimus illi ſucceſſiſſe: ſed Euilmerodach, 4. Reg. 25. 27. & Ierem. 52. 31. Itaque credibile eſt Nabuchodonoſorem aliquem alium filium Baltazar nomine habuiſſe, qui mortuus fuerit antequam pater moreretur. *Sicut dies cœli*, id eſt, diuturni, vt viuat quandiu cœlum durabit, hyperbole, vt Pſal. 88. 30. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius, ſicut dies cœli.*

12. *Et illuminet oculos noſtros.*] id eſt, faciat vt videamus, quæ nobis facienda ſint, quæ fugienda; vel, vt faciat nos rebus proſperis vti. Nam cùm homines *Res proſperæ lux dicuntur more ſcripturæ.* rebus aduerſis affliguntur, quaſi in tenebris: cùm autem proſperis, quaſi in luce verſari videntur: idcóque res proſperæ lux, aduerſæ tenebræ vocari ſolent, vt Pſalm. 54. 6. *Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* & Iob 7. 4. *Replebor doloribus vſque ad tenebras.* & cap. 17. 12. *Et rurſum poſt tenebras ſpero lucem.* & Thren. 3. 2. *Adduxit in tenebras, & non in lucem.* *Sub vmbra*, ſub tutela. *Et ſeruiamus eis.* Non erant, vt illis ſeruiant; cupiebant enim potiùs ab eorum ſeruitute liberari: ſed optant, vt illi diu regnent, illíſque potiùs quàm aliis regibus ſeruiant.

14. *Et in die opportuno.*] καὶ ἐν ἡμέραις καιροῦ, *& in diebus temporis.* Hebraiſmus. ובימי מועד. & in diebus ſolennibus, & ſtatis.

15. *Domino Deo noſtro iuſtitia.*] id eſt, adſcribatur, tribuatur. Confeſſio eſt. Quaſi dicat, *Omnia, quæ induxiſti ſuper nos, & vniuerſa, quæ feciſti nobis in vero iudicio feciſti.* Daniel. 3. 31. Similis ſententia Daniel. 9. 7. 8. *Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie*, id eſt, Tu dignus es iuſtitiæ laude, nos *Duplex Hebraiſmus.* ignominia, qua hodiéque afficimur. Duplex hic Hebraiſmus, alter, *confuſio faciei*, pro ignominia, vt infrà c. 2. 6. & Ierem. 7. 19. & Ezech. 7. 18. *In omni facie confuſio*: alter, *ſicut eſt dies hæc*, id eſt, vſque ad præſentem diem, ſicut dixit ve. 13. *vſque in hunc diem.* Sic infrà ver. 20. & c. 2. 6. 11. 26. & Ierem. 32. 20. & 44. 6. 10. 22. 23.

17. *Peccauimus.*] Græc. ὅτι ἡμάρτομεν. quia peccauimus, propterea quòd peccauimus. *Ante Dominum.* Hebraiſmus. לפמי חיח. in conſpectu Domini, aut, בנגד יהוה. coram Domino, id eſt, contra Dominum, vel, Domino vidente, vt Pſal. 50. 6. *Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci*, & Iſai. 59. 12. *Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te.*

raël, qui eduxiſti populum tuum de Terra Ægypti in manu valida, & in ſignis, & in
prodigijs, & in virtute tua magna, & in brachio excelſo, & feciſti tibi nomen ſicut eſt
dies iſte. 12 *Peccauimus, impiè egimus, iniquè geſſimus Domine Deus noſter, in*
omnibus iuſtitiis tuis. 13 *Auertatur ira tua à nobis: quia derelicti ſumus pauci in-*
ter gentes, vbi diſperſiſti nos. 14 *Exaudi Domine preces noſtras, & orationes noſtras,*
& educ nos propter te: & da nobis inuenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxe-
runt: 15 *vt ſciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noſter, & quia nomen tuum*
inuocatum eſt ſuper Iſraël: & ſuper genus ipſius. 16 *Reſpice Domine de domo ſan-*
cta tua in nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos. 17 *Aperi oculos tuos, & vi-*
de: quia non mortui qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis, da-
bunt honorem & iuſtificationem Domino: 18 *Sed anima quæ triſtis eſt ſuper magnitu-*
dinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima eſuriens dat tibi
gloriam & iuſtitiam Domino. 19 *Quia non ſecundùm iuſtitias patrum noſtrorum*
nos fundimus preces, & petimus miſericordiam ante conſpectum tuum Domine Deus no-
ſter. 20 *ſed quia miſiſti iram tuam: & furorem tuum ſuper nos, ſicut locutus es in*
manu puerorum tuorum Prophetarum, 21 *dicens, Sic dicit Dominus, inclinate hu-*
merum veſtrum, & ceruicem veſtram, & opera facite regi Babylonis: & ſedebitis in
terra quam dedi patribus veſtris. 22 *Quòd ſi non audieritis vocem Domini Dei*
veſtri operari regi Babyloniæ: defectionem veſtram faciam de ciuitatibus Iuda, & à fo-
ris Ieruſalem, 23 *& auferam à vobis vocem iucunditatis, & vocem gaudij, & vo-*
cem ſponſi, & vocem ſponſæ, & erit omnis terra ſine veſtigio ab inhabitantibus eam.
24 *Et non audierunt vocem tuam vt operarentur regi Babylonis: & ſtatuiſti verba*
tua quæ locutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, vt transferrentur oſſa re-
gum noſtrorum & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo. 25 *& ecce proiecta ſunt in ca-*
lore ſolis, & in gelu noctis: & mortui ſunt in doloribus peſſimis, in fame, & in gladio, &
in emiſſione. 26 *Et poſuiſti templum, in quo inuocatum eſt nomen tuum in ipſo, ſicut hæc*
dies, propter iniquitatem domus Iſraël, & domus Iuda: 27 *Et feciſti in nobis Do-*
mine Deus noſter ſecundum omnem bonitatem tuam, & ſecundum omnem miſerationem
tuam illam magnam: 28 *ſicut locutus es in manu pueri tui Moyſi in die qua præce-*
piſti ei ſcribere legem tuam coram filiis Iſraël 29 *dicens. Si non audieritis vocem*
meam, multitudo hæc magna conuertetur in minimam inter Gentes, quo ego eos diſper-
gam: 30 *quia ſcio quòd me non audiet populus: populus eſt enim duræ ceruice: &*
conuertetur ad cor ſuum in terra captiuitatis ſuæ: 31 *& ſcient quia ego ſum Domi-*
nus Deus eorum: & dabo eis cor, & intelligent: & aures, & audient. 32 *Et lau-*
dabunt me in terra captiuitatis ſuæ, & memores erunt nominis mei. 33 *Et auertent*
ſe à dorſo ſuo duro, & à malignitatibus ſuis: quia reminiſcentur viam patrum ſuorum
qui peccauerunt in me. 34 *Et reuocabo illos in terram, quam iuraui patribus eorum*
Abraham, Iſaac, & Iacob, & dominabuntur eius: & multiplicabo eos, & non minora-
buntur. 35 *Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, vt ſim illis in Deum,*
& ipſi erunt mihi in populum: & non mouebo ampliùs populum meum filios Iſraël à ter-
ra quam dedi illis.

PERSEQVITVR ſuperioris capitis orationem.

1. *Propter quod,*] Gr. καὶ, &, itémque Hebraicè ו, apud Daniel cap. 9. 12. vbi hæc eadem ſententia legitur. Noſter interpres rectè vertit. *Propter quod*; quia quamuis coniunctio ſit natura ſua copulatiua, hoc loco cauſam ſignificat, vt capite præcedenti ver. 20. quamuis & illic, & apud Danielem verterit *Et. Statuit verbum ſuum*, id eſt, fecit, vt nobis eueniret, quod nobis prædixerat. He-

 braiſmus

braiſmus eſt. הקים. ſurgere fecit, ſuſcitauit, vt Daniel. 9. 12. ויקם דבריו. Et excitauit, & ſtatuit verba ſua; & hoc ipſo c. v. 24. καὶ ἔστησας τοὺς λόγους σου. *& ſtatuiſti verba tua, quæ locutus es.* Suſcitare verbum frequenter hoc ſenſu dicitur, vt 3. Reg 12. 15. & 4. Reg. 23. 3. Iſai. 44. 26. Ierem. 28. 6. & 29. 10. & 33. 14. *Quod locutus eſt ad nos*, quod nobis, aut contra nos minatus eſt in lege. Deut. 8. 19. & 27. 14. 15. &c. & 28. 59. 60. *Ad omnem Iſraël*, καὶ ἐπὶ ἄνθρωπον Ἰσραὴλ, καὶ Ἰούδα. *Ad hominem Iſrael, & Iuda.*

2. *Vt adduceret.*] להביא. Daniel. 9. 12. *vt ſuperinduceret in nos magnum malum. Quæ non ſunt facta*, qualia non ſunt facta ὑποκάτω παντὸς τοῦ οὐρανοῦ, *ſub omni cœlo*, id eſt, vllo in loco ſub cœlo, vt apud Danielem. תחת כל השמים. *Secundum quæ ſcripta ſunt*, id eſt, quæ Deus ſuper nos adduxit, ſimilia ſunt iis, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis aduerſus eos, qui legem non ſeruant, Deut. 8. 19. & 27. 14. 15. &c. & 28. 59. 60.

3. *Vt manducaret homo.*] Hebraiſmus; pro, vnuſquiſque. איש. quod clariùs apparet Græcè, τοῦ φαγεῖν ἡμᾶς ἄνθρωπον σάρκας υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ ἄνθρωπον σάρκας θυγατρὸς αὐτοῦ. Ad verbum, *Edere nos hominem carnes filij ſui, & hominem filiæ ſuæ*, id eſt, vt ederemus ſui quiſque filij, & ſuæ quiſque filiæ carnes: vel, alius carnes filij ſui, alius carnes filiæ ſuæ. Hoc in obſidione Ieroſolymitana factum eſſe conſtat ex lamentationibus Ierem. cap. 2. 20. & c. 4. 10.

4. *Et dedit eos.*] καὶ ἔδωκεν αὐτοὺς ὑποχειρίους, *& ſubiecit illos omnibus regnis*: quia aliquando à Chaldæis, aliquando ab Aſſyriis, aliquando ab Ægyptiis Iudæi bellis vexabantur. *In omnibus populis.* Gr. ἐν πᾶσι τοῖς λαοῖς τοῖς κύκλῳ ἡμῶν, οὗ διέσπειρεν αὐτοὺς κύριος ἐκεῖ. *In omnibus populis, qui in circuitu noſtro ſunt, vbi diſperſit eos Dominus ibi*, id eſt, per quos Dominus eos diſperſit. vſitatus Hebraiſmus, ſententia eſt Daniel. 9. 7.

Hebraiſmus vſitatus.

5. *Et facti ſumus.*] Græc. καὶ ἐγενήθησαν, *& facti ſunt*, patres noſtri: quamquam ſenſus idem eſt. Aliquando enim de Iudæis per tertiam, aliquando per primam perſonam loquitur, quia & ipſe Iudæus erat. *Subtus, & non ſuprà.* Alludit ad illud Deuter. 28. 13. *Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam; & eris ſemper ſuprà, & non ſubter: Si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & cuſtodieris & feceris.* Et ver. 43. *Aduena qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritque ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior.* Eſſe autem ſuprà, eſt Dominari; eſſe ſubtus, eſt ſeruire, Hebræorum idiomate. Idem ſignificat, Eſſe in caput, & eſſe in caudam, vt Thren. 1. 5. *Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt. Quia peccauimus.* Mutat perſonam ſeruato ſenſu.

Eſſe ſuprà & ſubtus in caput & in caudam. quid ſignificet in ſcriptura.

6. *Domino Deo noſtro.*] Vide explicationem cap. præced. ver. 15.

7. *Quia locutus eſt.*] Propterea iuſtitia illi tribuenda, quia priùs admonuit nos, quàm puniret. Videtur noſter interpres legiſſe ὅτι, *quia*, aut, exiſtimaſſe ἃ, cauſam denotare. Nunc in omnibus exemplaribus legimus ἃ ἐλάλησεν, quæ locutus eſt Dominus, ea omnia nobis euenerunt; id eſt, omnia, quæ nobis comminatus fuerat, vt ver. 1.

8. *Et non ſumus deprecati faciem.*] Hebraiſmus, id eſt, non ſumus Deum precati ſupplices proſtrati ante conſpectum eius, vt Pſal. 44. 13. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* & 118. 58. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo.* Idem Iob 11. 19. & Ierem. 26. 19. & Zachar. 7. 2. & 8. 21. 22. *Vt reuerteremur*, id eſt, rogantes eum, vt conuerteret nos. Nemo enim poteſt ſine gratia Dei à peccatis deſiſtere, vt Thren. 5. 21. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.*

9. *Et vigilauit Dominus,*] id eſt, accelerauit mala, eáque citiùs quàm putabamus,

mus, nobis induxit. Similis Hebraiſmus. Ierem. 1. 12. *Bene vidiſti quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.* & cap. 31. 28. *Et ſicut vigilaui ſuper eos, vt euellerem, & demolirer, & diſſiparem, & diſperderem, & affligerem: ſic vigilabo ſuper eos, vt ædificem, & plantem.* & cap. 44. 27. *Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum, & non in bonum.* Et Daniel. 9. 14. vnde hæc ſententia ſumpta eſt, *Et vigilauit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos. Quia iuſtus eſt Dominus*, id eſt, fidelis: facit enim, quod promittit. idem apud Danielem ibidem.

10. *Et non audiuimus.*] id eſt, non obediuimus, vt ver. 5. & Daniel. 9. 10. *vt iremus*, vt ambularemus, in præceptis eius. *Quæ dedit ante faciem noſtram.* Dare, aut ponere ante faciem, aut in conſpectu, aut coram. Hebraiſmus eſt idem ſignificans, quod relinquere, aut ponere aliquid in eius poteſtate: vel, dare eius optionem alicui, vt Deut. 30. 15. *Conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem & malum.* Ita intelligendum illud, quod ſcriptum eſt Eccl. 45. 6. *Dedit illi coram præcepta.* Sic enim legendum, vt eo loco adnotauimus. *Dare ante faciem aut coram, quid ſit.*

11. *Et nunc Domine.*] Vide Daniel. c. 9. 15. *Sicut eſt dies hæc.* Sæpe hunc Hebraiſmum explicauimus, vt cap. præcedenti 15. 20. *Mos exaggerandi peccata apud Iudæos.*

12. *Peccauimus.*] Solent Hebræi, cum peccata ſua exaggerare volunt, hæc tria verba coniungere, Peccare, iniuſtè agere, iniquitatem facere, vt Iudith. 7. 19. & Pſal. 105. 6. *Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.* & Daniel. 9. 5. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus. In omnibus iuſtitiis tuis*, id eſt contra omnia mandata tua. ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαιώμασί σου. *in omnibus iuſtificationibus tuis.* Quod clariùs dixit Daniel cap. 9. 5. *Et receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis, ac iudiciis.* Vocantur præcepta Dei חקים. quod Sept. ſolent vertere δικαιώματα, noſter interpres iuſtitias, aut iuſtificationes, quia eorum obſeruatione homines iuſtificantur, quidquid Hæretici delirent.

13. *Vbi diſperſiſti nos.*] οὗ διεσκόρπισας ἡμᾶς ἐκεῖ. *vbi diſperſiſti nos ibi*, id eſt, apud quas diſperſiſti nos. Hebraiſmus, qualis ſuprà ver. 4.

14. *Educ nos.*] Libera nos ab iſta ſeruitute, non noſtris quidem meritis, quæ nulla ſunt; ſed tua miſericordia, quæ magna eſt, & concede vt gratiam inueniamus apud Chaldæos; qui nos captiuos abduxerunt, vt bene ab illis habeamur. Gratiã inuenire, id eſt, inire, frequens eſt Hebraiſmus, vt c. ſuperiori v. 12. *Gratiam inuenire, id eſt, inire.*

15. *Vt ſciat.*] vt re ipſa oſtendas te Deum noſtrum eſſe, nec poſſint Gentes dicere, *Vbi eſt Deus eorum?* vt Pſal. 78. 10. & 113. 10. *Et nomen tuum inuocatum eſt ſuper Iſraël*, id eſt, vt ſciat te non ſine cauſa Deum Iſraëlis, & omnium Iudæorum appellari. Hoc ſignificat phraſis Hebraica, vt Ierem. 14. 9. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.* Poteſt etiam phraſis ſignificare idem, quod Deum colere, vt Ierem. 7. 11. 14. 30. & 32. 34. Domus in qua inuocatum eſt nomen tuum, id eſt, vbi colebatis, quia qui Deum colit, eum inuocat. Et Daniel. 9. 18. 19. *Nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem.*

16. *De domo ſancta tua.*] id eſt, de templo. Loquitur de Deo, quaſi in templo habitaret. Alij, ex ſanctuario tuo; propter repetitum articulum, ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ ἁγίου. Omiſit noſter interpres, aut ſcriptorum negligentia excidit, quod Græcè legitur, καὶ ἐννόησον εἰς ἡμᾶς, *Et attende in nos*, hoc eſt, curam noſtri habe.

17. *Aperi oculos tuos.*] Significat Deum quodammodo dormire, aut conniuere. *Et vide*, id eſt, conſidera, quod ſequitur. *Quia non mortui qui ſunt in inferno.* Infernum vocat omnem inferum locum, vbi tunc mortui tenebantur, ſiue dãnato-

rum

Digitized by Google

rum, ſiue purgatorium, ſiue vbi ſancti patres commorabantur. *Quorum ſpiritus*, id eſt, quorum animus à corpore ſeparatus eſt. Gr. *ὧν ἐλήφθη τὸ πνεῦμα αὐτῶν*, *quorum acceptus eſt ſpiritus ipſorum*: redundat alterum relatiuum Hebræorum more. *Dabunt honorem.* Gr. *δόξαν*, *gloriam*, id eſt, non glorificabunt, & iuſtum prædicabunt Dominum. Simile illud Pſalm. 113. 26. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* & Pſal. 6. 6. *In inferno autem, quis confitebitur tibi?* & Eccl. 17. 26. *A mortuo quaſi nihil periit confeſsio.* Quibus locis noui hæretici ad refellendum Sanctorum patrocinium imperitè abutuntur. Si enim putant ſenſum eſſe, mortuos non poſſe Deum laudare, quia nihil ſunt, planè ſunt athei: ſi, quia nolunt, vt id de damnatis verè dicant; beatis iniuriam faciunt: ſi, quia non poſſunt, contradicit Ioannes in Apocal. cap. 5. 14. qui viginti quatuor illos ſeniores vidit Deum collaudantes. His ergo locis duo tantùm ſignificantur: alterum eſt, mortuos non poſſe ore, ac lingua, Deum laudare, quia & os, & lingua, & totum corpus ipſorum in puluerem redactum eſt: quod indicat Eccleſiaſticus, cùm dicit, *A mortuo quaſi nihil*, id eſt tanquam ab eo, qui nihil eſt, *periit confeſsio.* & Dauid Pſal. 29. 10. *Numquid confitebitur tibi puluis?* Alterum eſt, mortuos non laudare propter noua beneficia quæ quotidie à Deo recipiant, dum ab eo, miſeriis, in quibus ſunt mirabiliter liberantur, ſicut accidit viuentibus. Hoc eſt, quod ait Dauid Pſal. 87. 11. *Nunquid mortuis facies mirabilia: aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?* Atque hoc ipſum hoc loco ver. ſequenti declaratur.

Imperitè ex his locis Sanctorum inuocationem refellunt Hæretici.

Hebraiſmus frequens.

18. *Sed anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudinem mali*, id eſt, propter magnitudinem. Gr. *ἀλλ' ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν.* Sunt qui putent locum eſſe corruptum, quod ego non credo: ſed interpretor ad hunc modum, *Sed anima quæ affligitur, propter magnitudinem, quæ* (magnitudo) *incurua, & infirma vadit* id eſt, anima, quæ mole corporis labeſcente, atque infirma deprimitur; vt dicitur aliis verbis Sapient. 9. 15. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et oculi deficientes* præ fame, aut lachrymis, vt Pſal. 68. 4. *Defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.* Et Pſal. 118. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* & v. 123. *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum.*

19. *Non ſecundum iuſtitias.*] id eſt, non propter iuſtitias, non confiſi iuſtitiis patrum noſtrorum. *οὐκ ἐπὶ τὰ δικαιώματα.* Nam ἐπὶ poſuit pro על. Hebraico, quod eſt Daniel 9. 18. כי לא על צדקתינו. *neque enim iuſtificationibus noſtris*, aut, propter iuſtitias noſtras, *proſternimus preces ante faciem tuam. Fundimus preces.* Græc. *καταβάλλομεν τὸν ἔλεον ἡμῶν. abiecimus miſeriam noſtram*, id eſt, deprecamur à te miſeriam noſtram; vel miſerationem noſtri à te ſupplices poſtulamus. Daniel dixit cap. 9. 18. אנחנו מפילים תחנונינו לפניך. *nos proſternimus preces noſtras ante faciem tuam.* Proſternere preces ante faciem aut conſpectum alicuius, frequens eſt Hebraiſmus, ſignificat autem ſuppliciter aliquem orare proſternendo ſeſe ad eius pedes, vt Ierem. 38. 26. & 42. 9. & Daniel 9. 18. 20.

20. *Sed quia miſiſti.*] quaſi dicat non fundimus ante te preces noſtras, quòd iuſtitia patrum noſtrorum confidamus: ſed quòd vrgeamur, atque cogamur, dum à te affligimur. *In manu puerorum*, id eſt, per ſeruos tuos Prophetas. vterque eſt Hebraiſmus, vt Ierem. 50. 1.

25. *Inclinate humerum.*] Teſtimonium, quod hîc citat Baruch, eſt apud Ierem. ca. 27. 8. 11. 12. vbi duobus verbis vtitur, תחת. ſupponere, & הבא. ſubmittere. צוארו בשל מלך בבל. collum ſuum, aut, ceruicem ſuam ſub iugum

regis

regis Babylonis. Quo modo Baruch hoc loco Hebraïcè dixerit, ignoramus, non enim verba, ſed ſententiam Ieremiæ poſuit. Noſter interpres videtur ex Sept.non ex Hebræo tranſtuliſſe, legiſſeque, *κλίνατε τὸν ὦμον ὑμῶν, Inclinate humerum veſtrum*, quamuis nunc in pleriſque exemplaribus vitiosè legatur, *τὸν νῶμον ὑμῶν*, quod miror aliquos Sept. interpretum interpretes non emendaſſe. *Et opera facite. ἐργάσασθε, & operamini*, id eſt, ſeruite, vt cap. 1. v. 22. & apud Ierem. עבדו. *ſeruite*.

Ita correctum nunc legitur in Vaticana editione.

22. *Defectionem veſtram.*] i. faciam vos deficere. Ierem. ſic dicit c. 27. 8. *Gens autem & regnum, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor regi Babylonis: & quicunque non curuauerit collum ſuum ſub iugo regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus: donec conſumam eos in manu eius*. Sept. hinc incipiunt verſum 23. & aliter legunt, *ἔκλειψιν ποιήσω ἐκ πόλεως Ἰούδα, καὶ ἔξωθεν Ἱερουσαλὴμ φωνὴν εὐφροσύνης καὶ φωνὴν χαρμοσύνης, Defectionem faciam de ciuitate Iuda, & deforis Ieruſalem vocem lætitiæ, & vocem gaudij*. id eſt, deficere faciam vocem lætitiæ, & vocem gaudij, quamquam fortaſſe Sept. non verterunt *ἔκλειψιν*, ſed *ἐκλείπειν ποιήσω, deficere faciam*. Ciuitatem Iuda vocat Ieruſalem, quia Iudææ metropolis erat. Deforis autem Ieruſalem cæteras ciuitates illi ſubiectas, & ſuburbanas. Eſt autem hoc teſtimonium apud Ierem. c. 7. 34. & cap. 16, 9. & cap. 25. 10. quod Ezech. aliis verbis dixit, cap. 26. 13. *Et quieſcere faciam multitudinem cãticorum tuorum, & ſonitus cythararum tuarum non audietur amplius. Et erit omnis terra ſine veſtigio*, id eſt, non cernetur in tota terra vllum veſtigium hominis, quia nemo erit, qui per eam tranſeat. Græ. *καὶ ἔσται πᾶσα ἡ γῆ εἰς ἄβατον. & erit omnis terra in deſolationem*, aut in inuium: apud Ierem. cap. 7. 34. לחרבה. in deſolationem, vbi Sept verterunt *εἰς ἐρήμωσιν, in vaſtationem*. & cap. 25. 11. לחרבה לשמה. in deſolarionem, & vaſtationem. Sept. *εἰς ἀφανισμὸν, in abolitionem. Ab inhabitantibus eam*, id eſt, defectu hominum, qui eam inhabitent. Hebraïſmus eſt, מיושבים בה.

24. *Et non audierunt.*] patres noſtri. Gr. *καὶ οὐκ ἠκούσαμεν, & non audiuimus* id eſt, non obediuimus. *Et ſtatuiſti*, id eſt, idcirco feciſti, vt reipſa nobis euenirent, quæ comminatus nobis fueras per Prophetas. Hebraïſmus. הקימות. ſuſcitaſti, vt ſuprà ver. 1. *In manibus puerorum*, id eſt, per ſeruos tuos Prophetas. Duplex Hebraïſmus. vt ver. 20. *Vt transferrentur*, id eſt, vt non ſepelirentur in ſepulchris patrum ſuorum; ſed in terra aliena morerentur: aut, *vt transferrentur*, id eſt, effoderentur, & inſepulta relinquerentur ſub dio, vt prædixit Ierem. cap. 8. 1. 2. *In illo tempore, ait Dominus, eijcient oſſa regis Iuda, & oſſa principum eius, & oſſa ſacerdotum, & oſſa Prophetarum, & oſſa eorum, qui habitauerunt Ieruſalem de ſepulchris ſuis. Et expandent ea ad Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus ſeruierunt*. Quod à Chaldæis factum eſſe creditur, vt theſauros quærerent, quibuſcum Iudæorum reges ſepeliri conſueuerant. Qui vertunt *ἐξενεχθῆναι*, vt aliò deportarentur, non mihi placent. Nam hic locus per locum Ieremiæ interpretandus eſt.

25. *In doloribus peſſimis.*] *ἐν πόνοις πονηροῖς, in laboribus laborioſis*, id eſt, duriſſima oppreſſi ſeruitute. *Et in emiſſione* id eſt, in exilio, in diſperſione, Græ. *ἐν ἀποστολῇ*, Ieremias ſolet dicere לזועה. in commotionem. Alludit enim Baruch ad Prophetiam Ier. cap. 34. 17. *Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad peſtem & ad famem, & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.*

26. *Et poſuiſti.*] id eſt, redegiſti in eum ſtatum, quo hodierno die eſt Hebraïſmus. נתת. Gr. non eſt, templum tuum, ſed, *τὸν οἶκόν σου, domum tuam. In quo inuocatum*

catum eſt. id eſt, vbi colebatis, vt Ier.7.10.11.14.30. & 25.29.& 32.34. *In ipſo,* relatiuum redundans Hebræorum more.

27. *Secundum omnem bonitatem tuam.*] id eſt, ſecundum benignitatem, qua ſemper vteris. Gr. κατὰ πᾶσαν ἐπιείκειάν σου Eſt autem ἐπιείκεια iuris benignitas. quaſi dicat, non egiſti nobiſcum ſummo iure; ſi enim ſummo iure egiſſes, penitus nos aboleuiſſes. Hoc enim eſt quod per Ieremiam Deus promiſerat cap.4.27. *Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam.* & cap.5.10. *Aſcendite muros eius, & diſſipate; conſummationem autem nolite facere.* Hoc ipſum ait Ierem. Thren.3.22. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.* *Cum* enim *iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, Habacuch. 3.2.& Pſal.59.3. *Iratus es, & miſertus es nobis.* Alius poteſt eſſe ſenſus, vt ipſam punitionem miſericordiam Dei vocet, quia per eam factum eſt, vt populus peccata ſua recognoſceret, & Dei miſericordiam imploraret, vt videtur declarari ver. 31.32.33. *Et laudabunt me in terra captiuitatis ſuę, & memores erunt nominis mei. Et auertent ſe a dorſo ſuo duro, & à malignitatibus ſuis.*

Deus ſummo iure nobiſcum non agit.

28. *In manu pueri.*] id eſt, per ſeruum tuum Moyſem. Duplex Hebraïſmus, vt ver.20.& 24. *Coram filiis Iſraël,* id eſt, vt eam in libertate filiorum Iſraël poneres. Quid hæc phraſis ſignificat, ſuprà expoſuimus verſu 10.

29. *Multitudo hæc magna.*] Græc. ἦ μὴν βόμβησις, ἡ μεγάλη, ἡ πολλὴ αὕτη ἀποστρέψει εἰς μικρὰν ἐν τοῖς ἔθνεσιν. *Profectò multitudo hæc magna, & copioſa inſtar examinis apum, redigetur in paruam inter Gentes.* Alludit ad locum Deuter.28.62. *Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis ſicut aſtra cœli præ multitudine, quoniam non audiſti vocem Domini Dei tui.* non enim refert verba ſed ſenſum. *Quò eos diſpergam.* Gr. οὗ διασπερῶ αὐτοὺς ἐκεῖ. *vbi diſpergam eos ibi.* Abundat, ibi, more Hebræorum.

30. *Quia ſcio.*] Hæc verba nuſquam apud Moyſem legimus, quamuis ſæpe legamus, populum vocem Domini non audiuiſſe, vt Deut.1.43.& 9.23. quod autem ſequitur, *Populus eſt enim duræ ceruice,* legimus Exod. 33.3. & Deuter. 9. 13. *Et conuertetur ad cor ſuum,* id eſt, reſipiſcet, vexatio dabit illi intellectum, Iſai. 28. 19. *Cum* enim *occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Pſal.77.34. Hoc eſt quod Deus per Ierem. prædixerat, cap.2.27. *Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis ſuæ dicent, Surge, & libera nos.* Teſtimonium autē hoc ſumptum eſt ex Leuit.c.26.ver.39.40.41. *Propter peccata patrum ſuorum, & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, & malorum ſuorum recordentur.* & Deut.4.30. *Poſtquam te inuenerint omnia, quæ prædicta ſunt, nouiſſimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.*

31. *Et dabo eis cor.*] Nec hæc verba apud Moyſem leguntur, quamuis ſimile quiddā legatur Deut.30.6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Coniungit autem cū teſtimoniis Moſis teſtimonia Prophetarum. Hæc enim verba non ſunt niſi apud Ezec. cap.36.25.26. qui poſterior fuit, tamen à Baruch eodem ſpiritu prædicebantur.

31. *Et laudabant me.*] Neque hæc legimus.

33. *Et auertent ſe à dorſo ſuo duro.*] Hebraïſmus, pro relinquent contumaces ſuos mores. Per dorſum contumacia, & duritiès morum ſignificatur, ſicut per ceruicem, vt Pſal.68.24. *Et dorſum eorum ſemper incurua.* Neque hæc verba alibi legimus. *Quia reminiſcentur.* Gr. ὅτι μνησθήσομαι, *quia reminiſcar.* Noſter interpres legit μνησθήσονται *reminiſcentur,* vt etiamnum in aliis Græcis exemplaribus legitur: ſenſuſque eſt melior.

35. *Et ſtatuam*] hæc ex Ieremia ſumpta ſunt cap. 31. 31. 32.

CAPVT.

CAPVT III.

ET nunc Domine omnipotens Deus Iſraël, anima in anguſtiis, & ſpiritus an-
xius clamat ad te: 2 Audi Domine, & miſerere, quia Deus es miſeri-
cors, & miſerere noſtri: quia peccauimus ante te. 3. Quia tu ſedes in ſem-
piternum, & nos peribimus in æuum? 4 Domine omnipotens Deus Iſraël, audi
nunc orationem mortuorum Iſraël, & filiorum ipſorum qui peccauerunt ante te, & non
audierunt vocem Domini Dei ſui, & agglutinata ſunt nobis mala. 5 Noli memi-
niſſe iniquitatum patrum noſtrorum, ſed memento manus tuæ & nominis tui in tempore
iſto: 6 Quia tu es Dominus Deus noſter, & laudabimus te Domine, 7. Quia
propter hoc dediſti timorem tuum in cordibus noſtris, & vt inuocemus nomen tuum, &
laudemus te in captiuitate noſtra, quia conuertimur ab iniquitate patrum noſtrorum qui
peccauerunt ante te. 8 Et ecce nos in captiuitate noſtra ſumus hodie, qua nos diſper-
ſiſti in improperium, & in maledictum, & in peccatum, ſecundum omnes iniquitates pa-
trum noſtrorum, qui receſſerunt à te Domine Deus noſter. 9 Audi Iſraël mandata
vitæ: auribus percipe, vt ſcias prudentiam. 10 Quid eſt Iſraël quòd in terra inimi-
corum es? 11 Inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es
cum deſcendentibus in infernum. 12 Dereliquiſti fontem ſapientiæ. 13 Nam ſi
in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſuper terram. 14 Diſce vbi ſit pru-
dentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit longanimitas vitæ &
victus, vbi ſit lumen oculorum & pax. 15 Quis inuenit locum eius? & quis intrauit
in theſauros eius? 16 Vbi ſunt principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias
quæ ſunt ſuper terram? 17 Qui in auibus cœli ludunt, 18 Qui argentum the-
ſaurizant, & aurum in quo confidunt homines: & non eſt finis acquiſitionis eorum? qui
argentum fabricant, & ſoliciti ſunt, nec eſt inuentio operum illorum: 19 Exterminati
ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij in loco eorum exurrexerunt. 20 Iuuenes
viderunt lumen & habitauerunt ſuper terram: viam autem diſciplinæ ignorauerunt:
21 Neque intellexerunt ſemitas eius, neque filij eorum ſuſceperunt eam, à facie ipſorum
longe facta eſt. 22 Non eſt audita in terra Chanáam, neque viſa eſt in Theman.
24 Filij quoque Agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra eſt, negotiatores terræ,
& Theman, & fabulatores, & exquiſitores prudentiæ, & intelligentiæ: viam autem
ſapientiæ neſcierunt: neque commemorati ſunt ſemitas eius. 24 O Iſraël quàm ma-
gna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! 25 Magnus eſt, & non habet
finem: excelſus & immenſus. 26 Ibi fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio
fuerunt, ſtatura magna ſcientes bellum, 27 Non hos elegit Dominus, neque viam
diſciplinæ inuenerunt: propterea perierunt. 28 Et quoniam non habuerunt ſapien-
tiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. 29 Quis aſcendit in cœlum, & accepit
eam, & deduxit eam de nubibus? 30 Quis transfretauit mare, & inuenit illam, &
attulit illam ſuper aurum electum? 31 Non eſt qui poſſit ſcire vias eius, neque qui
exquirat ſemitas eius: 32 Sed qui ſcit vniuerſa, nouit eam, & adinuenit eam pru-
dentia ſua: qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam pecudibus & qua-
drupedibus, 33. Qui emittit lumen, & vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tre-
more: 34 Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt: 35 Vo-
catæ ſunt & dixerunt, Adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. 36 Hic
eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. 37 Hic adinuenit omnem viam
diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. 38 Poſt hæc in terris
viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

PERSEQVITVR eandem orationem.

1. *Et nunc.*] Hæc duo verba Græcè non ſunt: ſed abſolutè incipitur, κύριε παντοκράτωρ. *Et ſpiritus anxius.* καὶ πνεῦμα ἀκηδιῶν. Noſter interpres ſolet vertere anxiari, vbi hoc verbum legitur, aut עטף vt Pſalm. 60. 3. ἐν τῷ ἀκηδιάσαι τὴν καρδίαν μου, ἐν πέτρᾳ ὕψωσάς με. *Cum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.* H. בעטף. & Pſalm. 142. 4. καὶ ἠκηδίασεν ἐπ' ἐμὲ τὸ πνεῦμά μου, *Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus.* H. ותתעטף רוחי עאי. Proponit autem animi anxietatem ad mouendam Dei miſericordiam.

2. *Ante te.*] Hebraïſmus. נגדך coram te, id eſt, contra te, vel, te ſciente ac vidente, vt ſuprà cap. 1. 17. *Peccauimus ante Dominum.* & Iſai. 59. 12. *Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te.* & Pſalm. 50. 6. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Valet etiam quod re vera. quia quod coram Deo tale eſt, re vera tale eſt: ſicut eſt iuſtum coram Deo, eſt re vera iuſtum eſſe.

3. *Quia tu ſedes.*] id eſt, permanes, Hebraïſmus. שבת. ſedere, pro עמד. ſtare, durare, permanere, vt Pſalm. 28. 10. *Et ſedebit Dominus rex in æternum.* וישב. *Et nos peribimus.* καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμενοι τὸν αἰῶνα, *& nos peribimus in æternum.* Noſter interpres idem verbum αἰῶνα, priori loco vertit, *in ſempiternum*; poſteriori, *in æuum*; non alia, vt opinor, ratione, quàm quòd ſæpe varietate delectetur. Senſus eſt, Miſerere noſtri Domine, quia tu æternus es, nos mortales. quaſi dicat, nec tu indiges noſtra miſeria, & nos valde indigemus tua miſericordia. Valet plurimùm ad impetrandam miſericordiam, & petentis infirmitas; & eius à quo poſtulatur, ſignificata facultas, vt Pſalm. 102. 13. 14. 15. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus. Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit.*

Mortui Iſraël quinam.

4. *Mortuorum Iſraël.*] id eſt, eorum, qui & dum viuerent. & nunc mortui non deſiſtunt te orare pro huius populi ſalute. Sicut Iudas Machabæus Ieremiam Prophetam iam mortuum orantem vidit, lib. 2. Mach. c. 15. 14. Poteſt etiam alius eſſe ſenſus, *Orationem mortuorum*, id eſt, noſtram, qui adeo afflicti. & vexati ſumus, vt nihil à mortuis differre videamur, vt inf. ver. 11. *Inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcendentibus in infernum*; vt idem ſit, *Mortuorum Iſraël, & filiorum ipſorum.* id eſt, eorum, *qui peccauerunt*, vt Græcè conſtat, τῶν ἁμαρτανόντων. *Ante te.* vide ver. 2. *Et agglutinata ſunt.* καὶ, *&*, pro, idcirco, vt ſæpè aliâs adnotauimus. *Agglutinata ſunt.* ἐκολλήθη, *adhæſerunt.* Hebraiſmus, ודבקו. id eſt, iia nos occuparunt, ita nos perſequuntur, vt non poſſimus nos ab illis explicare, vt ſuprà c. 1. 20. & Ierem. 42. 16.

5. *Manus tuæ*] id eſt, potentiæ tuæ. frequens & notus Hebraïſmus. quaſi dicat, Ne conſideres, quid nos mereamur; ſed quid tu facere poſſis, & quid gloriam tuam deceat. Vt Pſalm. 113. 9. 10. *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Super miſericordia tua & veritate tua, nequando dicant Gentes, vbi eſt Deus eorum? In tempore iſto*, ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, tempore hoc maximè ad miſerendum opportuno, quia hoc tempore maximè affligimur.

7. *Dediſti timorem tuum.*] i. perterrefeciſti nos multis calamitatibus affligens, vt vexatio nobis daret intellectum. vide cap. præcedens ver. 30. *Et vt inuocemus.* *Et* non eſt Græcè; neque ad ſenſum, eſt neceſſaria. *Quia conuertimur.* Alia exemplaria habent, quia conuertemur, atque ita legunt veteres interpretes, ſenſuſque eſt melior, vt ſi dicat, Hac enim ratione fiet, vt ab iniquitatibus patrum noſtrorum diſcedamus, vt dixerat Deus Leuit. 16. 39. 40. 41. *Propter peccata patrum*

Digitized by Google

patrum ſuorum, & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, & malorum ſuorum recordentur. & Deuter. 4. 30. *Poſtquam te inuenerint omnia, quæ prædicta ſunt, nouiſſimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.* Græcè aliter legitur, ὅτι ἀπεστρέψαμεν ἐπὶ καρδίαν ἡμῶν πᾶσαν ἀδικίαν πατέρων ἡμῶν τῶν ἡμαρτηκότων ἐναντίον σου. quod aliqui ita interpretantur, *Quia in memoriam reuocauimus iniquitatem patrum noſtrorum, qui peccauerunt coram te*, id eſt, quia recordati ſumus, quòd patres noſtri peccauerint; ideóque nos pœnas dare. Alij, quia renouauimus, vel, quia imitati ſumus iniquitatem patrum noſtrorum. Ego ſic, Quia redieramus ad ingenium noſtrum, (& ad) omnem iniquitatem patrum noſtrorum, qui peccauerunt coram te. Vt ſic interpreter facit illa dictio ὅτι. *quia*. reddit enim cauſam cur à Deo multis pœnis perterriti eſſent. Deinde ἀθεισος, ἀπεστρέψαμεν, qui non poteſt alio ſenſu bene conuenire.

8. *In peccatum.*] id eſt, in pœnam peccati, vt 1. Petri 2. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, id eſt, pœnas peccatorum noſtrorum. Gr. καὶ εἰς ὄφλησιν, *& in debitum*, id eſt, in tributum. hoc enim propriè verbum ſignificat, quod ærario debetur. Sicut Ieremias dixit Thren. 1. 1. *Et princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.*

9. *Audi Iſraël.*] Apoſtrophe ad populum, qua eum exhortatur, vt ſaltem pœnis vexatus reſipiſcat, & faciat cum tentatione prouentum. *Exhortatio ſubdita per apoſtrophem ad pop. Iſraël.*

10. *Quid eſt.*] emphatica interrogatio; quaſi dicat, cogita quid cauſæ ſit, cur tam diu in terra aliena verſère, & intellige te propter peccata tua exultare. *Inueteraſti*, id eſt, diu, vſque ad ſenectutem in exilio verſatus es.

11. *Coinquinatus es.*] id eſt, factus es ſimilis mortuis, qui coinquinati eſſe putantur. Sicut dixit ver. 4. *Audi nunc orationem mortuorum Iſraël. Et deputatus es.* repetitio, & explicatio eſt eiuſdem ſententiæ. Solent Hebræi homines nimium afflictos mortuis comparare, vt Pſalm. 27. 1. *Nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum*, id eſt, mortuis deſcendentibus in foueam ſepulchri. & 87. 5. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber:* id eſt, cùm adhuc viuam; vel, liberatus ab hoc mundo, vt R. Salom. & alij Hebræi explicare ſolent: & Pſalm. 142. 7. *Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.*

12. *Dereliquiſti fontem ſapientiæ.*] id eſt, Deum. ſubiectio eſt: reſpondit enim interrogationi, qua verſu 10. vſus fuerat; Imitatur autem Ieremiam c. 2. 13. *Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Sapientiam enim vocat aquam viuam. Apud Deum enim eſt fons vitæ, Pſalm. 35. 10.

13. *Nam ſi in via Dei.*] Græci nunc aliter verba coniungunt. Nam in fine ſuperioris verſus ponunt hæc verba, τῇ ὁδῷ τοῦ θεοῦ, *Via Dei*; & initio huius verſus, εἰ ἐπορεύθης, *ſi ambulaſſes*; quod vix ſenſum habere poteſt. Itaque meliùs noſter interpres verba connexuit. *Habitaſſes vtique in pace ſuper terram.* Græc. ἐν εἰρήνῃ τὸν αἰῶνα, *In pace in æternum.* Atque veriſimile eſt noſtrum interpretem vertiſſe. In pace ſempiterna; vitio autem ſcriptorum poſitum eſſe: *ſuper terram.* Nam & Hugo Cardinalis adnotauit in nonnullis exemplaribus legi, ſempiterna. Porrò nomine pacis Hebræorum more omnium rerum copiam, omnémque fælicem ſtatum ſignificat, vt Pſalm. 36. 11. *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* & 121. 7. *fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis.*

14. *Diſce.*] tuo damno, quemadmodum ſi quis ægroto, qui propter intempe-

cantata grauiter morbo opprimeretur, diceret, Diſce vbi ſit temperantia, diſce vbi ſit ſobrietas; vt ſcias vbi ſit ſanitas. *Vbi ſit lumen oculorum.* Sæpe adnotauimus lumen oculorum res proſperas, ſicut tenebras res aduerſas ſignificare. lege quæ diximus, cap. 1. 12.

Vera ſapientia vbi ſit inuenitur.

15. *Quis inuenit.*] Docet veram ſapientiam nulla arte inueniri nulla potentia obtinere poſſe, niſi in Deo, quaſi in eius fonte quæratur, ab eóque poſtuletur. vt admonet Iacobus cap. 1. 5. *Si quis indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Simile quiddam apud Iob cap. 38. 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, vel quis dedit Gallo intelligentiam.* vel, vt Hebræi interpretantur, quis dedit intellectui intelligentiam. & cap. 28. 20. *Vnde ergo ſapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ.*

16. *Vbi ſunt principes?*] quaſi dicat, non poterunt eam ſua potentia conſequi, niſi à Deo petant: aut, quid prodeſt principibus, quòd non ſolũ hominibus, ſed etiam beſtiis dominentur, quòd auibus cœli ludant, &c. ſi ſapientia careant, nec eam conſequi poſſint; *Exterminati enim ſunt, & ad inferos deſcenderũt,* vt ait, v. 19.

Ludere quid ſignificet.

17. *Qui in auibus cœli ludunt.*] id eſt, qui adeo potentes ſunt, vt non ſolùm in beſtias terræ, vt paulò antè dixit; ſed etiam (quod difficilius eſt) in aues cœli pro ſuo arbitrio dominari videantur. Ludere eſt, ſine vlla difficultate, & quaſi ludendo aliquid facere. H. שחק. vt Prouerb. 8. 30. 31. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore. Ludens in orbe terrarum,* id eſt, orbem terrarum feci quaſi nihil agendo.

Argentum fabricari quid.

18. *Qui argentum fabricant.*] Græc. ὅτι οἱ τὸ ἀργύριον τεκταίνοντες, *quia argentum fabricantes.* Lectio noſtri interpretis magis mihi placet. Nam ſi, ὅτι. legamus, nominatiuus eſt ſine verbo, quamuis nõ ignorem Hebraïſmum eſſe poſſe. quaſi dicat, quamuis argentum fabricẽtur, &c. Argentum autem fabricari dicit, non ſolùm eos, qui argentum conflant: ſed etiam omnes, qui pecuniam quibuſuis modis, quibuſuis artibus corradunt; qui adeo ſubtiles rationes excogitãt inueniendæ pecuniæ, vt eam excudere videãtur. *Nec eſt inuentio operum illorum.* Aliqui interpretantur; ita vt non poſſint eorum opera animo comprehendi. Alij, & pereunt opera eorum, ita vt non inueniantur ampliùs, vt Pſalm. 75. 6. *Et nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus eorum.* Alij, *non eſt inuentio,* id eſt, nullus finis eſt *operum illorum,* acquirendæ pecuniæ, ac ſenſus quidem bene conuenit: ſed phraſis non eſt vſitata. Ego ex aliorum locorum obſeruatione, Nihil lucri percipiunt ex operibus ſuis. Nam εὕρεμα, aut, εὕρεσις, aut, ἐξεύρεσις, Inuentio, lucrum & emolumentum ſignificat: quia quod inuenimus, in lucro ponimus, vt Eccleſ. 20. 9. ἔστι εὕρεμα εἰς ἔλαττον, *eſt inuentio in detrimentum,* id eſt damnoſum lucrum, lucrum quod detrimentũ affert, c. 29. 4. πολλοὶ ὡς εὕρεμα ἐνόμισαν δάνειον. *Multi quaſi inuentionem* (id eſt, lucrum) *æſtimauerunt fœnus.* & ver. 7. καὶ λογιεῖται αὐτὸ ὡς εὕρεμα, *& computabit illud quaſi inuentionem,* id eſt, pro lucro habebit.

19. *Et alij.*] *Relinquent alienis diuitias ſuas: & ſepulchra eorum domus illorum in æternum.* Pſalm. 48. 11. 12.

20. *Iuuenes viderunt lumen.*] id eſt, nati ſunt, qui illis ſucceſſerunt; ſicut Latini dicunt, In lucem editi ſunt. Ita Iob. 3. 16. *Aut ſicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem.* & ver. 20. *Quare miſero data eſt lux, & vita iis, qui in amaritudine animæ ſunt?* & Iob 33. 28. *liberauit animam ſuam, ne pergeret in interitum: ſed viuens lucem videret.* Quaſi vno verbo diceret. Nati ſunt iuuenes ſtulti, qui illis ſuccederent, & omnes opes, quas collegerant, dilapidarent.

21. *A facie ipſorum longè facta eſt.*] longè eam repulerunt. Gr. *καὶ αὐτοὶ ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῶν πόῤῥω ἐξῳκήθησαν, ſi'ij eorum ab via ipſorum longè abſuerunt.* Alij melius legunt, *ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῆς, à via ipſius, longè abfuerunt.*

22. *In terra Chanaan.*] in terra promiſſionis, vbi Iudæi habitabant. *Neque viſa eſt in Theman*, id eſt; in Idumæa. Theman enim princeps Idumææ ciuitates eſt, vt conſtat ex Ierem. c. 49. 20. ſic appellata ex Theman filio Eliphaz filij Eſau. Geneſ. 36. 11. 15. Ponit autem principem ciuitatem pro tota regione, & duas regiones Chanaan, & Idumæam pro toto terrarum orbe, quaſi dicat, Sapientia Dei non eſt viſa, neque audita vnquam in terris; non quòd non eam aliqui habuerint; ſed quòd nō ex terra; ſed ex cœlo habuerint. *Deſurſum enim eſt, deſcēdens à Patre luminum.* Iacob 1. 17. Similis apud Iob ſententia, c. 28. 12. 13. 14. *Sapientia verò vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium eius: nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit, non eſt in me: & mare loquitur, non eſt mecum* & Prouerb. 2. 6. *Dominus dat ſapientiam. & ex ore eius prudentia, & ſcientia.* Propterea autem nominat Chanaan & Idumæam, potiùs quàm alias regiones, quia in Chanaan habitabant Iudæi filij Iacob: in Idumæa filij Eſaü, inter quas duas gentes ex Iſaac, & Abraham originem ducentes, credibile erat ſapientiam potiùs, quàm alibi reperiri. Quaſi tacitè à maiori ad minus argumentetur, In Chanaan & Idumæa non reperitur, igitur nuſquam in terris reperitur. Eademque ratione verſu ſequenti Agarenos ſeu Iſmaëlitas nominat, quia filij erant Abraham ex Agar ancilla, & ſapientiam mundanam maximè profitebantur.

23. *Filij quoque Agar.*] id eſt, Iſmaëlitæ, quos negotiatores fuiſſe conſtat, Geneſ. 37. 25. ſolent autem negotiatores humanæ ſapientiæ, quæ indolis, fraudibuſque conſiſtit, plurimùm habere. *Qui exquirunt prudentiam quæ de terra eſt.* Græc. *ἐκζητοῦντες τὴν σύνεσιν οἱ ἐπὶ τῆς γῆς Qui exquirunt prudentiam, qui ſuper terram.* Clariùs noſter interpres: aut ſic, qui ſuper terram prudentiam exquirunt. *Negotiatores terræ.* G. *οἱ ἔμποροι τῆς Μεῤῥὰν. negotiatores Moran.* Quod manifeſtum eſt nomen eſſe loci, ſicut quod ſequitur Theman. quod nomen cùm nuſquam aliâs, quod ſciam, in ſcripturis legatur, ſuſpicor eſſe Merom, quod apud Ioſue cap. 11. 5. 7. nomen quoque loci eſt, aut quem Hieron. in locis Hebraïcis Merrum appellat, vtcúmque fuiſſe dicit iuxta Dothain: quamquam minùs veriſimile eſt Baruch hoc loco obſcurum vicum nominaſſe. *Et fabulatores. οἱ μυθολόγοι.* fabularum interpretes, aut ſcriptores, qui morales fabulas ad informandam hominum vitam aut componebant; aut compoſitas explicabant, qualis Æſopus fuit, aut quiſquis eas fabulas ſcripſit. Nam ij non ſolùm ſapientes, ſed etiam Theologi habebantur. vnde genus illud Theologiæ apud veteres natum eſt, quod, vt Euſebius lib. 3. præpar. Euang. cap. 2. & 3. & Auguſt. lib. 6. de Ciuit. cap. 5. 6. 7. ſcribunt, *μυθικὸν.* fabuloſum appellabatur; in quo genere Fulgentius, nonnullique alij Chriſtiani laborarunt.

24. *O Iſraël.*] Poſtquam docuit ſapientiam nulla potentia, nullis artibus teneri poſſe, conuertit orationem ad Iſraël, vt per aliorum hominum comparationem oſtendat, quantum beneficium Dei ſit, quod illis potiùs, quàm aliis gentibus verò ſapientia per legem, & Prophetas patefacta ſit. *Quàm magna eſt domus Dei.* Aliqui domum Dei cœlum interpretantur: quod mihi non placet, quia verſu 26. dicitur, *Ibi fuerunt gigantes.* Alij templum; quod eadem ratione non probo; in templo enim non fuerunt gigantes: Et præterea, non diceret, non habere finem. Credo ergo domum Dei, & locum habitationis eius totam terram

Maximum beneficium veram ſapientiam cognoſcere.

Digitized by Google

terram appellari, quæ finem non videtur habere, quaſi dicat, cùm tota terra Dei ſit,& tam latè pateat, tàmque multi in ea eſſent homines potentes, ac nobiliſſimi gigantes,non alios Deus elegit,quàm Iudæos, vt illis ſapientiam impertiretur; qui cum aliis comparati adeo exiguæ ſtaturæ erant, vt non homines;ſed locuſtæ eſſe viderentur, Num.13.34.

27. *Non hos elegit Dominus.*] ſingularis commendatio Diuini beneficij. Ita Moyſes Deuteron. 4. 37. 38. *Dilexit patres tuos & elegit ſemen eorum poſt eos. Eduxítque te præcedens in virtute ſua magna ex Ægypto, vt deleret nationes maximas, & fortiores te in introitu tuo.* & cap. 7. 6. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus & elegit vos, cùm omnibus ſitis populis pauciores.* Hæc eſt conſuetudo Dei, non numerum, non vires, non ſtaturam ſed mores eligere, vt in electione Dauidis declarauit, 1.Reg.c.16.7.

Scriptura contradictio, quæ videtur explicatur. 29. *Quis aſcendit in cœlum?*]Sic difficultatem declarat diuinam ſapientiam obtinendi. Videtur autem Moyſes eiſdem verbis dicere contrarium Deuter. 30. 11. 12. 13. 14. *Mandatum hoc,quod ego præcipio tibi hodie,non ſupra te eſt, nec procul poſitum,nec in cœlo ſitum: vt poſſis dicere, quis noſtrùm valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos,vt audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum,vt cauſeris & dicas; quis è nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos vſque deferre,vt poſſimus audire & facere,quod præceptum eſt?ſed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo vt facias illum:* Cæterum hæ duæ ſententiæ non ſunt contrariæ. Eadem enim ſapientia, eadem lex & difficilis nobis eſt ſine gratia Dei, & facillima cum gratia; quæ quia ſemper parata eſt, facilis vbique lex dicitur, vt Matth. 11. 30. *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* & 1. Ioan. 5.3. *Et mandata eius grauia non ſunt.* Tantùm abeſt,vt ſint impoſſibilia, vt noui hæretici delirant.

30. *Et attulit.*] ϗ οἴσει αὐτὴν, *& afferet eam. Super aurum electum*, id eſt, potiùs quàm aurum electum. Græc. ϗ οἴσει αὐτὴν χρυσίου ἐκλεκτοῦ ad verbum, *& afferet eam auri electi* id eſt, ἀντὸ χρυσίου ἐκλεκτοῦ; *præ auro electo*, ſicut Hebr. מזהב quem Hebraïſmum expreſſit noſter interpres dicens, *ſuper aurum electum.* Poteſt etiam eſſe genitiuus pretij, quod apud Græcos eſt vſitatum, & in hunc locum valde congruit. Alludit enim ad mercatores, qui mare traiicientes merces ad nos magno pretio emptas apportant. quaſi dicat, quis transfretabit mare, & ſapientiam quaſi margaritam aliquam multo, pretioſóque auro emptam deferet? vt apud Iob cap.28.12.13. *Sapientia verò vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? neſcit homo pretium eius*, id eſt, non poteſt vllo pretio emi, & verſu 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea,nec appendetur argentum in commutatione eius.* & Prouerb.3.14. *melior eſt acquiſitio eius negotiatione auri & argenti, primi & puriſſimi fructus eius.*

31. *Neque qui exquiret ſemitas eius.*] Græc. οὐδὲ ὁ ἐνθυμούμενος τὴν τρίβον αὐτῆς, *neque qui animo comprehendat ſemitam eius.*

Cap. etiam 8. v.10. & 11. & Sap. 7. v. 9. 32. *Sed qui ſcit vniuerſa.*] Deſcriptio Dei eſt. poſtquam enim docuit homines non poſſe ſapientiam inuenire; docet ſolum Deum illam inuenire, & cui vult impertiri,vt Prouerb.2.6. *Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia, & ſcientia. Qui præparauit terram in æterno tempore.* Gr. εἰς αἰῶνα χρόνον, *in æternum tempus:* quaſi dicat, Qui *firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*, Pſal.92.1.

33. *Qui emittit lumen.*]id eſt, qui *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.* Matth. 6.45.

34. *In*

34. *In cuſtodiis ſuis.*] id eſt,in ſuis ſtationibus,locíſque à Deo diſignatis. Solet ſcriptura loqui de Deo tanquam de imperatore,de ſtellis tanquam de eius militibus,ideoque ſtellarum multitudinē paſſim militiam cœli appellat, Deuter. 17.3.& 4.Reg.17.16.& 21.3.5.& 23.4.5.& Iſai.24.21.& 34.4.& Ierem.19.13 Ideo dicit,*in Cuſtodiis ſuis*.quod militare verbum eſt. *Et lætata ſunt*, id eſt, ſplenduerunt , vel , promptæ & alacres fuerunt ad obediendum. ſicut ſtatim dicit, *Et luxerunt ei cum iucunditate.*

35. *Adſumus.*] Ita Iob de fulguribus, c.38. 35. *Numquid mittes fulgura , & ibunt,& reuerentia dicent tibi,adſumus?*

36. *Non æſtimabitur alius aduerſus eum.*]id eſt,nemo alius Deus iudicabitur, ſi cum Deo comparetur. Hebraïſmus נגדו.

37. *Hic adinuenit.*] Concluſio eſt ſuperioris deſcriptionis.

38. *In terris viſus eſt.*] Non eſt dubium , quin hic locus de Chriſto vero Deo intelligatur,quemadmodum omnes veteres auctores , quos in prooemio citauimus,interpretati ſunt.Oratio autem Græca ambigua eſt,ὤφθη, & συνανεςράφη: poteſt enim referri vel ad Deum,vel ad ſapientiam. Atque vterque ſenſus verus eſt:ſed meliùs noſter interpres retulit ad Deum,vt ſignificaret illum ipſum Deum,qui legem Iudæis dederat, cùm venit plenitudo temporum in terris viſum eſſe,natum ex muliere, factum ſub lege,ad Galat.4.4. Chriſtus enim erat, qui Iudæis per Moſem legem dabat,vt docet D.Paulus ad Gal. 3. 19. Si ad ſapientiam referatur,vt alij referunt,ſenſus erit Chriſtum Dei ſapientiam,& Dei iuſtitiam,vt vocat D.Paulus,in terris viſum eſſe, & cum hominibus conuerſatum , vt cùm olim Deus multifariam multíſque modis locutus nobis eſſet in Prophetis,nobis ad extremum per filium ſuum, id eſt , per ſuam ipſius ſapientiam loqueretur,vt ait D.Paul.ad Heb. 1.1.

Teſtimonium de Chriſto.

CAPVT IIII.

HIC liber mandatorum Dei , & lex quæ eſt in æternum : omnes qui tenent
eam peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. 2 *Con-*
uertere Iacob , & apprehende eam , ambula per viam ad ſplendorem eius
contra lumen eius. 3 *Ne tradas alteri gloriam , & dignitatem tuam genti alienæ.*
4. *Beati ſumus Iſraël : quia quæ Deo placent,manifeſta ſunt nobis.* 5 *Animæquior*
eſto populus Dei , memorabilis Iſraël : 6 *venundati eſtis Gentibus , non in perditio-*
nem : ſed propterea quod in ira Dei ad iracundiam prouocaſtis Dominum , traditi eſtis
aduerſariis. 7 *Exacerbaſtis enim eum qui fecit vos, Deum æternum immolantes dæ-*
moniis, & non Deo. 8 *Obliti enim eſtis eum qui nutriuit vos , & contriſtaſtis nutri-*
cem veſtram Ieruſalem. 9 *Vidit enim iracundiam à Deo venientem vobis, & dixit:*
Audite confines Sion , adduxit enim mihi Deus luctum magnum: 10 *vidi enim*
captiuitatem populi mei , filiorum meorum & filiarum , quam ſuperduxit illis æternus.
11 *Nutriui enim illos cum iucunditate : dimiſi autem illum cum fletu & luctu.*
12 *Nemo gaudeat ſuper me viduam & deſolatam : à multis derelicta ſum propter*
peccata filiorum meorum: quia declinauerunt à lege Dei. 13 *Iuſtitias autem ipſius*
neſcierunt , nec ambulauerunt per vias mandatorum Dei , neque per ſemitas veritatis
eius cum iuſtitia ingreſſi ſunt. 14 *Veniant confines Sion, & memorentur captiuitatem*
filiorum & filiarum mearum , quam ſuperduxit illis æternus. 15 *Adduxit enim ſuper*
illos gentem de longinquo : gentem improbam & alterius linguæ : 16 *qui non ſunt*

*reuerẽti ſenem, neque puerorum miſerti ſunt, & adduxerunt dilectos viduæ, & à filijs
vnicam deſolauerunt.* 17 *Ego autem quid poſſum adiuuare vos?* 18 *Qui e-
nim adduxit ſuper vos mala, ipſe vos eripiet de manibus inimicorum veſtrorum.*
19. *Ambulate filij; ambulate: ego enim derelicta ſum ſola.* 20 *Exui me ſtola
pacis, indui autem me ſacco obſecrationis, & clamabo ad Altiſſimum in diebus meis.*
21 *Animæquiores eſtote filij, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu princi-
pum inimicorum.* 22 *Ego enim ſperaui in æternum ſalutem veſtram: & venit mi-
hi gaudium à ſancto ſuper miſericordia, quæ veniet vobis ab æterno ſalutari noſtro.*
23 *Emiſi enim vos cum luctu & ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gau-
dio & iucunditate in ſempiternum.* 24. *Sicut enim viderunt vicinæ Sion captiuita-
tem veſtram à Deo: ſic videbunt & in celeritate ſalutem veſtram à Deo, quæ ſuper-
ueniet vobis cum honore magno, & ſplendore æterno.* 25 *Filij patienter ſuſtinete
iram quæ ſuperuenit vobis: perſecutus eſt enim te inimicus tuus, ſed citò videbitis per-
ditionem ipſius: & ſuper ceruices ipſius aſcendes.* 26 *Delicati mei ambulauerunt
vias aſperas: ducti ſunt enim vt grex direptus ab inimicis.* 27 *Animæquiores eſto-
te filij, & proclamate ad Dominum: erit enim memoria veſtra ab eo qui duxit vos.*
28 *Sicut enim fuit ſenſus veſter vt erraretis à Deo: decies tantum iterum conuerten-
tes requiretis eum.* 29 *Qui enim induxit vobis mala, ipſe rurſum adducet vobis
ſempiternam iucunditatem cum ſalute veſtra.* 30. *Animæquior eſto Ieruſalem: ex-
hortatur enim te qui te nominauit.* 31 *Nocentes peribunt, qui te vexarunt: & qui
gratulati ſunt in tua ruina, punientur.* 32 *Ciuitates quibus ſeruierunt filij tui,
punientur: & quæ accepit filios tuos.* 33 *Sicut enim gauiſa eſt in tua ruina, & læta-
ta eſt in caſu tuo: ſic contriſtabitur in ſua deſolatione.* 34 *Et amputabitur exul-
tatio multitudinis eius, & gaudimonium eius erit in luctum.* 35 *Ignis enim ſu-
perueniet ei ab æterno in longiturnis diebus, & habitabitur à dæmoniis in multitudi-
ne temporis.* 36 *Circonſpice Ieruſalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo
tibi venientem.* 17 *Ecce enim veniunt filij tui, quos dimiſiſti diſperſos: veniunt
collecti tibi ab Oriente vſque ad Occidentem, in verbo ſancti gaudentes in honore Dei.*

EXPLICAT quæ ſuperiori capite de ſapientia dixerat, exhortaturque populum ad obſeruandam legem Dei, & in ſpem erigit futuræ libertatis.

1. *Hic liber mandatorum Dei.*] id eſt, ſapientia, de qua ſuperiori capite locutus ſum, nihil aliud eſt, quàm *liber mandatorum Dei*: vt explicatur Deut. 4. 6. *Hæc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis; vt audientes vniuerſi præcepta hæc, dicant, En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Et lex quæ eſt in æternum*, id eſt, perducens homines ad æternam vitam, ſicut ſtatim dicit, *Omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam*: vel, quæ nullum finem habitura eſt, quæ ſemper vera & iuſta eſt; quæ veras non fallaces continet promiſſiones, hoc enim ſenſu lex dicitur æterna; non quòd mutanda non eſſet; ſed quòd *cælum & terra tranſibunt, verba autem* Dei *non præteribunt*. Matthæi 24. 35. & Pſalm. 118. 89. *In æternum Domine verbum tuum permanet.*

Lex inſtar lucernæ.

2. *Conuertere Iacob.*] ita omnes Iudæos vocat *Ambula per viam* id eſt, Incede recta via. *Ad ſplendorem eius*, id eſt, quam lex tibi ſuo lumine, & ſplendore demonſtrat. Hæc enim natura legis eſt, vt quaſi lucerna rectam nobis virtutis viã demõſtret, vt ait Dauid, Pſal. 118. 105 *lucerna pedibus meis verbũ tuũ, & lumen ſemitis meis*. & Salomon Prou. 6. 23 *mandatum lucerna eſt, & lex lux. Contra lumen eius*, id eſt, è regione luminis eius, ſicut cùm præcedentem tædam ſequimur.

3. *Gloriam tuam.*] Gloriam & dignitatem Iudæorum legem vocat, qua fiebat, vt

Dei

Dei populus dicerentur, & apud omnes nationes, ſapientes, & magni habebantur, Deut. 4. 6. quaſi dicat, *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, vt ait Ioan. Apoc. 3. 11. Atque hoc eſt, quod illis poſtea re vera accidit, vt quia non bene vineam Domini colebant, auferretur ab eis, & daretur aliis agricolis, id eſt, Gentibus, Matt. 21. 41.

4. *Quia quæ Deo placent.*] Declarat, quæ ſit illa gloria, quam dixerat, quòd ſcilicet, præ omnibus gentibus Dei voluntatem per legem cognoſcerent. *Non enim fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis*, Pſalm. 147. 9. & ad Rom. 3. 1. *quid ergo ampliùs Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primùm, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* & Deuter. 4. 8. *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtáque iudicia, & vniuerſam legem quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?*

5. *Memorabilis Iſraël.*] Græ. μνημόσυνον Ἰσραήλ, *monimentum Iſraelis* quod noſter interpres memoriale vocare ſolet. Ita appellat populum, quòd ad exiguum numerũ redactus eſſet; & qui ſuperſtites erãt, quaſi reliquiæ à Deo fuiſſent conſeruati, ne populi memoria penitus aboleretur, vt ait Iſai. c. 1. 9. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemẽ, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.*

6. *Venundati eſtis Gentibus.*] Chaldæis, vel, à Chaldæis, qui eos ceperant, omnibus gentibus, quæ eos emere volebant. *Non in perditionem*, id eſt, non vt vos penitus, memoriamque veſtram aboleret; ſed vt propter peccata veſtra, quibus eius iram prouocaſtis, caſtigaret. Reddit rationem, cur vocauerit populum memorabilem Iſraël. Ita Deus promiſerat per Ierem. cap. 4. 27. *Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam.* & cap. 5. 10. *Aſcendite muros eius, & diſſipate: conſummationem autem nolite facere.*

7. *Exacerbaſtis enim eum, qui fecit vos.*] Deut. 32. 15. 16. 17. 18. *Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum in Diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Immolauerunt dæmoniis & non Deo: diis quos ignorabant: Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

8. *Qui nutriuit vos.*] Græ. τὸν τροφέα ὑμῶν θεὸν αἰώνιον, *Deum æternum, qui vos genuit.* Sicut Moſes dixit, *Deum, qui te genuit, dereliquiſti*: quaſi dicat, obliti eſtis patrem veſtrum. τροφεὺς enim patrem ſignificat, vt apud Græcum poëtam, ἡ μοῖρα τὸν τροφέα μου καθεῖλε. *fatum patrem meum abſtulit.* Hoc eſt quod Deus queritur Sophocles.
apud Iſaiam, cap. 1. 2. *filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.* Et apud Oſee 11. 3. *Et ego quaſi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis: & neſcierunt, quòd curarem eos. Nutricem veſtram Ieruſalem.* Non vocat Ieruſalem vrbem, quam triſtitia afficere non poterant; neque ciuitatem, quæ ipſa peccauerat; Sed Eccleſiam, quæ eos ſpiritu genuerat, & diuinæ legis lacte nutriuerat. Vocat enim Deum patrem, Eccleſiam matrem: & tamen loquitur de ſynagoga; & nunc nos noui hæretici rident, quòd Eccleſiam Catholicam matrem noſtram appellemus. Nos verò Eccleſiam Catholicam, non eorum ſynagogam matrem noſtram appellabimus; *non* enim *ſumus ancillæ filij, ſed liberæ*, ad Gal. 4. 31.

9. *Vidit.*] Ieruſalem, id eſt, Eccleſia mater veſtra iram Dei aduenientem, vidit autem per Prophetas, qui veluti oculi ſunt Eccleſiæ, quibus res præſentes, præteritas, & futuras videt. *Et dixit. Audite confines.* αἱ πάροικοι Σιών, *finitimæ Sionis.* Intelligitur, πόλεις, *ciuitates.* quaſi dicat, cùm vidiſſet futuram captiuitatem impendere, monuit vos, luxítque orbitatem ſuam, & non reſipuiſtis.

11. *Dimiſi.*] in captiuitatem, id eſt, amiſi. quaſi dicat, extrema gaudij mei luctus occupauit, vt ait Salomon. Prou. c. 14. 13. Auget autem plurimum do-

lorem, inſtantis mali præteritorum bonorum recordatio; ſicut inſtantis boni iucunditatem præteritorum malorum memoria.

Æneid. apud Virgil. 1. Æneid.

——— *Hæc* (inquit quidam) *olim meminiſſe iuuabit.*

propterea mentionem facit iucunditatis, qua eos enutriuerat.

12. *Nemo gaudeat ſuper me.*] id eſt, nemo mihi inſultet, *μηδεὶς ἐπιχαιρέτω μοι.* Eccleſia dum maximè affligitur, monet hæreticos, aut infirmos in fide, ne propterea ſibi inſultent; exiſtimantes eam propterea vexari, quòd non ſit vera Eccleſia; neque Deum rectorem & patronum habeat. Et ne dicant, *non eſt ſalus ipſi in Deo eius*, vt afflicto Dauidi dicebatur, Pſalm. 3. 3. aut, *Vbi eſt Deus eorum?* Pſalm. 41. 11. & 78. 10. & 113. 10. Non enim propterea vexari, quòd Deum parentem & tutorem non habeat; ſed quòd eum offenderit, ad tempus puniri. *Viduam & deſolatam.* Viduam vocat; quaſi à Deo, tanquam à marito ſuo derelictam, aut, tanquam filiis viduatam, vt Thren. 1. 1. *facta eſt quaſi vidua domina Gentium.*

14. *Et memorentur.*] id eſt, lugendo mecum commemorent captiuitatem filiorum meorum. Solent enim qui lugent, mala, quæ ſibi acciderunt, commemorare; vel, commemorent, id eſt, lugubri carmine ad ſempiternam poſteritatis memoriam tranſferant.

15. *Super illos.*] Contra eos. ἐπ' αὐτούς. Hebraïſmus, עליהם. *De longinquo.* Ex Chaldæa. *Gentem improbam.* ἀναιδῆ, *impudentem*, id eſt, crudelem, quæ nullam ætatem, nullam dignitatem vereretur, vt declarat ſtatim verſu ſequenti. *Et alterius lingua*, id eſt, barbaram, ἀλλόγλωσσον: ponitur hoc in miſeriis, vt Pſalm. 80. 6. *linguam, quam non nouerat, audiuit.* Alludit ad illud, quod in Deuteronomio cap. 28. 49. ſcriptum eſt, *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non poſſis.* & Ierem. 5. 15. *Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſraël, ait Dominus: gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.*

16. *Qui non ſunt veriti ſenem.*] Ita Deuter. 28. 50. *Gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, & non miſereatur paruuli.* & Thren. 4. 16. *facies ſacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.* & cap. 5. 12. *Principes manu ſuſpenſi ſunt: facies ſenum non erubuerunt. Dilectos viduæ*, id eſt, filios meos, quæ vidua ſum; vel, viduam me relinquentes. *Et à filiis.* Græ. καὶ ἀπὸ τῶν θυγατέρων, *& à filiabus.* τὴν μόνην ἠρήμωσαν, *vnam deſolauerunt*, id eſt, deſertam ac ſolam me reliquerunt.

16. *Ambulate filij.*] id eſt, ite in captiuitatem, & ego ſola relinquar. Conceſſio eſt; qualis illa apud Poëtam,

Virgil. 4. Æneid.

I ſequere Italiam ventis.

aut verò, *Ambulate*, id eſt, redite ad me ex captiuitate; *ego enim derelicta ſum ſola*, id eſt, ſine filiis.

20. *Exui me ſtola pacis.*] id eſt, abieci pretioſam, & iucundam veſtem, qua in rebus proſperis vtebar; induíque cilicium, qui orantis habitus eſt, vt clamem ad Deum omnibus diebus vitæ meæ, vt vos ab exilio reducat. Loquitur ad modum fœminæ, quæ ſeptuaginta tantùm annos victura eſſet; quo tempore captiuitas erat duratura, Ierem. 25. 11. 12. & 29. 10. & Daniel 9. 2.

21. *Clamate ad Dominum.*] Exhortatur etiam Iudæos, vt ipſi pro ſe orent. Orat enim pro nobis Eccleſia, & nos ad orandum hortatur.

22. *Ego enim ſperaui in æternum.*] ἐπὶ τῷ αἰωνίῳ, *in æterno*, id eſt, in Deo. Sic enim Deum appellare ſolet, vt ſuprà ver. 10. & 14. & in fine huius verſus. quaſi dicat,

ſpem

ſpem habeo futuræ ſalutis veſtræ non ob merita mea; ſed Dei miſericordiam atque clementiam. *Et venit mihi gaudium à ſancto*, id eſt, à Deo. Sæpe adnotauimus nomen Sanctus, & nomen Iuſtus, abſolute poſitum pro Deo accipi ſolere, vt Iob. 6. 10. *Nec contradicam ſermonibus Sancti*, id eſt, Dei. Senſus ergo eſt, Cùm ego à Deo ſalutem veſtram expectarem, magna me lætitia recreauit, ſignificans mihi per Prophetas fore, vt noſtri miſereretur breui poſt tempore, ἐν τάχει *breui*, quod noſter interpres, aut, quod malo credere, aliquis ſcriptor prætermiſit. *Ab æterno*, παρὰ τοῦ αἰωνίου σωτῆρος ἡμῶν, *ab æterno ſaluatore noſtro*, id eſt, à Deo, vt paulò antè dixit, *Venit mihi gaudium à Sancto*.

23. *Emiſi enim vos.*] in captiuitatem. antitheſis eſt oppoſita ſuperiori ver. 11. *Nutriui enim illos cum iucunditate, dimiſi autem illos cum fletu, & luctu.* Tunc gaudium luctus; nunc luctum gaudium conſecutum eſt, vt Pſalm. 125. 6. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Ita Deus promiſerat per Ierem. cap. 31. 13. *Et conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, & lætificabo à dolore ſuo.* & per Iſai. cap. 57. 18. *Sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius.*

24. *Captiuitatem veſtram à Deo.*] id eſt, in quam Deus vos duxit. Græ. hic non eſt *à Deo*: ſed paulò pòſt, οὕτως ὄψονται ἐν τάχει τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ ὑμῶν σωτηρίαν, *Ita videbunt breui veſtram à Deo ſalutem*, id eſt, quam vobis Deus afferet; vt quemadmodum antè magno dolore, ignominiáque affecti eſtis, quòd viderent vicinæ gentes vos duci captiuos; ita nunc magna lætitia, honoréque afficiamini, quòd vos reduci videant. παροίκους Σιών, vicinas Sionis (ciuitates) vocat non ciuitates Iudææ; ſed vicinas aliarum gentium ciuitates, vt Moabitarum; quæ Iudæos, cùm captiui ducerentur, irridebant, vt ſcribit Ierem. cap. 48. 27. *Et ſplendore æterno*, id eſt, qui numquam à vobis auferetur: non quòd non eſſet auferendus, vt nunc re ipſa videmus: ſed quòd longo tempore duraturus erat. appellant autem Hebræi æternum aliquando, quod longo tempore duraturum eſt.

Æternum quod lõgo duraturum eſt tempore dicũt plerumq; Hebrai.

25. *Quæ ſuperueniet vobis.*] Græ. τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ ἐπελθοῦσαν ὑμῖν ὀργὴν. *iram, quæ vobis à Deo ſuperuentura eſt. Et ſuper ceruices ipſius aſcendes*, id eſt, conculcabis illum, dominaberis in illum, ſubiicies, & ſubiugabis tibi illum, qui te tibi priùs ſubiugauerat. ita apud Iſai. cap. 60. 14. *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Id non eſt factum vſque ad tempus Chriſti, quo tempore omnes gentes Eccleſiæ ſubiectæ ſunt: quare eò vſque tendenda eſt prophetia.

26. *Delicati mei.*] id eſt, filij delicatè nutriti. Propterea vocat delicatos, vt ex eorum qualitate, & viarum aſperitate laborem exaggeret, quo in captiuitatem ducti ſunt. Intelligitur altera pars antitheſis, ſicut in præcedentibus: inimicus duxit delicatos meos per vias aſperas; Deus autem reducet eos per vias planas. Hoc enim eſt, quod Deus per Iſaiam promittit cap. 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas*; de reductione enim populi loquebatur. & cap. 42. 16. *Et ducam cæcos, in viam, quam neſciunt: & in ſemitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta.* & cap. 49. 11. *Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur.*

27. *Memoria veſtra.*] veſtri, paſſiuè, id eſt, recordabitur veſtri Deus, qui vos in captiuitatem dixit, vt aliquando reducat. Cùm enim iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur, Habacuch 3. 2. quaſi dicat, qui percuſſit vos, ipſe ſanabit, Deuter. 32. 39.

28. *Sicut enim fuit ſenſus veſter.*] id eſt, decuplo maiore ſtudio atque conatu quærite Deum, conuertentes vos ad illum, quàm antè ab eo diſceſſeratis. Dictio cauſalis, *Enim*, hunc habet vſum hoc in loco, vt ſi diceret Propheta, Non enim debent vos præterita peccata in deſperationem inducere; ſed potiùs incitare, vt maiore ſtudio pœnitentiam agatis. Hunc enim fructum ex peccatis percipere debemus, vt fortiores reſurgamus. *requiretis.* Græ. requirite.

30. *Animæquior eſto.*] Verba ſunt Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ, ad Ieruſalem, id eſt, ad ciuitatem Ieroſolymitanam, vt ego quidem interpretor. Alij putant verba eſſe Dei, alij Prophetæ. *Exhortatur enim te.* παρακαλέσει σε, *conſolabitur te. Qui te nominauit*, id eſt, ille, cuius nomen geris; qui te de ſuo nomine vocauit Ciuitatem Dei. Vocabatur enim Ieruſalem, *Ciuitas Sancti*, id eſt Dei, Iſai. 52. 1. *Et ciuitas Domini*, Iſai. 60. 14.

31. *Nocentes peribunt.*] Græ. δείλαιοι οἱ σὲ κακώσαντες, *Miſeri* (ſub. erunt) *qui te vexauerunt.* Hanc vnam ſententiam tractat Ierem. à cap. 45. vſque ad 51. & Iſai. cap. 13. & cap. 15. & 17. & 18. & 19. & 21. & 22. & 23. & 33. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cùm conſummaueris deprædationem, prædaberis, & cùm fatigatus deſieris contemnere, contemnêris.*

32. *Ciuitates.*] Græ. δείλαιαι αἱ πόλεις, *Miſeræ* (ſub. erunt) *ciuitates, quibus ſeruierunt filij tui. Et quæ accepit.* Græ. δειλαία ἡ δεξαμένη τοὺς υἱούς σου. *Miſera, quæ filios tuos cepit*, id eſt Babylon, quæ ciues tuos captiuos duxit.

Babylonis lætitia in luctũ conuerſa.

33. *Sicut enim gauiſa eſt.*] Similis prophetia apud Ierem. cap. 50. 10. *Et erit Chaldæa in prædam: omnes vaſtantes eam, replebuntur, ait Dominus. Quoniam exultatis & magna loquimini diripientes hæreditatem meam.* & ver. 29. *Reddite illi ſecundum opus ſuum, iuxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta eſt, aduerſum ſanctum Iſraël.* & cap. 51. 49. *Quomodo fecit Babylon vt caderent occiſi in Iſraël: ſic de Babylone cadent occiſi in vniuerſa terra.* Huc alluſit Ioannes in Apocalypſi de ſpiritali Babylone loquens, cap. 18. 6. 7. 8. *Reddite illi; ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundum opera eius. In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum; quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quæ alluſio non parum huius libri auctoritatem confirmare poteſt.

34. *Et amputabitur.*] Græ. & ἀφελῶ αὐτῆς τὸ ἀγαλλίαμα τῆς πολυοχλίας, & amputabo, id eſt, auferam exultationem frequentis multitudinis eius, id eſt, qua eius populus exultat; vel, qua ipſa exultat ob frequentiam, & multitudinem populi, quo abundat. *Et gaudimonium.* καὶ τὸ γαυρίαμα, & ſuperbia, iactantia, & ſeſe inſolenter efferens eius lætitia in luctum conuertetur. Antitheſis eſt inter Babylonios, & Iudæos; nam de Iudæis dixit ver. 23. fore vt luctum lætitia conſequeretur; de Babylonijs dicit nunc fore vt extrema gaudij luctus occupet, vt ait Salomon Prouerb. cap. 14. 13.

35. *Superueniet ab æterno.*] id eſt, à Deo. παρὰ τοῦ αἰωνίου, vt ſuprà ver. 22. & capite præcedente ver. 10. 14. hoc eſt, Mittet Deus in Babylonem ignem quo comburatur εἰς ἡμέρας μακράς, *in longum tempus*, id eſt, ita vt longo tempore reſtaurari
Gen. 19. 24. non poſſit; quemadmodum Babylonij Ieruſalem igne cremauerant, Ierem. 39. 8. & 52. 13. & 4. Reg. 25. 9. Eodem modo Iſaias vaticinatur c. 13, 19. vnde hic locus ſumptus videtur, *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham*, id eſt, incendetur. Simile quiddam prædicit de Edom c. 34. 9. *Et cõuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in picem ardentem. Et habitabitur à Dæmoniis,*

id eſt,

id eſt, à Satyris, aut Faunis ſylueſtribus, qui non ſolent niſi in locis maximè ſolis, ac deſertis habitare. ita ſignificat Babylonem fore maximè deſertam. Quæ Septuaginta & noſter interpres dicunt dæmonia, putant quidam eſſe apud Hebræos אים. quod ego non probo. Nam איים. Sept. aliquando vertunt, *ὀνοκενταύρους, onocentauros*, vt Iſai. c. 13. 22. & c. 34. 14. Noſter interpres aliquando vlulas, vt Iſai. 13. 22. aliquando ſicut Sept. onocentauros, vt Iſai. c. 34. 14. Dæmonia autem haud ſcio vſpiam, vel Sept. vel noſtrum interpretem vertiſſe. Quare potiùs credo Baruch Hebraïcè dixiſſe ציים. quod quamuis eiuſdem ferè ſignificationis ſit, atque איים. (vtrumque enim beſtias ſylueſtres & in locis aridis habitantes ſignificat) tamen Sept. ſolent vertere *δαιμόνια*, vt Iſai. 34. 14. aut (quod idem ferè eſt) *ἰνδάλματα, phantaſmata*, vt Ierem. 50. 39. Noſter interpres aliquando dæmonia, vt Iſai. 34. 14. aliquando Faunos, (vt ego legendum eſſe arbitror) Ierem. cap. 50. ver. 39. aliquando Septuaginta *θηρία*, noſter interpres, beſtias, vt Iſai. cap. 13. v. 21. Quærunt aliqui, quando hæc prophetia perfecta fuerit. Nam Babylonem quidem à Medis captam, & habitatam legimus, Dan. 5. 31. incenſam autem, & deſertam non legimus. Ego ſimpliciter reſpondeo, credendum eſſe multas domos, non totam vrbem incenſam à Medis fuiſſe, cùm caperetur; Sicut non fuit incenſa tota Ieruſalem, ſed templum, & regia, & palatia, 4. Reg. 25. 9. & Ierem. 39. 8. & 52. 13. Quanquam abſolutè Prophetæ prædixerant, fore vt igne vrbs incenderetur, Ierem. 17. 27. & 21. 10. & 32. 29. & 34. 2. 22. & 37. 7. 9. & 38. 18. 23. Quod autem dicit Satyros ibi habitaturos, hyperbole eſt, quales nonnullæ apud Prophetas reperiuntur. Non enim neceſſe eſt, vt vera ſit prophetia, vt ibi Satyri habitauerint, neque vt ab habitatoribus deſerta fuerit, ſed vt deſerta fuerit à Chaldæis, quamuis à Medis habitata; hoc enim agebatur.

Quo tempore hæc perfecta prophetia.

Hyperbole Prophetis vſitata.

36. *Orientem.*] Non erat Babylon Ieroſolymis orientalis; ſed ſeptentrionalis, vt ex multis locis Ieremiæ perſpicuum eſt. Itaque videtur mihi ponere certum locum pro incerto, & vnum pro omnibus. quaſi dicat, Conuerte oculos in omnes partes orbis terrarum, vbicumque exulant filij tui; vndique enim ad te redibunt, quamuis ab oriente Sole, vſque ad occidentem venturi eſſent, vt apud Iſai. cap. 49. 12. *Ecce iſti de longe venient, & ecce illi de Aquilone, & mari, & iſti de terra auſtrali.* Similis locus infrà cap. ſequenti ver. 5. Meam ſententiam confirmat verbum *περίβλεψαι, circunſpice.*

37. *Diſperſos.*] Hoc verbum non eſt Græcè; ſed neceſſariò intelligendum eſt ad complendam antitheſin, vt ſit ſenſus; qui nō ſimul, ſed diuerſis temporibus in captiuitatem ducti ſunt: primùm enim decem tribus, 4. Reg. 18. 9. 10. Dein Iechonias cum principibus Ieruſalem, 4. Reg. 24. 12. Poſtremò omnes ſimul Iudæi, exceptis agricolis, 4. Reg. 25. 11. Qui ergo non ſimul abierunt, ſimul redierunt, vt conſtat lib. 1. Eſdræ, cap. 2. *In verbo ſancti.* Gr. *τῷ ῥήματι τοῦ ἁγίου, in verbo ſancti*, id eſt, Dei. Sanctus enim abſolutè dicitur Deus, vt ſupra ver. 22. & Iob. 6. 10. *Nec contradicam ſermonibus Sancti*, id eſt, Dei. quaſi dicat, ſecundum verbum Dei: quemadmodum Deus per Prophetas promiſit, vt per Iſaiam cap. 49. 12. & per Ierem. cap. 30. & 31. Aut, *in verbo Sancti*, id eſt, Dei præcepto; quia Deus præcepit, & inſpirauit Cyro, vt Iudæos remitteret in patriam; Iſai. 45. 1.

CAPVT.

CAPVT V.

EXVE te Ieruſalem ſtola luctus & vexationis tuæ : & indue te decôre & hono-
re quæ à Deo tibi eſt ſempiterna gloria. 2 *Circundato te diploide à Deo*
iuſtitia : & impone mitram capiti tuo honoris æterni. 3 *Deus enim oſten-*
det ſplendorem ſuum in te , qui ſub cœlo eſt. 4 *Nominabitur enim tibi nomen tuum*
à Deo in ſempiternum , Pax iuſtitiæ & honor pietatis. 5 *Exurge Ieruſalem , &*
ſta in excelſo : & circunſpice ad Orientem , & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole
vſque ad Occidentem , in verbo ſancti gaudentes Dei memoria. 6 *Exierunt enim*
abs te pedibus ducti ab inimicis : adducet autem illos Dominus ad te portatos in ho-
norem ſicut filios regni. 7 *Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excel-*
ſum , & rupes perennes , & conualles replere in æqualitatem terræ : vt ambulet Iſraël
diligenter in honorem Dei. 8 *Obumbrauerunt autem & ſylua , & omne lignum*
ſuauitatis Iſraël mandato Dei. 9 *Adducet enim Deus Iſraël cum iucunditate in*
lumine maieſtatis ſuæ cum miſericordia & iuſtitia quæ eſt ex ipſo.

CONTINVATVR ſuperior exhortatio.

1. *Exue te ſtola luctus.*] Habitus mutatione conditionis mutationem declarat. Stolam luctus καταχρηστικῶς dixit, pro, veſte. Non enim quamlibet veſtem ſignificat: ſed talarem, eámque muliebrem, pretioſam potiùs quàm lugubrem. Magis propriè dixit capite ſuperiore ver. 20. *Exui me ſtola pacis: indui autem me ſacco obſecrationis.* Hîc contrarium dicere voluit. Exue te ſacco lugubri, & indue te ſtola pacis. *Indue te decore*, id eſt, amplectere decorem. καὶ ἔνδυσαι τὴν εὐπρέπειαν τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δόξης εἰς τὸν αἰῶνα, *In decorem eius gloriæ, quæ tibi à Deo* (ſub. veniet) *in æternum.* Noſtrum interpretem credibile eſt vertiſſe, quæ à Deo tibi eſt ſempiternæ gloriæ, conuenienter Græcæ lectioni. Induere decorem Hebraïſmus eſt. לבש הדר. id eſt, arctè amplecti, tenereque vt Pſal. 92. 1. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt : indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* & Pſal. 103. 1. *Confeſſionem & decorem induiſti.* phraſis inde ducta, quòd veſtis nobis arctè hærere ſoleat, vt declaratur Pſal. 108. 18. *Induit maledictionem ſicut veſtimentum.* Similis ſententia apud Iſaiam cap. 52. 1. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ, Ieruſalem, ciuitas ſancti.* & Iſai. cap. 61. 3. *Vt ponerem lugentibus Sion* (miſit me Deus) *vt darem eis coronam pro cinere; oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.*

2. *Circundato te.*] Gr. περιβαλοῦ τὴν διπλοΐδα τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δικαιοσύνης, *Indue diploïdem iuſtitiæ, quæ à Deo eſt*, id eſt, amplectere iuſtitiam, quam tibi Deus mittet, tanquam diploïdem. Hebraïſmum verſu præcedenti declarauimus. Iuſtitia autem hoc loco miſericordiam ſignificat, quę ideo iuſtitia vocatur, quòd eam Deus, ſicut promiſerat, ita præſtet. Iuſtus enim dicitur, quia facit quod promittit, vt Pſal. 70. 2. *In iuſtitia tua libera me, & eripe me.* & Iſai. 61. 10. *Induit me veſtimentis ſalutis: & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Et impone mitram* Mitra mulieris capitis ornamentum eſt, ſicut ſtola veſtis muliebris, loquitur enim de Eccleſia tanquam de fœmina.

Iuſtitia pro miſericordia.

3. *Qui ſub cœlo eſt.*] Gr. ὁ γὰρ θεὸς δείξει, τῇ ὑπ' οὐρανὸν πάσῃ τὴν σὴν λαμπρότητα, *Deus enim oſtendet omni, quæ ſub cœlo eſt* (γῇ. terræ) *ſplendorem tuum*, id eſt, efficiet, vt toto orbe terrarum clariſſima ſis, vt explicatur duobus verſibus ſequẽtibus.

Idem alijs verbis prædicit Iſai. cap. 60. 1. 2. 3. *Surge, illuminare Ieruſalem, quid venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.*

4. *Nominabitur enim tibi nomen.*] Hebraiſmus eſt, ויקרא לך. & imponetur tibi nomen à Deo, aut mutabitur nomen tuum, vocaberiſque, *Pars iuſtitiæ, & honor pietatis*, id eſt, ciuitas, in qua abundat pax & iuſtitia, & miſericordia nata & gloria ex pietate proueniẽs. Solet Scriptura nominum mutatione, mutationem ſtatus ſignificare, vt in Abraham, Geneſ. 17. 5. in Iacob, Gen. 32. 28. in Petro, Ioan. 1. 42. factum videmus. Id ipſum in Ieruſalem, id eſt, in Eccleſia faciendum eſſe, non ſolùm hoc loco Baruch, ſed etiam Iſai. cap. 62. 2. vaticinatur, *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Simile quiddam apud Ezechiel. cap. 48. 35. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Porro illud quod ſæpe aliàs adnotauimus, in memoriam reuocandum eſt, Vocari apud Hebræos idem ſignificare, quod Eſſe. Numquam enim Ieruſalem, aut Eccleſia, quæ per eam ſignificatur hoc nomine appellata eſt, *Pax iuſtitiæ*; aut, Dominus ibidem: ſed quia reuera talis fuit, dicit Propheta ita eſſe nomen eius vocandum: ſicut Iſa. 7. 14. dicitur Chriſtus vocandus *Emmanuel*, id eſt, *Nobiſcum Deus*, Matt. 1. 23. non quòd ita vocandus eſſet; ſed quòd reuerà Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus futurus eſſet, & Ierem. 23. 6. fore vt vocetur, *Dominus iuſtus noſter*, id eſt, vt ſit Deus iuſtus noſter.

Nominum mutatione ſtatus mutationem ſignificare frequens eſt in Scriptura.

Vocari Hebræis idem quod Eſſe.

5. *Exurge.*] Hic locus ſuprà explicatus eſt cap. ſuperiori ver. 36. 37. Niſi quòd illic dixit, χαίροντες τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ. *Gaudentes Dei gloria*; hic autem, χαίροντας τῇ τοῦ θεοῦ μνήμῃ *Gaudentes Dei memoria*, id eſt, magnam lætitiam percipientes, ex recordatione diuini beneficij, quo à captiuitate liberabuntur.

6. *Portatos in honorem.*] Gr. αἰρομένους μετὰ δόξης, *ſublatos cum gloria*, id eſt, equis, & curribus honorificè vectos. *Sicut filios regni*, id eſt, ſicut reges, aut ſicut filios regum regni ſucceſſores, vt apud Iſai. cap. 66. 20. *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum Ieruſalem.* & c. 49. 22. *Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Neque verò putandum eſt prophetiam impletam non eſſe, ſi vel non omnes Iudæi pedites in captiuitatem abierint: vel nulli in curribus, & carrucis, aut humeris geſtati redierint: tantùm enim ſignificat, miſerabiliter abiiſſe, honorificè autem redituros, vt Pſalm. 125. 6. *Euntes ibant, & flebant; venientes autem venient cum exultatione.*

7. *Conſtituit enim Dominus humiliare omnem montem.*] Hoc verſu nihil aliud ſignificat, quàm fore vt Deus omnia impedimenta remoueat, facilémque Iudæis reditum præbeat: non quòd re ipſa montes complanaturus, vallis verò aggeraturus eſſet: ſicut Dauid dicit, cùm Deus populum ſuum educeret ex Ægypto, montes exultauiſſe ſicut arietes, & colles ſicut agnos ouium, Pſal. 113. 4. id eſt, omnia promptè atque libenter ad facilitatem itineris Deo paruiſſe. Similis apud Iſaiam prophetia eſt cap. 40. 3. 4. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Vt ambulet Iſraël diligenter*, id eſt, celeriter, ſine vllo impedimento. Gr. ἀσφαλῶς, tutò, ſine periculo. *In honorem Dei.* τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ, *ad gloriam Dei*, id eſt, vt ex ea re Dei gloria demonſtretur, vt Pſalm. 113. 1. 2. *In exitu Iſraël de Ægypto, domus*

Digitized by Google

Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius, id eſt, ex liberatione Iudææ, & Iſraëlis ſanctitas, & potentia Dei apparuit.

8. *Obumbrauerunt.*] præteritum pro futuro Hebraico, propheticóque more, id eſt, non ſolum ſyluæ non erunt illis redeuntibus impedimento, ſed potiùs erunt adiumento, ſua enim vmbra eos tegent, & ab æſtu defendent; ſicut in exitu ab Ægypto columna nubis vmbram populo præbebat, Exod. 13. 21. In quibuſdam codicibus legitur ἐσκίρτησαν, *exultauerunt*, atque ita nonnulli interpretantur, vt alludat ad illud Pſal. 113. 4. *Montes exultauerunt ſicut arietes.* Noſter interpres legit ἐσκίασαν, *obumbrauerunt*, ſicut alij codices habent: quod mihi multò magis placet; & quia de montibus iam dixerat, & quia ſtatim ſequitur, *Omne lignum ſuauitatis.* εὐωδίας, *ſuaue olens*: quod epithetum ad obumbrandum accommodatum eſt, ad exultandum non item; & quia manifeſtum eſt ad columnam nubis, vt diximus alludere voluiſſe.

9. *Adducet enim Dominus Iſraël.*]. Senſus noſtræ verſionis facilis eſt, vt cap. ſuperiori ver. 23. *Emiſi enim vos cum luctu & ploratu; reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio, & iucunditate in ſempiternum*, Tamen Græcè aliter legitur, ἡγήσεται γὰρ ὁ θεὸς Ἰσραήλ. *adducet enim Deus Iſraël.* Senſus idem eſt. τῷ φωτὶ τῆς δόξης αὐτοῦ. *lumine gloriæ ſuæ*; ſicut antè alluſit ad columnam nubis, ita nunc alludere videtur ad columnam ignis, quæ per noctem Iudæos ex Ægypto redeuntes præcedebat, Exod. 13. 21. lumen autem gloriæ vocat, non naturale; ſed diuina virtute factum, vt ex eo Dei gloria, & maieſtas declaretur eadem phraſi, qua dixit ver. 7. ἵνα βαδίσῃ Ἰσραὴλ ἀσφαλῶς τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ, *vt Iſraël ambulet tutò in gloria Dei, Et iuſtitia quæ eſt ex ipſo.* Iuſtitiam vocat miſericordiam, & beneficentiam Dei eius promiſſis reſpondentem, vt ſuprà ver. 2.

CAPVT VI.

EXEMPLAR epiſtolæ, quam miſit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam, à rege Babyloniorum, vt annuntiaret illis ſecundum quod præceptum eſt illi à Deo.

PROPTER peccata quæ peccaſtis ante Deum, abducemini in Babyloniam
captiui à Nabuchodonoſor rege Babyloniorum. 2 *Ingreſſi itaque in Baby-*
lonem, eritis ibi annis plurimis & temporibus longis vſque ad generationes ſe-
ptem: poſt hoc autem educam vos inde cum pace. 3 *Nunc autem videbitis in Ba-*
bylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos, in humeris portari, oſtentantes
metum Gentibus. 4 *Videte ergo ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis, & me-*
tuatis, & metus vos capiat in ipſis. 5 *Viſa itaque turba de retro, & ab ante adoran-*
tes, dicite in cordibus veſtris. Te oportet adorari Domine. 6 *Angelus enim meus vo-*
biſcum eſt: ipſe autem exquiram animas veſtras. 7 *Nam ligna ipſorum polita à*
fabro, ipſa etiam inaurata & inargentata falſa ſunt: & non poſſunt loqui. 8 *Et ſicut*
virgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricati ſunt. 9 *Coronas certè aureas ha-*
bent ſuper capita Dij illorum: vnde ſubtrahunt ſacerdotes ab eis aurum, & argentum,
& erogant illis in ſemetipſis. 10 *Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices or-*
nant: & iterum cùm receperint illud à meretricibus ornant Deos ſuos. 11 *His autem*
non liberantur ab ærugine & tinea. 12 *Operiis autem illis veſte purpurea, extergunt*
faciem ipſorum propter puluerem domus, qui eſt plurimus inter eos. 13 *Sceptrum*

autem

*autem habet, vt homo, ſicut iudex regionis, qui in ſe peccantem non interficit. 14 Ha-
bet etiam in manu gladium & ſecurim: ſe autem de bello: & à latronibus non liberat.
Unde vobis notum ſit, quia non ſunt Dij. 15 Non ergo veneremini eos. Sicut enim
vas hominis confractum inutile efficitur: tales ſunt & Dij illorum. 16 Conſtitutis il-
lis in domo, oculi eorum pleni ſunt puluere à pedibus introeuntium. 17 Et ſicut alicui
qui regem offendit, circumſeptæ ſunt ianuæ, aut ſicut ſepulchrum adductum mortuum:
ita tutantur ſacerdotes oſtia clauſuris & ſeris, ne à latronibus expolientur. 18 Lucer-
nas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre poſſunt, ſunt autem ſicut
trabes in domo. 19 Corda verò eorum dicunt elingere ſerpentes qui de terra ſunt, dum
comedunt eos & veſtimentum ipſorum, & non ſentiunt. 20 Nigræ fiunt facies eorum à
fumo, qui in domo fit. 21 Supra corpus eorum, & ſupra caput eorum volant noctuæ,
& hirundines, & aues etiam ſimiliter & cattæ. 22 Vnde ſciatis quia non ſunt Dij.
Ne ergo timueritis eos. 23 Aurum etiam quod habent ad ſpeciem eſt. Niſi aliquis
exterſerit æruginem non fulgebunt: neque enim dum conflarentur ſentiebant. 24 Ex
omni pretio empta ſunt, in quibus ſpiritus non ineſt ipſis. 25 Sine pedibus in humeris
portantur, oſtentantes ignobilitatem ſuam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea.
26 Propterea ſi ceciderint in terram, à ſemetipſis non conſurgunt: neque ſi quis eum ſta-
tuerit rectum, per ſemetipſum ſtabit: ſed ſicut mortuis munera eorum illis apponentur.
27 Hoſtias illorum vendunt ſacerdotes ipſorum, & abutuntur; ſimiliter & mulieres
eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt. 28 De ſacri-
ficiis eorum fœtæ & menſtruatæ contingunt. Scientes itaque ex his quia non ſunt Dij, ne
timeatis eos. 29 Vnde enim vocantur Dij? Quia mulieres apponunt Dijs argenteis,
& aureis, & ligneis: 30 Et in domibus eorum ſacerdotes ſedent, habentes tunicas ſciſſas,
& capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt. 31 Rugiunt autem clamantes
contra Deos ſuos, ſicut in cœna mortui. 32 Veſtimenta eorum auferunt ſacerdotes, & ve-
ſtiunt vxores ſuas & filios ſuos. 33 Neque ſi quid mali patiuntur ab aliquo, neque ſi
quid boni, poterunt retribuere: neque regem conſtituere poſſunt neq; auferre 34 Similiter
neq; dare diuitias poſſunt, neq; malum retribuere. Si quis illis votum vouerit, & non red-
diderit: neq; hoc requirunt. Hominem à morte non liberant, neq; infirmum à potentiori non
eripiunt. 36 Hominẽ cœcũ ad viſum non reſtituunt: de neceſſitate hominẽ non liberabunt.
37 Viduæ non miſerebuntur, neq; orphanis benefacient. 38 Lapidibus de monte ſimi-
les ſunt Dij illorum lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea, confun-
dentur. 39 Quomodo ergo æſtimandũ eſt, aut dicendũ illos eſſe Deos? 40 Adhuc enim
ipſis Chaldæis non honorantibus ea: qui cùm audierint mutum non poſſe loqui, offerunt il-
lud ad Bel, poſtulantes ab eo loqui: 41 Quaſi poſſint ſentire qui non habent motum: &
ipſi cùm intellexerint relinquent ea: ſenſum enim non habent ipſi Dij illorum. 42 Mu-
lieres autem circundatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa oliuarum. 43 Cùm
autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ expro-
brat, quod ea non ſit digna habita, ſicut ipſa, neque funis eius diſruptus ſit. 44 Omnia
autem quæ illis fiunt, falſa ſunt. Quomodo æſtimandum aut dicendum eſt illos eſſe Deos.
45 A fabris autem, & ab aurificibus facta ſunt. Nihil aliud erunt, niſi id quod volunt
eſſe ſacerdotes. 46 Artifices etiam ipſi qui ea faciunt, non ſunt multi temporis. Num-
quid ergo poſſunt ea quæ fabricata ſunt ab ipſis, eſſe Dij? 47 Reliquerunt autem falſa &
opprobrium poſtea futuris. 48 Nam cùm ſuperuenerit illis prælium, & mala cogitant
ſacerdotes poſt ſe, vbi ſe abſcondant cum illis. 49 Quomodo ergo ſentiri debeant, quo-
niam Dij ſunt qui nec de bello ſe liberant, neque de malis ſe eripiunt? 50 Nam cùm ſint
lignea & inaurata, & inargentata, ſcietur poſtea quia falſa ſunt ab vniuerſis Gentibus, &
Regibus: quæ manifeſta ſunt: quia non ſunt Dij, ſed opera manuum hominum, & nullum*

Dei opus cum illis. 51 Vnde ergo notum eſt, quia non ſunt Dij, ſed opera manuum
hominum, & nullum Dei opus in ipſis eſt? 52 Regem regioni non ſuſcitant, neque
pluuiam hominibus dabunt. 53 Iudicium quoque non diſcernent, neque regiones li-
berabunt ab iniuria: quia nihil poſſunt, ſicut cornicula inter medium cœli & terræ.
54 Etenim cùm inciderit ignis in domum Deorum ligneorum, & argenteorum, & au-
reorum, ſacerdotes quidem ipſorum fugient & liberabuntur: ipſi verò ſicut trabes in me-
dio comburentur. 55 Regi autem & bello non reſiſtent. Quomodo ergo æſtimandum eſt,
aut recipiendum quia Dij ſunt? 56 Non à furibus, neque à latronibus ſe liberabunt
Dij lignei, & lapidei, & inaurati, & inargentati, quibus hi qui fortiores ſunt.
57 Aurum, & argentum, & veſtimentum, quo operti ſunt, auferent illis, & abi-
bunt, nec ſibi auxilium ferent. 58 Itaque melius eſt eſſe regem oſtentantem virtutem
ſuam: aut vas in domo vtile, in quo gloriabitur qui poſſidet illud: vel oſtium in domo,
quod cuſtodit quæ in ipſa ſunt: quàm falſi Dij. 59 Sol quidem, & luna, ac ſydera,
cum ſint ſplendida & emiſſa ad vtilitates obaudiunt. 60 Similiter & fulgur cùm ap-
paruerit, perſpicuum eſt: idipſum autem ſpiritus in omni regione ſpirat. 61 Et nubes
quibus cùm imperatum fuerit à Deo perambulare in vniuerſum orbem, perficiunt quod
imperatum eſt eis. 62 Ignis etiam miſſus deſuper, vt conſumat montes, & ſyluas,
facit quod præceptum eſt ei. Hæc autem neque ſpeciebus, neque virtutibus vni eorum ſi-
milia ſunt. 63 Vnde neque exiſtimandum eſt, neque dicendum illos eſſe Deos, quan-
do non poſſunt, neque iudicium iudicare, neque quidquam facere hominibus. 64 Scien-
tes itaque quia non ſunt Dij, ne ergo timueritis eos. 65 Neque enim regibus male-
dicent neque benedicent. 66 Signa etiam in cœlo gentibus non oſtendunt, neque vt
ſol lucebunt, neque illuminabunt vt luna. 67 Beſtiæ meliores ſunt illis, quæ poſſunt
fugere ſub tectum, ac prodeſſe ſibi. 68 Nullo itaque modo nobis eſt manifeſtum quia
ſunt Dij: propter quod ne timeatis eos. 69 Nam ſicut in cucumerario formido nihil
cuſtodit: ita ſunt Dij illorum lignei, & argentei, & inaurati. 70 Eodem modo &
in horto ſpina alba, ſupra quam omnis auis ſedet: Similiter & mortuo proiecto in tenebris
ſimiles ſunt Dij illorum lignei, & inaurati, & inargentati. 71 A purpura quoque
& marmore quæ ſupra illos teneant, ſcietis itaque quia non ſunt Dij. Ipſi etiam poſtremò
comeduntur, & erunt opprobrium in regione. 72 Melior eſt homo iuſtus qui non ha-
bet ſimulachra: nam erit longè ab opprobriis.

1. *Exemplum epiſtolæ eiuſdem.*] Eiuſdem non eſt Græcè; neque conuenientem ſenſum habet. Non enim eſt epiſtola Baruch; ſed Ieremiæ. Iraque noſtræ verſioni additum puto. *Ad abductos*, πρὸς τοὺς ἀχθησομένους, ad abducendos, meliùs noſter interpres. Eſt enim futurum pro præterito, quia iam erant abducti.

2. *Abducemini.*] abducti eſtis futurum pro præterito: vel, quod magis credo, ideo per futurum loquitur, quia Ieremias hæc illis prædixerat, antequam in captiuitatem ducerentur; poſtquam verò ducti ſunt, ea Baruch in epiſtolam redacta, ad eos detulit eiſdem verbis ſcripta, quibus ea prædixerat Ieremias.

Quid per generationes ſeptem ſignificetur.

Vſque ad generationes ſeptem. Multi interpretes fruſtrà mihi videntur hoc loco torqueri, vt explicent, quomodo Iudæi per generationes ſeptem in captiuitate manſerint, cùm generationis nomen ſeptuaginta, aut, vt alij dicunt, viginti annorum ſpatium ſignificat. Ego ſimpliciter interpretor Hebræos non ſolere vocare דור. generationem certum annorum ſpatium; ſed omnem inſignem, & notabilem annorum numerum; aliquando centum annos, vt cùm Geneſ. 15. 16. dicitur fore vt Hebræi generatione quarta ex Ægypto reuerterentur; aliquando decem, quia cardinalis etiam numerus eſt. Atque ita neceſ-

ſariò

ſariò hoc loco accipiendum eſt generationis nomen. Manifeſtum enim eſt Ieremiam voluiſſe dicere Iudæos per ſeptuaginta annos in captiuitate futuros eſſe: quemadmodum prædixerat, cap. 25. 11. 12. & c. 29. 10.

3. *Nunc autem.*] νυνὶ δὲ, ועתה. non ſignificat tempus hoc loco, ſed illationem; ſicut apud Latinos aliquando. *In humeris portari.* hoc eò ſpectat, vt indicet eos eſſe mortuos, qui incedere non poſſint, niſi geſtentur; vt ait Ierem. cap. 10. 5. *portata tollentur, quia incedere non valent.* & Iſai. cap. 46. 1. 2. *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis, & iumentis, onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem. Oſtentantes metum gentibus*, id eſt, ad incutiendum hominibus metum. ſolebant enim Idololatræ Deos ſuos in bello geſtare ad terrendos religione hoſtes, & vt ſibi auxiliarentur, vt colligitur ex Iſai. cap. 46. 2. *Non potuerunt ſaluare portantem, & anima eorum in captiuitatem ibit.* Eodem modo videmus Iudæos arcam Domini in bello geſtaſſe, 1. Reg. 4. 3. 4. 5.

4. *Ne ſimiles efficiamini factis alienis.*] μὴ καὶ ὑμεῖς ἀφομοιωθέντες τοῖς ἀλλοφύλοις ἀφομοιωθῆτε. *Ne & vos ſimiles effecti alienigenis efficiamini.* Hebraiſmus. לא דמה תדמו. id eſt, ne omnino ſimiles alienigenis efficiamini timentes eos, qui nihil neque nocere, neque iuuare poſſunt, vt ait Ierem. cap. 10. 5. *Nolite ergo timere ea, quia nec malè poſſunt facere, nec bene.*

5. *In cordibus veſtris.*] τῇ διανοίᾳ, mente & cogitatione, ſi ore dicerere non auderis.

6. *Angelus autem.*] Græc. ὁ γὰρ ἄγγελός μου, *Angelus enim meus.* quaſi dicat, non debetis timere hoc facere propter Chaldæos: angelus enim meus defendet vos ab illis. Alludit ad Angelum, qui Iudæis ex Ægypto redeuntibus præcedebat, Exod. 33. 2. *Ipſe autem exquiram animas veſtras*, id eſt, vindex veſter ero, vlciſcar mortem veſtram ſi quis eam vobis intulerit. Animam requirere. Hebraiſmus בקש נפש. contrarios habens ſenſus: aliquando enim ſignificat, vindicare, & vlciſci, vt Geneſ. 9. 5. *De manu fratris eius requiram animam eius.* & Pſal. 141. 5. *Perijt fuga à me: & non eſt, qui requirat animam meam*, id eſt, qui defendat, vel vlciſcatur me: aliquando ſignificat perſequi ad occidendum; tunc noſter interpres non ſolet vertere. Requirere, aut exquirere: ſed quærere, vt Pſal. 37. 13. & 39. 15. & 53. 5.

Animam requirere contrarys ſumi poteſt ſenſibus.

8. *Et ſicut virgini.*] id eſt, tanto ſtudio ea veſtiunt, & ornant auro, quanto ea veſtirent, ſi virgo aliqua eſſet φιλόκοσμος, quæ ornatum amaret.

9. *Vnde ſubtrahunt.*] ἔτι δὲ καὶ ὅτι ὑφαιρούμενοι οἱ ἱερεῖς. Accidit autem aliquando vt ſacerdotes aurum à Diis ſuis auferentes in ſuos vſus conuertant. Sic oſtendit eos non eſſe Deos, qui patiantur ſua ſibi ornamenta eripi.

10. *Dant autem & ex ipſo proſtitutis.*] δώσουσι δὲ ἀπ᾽ αὐτῶν καὶ ταῖς ἐπὶ τοῦ τέγους πόρναις. Dabunt autem ex illis (id eſt, ex auro Deorum) meretricibus quæ ſub tecto ſunt, id eſt, quas domi habent. *Et meretrices ornant, & iterum*; &c. Hæc omnia aliter Græcè leguntur. κοσμήσουσι δὲ αὐτοὺς ὡς ἀνθρώπους τοῖς ἐνδύμασι θεοὺς ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς καὶ ξυλίνους. *Ornant autem eos, vt homines; Deos inquam argenteos & aureos & ligneos.* Et tamen *non liberantur ab ærugine, & tineis*, vt ait ver. 11.

12. *Opertis aut.*] περιβεβλημένων αὐτῶν, licet induti ſine veſte purpurea, & licet faciem eorum abſtergant: non, inquam, liberari poſſunt ab ærugine & tinea, propter puluerem domus, qui multus eſt, ſuper eos.

13 *Sceptrum autem habet.*] Deus falſus, idolum. Numeri mutatio. Idola enim cum ſceptro pingebantur, quaſi omnia gubernarent. *Sicut iudex regionis.* ὡσεὶ ἄνθρωπος κριτὴς χώρας, quaſi iudex aliquis regionis. Ego ſic interpretor. Duplex

cum Hebraiſmus in iis verbis mihi videtur eſſe; alter ἄνθρωπος κρίτης, *homo iudex*, id eſt, aliquis iudex, vt איש שופט. alter, χώρας, regionis, id eſt, agri, villæ, ruſticus. H. כפר. ſolet enim ruſticus etiam iudex baculum, aut virgam, quaſi ſceptrum geſtare, cùm neminem capitis damnare poſſit, vel, contrario ſenſu. *Habet* (Deus falſus) *ſceptrum in manu ſicut iudex* χώρας, magnæ alicuius regionis, qui (Deus) in ſe peccantem interficere non poteſt.

Duplex Hebraiſmus.

14. *A latronibus.*] id eſt, ab iis, qui ipſos furantur, multi enim Deos aureos, & argenteos furabantur, cuius criminis Verrem accuſat Cicero: id explicatur ver. 17.

Actione 3. in Verrem.

17. *Circumſepta ſunt ianuæ.*] id eſt, ſicut læſæ maieſtatis reus in carcere clauſus cuſtoditur: aut, ſicut ad ſepulchrum. ὡς ἐπὶ θανάτῳ ἀπηγμένῳ. *Sicut ad mortem adducto*, id eſt, ſicut homo ad mortem damnatus: ita Dij illorum in templis quaſi in carceribus à ſacerdotibus cuſtodiuntur, ne quis eos ſpoliet.

18. *Sicut trabes.*] id eſt, ſunt enim ligna & ſtirpes, qui lumen videre non queunt.

19. *Corda verò.*] id eſt, medullam ligni, ex quo facti ſunt (quam per metaphoram cor appellat) *dicunt* (homines qui viderunt) *elingere ſerpentes*, exedi à ſerpentibus qui ex terra oriuntur, id eſt, vermibus, qui generali nomine, aut per catachreſin ſerpentes appellantur, ſolentque medullam lignorum corrodere.

24. *Ex omni pretio empta ſunt.*] id eſt, cariſſimo pretio empta ſunt, cùm mortua ſint, *In quibus ſpiritus non ineſt ipſis.* Hebraiſmus altero relatiuo redundante, qui cùm græcè non ſit, coniectura eſt noſtrum interpretem Hebraicum exemplar habuiſſe.

Interpres Hebraicum exemplar videtur habuiſſe.

26. *Propterea.*] Gr. διὰ τὸ μή ποτε ἐπὶ τὴν γῆν πέσῃ δι' αὐτῶν ἐνιδρῦσθαι (propterea eorum cultores confunduntur) *quia cùm in terram ceciderit* (aliquis eorum) *conſurgere non poteſt.* μήτε ἐὰν τις αὐτὸ ὀρθὸν στήσῃ δι' ἑαυτοῦ κινηθήσεται, *nec ſi quis eum rectum conſtituerit, moueri* (id eſt, ambulare) *poteſt.* μήτε ἐὰν κλιθῇ μὴ ὀρθωθῇ, *nec ſi inclinatus fuerit, erigi poteſt.*

27. *Mulieres eorum decerpentes.*] ex donis idolis oblatis. Gr. ταριχεύουσαι, *condentes*, id eſt, omnia ſibi reſeruantes, & quaſi in theſauro reponentes, pauperibus nihil impertiuntur.

28. *Fœta & menſtruatæ.*] ἀποκαθημένη καὶ λεχῶ, *menſtruata, & puerpera.* Alij codices habent λεχῶν, alij, λόγῳ, ſed manifeſtum eſt vitium. Erat id in lege Moſis prohibitum, Leuit. cap. 12. 4. & cap. 15. 19. quod non ideo idololatris obiicit, quòd illi eas ceremonias deberent obſeruare, quæ ſolis Iudæis traditæ fuerant, ſed vt ex ipſa cultorum irreuerentia oſtendat eos non eſſe Deos. *Scientes itaque*, γνῶτε οὖν. Scitote itaque forte noſter interpres vertit, Scietis.

29. *Quia mulieres apponunt.*] (dona) ſubiectio eſt ad interrogationem. quaſi dicat, nihil habent vnde Dij appellentur, niſi quòd ſtultæ & ſuperſtitioſæ mulierculæ dona eis tanquam Diis apponunt; cùm tamen argentei, aut aurei, aut lignei ſint; mulieres enim faciunt eos eſſe Deos. Sicut de fortuna quidam dixit.

Iuuenal. Sat. 10.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed nos
Te facimus fortuna Deum, cœlóque locamus.

30. *Et in domibus eorum.*] id eſt, in templis idolorum. Affert aliam cauſam, quamobrem idola Dij vocentur, cùm non ſint, quia in eorum templis ſacerdotes ſedeant, id eſt, habitent, frequens Hebraiſmus. *Habentes tunicas ſciſſas*, id eſt, præ ſe ferentes habitum hominum lugentium, agentiúmque pœnitentiam.

Mos Gentium in luctu.

Scitum

Scitum enim eſt ſolitas illas gentes in luctu veſtes diſcindere, & barbam, capillúmque radere, quod Hebræorum ſacerdotibus prohibitum erat, Leuit. 10. 6. & 21. 5. 10. Notat autem hac ratione illorum hypochriſim, & ſimulationem.

31. *Clamantes contra Deos ſuos.*] id eſt, coram Diis ſuis, ἐναντίον τῶν θεῶν αὐτῶν. Quemadmodum ſacerdotes Baal clamaſſe legimus, 3. Reg. 18. 28. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. Sicut in cœna mortui*, id eſt, ſicut lugire, eiuláreque ſolent ii, qui in morte alicuius ad cœnandum cum eius cognatis conueniunt, vt eos ſimul plorantes conſolentur: id enim fieri ſolebat, vt ait Ierem. cap. 16. 7. *Et non frangent inter eos lugenti panem, ad conſolandum ſuper mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo, aut matre.* Clamori ergo lugubri, qui in huiuſmodi conuiuiis erat, comparat clamorem ſacerdotum ſua idola inuocantium.

33. *Neque regem conſtituere poſſunt.*] quod Dei proprium eſt, Iob 12. 18. *Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum.* & Daniel 4. 14. *Dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud.*

34. *Neque diuitias.*] Græc. ὡσαύτως, οὔτε πλοῦτον, οὔτε χαλκὸν οὐ μὴ δύνωνται διδόναι. *Similiter, neque diuitias, neque æs dare poſſunt.* Neque hoc requirunt, id eſt, non vlciſcuntur. Hebraiſmus בקש. vt 2. Paralip. 24. 22. *Videat Dominus & requirat.* & Pſal. 9. 33. *Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo non requiret.*

40. *Adhuc enim.*] ἔτι δὲ καὶ αὐτῶν τῶν Χαλδαίων ἀτιμαζόντων αὐτά. *Adhuc autem Chaldæis inhonorantibus eos*; id eſt, præſertim cum Chaldæi ipſi, qui eos colunt, eorum ignominiam prodant, petentes ab eis, quod vident eos numquam facere. Nam ſi quem mutum inuenerint, eum Belo idolo ſuo offerunt, ab eo poſtulantes, vt illi loquendi facultatem reſtituat, quod cùm non poſſit facere, nihil aliud hac ratione conſequuntur, niſi vt appareat reipſa eorum idolum non eſſe Deum. Sic videntur verba huius verſus cum verbis ſequentis verſus coniungenda, vt congruum ſenſum habere poſſint. προσενέγκωσι τὸν Βῆλον, id eſt, ἐνέγκωσι πρὸς τὸν Βῆλον. offerentes illum ad Bel, ἀξιοῦσι φωνῆσαι, poſtulant vt loquatur (mutus) id eſt, petunt ab idolo, vt faciat illum loqui; cùm idolum ipſum loquendi facultatem non habeat, nec loqui poſſit. Hoc eſt quod ſequitur.

41. *Quaſi poſſint ſentire.*] id eſt, preces audire, vel, loqui idola, quæ moueri non poſſunt: minùs enim eſt moueri, quàm loqui. Nam muta animalia mouentur, ſed non loquuntur. Græcè ὡς δυνατοῦ ὄντος αὐτοῦ αἰσθέσθαι, *quaſi poſſit ipſe* (Bel) *ſentire.* Sic legendum, vt noſter legit interpres, & vt nonnulla nunc quoque habent exemplaria, non εἶναι. Eſſe, vt in Complutenſi vitiosè legitur. *Et ipſi*, cultores, *Cùm intellexerint*, idola non facere, quod ab illis petunt, *relinquunt ea*, id eſt, contemnunt. Græcè contrarius eſt ſenſus, καὶ οὐ δύνανται αὐτοὶ νοήσαντες καταλιπεῖν αὐτά. *Et non poſſunt ipſi intelligentes relinquere ea*, id eſt, cum idolorum cultores hoc videant, atque intelligant, tamen non poſſunt ea relinquere, adeo ſunt excæcati. *Senſum enim non habent ipſi Dij illorum.* Græcè tantùm eſt, αἴσθησιν γὰρ οὐκ ἔχουσιν. *Senſum enim non habent.* (ſubaud. eorum cultores) non enim referri poteſt ad Deos, quia id proprietas linguæ communiter pati non poteſt. Ille enim non dixiſſet ἔχουσι, ſed ἔχει, cùm proceſſerit, αὐτά, genere neutro.

Digitized by Google

42. *Mulieres.*] Vulgaris huius loci interpretatio eſt. Mulieres ſuperſtitione quadam fune ſuccinctas,quaſi aliquo magno ſcelere obſtricta tenerentur, aut, quaſi pœnitentiam agerent, ſediſſe in via, qua ad idola ibatur, oſſa oliuarum, aut, vt alij interpretantur, *πίτυρα*; furfures, aut paleas, idolis adolentes, expectaſſe dum aliquis ex prætereuntibus, ſecum rupto fune concumberet; quod ſi feciſſet, mulierem exiſtimaſſe ſibi eum adulterum à Deo miſſum,ſéque à peccato ſuo abſolutam, atque aliis exprobrare ſolitam, quòd dignæ non fuiſſent à Deo ſuo viſitari.

44. *Omnia autem quæ illis fiunt.*] *πάντα τὰ γινόμενα ἐν αὐτοῖς ἐστὶ ψευδῆ* *Omnia quæ in illis fiunt falſa ſunt*. id eſt, Omnis eorum cultus ſimulatus eſt, & ab hominibus ſuperſtitioſè inuentus.

45. *Quod volunt eſſe ſacerdotes.*] *τεχνῖται*. *artifices.*

46. *Non ſunt multi temporis.*] id eſt, breuis vitæ ſunt, *οὐ μὴ γίνονται πολυχρόνιοι*. *Non diu viuent*, quomodo ergo poſſunt facere Deos immortales.

47. *Reliquerunt autem falſa.*] id eſt, non fecerunt Deos immortales, cùm ipſi mortales ſint: ſed pro Diis, erroris, & opprobrij materiam poſteris reliquerunt; magnum enim opprobrium eſt ligna & lapides colere,vt declarat verſu ſequenti, quia tempore belli opus eſt vt abſcondantur, ne eos hoſtes furentur.

49. *Quomodo ergo ſentiri debeant.*] *πῶς οὖν οὐκ ἐστὶν αἰσθέσθαι ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί*; *quomodo ergo non eſt ſentire*; id eſt, quomodo non manifeſtum eſt; quomodo non eſt perſpicuum, manibúſque, vt ita dicam, palpari poteſt eos non eſſe Deos.

50. *Scientur poſtea.*] id eſt,quamuis colantur nunc à multis, experientia tandem omnes gentes, regéſque docebit, ea nihil eſſe, niſi *opera manuum hominum*. *Et nullum opus Dei cum illis.* *καὶ οὐδὲν θεοῦ ἔργον ἐν αὐτοῖς ἐστίν*. *Et nullum opus Dei in illis eſſe*, id eſt, nihil poſſe facere, quod proprium Dei ſit, non mutis loquendi facultatem dare, vt dixit ver. 40. non Reges conſtituere,vt ver. 33. & ſtatim declarat ver. 52.

51. *Vnde ergo notum eſt?*] quaſi dicat, non aliunde,quàm ex ipſa experientia, quaſi dicat, quid opus eſt argumentis vt id probemus. Græc. *τίνι οὖν γνωστόν ἐστιν ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί*. *Cui ergo cognoſcendum eſt, eos non eſſe Deos?* id eſt, Quis adeò hebes eſt, & rudis, vt opus ſit eum doceri, eos non eſſe Deos?

52. *Regem regionis.*] id eſt, cùm vnius prouinciæ regem creare, & conſtituere non poſſint, vt ſuprà ver. 33.

53. *Iudicium quoque.*] Græc. *κρίσιν τε οὐ μὴ κρίνωσιν αὐτῶν*. *Iudicium etiam ipſorum non iudicabunt*; id eſt, non diriment edito miraculo lites hominum: quod proprium eſt Dei. Hac enim ratione declarauit Core, Dathan, & Abiron ſchiſmaticos eſſe dehiſcente diuinitus terra, eóſque abſorbente Num. 16.31.32.ſic iudicauit Ozam non debuiſſe Leuitarum officium vſurpare eum occidens, 2. Reg. 6.7.8. *Neque regiones liberabunt.* *οὔτε μὴ ῥύσονται ἀδίκημα*. *Nec liberabunt iniuriam*, id eſt, neque iniuriam propulſare poterunt. *Sicut corniculæ*, id eſt, non magis iuuare poſſunt, quàm corniculæ inter cœlum & terram volantes, quæ præter clamorem nihil habent. Propterea comparat corniculis, quia infirmiſſimæ aues ſunt, aut fortaſſis quia earum volatus, & crocitatio ſuperſtitiosè ſolebat ad diuinandas res futuras obſeruare, vt poetæ ſcribunt.

Idola non plus poſſunt quàm Cornicula.

56. *Quibus iniqui fortiores ſunt.*] id eſt, qui illis iniuriam facere volunt, qui eos diripiunt *οἱ πλεονεκτοῦμενοι*.

58. *Itaque melius eſt.*] In hoc verſu, quædam Græcè leguntur, quæ in noſtra verſione deſiderantur: primùm poſt hæc verba. *In quo gloriatur qui poſſidet illud.*

ſequi-

ſequitur, ἢ ψευδεῖς θεοί. Deinde in fine, καὶ ξύλινος ςύλος ἐν βασιλείοις· ἢ ψευδεῖς θεοί. *Et lignea columna in domibus regum, quàm falſi Dij.*

59. *Sol quidem & luna.*] ſub. meliora ſunt idolis, aut ſi vas in domo & columna melior eſt illis, quantò magis ſol & luna, quæ ſuo ſplendore tantam hominibus vtilitatem afferunt, Dei obedientes præcepto? Idemque de fulgure & vento dicendum eſt, quæ aliquid habent vtilitatis, ſeque ſentiri faciunt: & de nubibus, & fulminibus, quæ montes ac ſyluas Dei iuſſu conſumunt.

62. *Hæc autem* (idola) *neque ſpeciebus, neque formis.*] οὐδὲ ταῖς ἰδέαις, *neque pulchritudine.* neque vſu cum illis rebus comparanda ſunt. *Neque quidquam facere hominibus*, οὔτε εὖ ποιῆσαι ἀνθρώπους, *neque benefacere hominibus.*

65. *Neque Regibus maledicent.*] id eſt, neque Reges proſperabunt, neque infortunatos reddent; hoc enim eſt hoc loco, Maledicere, & benedicere. Reges autem nominat potiùs, quàm alios homines, quia quamuis in omnibus hominibus, maximè tamen in regibus gubernandis cernitur Dei prouidentia. Ipſe enim confert, conſeruat, amplificat: vel minuit, debilitat, tollit regna, vt indicauit ſuprà ver. 33. & 52. & Iob 12. 18. & Daniel. 4. 14. aliiſque ſcripturæ locis ſignificatur.

66. *Signa enim in cælo.*] Alludit ad officium ſolis, & lunæ, Geneſ. 1. 14. *ſiunt luminaria in firmamento, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos.* Et ad gentium ſuperſtitionem, quæ à ſignis cœli timebant, Ierem. cap. 10. 2. *Et à ſignis cæli nolite metuere, quæ timens Gentes.* Probat plùs poſſe Solem & Lunam maioremque vtilitatem afferre, quàm idola; quia ſaltem ſunt ſigna temporum, & Gentibus metum incutiunt.

69. *Formido nihil cuſtodit.*] id eſt, terriculum quod in cucumerario poni ſolet, ne aues veniant, προβασκάνιον. Dicit nihil cuſtodire, natura ſua; nam opinione quidem cuſtodit, quia aues & beſtiæ putant aliquem hominem eſſe, cùm non ſit niſi hominis ſimulachrum. Atque prorſus idolum natura quidem ſua nihil poteſt facere; ſed opinione tantùm ſuperſtitioſorum hominum.

71. *A purpura quoque & murice; quæ ſupra illos teneant.*] Græc. ἀπό τε τῆς πορφύρας καὶ τῆς μαρμάρου τῆς ἐπ' αὐτοῖς σηπομένης. Aliqui vertunt, *à purpura & marmore, quod ſupra ipſos corrumpitur.* Alij, à purpura & ſplendore, qui ſupra illos putrefit. Antiqua exemplaria verſionis noſtræ habent, A purpura & marmore, quæ illos teneant. Credo ego noſtrum interpretem ad hunc modum conuertiſſe, *A purpura & murice, quæ ſuprà illos tineant*, id eſt, tineis exeduntur. Senſus enim valde congruit, & cum verbis Græcis, & cum ratione. *Scietis itaque.* γνώσεσθε ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί (à purpura inquam) *cognoſcetis, quòd non ſint Dij.* fortaſſe in noſtra verſione pro, *Itaque*, legendum eſt, *Atque*, ſenſúſque eſt magis conſequens. *Et erit opprobrium* id eſt, erit omnibus irriſionis materia. Omnes enim rident, cùm vident aliquod idolum ſemiexeſum, ſine naribus, aut ſine oculis, aut ſine capite, qualia etiam nunc multa Romæ viſuntur.

72. *Erit longè ab opprobriis.*] τὸ περισσόν, eſt; plùs enim vult intelligi, quàm dicit, vt Sap. 3. 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Non enim hoc tantùm iuſti conſequentur, vt opprobriis, & tormento mortis careant: ſed illud etiam, quod maximum eſt, vt Deo ſummo, infinitoque bono fruantur: Cui honor ſit & gloria in ſempiterna ſæcula.

IOANNIS MALDONATI
SOCIETATIS IESV THEOLOGI, COMMENTARII IN EZECHIELEM.

PROOEMIVM.

EZECHIEL apud Hebræos יחזקאל. fortitudinem, aut, vt Orige-
nes, & Hieron. interpretantur, imperium Dei, ſiue roboratum
ver. 3. à Deo ſignificat. Filius fuit Buzi, vt ipſe initio libri teſtatur, Propheta
ſimul & ſacerdos; quemadmodum Ieremias, & ætate illi penè æqualis: ſed alia
patria. Nam Ieremias Anathothites, Ezechiel Sarerites fuit, vt Epiphanius in
eius vita tradit. In Thargum Ieroſolymitano dicitur filius fuiſſe Ieremiæ, qui
Buzi, id eſt, contemptus dicatur, quòd eum omnes contemnerent, idque re-
fert R. Dauid initio comm. ſed Hebræorum fabula eſt. Nonnulli eum Pytha-
goram philoſophum fuiſſe crediderunt, vt auctor eſt Clemens, Alex. lib. 1.
Strom. Qui illud etiam alio eiuſdem libri loco refert, alium quoque Ezechie-
lem Hebræum tragœdiarum ſcriptorem fuiſſe; multaq; eius carmina recitat
non inelegantia. Conſentiunr omnes auctores eum cum Ioachimo rege in Ba-
bylonicam captiuitatem fuiſſe translatum, cum iis qui lib. 4. Reg. cap. 24. Baby-
lib. 1 cap. 34. lonem dicuntur à Nabuchodonoſore traducti fuiſſe. Quid de eo Gnoſtici olim
Quo ætatis fabularentur, leget qui volet apud Irenæum. Sunt qui putent eum trigeſimo æ-
anno cœperit tatis ſuæ anno cœpiſſe vaticinari: in quibus ſunt Orig. Hieron. Gregorius. Et
vaticinari. Origenes quidem & Gregorius ita interpretantur, quod Ezechiel ipſe dicit ſe
Orig. hom. 1. anno trigeſimo iuxta fluuium Chobar cœlos apertos vidiſſe. Res incerta, ſed
Hiero. in præf. probabilis. Nam & ſenſus myſticus, vt ait Origenes, rectè conuenit. Erat enim
Greg. hom. 2. Ezechiel figura Chriſti, cui anno trigeſimo baptizato aperti ſunt cœli. Con-
uenit etiam cum eo numero Hebræorum traditio, vt nemo ante annum ætatis
trigeſunum huius Prophetæ principium, & finem legeret, quaſi temerarius eſ-
ſet, qui minore ætate tanta myſteria intelligere conaretur, quàm Propheta
adeo doctus intellexiſſet. Conuenit ſacerdotis officium, quo nemo niſi 30.
annos natus fungi poterat: & eſt rationi conſentaneum Ezechielem ſacerdo-
tem atque Prophetam, eodem tempore ſacerdotij, & prophetiæ munere fun-
Argumentum gi cœpiſſe. Argumentum idem ferè quod Ieremiæ; ſed aliis figuris, & denſio-
prophetiæ. ribus tenebris inuolutum. Scripſit enim in Babylonem eodem tempore, quo
Ieremias Ieroſolymis vaticinabatur, eadem de re, eodem ſpiritu. Nam primis
viginti quattuor capitibus Iudæorum captiuitatem, & vrbis Ieruſalem exci-
dium prædicit, cauſaſque eius exponit; ſicut Ieremias fecit per viginti ſeptem
prima capita. Deinde contra Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Philiſtæos,
Tyrios, Ægyptios, Aſſyrios, Babylonios vſque ad caput trigeſimum quar-
tum vaticinatur, vt Ieremias à capite quadrageſimo ſeptimo, vſque ad quin-
quage-

quagesimum primum. Extremis quattuordecim capitibus prædicit liberationẽ à captiuitate, Chriſti regnum, templi reſtaurationem, interitum Gog & Magog. Quod aliqua etiam ex parte Ieremias fecit à capite trigeſimo, vſque ad trigeſimum quartum. Scribendi cauſam Hieron. fuiſſe putat, vt Iudæos qui cum Ioachin in Babylone captiui erant, conſolaretur atque ſuſtentaret; cum eos pœniteret, quòd Ieremiæ ſuaſu ſe regi Babylonis tradidiſſent; cùm viderent ſtare adhuc & florere Ieroſolyma, quæ Ieremias inflammanda, euertendaque prædixerat; quod ex Ieremiæ lectione facilè apparet verum eſſe. Nam & in Ieruſalem pſeudoprophetæ erant, qui contra Ieremiæ prophetiam prædicebant, non ſolùm non abducendos in captiuitatem Iudæos, qui Ieroſolymis erant; ſed etiam eos, qui cum Ioachin in Babylone captiui tenerentur, breui redituros, vt prædicit Hananias, cap. 28. Contrà verò Ieremias ad captiuos, qui Babyloni erant, ſcribebat, vt domos ædificarent, plantarẽt hortos, vxores ducerent, filias ſuas nuptui darẽt; ſeptuaginta enim annos eos in captiuitate futuros, c. 29. 5. Erant etiam inter captiuos, qui contra Ieremiam, quaſi contra hominem ſeditioſum, ac turbulentum ad eos, qui Ieroſolymis erant, ſcriberẽt, vt in eum animaduerterent, vt Semeias Nehelamites, c. 29. 24. 25. Confirmat igitur Ezechiel Ieremiæ prædictionem. Vt autem Ioſephus ſcribit, ſua vaticinia litteris tradita in Iudæam tranſmiſit: quæ cùm legiſſet Sedecias, hac potiſſimùm de cauſa nec illi, nec Ieremiæ credidiſſe, quòd cùm vterque captiuitatem prædiceret, in eo tamen diſſentire viderentur, quòd Ieremias diceret Sedeciam Babylonem captiuum ducendum; Ezechiel verò negaret eum Babylonem viſurum. Quod vtrumque verum eſſe euentus comprobauit. Nam ductus quidem eſt Sedecias Babylonem captiuus; ſed oculis orbatus, ita vt eam videre non poſſet. Genus prophetiæ obſcuriſſimum eſt, quamquam ſermo ſimplex eſt & facilis. Obſcuritatis cauſas Theodoretus duas eſſe exiſtimat; alteram, quòd maxima tractet myſteria, & non ſint margaritæ ante porcos proiiciendæ; alteram, quod Iudæos accuſet, gentium verò vocationem & fælicitatem prædicat: verendum autem fuiſſe, ne ſi Iudæi planè intelligent, inuidia librum abolerent. Creditur aliquos etiam alios ſcripſiſſe libros. Nam & Ioſephus duorum librorum eius meminit, & Athanaſius in Synopſi præter hanc prophetiam quendam eius librum inter apocrypha connumerat. Idem quoque Athanaſius in libro de incarnatione Verbi, auctor eſt eum populi cauſa interfectum fuiſſe. Addit Epiphanius à duce populi occiſum, quòd eius idololatriam reprehenderet, ſepultúmque in terra Aſſyriorum in monumento Sem & Arphaxat progenitorum Abrahæ, quod ad ſua vſque tempora extitiſſe dicit. Aggrediamur igitur Prophetæ, ſacerdotis, martyris precibus adiuti myſteria eius enarrare.

Cur ad ſcribendum impulſus.

lib. 10. Antiq. c. 10.

Iere. 21. 7. Ezechiel. 12. 11.

4. Reg. 25. 7. & Ierem. 39. 7. & 52. 11. Cur tam obſcurè ſcripſerit.

PROPHETIA EZECHIELIS.

CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt in trigeſimo anno, in quarto, in quinta menſis cùm eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei.
2 *In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus transmigrationis regis Ioachin:*
3 *Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi ſacerdotem in terra Chal-*

Digitized by Google

dæorum, ſecus flumen Chobar: & facta eſt ſuper eum ibi manus Domini. 4 *Et vidi,*
& ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, &
ſplendor in circuitu eius: & de medio eius quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis. 5 *Et*
ex medio eius ſimilitudo quattuor animalium: & hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis
in eis. 6 *Et quattuor facies vni: & quattuor pennæ vni,* 7 *Et pedes eorum*
pedes recti, & planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli, & ſcintillæ quaſi aſpectus æris
candentis. 8 *Et manus hominis ſub pennis eorum in quattuor partibus: & facies &*
pennas per quattuor partes habebant. 9 *Iunctæq; erant pennæ eorum alterius ad*
alterum: non reuertebantur cùm incederent: ſed vnumquodque ante faciem ſuam gra-
diebatur. 10 *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis: & facies leonis à dex-*
tris ipſorum quattuor: facies autem bouis, à ſiniſtris ipſorum quattuor: & facies aquilæ
deſuper ipſorum quattuor. 11 *Et facies eorum, & pennæ eorum extentæ deſuper: duæ*
pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum. 12 *Et vnumquodque*
eorum coram facie ſua ambulabat, vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur: nec re-
uertebantur cùm ambularent. 13 *Et ſimilitudo animalium, & aſpectus eorum quaſi*
carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadum. Hæc erat viſio diſcurrens in
medio animalium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens. 14 *Et animalia ibant,*
& reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. 15 *Cùmque aſpicerem ani-*
malia, apparuit rota vna ſuper terram iuxta animalia, habens quattuor facies. 16 *Et*
aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris: & vna ſimilitudo ipſarum quattuor:
& aſpectus earum & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ. 17 *Per quattuor partes*
earum euntes ibant: & non reuertebantur cùm ambularent: 18 *Statura quoque*
erat rotis, & altitudo & horribilis aſpectus: & totum corpus oculis plenum in circuitu
ipſarum quattuor. 19 *Cumq; ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ*
iuxta ea: & cùm eleuarentur animalia de terra eleuabantur ſimul & rotæ. 20 *Quo-*
cumque ibat ſpiritus, illuc euntе ſpiritu, & rotæ pariter eleuabantur, ſequentes eum. Spi-
ritus enim vitæ erat in rotis. 21 *Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant: &*
cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur & rotæ, ſequentes ea: quia ſpiritus vitæ erat in
rotis. 22 *Et ſimilitudo ſuper capita animalium, firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli*
horribilis, & extenti ſuper capita eorum deſuper. 23 *Sub firmamento autem pennæ*
eorum rectæ, alterius ad alterum: vnumquodque duabus alis velabat corpus ſuum, &
alterum ſimiliter velabatur. 24 *Et audiebam ſonum alarum quaſi ſonum aquarum*
multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei: cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis
vt ſonus caſtrorum: cùmque ſtarent dimittebantur pennæ eorum. 25 *Nam cùm fieret*
vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas.
26 *Et ſuper firmamentum quod erat imminens capiti eorum; quaſi aſpectus lapidis*
ſapphiri ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis
deſuper. 27 *Et vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis intrinſecus eius per cir-*
cuitum, à lumbis eius & deſuper: & à lumbis eius vſque deorſum, vidi quaſi ſpeciem ignis
ſplendentis in circuitu. 28 *Velut aſpectum arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat*
aſpectus ſplendoris per gyrum.

DECLARAT quo tempore & quo loco vaticinandi ſpiritum acceperit, proponítque primam viſionem quattuor animalium, rotarum, & throni.

1. *Et factum eſt.*] Præpoſitionem ו. *&*, librum cum titulo coniungere ſæpe adnotauimus. vide Baruch 1. 1. Alij proprietatem linguæ Hebraïcæ eſſe putant, vt præpoſitio ו. *&* initio poſita nullum alium vſum habeat, niſi vt verbum futuri temporis in præteritum vertat. Nemo igitur, vbi non ſunt myſteria

requirat.

requiratur. *In trigeſimo anno.* Origenes hom. 1. & Gregor. hom. 2. in hunc locum, trigeſimum annum ætatis Ezechielis notari putant: quod Hieronymus meritò non probat, nec enim ſolent Prophetæ à natali ſuo annos numerare, & ſi id dicere voluiſſet, dixiſſet clariùs. Alij Ionatham Chaldæum auctorem ſecuti trigeſimum annum ab eo tempore, quo liber legis in templo per Helciam ſacerdotem repertus eſt, 4. Reg. 22. 8. ſignificari dicunt. Alij, vt R. Dauid, & eius pater R. Ioſeph trigeſimum annum ab vltimo iubilæo. Vtrumque fortaſſe verum eſt, ſed non mihi videtur Propheta id dicere voluiſſe. Quorſum enim vel ab inuentione libri, vel à iubilæo præter conſuetudinem numeraſſet. Itaque optimè omnium mea ſententia Theodoretus interpretatur, *Trigeſimo anno captiuitatis.* Credibile enim eſt Prophetam accommodatè ad rem, de qua agebat, locutum eſſe, non autem agebat aut de ætate ſua, aut de legis inuentione, aut de iubilæo; ſed de captiuitate, ab initio igitur non ætatis ſuæ, non inuentæ legis, non iubilæi; ſed captiuitatis credendum eſt eum annos numeraſſe. Accedit, quòd, vt ait Theodot. paulò pòſt cap. 4. 6. Deus dicit Prophetæ, *Et cùm compleueris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundo: & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, inquam, pro anno dedi tibi:* quibus verbis ſignificat adhuc quadraginta captiuitatis annos ſupereſſe. Erant autem anni futuri captiuitatis ſeptuaginta, 2. Paral. 36. 21. & Ierem. 25. 11. 12. & 29. 10. præceſſerant ergo iam anni triginta. Totidem autem reperiemus, ſi ab eo tempore quo Dei ſententia pronuntiata eſt, initium numerandi ſumamus. Fuit autem ſententia pronuntiata anno decimo octauo Ioſiæ, 4. Reg. 22. 16. his verbis, *Hæc dicit Dominus, Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, omnia verba legis, quæ legit rex Iuda.* Regnauit autem Ioſias triginta vnum annum, 4. Reg. 22. 1. itaque ſuperfuerunt ex eius regno anni tredecim: Ioacim autem, qui & Eliacim, vndecim annis, 4. Reg. 23. 36. ſunt viginti quattuor: Ioachaz autem tribus menſibus, 4. Reg. 23. 31 & Iechonias aliis tribus, 4. Reg. 24. 8. qui ſex menſes cum eo, quod ſuperabat ex decimo octauo Ioſiæ pro vno anno computantur, efficiúntque annos viginti quinque: quibus ſi iungas quinque annos captiuitatis Iechoniæ, quo tempore hæc prophetia edita fuiſſe dicitur, ver. 2. reperies annos triginta. Quòd autem Propheta tempus captiuitatis à pronunciatione ſententiæ numeret, non debet, inquit Theodor. mirum videri; ſolet enim Deus id facere ſua miſericordia. Nam & Abrahamo Deus dixit, Geneſ. 15. 13. *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis.* at non reperimus Hebræos quadringentos annos in Ægypto fuiſſe, niſi ab eo tempore, quo ſententia pronuntiata eſt, tempus numeremus. Cæteræ interpretationes quamuis, quod attinet ad annorum numerum, eòdem redeant, tamen non ſunt ad ſenſum Prophetæ accommodatæ; præterquam quod illud quod de iubilæo dicitur, incertum eſt; etſi ſcio R. Dauid contendere in eundem annum iubilæum incidiſſe, & auctorem סדרעלם. & R. Salom. id docere. *In quarto,* Menſe. ita loquuntur Hebræi, cùm poſtea ſequitur dies menſis: quemadmodum ſi dicerent, quarto menſe, die quinta. Quartus autem menſis intelligitur anni trigeſimi, qui reſpondet menſi Iunio noſtro. Nam à menſe Martio Hebræi annum exordiebantur, vt apparet Exod. 12. 2. 18. Chaldæus Paraphraſtes, בתמוז. in (menſe) Tamuz, qui idem eſt Iunius. *Cùm eſſem in medio captiuorum.* H. ואני בתוך הגולה. & ego in medio tranſmigrationis. Hebraïſmus, pro, cùm verſarer inter captiuos, qui Babylonem tranſmigrauerant. Non vocat

Quo tempore facta fuerit hæc viſio.

Anni captiuitatis.

Hebraiſmus.

CAPVT V.

EXVE te Ieruſalem ſtola luctus & vexationis tuæ : & indue te decôre & hono-
re quæ à Deo tibi eſt ſempiterna gloria. 2 *Circundato te diploide à Deo*
iuſtitia : & impone mitram capiti tuo honoris æterni. 3 *Deus enim oſten-*
det ſplendorem ſuum in te, qui ſub cœlo eſt. 4 *Nominabitur enim tibi nomen tuum*
à Deo in ſempiternum, Pax iuſtitiæ & honor pietatis. 5 *Exurge Ieruſalem, &*
ſta in excelſo : & circunſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole
vſque ad Occidentem, in verbo ſancti gaudentes Dei memoria. 6 *Exierunt enim*
abs te pedibus ducti ab inimicis : adducet autem illos Dominus ad te portatos in ho-
norem ſicut filios regni. 7 *Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excel-*
ſum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ : vt ambulet Iſraël
diligenter in honorem Dei. 8 *Obumbrauerunt autem & ſyluæ, & omne lignum*
ſuauitatis Iſraël mandato Dei. 9 *Adducet enim Deus Iſraël cum iucunditate in*
lumine maieſtatis ſuæ cum miſericordia & iuſtitia quæ eſt ex ipſo.

CONTINVATVR ſuperior exhortatio.

1. *Exue te ſtola luctus.*] Habitus mutatione conditionis mutationem declarat. Stolam luctus καταχρηστικῶς dixit, pro, veſte. Non enim quamlibet veſtem ſignificat : ſed talarem, eámque muliebrem, pretioſam potiùs quàm lugubrem. Magis propriè dixit capite ſuperiore ver. 20. *Exui me ſtola pacis; indui autem me ſacco obſecrationis.* Hîc contrarium dicere voluit. Exue te ſacco lugubri, & indue te ſtola pacis. *Indue te decore*, id eſt, amplectere decorem. καὶ ἔνδυσαι τὴν εὐπρέπειαν τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δόξης εἰς τὸν αἰῶνα, *In decorem eius gloriæ, quæ tibi à Deo* (ſub.veniet) *in æternum.* Noſtrum interpretem credibile eſt vertiſſe, quæ à Deo tibi eſt ſempiternæ gloriæ, conuenienter Græcæ lectioni. Induere decorem Hebraïſmus eſt. לבש הדר. id eſt, arctè amplecti, tenerêque vt Pſal.92.1. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt : indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* & Pſal.103. 1. *Confeſſionem & decorem induiſti.* phraſis inde ducta, quòd veſtis nobis arctè hærere ſoleat, vt declaratur Pſal.108.18. *Induit maledictionem, ſicut veſtimentum.* Similis ſententia apud Iſaiam cap.52. 1. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ, Ieruſalem, ciuitas ſancti.* & Iſai.cap. 61.3. *Vt ponerem lugentibus Sion* (miſit me Deus) *vt darem eis coronam pro cinere; oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.*

2. *Circundato te.*] Gr. περίβαλε τὴν διπλοΐδα τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δικαιοσύνης, *Indue diploïdem iuſtitiæ, quæ à Deo eſt*, id eſt, amplectere iuſtitiam, quam tibi Deus mittet, tanquam diploïdem. Hebraïſmum verſu præcedenti declarauimus. Iuſtitia autem hoc loco miſericordiam ſignificat, quę ideo iuſtitia vocatur, quòd eam Deus, ſicut promiſerat, ita præſtet. Iuſtus enim dicitur, quia facit quod promittit, vt Pſal.70.2. *In iuſtitia tua libera me, & eripe me.* & Iſai.61.10. *Induit me veſtimentis ſalutis: & indumento iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Et impone mitram* Mitra mulieris capitis ornamentum eſt, ſicut ſtola veſtis muliebris; loquitur enim de Eccleſiâ tanquam de fœmina.

Iuſtitia pro miſericordia.

3. *Qui ſub cœlo eſt.*] Gr. ὁ γὰρ θεὸς δείξει, τῇ ὑπ' οὐρανὸν πάσῃ τὴν σὴν λαμπρότητα, *Deus enim oſtendet omni, quæ ſub cœlo eſt* (τῇ γῇ, terræ) *ſplendorem tuum*, id eſt, efficiet, vt toto orbe terrarum clariſſima ſis, vt explicatur duobus verſibus ſequẽtibus.

Idem

Digitized by Google

Idem alijs verbis prædicit Iſai. cap 60. 1. 2. 3. *Surge, illuminare Ieruſalem, quid venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.*

4. *Nominabitur enim tibi nomen.*] Hebraiſmus eſt. ויקרא לך. & imponetur tibi nomen à Deo, aut mutabitur nomen tuum, vocaberiſque, *Pars iuſtitiæ, & honor pietatis*, id eſt, ciuitas, in qua abundat pax & iuſtitia, & miſericordia nata & gloria ex pietate proueniẽs. Solet Scriptura nominum mutatione, mutationem ſtatus ſignificare, vt in Abraham, Geneſ. 17. 5. in Iacob, Gen. 32. 28. in Petro, Ioan. 1. 42. factum videmus. Id ipſum in Ieruſalem, id eſt, in Eccleſia faciendum eſſe, non ſolùm hoc loco Baruch, ſed etiam Iſai. cap. 62. 2. vaticinatur, *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Simile quiddam apud Ezechiel. cap. 48. 35. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Porro illud quod ſæpe aliàs adnotauimus, in memoriam reuocandum eſt, Vocari apud Hebræos idem ſignificare, quod Eſſe. Numquam enim Ieruſalem, aut Eccleſia, quæ per eam ſignificatur hoc nomine appellata eſt, *Pax iuſtitiæ*; aut, Dominus ibidem: ſed quia reuera talis fuit, dicit Propheta ita eſſe nomen eius vocandum: ſicut Iſa. 7. 14. dicitur Chriſtus vocandus *Emmanuel*, id eſt, *Nobiſcum Deus*, Matt. 1. 23. non quòd ita vocandus eſſet; ſed quòd reuerà Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus futurus eſſet, & Ierem. 23. 6. fore vt vocetur, *Dominus iuſtus noſter*, id eſt, vt ſit Deus iuſtus noſter.

Nominum mutatione ſtatus mutationem ſignificare frequens eſt in Scriptura.

Vocari Hebræis idem quod Eſſe.

5. *Exurge.*] Hic locus ſuprà explicatus eſt cap. ſuperiori ver. 36. 37. Niſi quòd illic dixit, χαίροντες τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ. *Gaudentes Dei gloria*; hic autem, χαίροντας τῇ τοῦ θεοῦ μνείᾳ *Gaudentes Dei memoria*, id eſt, magnam lætitiam percipientes, ex recordatione diuini beneficij, quo à captiuitate liberabuntur.

6. *Portatos in honorem.*] Gr. αἰρομένους μετὰ δόξης. *ſublatos cum gloria*, id eſt, equis, & curribus honorificè vectos. *Sicut filios regni*, id eſt, ſicut reges, aut ſicut filios regum regni ſucceſſores, vt apud Iſai. cap. 66. 20. *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum Ieruſalem.* & c. 49 22. *Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Neque verò putandum eſt prophetiam impletam non eſſe, ſi vel non omnes Iudæi pedites in captiuitatem abierint: vel nulli in curribus, & carrucis, aut humeris geſtati redierint: tantùm enim ſignificat, miſerabiliter abiiſſe, honorificè autem redituros, vt Pſalm. 125. 6. *Euntes ibant, & flebant; venientes autem venient cum exultatione.*

7. *Conſtituit enim Dominus humiliare omnem montem.*] Hoc verſu nihil aliud ſignificat, quàm fore vt Deus omnia impedimenta remoueat, facilémque Iudæis reditum præbeat: non quòd re ipſa montes complanaturus, vallis verò aggeraturus eſſet: ſicut Dauid dicit, cùm Deus populum ſuum educeret ex Ægypto, montes exultauiſſe ſicut arietes, & colles ſicut agnos ouium, Pſal. 113. 4. id eſt, omnia promptè atque libenter ad facilitatem itineris Deo patuiſſe. Similis apud Iſaiam prophetia eſt cap. 40. 3. 4. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Vt ambulet Iſraël diligenter*, id eſt, celeriter, ſine vllo impedimento. Gr. ἀσφαλῶς, tutò, ſine periculo. *In honorem Dei.* τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ, *ad gloriam Dei*, id eſt, vt ex ea re Dei gloria demonſtretur, vt Pſalm. 113. 1. 2. *In exitu Iſraël de Ægypto, domus*

Iacob de; populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius, id eſt, ex liberatione Iudææ, & Iſraelis ſanctitas, & potentia Dei apparuit.

8. *Obumbrauerunt.*] præteritum pro futuro Hebraico, propheticóque more, id eſt, non ſolum ſyluæ non erunt illis redeuntibus impedimenro, ſed potiùs erunt adiumento, ſua enim vmbra eos tegent, & ab æſtu defendent; ſicut in exitu ab Ægypto columna nubis vmbram populo pra bebat, Exod. 13. 21. In quibuſdam codicibus legitur ἐσχίρτησαν, *exultauerunt*, atque ita nonnulli interpretantur, vt alludat ad illud Pſal. 113. 4. *Montes exultauerunt ſicut arietes.* Noſter interpres legit ἐσκίασαν, *obumbrauerunt*, ſicut alij codices habent: quod mihi multò magis placet; & quia de montibus iam dixerat, & quia ſtatim ſequitur, *Omne lignum ſuauitatis.* εὐωδίας, *ſuaue olens*: quod epithetum ad obumbrandum accommodatum eſt, ad exultandum non item; & quia manifeſtum eſt ad columnam nubis, vt diximus alludere voluiſſe.

9. *Adducet enim Dominus Iſraël.*]. Senſus noſtræ verſionis facilis eſt, vt cap. ſuperiori ver. 23. *Emiſi enim vos cum luctu & ploratu; reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio, & iucunditate in ſempiternum*, Tamen Græcè aliter legitur, ἡγήσεται γὰρ ὁ θεὸς Ἰσραήλ. *adducet enim Deus Iſraël.* Senſus idem eſt. τῷ φωτὶ τῆς δόξης αὐτοῦ. *lumine gloriæ ſuæ*; ſicut antè alluſit ad columnam nubis, ita nunc alludere videtur ad columnam ignis, quæ per noctem Iudæos ex Ægypto redeuntes præcedebat, Exod. 13. 21. lumen autem gloriæ vocat, non naturale; ſed diuina virtute factum, vt ex eo Dei gloria, & maieſtas declaretur eadem phraſi, qua dixit ver. 7. ἵνα βαδίσῃ Ἰσραὴλ ἀσφαλῶς τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ, *vt Iſraël ambulet tutò in gloria Dei, Et iuſtitia quæ eſt ex ipſo.* Iuſtitiam vocat miſericordiam, & beneficentiam Dei eius promiſſis reſpondentem, vt ſuprà ver. 2.

CAPVT VI.

EXEMPLAR epiſtolæ, quam miſit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam, à rege Babyloniorum, vt annuntiaret illis ſecundum quod præceptum eſt illi à Deo.

PROPTER peccata quæ peccaſtis ante Deum, abducemini in Babyloniam
captiui à Nabuchodonoſor rege Babyloniorum. 2 *Ingreſſi itaque in Baby-*
lonem, eritis ibi annis plurimis & temporibus longis vſque ad generationes ſe-
ptem: poſt hoc autem educam vos inde cum pace. 3 *Nunc autem videbitis in Ba-*
bylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos, in humeris portari, oſtentantes
metum Genitbus. 4 *Videte ergo ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis, & me-*
tuatis, & metus vos capiat in ipſis. 5 *Viſa itaque turba de retro, & ab ante adoran-*
tes, dicite in cordibus veſtris. Te oportet adorari Domine. 6 *Angelus enim meus vo-*
biſcum eſt: ipſe autem exquiram animas veſtras. 7 *Nam ligna ipſorum polita à*
fabro, ipſa etiam inaurata & inargentata falſa ſunt: & non poſſunt loqui. 8 *Et ſicut*
virgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricati ſunt. 9 *Coronas certè aureas ha-*
bent ſuper capita Dij illorum: vnde ſubtrahunt ſacerdotes ab eis aurum, & argentum,
& erogant illis in ſemetipſis. 10 *Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices or-*
nant: & iterum cùm receperint illud à meretricibus ornant Deos ſuos. 11 *Hi autem*
non liberantur ab ærugine & tinea. 12 *Opertis autem illis veſte purpurea, extergunt*
faciem ipſorum propter puluerem domus, qui eſt plurimus inter eos. 13 *Sceptrum*
autem

autem habet, vt homo, ſicut iudex regionis, qui in ſe peccantem non interficit. 14 Ha-
bet etiam in manu gladium & ſecurim : ſe autem de bello : & à latronibus non liberat.
Unde vobis notum ſit, quia non ſunt Dij. 15 Non ergo veneremini eos. Sicut enim
vas hominis confractum inutile efficitur : tales ſunt & Dij illorum. 16 Conſtitutis il-
lis in domo, oculi eorum pleni ſunt puluere à pedibus introeuntium. 17 Et ſicut alicui
qui regem offendit, circumſeptæ ſunt ianuæ, aut ſicut ſepulchrum adductum mortuum:
ita tutantur ſacerdotes oſtia clauſuris & feris, ne à latronibus expolientur. 18 Lucer-
nas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre poſſunt, ſunt autem ſicut
trabes in domo. 19 Corda verò eorum dicunt elingere ſerpentes qui de terra ſunt, dum
comedunt eos & veſtimentum ipſorum, & non ſentiunt. 20 Nigræ ſiunt facies eorum à
fumo, qui in domo fit. 21 Supra corpus eorum, & ſupra caput eorum volant noctuæ,
& hirundines, & aues etiam ſimiliter & cattæ. 22 Vnde ſciatis quia non ſunt Dij.
Ne ergo timueritis eos. 23 Aurum etiam quod habent ad ſpeciem eſt. Niſi aliquis
exterſerit æruginem non fulgebunt : neque enim dum conflarentur ſentiebant. 24 Ex
omni pretio empta ſunt, in quibus ſpiritus non ineſt ipſis. 25 Sine pedibus in humeris
portantur, oſtentantes ignobilitatem ſuam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea.
26 Propterea ſi ceciderint in terram, à ſemetipſis non conſurgunt : neque ſi quis eum ſta-
tuerit rectum, per ſemetipſum ſtabit : ſed ſicut mortuis munera eorum illis apponentur.
27 Hoſtias illorum vendunt ſacerdotes ipſorum, & abutuntur; ſimiliter & mulieres
eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt. 28 De ſacri-
ficiis eorum fœtæ & menſtruatæ contingunt. Scientes itaque ex his quia non ſunt Dij, ne
timeatis eos. 29 Vnde enim vocantur Dij? Quia mulieres apponunt Dijs argenteis,
& aureis, & ligneis: 30 Et in domibus eorum ſacerdotes ſedent, habentes tunicas ſciſſas,
& capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt. 31 Rugiunt autem clamantes
contra Deos ſuos, ſicut in cœna mortui. 32 Veſtimenta eorum auferunt ſacerdotes, & ve-
ſtiunt vxores ſuas & filios ſuos. 33 Neque ſi quid mali patiuntur ab aliquo, neque ſi
quid boni, poterunt retribuere : neque regem conſtituere poſſunt neq; auferre 34 Similiter
neq; dare diuitias poſſunt, neq; malum retribuere. Si quis illis votum vouerit, & non red-
diderit: neq; hoc requirunt. Hominem à morte non liberant, neq; infirmum à potentiori non
eripiunt. 36 Hominẽ cæcũ ad viſum non reſtituunt: de neceſſitate hominẽ non liberabunt.
37 Viduæ non miſerebuntur, neq; orphanis benefacient. 38 Lapidibus de monte ſimi-
les ſunt Dij illorum lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea, confun-
dentur. 39 Quomodo ergo æſtimandũ eſt, aut dicendũ illos eſſe Deos? 40 Adhuc enim
ipſis Chaldæis non honorantibus ea : qui cùm audierint murum non poſſe loqui, offerunt il-
lud ad Bel, poſtulantes ab eo loqui: 41 Quaſi poſſint ſentire qui non habent motum : &
ipſi cùm intellexerint relinquent ea : ſenſum enim non habent ipſi Dij illorum. 42 Mu-
lieres autem circundatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa oliuarum. 43 Cùm
autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ expro-
brat, quod ea non ſit digna habita, ſicut ipſa, neque funis eius diſruptus ſit. 44 Omnia
autem quæ illis fiunt, falſa ſunt. Quomodo æſtimandum aut dicendum eſt illos eſſe Deos.
45 A fabris autem, & ab aurificibus facta ſunt. Nihil aliud erunt, niſi id quod volunt
eſſe ſacerdotes. 46 Artifices etiam ipſi qui ea faciunt, non ſunt multi temporis. Num-
quid ergo poſſunt ea quæ fabricata ſunt ab ipſis, eſſe Dij? 47 Reliquerunt autem falſa &
opprobrium poſtea futuris. 48 Nam cùm ſuperuenerit illis prælium, & mala cogitant
ſacerdotes poſt ſe, vbi ſe abſcondant cum illis. 49 Quomodo ergo ſentiri debeant, quo-
niam Dij ſunt qui nec de bello ſe liberant, neque de malis ſe eripiunt? 50 Nam cùm ſint
lignea & inaurata, & inargentata, ſcietur poſtea quia falſa ſunt ab vniuerſis Gentibus, &
Regibus: quæ manifeſta ſunt: quia non ſunt Dij, ſed opera manuum hominum, & nullum

Dei opus cum illis. 51 *Vnde ergo notum eſt, quia non ſunt Dij, ſed opera manuum*
hominum, & nullum Dei opus in ipſis eſt? 52 *Regem regioni non ſuſcitant, neque*
pluuiam hominibus dabunt. 53 *Iudicium quoque non diſcernent, neque regiones li-*
berabunt ab iniuria: quia nihil poſſunt, ſicut cornicula inter medium cœli & terræ.
54 *Etenim cùm inciderit ignis in domum Deorum ligneorum, & argenteorum, & au-*
reorum, ſacerdotes quidem ipſorum fugient & liberabuntur: ipſi verò ſicut trabes in me-
dio comburentur. 55 *Regi autem & bello non reſiſtent. Quomodo ergo æſtimandum eſt,*
aut recipiendum quia Dij ſunt? 56 *Non à furibus, neque à latronibus ſe liberabunt*
Dij lignei, & lapidei, & inaurati, & inargentati, quibus hi qui fortiores ſunt.
57 *Aurum, & argentum, & veſtimentum, quo operti ſunt, auferent illis, & abi-*
bunt, nec ſibi auxilium ferent. 58 *Itaque melius eſt eſſe regem oſtentantem virtutem*
ſuam: aut vas in domo vtile, in quo gloriabitur qui poſſidet illud: vel oſtium in domo,
quod cuſtodit quæ in ipſa ſunt: quàm falſi Dij. 59 *Sol quidem, & luna, ac ſydera,*
cùm ſint ſplendida & emiſſa ad vtilitates obaudiunt. 60 *Similiter & fulgur cùm ap-*
paruerit, perſpicuum eſt: idipſum autem ſpiritus in omni regione ſpirat. 61 *Et nubes*
quibus cùm imperatum fuerit à Deo perambulare in vniuerſum orbem, perficiunt quod
imperatum eſt eis. 62 *Ignis etiam miſſus deſuper, vt conſumat montes, & ſyluas,*
facit quod præceptum eſt ei. Hæc autem neque ſpeciebus, neque virtutibus vni eorum ſi-
milia ſunt. 63 *Vnde neque exiſtimandum eſt, neque dicendum illos eſſe Deos, quan-*
do non poſſunt, neque iudicium iudicare, neque quidquam facere hominibus. 64 *Scię-*
tes itaque quia non ſunt Dij, ne ergo timueritis eos. 65 *Neque enim regibus male-*
dicent neque benedicent. 66 *Signa etiam in cœlo gentibus non oſtendunt, neque vt*
ſol lucebunt, neque illuminabunt vt luna. 67 *Beſtiæ meliores ſunt illis, quæ poſſunt*
fugere ſub tectum, ac prodeſſe ſibi. 68 *Nullò itaque modo nobis eſt manifeſtum quia*
ſunt Dij: propter quod ne timeatis eos. 69 *Nam ſicut in cucumerario formido nihil*
cuſtodit: ita ſunt Dij illorum lignei, & argentei, & inaurati. 70 *Eodem modo &*
in horto ſpina alba, ſupra quam omnis auis ſedet: Similiter & mortuo proiecto in tenebris
ſimiles ſunt Dij illorum lignei, & inaurati, & inargentati. 71 *A purpura quoque*
& marmore quæ ſupra illos tineant, ſcietis itaque quia non ſunt Dij. Ipſi etiam poſtremò
comeduntur, & erunt opprobrium in regione, 72 *Melior eſt homo iuſtus qui non ha-*
bet ſimulachra: nam erit longè ab opprobriis.

1. *Exemplum epiſtolæ eiuſdem.*] Eiuſdem non eſt Græcè; neque conuenientem ſenſum habet. Non enim eſt epiſtola Baruch; ſed Ieremiæ. Itaque noſtræ verſioni additum puto. *Ad abductos*, πρὸς τοὺς ἀχθησομένους, ad abducendos, meliùs noſter interpres. Eſt enim futurum pro præterito, quia iam erant abducti.

2. *Abducemini.*] abducti eſtis futurum pro præterito: vel, quod magis credo, ideo per futurum loquitur, quia Ieremias hæc illis prædixerat, antequam in captiuitatem ducerentur; poſtquam verò ducti ſunt, ea Baruch in epiſtolam redacta, ad eos detulit eiſdem verbis ſcripta, quibus ea prædixerat Ieremias.

Quid per generationes ſeptem ſignificetur.

Vſque ad generationes ſeptem. Multi interpretes fruſtrà mihi videntur hoc loco torqueri, vt explicent, quomodo Iudæi per generationes ſeptem in captiuitate manſerint, cùm generationis nomen ſeptuaginta, aut, vt alij dicunt, viginti annorum ſpatium ſignificat. Ego ſimpliciter interpretor Hebræos non ſolere vocare דור. generationem certum annorum ſpatium; ſed omnem inſignem, & notabilem annorum numerum; aliquando centum annos, vt cùm Geneſ. 15. 16. dicitur fore vt Hebræi generatione quarta ex Ægypto reuerterentur; aliquando decem, quia cardinalis etiam numerus eſt. Atque ita neceſ-

ſariò

ſariò hoc loco accipiendum eſt generationis nomen. Manifeſtum enim eſt Ieremiam voluiſſe dicere Iudæos per ſeptuaginta annos in captiuitate futuros eſſe: quemadmodum prædixerat, cap. 25. 11. 12. & c. 29. 10.

3. *Nunc autem.*] νῦν δὲ, ועתה. non ſignificat tempus hoc loco, ſed illationem; ſicut apud Latinos aliquando. *In humeris portari.* hoc eò ſpectat, vt indicet eos eſſe mortuos, qui incedere non poſſint, niſi geſtentur; vt ait Ierem. cap. 10. 5. *portata tollentur, quia incedere non valent.* & Iſai. cap. 46. 1. 2. *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis, & iumentis, onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem. Oſtentantes metum gentibus*, id eſt, ad incutiendum hominibus metum. ſolebant enim Idololatræ Deos ſuos in bello geſtare ad terrendos religione hoſtes, & vt ſibi auxiliarentur, vt colligitur ex Iſai. cap. 46. 2. *Non potuerunt ſaluare portantem, & anima eorum in captiuitatem ibit.* Eodem modo videmus Iudæos arcam Domini in bello geſtaſſe, 1. Reg. 4. 3. 4. 5.

4. *Ne ſimiles efficiamini factis alienis.*] μὴ καὶ ὑμεῖς ἀφομοιωθέντες τοῖς ἀλλοφύλοις ἀφομοιωθῆτε. *Ne & vos ſimiles effecti alienigenis efficiamini.* Hebraiſmus. לא דמה תדמו. id eſt, ne omnino ſimiles alienigenis efficiamini timentes eos, qui nihil neque nocere, neque iuuare poſſunt, vt ait Ierem. cap. 10. 5. *Nolite ergo timere ea, quia nec malè poſſunt facere, nec bene.*

5. *In cordibus veſtris.*] τῇ διανοίᾳ, mente & cogitatione, ſi ore dicerete non audetis.

6. *Angelus autem.*] Græc. ὁ γὰρ ἄγγελός μου, *Angelus enim meus.* quaſi dicat, non debetis timere hoc facere propter Chaldæos: angelus enim meus defendet vos ab illis. Alludit ad Angelum, qui Iudæis ex Ægypto redeuntibus præcedebat, Exod. 33. 2. *Ipſe autem exquiram animas veſtras*, id eſt, vindex veſter ero, vlciſcar mortem veſtram ſi quis eam vobis intulerit. Animam requirere. Hebraiſmus בקש נפש. contrarios habens ſenſus: aliquando enim ſignificat, vindicare, & vlciſci, vt Geneſ. 9. 5. *De manu fratris eius requiram animam eius.* & Pſal. 141. 5. *Periit fuga à me: & non eſt, qui requirat animam meam*, id eſt, qui defendat, vel vlciſcatur me: aliquando ſignificat perſequi ad occidendum; tunc noſter interpres non ſolet vertere. Requirere, aut exquirere: ſed quærere, vt Pſal. 37. 13. & 39. 15. & 53. 5.

Animam requirere contrarios ſenſus poteſt ſenſiuus.

8. *Et ſicut virgini.*] id eſt, tanto ſtudio ea veſtiunt, & ornant auro, quanto ea veſtirent, ſi virgo aliqua eſſet φιλόκοσμος, quæ ornatum amaret.

9. *Unde ſubtrahunt.*] ἔστι δὲ καὶ ὅτε ὑφαιρούμενοι οἱ ἱερεῖς. Accidit autem aliquando vt ſacerdotes aurum à Diis ſuis auferentes in ſuos vſus conuertant. Sic oſtendit eos non eſſe Deos, qui patiantur ſua ſibi ornamenta eripi.

10. *Dant autem & ex ipſo proſtitutis.*] δώσουσι δὲ ἀπ᾽ αὐτῶν καὶ ταῖς ἐπὶ τοῦ τέγους πόρναις. Dabunt autem ex illis (id eſt, ex auro Deorum) meretricibus quæ ſub tecto ſunt, id eſt, quas domi habent. *Et meretrices ornant, & iterum*; &c. Hæc omnia aliter Græcè leguntur. κοσμοῦσι δὲ αὐτοὺς ὡς ἀνθρώπους τοῖς ἐνδύμασι θεοὺς ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς καὶ ξυλίνους. *Ornant autem eos, vt homines; Deos inquam argenteos & aureos & ligneos.* Et tamen *non liberantur ab ærugine, & tineis*, vt ait ver. 11.

12. *Opertis aut.*] περιβεβλημένων αὐτῶν, licet induti ſint veſte purpurea, & licet faciem eorum abſtergant: non, inquam, liberari poſſunt ab ærugine & tinea, propter puluerem domus, qui multus eſt, ſuper eos.

13 *Sceptrum autem habet.*] Deus falſus, idolum. Numeri mutatio. Idola enim cum ſceptro pingebantur, quaſi omnia gubernarent. *Sicut iudex regionis.* ὥσπερ ἄνθρωπος κριτὴς χώρας, quaſi iudex aliquis regionis. Ego ſic interpretor. Duplex

enim Hebraiſmus in iis verbis mihi videtur eſſe; alter ἄνθρωπος κρίτης, *homo iudex*, id eſt, aliquis iudex, vt איש שופט. alter, χώρας, regionis, id eſt, agri, villæ, ruſticus. H. כפר. ſolet enim ruſticus etiam iudex baculum, aut virgam, quaſi ſceptrum geſtare, cùm neminem capitis damnare poſſit, vel, contrario ſenſu. *Habet* (Deus falſus) *ſceptrum in manu ſicut iudex* χώρας, magnæ alicuius regionis, qui (Deus) in ſe peccantem interficere non poteſt.

Dux ex Hebraiſmus.

14. *A latronibus.*] id eſt, ab iis, qui ipſos furantur, multi enim Deos aureos, & argenteos furabantur, cuius criminis Verrem accuſat Cicero: id explicatur ver. 17.

Actione 3. in Verrem.

17. *Circumſepta ſunt ianuæ.*] id eſt, ſicut læſæ maieſtatis reus in carcere clauſus cuſtoditur: aut, ſicut ad ſepulchrum. ὡς ἐπὶ θανάτῳ ἀπηγμένῳ. *Sicut ad mortem adducto*, id eſt, ſicut homo ad mortem damnatus: ita Dij illorum in templis quaſi in carceribus à ſacerdotibus cuſtodiuntur, ne quis eos ſpoliet.

18. *Sicut trabes.*] id eſt, ſunt enim ligna & ſtirpes, qui lumen videre non queunt.

19. *Corda verò.*] id eſt, medullam ligni, ex quo facti ſunt (quam per metaphoram cor appellat) *dicunt* (homines qui viderunt) *elingere ſerpentes*, exedi à ſerpentibus qui ex terra oriuntur, id eſt, vermibus, qui generali nomine, aut per catachreſin ſerpentes appellantur, ſolentque medullam lignorum corredere.

24. *Ex omni pretio empta ſunt.*] id eſt, cariſſimo pretio empta ſunt, cùm mortua ſint, *In quibus ſpiritus non ineſt ipſis.* Hebraiſmus altero relatiuo redundante, qui cùm græcè non ſit, coniectura eſt noſtrum interpretem Hebraicum exemplar habuiſſe.

Interpres Hebraicum exẽplar videtur habuiſſe.

26. *Propterea.*] Gr. διὰ τὸ μή ποτε ἐπὶ γῆς πέσῃ δι' αὐτῶν αἰσχύνονται. (propterea eorum cultores confunduntur) *quia cùm in terram ceciderit* (aliquis eorum) *conſurgere non poteſt.* μήτε ἐάν τις αὐτὸν ὀρθὸν στήσῃ δι' ἑαυτοῦ κινηθήσεται, *nec ſi quis eum rectum conſtituerit, mouere* (id eſt, ambulare) *poteſt.* μήτε ἐὰν κλιθῇ οὐ μὴ ὀρθωθῇ, *nec ſi inclinatum fuerit, erigi poteſt.*

27. *Mulieres eorum decerpentes.*] ex donis idolis oblatis. Gr. ταριχεύουσαι, *condentes*, id eſt, omnia ſibi reſeruantes, & quaſi in theſauro reponentes, pauperibus nihil impertiuntur.

28. *Fœta & menſtruata.*] ἀποκαθημένη καὶ λεχώ, *menſtruata, & puerpera.* Alij codices habent λεχῶν, alij, λόγω, ſed manifeſtum eſt vitium. Erat id in lege Moſis prohibitum, Leuit. cap. 12. 4. & cap. 15. 19. quod non ideo idololatris obiicit, quòd illi eas ceremonias deberent obſeruare, quæ ſolis Iudæis traditæ fuerant, ſed vt ex ipſa cultorum irreuerentia oſtendat eos non eſſe Deos. *Scientes itaque*, γνῶτε οὖν. Scitote itaque forte noſter interpres vertit, Scietis.

29. *Quia mulieres apponunt.*] (dona) ſubiectio eſt ad interrogationem. quaſi dicat, nihil habent vnde Dij appellentur, niſi quòd ſtultæ & ſuperſtitioſæ mulierculæ dona eis tanquam Diis apponunt; cùm tamen argentei, aut aurei, aut lignei ſint; mulieres enim faciunt eos eſſe Deos. Sicut de fortuna quidam dixit.

Iuuenal. Sat. 10.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed nos
Te facimus fortuna Deum, cœlóque locamus.

30. *Et in domibus eorum.*] id eſt, in templis idolorum. Affert aliam cauſam, quamobrem idola Dij vocentur, cùm non ſint, quia in eorum templis ſacerdotes ſedeant, id eſt, habitent, frequens Hebraiſmus. *Habentes tunicas ſciſſas*, id eſt, præ ſe ferentes habitum hominum lugentium, agentiumque pœnitentiam.

Mos Gentium in luctu.

Scitum

Digitized by Google

Scitum enim eſt ſolitas illas gentes in luctu veſtes diſcindere, & barbam, & capillúmque radere, quod Hebræorum ſacerdotibus prohibitum erat, Leuit. 10. 6. & 21. 5. 10. Notat autem hac ratione illorum hypochriſim, & ſimulationem.

31. *Clamantes contra Deos ſuos.*] id eſt, coram Diis ſuis, ἐναντίον τῶν θεῶν αὐτῶν. Quemadmodum ſacerdotes Baal clamaſſe legimus, 3. Reg. 18. 28. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. Sicut in cœna mortui*, id eſt, ſicut rugire, eiularéque ſolent ii, qui in morte alicuius ad cœnandum cum eius cognatis conueniunt, vt eos ſimul plorantes conſolentur: id enim fieri ſolebat, vt ait Ierem. cap. 16. 7. *Et non frangent inter eos lugenti panem, ad conſolandum ſuper mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo, aut matre.* Clamori ergo lugubri, qui in huiuſmodi conuiuiis erat, comparat clamorem ſacerdotum ſua idola inuocantium.

33. *Neque regem conſtituere poſſunt.*] quod Dei proprium eſt, Iob 12. 18. *Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum.* & Daniel 4. 14. *Dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud.*

34. *Neque diuitias.*] Græc. ὡσαύτως, οὔτε πλοῦτον, οὔτε χαλκὸν οὐ μὴ δύνωνται διδόναι. *Similiter, neque diuitias, neque æs dare poſſunt.* Neque hoc requirunt, id eſt, non vleiſcuntur. Hebraiſmus בקש. vt 2. Paralip. 24. 22. *Videat Dominus & requirat.* & Pſal. 9. 33. *Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo non requiret.*

40. *Adhuc enim.*] ἔτι δὲ καὶ αὐτῶν τῶν Χαλδαίων ἀτιμαζόντων αὐτά. *Adhuc autem Chaldæis inhonorantibus eos*; id eſt, præſertim cum Chaldæi ipſi, qui eos colunt, eorum ignominiam prodant, petentes ab eis, quod vident eos nunquam facere. Nam ſi quem mutum inuenerint, cum Belo idolo ſuo offerunt, ab eo poſtulantes, vt illi loquendi facultatem reſtituat, quod cùm non poſſit facere, nihil aliud hac ratione conſequuntur, niſi vt appareat reipſa eorum idolum non eſſe Deum. Sic videntur verba huius verſus cum verbis ſequentis verſus coniungenda, vt congruum ſenſum habere poſſint. πρὸς ἐνεγκάμενοι τὸν Βῆλον, id eſt, ἐνεγκάμενοι πρὸς τὸν Βῆλον. offerentes illum ad Bel, ἀξιοῦσι φωνῆσαι, poſtulant vt loquatur (mutus) id eſt, petunt ab idolo, vt faciat illum loqui; cùm idolum ipſum loquendi facultatem non habeat, nec loqui poſſit.. Hoc eſt quod ſequitur.

41. *Quaſi poſſint ſentire.*] id eſt, preces audire, vel, loqui idola, quæ moueri non poſſunt: minùs enim eſt moueri, quàm loqui. Nam muta animalia mouentur, ſed non loquuntur. Græcè ὡς δυνατοῦ ὄντος αὐτοῦ αἰσθέσθαι. *quaſi poſſit ipſe* (Bel) *ſentire.* Sic legendum, vt noſter legit interpres, & vt nonnulla nunc quoque habent exemplaria, non ἔπεσθαι. Eſſe, vt in Complutenſi vitioſè legitur. *Et ipſi*, cultores, *Cùm intellexerint*, idola non facere, quod ab illis petunt, *relinquunt ea*, id eſt, contemnunt. Græcè contrarius eſt ſenſus, καὶ οὐ δύνανται αὐτοὶ νοήσαντες καταλιπεῖν αὐτά. *Et non poſſunt ipſi intelligentes relinquere ea*, id eſt, cum idolorum cultores hoc videant, atque intelligant, tamen non poſſunt ea relinquere. adeo ſunt excæcati. *Senſum enim non habent ipſi Dij illorum.* Græcè tantùm eſt, αἴσθησιν γὰρ οὐκ ἔχουσιν. *Senſum enim non habent.* (ſubaud. eorum cultores) non enim referri poteſt ad Deos, quia id proprietas linguæ communiter pati non poteſt. Ille enim non dixiſſet ἔχουσι, ſed ἔχει, cùm proceſſerit, αὐτά, genere neutro.

42 *Mu-*

Google

42. *Mulieres.*] Vulgaris huius loci interpretatio eſt. Mulieres ſuperſtitione quadam ſune ſuccinctas, quaſi aliquo magno ſcelere obſtrictæ tenerentur, aut, quaſi pœnitentiam agerent, ſediſſe in via, qua ad idola ibatur, oſſa oliuarum, aut, vt alij interpretantur, πίτυρα; furfures, aut paleas, idolis adolentes, expectaſſe dum aliquis ex prætereuntibus, ſecum rupto fune concumberet; quod ſi feciſſet, mulierem exiſtimaſſe ſibi eum adulterum à Deo miſſum, ſeque à peccato ſuo abſolutam, atque aliis exprobrare ſolitam, quòd dignæ non fuiſſent à Deo ſuo viſitari.

44. *Omnia autem quæ illis fiunt.*] πάντα τὰ γινόμενα ἐν αὐτοῖς ἐστὶν ψευδῆ *Omnia quæ in illis fiunt falſa ſunt.* id eſt, Omnis eorum cultus ſimulatus eſt, & ab hominibus ſuperſtitioſè inuentus.

45. *Quod volunt eſſe ſacerdotes.*] τεχνῖται. *artifices.*

46. *Non ſunt multi temporis.*] id eſt, breuis vitæ ſunt, οὐ μὴ γένωνται πολυχρόνιοι. *Non diu viuent*, quomodo ergo poſſunt facere Deos immortales.

47. *Reliquerunt autem falſa.*] id eſt, non fecerunt Deos immortales, cùm ipſi mortales ſint: ſed pro Diis, erroris, & opprobrij materiam poſteris reliquerunt; magnum enim opprobrium eſt ligna & lapides colere, vt declarat verſu ſequenti, quia tempore belli opus eſt vt abſcondantur, ne eos hoſtes furentur.

49. *Quomodo ergo ſentiri debeant.*] πῶς οὖν οὐκ ἔστιν αἰσθέσθαι ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί; *quomodo ergo non eſt ſentire?* id eſt, quomodo non manifeſtum eſt; quomodo non eſt perſpicuum, manibúſque, vt ita dicam, palpari poteſt eos non eſſe Deos.

50. *Scientur poſtea.*] id eſt, quamuis colantur nunc à multis, experientia tandem omnes gentes, regéſque docebit, ea nihil eſſe, niſi *opera manuum hominum. Et nullum opus Dei cum illis.* καὶ οὐδὲν θεοῦ ἔργον ἐν αὐτοῖς ἐστὶν. *Et nullum opus Dei in illis eſſe*, id eſt, nihil poſſe facere, quod proprium Dei ſit, non mutis loquendi facultatem dare, vt dixit ver. 40. non Reges conſtituere, vt ver. 33. & ſtatim declarat ver. 52.

51. *Vnde ergo notum eſt?*] quaſi dicat, non aliunde, quàm ex ipſa experientia, quaſi dicat, quid opus eſt argumentis vt id probemus. Græc. τίνι οὖν γνωστέον ἐστὶν ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί. *Cur ergo cognoſcendum eſt, eos non eſſe Deos?* id eſt, Quis adeò hebes eſt, & rudis, vt opus ſit eum doceri, eos non eſſe Deos?

52. *Regem regionis.*] id eſt, cùm vnius prouinciæ regem creare, & conſtituere non poſſint, vt ſuprà ver. 33.

53. *Iudicium quoque.*] Græc. κρίσιν τε οὐ μὴ κρίνωσιν αὐτῶν. *Iudicium etiam ipſorum non iudicabunt*; id eſt, non diriment edito miraculo lites hominum: quod proprium eſt Dei. Hac enim ratione declarauit Core, Dathan, & Abiron ſchiſmaticos eſſe dehiſcente diuinitus terra, eóſque abſorbente Num. 16. 31. 32. ſic iudicauit Ozam non debuiſſe Leuitarum officium vſurpare eum occidens, 2. Reg. 6. 7. 8. *Neque regiones liberabunt.* οὐ μὴ ῥύσωνται ἀδίκημα. *Nec liberabunt iniuriam*, id eſt, neque iniuriam propulſare poterunt. *Sicut cornicula*, id eſt, non magis iuuare poſſunt, quàm corniculæ inter cœlum & terram volantes, quæ præter clamorem nihil habent. Propterea comparat corniculis, quia infirmiſſimæ aues ſunt, aut fortaſſis quia earum volatus, & crocitatio ſuperſtitioſi ſolebat ad diuinandas res futuras obſeruare, vt poetæ ſcribunt.

Idola non plus poſſunt quàm Cornicula.

56. *Quibus iniqui fortiores ſunt.*] id eſt, qui illis iniuriam facere volunt, qui eos diripiunt οἱ συλλεγόμενοι.

58. *Itaque melius eſt.*] In hoc verſu, quædam Græcè leguntur, quæ in noſtra verſione deſiderantur: primùm poſt hæc verba. *In quo gloriatur qui poſſidet illud.* ſequi-

ſequitur, ἢ ψευδεῖς θεοί. Deinde in fine, καὶ ξύλινος στῦλος ἐν βασιλείοις· ἢ ψευδεῖς θεοί. *Et lignea columna in domibus regum, quàm falſi Dij.*

59\. *Sol quidem & luna.*] ſub. meliora ſunt idolis, aut ſi vas in domo & columna melior eſt illis, quantò magis ſol & luna, quæ ſuo ſplendore tantam hominibus vtilitatem afferunt, Dei obedientes præcepto? Idemque de fulgure & vento dicendum eſt, quæ aliquid habent vtilitatis, ſeque ſentiri faciunt: & de nubibus, & fulminibus, quæ montes ac ſyluas Dei iuſſu conſumunt.

62\. *Hæc autem* (idola) *neque ſpeciebus, neque formis.*] οὐδὲ ταῖς ἰδέαις, *neque pulchritudine.* neque vſu cum illis rebus comparanda ſunt. *Neque quidquam facere hominibus,* οὔτε εὖ ποιῆσαι ἀνθρώπους, *neque benefacere hominibus.*

65\. *Neque Regibus maledicent.*] id eſt, neque Reges proſperabunt, neque infortunatos reddent; hoc enim eſt hoc loco, Maledicere, & benedicere. Reges autem nominat potiùs, quàm alios homines, quia quamuis in omnibus hominibus, maximè tamen in regibus gubernandis cernitur Dei prouidentia. Ipſe enim confert, conſeruat, amplificat: vel minuit, debilitat, tollit regna, vt indicauit ſuprà vet. 33. & 52. & Iob 12. 18. & Daniel. 4. 14. aliiſque ſcripturæ locis ſignificatur.

66\. *Signa enim in cœlo.*] Alludit ad officium ſolis, & lunæ Geneſ. 1. 14. *fiant luminaria in firmamento, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos.* Et ad gentium ſuperſtitionem, quæ à ſignis cœli timebant, Ierem. cap. 10. 2. *Et à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes.* Probat plùs poſſe Solem & Lunam maiorémque vtilitatem afferre, quàm idola; quia ſaltem ſunt ſigna temporum, & Gentibus metum incutiunt.

69\. *Formido nihil cuſtodit.*] id eſt, terriculum quod in cucumerario poni ſolet, ne aues veniant, προβασκάνιον. Dicit nihil cuſtodire, natura ſua; nam opinione quidem cuſtodit, quia aues & beſtiæ putant aliquem hominem eſſe, cùm non ſit niſi hominis ſimulachrum. Atque prorſus idolum natura quidem ſua nihil poteſt facere; ſed opinione tantùm ſuperſtitioſorum hominum.

71\. *A purpura quoque & murice, quæ ſupra illos teneant.*] Græc. ἀπό τε τῆς πορφύρας καὶ τῆς μαρμάρου τῆς ἐπ' αὐτοῖς σηπομένης. Aliqui vertunt, *à purpura & marmore, quod ſupra ipſis corrumpitur.* Alij, à purpura & ſplendore, qui ſupra illos putreſit. Antiqua exemplaria verſionis noſtræ habent, A purpura & marmore, quæ illos teneant. Credo ego noſtrum interpretem ad hunc modum conuertiſſe, *A purpura & murice, quæ ſuprà illos tineant,* id eſt, tineis exeduntur. Senſus enim valde congruit, & cum verbis Græcis, & cum ratione. *Scietis itaque.* γνώσεσθε ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί (à purpura inquam) *cognoſcetis, quòd non ſint Dij.* fortaſſe in noſtra verſione pro, *Itaque*, legendum eſt, *Itaque*, ſenſúſque eſt magis conſequens. *Et erit opprobrium* id eſt, erit omnibus irriſionis materia. Omnes enim rident, cùm vident aliquod idolum ſemiexeſum, ſine naribus, aut ſine oculis, aut ſine capite, qualia etiam nunc multa Romæ viſuntur.

72\. *Erit longè ab opprobriis.*] ταπείνωσις, eſt; plùs enim vult intelligi, quàm dicit, vt Sap. 3. 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Non enim hoc tantùm iuſti conſequentur, vt opprobriis, & tormento mortis careant: ſed illud etiam, quod maximum eſt, vt Deo ſummo, infinitóque bono fruantur: Cui honor ſit & gloria in ſempiterna ſæcula.

IOANNIS MALDONATI

SOCIETATIS IESV THEOLOGI, COMMENTARII IN EZECHIELEM.

PROOEMIVM.

EZECHIEL apud Hebræos יחזקאל. fortitudinem, aut, vt Origenes, & Hieron.: interpretantur, imperium Dei, ſiue roboratum
ver. 3. à Deo ſignificat. Filius fuit Buzi, vt ipſe initio libri teſtatur, Propheta ſimul & ſacerdos, quemadmodum Ieremias, & ætate illi penè æqualis: ſed alia patria. Nam Ieremias Anathothites, Ezechiel Sarerites fuit, vt Epiphanius in eius vita tradit. In Thargum Ieroſolymitano dicitur filius fuiſſe Ieremiæ, qui Buzi, id eſt, contemptus dicatur, quòd cum omnes contemnerent, idque refert R. Dauid initio comm. ſed Hebræorum fabula eſt. Nonnulli eum Pythagoram philoſophum fuiſſe crediderunt, vt auctor eſt Clemens Alex. lib. 1. Strom: Qui illud etiam alio eiuſdem libri loco refert, alium quoque Ezechielem Hebræum tragœdiarum ſcriptorem fuiſſe; multáq; eius carmina recitat non inelegantia. Conſentiunt omnes auctores eum eum Ioachimo rege in Babylonicam captiuitatem fuiſſe translatum, cum iis qui lib. 4. Reg. cap. 24. Baby-
lib. 1 cap. 34. lonem dicuntur à Nabuchodonoſore traducti fuiſſe. Quid de eo Gnoſtici olim
Quo ætatis anno cœperit vaticinari. fabularentur, leget qui volet apud Irenæum. Sunt qui putent eum trigeſimo ætatis ſuæ anno cœpiſſe vaticinari: in quibus ſunt Orig. Hieron. Gregorius. Et
Orig. hom. 1. Origenes quidem & Gregorius ita interpretantur, quod Ezechiel ipſe dicit ſe
Hiero. in præf. anno trigeſimo iuxta fluuium Chobar cœlos apertos vidiſſe. Res incerta, ſed
Greg. hom. 2. probabilis. Nam & ſenſus myſticus, vt ait Origenes, rectè conuenit. Erat enim Ezechiel figura Chriſti, cui anno trigeſimo baptizato aperti ſunt cœli. Conuenit etiam cum eo numero Hebræorum traditio, vt nemo ante annum ætatis trigeſimum huius Prophetæ principium, & finem legeret, quaſi temerarius eſſet, qui minore ætate tanta myſteria intelligere conaretur, quàm Propheta adeo doctus intellexiſſet. Conuenit ſacerdotis officium, quo nemo niſi 30. annos natus fungi poterat: & eſt rationi conſentaneum Ezechielem ſacerdotem atque Prophetam, eodem tempore ſacerdotij, & prophetiæ munere fun-
Argumentum prophetiæ. gi cœpiſſe. Argumentum idem ferè quod Ieremiæ; ſed aliis figuris, & denſioribus tenebris inuolutum. Scripſit enim in Babylonem eodem tempore, quo Ieremias Ieroſolymis vaticinabatur, eadem de re, eodem ſpiritu. Nam primis viginti quatuor capitibus Iudæorum captiuitatem, & vrbis Ieruſalem excidium prædicit, cauſáſque eius exponit; ſicut Ieremias fecit per viginti ſeptem prima capita. Deinde contra Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Philiſtæos, Tyrios, Ægyptios, Aſſyrios, Babylonios vſque ad caput trigeſimum quartum vaticinatur, vt Ieremias à capite quadrageſimo ſeptimo, vſque ad quinquage-

quagesſimum primum. Extremis quattuordecim capitibus prædicit liberationẽ à captiuitate, Chriſti regnum, templi reſtaurationem, interitum Gog & Magog. Quod aliqua etiam ex parte Ieremias fecit à capite trigeſimo, vſque ad trigeſimum quartum. Scribendi cauſam Hieron. fuiſſe putat, vt Iudæos qui cum Ioachin in Babylone captiui erant, conſolaretur atque ſuſtentaret; cum eos pœniteret, quòd Ieremiæ ſuaſu ſe regi Babylonis tradidiſſent; cùm viderent ſtare adhuc & florere Ieroſolyma, quæ Ieremias inflammanda, euertendaque prædixerat; quod ex Ieremiæ lectione facilè apparet verum eſſe. Nam & in Ieruſalem pſeudoprophetæ erant, qui contra Ieremiæ prophetiam prædicebant, non ſolùm non abducendos in captiuitatem Iudæos, qui Ieroſolymis erant; ſed etiam eos, qui cum Ioachin in Babylone captiui tenerentur, breui redituros, vt prædicit Hananias, cap. 28. Contrà verò Ieremias ad captiuos, qui Babyloni erant, ſcribebat, vt domos ædificarent, plantarẽt hortos, vxores ducerent, filias ſuas nuptui darẽt; ſeptuaginta enim annos eos in captiuitate futuros, c. 29. 5. Erant etiam inter captiuos, qui contra Ieremiam, quaſi contra hominem ſeditioſum, ac turbulentum ad eos, qui Ieroſolymis erant, ſcriberẽt, vt in eum animaduerterent, vt Semeias Nehelamites, c. 29. 24. 25. Confirmat igitur Ezechiel Ieremiæ prædictionem. Vt autem Ioſephus ſcribit, ſua vaticinia litteris tradita in Iudæam tranſmiſit: quæ cùm legiſſet Sedecias, hac potiſſimùm de cauſa nec illi, nec Ieremiæ credidiſſe, quòd cùm vterque captiuitatem prædiceret, in eo tamen diſſentire viderentur, quòd Ieremias diceret Sedeciam Babylonem captiuum ducendum; Ezechiel verò negaret eum Babylonem viſurum. Quod vtrumque verum eſſe euentus comprobauit. Nam ductus quidem eſt Sedecias Babylonem captiuus; ſed oculis orbatus, ita vt eam videre non poſſet. Genus prophetiæ obſcuriſſimum eſt, quamquam ſermo ſimplex eſt & facilis. Obſcuritatis cauſas Theodoretus duas eſſe exiſtimat; alteram, quòd maxima tractet myſteria, & non ſint margaritæ ante porcos proiiciendæ; alteram, quod Iudæos accuſet, gentium verò vocationem & fælicitatem prædicat: verendum autem fuiſſe, ne ſi Iudæi planè intelligent, inuidia librum abolerent. Creditur aliquos etiam alios ſcripſiſſe libros. Nam & Ioſephus duorum librorum eius meminit, & Athanaſius in Synopſi præter hanc prophetiam quendam eius librum inter apocrypha connumerat. Idem quoque Athanaſius in libro de incarnatione Verbi, auctor eſt eum populi cauſa interfectum fuiſſe. Addit Epiphanius à duce populi occiſum, quòd eius idololatriam reprehenderet, ſepultúmque in terra Aſſyriorum in monumento Sem & Arphaxat progenitorum Abrahæ, quod ad ſua vſque tempora extitiſſe dicit. Aggrediamur igitur Prophetæ, ſacerdotis, martyris precibus adiuti myſteria eius enarrare.

Cur ad ſcribendum impulſus.

lib. 10. Antiq. c. 10.

Iere. 21. 7. Ezechiel. 12. 11.

4. Reg. 25. 7. & Ierem. 39. 7. & 52. 11. Cur tam obſcurè ſcripſerit.

PROPHETIA EZECHIELIS.

CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt in trigeſimo anno, in quarto, in quinta menſis cùm eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei.
2 *In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus transmigrationis regis Ioachin:*
3 *Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi ſacerdotem in terra Chal-*

requirat. *In trigeſimo anno.* Origenes hom. 1. & Gregor. hom. 2. in hunc locum, trigeſimum annum ætatis Ezechielis notari putant: quod Hieronymus meritò non probat, nec enim ſolent Prophetæ à natali ſuo annos numerare, &, ſi id dicere voluiſſet, dixiſſet clariùs. Alij Ionatham Chaldæum auctorem ſecuti trigeſimum annum ab eo tempore, quo liber legis in templo per Helciam ſacerdotem repertus eſt, 4. Reg. 22. 8. ſignificari dicunt. Alij, vt R. Dauid, & eius pater R. Ioſeph trigeſimum annum ab vltimo iubilæo. Vtrumque fortaſſe verum eſt, ſed non mihi videtur Propheta id dicere voluiſſe. Quorſum enim vel ab inuentione libri, vel à iubilæo præter conſuetudinem numeraſſet. Itaque optimè omnium mea ſententia Theodoretus interpretatur, *Trigeſimo anno* captiuitatis. Credibile enim eſt Prophetam accommodatè ad rem, de qua agebat, locutum eſſe, non autem agebat aut de ætate ſua, aut de legis inuentione, aut de iubilæo; ſed de captiuitate, ab initio igitur non ætatis ſuæ, non inuentæ legis, non iubilæi; ſed captiuitatis credendum eſt eum annos numeraſſe. Accedit, quòd, vt ait Theodor. paulò pòſt cap. 4. 6. Deus dicit Prophetæ, *Et cùm compleueris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundo: & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, inquam, pro anno dedi tibi:* quibus verbis ſignificat adhuc quadraginta captiuitatis annos ſupereſſe. Erant autem anni futuri captiuitatis ſeptuaginta, 2. Paral. 36. 21. & Ierem. 25. 11. 12. & 29. 10. præceſſerant ergo iam anni triginta. Totidem autem reperiemus, ſi ab eo tempore quo Dei ſententia pronuntiata eſt, initium numerandi ſumamus. Fuit autem ſententia pronuntiata anno decimo octauo Ioſiæ, 4. Reg. 22. 16. his verbis, *Hæc dicit Dominus, Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, omnia verba legis, quæ legit rex Iuda.* Regnauit autem Ioſias triginta vnum annum, 4. Reg. 22. 1. itaque ſuperfuerunt ex eius regno anni tredecim: Ioacim autem, qui & Eliacim, vndecim annis, 4. Reg. 23. 36. ſunt viginti quattuor: Ioachaz autem tribus menſibus, 4. Reg. 23. 31 & Iechonias aliis tribus, 4. Reg. 24. 8. qui ſex menſes cum eo, quod ſuperabat ex decimo octauo Ioſiæ pro vno anno computantur, efficiúntque annos viginti quinque: quibus ſi iungas quinque annos captiuitatis Iechoniæ, quo tempore hæc prophetia edita fuiſſe dicitur, ver. 2. reperies annos triginta. Quòd autem Propheta tempus captiuitatis à pronunciatione ſententiæ numeret, non debet, inquit Theodor. mirum videri; ſolet enim Deus id facere ſua miſericordia. Nam & Abrahamo Deus dixit, Geneſ. 15. 13. *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis.* at non reperimus Hebræos quadringentos annos in Ægypto fuiſſe, niſi ab eo tempore, quo ſententia pronuntiata eſt, tempus numeremus. Cæteræ interpretationes quamuis, quod attinet ad annorum numerum, eòdem redeant, tamen non ſunt ad ſenſum Prophetæ accommodatæ; præterquam quod illud quod de iubilæo dicitur, incertum eſt; etſi ſcio R. Dauid contendere in eundem annum iubilæum incidiſſe, & auctorem סדרעלם. & R. Salom. id docere. *In quarto*, Menſe. ita loquuntur Hebræi, cùm poſtea ſequitur dies menſis: quemadmodum ſi dicerent, quarto menſe, die quinta. Quartus autem menſis intelligitur anni trigeſimi, qui reſpondet menſi Iunio noſtro. Nam à menſe Martio Hebræi annum exordiebantur, vt apparet Exod. 12. 2. 18. Chaldæus Paraphraſtes, בתמוז. in (menſe) Tamuz, qui idem eſt Iunius. *Cùm eſſem in medio captiuorum.* H. ואני בתוך הג ולה. & ego in medio tranſmigrationis. Hebraïſmus, pro, cùm verſarer inter captiuos, qui Babylonem tranſmigrauerant. Non vocat

Quo tempore facta fuerit hæc viſio.

Anni captiuitatis.

Hebraiſmus.

שְׁבִי. captiuitatem, ſed גּוֹלָה transmigrationem, quia Iechonias non fuerat vi captus; ſed ſponte ſeſe regi Babylonis tradiderat, 4. Reg. 24. 12. Quod idem diſcrimen Ieremias diligenter obſeruauit, cap. 24. 5. & c. 28. 4. 6. & c. 29. 1. 4. 16. 20. quamuis ſæpe aliàs Prophetæ captiuitatem & transmigrationem in vnum confundant. *Iuxta fluuium Chobar.* Hunc fluuium nonnulli eum eſſe putant, quem Strabo lib. 16. & Ptolomæus Aborram vocant. Alij aliquem alium, multos enim fluuios Babylonem alluere, vt ex Pſalm. 136. 1. colligitur, *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus.* Meliùs Hebræi, vt R. Dauid ex ſententia R. Ioden, & R. Hona recitat, Euphratem interpretantur, quem fluuium Babylonis fuiſſe conſtat. *Aperti ſunt cœli,* Non reuera, ſed metonymicè, vt Hieronymus, & Theodoretus exiſtimant. Sæpe enim hæc phraſis apud Hebræos, non veritatem, ſed effectum ſignificat, vt Geneſ. 3. 7. Oculi Adami, & Euæ aperti fuiſſe dicuntur; non quòd antè fuiſſent clauſi: ſed quòd ita videre cœperint, vt ſi antè clauſi fuiſſent, deinde aperti. ita in Euangeliis paſſim cœcorum oculi, ſurdorum aures, mutorum ora dicuntur aperiri, Matth. 9. 30. Mar. 7. 35. Lucæ 1. 64. & 24. 31. Ioan. 9. 10. Eodem modo Chriſto baptizato aperti ſunt cœli, Matth. 3. 16. & Stephano, Act. 7. 56. etſi ſcio eſſe, qui aliter ſentiant. Nihil ergo aliud eſt cœlos fuiſſe illi apertos, quàm ita diuina myſteria illi fuiſſe patefacta, vt ſi cœli ipſi aperti fuiſſent. *Et vidi viſiones Dei*, id eſt, quas mihi Deus reuelauit. quaſi dicat, non ſomniaui, neque finxi, ſed à Deo accepi, quæ dicturus ſum; vel, vt interpretatur R. Dauid, vidi res magnas, & admirabiles. Nam Hebræi, vt ſæpe indicauimus, res omnes magnas res Dei vocant, vt *montes Dei,* Pſalm. 35. 7. *Cedros Dei,* Pſalm. 79. 11. Viſiones autem dixit, quia ſæpe vidit, vel quia vno tempore res diuerſas, animalia, rotas, imaginem hominis electrini, vt adnotauit R. Moſes lib. 3. More, cap. 6.

Chobar fluuius quid.

2. *Transmigrationis regis Ioachin.*] Hic eſt qui alio nomine aut cognomento Iechonias dici ſolet, 1. Paral. 3. 16. 17. & Ierem. 22. 24. 28. & Mat. 1. 11. 12. cur autē transmigrationem dicat, non captiuitatem, ſuperiori verſu expoſuimus. *Ad Ezechielem,* id eſt, ad me, loquitur enim de ſe per tertiam perſonā, vt fieri ſolet.

Traditio Hebræorū de loco, vbi Deus Prophetis loquatur, vana.

3. *Secus flumen Chobar.*] Traditio Hebræorum eſt, vt R. Sal. & R. Dauid hoc loco recitant numquam Spiritum ſanctum extra terram ſanctam Prophetis loqui, propterea Ionam fugiſſe in Tharſis, id eſt, in mare à facie Domini. quaſi Spiritum ſanctum poſſet effugere, Ion. 1. 3. vt illic R. Sal. adnotauit, ſi quando verò extra terram ſanctam loquitur, non loqui niſi in aliquo loco mundo, qualia ſunt ea, quæ ſunt iuxta aquas, ideóque Ezechielem dixiſſe ſe hanc viſionem habuiſſe iuxta fluuium Chobar, vt ſcribit R. Dauid. Itaque putant Ezechielem priùs in Ieruſalem afflatum fuiſſe à Deo; deinde in Babylone iuxta fluuium Chobar, quæ priùs viderat, iterum vidiſſe. Quam ſententiam Ionathas etiam Chaldæus expreſſit. Sed hæc Iudaïca ſunt & vana, Propheta enim apertè ſignificat ſe Babyloni primum prophetiæ ſpiritum accepiſſe. Simile eſt illud, quod nonnulli Hebræi dicunt, quemadmodum refert R. Salom. non eſſe hoc huius libri initium, ſed illud c. 2. 2. *Fili hominis ſta ſupra pedes tuos.* Alij aliud. *Et facta eſt ſuper eum ibi manus Domini* id eſt, vehementi ſpiritu prophetiæ agitari cœpit, vt Ionath. interpretatur. Dicunt enim manum Domini vocari prophetiam, quæ magno quodam impetu mittitur, ita vt Prophetam perturbet, vt inf. c. 3. 22. 23. *Et facta eſt ſuper me manus Domini, & cecidi in faciem meam.* Aliàs generaliter prophetiam ſignificat, vt infrà cap. 8. 1. & cap. 37. 1. & cap. 40. 1.

Manus Domini quid.

Viſio hæc quā difficilis

4. *Et vidi.*] Incipit viſionem ſuā narrare, quæ vſque adeo difficilis eſt, vt Iudæi

non

Digitized by Google

non ſolùm ab eius lectione homines ante annum ætatis trigeſimum arceant: ſed ne ſcriptis quidem commentariis explicare fas eſſe putent, niſi ſumma capita attingendo. Itaque magna apud eos quæſtio eſt, quatenus ſingulas huius viſionis partes explanare liceat, vt intelligi poteſt ex R. Moſe Ægyptio lib. 3. More cap. 6. Nos iſta Iudæorum ſuperſtitione non tenemur. Nihil enim Prophetam ſcripſiſſe credimus, quod nollet ab omnibus, qui modeſtè piéque legerent, intelligi. Itaque dabimus operam, quantam poterimus maximam, vt ipſius Prophetæ adiuti precibus, verum ſenſum quoad imbecillitas ingenij noſtri patietur, emulceamus. Et quia obſcuritas in duabus rebus eſt, in figuræ deſcriptione, quam Propheta vidit, & in myſtica eius interpretatione, & quaſi in ænigmatis cuiuſdam ſolutione; & vtrumque ſimul fieri commodè non poteſt: priùs ſingula verba explicabimus, & figuram deſcribemus, qua conſtituta, quid ſignificet, declarabimus. Quod vtrumque difficillimum eſt. Itaque quemadmodum apud Dan. cap. 2. duo erant à Magis diuinanda, quid Nabuchodonoſor ſomniaſſet, & quid ſomnium ſignificaret: ita nobis hoc loco duo quærenda ſunt, quid Ezechiel viderit, quod ille obſcurè tantùm indicat, & quid res ab eo viſæ ſignificent, quod ille nullo modo videtur expoſuiſſe, ſed diuinandum lectoribus reliquiſſe. *Et ecce.* והנה. Hæc dictio nota eſt rei ſubditæ, & admirabilis, vt infrà c. 2. 9. *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me. Ventus turbinis*, id eſt, turbulentus, turbines excitans. Hebraiſmus, aut per hypallagen, turbinem vento agitatum: myſticam ſignificationem poſtea, vt promiſimus, explanabimus. *Ab Aquilone*, id eſt, à Chaldæa, quæ Iudææ Aquilonaris erat, Ier. 1. 13. 14. & 4. 6. & 6. 1. Nam quamuis Ezechiel in Chaldæa eſſet, inibíque viſum hoc exceperit, tamen quia de Iudæa agit, ita loquitur, vt ſi Ieroſolymis eſſet. *Et nubes magna.* vento aduehebatur. *Et ignis inuoluens.* ſeſe implicans in ipſa nube; quaſi dicat, vidi nubem magnam, & flammantem, aut fulgurantem. H. ואש מתלקחת. & ignem recipientem ſeſe, id eſt, micantem, erumpentem è nube, & ſe iterum recipientem, ſicut domo aliqua conflagrante, flammæ foras erumpunt, & rurſus intus recipiuntur: aut, quemadmodum fulgura è nubibus ita emicant, vt ſe iterum intra nubes receptare videantur: deſcribit enim Propheta magnam tempeſtatem. *Et ſplendor in circuitu eius.* nubis, vt rectè adnotat R. Salom. Nam in circuitu ignis non poterat non eſſe ſplendor, ſed ſignificat adeò frequentes fuiſſe coruſcationes, & flammarum ex nube eruptiones, vt totum, quod circum nubem erat, ſpatium colluceret. *Et de medio eius.* H. ומתוכה. & è medio eius. ſub. ignis, vt apparet ex genere fœminino. אש enim, id eſt, ignis, Hebraicè fœminini generis eſt. Itaque in noſtra verſione non eſt legendum, De medio ignis, vt plerique libri habent: ſed *de medio eius*, vt emendatiores habent, & vt Sept. quoque verterunt, ἐν μέσῳ αὐτῆς, ſub. πυρὸς, nam νεφέλης intelligi non poteſt, quia fœminini generis eſt, & quia ſtatim Propheta exponit ſe de medio ignis loqui, repetens מתוך האש. *de medio* (inquam) *ignis.* Itaque miror Chald. Paraphr. vertiſſe, De medio nubis, & turbinis, Hebraica lectione repugnante. Significat ergo Propheta ſe vidiſſe in medio ignis, qui intra nubem conceptus erat, flammáſque eiiciebat, imaginem electrinam. *Quaſi ſpecies electri.* H. החשמל. Dicunt Hebræi חשמל. non eſſe verbum Hebraicum, nec alibi extra hunc locum reperiri, niſi inf. v. 27. & c. 8. 2. Putant autem pleriq; angelum ſignificare, vt referunt R. Dauid, & R. Salom. Itaque Chald. Paraphr. ipſam dictionem immutatam reliquit חשמלא Multò meliùs noſter interpres, & Septuaginta verterunt. Electrum, quod, vt ait Plinius, metallum eſt ex auro

&

Lib. 32 hiſt. nat cap. 4. & quinta parte argenti: aut, vt alij dicunt, ſuccinum medij penè coloris inter aurum & argẽtum, quod Galli, Itali, & Hiſpani *ambar* appellant. Nam colorem aliquem ſignificare manifeſtum eſt ex cap. 8. ver. 2. vbi deſcribens Propheta colorem eius, quem in igne viderat, dicit à lumbis ſurſum verſus ſimilem fuiſſe igni, deorſum verò ſimilem ר שׁבל. vbi חשמל, non poteſt angelum ſignificare: ſed colorem aliquem, eumque minùs rubentem, quàm ignem. Opponit enim eum colori ignis, vultq; indicare illum quem viderat, minùs ſplendidum fuiſſe infra lumbos, quàm ſuprà, vnde intelligitur חצמל. colorem electri, aut ele-*Nota de Cabaliſtis.* ctrum ipſum appellari. Sunt etiam qui, cùm hanc dictionem nihil ſignificare videant, ſuſpicentur aliquid in ea cabaliſticum deliteſcere; eſſeque את בש, vt vocant Hebræi, id eſt, dictionem compoſitam ex litteris alphabethi ordine inuerſo, vt nomen Seſach, id eſt, Babel, apud Ieremiam c. 25. 26. & c. 51. 41. Quod ſi fiat in חצמל. fiet ס־ין, quod nihil ſignificat. Sin autem legatur inuerſis, vt illi volunt, litteris למשח. ſignificabit vngendum, id eſt, Chriſtum. Itaque ſi legas חצמל, Hebræorum more à dextra in ſiniſtram inuenies nomen quod nihil ſignificabit: ſi à ſiniſtra in dextram inuenies חצמל Chriſtum. Quod in omni ſcripturę ſacræ lectione ſolet accidere: ſi enim Hebræorum more ſcripturam legas, nihil præter verba & voces nihil myſterij ſignificantes inuenies: ſi verò legas Chriſtianorum more, vbiq; Chriſtum reperies. Non mihi diſplicet hoc ſtudium myſteria & Chriſtum vbique quærendi: ſed nunc tantùm figuram deſcribimus, quã ſe Propheta vidiſſe dicit: quam non dubitamus hominis imaginem fuiſſe coloris electrini, vt cap. 10. depingitur.

5. *Et ex medio eius.*] Sic legendum, non vt alij codices legunt, In medio earum. Nam & Hebraïcè ſingularis numerus eſt ומתוכה. & Sept. ita verterunt, *ἐν μέσῳ αὐτῆς*, quanquam initio verſus verterunt, *καὶ φέγγος ἐν αὐτῷ, & ſplendor in ipſo*, quod Hebraïcè non eſt. Senſus autem eſt, ומתוכה. *& ex medio eius*, ignis, vt ex genere fœminino conſtat, quemadmodum v. 4. Vocant Hebræi hanc viſionem מרכבה. id eſt, quadrigam, quod ex quaternis animalibus, ex quaternis vultibus, ex quaternis rotis conſtet. *Similitudo quattuor animalium.* Sunt qui putent hæc quattuor animalia vnum & idem animal fuiſſe, quattuor animalium ſpeciem referens; quòd c. 10. 15. repetens hanc viſionem dicat, *Et eleuata ſunt Cherubim: ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.* & v. 20. *Ipſum eſt animal, quod vidi ſubter Deum Iſraël, iuxta fluuium Chobar.* Alij è contrario vnumquodque animal putant fuiſſe quadripartitum, & vnicuique parti quattuor facies: itaq; fuiſſe ſexaginta quattuor facies, & ducẽtas quinquaginta ſex alas: ita Chaldæus Paraphr. Sed verior eſt communis omnium, & Hebræorum, & Græcorum, & Latinorum ſententia, quattuor animalia fuiſſe diſtincta. Nam & quattuor vocat Propheta; etſi non vocaret, tamen ratio ipſa quadrigæ, quam deſcribit, poſtularet, vt quattuor animalia re, locoq; ſeparata eſſe diceremus; ſicut quattuor rotæ ſunt. Similitudinem autem appellauit, vt Hieron. ait, quia non erant vera animalia; ſed animalium tantùm ſpeciem præ ſe ferebant. *Et hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis.* id eſt, forma eorum ſimilis erat formæ humanæ, abundat alterum relatiuum Hebræorum conſuetudine. Quidam מראיהן. colorem eorum interpretantur, minùs propriè: non enim hîc de colore agitur; ſed de forma. *Quattuor facies vni*, id eſt, vnicuiq; quattuor erant facies Hebræis frequẽter occurrens. *Et quattuor pēnæ vni.* H. וארבע כנפים לאח־ להם. & quattuor alæ vnicuiq; earum (facierum) ita vt vnumquodq; animal haberet ſedecim alas, vt R. Salom. & Chaldæus Paraphraſtes interpretantur, quibus

ego

ego libenter aſſentior hac in re:& quia verba Hebraïcè hunc ſenſum præ ſe ferunt,& quia ratio ipſa exigere videtur vt vnicuique faciei quattuor alæ ſubiiciantur, duæ ad tegendam eam partem corporis, quæ illi reſpondet, duæ verò ad volandum verſus eam partem,in quam facies ſpectabat. Quamquam illi in eo mihi videntur errare quòd ſedecim animalia fuiſſe putant, ac proinde ducentas quinquaginta ſex alas habuiſſe; ego quia quattuor tantùm animalia fuiſſe arbitror,&vnumquodque quattuor facies habuiſſe;vnicuique autem faciei quattuor alas fuiſſe ſubiectas;non niſi ſexaginta quattuor alas fuiſſe dico.

7. *Et pedes eorum.*] pedes vocat tibias & crura,quemadmodum rectè Septuaginta reddiderunt, *καὶ τὰ σκέλη αὐτῶν ὀρθά, & crura eorum recta.* Recta autem vocat,quæ vertebras ac iuncturas non habebant, qualia dicuntur crura elephantis eſſe,præterea æquabilia veluti teretes fiſtulas, itá vt eadem facilitate in omnem partem gradi poſſent. Ex qua figura colligitur non habuiſſe ſingula animalia quattuor pedes, vt nonnulli putant: ſed duos tantùm. Nam ſi quattuor habuiſſent,non fuiſſent rotundi; non enim iiſdem pedibus in omnem partem ambulaſſent: ſicut non iiſdem alis in omnem partem volabant, quia plures duabus habebant;nec erant animalia quadrupedia, quæ non niſi quattuor pedibus poſſent incedere;dixit enim verſu 5. humanam formam habuiſſe,homo autem bipes eſt, non quadrupes. *Quaſi planta pedis vituli.* H. ככף רגל עגל. Ionathan & R.Salom. interpretantur, quaſi planta pedis rotundi ſicut & Aquila auctore Hieronymo tranſtulit: quaſi legerint עגול. quod rotundum ſignificat. Senſus valde mihi videtur conuenire. quaſi dicat, habuiſſe pedes rotundos ac teretes, ſicut & tibias, aptoſque vt quoquò verſus eadem facilitate incederent: qualis eſſe ſolent pedes lignei, quibus claudos vti videmus. Noſter verò interpres pedes vituli vertit, quia עגל. dempto ו. vitulum ſignificat. Senſus verò eodem ferè redit; nam & pedes vituli rotundi quodammodo ſunt, vt ipſe Hieronymus verſionis noſtræ auctor, in commentariis exponit. Septuaginta verò cur tranſtulerint, *καὶ πτερωτοὶ οἱ πόδες αὐτῶν, & pedes eorum pennati* non ſatis intelligo;niſi quòd ſuſpicor legiſſe eos בכף. alam pro, כף. planta,quod non niſi exigua littera differunt: quaſi diceret, pedes eorum ſimiles erant pedibus aligeris. Sed quorſum teretes,ſi aligeri? Itaque prior ſenſus meliùs hæret. Addunt etiam Sept. quod Hebraïcè, vt Hieronymus adnotauit, non legitur. *καὶ ἐλαφραὶ αἱ πτέρυγες αὐτῶν, & alæ eorum leues. Et ſcintillæ quaſi aſpectus ignis candentis.* H. ונצצים כעין נחשת קלל. & ſcintillantes (ſub. erant pedes eorum) ſicut æs terſum, ac politum. Significat pedes animalium prorſus teretes fuiſſe nullámque habuiſſe inæqualitatem, ita vt ſplendor ex illis, tanquam ex ære polito ſcintillare videretur.

8. *Et manus hominis.*] id eſt, brachia ſimilia brachiis humanis erant ſub pennis eorum. manus vocauit brachia per ſynecdochem, ſicut verſu præcedenti tibias vocauit pedes. *In quattuor partibus.* על ארבעת רבעיהם,in quattuor partibus eorum (animalium) id eſt,reſpondentia quattuor eorum vultibus, vt vni vultui duo brachia ſubiicerentur, eſſéntque vnicuique animali brachia ſedecim. *Et facies & pennas per quattuor partes habebant*, id eſt, omni ex parte,aut, verſus omnem partem: vt in omnem partem aſpicere, & in omnem partem ambulare poſſent. H. ופניהם וכנפיהם לארבעתם. Et facies eorum & pennæ eorum ipſis quattuor: quæ phraſis propriè ſignificat facies & pennas eorum æquales fuiſſe, id eſt, vt facies, ac tot pennas vnum habuiſſe, quot aliud, nec vllam fuiſſe inter ea differentiam: vt explicant Ionathas & R. Salom. Eodem

ſenſu Septuag. ſed obſcuriùs, *καὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν καὶ αἱ πτέρυγες αὐτῶν τῶν τεσσάρων*, *& facies eorum, & pennæ eorum quattuor* (animalium.)

9. *Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.*] Ita vt vno, eodemque impetu omnia ſimul in eandem partem, æqualique celeritate volare poſſent. Hebraïce alius videtur eſſe ſenſus. כנפהם חברות אשה אל אחותה coniunctæ altera ad alteram pennæ eorum: ſicut & Septuag. verterunt *ἐχόμεναι ἑτέρα τῆς ἑτέρας*: vt non ſit ſenſus, vnius animalis alas alis alterius fuiſſe coniunctas: ſed in eodem animali alam vnius faciei alæ alterius faciei, ita vt totum animal alis tectum eſſet. *Non reuertebantur cùm incederent*, id eſt, non vertebant ſe, ſicut animalia ſe vertunt cùm in contrariam partem ire volunt; quia habebant faciem in omnem partem, alas in omnem partem, tibias, pedeſque rotundos, vt in omnem partem ſine vlla corporis conuerſione ire poſſent. *Vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur*, id eſt, quocumque verſus vellet gradi poterat, quia & alas habebat, & pedes rotundos, aptoſque, vt verſus omnem partem graderentur, ita R. Salom. Hebraïſmum reſoluit, cui ſimilis eſt infrà cap. 10. 22. Alius etiam ſenſus videtur mihi eſſe poſſe, *Vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur*, id eſt, quocumque graderetur, gradiebatur aduerſum, vt Latini loquuntur, id eſt, rectà verſus eam partem, in quam eius facies ſpectabat, quia verſus omnem partem faciem aliquam habebat.

10. *Facies hominis & facies leonis.*] Dixerat verſu 5. *Et hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis:* Quomodo ergo nunc dicit, non niſi vnam è quattuor faciem humanam habuiſſe, cæteras fuiſſe aliam leonis, aliam bouis, aliam aquilæ? Reſpondent plerique omnes fuiſſe humanas facies: ſed vnam prorſus humanam, pulchram, placidam, nihilque ferinum præ ſe ferentem: alias quamuis humanas tamen aliquid ferinum habuiſſe: ita vt alia leoninum, alia bouinum, alia aquilinum quiddam referret, quale in multis hominibus animaduertimus. Nam & Ariſt. in phyſiognomica alios homines ad leones, alios ad boues, alios ad alia animalia referri dixit; & Plato ſingulos homines aliquid in cerebro, alicuius beſtiæ habere docuit. Probabilis eſt hæc interpretatio; ſed neque certa eſt, neque neceſſaria. Nam quod verſu 5. dixit, *Similitudo hominis in eis*, interpretari poſſumus, ſingula animalia, ſi totum corpus ſpectes, ſimilitudinem hominis habuiſſe; ſed nihil id obſtare, quominus alas habuerint, ſicut volucres, & facies diuerſorum animalium. *A dextris ipſorum quattuor.* Quomodo dextrum & ſiniſtrum hoc loco ſit intelligendum magna inter interpretes diſſentio eſt. Alij dextrum & ſiniſtrum ipſorum animalium intelligunt, quemadmodum videntur ipſa verba ſonare: at cùm animalia quattuor facies haberent, neque dextrum neque ſiniſtrum habere poterant. Nam ſi quis homo quattuor facies haberet, nec dextera, nec ſiniſtra in eo notari poſſet. Alij dextrum & ſiniſtrum mundi accipiendum putant; quod nullo modo conuenire poteſt. Nam ſi ad dextrum mundi latus, quod Oriens eſſe dicitur, duo erant animalia; & ad ſiniſtrum, id eſt, ad occaſum alia duo; neque ad meridiem, nec ad Septentriones vllum fuit animal. Non ergo verſus omnem partem ſpectabant: non ergo verſus omnem partem incedere poterant, niſi conuerterentur: Quod aduerſatur iis, quæ verſu octauo & nono dicta ſunt. Alij dextrum & ſiniſtrum ipſius Prophetæ interpretantur: quod minùs etiam conuenit. Nam cùm eſſent in quadratam figuram animalia diſtributa, non poterant in ſingulis facies hominis & facies leonis ad dexteram Prophetæ, facies autem bouis & aquilæ ad ſiniſtram eſſe: cùm Propheta ſignificet

Dextrum, & ſiniſtrum in hac viſione quomodo debeat accipi.

facies

facies eodem ordine in ſingulis animalibus fuiſſe diſpoſitas, idque ratio ipſa, & ſignificatio figuræ poſtulet. Verus igitur ſenſus mihi videtur eſſe, vt cùm in vnoquoque animali quattuor eſſent facies: atque inter eas vna humana, ab ea tanquam à præcipua dextrum & ſiniſtrum dicatur: vt velit dicere, ad dexteram faciei humanæ vniuſcuiuſque animalis fuiſſe faciem leonis; & ad ſiniſtram faciem bouis; & ponè faciem aquilæ. Sic enim Hebraïcè iungenda ſunt verba. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis*; poſito hîc puncto, vt in multis etiam Latinis libris eſt: quaſi dicat, Similitudo vultus eadem erat omnibus, omnia enim faciem hominis habebant: deinde ſequatur, *Et facies leonis à dextris ipſorum quattuor*, id eſt, ad dexteram faciei humanæ vniuſcuiuſque ex quattuor, quod Hebraïcè clariùs dicitur. א׳ הימין לארבעתם. ad dexteram ipſis quattuor. Itaque non ſignificat faciem hominis & faciem leonis eſſe ad dexteram: ſed faciem leonis eſſe ad dexteram faciei humanæ. Nam ſi vtramque faciem hominis & leonis ad dexteram fuiſſe diceret; vtramque etiam faciem bouis & aquilæ diceret fuiſſe ad ſiniſtram; at non dicit fuiſſe ad ſiniſtram niſi faciem bouis, non ergo dicit fuiſſe ad dexteram niſi faciem leonis. Neque verò intelligi poteſt quomodo duæ facies ad dextram fuerint in vnoquoque animali, ſiue dextrum mundi, ſiue animalis, ſiue Prophetæ ſpectes; cùm in quattuor diuerſas partes quattuor facies ſpectauerint. Quod ergo noſter interpres dicit, *Et facies aquilæ deſuper ipſorum quattuor*. Hebraïcè non ita eſt; non enim legitur, *Deſuper*, nec id Septuag. verterunt: neque nominatur locus, vbi fuerit, quia id facilè intelligi poterat: cùm enim facies leonis eſſet ad dexteram faciei humanæ, & facies bouis ad ſiniſtram, non poterat facies aquilæ eſſe niſi ponè, faciei hominis auerſa. Neque, vt opinor, noſter interpres, cùm dixit, *Deſuper*, voluit ſignificare faciem aquilæ ſupra alias fuiſſe: ſed fuiſſe à tergo capite cæteris altiore, quia aquilæ pro ratione corporis longius quàm cætera animalia collum habent.

11. *Et facies eorum.*] Sunt qui putent ſenſum eſſe, facies eorum, quemadmodum & alas, extentas fuiſſe deſuper, quod ne intelligi quidem poteſt. Meliùs ergo R. Dauid putat hunc eſſe epilogum, & quaſi tranſitionem ad alia. quaſi dicat, Et quidem facies ad hunc modum, quem expoſui, ſeſe habebant. Alæ autem eorum extentæ erant deſuper, vt ו. &, hoc loco aduerſatiua ſit, ſicut in aliis multis. Cùm autem dicit pennas eorum extentas fuiſſe deſuper, non omnes pennas intelligit: ſed eas tantùm quæ ſupernè erant vt ſtatim explicat, *Duæ pennæ ſingulorum iungebantur*. ſub. deſuper extentæ, quaſi ſemper paratæ ad volandum verſus quamlibet partem. Non ergo intelligendum eſt pennam vnius animalis pennæ alterius fuiſſe coniunctam, quemadmodum plerique depingunt: ſed pennam vnius pennæ alteri eiuſdem vt verſu 9. explicauimus. Nec intelligit duas alas eiuſdem faciei deſuper fuiſſe: vt multi pingunt: ſed alam vnius faciei alæ alterius faciei eiuſdem animalis deſuper iungi. Cùm enim vnaquæque facies quattuor alas haberet; duas, quibus corpus tegebat, & alias duas, quibus volabat, docet alas, quibus volabant fuiſſe expanſas, quemadmodum ſi volarent: atque ita factum, vt ala vnius faciei alam alterius faciei attingeret. Nihil enim aliud vult ſignificare, quàm alas fuiſſe in ſingulis animalibus ita expanſas atque diſpoſitas, vt paratæ fuerint in quamlibet partem volare. Intellige ergo ſingula animalia ſedecim alas habuiſſe, vt ſuprà demonſtrauimus: ex iis autem octo fuiſſe extentas ad volandum, duas verſus orientem ſolem: duas verſus occidentem: duas verſus meridiem: duas verſus

Google

Septentriones : alias verò octo totum corpus animalis contexiſſe, duas anteriorem partem, in quam humana facies ſpectabat, duas poſteriorem, vbi erat facies aquilæ : duas latus dextrum, vbi erat facies leonis : duas ſiniſtrum, vbi erat facies bouis.

12. *Coram facie ſua ambulabat.*] id eſt, quocumque ambulabat, rectà ibat quò eius facies ſpectabat, quia verſus omnem partem faciem aliquam habebat, vt ſuprà verſu 9. *Vbi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur*, id eſt, quocumque volebant, quocumque voluntas ferebat, quia verſus omnem partem faciem aliquam, verſus omnem partem alas habebant; pedes verò rotundos aptos ad incedendum in omnes partes; propterea, *nec reuertebantur, cùm ambularent*, id eſt, non flectebant ſe. Poſſumus hoc loco רוח. ſpiritum voluntatem interpretari, vt R. Salom. & Chaldæus Paraphraſtes, vt 2. Paral. 36. 22. *Suſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum.* & 1. Paral. 5. 26. *Et ſuſcitauit Deus Iſraël ſpiritum Phul regis Aſſyriorum :* vel ſpiritum intelligere debemus Dei impulſum, quod mihi magis placet, quia idem de rotis dicit verſu 20. & 21. & manifeſtum eſt rotas non habuiſſe voluntatem; ſed Dei impulſum fuiſſe ſecutas. Accedit quòd hæc interpretatio cum myſtico ſenſu magis conuenit. Certum enim eſt, vt poſtea docebimus voluiſſe Prophetam, aut Deum, qui per Prophetam loquebatur ſignificare, animalia illa Dei impulſum & inſpirationem ſequi conſueuiſſe; atque ad hoc fuiſſe parata.

13. *Et ſimilitudo animalium.*] Per ſimilitudinem hîc non intelligit figuram, quia de ea iam dixit; neque oculos, vt alij interpretantur : ſed colorem, vt ſtatim exponit. *quaſi carbonum ignis*, id eſt, erant flammei coloris, ita vt tota ignita eſſe viderentur, & quaſi lampades ardere. *Hæc erat viſio diſcurrens*, id eſt, videbatur in medio animalium ſplendor ignis diſcurrere; & de igne fulgur egredi.

14. *Et animalia ibant & reuertebantur.*] id eſt, currebant רעו. tam in partem anteriorem, quàm in poſteriorem eadem facilitate, quia & antè & retro faciem & alas habebant; itaque ſicut fulgur videtur huc illuc, inque partes contrarias æqualiter diſcurrere; ita animalia diſcurrebant. Cùm ergo dicit, *Reuertebantur*, non idem ſignificat, quod ſuprà ver. 9. & 12. Illic enim dixit, *Non reuertebantur*, id eſt, non conuertebant; non flectebant ſe : hîc autem dicit, *reuertebantur*, id eſt, in contrariam partem ambulabant.

15. *Cùmque aſpicerem animalia.*] וארא החיות. Et cùm vidiſſem animalia, id eſt, poſt viſionem animalium, alia mihi viſio rotarum apparuit. *Apparuit*. והנה. & ecce *rota vna ſuper terram* Non intelligit ſuper veram terram, cùm hæc omnia in cœlo viderit; ſed ſuper terram, quæ illi in cœlo ipſo infra quadrigam apparebat : quemadmodum ſi in tabula in aëre ſuſpenſa currum ſuper terram pictum videmus, non enim ſuper veram; ſed ſuper pictam terram videmus. *Rota vna iuxta animalia*, id eſt, vna iuxta vnum, ſingulæ rotæ iuxta ſingula animalia. *Habens quattuor facies*, id eſt, quadripartita, vnaquæque enim rota aliam rotam tranſuerſam habebat. ita vt ſeſe æqualiter circuli interſecarent, & quattuor ſemicirculi apparerent, ſicut vnumquodque animal quattuor facies habebat : vel, לארבעת פניו. *iuxta quattuor facies eius*, id eſt, vniuſcuiuſque animalis. Vnumquodque enim animal quattuor habebat facies, & ſub ſe, aut iuxta ſe duas rotas, ſeſe interſecantes, quattuórque ſemicirculos iuxta quattuor facies efficientes. Quæres fortaſſe, Cùm vnumquodque animal quattuor facies haberet, cur non habet iuxta ſe niſi duas rotas? quia nimirum vna facies non poterat niſi verſus vnam partem ſpectare : at vna rota cùm rotunda eſſet, poterat &

Digitized by Google

rat & antè & retro pariter volui; ideo vnicuique quattuor facies, & duæ tantum rotæ neceſſariæ erant. Itaque erant ſedecim facies, & octo rotæ.

16. *Et aſpectus rotarum & opus earum*] Opus vocat materiam, ex qua earum opus fabrefactum erat, aſpectum autem colorem. Significat ergo materiam fuiſſe ſimilem aquæ maris, id eſt, cryſtallinam: colorem verò aqueum, id eſt, cæruleum, aut etiam cryſtallinum. Hebr. כעין תרשיש. ſicut aſpectus Tharſis. quem omnes Hebræi hoc loco lapidem precioſum eſſe dicunt, vt Ionathas, R. Salomon, & R. Dauid. Ideóque videntur Septuag. ſenſiſſe. Nomen enim ipſum Hebraïcum tanquam proprium reliquerunt. Idque intelligitur ex cap. 10. ver. 9. vbi Ezec. hanc ipſam viſionem repetens ait האופנים כעין אבן תרשיש. Rotæ quaſi aſpectus lapides Tharſis, lapidem etiam ſignificat, Exod. 28. 20. & 39. 13. & Danielis 10. 6. Quis autem lapis ſit incertum eſt. Noſter interpres in Exodó, & apud Danielem Chryſolithum vertit, eodem modo Aquila, vt Hieronymus refert. R. verò Dauid in lib. rad. ait hyacinthum ſignificare. Atque ita Symmachus apud Hieronymum reddit. R. Salomon putat eſſe cryſtallum, quod mihi vero ſimilius videtur. Nam Tharſis quaſi mare dicitur, quod aqueum colorem habeat, qualem videmus cryſtallum habere: quæ & ex aquis non colorem modò: ſed, vt ait Plinius, & originem, & nomen trahit. *Et vna ſimilitudo ipſarum quattuor*, id eſt, vna, & eadem ſingulis quattuor rotis figura erat. Quattuor autem vocat, non quòd non eſſent plures: nam, vt diximus, octo erant: ſed quòd non eſſent niſi quattuor loco ſeparatæ. Nam bina coniunctæ, implicatæque erant, ideóque pro vna rota numerantur. *Et aſpectus earum, & opera.* Aſpectum earum vocat figuram, quæ oculis obiiciebatur; opera verò ſtructuram. מעשיהם. opera numero plurali, opus autem Latini ſtructuram & compoſitionem vocant, vt *materiam ſuperabat opus*. Eodem modo loquuntur Hebræi. *Quaſi ſit rota in medio rotæ*, id eſt, quemadmodum ſi vna in altera incluſa eſſet, ſeque ad angulos rectos interſecarent: vt, quotieſcunque quieſcerent, altera ex duobus punctis, quibus ſeſe ſecabant, terram attingerent. Sic enim fiebat, vt, cùm mouendæ erant, quamcumque in partem moueri poſſent. Hoc eſt, quod dicit verſu ſequenti.

Tharſis hoc loco quid ſignificet.

Lib. 37. c. 2. nat. hiſt.

17. *Per quattuor partes eorum euntes ibant.*] id eſt, verſus quattuor ſua latera ſine vlla difficultate voluebantur. *Et non reuertebantur, cùm ambularent*, id eſt, non conuertebantur, non flectebantur, ſicut cæteri curſus verti ſolent, cùm in contrariam partem ituri ſunt; quia cùm vna rota in altera eſſet, ſine vlla conuerſione in quamcumque partem rotari poterant. Idem enim nunc de rotis dicit; quod verſu 9. & 12. dixit de animalibus.

18. *Statura quoque erat rotis*] ſtaturam rotarum appellat ambitum, circulum, & quam Græci vocant περιφέρειαν: quaſi dicat, rotæ habebant magnam peripheriam. Hebræi גביהם. dorſa earum interpretantur, vt reddit Chaldæus Paraphraſtes. Alij canthos vertunt: Canthi autem dicuntur circuli ferrei, quibus rotæ cinguntur. Quæ interpretatio quamuis à multis probata ſit; ideo tamen mihi non placet, quòd hîc non de materia, ſed de figura ſermo ſit: & quia ſi canthos ſignificare voluiſſet, ferreos appellaſſet. *Et altitudo.* ſub. erat eis, id eſt, valde altæ erant, Altitudinem vocat ſemidiametrum, ſicut ſtaturam peripheriam appellauerat. *Et horribilis aſpectus*. H. ויראה להם. & timor illis, id eſt, adeo magnæ, altæque erant, vt aſpicientibus terrorem incuterent. *Et totum corpus*. H. וגבותם מלאות עינים. & dorſa earum plena oculis.

Canthi dicuntur circuli ferrei.

19. *Cùmque ambularent animalia.*] id eſt, æqualiter ad curſum animalium, voluebantur, ſiue ſurſum ſiue deorſum, ita vt idem ſemper eſſet inter rotas & animalia ſpatium.

20. *Quocumque ibat ſpiritus.*] ſub. animalium. Hoc enim neceſſariò intelligendum eſt, vt conſtat ex relatiuo לעמתם. *iuxta ea*, aut è regione eorum. *Illuc eunte ſpiritu.* ſub. rotarum, vt intelligitur ex verbis ſequentibus, *Spiritus enim vitæ erant in rotis.* Itaque ſenſus eſt, quocumque animalium ſpiritus impellebat animalia; eò ſpiritus rotarum impellebat rotas. ſpiritus autem animalium, & ſpiritus rotarum idem erat, nimirũ ſpiritus Dei: vult enim ſignificare & rotas, & animalia, eodem Dei ſpiritu fuiſſe impulſa, propterea æquabiliter mota fuiſſe, vt ſuprà verſu 12. *Spiritus enim vitæ.* רוח החיה. ſpiritus animalis, id eſt, animalium, ſingulare pro plurali, id eſt, idem ſpiritus, qui regebat & impellebat animalia; regebat atque impellebat rotas; non quòd rotæ animatæ eſſent. Septuag. pro ſpiritu, νεφέλω, id eſt, nubem verterunt.

21. *Cum euntibus.*] animalibus. בלכתם. cùm illa (animalia irent) *ibant* (rotæ,) id eſt, cùm mouebantur animalia, mouebantur pariter & rotæ, cùm ſtarent animalia, ſtabant rotæ, quia idem in vtriſque ſpiritus erat.

22. *Et ſimilitudo.*] Verba ſunt tranſpoſita, quæ ſic ordinanda ſunt, & ſuper capita animalium erat ſimilitudo firmamenti,id eſt,cœli,cœlum enim appellat רקיע. firmamentum,vt Geneſ. 1. 6. 7. 8. *Quaſi aſpectus cryſtalli*, id eſt, firmamenti ſimilis cryſtallo. Nam cœlum colore cryſtallo, ſimile eſt. *Horribilis*: firmamentum, aut cryſtallum vocat horribilem propter diuinitatem, quam præ ſe ferebat.

23. *Pennæ eorum rectæ.*] id eſt, extentæ, vt ſuprà ver. 11. *Alterius ad alterum.* אשה אל אחותה. fœmina ad ſororem ſuam,id eſt,vnaquæque ad eam, quæ ſibi vicina erat. Non intelligit alam vnius animalis alæ alterius fuiſſe coniunctam: ſed in eodem animali alam ſiniſtram vnius faciei exterioꝛi fuiſſe, atque alæ dextræ alterius faciei coniunctam; & dextram ſiniſtræ alterius: vnaquæque enim facies quattuor habebat alas: duas ad volandum extentas, & alias duas ad tegendum corpus contractas.Denique hic verſus eodem modo intelligendus eſt, quo ſuprà verſum 11. explicauimus. *Vnumquodque.* Vocat vnũquodque animal vnamquamque faciem vnius animalis,quæ quattuor alas habebat.Nam totum animal habebat ſedecim alas, & omnia ſimul ſexaginta quattuor, vt antè expoſuimus. *Et alterum ſimiliter velabatur*, alterum, id eſt, vnumquodque aliorum ſimiliter tegebatur duabus alis. Intellige ſemper, *alterum*, alteram faciem eiuſdem animalis, & corpus eius, id eſt, partem corporis quæ illi faciei reſpondebat. H. לאיש שתים מכסות להנה ולאיש שתים מכסות להנה את גויתהם.
Hebraiſmus. vnicuique duæ (alæ) tegentes illis,vnicuique duæ (alæ) tegentes illis corpora ipſorum; abundat alterum relatiuum Hebræorum more.

24. *Quaſi ſonum aquarum.*] id eſt, ſicut ſonum torrentis: ſimilis comparatio eſt infrà cap. 43. 2. & Apocal. 1. 15. & 14. 2. & 19. 1. ſignificat animalia dum volarent alarum motu & concuſſione ſonum magnum, ſed indiſtinctum, & confuſum edidiſſe. *Quaſi ſonum ſublimis Dei.* כקול שדי. ſicut ſonum omnipotentis. R. Dauid interpretatur, Sicut ſonum fortem, & vehementem, vt Iſai. 13. 6. כשד משדי יבא ſicut vaſtitas à forti veniet, vt ille exponit: vel, vt idem quoque intelligi putat poſſe, ſicut vocem omnipotentis, id eſt, Dei, ſicut infrà cap. 10. 5. *Et ſonus alarum Cherubim audiebatur vſque ad atrium exterius, quaſi vox Dei omnipotentis loquentis.* vocem autem omnipotentis Dei vocari putat

putat vocem ſimilem illi, quæ audita eſt in monte Sinai; cùm legem Moſes acciperet, Exod. 20. 18. R. verò Salomon vocem omnipotentis dici exiſtimat, quaſi vocem magnam, ſicut cedros Dei, & montes Dei, id eſt, magnos. Ego vocem Dei aut omnipotentis periphraſim tonitrui eſſe arbitror. Nam tonitru in ſcripturis vox Dei appellari ſolet, vt toto Pſal. 28. deſcribitur. *Vox Domini ſuper aquas, Deus ſuper aquas intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini confringentis cedros & confringet Dominus cedros Libani.* ver. 3. & 5. Nam ſonus tonitrui, & ſonus aquarum multarum ſimiles ſunt, & dixerat ſe audiuiſſe ſonum ſimilem ſono aquarum multarum. *Quaſi ſonus erat*. H. כקול המלה. ſicut vocem locutionis multæ. המלה. ſignificat confuſum murmur, quod ex multitudine loquentium hominum audiri ſolet, vt Iere. 11. 16. ſicut ſtatim explicat cùm dicit, *vt ſonus caſtrorum. Cùmque ſtarent, dimittebantur pennæ eorum.* תרפינה כנפיהן. remittebant alas ſuas, id eſt, non mouebant, non concutiebant illas, ceſſare atq; quieſcere faciebant. Non enim ſignificat contraxiſſe, aut deieciſſe alas; ſed relaxationem illis à motu dediſſe. Semper enim habebant duas alas extentas, & ad volandum paratas, vt ſuprà verſu 11. deſcripſit atque hoc ſenſu Septuag. verterunt, κατέπαυον αἱ πτέρυγες αὐτῶν, ceſſabant alæ eorum.

25. *Nam cùm fieret vox.*] H. & fiebat vox ſuper firmamentum, quod erat ſupra capita eorum, cùm illa ſtarent. id eſt, cùm animalia non mouebantur, non audiebatur ſonus alarum; quia quieſcebant; ſed audiebatur vox in firmamento. *Submittebant.* תרפינה. remittebant, id eſt, ceſſare, & quieſcere faciebant alas ſuas, vt verſu præcedenti, & vt Septuag. verterunt ἀνείοντο αἱ πτέρυγες αὐτῶν.

26. *Similitudo throni.*] Verba ſunt tranſpoſita ſic ordinanda, Et ſuper firmamentum, quod capitibus eorum imminebat, erat ſimilitudo throni quaſi ex Saphiro fabricati, aut coloris lapidis Saphiri.

27. *Quaſi ſpeciem electri.*] חשמל. vide ſuprà verſu 4. *Velut aſpectum ignis*, id eſt, & figuram ignis intra ipſum ſpeciem electri; ad ſpeciem enim relatiuum hoc refertur Hebraïcè, vt conſtat ex genere fœminino, quamquam Sept. ad electrum retulerunt. *In circuitu*. Non ſignificat in circuitu extrinſecus: ſed intrinſecus: quaſi dicat, intra electrum apparuiſſe ſpeciem ignis circularem, idque à lumbis ſimilitudinis hominis vſque ad caput. Infra lumbos verò ignem & ſplendorem fuiſſe tantùm, non item electrum. Non eſt autem hæc alia imago; ſed illa ipſa quam ver. 4. viderat. Nam firmamentum intra nubem erat.

28. *Velut aſpectum arcus.*] id eſt, ignis, & ſplendor, qui infra lumbos imaginis apparebat, ſimilis erat colori, qui in iride apparet. Nam ex coloribus, qui in iride apparent, vnus eſt igneus. Hactenus deſcriptio figuræ ſicut primo verſu capitis ſequentis Propheta dicit, Eſt enim ille verſus epilogus huius capitis; quare Hebræi cum hoc, non cum ſequenti capite coniungunt. Reliquum eſt vt figuræ iam conſtitutæ quaſi ænigmatis ſignificationem, ſenſúmque perueſtigemus.

Quattuor viſiones in hoc capite Propheta deſcripſit. Primo loco tempeſtatem, ver. 4. Secundo figuram quattuor animalium à verſu 5. vſque ad 15. Tertio ſpeciem rotarum à ver. 15. vſque ad 22. Quarto firmamentum & hominem in throno ſedentem à verſu 22. vſque ad finem. Prima viſio multò minùs, quàm ceteræ difficultatis habet. Nam etſi Origenes, & nonnulli alij allegorici auctores aliter expoſuerunt; tamen ex fine & argumento ipſo Prophetæ manifeſtum, voluiſſe Deum per hanc tempeſtatem, quam Ezechieli oſtendit; illi ſignificare

Quattuor viſiones hoc cap.

care

Prima viſionis interpretatio. Ventus turbinis quid denotet.

care magnam calamitatem Iudæis,& Ieroſolymitanæ ciuitati à Chaldæis imminere. Itaque *ventum turbinis*, id eſt, turbines excitans indicat proximam eſſe calamitatem, ſolet enim magnam tempeſtatem & pluuiam magnus ventus antecedere: vt in prouerbium abierit, *Poſt ventum pluuia.* Quòd autem ab Aquilone venientem vidit duo ſignificat: Alterum eſt, tempeſtatem futuram eſſe maximam. Nullus enim ventus tam vehemens quàm Aquilo, nullus tam rapidus, nullus tam frigidus; nullus tam vrens; nullus denique tam inimicus terræ, vt non ſolùm prophani Poëtæ, ſed noſter etiam Eccleſiaſticus philoſophus deſcribit c.43.18.*Vox tonitrui eius verberauit terram,& tempeſtas Aquilonis,& congregatio ſpiritus.*& ver.22.23.*Frigidus ventus Aquilo flauit,& gelauit cryſtallus ab aqua;ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis. Et deuorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride, ſicut ignem.* Alterum, quod ſignificatur, eſt, Iudæorum calamitatem atque perniciem ex Babylone venturam. Erat enim Babylon Iudææ Aquilonaris, vt ſupra docuimus. Itaque nihil aliud hoc loco dicere voluit Ezechiel; quam quod Ieremias dixit de eadem Iudæorum calamitate loquens cap.1.13.14.*Ollam ſuccenſam ego video,& faciem eius à facie Aquilonis. Et dixit Dominus ad me,ab Aquilone pandetur omne malum.*& cap.4.6.*Malum ego adduco ab Aquilone,& contritionem magnā.*& c. 6.1.*Confortamini filij Benjamin in medio Ieruſalem, & in Thecua clangite buccina, & ſuper Bethacarem leuate vexillum; quia malum viſum eſt ab Aquilone, & contritio magna.* & cap. 10.22.*Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis.* Notantur etiam ſimul Chaldæorum mores, quòd veloces, quòd rapidi, quòd crudeles eſſent,omniaque,ſicut Aquilo, vaſtarent propterea rex Babylonis apud hunc ipſum Prophetam,cap.17.3.& ſeqq.aquilæ comparatur.& apud Ierem. cap. 4.13.*Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius: velociores aquilis equi eius: væ nobis, quia vaſtati ſumus.* & cap. 48.40.*Ecce quaſi aquila volabit, & extendet alas ſuas ad Moab.* Aquilo ergo rex Babylonis eſt: turbines verò ſunt bella, quæ contra Iudæos, contra Ægyptios, contra Idumæos, contra Moabitas excitat, vt infrà Propheta narrat. Latinè accidit vt Aquilo aquilæ etiam nomine ſimilis eſſet: ſed non potuit eò alludere Propheta, quia Hebraïcè nulla inter Aquilonē & aquilā ſimilitudo nominis eſt. *Nubes magna* videtur mihi exercitum & militares copias regis Babylonis ſignificare; vt Ierem.4.13.*Ecce quaſi nubes aſcendet,& quaſi tempeſtas currus eius.* Sicut enim nubes terram obtegit, ita magnus exercitus: quemadmodum de Ægypto loquens Ezechiel ait cap.30.18.*Ipſam nubes operiet.* (id eſt, exercitus regis Babylonis) *filiæ autem eius in captiuitatem ducentur.* Et de Gog & Magog cap.38.15.16.*Et veniet de loco tuo à lateribus Aquilonis tu,& populi multi tecum,aſcenſores equorum vniuerſi,cœtus magnus,& exercitus vehemens:& aſcendes ſuper populum meum Iſraël quaſi nubes,vt operias terram.* Poteſt etiam Babyloniorum exercitus propter velocitatem nubes vocari,vt Gentes,quæ veniunt ad Eccleſiam,Iſai.60.8.*Qui ſunt iſti,qui, vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Sicut rex eadem de cauſa aquila dictus eſt: erant enim Babylonij milites, & equi velociſſimi, vt indicat Iſai. c. 30.16.*Et dixiſtis, Nequaquam; ſed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et ſuper veloces aſcendemus,ideo velociores erunt qui perſequentur vos.* & Ierem. 4.13. *Velociores aquilis equi eius.* & Thren. 4.19.*Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli: ſuper montes perſecuti ſunt nos; in deſerto inſidiati ſunt nobis.* & Habacuc 1.6.*Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ vt poſſideat tabernacula non ſua*, & ver.8.*Leuiores pardis equi eius, & velociores*

Nubes magna quid.

& velociores lupis veſpertinis. Comparatur etiam nubi Chaldæorum exercitus, quòd quemadmodum nubes tempeſtatem & grandinem afferre ſolet: ita ille ſecum calamitatem, & vaſtationem ferret. *Ignis inuoluens.* bilem, & iram regis Babylonis deſignat, qui tanquam fulmen omnia conſumens venturus erat: aut futurum templi, & vrbis incendium, de quo Ierem. cap. 17. 27. & 21. 10. & 32. 29. & 34. 2. 22. & 37. 7. 9. aut diuinam indignationem, quæ per exercitum regis Babylonis contra Ieruſalem erat effundenda. Hoc enim monuerat per Ieremiam cap. 4. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda, & habitatores Ieruſalem: ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat*: quod poſtea factum fuiſſe dicit, Thren. 2. 4. *Occidit omne, quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quaſi ignẽ indignationem ſuam. Splendor in circuitu*, Diuinæ maieſtatis indicium eſſe poteſt: aut ſignificat ſigna, quæ diuinam iram & vltionem præcedere ſolent. vt Pſal. 49. 3. *Deus manifeſtè veniet: Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida.* Si per ignem iram regis Babylonis intelligamus, per ſplendorem eius minas intelligemus, quæ vindictam, ſicut ſplendor ignem, præcedere ſolent. Sed alteram explicationem magis approbo propter imaginem electri, quæ ſtatim ſequitur. *Species* autem *electri*, id eſt, imago hominis ſplendida, & electro ſimilis imago Dei mihi videtur eſſe, qui dicitur *amictus lumine, ſicut veſtimento*, Pſalm. 103. 2. *Quique ignis conſumens eſt.* Heb. 12. 19. quod ex ver. 27. magis apparet, vbi eandem, vt diximus, imaginem ita depingit, vt nonniſi Deum referre poſſit. Erat autem imago ſuper lumbos electrina, infra lumbos ignea; quia poſt iram Dei miſericordia ſequitur: Cùm enim iratus fuerit miſericordiæ recordabitur, Habacuc 3. 2. &, *non in perpetuum iraſcetur; neque in æternum comminabitur*, Pſalm. 102. 9. Electrum autem miſericordiæ ſymbolum eſt, vt videtur Hieronymus interpretari; electrum enim, ſicut miſericordia, attrahendi, alliciendíque vim habet. Significabat ergo hæc imago intra exercitum regis Babylonis Deum fuiſſe, eiúſque ductu, impulſúq; venire; *Conuertit* enim *cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius*, Pſal. 104. 25. Itaque voluit indicare, non caſu, ſed diuino conſilio Babylonicam captiuitatem conſecuturam; Chaldæos verò non ſuis viribus, ſed Dei auxilio volentis per eos populum ſuum caſtigare, victoriam de Iudæis reportaturos. Nam *quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugarent decem millia? nonne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* vt ait Moſes, Deuter. 32. 30. Gregorius, & alij, qui hanc imaginem electri Chriſtum interpretantur, quòd diuina & humana natura conſtet, ſicut electrum colore auri & argenti, vera mihi dicere videntur; ſed minùs ad huius prophetiæ interpretationem accommodatè. Manifeſtum enim eſt agi hîc de futura vaſtatione Ieruſalem. Ad quam Chriſtus non veniſſet indutus humana natura, quam non ad puniendum, ſed ad parcendum aſſumpſit.

Ignis inuoluens quid.

Splendor in circuitu quid.

Species electri quid.

Electrum miſericordiæ ſymbolum.

Sequitur viſio ſecunda quattuor animalium, quam variè ſunt veteres auctores interpretati: quæque adeò difficilis eſt, vt vix credatur intelligi, explicaríque poſſe. Nos omnes aliorum interpretationes, vt in rebus difficilioribus facere ſolemus, primùm recitabimus; deinde ſi quid nos diuino beneficio, meditando, legendo, orando conſecuti ſumus, in medium conferemus. Origenes hom. 1. in Ezech. quattuor animalia quattuor in homine affectiones ſignificare putat. Hominem, τὸ λογιστικὸν, id eſt, partem hominis rationis participem: Leonem, τὸ θυμικὸν, iraſcentem: Bouem, τὸ ἐπιθυμητικὸν, concupiſcentem:

Quatuor animalia viſio difficillima.

Digitized by Google

Aquilam verò, quæ vſque ad cœlum volat, ſpiritum Dei, quo homines reguntur. Hæc ad mores quidem accommodatè, & vtiliter; ad interpretationem verò huius loci non ſatis apertè dicuntur, vbi non de hominis affectionibus: ſed de futura Iudæorum captiuitate agitur. Ambroſius paulò aliter lib. 3. de virginibus, per hominem, prudentiam: per leonem, fortitudinem; per bouem, temperantiam; per aquilam, iuſtitiam intelligit.

4. animalia 4. eſſe Euangeliſtas multorum ſententia.

Alij per quattuor animalia quattuor Euangeliſtas intelligendos putauerunt, vt Hieronymus, & Gregorius. Quæ interpretatio & ſuorum auctorum gratia, & ſpecie probabilitatis inualuit. Et quidem aptiſſimè videntur omnia, quæ de quattuor animalibus hîc dicuntur, in quattuor Euangeliſtas conuenire. Primum numerus idem. Deinde quattuor vnicuique facies, vt omnem in partem orbis terrarum ire poſſit: quattuor etiam facies vnuſquiſque habet Euangeliſta; vnicuique enim vni dicitur vt eat in mundum vniuerſum, & prædicet Euangelium omni creaturæ, Marci cap. 16. ver. 15. Quattuor quiſque facies habet, quia cum cæteris quiſque conſentit; quaſi ſeipſos viciſſim omnes reſpiciant. Quattuor cuique pennæ, quia omnes in partes tanta celeritate diſcurrebant, vt volare viderentur. Duabus volabant, & duabus tegebant corpus ſuum, quia fide in cœlum volabant; humanam autem ſcientiam tegebant, & cæcam quodammodo reddebant, vt Hieronymus interpretatur: aut, vt Gregorius, qui amore & ſpe in ſublime ferebantur, futuráque petebant; timore & pœnitentia præterita peccata tegebant, ne à Deo viderentur. Alarum etiam ſtridor ſuam ſignificationem habet. *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum*, vt Diuus Paulus interpretatur ad Romanos capite decimo, verſu decimo octauo. Pedes, hoc eſt tibias rectas habent, quia in omnem partem ſine conuerſione, id eſt, ſine vlla tergiuerſatione, ſine vlla cunctatione, quocumque Dei ſpiritus vocaret, ituri erant. Rotundæ ac teretes plantæ eorum mobilitatem ſignificabant, qua totum terrarum orbem percurrebant, in omnes partes terræ æquali facilitate euntes. Scintillæ ex illis emicabant, quia quocumque pergebant, ſplendor eos Euangelij ſequebatur. Manus hominis ſub alis habebant, quia non ſolùm verbis; ſed etiam factis homines ad ſalutem adiuuabant. Non reuertebantur cùm ambularent, quia omnia, quæ dicebant, vera erant: nec erat opus vt, quod ſemel dixiſſent, reuocarent: aut, vt ait Gregorius, quia ſemper in melius proficiebant, nec vnquam retrocedebant. *Nemo enim mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei*, Lucæ cap. 9. ver. 62. quemadmodum de ſe ipſo D. Paulus dicit, *Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum*. Philip. capite tertio, verſu decimotertio. In medio eorum ſplendor ignis erat, quia Spiritu ſancto gubernabantur. *Non enim vos eſtis*, (inquit Chriſtus) *qui loquimini; ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis*, Matth. 10. 20.

Aliam D. Hieronymus interpretationem recitat Catinæ cuiuſdam Syrij, quem illi cognomento λεπτὸν, id eſt, ingenioſum vocabant, qui figuram quattuor animalium ad caſtra Hebræorum in ſolitudine metata referebat. Faciem hominis ad totum Iſraëlem: faciem leonis ad regiam tribum Iuda: faciem bouis ad ſacerdotalem tribum Leui: faciem aquilæ deſuper eminentem ad Deum, qui vltionem de populo, cùm vellet ſumeret, vt Oſee dicitur cap. 8. v. 1. *In gutture tuo ſit tuba, quaſi aquila ſuper domum Domini.*

Alij exiſtimarunt deſcribi Dei maieſtatem & gloriam, & quattuor anima-

lia,

lia, quattuor eſſe Cherubim, quibus Deus inſidere dicitur, 4. Reg. 19. 15. *Domine Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus regum omnium terræ.* & Pſal. 17. 11. *Aſcendet ſuper Cherubim & volauit, volauit ſuper pennas ventorum.* & Pſal. 79. 2. 3. *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe.* & Pſal. 98. 1. *Dominus regnauit, iraſcantur populi: qui ſedet ſuper Cherubim moueatur terra.* vt Theodor. in comment. huius loci. Hæc interpretatio eò videtur eſſe probabilior, quòd ipſe Exechiel c. 10. 1. hanc eandem viſionem repetens animalia vocat Cherubim, *Vidi* (inquit) *& ecce in firmamento, quod erat ſuper caput Cherubim quaſi lapis ſapphirus:* totóque capite ita ſæpe vocat. Tum etiam quòd idem Ezechiel initio capitis ſecundi quaſi per ἀνακεφαλαίωσιν, aut per tranſitionem quandam dicat, *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini.* Quibus verbis ſignificat ſe ſuperiori cap. id eſt, primò gloriam Domini deſcripſiſſe ſedentis ſuper quattuor Cherubim, nec aliud quidquam tota hac animalium & rotarum quadriga, quàm Dei maieſtatem & gloriam declarare voluiſſe. Rurſus cap. 3. 12. hanc ipſam viſionem gloriam Dei appellat, *Et audiui poſt me vocem commotionis magnæ, Benedicta gloria Domini de loco ſuo.* & ver. 23. *Et ſurgens egreſſus ſum in campum: & ecce ibi gloria Domini ſtabat, quaſi gloria, quam vidi iuxta fluuium Chobar.* Accedit quòd ſolent Prophetæ, cùm aliquid magni quod viderint, indicare volunt, gloriam Dei, quam conſpexerint, priùs deſcribere, vt fidem faciant, eorum, quæ dicunt. Sic Iſaias cap. 6. 1. 2. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & plena erat domus à maieſtate eius; & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Et verò non deſunt, qui iſtam Iſaiæ figuram, & hanc de qua agimus, eandem Ezechielis eſſe putent, vt R. Moſes Ægypt. l. 3 More c. 7. quod valde arbitror eſſe probabile. Non quòd extrinſecus eadem ſit; apparet enim manifeſta in nonnullis rebus diſſimilitudo: ſed quòd eadem ſit ſignificatio. Iſaias vocat Seraphim, Ezechiel Cherubim: ſed idem eſt ſenſus, Deum cœleſtibus mentibus inſidere. Iſaias ſex alas vnicuique tribuit: Ezechiel quattuor, quia alias proprietates explicare voluit. Nam re quidem vera nullas habent alas: ſed voluit Iſaias ſignificare celeritatem earum mentium in perficiendis rebus, quæ à Deo illis mandantur, propterea duas illis ad volandum alas attribuit. Voluit docere neminem poſſe initium, & finem Dei cognoſcere, id eſt, quid fecerat ante mundi conditionem, quid poſt mundi finem facturus ſit; tantùm ex rebus effectis, vt ait Diuus Paulus, cognoſci poſſe; quaſi medium eius corpus, quod inter faciem & pedes, hoc eſt inter principium & finem æternitatis eius, ſi principium & finem haberet, interiectum eſt, quemadmodum Origenem interpretari memini: propterea alias quattuor alas ſingulis Seraphinis appinxit; duas, quibus faciem; & alias duas, quibus pedes Dei velarent, ne quis eos videret. Ezechiel voluit ad propitiatorium veteris teſtamenti alludere: ideo Cherubim appellauit, quos Iſaias vocauerat Seraphim. Voluit duas tantùm Cherubim proprietates declarare, altera eſt, celeritas diſcurrendi, quocumque Deus eos mittit; altera eſt, quòd non benè à nobis cognoſcantur: idcirco quattuor tantùm ſingulis alas tribuit, duas ad volandum, duas ad tegendum corpus; ne à nobis videatur. Tantùm apparent facies, id eſt, tantùm cognoſcimus eſſe naturas ratione præditas: tantùm apparent alæ tibiæ, pedes, id eſt, ſolùm eorum in agendo celeritatem, & in omnes partes ſeſe conuertendi facilitatem intelligimus.

Dei maieſtatem ſignificari Theodoreti ſententia.

Ad Rom. cap. 1. ver. 19. 20.

Digitized by Google

Tantùm apparent manus, id eſt, eorum actiones, & opera, quæ manibus ſignificantur, quia à nobis manibus fiunt.

Omnes iſtæ interpretationes probabiles mihi videntur, hæc autem vltima cæteris probabilior. Nulla tamen eſt earum, in qua non mihi aliquid deſiderari videatur. Nam in illa interpretatione Hieronymi, quæ hodie receptiſſima eſt, primùm illud deſidero, vt figura ad Euangeliſtas accommodetur, quod non videtur commodè fieri poſſe. Putat enim Hieronymus ſingulos Euangeliſtas ſingulas habere facies; Matthæum hominis, quia de Chriſti humanitate maximè agit: Lucam vituli, quia à Zachariæ exorditur ſacerdotio: Marcum leonis, quia à voce clamantis in deſerto, quaſi à rugitu leonis incipit: Ioannem Aquilæ, quòd altiùs cæteris volet, & de Chriſti diuinitate diſputet. Si autem Ezechielis figuram ſequamur, non ſinguli ſingulas facies; ſed ſinguli quaternas habere debuiſſent. Illud etiam deſidero, quod in hac re præcipuum eſt, vt interpretatio argumento Prophetæ conſentanea ſit. Agebat Propheta de futura Iudæorum captiuitate, quorſum nobis Euãgeliſtas depingeret? Deinde quorſum ab Aquilone? Nam Euangeliſtæ non ab Aquilone, ſed à meridie, id eſt, ab Ieruſalem Euangelij prædicationem inchoarunt, quemadmodum Chriſtus illis præcepit, Lucæ 24. 47. *prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma.* Catinæ interpretationi quid deſit non dico, cùm omnia illi deeſſe videantur. In interpretatione autem Theodoreti fateor me pauciora deſiderare, tamen aliquid deſidero. Primùm, illud ipſum, quod in Hieronymi ſententia, vt magis ſit ad argumentum Prophetæ accommodata. Non autem id agebat Propheta, vt Dei maieſtatem nobis depingeret, ſed vt venturam Iudæorum calamitatem prædiceret. At ſolent Prophetæ Diuinam maieſtatem videre, eámque deſcribere, vt cæterarum rerum, quas prædicturi ſunt fidem faciant, quemadmodum Iſaiam feciſſe diximus. Fateor; ſed ſi hoc idem Ezechiel facere voluiſſet, feciſſet primo ſtatim initio, ſicut Iſaias quoque fecit: feciſſet antequam diceret ſe vidiſſe ventum turbinis, nubem magnam, ignem inuoluentem, ſplendorem in circuitu ſpeciem electri in medio ignis, cùm propterea diceret, vt hoc ipſum probaret; &, ſi Dei maieſtas oſtenſa illi eſt, priùs oſtenſam fuiſſe credendum eſt, quàm futura calamitas oſtenderetur, cùm ideò Dei imaginem viderit, vt ab eo res futuras acciperet: priùs ergo vidiſſet, & priùs narraſſet ſe vidiſſe Deum, quàm illam tempeſtatem, qua calamitas Iudæorum ſignificabatur. At priùs vidit tempeſtatem, quàm figuram animalium; figura igitur animalium, non Dei maieſtatem & gloriam; ſed aliquid aliud ſignificabat. Deinde ſi Propheta Dei nobis maieſtatem deſcribere voluiſſet, plus operæ in ipſa imagine Dei depingenda poſuiſſet: nunc autem in pingendis animalibus totus Propheta eſt, de Dei imagine vix obiter vnum aut alterum verbum dicit, argumentum ergo eſt, aliquid per animalia præter gloriam Dei ſignificari, de quo præcipuè agat Propheta, Illud etiam argumentum eſt, Prophetam non de Dei maieſtate agere, quod non dicat Cherubinos duabus alis imaginem electrinam Dei; ſed ſuum ipſorum corpus tegere. Si enim Dei maieſtatem deſcriberet, Cherubini eius faciem rexiſſent, quemadmodum apud Iſaiam; & ſicut Cherubim, quæ in propitiatorio picta fuerant, vtrumque eius latus, & oraculum ipſum alis ſuis obtegebant, Exod. 25. 20.

Nonnulli recentiores auctores Diuinam prouidentiam pingi exiſtimarunt. Nam rei difficultas omnes explicandi rationes quæri fecit. Atqui ſi id agere-

tur,

tur, figura non omnino malè conueniret. Solet fortuna vni inſiſtens rotæ depingi, vt eius mobilitas & inconſtantia declaretur. Dei prouidentia fortunæ contraria rectè pingi poteſt inſidens quadrigæ, vt eius conſtantia, & æquabilitas ſignificetur. Quattuor rotæ in aliis quattuor tráſuerſim implicatæ, & quattuor animalia, quorum vnumquodque quattuor habet facies, tibias, pedéſque rotundos, vt omnem in partem æqualiter moueri poſſint, ſignificare poſſunt Dei prouidentiam ad omnes mundi partes peruadentem. Alæ extenſæ eius celeritatem. Quæ verò corpus tegunt, multa nos in Diuina prouidentia latere; multa eſſe quæ Dei conſilio fiant, quæ, quia cauſas ignoramus, caſu nobis fieri videantur. Splendor eiuſdem prouidentiæ ſplendorem ſignificare poſſet, qui in rerum omnium temperatione, ordine, adminiſtratione relucet. Hæc, inquam, omnia non male conuenirent: ſed non id agitur.

Alij Dei gloriam, hoc eſt Euangelium ipſum, quod Dei gloria numquam vocari ſolet, deſcribi putant. *Nos* (inquit D. Paulus 2. Cor. c. 3. v. 18.) *reuelata facie gloriam Domini contemplantes in eandem imaginem tranformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* & cap. 4. ver. 6. *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu.* Ipſum igitur Euangelium ſplendore illo, & igne ſignificari. Nam & Chriſtus dixit, *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt accendatur?* Animalia verò omnes Euangelij prædicatores, qui in omnes partes parati ſunt ire. Imaginem electrinam throno inſidentem Chriſtum eſſe ſedentem ad dexteram Patris. Sedebat enim non infrà, ſed ſuprà firmamentum. Eundem enim Chriſtum Iſaiam ad eundem modum ſedentem vidiſſe, vt indicat D. Ioannes cap. 12. 41. *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* Ego hæc omnia facilè concederem, ſi id ageretur. At tempeſtas, non Euangelij tranquillitas: bella, non euangelica pax: captiuitas Iudæorum, non euangelica libertas deſcribebantur.

Luc. 12. 49.

Iſai. 6. 1.

Alij philoſophicè interpretantur, quattuor animalia omnes res ſignificari, nam per animalia quæ præſtantiſſimæ res ſunt, res omnes intelligi: per quattuor præſtantiſſima hominem, leonem, bouem, & aquilam, omnia alia intelligi. Nam per hominem omnes naturas ratione præditas; per leonem omnes feras ſylueſtres, omniaque animalia non cicurata; per bouem animalia omnia domeſtica; per aquilam omnes volucres intelligi. Omnia igitur à Deo gubernari. Nam quattuor animalia res omnes eſſe, quattuor vniuſcuiuſque facies, quattuor mundi partes; quattuor rotas motum atque effectum diuinæ prouidentiæ ſignificare. Eſto; ſed quid ad chordam?

Sententia & expoſitio auctoris.

Ego perſuaſum habeo, donec ab alio aliquid probabilius reperiatur. Prophetam aliquam magnam tempeſtatem, & conuerſionem rerum deſcribere voluiſſe. Nam id agere cœperat initio capitis; & idem toto libro proſequitur. Et credendum eſt Prophetam nullum ænigma propoſuiſſe, quod non aut verbis, aut re ipſa declarauerit. Itaque veram huius figuræ interpretationem, non aliunde quàm ex eodem Propheta petendam arbitror. Ex Propheta autem hæc non obſcurè, ſed apertè colligimus. Primùm aliquam rerum conuerſionem ſignificari, hoc enim agere cœperat. Deinde hanc viſionem eandem eſſe atque illam, quam repetit cap. 10. Hanc enim dicit ſe habuiſſe iuxta fluuium Chobar, ver. 1. & 3. & cap. 10. ver. 15. ait, *Ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar* & ver. 20. *Ipſum eſt animal, quod vidi ſubter Deum Iſraël iuxta fluuium Chobar.* Tertio loco illud ex eodem Propheta conſtat, hæc animalia

fuiſſe Cherubinos, vt apparet toto capite 10. præſertim ver. 20. *Ipſum eſt animal, quod vidi ſubter Deum Iſraël iuxta fluuium Chobar: & intellexi, quia Cherubim eſſent.* Quarto loco colligimus ſi non certa ratione, at probabiliſſima coniectura hos Cherubinos aliquos reges ſignificare. Nam cap. 28. 14. regem Tyri appellat Cherub. *Tu* (inquit) *Cherub extentus & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum ambulaſti.* & ver. 16. *Et eieci te de monte Dei, & perdidi te, ô Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum.* Illud etiam videmus agere poſtea Ezechielem de quattuor regnorum commutatione Chaldæorum, Aſſyriorum, Ægyptiorum, & Tyriorum. Colligimus inde quemadmodum vnum Cherub, id eſt, vnum animal regem Tyri ſignificabat; ita alia tria animalia alios tres reges ſignificare. Igitur ſenſum huius ænigmatis eſſe arbitror, fore vt poſt tempeſtatem, quæ Iudæis immunebat, quattuor illa regna, quæ Iudæis infeſta fuerant, huc illuc conuerterentur, inque alios transferrentur dominos. Quod vt ſignificetur, ponitur ob oculos generalis omnium regnorum hypotypoſis. Quattuor enim animalia quattuor hæc regna, de quibus agit Ezechiel, deinde omnium regnorum naturam & conditionem ſignificant: quæ quattuor facies habent, quia aliquando conuenienter humanis moribus gubernantur, id eſt, in pace & tranquillitate degunt, ita vt humanam faciem habere videantur: aliquando vicinas gentes, vt leones trucidant: aliquando vt boues conculcant: aliquando vt aquila diripiunt, ſpoliant, & in captiuitatem ducunt. Nam & Nabuchodonoſorem Chaldæorum regem, cùm ad diripiendum Moab venit, aquilam videmus appellari, Ierem. 48. 40. *Ecce quaſi aquila volabit, & extendet alas ſuas ad Moab.* & cap. 49. 22. *Ecce quaſi aquila aſcendet, & auolabit: & expandet alas ſuas ſuper Boſram.* Et apud hunc ipſum Ezechielem rex Babylonis aquila vocatur, quia regem Iuda in captiuitatem ducturus erat, cap. 17. 3. *Hæc dicit Dominus Deus, Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Non abſimile eſt quod Baltaſar rex Babylonis quattuor beſtias per quietem vidiſſe dicitur, quæ Daniel cap. 7. quattuor regna interpretatur. Inter ea vnum aquilæ alas habebat, *& ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* De Chaldæis quoque ſcribit Habacuc cap. 1. 8. 9. *Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum: omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens, & congregabit quaſi arenam, captiuitatem,* Hæc omnia idcirco adnotauimus, vt intelligamus non ſolum Ezechielis argumento, ſed aliis etiam ſcripturis ſacris conſentaneum eſſe vt quattuor animalia omnia regna; ea verò præſertim quattuor, de quibus agitur, interpretemur. Propterea ſub firmamento ponuntur, quia cœlo ſubiecta ſunt, indéque à Deo rege regum, & domino dominantium gubernantur. Hoc eſt, quod ſuprà firmamentum thronum ſapphirinum, & ſimilitudinem hominis in eo ſedentis Propheta vidit. Is enim Deus erat, qui ſupra omnes reges altiore throno ſedet. Color electri & ſpecies ignis Dei gloriam & maieſta-

Heb. 12. 29. tem declarabat, qui, vt ait D. Paulus, *ignis conſumens eſt, & in lucem inhabitat in-*

1. Thim 6. 16. *acceſſibilem.* & vt Dauid loquitur, *Amictus eſt lumine ſicut veſtimento.* Vox, quam

Pſal. 103. 2. Ezechiel ſupra firmamentum audiuit, imperium Dei erat, quo omnia regna gu-

Iob. 12. 18. bernat, atque quocumque vult, transfert. Hoc enim eſt quod tam ſæpe ſcriptu-

Eccli. 10. 8. ra prædicat, *Baltheum regum diſſoluit,* inquit Iob, *& præcingit fune renes eorum;* &, *regnū à gente in gentem transfert propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuer-*

Dan. 4. 14. 28 *ſos dolos. Dominatur* enim *Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud, & humillimum hominum conſtituet ſuper eum.* Animalium figura, & quattuor cuiuſ-

cuiuſque facies, & alæ extentæ, & tibiæ teretes, & pedes, ſummam ad obe-
diendum Deo propenſionem denotant: regnáque omnia ſine vlla cunctatione
eò ire, quò à Deo impelluntur. Alæ, quibus ſe regunt, humana præſidia ſunt,
quibus ſe reges tueri ſolent: ſed ſi à Deo aliò impellantur, nihil proſunt. Ma-
nus hominis, humanam induſtriam, auxilia, ſtudia, labores, quæ omnia niſi
Dei ſpiritu, qui in animalibus fuiſſe dicitur, gubernentur, caſſa ſunt, & inania.
Hoc ſibi vult quod animalia, *vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*, id eſt, re-
gna eò transferuntur, quò Dei voluntas impellit. Ignis, qui in medio erat ani-
malium, indicabat ſpiritum Dei in regibus, regniſque omnibus reſidere, vt eos
huc vel illuc pellat. *Cor enim regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit*
illud. Non reuertebantur, cùm incederent, vt dicitur ver. 9. quia Dei voluntati Prouer. 21.1.
nullo modo reſiſtebant. *Ibant, & reuertebantur*, vt dicitur ver. 14. *in ſimilitudi-*
nem fulguris coruſcantis, quia breui tempore regna auferuntur, & eidem cui ab-
lata fuerant, reſtituuntur, vt accidit Nabuchodonoſori apud Danielem cap. 4.
Sonus alarum qui audiebatur indicabat, numquam regna ſine magno ſonitu
ſtridoréque conuerti, quemadmodum de Romanorum Rep. obtector quidam
dixit. Rotæ ipſa regna, ſicut animalia reges ſignificabant. Trahunt enim re-
ges ſua regna ſecum, ſiue in ſalutem, ſiue in interitum, ſicut animalia currus
trahunt. Atque hoc eſt, quod dicit ver. 19. *Cùm ambularent animalia, ambula-*
bant pariter & rotæ iuxta ea; & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul
& rotæ. Hoc eſt quod dicit, ſpiritum vitæ, id eſt, eundem ſpiritum Dei, qui
erat in animalibus, fuiſſe in rotis. Figura rotarum, quòd rota in rota erat, pro-
penſionem, & procliuitatem ſignificabat, eundi, quamcumque in partem ab
animalibus traherentur. Oculi, quibus rotæ plenæ erant, aut principes, &
conſiliarios regnorum oſtendebant, qui fruſtrà conſilium ineunt ad conſer-
uandum regnum, cùm Deus illud perdere decreuit. *Non enim eſt ſapientia, non*
eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum: aut ſignificabant Diuinam proui- Prouer. 21.30.
dentiam per omnia regna diffuſam qua ſicut corpus oculis, gubernantur. Co-
lor cryſtallinus rotarum, indicium erat regna cœlitus à Deo dari, color enim
cryſtallinus, cœleſtis color eſt. Terribilis rotarum magnitudo, regnorum for-
midabilem magnitudinem declarabat. Regnum enim quaſi magna aliqua ma-
china eſt, quæ cùm conuertitur, magnum videntibus terrorem incutit.

CAPVT II

HÆC viſio ſimilitudinis gloriæ Domini, & vidi, & cecidi in faciem meam,
& audiui vocem loquentis. Et dixit ad me, Fili hominis ſta ſuper pedes tuos,
& loquar tecum. 2 *Et ingreſſus eſt in me ſpiritus poſtquam locutus eſt mihi,*
& ſtatuit me ſupra pedes meos: & audiui loquentem ad me, 3 *& dicentem,*
Fili hominis, mitto ego te ad filios Iſraël, ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me:
ipſi & patres eorum præuaricati ſunt pactum meum vſque ad diem hanc. 4 *Et*
filij dura facie, & indomabili corde ſunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos, Hæc
dicit Dominus Deus. 5 *Si fortè vel ipſi audiant, & ſi fortè quieſcant, quoniam domus*
exaſperans eſt: & ſcient quia Propheta fuerit in medio eorum. 6 *Tu ergo fili hominis ne*
timeas eos, neque ſermones eorum metuas, quoniam increduli & ſubuerſores ſunt tecum, &
cum ſcorpionibus habitas, verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides: quia do-
mus

mus exaſperans eſt. 7 *Loquêris ergo verba mea ad eos, ſi fortè audiant, & quieſcant*
quoniam irritatores ſunt. 8 *Tu autem fili hominis audi quæcumque loquor ad te: &*
noli eſſe exaſperans ſicut domus exaſperatrix eſt: aperi os tuum, & comede quæcumque
ego do tibi. 9 *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me in qua erat inuolutus liber:*
10 *Et expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris: & ſcripta erant in eo*
lamentationes & carmen & væ.

CAPITE ſuperiori vidit Propheta generaliter omnia, quæ regno Iuda, & quattuor aliis regnis euentura erant. Nunc dato libro quaſi ſcripto illa traduntur, Iudæorum calamitates; mittitúrque ad eos, vt ab errore reuocet.

1. *Hæc eſt viſio.*] Hunc verſum Hebræi cum ſuperiore capite coniungunt, quaſi eius epilogum. Vocat enim gloriam Domini quam viderat, non quòd tantùm diuinæ gloriæ figura eſſet: ſed quòd in figura regum atque regnorum, quam viderat, Dei gloria maximè eluceret. Erat enim ſpiritus Dei in animalibus, & rotis: erat ſplendor ignis in medio; erat ſimilitudo electrina Dei ſuprà firmamentum. Itaque à potiſſima parte totam viſionem gloriam Dei appellauit: quaſi dicat, huiuſmodi erat figura gloriæ, Dei quam vidi; Quam

Sancti cùm Deum vident penè exanimantur.

cùm vidiſſem penè exanimis cecidi. Solent Prophetæ, qui Deum vident, metu exanimari, & in terram corruere vno excepto Moyſe, vt Rab. Moſes Ægyptius in ſymbolo Iudæorum adnotauit. Sic cecidit Abraham cùm illi Deus loqueretur Geneſ. 17. 3. Et Iſaias cap. 21. 3. *Corrui cùm audirem, conturbatus ſum, cùm viderem.* Et Daniel. cap. 10. 8. 9. *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc: & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et audiui vocem ſermonum eius: & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam & vultus meus hærebat terræ. Et audiui vocem loquentis.* קול מדבר. vocem loquentis, aut loquentem. Non dicit vocem Dei, quamquam Deus erat, qui loquebatur, quia turbatus neſciebat quis

Cur Ezechiel filius hominis vocatus.

eſſet, ſicut D. Paulus Actor. 9. 4. *Fili hominis.* Tradunt Hebræorum interpretes propterea Ezechielem filium hominis appellari, vt ſuæ conditionis, humanæque fragilitatis admoneatur, ne propter magnitudinem viſionis, quam acceperat, angelum ſe eſſe exiſtimaret: Quemadmodum D. Paulus 2. Cor. 12. 7. de ſe dicit, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, vt me colaphizet.* R. Dauid aliam cauſam eſſe putat, quòd cùm quattuor facies in animalibus viderit, hominis, leonis, bouis, aquilæ, vocetur filius hominis à præcipua parte viſionis: quaſi vir videns hominem; ideò non vocatur filius leonis, aut bouis, aut aquilæ: ſicut Daniel ex deſiderio quo tenebatur *vir deſideriorum* appellatus eſt, cap. 9. 23. Meliùs Aben Eſra Daniel 8. 17. quia inter angelos verſabatur diſtinctionis cauſa filium hominis appellatum dicit, vt Danielem illic quia inter angelos erat, vt eodem loco Hieronymus adnotauit. *Sta ſuper pedes tuos*, Erige te, id eſt, reſume animum quem abieciſti, vt intelligas quæ tibi dicturus ſum.

2. *Et ingreſſus eſt in me ſpiritus.*] Hebraizantes ſimpliciter hoc interpretantur, *Ingreſſus eſt in me ſpiritus*, id eſt, rediit ad me animus meus. Ego de ſpiritu Dei intelligendum puto. Si enim de humano ſpiritu loqueretur, non diceret, *ſtatuit me ſuprà pedes meos*: ſed diceret, Surrexi. Accedit quod cap. 3. 24. repetens eandem ſententiam declarat ſe de ſpiritu Dei loqui, *Et ingreſſus eſt in me ſpiritus, & ſtatuit me ſuprà pedes meos: & locutus eſt mihi, & dixit ad me, Ingredere & includere in medio domus tuæ.*

3. *Ad filios Iſraël.*] id eſt, ad Iudæos, qui in Chaldæa captiui ſunt: vel ad eos etiam, qui Ieroſolymis remanſerunt. Non quòd Ieroſolymam iturus eſſet: ſed vt ad eos ſcriberet, vt ait R. Dauid. Nam verbum, *Mitto*, hoc loco non ſignificat motum, ſed auctoritatem, quaſi dicat, Ego te Prophetam conſtituo: vt Ierem. 14. 14. *falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo; non miſi eos, & non præcepi eis.* Idem enim eſt, Mittere, &, Præcipere; & cap. 27. 15. *Non miſi eos, ait Dominus, & ipſi prophetant in nomine meo mendaciter.* *Ad Gentes apoſtatrices.* Gentes vocat duas tribus, vt putat R. Salomon. quia, vt ait R. Dauid, multarum gentium religiones ſequebãtur: alij Ammonitarum, alij Moabitarum; alij aliarum. *Apoſtatrices.* rebelles, המורדים. *Præuaricati ſunt pactum meum. Pactum meum* Hebraïcè non eſt, neque Septuaginta verterunt: ſed eſt פשעו בי. præuaricati ſunt in me, quod eodem redit.

4. *Et filij dura facie.*] filios vocat homines per Hebraïſmum, aut quia pro filiis eos habuerat, aut quia eorum maiores nominauerat, quaſi dicat, patres filij imitantur. Dura autem facie vocat impudentes, ſicut Latinè dicimus, os durum. Ita Ierem. cap. 5. 3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam; indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.* Sic infra cap. 3. 7. *Dominus Iſraël attrita fronte eſt, & duro corde. Et indomabili corde* וחזקי לב, & fortes corde, ad verbum, στερεοκάρδιοι, vt Septuag. verterunt, id eſt, duri corde, vt loquũtur veteres auctores. *Et dices ad eos,* id eſt, dicere poteris, *Hæc dicit Dominus*: quaſi dicat, poteris loqui meo nomine tanquam Propheta à me conſtitutus vtique illa forma loquendi prophetarum propria, *Hæc dicit Dominus*, vt interpretatur R. Dauid.

5. *Si fortè vel ipſi audiant.*] Noſtræ verſionis ſenſus manifeſtus eſt. Hebraïcè autem eſt והמה אם ישמעו ואם יחדלו. Et ipſi ſiue audiant, ſiue ceſſent, id eſt, loqueris ad eos, ſiue audiant te, ſiue non, *quoniam* domus *exaſperans eſt*, id eſt, gens rebellis & peruicax, vt ſaltem intelligant non deeſſe illis meam prouidentiam; ſed miſiſſe ad eos Prophetam, qui eos reprehendat. Hoc ſenſu interpretatur R. Dauid.

6. *Quoniam increduli, & ſubuerſores ſunt tecum.*] H. סרבים וסלונים. Hebræi interpretantur, quoniam rebelles & ſpinæ ſunt tecum, id eſt, quamuis tibi res ſit cum hominibus rebellibus, & aſperis, qui quaſi ſpinæ pungere ſolent eos, qui ſe monent, tamen ne timeas, *Et cum ſcorpionibus habitas.* id eſt, Inter homines malignos verſaris, qui eos, à quib. admonẽtur, iniuriis afficiunt; ſicut ſcorpiones pungunt eos, qui ſe tangũt. *Quia domus exaſperans eſt.* כי בית מרי המה. quoniam domus rebellionis ſunt, id eſt, gens rebellis, & intractabilis. Hoc eſt, quamuis rebelles ſint, & intractabiles, tamen ne timeas.

7. *Si fortè audiant.*] H. ſiue audiant, ſiue non; vt ſuprà ver. 5.

8. *Et noli eſſe exaſperans.*] id eſt, rebellis. כמרי, ſicut illi rebelles ſunt, id eſt, noli ſpiritui ſancto reſiſtere, ſicut illi.

9. *In qua erat inuolutus liber.*] והנה בו מגלת ספר. Et ecce in ea volumen libri.

10. *Intus & foris.*] id eſt, ex vtraque parte. פנים ואחור. In facie & in tergo. Hoc autem ſignificabat tam multa eſſe mala quæ Iudæis impendebant, vt totum volumen implerent intus & foris. vocat faciem voluminis eam partem, vbi ſcribi ſolet: tergum vbi ſcribi non ſolet, vt exponit R. Dauid. *Lamentationes, & carmen* קנים והגה lamentationes & meditatio, id eſt, gemitus: quaſi dicat, ſcripta erant in eo omnia mala, quæ Iudæis erant euentura.

CAPVT III.

ET dixit ad me, Fili hominis quodcunque inueneris comede: comede volumen
iſtud, & vadens loquere ad filios Iſraël. 2 Et aperui os meum, & cibauit
me volumine illo, 3 Et dixit ad me, Fili hominis venter tuus comedet, &
viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi. Et comedi illud: & factum eſt
in ore meo ſicut mel dulce. 4 Et dixit ad me, Fili hominis vade ad domum Iſraël &
loquêris verba mea ad eos. 5 Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignota
lingua tu mitteris, ad domum Iſraël. 6 Neque ad populos multos, profundi ſermo-
nis & ignota lingua quorum non poſſis audire ſermones, & ſi ad illos mittereris, ipſi audi-
rent te. 7 Domus autem Iſraël nolunt audire te: quia nolunt audire me, omnis quip-
pe domus Iſraël attrita fronte eſt, & duro corde. 8 Ecce dedi faciem tuam valen-
tiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. 9 Vt adaman-
tem & vt ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia do-
mus exaſperans eſt. 10 Et dixit ad me, Fili hominis omnes ſermones meos quos ego
loquor ad te, aſſume in corde tuo, & auribus tuis audi. 11 & vade, ingredere ad
tranſmigrationem ad filios populi tui, & loquêris ad eos, & dices eis, Hæc dicit Dominus
Deus: ſi fortè audiant & quieſcant. 12 Et aſſumpſit me ſpiritus. & audiui poſt me
vocem commotionis magnæ, Benedicta gloria Domini de loco ſuo. 13 Et vocem ala-
rum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum ſequentium ani-
malia, & vocem commotionis magnæ. 14 Spiritus quoque leuauit me, & aſſumpſit
me: & abij amarus in indignatione ſpiritus mei, manus enim Domini erat mecum, con-
fortans me. 15 Et veni ad tranſmigrationem ad aceruum nouarum frugum, ad eos
qui habitabant iuxta flumen Chobar: & ſedi vbi illi ſedebant: & manſi ibi ſeptem die-
bus mœrens in medio eorum. 16 Cùm autem pertranſiſſent ſeptem dies, & factum
eſt verbum Domini ad me dicens: 17 Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël:
& audies de ore meo verbum & annuntiabis eis ex me. 18 Si dicente me ad impium,
Morte morieris; non annuntiaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via ſua im-
pia, & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua
requiram. 19 Si autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab im-
pietate ſua: & à via ſua impia: ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam
tuam liberaſti. 20 Sed & ſi conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquita-
tem ponam offendiculum coram eo, ipſe morietur: quia non annuntiaſti ei, in peccato ſuo
morietur, & non erunt in memoria iuſtitiæ eius, quas fecit: ſanguinem verò eius de ma-
nu tua requiram. 21 Si autem tu annuntiaueris iuſto vt non peccet iuſtus, & ille
non peccauerit, viuens viuet, quia annuntiaſti ei, & tu animam tuam liberaſti. 22 Et
facta eſt ſuper me manus Domini, & dixit ad me; Surgens egredere in campum, & ibi
loquar tecum. 23 Et ſurgens egreſſus ſum in campum: & ecce ibi gloria Domini ſta-
bat, quaſi gloria quam vidi iuxta fluuium Chobar, & cecidi in faciem meam. 24 Et
ingreſſus eſt in me ſpiritus, & ſtatuit me ſuper pedes meos: & locutus eſt mihi, & dixit ad
me, ingredere, & includere in medio domus tuæ. 25 Et tu fili hominis ecce data ſunt
ſuper te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris in medio eorum. 26 Et lin-
guam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans: quia do-
mus exaſperans eſt. 27 Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad
eos, Hæc dicit Dominus Deus, Qui audit, audiat, & qui quieſcit, quieſcat: quia do-
mus exaſperans eſt.

COME-

Digitized by Google

COMEDIT Propheta volumen, quod illi Deus porrigit · accipit à Deo prophetici officij leges: educitur in campũ & videt iterũ gloriã Domini.

Manus Dei prophetia.

1. *Quodcumque inueneris.*] ſub.in manu mea. Manus Dei prophetiam ſignificat vt ſuprà cap. 1. 3. *facta eſt ibi ſuper eum manus Domini.* & infrà in hoc ipſo, c. ver. 22. & c. 8. 1. & c. 37. 1. & c. 40.1. Manus ergo, quæ ad Ezechielem miſſa eſt capite ſuperiore ver. 9. prophetia erat; volumen in manu, materia prophetiæ, id eſt, ea, quæ erant euentura. Iubetur Propheta deuorare, quidquid inuenerit in manu Domini, id eſt, æquo animo accipere quidquid illi Deus reuelauerit, nihil recuſare, nihil reiicere, nihil diſſimulare, omnia dicere, omnia populo denuntiare. Quod autem volumen ſcriptum intus, & foris aut multitudinem futurorum, vt diximus, malorum ſignificabat: aut mala, quæ non ſolùm Iudæis, ſed etiam aliis externis gentibus erant euentura: & quòd Deus volumen explicauit, ſignificat Deũ Prophetæ reuelaſſe, quæ in eo ſcripta erant.

2. *Cibauit me volumine illo.*] ויאכלני. & comedere me fecit volumen illud, id eſt, ingeſſit mihi illud in os, & fecit vt deuorarem; non re ipſa; ſed prophetico ſpiritu: hoc eſt docuit me omnia, quæ in illo libro ſcripta erant, id eſt, Diuinæ prædeſtinationis decreto conſtituta. Ita Chaldæus. *Aperui os meum*, id eſt, Inclinaui animum meum, & docuit me quidquid erat in volumine illo. *Venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur*, id eſt, ſi venter tuus comederit, viſcera tua ſaturabuntur, vt Chaldæus Paraphraſtes interpretatur. quaſi dicat, ſatis habebis materiæ ad vaticinandum, nihil erit quod ampliùs deſideres. Omnia enim hoc volumine continentur: vel, vt exponit R. Dauid. *Venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur*, id eſt, ita illud comede, vt non illud euomas, ſed venter tuus, ac viſcera tua illud retineant. quaſi dicat, nihil reiicias eorum, quæ tibi ſuggero; ſed omnia diligenter conſerua in animo tuo. Ponuntur futura Hebraïca pro imperatiuis.

Liber in ore dulcis, in ventre amarus quid denotet.

3. *Et comedi.*] id eſt, viſus ſum mihi comedere illud, non enim re ipſa; ſed ſpiritu comedit. *Et factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Reticet, vt mihi quidem videtur, alteram partem antitheſis: quaſi dicat. in ore quidem meo fuit dulce ſicut mel; in ventre autem meo fuit amarum ſicut fel; ſicut idem ſpiritus Ioanni in ſimili cauſa dixit, Apocal. 10. 9. 10. *Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum: ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce; & cùm deuoraſſem eum amaricatus eſt venter meus.* Significabat autem hoc, munus prophetiæ initio dulce videri, cùm à Deo accipitur; poſtea autem amarum ac difficile, cùm Propheta aut lapidatur, aut ſerra ſecatur, aut gladio occiditur, vt ait D. Paul. Itaque Michæas cap. 2. 11. dicebat; *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potiùs loquerer.*

Ad Heb. 11. 37.

4. *Verba mea.*] H. בדברי. in verbis meis, id eſt, meo nomine, vel dicens more prophetarum, *Hæc dicit Dominus.*

5. *Ad populum profundi ſermonis.*] עמקי שפה, profundos labio Hebraïſmus, pro, obſcuri, difficilis, & barbari ſermonis: וכבדי לשון. & grauis lingua, id eſt, difficilis linguæ idem dicit alia phraſi. quaſi dicat, non poteris queri, quod mittam te ad populum barbarum, quem non poſſis intelligere, & à quo non intelligare. Mitto enim te ad populum tuum, qui eiuſdem tecum eſt linguæ, qui & te intelliget, & abs te intelligetur.

6. *Nec ad populos multos*] id eſt, longinquos, remotos, multi itineris, quorum linguam numquam audieris, vt interpretatur R. Dauid: vel, vt ego arbitror,

 intelligi

intelligi poſſe, *Ad populos multos*, id eſt, diuerſos, varios, diuerſi ſermonis. *Et ſi ad illos mittereris.* אם לא. Si non ad eos miſiſſem te, illi te audirent, id eſt, certè ſi ad illos miſiſſem. Eſt enim forma iurandi Hebræis vſitata, vt R. Dauid adnotauit.

7. *Domus autem Iſrael nolunt audire te.*] Audire hoc loco, obedire ſignificat. Hoc eſt quod Chriſtus dicit, *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Matth. 12. 41. *Quia nolunt audire me.* quaſi dicat, idcirco nolunt audire te, quia à me miſſus: nam ſi à me miſſus non fuiſſes, ſed tua auctoritate, ſicut pſeudoprophetæ, loquereris, audirent te. Huc illud pertinet. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*, Lucæ 10. 16. *Attrita fronte.* חזקי מצח. fortes fronte, id eſt, impudentes, ſicut cap. 2. 4. vocauit קשי פנים. *dura facie.*

8. *Valentiorem.*] Hic facies fortis, & dura frons non ſignificant impudentiam, ſicut verſu præcedente; ſed fortitudinem, & interritam ad reſiſtendum audaciam. *Faciebus eorum.* לעמת פניהם. è regione facierum ipſorum, id eſt, pluſquam facies eorum, & eodem modo, è regione frontis eorum, id eſt, pluſquam frontem eorum. Noſter interpres optimè Hebraïſmum reddidit.

9. *Et vt ſilicem*] מצור. præ ſilice, id eſt, ſicut adamantem duriorem ſilice *dedi* (dabo) *faciem tuam*, id eſt, dabo tibi inuictam patientiam: ne ergo metuas, *quia domus exaſperans eſt*, id eſt, eo quòd, licet, quamuis domus מרי. rebelles ſint, vt ſuprà cap. 2. ver. 8.

10. *Aſſume in corde tuo, & auribus tuis audi.*] ὕστερον πρότερον Adnotat R. Dauid ו, & hoc loco idem valere, quod poſtquam, aut, Quia. quaſi dicat, poſtquam auribus audieris, excipe & conſerua in animo tuo, vt apud Iſaiam cap. 64. 5. *Ecce, tu iratus es, & peccauimus*, id eſt, poſtquam peccauimus, aut, quia peccauimus.

11. *Ingredere ad tranſmigrationem.*] id eſt, ad captiuos, qui Babyloni, & in Chaldæa ſunt, erat enim ipſe iuxta fluuium Chobar, vt dixit cap. 1. 1. aut tranſmigrationem vocat per anticipationem eos, qui adhuc Ieroſolymis erant, quia paulo pòſt erant tranſmigraturi: quod magis conuenit cum ſententia verſus ſequentis; ſed minùs cum verſu 15. vbi explicat ſe tranſmigrationem appellare eam, quæ habitabat iuxta fluuium Chobar. *Si fortè audiant, & quieſcant.* ſiue audiant te, ſiue non, tamen clama ne ceſſes. Argue, increpa, opportunè, importunè, vt cap. 2. 5.

12. *Aſſumpſit me ſpiritus.*] id eſt, viſus mihi ſum à ſpiritu ſancto, vel ab aliquo angelo rapi, vt transferret me in Ieruſalem, vt cap. 11. 1. vel, vt alij interpretantur, viſus mihi ſum vento rapi: Quamquam hoc nimis Rabbinicum videtur. *Et audiui poſt me vocem commotionis magnæ*, id eſt, vocem cum magno ſtrepitu, & quaſi tonitru. Vox autem erat hæc, vt Ionathas & R. Dauid interpretantur. *Benedicta gloria Domini de loco ſuo*, ſub. venit, id eſt, Ecce Deus venit ad caſtigandos Iudæos, & iratos de cœlo cum magno ſtrepitu deſcendit. Hoc enim commotio illa magna ſignificabat, quia *Deus manifeſtè veniet: Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida.* Pſalm. 49. 3. Similis ſententia apud Michæam, cap. 1. 3. 4. *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ: conſumentur montes ſubtus eum, & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.* Ita Hieronymus exponit. Itaque gloria Domini hoc loco maieſtatem illam ſignificat, quadrigæ inſidentem, quam Ezechiel viderat, cap. 1. ſtatim

enim

enim eam deſcribit: locum autem eius vocat cœlum; aliquando enim quadriga leuabatur in cœlum, aliquando de cœlo deſcendebat in terram, vt indicauit, cap. 1. verſu 19. Quæ interpretatio multò magis mihi placet, quàm illa Hebræorum, qui gloriam Domini Arcam, aut Dei præſentiam, & protectionem vocari putant. quaſi dicat, Ecce breui tempore gloria Domini deſcendit ex templo, & vrbs ac templum concremabitur.

13. *Et vocem alarum.*] ſub. audiui. *percutientium* מַשִּׁיקוֹת. quæ oſculabantur, id eſt, attigebant altera alteram. Non ala vnius animalis alam alterius: ſed ala vnius faciei, alam alterius faciei eiuſdem animalis, vt explicauimus, cap. 1. ver. 9.

14. *Spiritus quoque leuauit me.*] Non ſignificat ſe iterum fuiſſe ſublatum, vt nonnulli putant vertentes ו, &, in iterum; ſed quod antè ſummatim, & per anticipationem dixerat, nunc dicit copioſè, & explicatè, vt in ſcripturæ narrationibus ſæpe fit. *In indignatione ſpiritus mei.* Indignatio hîc in bonam partem accipitur, quaſi dicat, abij zelo Domini incenſus. *Manus enim Domini.* ויד יי עלי חזקה. & manus Domini ſuper me fortis, aut, roborans, Manum Domini aliqui prophetiam interpretantur, vt Ionathas & R. Dauid, quemadmodum ſuprà cap. 1. 3. quaſi dicat, abij incenſus zelo, quia vehemens prophetiæ ſpiritus vrgebat me. Alij, *manus Domini*, id eſt, vis & fortitudo corroborans me, ne laborem itineris ſentirem, vt ait R. Salom.

15. *Et veni ad tranſmigrationem ad aceruum nouarum frugum.*] Aceruus nouarum frugum, nomen proprium eſt loci, H. תל־אביב. *Thel abib.* Itaque Chaldæus Paraphraſtes integrum reliquit. Sept. verterunt μετέωρος, ſublimis, quia תלל. ſuſpendere ſignificat. Noſter interpres vtrumque nomen reſoluit. תל. aceruus, & אביב. fruges aut ſpicæ. Habebat enim locus nomen à frugibus. Eſt autem ordo verborum præpoſterus. quaſi dicat, veni ad eos, qui habitabant in Thel-abib, qui locus eſt iuxta fluuium Chobar. *Et ſedi*, id eſt, habitaui, cum illis, ſeptem diebus mœrens, H. מַשְׁמִים. admirans, attonitus, obſtupefactus, nempe ob præcedentem viſionem, aut magnitudine malorum, quæ prouidebam populo meo euentura, ita vt per ſeptem dies loqui non poſſem. Hoc enim verbum ſignificat, vt ait R. Salom. Et Chaldæus vertit שתק. tacens. Septuag. ἀναστρεφόμενος ἐν μέσῳ αὐτῶν, verſans in medio eorum.

17. *Speculatorum dedi te.*] id eſt, doctorem, Prophetam poſui te in Iſraël, vt omnia verba, quæ ex me audieris, annunties illis ex me, id eſt, nomine meo. Prophetæ צופים. ſpeculatores appellantur, quia quemadmodum qui in ſpecula conſtituti ſunt, longè vident; ita illi longè futura proſpiciunt. ita infrà cap. 33. 2. 6. 7. & Iſai. 56. 10.

18. *Si dicente me ad impium*] id eſt; ſi, cùm ego tibi dixero, vt dicas impio; *Morte morieris*, id eſt, ſine vlla dubitatione morieris, nota eſt phraſis. *Ipſe impius*, id eſt, ille morietur propter iniquitatem ſuam, tu autem morieris propter mortem eius; quia tua negligentia periit vna anima de populo meo.

20. *Ponam offendiculum coram eo.*] Hebræi interpretantur, *ponam offendiculum*, id eſt, patefaciam occulta eius peccata; ego, quæram occaſionem puniendi illum, aut, Inducam illum in interitum, faciam eum mori. *Non erunt in memoria iuſtitiæ eius*, id eſt, non recordabor bonorum operum, quæ antè fecit, non liberabitur à morte propter illa; quamquam non erunt illi prorſus inutilia. Vera enim eſt Theologorum ſententia, nullum malum impunitum, nullum bonum irremuneratum.

22. *Et facta eſt.*] שם. ibi. *manus Domini*, id eſt, prophetia, vt cap. 1. 3. & infrà cap. 8. 1, & cap. 31. 1. & 40. 1.

23. *Et ecce ibi gloria Domini.*] Gloriam Domini vocat viſionem illam quadrigæ, quam cap. 1. deſcripſit, ſicut ſuprà ver. 12.

24. *Et ingreſſus eſt in me ſpiritus.*] Dei, vt cap. 2. 3. quamquam Hebræi aliter interpretantur. *Includere in medio domus tuæ*; quia nihil proficies admonens eos: quaſi dicat, ne perdas operam tuam, vt exponit R. Sal. Magis probo interpretationem R. Dauid, qui idcirco dicit iuſſum fuiſſe Prophetam abdere ſe in domum, vt priùs audiret ex Deo omnia, quæ dicturus erat, quàm inciperet annuntiare. itaque vſque ad cap. 51. ver. 24. nihil annuntiat; ſed tantum audit, & videt, quæ illi Deus aut dicit, aut oſtendit.

25. *Data ſunt ſuper te vincula*] id eſt, dantur, iniiciuntur tibi vincula, ne domo egredi poſſis, & cum illis verſari, antequam omnia, quæ videnda ſunt, videris, quæque audienda ſunt, audieris. Veriſimile eſt vna cum his verbis iniecta fuiſſe per viſionem Prophetæ vincula.

26. *Et linguam tuam.*] Non ſolùm pedes tuos ligabo, ne egredi poſſis ad illos: ſed etiam linguam tuam, ne cum iis, qui ad te domum venerint, loqui poſſis, aut eos obiurgare.

27. *Cùm autem locutus fuero tibi.*] Cùm ego tibi ſignificauero, cùm tempus erit, & ego tibi indicauero, óſque tibi aperuero; tum loqui incipies, dicéſque illis, quæ vidiſti, & audiuiſti. *Qui audit, audiat.* Non ſunt hæc verba, quæ Propheta dicturus eſt: ſed Deus ea dicit, ac ſi dicat, Dices illis, quæ audiſti, ac vidiſti, & qui voluerit audire, audiat; qui noluerit audire, non audiat, vt ſuprà ver. 11. & cap. 2. ver. 5. 7. *Quia domus exaſperans eſt.* מרי. id eſt, populus rebellis, & peruicax, vt cap. 2. 5. 6. Hoc propterea dicit, vt cauſam reddat, cur dixerit, *Qui audit, audiat: & qui quieſcit, quieſcat.* quaſi dicat, propterea dixi, Qui voluerit audire audiat; qui noluerit, non audiat, quia ſcio pleroſque non audituros, Domus enim rebellis eſt.

CAPVT IV.

ET tu fili hominis ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo
ciuitatem Ieruſalem. 2 Et ordinabis aduerſus eam obſidionem, & ædifi-
cabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam caſtra, & pones
arietes in gyro. 3 Et tu ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eam murum fer-
reum inter te & inter ciuitatem: & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obſidione,
& circumdabis eam: ſignum eſt domui Iſraël. 4 Et tu dormies ſuper latus tuum ſini-
ſtrum, & pones iniquitates domus Iſraël ſuper eo numero dierum quibus dormies ſuper
illud, & aſſumes iniquitatem eorum. 5 Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum
numero dierum trecentos & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Iſraël.
6 Et cùm compleueris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundo: & aſſumes ini-
quitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, diem inquàm pro anno dedi tibi.
7 Et ad obſidionem Ieruſalem conuertes faciem tuam & brachiũ tuũ erit extentum, &
prophetabis aduerſus eam. 8 Ecce, circundedi te vinculis: & non te cõuertes à latere tuo in
latus aliud, donec compleas dies obſidionis tuæ. 9 Et tu ſume tibi frumentũ, & hordeũ, &
fabam, & lentem, & miliũ, & viciã, & mittes ea in vas vnũ & facies tibi panes numero
dierum

Digitized by Google

dierum quibus dormies ſuper latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illud.
10 *Cibus autem tuus quo veſcêris, erit in pondere viginti ſtateres in die: à tempore*
vſque ad tempus comedes illud. 11 *Et aquam in menſura bibes ſextam partem hin: à*
tempore vſque ad tempus bibes illud. 12 *Et quaſi ſubcinericium hordeaceum comedes*
illud. & ſtercore quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum. 13 *Et dicit*
Dominus, Sic comedent filij Iſraël panem ſuum pollutum inter gentes ad quas eiiciam eos.
14 *Et dixi Ah, ah, ah, Domine Deus; ecce anima mea non eſt polluta, & morticinum*
& laceratum à beſtijs non comedi ab infantia mea vſque nunc, & non eſt ingreſſa in os
meum omnis caro immunda. 15 *Et dixit ad me, Ecce tibi dedi fimum boum pro*
ſtercoribus humanis: & facies panem tuum in eo. 16 *Et dixit ad me, Fili homi-*
nis, ecce ego conteram baculum panis in Ieruſalem: & comedent panem in pondere,
& in ſolicitudine, & aquam in menſura, & in anguſtia bibent. 17 *Vt deficienti-*
bus pane & aqua, corruat vnuſquiſque ad fratrem ſuum, & contabeſcant in iniquitati-
bus ſuis.

IVBETVR Ezechiel futuram obſidionem Ieruſalem in latere deſcribere. Significatur illi diuturnitas captiuitatis Iſraël & Iuda per latus ſiniſtrum, ac dextrum. Et futura fames per panem ſtercore conſperſum.

1 *Laterem.*] Philoſophantur de latere aliqui Hebræi, cur iubeat Ezechielem Deus laterem ſumere, potiùs quàm tabulam, cùm in tabula, non in lateribus pingere ſoleamus. Reſpondet R. Dauid, quia vrbes lateribus & lapidibus ædificantur; later autem magis aptus ad picturam quàm lapis erat.

2. *Et ordinabis.*] נחת pones, futurum pro præterito, ſicut in omnibus verbis ſequentibus eiuſdem verſus. *Et ædificabis munitiones.* דיק. munitionem, R. Salomon dicit דיק ſignificare machinam, qua lapides in vrbem proiiciebantur, cuiuſmodi erant balliſtæ, aut catapultæ. R. Dauid putat turrim ſignificare ligneam, quæ ad capiendas vrbes obſeſſas erigi ſolet. Noſter interpres vbique vertit munitionēs, vt 4. Regum. c. 25. v. 1. & Ierem. cap. 52. ver. 4. Septuaginta *προμαχῶνας, propugnacula. Et comportabis aggerem.* Comportare aggerem dixit noſter interpres, quia ſolent hoſtes, cùm vrbem obſidere volunt, aggeres ante ſe agere, atque promouere, vt tuti accedant. Hebraïcè eſt, ושפכת. & fundes contra eam aggerem, id eſt, deduces, dilatabis. *Et dabis.* נחת. pones, caſtrametabere. *Et pones arietes.* Arietes Latinè dicuntur bellica inſtrumenta è lignis confecta, ferreo capite, quibus more arietum retrocedendo, ac impetu facto muri deiiciuntur, qui etiã Hebraïcè כרים. arietes appellantur, vt interpretatur R. Ioſeph Quimchi. Quamquam Chaldæus Paraphraſtes, & R. Salomon, & R. Dauid hoc loco, duces ac principes exponunt, ſicut 4. Reg. cap. 11. ver. 4. 18. Sed hoc loco magis conuenit, vt bellica inſtrumenta, quàm vt duces ſignificet, de inſtrumentis enim agebatur, atque ita R. Ioſeph Quimchi interpretatur hoc loco, & infrà cap. 21. ver. 22. Eodem ſenſu Septuaginta verterunt βελοστάσεις. Hæc omnis pictura nihil aliud, quàm Ieroſolymitanam obſidionem ſignificabat.

3. *Sartaginem ferream.*] Hieronymus & Theodoritus ferream ſartaginem Dei contra Ieruſalem iram deſignare putant, quòd, cùm natura ſua mollis ſit, *Sartago ferrea Ieruſalem. & cur.* ac miſericors, Iudæorum peccatis ferreus quodammodo factus ſit. Alij, vt R. Dauid Iudæorum duritiam notare exiſtimant. Ego ſimpliciter interpretor, ſartaginem vrbem ſignificare, quia ſartago muro quodammodo circundatur; ferrum autem, ſi quid ſignificat, vrbis munitionem ſignificare, quòd inexpugnabilis

gnabilis eſſe videretur, quemadmodum ſi ferreos muros habuiſſet, fore tamen vt ab ira Dei, quæ fortior eſt ferro, expugnetur. Propheta enim Dei perſonam gerit, cùm iubetur contra eam obfirmare faciem, id eſt, irato vultu reſpicere, vt Theodoritus exponit, vt Ierem. 21. 10. *Poſui enim faciem meam ſuper ciuitatem hanc in malum, & non in bonum.* & cap. 44. v. 11. *Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum, & diſperdam omnem Iudam.* & Leuit. 17. 10. *Obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.* Poteſt etiam Propheta perſonam hoſtium gerere vrbem obſidentium: ſed eodem res redit. Nam hoſtes etiam ipſi perſonam Dei gerebant; quam ob rem Nabuchodonoſorem regem Babylonis Deus ſeruum ſuum vocare ſolet, quia eo miniſtro iræ ſuæ vtebatur, vt Ierem. 25. 9. & 27. 6. & 43. 10. *Signum eſt domus Iſraël,* id eſt, hæc omnia ſignificant Ieruſalem obſidendam eſſe. Non vocat hoc loco Iſraël decem tribus, vt plerumque fieri ſolet: ſed vocat ipſam vrbem Ieroſolymitanam, quæ obſidenda erat.

4. *Et tu dormies.*] שׁכב. eſt valde difficile ac moleſtum in vnum & idem latus ſemper incumbere, propterea per accubitum in latus, pœnam ſignificat, & captiuitatem. Nam qui captiui ſunt non poſſunt ſe huc illuc conuertere; ſicut nec ægroti, qui non poſſunt ſe in lecto ex vno latere in aliud mouere. Per latus autem ſiniſtrum decem tribus ſignificat, quia, vt putat R. Dauid, plures erant, & ſolent homines vt plurimùm in ſiniſtrum latus cubare. Quod nimis futile eſt. Meliùs R. Salomon, Quia Samaria vbi decem tribus habitabant, Iudææ ſiniſtra erat, vt dicitur infrà cap. 16. ver. 46. *Soror tua maior Samaria, ipſa & filiæ eius, quæ habitant ad ſiniſtram tuam.* Ego propterea per ſiniſtrum latus decem tribus, per dextrum Iudam deſignari arbitror, quòd Iuda dignior eſſet, quia & regnum, & ſacerdotium in ea erat. *Et pones iniquitates,* id eſt, pœnas iniquitatum, vt Pſalm. 37. 5. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* & Pſalm. 39. v. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Genus eſt vſitatum prophetiæ, quo non ſolùm verbis futura prædicuntur: ſed etiam factis præmonſtrantur quale capite ſequenti, cùm iubetur Propheta barbam, & capillum radere: quæ omnia non re quidem ipſa, ſed ſolo prophetico ſpiritu facta eſſe credendum eſt.

Dormire in latus dextrũ, aut ſiniſtrum quid denotet.

5. *Ego autem dedi tibi.*] id eſt, præſcripſi tempus trecentorum nonaginta dierum, quibus cubans ſuper latus ſiniſtrum iniquitates Iſraël aſſumas, quia trecentos nonaginta annos punietur, & dedi tibi diem pro anno, vt Hieron. interpretatur; qui annos ita numerat. Sub rege Phacee filio Romeliæ, qui in Iſraël viginti regnauit annos, *venit Tiglathphalaſar rex Aſſur, & cepit Aion & Abel, domum Maacha, & Ianoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad, & Galileam, & vniuerſam terram Neptali, & tranſtulit eos in Aſſyrios.* 4. Reg. c. 15. ver. 27. 28. 29. Poſt quem regnauit in Iſraël Oſee filius Hela annis nouem, captúſque eſt cum omni Samaria à Salmanaſſar rege Aſſyriorum, & tranſlatus eſt *in Hala, & in Habor, iuxta fluuium Gazam in ciuitatibus Medorum:* ſexto autem anno Ezechiæ regis Iuda captus eſt Oſee rex Iſraël, 4. Reg. cap. 17. 1. 6. 23. 24. & cap. 18. 1. Si à ſexto Ezechiæ anno vſque ad vigeſimum nonum (tot enim regnauit annis) numeremus, viginti quattuor reperiemus 4. Reg. 18. 2. cui ſucceſſit Manaſſes, regnauitq; annis quinquaginta quinque. Poſt hunc Amon regnauit annis duobus. Poſt quem Ioſias annis triginta duobus: cui ſucceſſit Ioacim, & regnauit annis vndecim. Poſt quem Ioachin cognomento Iechonias, qui ſtatim ductus eſt in captiuitatem, regnauitque pro eo Sedecias annis vndecim, ſub quo capta

Quomodo 390 annos punitus eſt Iſraël.

pta

pta eſt Ieruſalem, templumque deſtructum. Fiunt itaque à prima captiuitate Iſraël, quæ facta eſt ſub rege Phacee, vſque ad vndecimum annum Sedeciæ, quo templum deſolatum eſt anni centum ſexaginta quattuor. A ſecunda, cùm captus eſt Oſee, & omnis ſubuerſa Samaria anni centum triginta quinque. Fuerunt anni deſolationis templi anni ſeptuaginta, qui additi primæ captiuitati faciunt annos ducentos triginta quattuor. Secundo autem anno Darij regis Perſarum templum extructum eſt à Zorobabel, qui regnauit annis triginta ſex. Poſt quem regnauit Xerxes filius Darij annis viginti, poſt quem Artabanus menſibus ſeptem. Xerxes longimanus annis quadraginta. Xerxes menſibus duobus. Sogdianus menſibus ſeptem. Darius cognomento Nothus anni decem & nouem. Artaxerxes cognomento Mnemon annis quadraginta. quo tempore populus Iudæorum recepit priſtinam libertatem. Fiúntque à ſecundo anno Darij anni centum quinquaginta quinque, menſes quattuor. Qui additi ſuperioribus annis ducentis triginta quattuor faciunt annos trecentos octoginta nouem & menſes quattuor. Hebræi vt R. Salom. & R. Dauid hoc loco non putant annos, quibus Iſraëlitæ puniti ſunt; ſed quibus peccauerunt, denotari, annorumque numerum colligunt ex מרד עולם. quod mihi minimè probatur. Non enim de illorum peccatis; ſed de pœnis Propheta vaticinatur, propterea iubetur à Deo portare iniquitates eorum.

6. *Et aſſumes.*] id eſt, portabis, vt verſu præcedenti, non re ipſa; ſed ſola figura. *Quadraginta diebus. Diem pro anno; diem, inquam, pro anno.* Phraſis Hebraïca; id eſt, ſingulos dies pro ſingulis annis, hanc vim habet repetitio. Itaque ſignificat Iudam quadraginta annos eſſe puniendum: quos Hieronymus à primo Iechoniæ anno, cùm ille cum matre & principibus in captiuitatem Babylonicam ductus eſt, 4. Reg. 24. 15. vſque ad primum Cyri regis Perſarum annum numerandos putat: quo tempore captiuitas laxata eſt, vt ſcribitur lib. 1. Eſdræ cap. 1. Theodoritus in præfatione ab eo tempore, quo Ieremias captiuitatem ſeptuaginta annorum prædixerat, hoc eſt 18. anno Ioſiæ, vſque ad reditum populi in Iudæam; quemadmodum cap. 1. ver. 1. explicatum à nobis eſt. Itaque cùm hæc prophetia Ezechieli patefacta eſt, iam triginta anni captiuitatis effluxerant; quadraginta verò ſupererant. *Phraſis Hebraïca.*

7. *Et ad obſidonem Ieruſalem.*] id eſt, ad Ieruſalem, quæ obſidetur. Vocat obſidionem per anticipationem, quia obſidenda erat, nondum enim obſidebatur. *Conuertes faciem tuam.* חכין פניך præparabis faciem tuam, id eſt, obfirmabis, ſicut hoſtis, cùm obfirmata facie in vrbem impetum facit. Gerebat enim Ezechiel hoſtis perſonam, qui Ieruſalem obſeſſurus erat. *Et brachium tuum erit extentum.* More hominis pugnantis, vt ſignificet fore vt hoſtis pugnet cõtra Ieruſalem. H. חשופה. nudatum: ſolebant enim olim milites nudatis pugnare brachiis, quod hodie quoque Africani, & multæ barbaræ nationes faciunt.

8. *Circundedi te vinculis.*] Ne te poſſis ex vno in alterum latus conuertere. Hic Propheta gerit perſonam ciuitatis, ſicut verſu præcedenti gerebat perſonã hoſtis. Vincula verò captiuitatis ſigna ſunt; quòd autem ex vno latere in alterum ſeſe vertere non poſſit, indicat fore, vt Iudæi ita captiui teneantur, vt non poſſint, cùm velint in patriam redire, donec tempus à Deo definitum effluxerit.

9. *Et tu ſume.*] Hæc omnia nihil aliud indicant, quàm famem, qua decem tribus ſpatio trecentorum nonaginta annorum in captiuitate affligendæ erant. Solent enim homines in magna fame, non ſolùm ex tritico: ſed etiam ex omni genere leguminis panem conficere.

10. *In pondere.*] id eſt, non quantum voles; ſed certo pondere, vt in magna fame fieri ſolet. Pondus autem præſcribit illi viginti ſtateres ſingulis diebus. H. עשרים שקל. viginti ſiclos, idem autem eſt Latinis, & Græcis ſtater, quod Hebræis ſiclus, drachmæ ſcilicet quattuor, id eſt dimidia pars vnciæ, vt Hieronymus putat. Itaque iubetur Propheta decem tantùm vncias panis ſingulis diebus comedere. Alij quinque tantùm vncias viginti ſtateres aut ſiclos interpretantur. Exiſtimant enim ſtaterem aut ſiclum quartam eſſe partem vnius vnciæ. *A tempore vſque ad tempus*, id eſt, hac menſura non vtêris quando voles, ſed certo definitoque tempore, ab vno ſcilicet veſpere ad alium per viginti quattuor horarum ſpatium: vel hac menſura vtêris ſingulis diebus *a tempore* quo cubare corperis in latus ſiniſtrum *vſque ad tempus*, quo cubare deſines. Solet in magna fame, & in obſidione panis certo pondere præſcribi. Atque hoc eſt quod futurum indicat.

Stater & ſiclus quantum valant.

11. *Et aquam in menſura.*] id eſt, non quantùm voles: ſed ſextam tantùm partem Hin, quæ erat, vt ait Hieron. tertia pars ſextarij Italici, quæ minima menſura eſt. *A tempore vſque ad tempus*, vt verſu præcedenti, *Bibes illud. Illud* non eſt Hebraïcè, quamquam Sept. etiam verterunt αὐτὸ.

Hin, quæ menſura.

12. *Et quaſi ſubcinericium.*] Hoc etiam eò pertinet, vt ſummam omnium rerum penuriam oſtendat. Solent enim, qui in obſidione & captiuitate ſunt parabili, ſubcinericioque pane vti, coctoque non ſub prunis lignorum: ſed ſub ſtercore boum & aliorum animalium; quod hodie quoque nonnullis in locis lignorum penuria fieri videmus. Hoc eſt, quod dicit, *ſtercore quod egreditur de homine operies illud*, non enim iubet, *operire*, id eſt, aſpergere quaſi condimento: ſed *operire* vt coquat; vt ſignificet tantam omnium rerum penuriam futuram eſſe, vt ne ſtercus quidem boum aut equorum ad coquendum panem reperiri poſſit; opuſque ſit ſtercore humano panem coquere. Id ex verbo Hebraïco manifeſtum eſt. תעוגנה. coques illum. Sept. ἐγκρύψεις, *operies. In oculis eorum.* (captiuorum) id eſt, illis videntibus, vt hoc ſigno ſuam futuram miſeriam intelligant.

13. *Sic comedent filij Iſraël.*] id eſt, decem tribus; de illis enim nunc agit. *Panem pollutum*, id eſt, ſordidum, ſtercore humano coctum. *Inter Gentes*, id eſt, in captiuitate.

14. *Et dixi.*] Ego Ezechiel. אהה. vna dictio eſt, quam noſter interpres, aut fortaſſe ſcriptores in tres diuiſerunt, vt Ierem. c. 1. 6. & c. 14. 13. & infrà c. 20. 49. & Ioël. 1. 15. *Morticinum, & laceratum à beſtiis.* Vtrumque enim tanquam immundum lege prohibebatur, Leuit. 11. 11. 24. & cap. 17. 15. Argumentatur autem à maiore ad minus, quaſi dicat, ſi carnem immundam numquam edi, quomodo edam panem ſtercore humano inuolutum?

15. *Et dixit ad me.*] Deus. *Ecce dedi tibi.* Do, præteritum pro præſenti. *fimum boum pro ſtercoribus humanis.* Indicat ſe in maxima etiam ira aliquid eſſe de ſua ſumma ſeueritate remiſſurum, Cùm enim iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur Habac. 3. 2.

16. *Et dixit.*] Explicat ſuperiorem figuram. *Ecce ego conteram baculum panis*, id eſt, tollam panem, famémque immittam, phraſis Hebraïca, qua panis baculus aut virga vocatur, quia ſicut baculo, ita pane corpus ſuſtentatur, vt infrà cap. 5. 16. & c. 14. 13. & Leuit. 26. 26. *In Ieruſalem.* Cùm ageret de decem tribubus, vt conſtat ex verſ. 9. quomodo nunc concludit figuram de Ieruſalem. Videtur de vtraque captiuitate Iſraëlis & Iuda ænigma propoſuiſſe: ſed breuitatis cauſa in pro-

Digitized by Google

in propoſitione, Ieruſalem; in concluſione verò, Iſraëlem prætermiſiſſe. Itaque intelligendum eſt Prophetam, quamuis id non fuerit explicatum, priùs trecentos & nonaginta dies propter Iſraël; deinde quadraginta propter Ieruſalem ſubcinericium panem comediſſe.

17. *Vt deficientibus.*] למען יחסרו. eo quòd deficiet panis & aqua. *Corruat vnuſquiſque* id eſt, vnus hic, alter illic fame exanimatus corruat. H. ונשמו איש ואחיו. & obſtupeſcent vir & frater eius, id eſt, omnes inter ſeſe. Hebr. *Et contabeſcant in iniquitatibus ſuis*, id eſt, propter iniquitates ſuas, aut, ob grauiſſimas pœnas iniquitatum ſuarum.

CAPVT V.

ET tu fili hominis ſume tibi gladium acutum, radentem pilos: & aſſumes eum,
& duces per caput tuum, & per barbam tuam: & aſſumes tibi ſtateram
ponderis, & diuides eos. 2 Tertiam partem igni combures in medio ci-
uitatis, iuxta completionem dierum obſidionis: & aſſumes tertiam partem, & concides
gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam diſperges in ventum, & gladium nudabo poſt
eos. 3 Et ſumes inde paruum numerum: & ligabis eos in ſummitate pallij tui.
4 Et ex eis rurſum tolles, & proiicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo
egredietur ignis in omnem domum Iſraël. 5 Hæc dicit Dominus Deus, Iſta eſt Ieru-
ſalem, in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras. 6 Et contempſit iudicia
mea, vt plus eſſet impia quàm gentes: & præcepta mea vltrà quàm terræ quæ in circuitu
eius ſunt. Iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt. 7 Id-
circo hæc dicit Dominus Deus, quia ſuperaſtis gentes quæ in circuitu veſtro ſunt, & in
præceptis meis non ambulaſtis, & iudicia mea non feciſtis, & iuxta iudicia gentium, quæ
in circuitu veſtro ſunt, non eſtis operati. 8 Ideo hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego
ad te, & ipſe ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium: 9 & faciam in te
quód non feci, & quibus ſimilia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas.
10 Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres ſuos, & faciam in te
iudicia, & ventilabo vniuerſas reliquias tuas in omnem vẽtum. 11 Idcirco viuo ego dicit
Dominus Deus, Niſi pro eo quòd ſanctum meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis, &
in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non
miſerebor. 12 Tertia pars tui peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui: &
tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem tuam in omnem ven-
tum diſpergam, & gladium euaginabo poſt eos. 13 Et complebo furorem meum, &
requieſcere faciam indignationem meam in eis, & conſolabor: & ſcient quia ego Domi-
nus locutus ſum in zelo meo, cùm impleuero indignationem meam in eis. 14 Et
dabo te in deſertum & in opprobrium gentibus quæ in circuitu tuo ſunt, in conſpectu omnis
prætereuntis. 15 Et eris opprobrium & blaſphemia, exemplum & ſtupor in genti-
bus quæ in circuitu tuo ſunt, cùm fecero in te iudicia in furore & in indignatione, & in
increpationibus iræ: Ego Dominus locutus ſum. 16 Quando miſero ſagittas famis
peſſimas in eos, quæ erunt mortiferæ, & quas mittam vt diſperdam vos: & famem con-
gregabo ſuper vos, & conteram in vobis baculum panis. 17 Et immittam in vos
famem & beſtias peſſimas vſque ad internecionem: & peſtilentia & ſanguis tranſibunt
per te, & gladium inducam ſuper te, ego Dominus locutus ſum.

PRÆDICIT Iudæis Ieroſolymitanis peſtem, gladium, & captiuitatem ſimilitudine capillorum.

Explicatur ſimilitudo capillorum.

1. *Radentem pilos.*] id eſt, nouaculam, ſicut Hebraïcè eſt תער הגלבים. nouaculam tonſorum, id eſt, qua tonſores vti ſolent. *Stateram ponderis*, id eſt, libram, qua res graues ponderari ſolent: aut, vt alij interpretantur, iuſtam, probati ponderis. Nouacula gladium Nabuchodonoſoris R. Salomon ſignificari putat. Ego iram potiùs Dei, cui nihil poteſt reſiſtere: ſtateram autem iudicium eius & prouidentiam alios aliis modis caſtigantis. Capillos capitis ciues Ieroſolymitanos; barbæ verò eos, qui in vicinis vrbibus habitabant.

2. *Tertiam partem igni combures.*] Ignis famem & peſtem ſignificat, qua intra vrbem multi mortui ſunt, vt explicatur ver. 12. *In medio ciuitatis*; quam in latere deſcripſiſti, vt interpretatur R. Dauid. *Iuxta completionem*, id eſt, cum completi fuerint dies obſidionis, vt ait R. Salomon, vel vt alij interpretantur, Combure ex illa tertia parte capillorum quotidie aliquot, donec dies obſidionis compleantur, id eſt, quadraginta, aut, vt alij dicunt, quadringenti triginta. Coniungunt enim quadraginta Ieruſalem cum trecentis nonaginta Iſraëlis, atque ita R. Dauid; quod idcirco mihi non placet, quia dies illi non tempus obſidionis, ſed captiuitatis deſignabant; non enim fuit obſeſſa Ieruſalem quadraginta annos, neque quadringentos triginta: dies autem tot erant, & datus fuerat dies pro anno capite præcedenti ver. 6. *Et concides gladio in circuitu eius.* בסביבותיה. in circuitibus eius, id eſt, in vicinis vrbibus. Significabat enim hæc tertia pars eos, qui in vrbibus Iudææ, & in expugnatione Ieroſolymitana ab hoſtibus interfecti ſunt, vt declaratur v. 12. Gladius autem hoſtẽ ſignificat. *Tertiam verò partẽ.* Hi fuerunt, qui in Ægyptũ fugerunt cum Iohãna filio Caree, vt ſcribit Ierem. cap. 43. quemadmodum quidam interpretantur; vel, vt ego arbitror, omnes, qui vel in captiuitatem ducti, vel in exilium miſſi ſunt. *Et gladium nudabo poſt eos*; id eſt, adhuc in eos gladium immittam, adhuc contra eos bellum excitabo. Nam propter eos, qui noluerant ſe regi Babylonis dedere, ſed in Ægyptum confugerunt, Deus Nabuchodonoſorem contra Ægyptios exſuſcitauit, Ierem. 43. Hoc idem eſt quod prædixit Ierem. cap. 42. 16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti.*

3. *Et ſumes inde.*] id eſt, ex tertia parte, quæ nec fame, neque peſte, neque gladio in Iudæa occidetur; ſed diſpergetur in Gentes. *Paruum numerum*; per paruum numerum intelligit, vt putat R. Dauid, decem millia hominum, quos Nabuchodonoſor tranſtulit Babylonem cum Iechonia, 4. Regum 24. 14. Illi enim, quia ſeſe ſponte regi Babylõnis tradiderunt; ſeruati ſunt, tanquam res, quæ, ne amittantur, in ora veſtis ligari ſolent.

4. *Et ex eis.*] Ex illis paucis numero, ex illis decem millibus. Hoc Hebræorum interpretes R. Dauid, & R. Salom. de Achab & Sedecia interpretantur, quos rex Babylonis igne frixit, Ierem. 29. 22. vnde aſſumpta eſt *maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ eſt in Babylone, dicentium, ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.* Atque hoc eſſe putant, quod hoc loco dicitur, *Et ex eo egredietur ignis in omnem domum Iſraël.* Ego aliter intelligi poſſe arbitror, Illos pſeudoprophetas Achab, & Sedeciam, qui populo perſuadebant fore, vt numquam vrbs Ieroſolimitana caperetur, in cauſa fuiſſe, vt non ſolùm capta; ſed etiam incenſa fuerit, quia ſe ciues falſis eorum vaticiniis perſuaſi dedere noluerunt. Hieronymus, & eum ſecuti multi aliter hunc locum exponunt: ſed hic mihi videtur verus eſſe ſenſus. Iſraëlem

ergo

ergo hoc loco non ſolùm decem tribus: ſed generaliter omnes Iudæos vocat.
5. *Hæc dicit Dominus.*] Incipit ſuperiorem propheтiam explicare. *Hæc iſta eſt Ieruſalem*, id eſt, Ieruſalem per capillos tuos ſignificatur; aut, hæc tertia pars capillorum, quæ vento diſpergitur, ſignificat Ieruſalem, *in medio gentium poſui eam*, id eſt, quam per omnes gentes diſperſi; aut, quam omnibus gentibus prædam dedi. *Et in circuitu eius terras*, id eſt, habitare feci in medio alienarum terrarum: vel, vt Hebræi interpretantur, Poſui eam in medio terræ; id eſt, optimo loco collocaui, & quaſi in vmbilico orbis ſitam variis vndique terris circundedi, ſicut infrà cap. 38. 12. vmbilicum terræ vocat. Eſt ergo exprobratio. quaſi dicat, Cùm ego illam omnibus bonis cumulauerim: illa iudicia mea contempſit.
7. *Quia ſuperaſtis gentes.*] Recitat Hieronymus varias huius loci verſiones. H. יען המנכם. quia multitudo veſtra (aut tumultus veſter) præ gentibus, id eſt, quia omnes gentes multitudine ſuperaſti; quia te plùs quàm omnes gentes multiplicaui. & tamen in præceptis meis non ambulaſtis; ideo ecce ego ad te, & ego ipſe faciam in medio tui iudicia in oculis gentium: aut, quia multiplicaui vos præ omnibus gentibus, & bonis cumulaui, ideo in præceptis meis non ambulaſtis. *Incraſſatus* enim *eſt dilectus, & recalcitrauit*, Deut. 32. 15. Ita R. Dauid in commentariis, & in lib. rad. Ego interpretationem Hieronymi, Chaldæi Paraphraſtæ, & R. Salomonis magis probo, *Quia ſuperaſtis gentes* peccatis, *& in præceptis meis non ambulaſtis* ideo *ego faciam in medio tui iudicia. Et iuxta iudicia Gentium*; quia Gentes non mutauerunt Deos ſuos, vos autem Deum veſtrum dereliquiſtis, vt Ierem. 2. 10. 11. *Tranſite ad inſulas Cethim & videte; & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer; & videte ſi factum eſt huiuſcemodi. Si mutauit gens Deos ſuos, & certè ipſi non ſunt Dij; populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idolum.* Solet Deus aliis locis populo ſuo obiicere quòd vitia gentium imitatus ſit, vt Pſalm. 105. 56. *Et commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum.* Hoc autem loco exprobrat, quòd conſtantiam gentium non ſit imitatus.
8. *Faciam in medio tui.*] id eſt, publicè de te pœnas ſumam videntibus omnibus gentibus; vt cognoſcant te grauiùs, quàm ſe puniri, quia grauiùs peccaſti: Et quemadmodum vos feciſtis quæ Gentes non fecerunt, ita ego vobiſcum faciam, quæ cum gentibus non feci.
10. *Patres comedent filios.*] Id in obſidione Ieroſolymitana accidiſſe Ieremias teſtatur Thren. cap. 2. 20. & cap. 4. 10. & Baruch 2. 3. *Ventilabo vniuerſas reliquias tuas*, id eſt, diſpergam per omnes gentes eos, qui in te à fame, peſte, & gladio reliqui fuerint, qui per tertiam capillorum partem in ventum proiectam ſignificabantur.
11. *Viuo ego.*] Forma iurandi Dei, id eſt, tam verum eſt quod dico, quàm me eſſe Deum viuentem, aut, per vitam meam, id eſt, nolo haberi Deus viuens, ſi quod dico verum non eſt. *Niſi.* אם־לא. ſi non. Sæpe adnotauimus poſt verba iurandi apud Hebræos אם ſi, idem valere quod non, אם לא ſi non, idem ac, quod non, id eſt, negationem pro affirmatione; affirmationem pro negatione poni, vt Pſalm. 94. 11. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*, id eſt, quòd non introibunt. *Quòd ſanctum meum*, מקדשי ſanctitatem meam, ſanctuarium meum, templum meum, in quo me colere debebas, idolis contaminaſti. Idola enim offenſiones & abominationes Hebraïco more vocat. H. בכל שקוציך ותעבותיך. in omnibus abominationibus & execrationib⁹ tuis. ideenim vtrumque verbum ſignificat, ſimilis ſententia Iere. 7. 30. *Poſuerunt offendicula ſua*

Forma iurãdi Dei.

(id eſt, idola) *in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum, vt polluerent eam.* & c. 11. 15. *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* & cap. 23. 11. *In domo mea inueni malum eorum.* & cap. 32. 34. *Poſuerunt idola ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum. Ego quoque confringam*, id eſt, ſicut tu violaſti legem meam, ita ego violabo pactum meum, quo promiſeram fore vt tui miſererer, & non miſerebor. Ierem. 18. 9. 10: *Et ſubitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam; pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum vt facerem ei.* H. ונם אני אגרע etiam ego minuam, gloriam tuam, ſicut tu gloriam meam in domo mea minuiſti, vt exponit R. Dauid. Chald. Paraphr. Ego quoque brachium tuum conteram. Sept. *κἀγὼ ἀπώσομαί σε. Ego etiam abiiciam te.*

13. *Et complebo.*] id eſt, Satiabo furorem meum puniendo illos. H. כלה אפי. finietur ira mea, id eſt, explebitur, exſaturabitur. *Et requieſcere faciam*, id eſt, ceſſare faciam, *In eis*; illis puniendis, & experientur re ipſa, ſuóque malo, me Deum fuiſſe, & non hominem, qui in mea indignatione locutus ſum, id eſt, verum dixiſſe, eueniſſéque quod illis comminatus fueram.

15. *Et eris opprobrium, & blaſphemia*] חרפה וגדופה. opprobrium & conuitium. Idem enim vtrumque nomen ſignificat. *Ego Dominus locutus ſum.* אני יהוה דברתי. Similes comminationes apud Ieremiam frequentiſſimæ ſunt, vt c. 19. 8. *Ponam ciuitatem hanc in ſtuporem, & in ſibilum* & c. 25. 9. 11. 18. & 29. 18.

16. *Sagittas famis.*] *Sagittas famis* per metaphoram vocat vredinem, rubiginem, & locuſtam, vt ait R. Dauid, Quia à Deo taquam ſagittæ mittuntur. Propterea dicit ſtatim, *Et famem congregabo ſuper vos*, id eſt, bruchum, locuſtas, & cætera, quæ famem ſolent afferre. Mutat perſonam; priùs enim dixerat, *In eos*; Nunc dicit, *Diſperdam vos, & famem congregabo ſuper vos. Et conteram in vobis baculum panis.* Vide eandem phraſim explicatam ſuprà c. 4. 16. & Leuit. 26. 26.

17. *Peſtilentia, & ſanguis.*] peſtis & bellum. *Tranſibunt*, graſſabuntur. Hebraïſmus, qualis ille Pſalm. 87. 17. *In me tranſierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me.* & Pſalm. 41. 8. *fluctus tui ſuper me tranſierunt.*

CAPVT VI.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, 2 Fili hominis, pone faciem
tuam ad montes Iſraël, & prophetabis ad eos. 3 & dicens, Montes
Iſraël audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus
& collibus, rupibus & vallibus. 4 Ecce ego inducam ſuper vos gladium, &
diſperdam excelſa veſtra, & demoliar aras veſtras, & confringentur ſimulachra ve-
ſtra, & deiiciam interfectos veſtros ante idola veſtra. 5 Et dabo cadauera filiorum
Iſraël ante faciem ſimulachrorum veſtrorum: & diſpergam oſſa veſtra circum aras
veſtras, in omnibus habitationibus veſtris. 6 Vrbes deſertæ erunt, & excelſa demo-
lientur & diſſipabuntur: & interibunt aræ veſtræ, & confringentur: & ceſſabunt idola
veſtra, & conterentur delubra veſtra, & delebuntur opera veſtra. 7 Et cadet interfectus
in medio veſtri: & ſcietis quia ego ſum Dominus, 8 Et relinquam in vobis eos qui fugerint
gladium in Gentibus, cum diſperſero vos in terris. 9 Et recordabuntur mei liberati
veſtri in Gentibus ad quas captiui ducti ſunt, quia contriui cor eorum fornicans & recedens
à me, & oculos eorum fornicantes poſt idola ſua: & diſplicebunt ſibimet ſuper malis quæ
fecerunt

Digitized by Google

fecerunt in vniuerſis abominationibus ſuis. 10 *Et ſcient quia ego Dominus non fru-*
ſtra locutus ſum vt facerem eis malum hoc. 11 *Hæc dicit Dominus Deus, Percute*
manum tuam & allide pedem tuum & dic, Heu, ad omnes abominationes malorum do-
mus Iſraël: quia gladio & fame, & peſte ruituri ſunt. 12 *Qui longè eſt, peſte mo-*
rietur: qui autem propè, gladio corruet: & qui relictus fuerit, & obſeſſus, fame morie-
tur: & complebo indignationem meam in eis. 13 *Et ſcietis quia ego Dominus, cum*
fuerint interfecti veſtri in medio idolorum veſtrorum in circuitu ararum veſtrarum in
omni colle excelſo, & in cunctis ſummitatibus montium, & ſubtus omne lignum nemoro-
ſum, & ſubtus vniuerſam quercum frondoſam, locum vbi accenderunt thura redolentia
vniuerſis idolis ſuis. 14 *Et extendam manum meam ſuper eos: & faciam terram*
deſolatam & deſtitutam à deſerto Deblatha in omnibus habitationibus eorum, & ſcient
quia ego Dominus.

MINATVR Iudæis peſtem, famem, & gladium ob peccatum idololatriæ, & promittit reliquiarum liberationem.

2. *Pone faciem tuam.*] id eſt, audacter, & liberè loquere. *Ad montes Iſraël.* Iſraëlem non vocat hoc loco decem tribus, quæ iam in captiuitate verſabantur, ſed generaliter omnem populum Iudæorum. Cur aduerſus montes Prophetam Deus vaticinari iubeat ver. 4. ſignificatur, quòd nimirum in montibus idolorum aræ eſſent.

3. *Audite.*] Proſopopœia, montibus enim ſenſum attribuit, vt Moſes cœlo ac terræ, Deuter. 32. 1. *Audite cœli quæ loquor: audiat terra verba oris mei. Rupibus, & vallibus.* H. לאפיקים ולגיאות torrentibus, & vallibus, vt vertit Chaldæus Paraphraſtes. His enim in locis idolis ſolebant ſacrificare, vt explicatur ver. 13. Deut. 12. 2. & 3. Reg. 14. 23. & 4. Reg. 16. 4. *Inducam ſuper vos gladium,* id eſt, hoſtem, bellum.

4. *Interfectos veſtros.*] id eſt, ciues veſtros, qui in vobis habitant, proſternam ante idola, quæ in vobis ſunt.

6. *Vrbes deſerta erunt.*] Deeſt, quod apud Hebræos, & ſeptuaginta legitur בכל מושבותיכם. *in omnibus habitationibus veſtris*, id eſt, omnibus in locis, in quibus habitatis, in omnibus regionibus; quæ à vobis habitantur, vrbes veſtræ deſertæ erunt; & aræ veſtræ deiicientur. *Et diſſipabuntur, & interibunt.* Hebr. למען יהרבו, ita vt deſtruantur, & vaſtentur aræ veſtræ, & confringantur ac deleantur idola veſtra, & excindantur ſimulachra veſtra, & aboleantur opera veſtra.

7. *Et cadet interfectus.*] Singularis numerus pro plurali, vt adnotauit R. Dauid, Cadent interfecti, *in medio veſtri,* id eſt, inter vos, ſignificat hæc phraſis magnam ſtragem in populo futuram, ita vt homines de improuiſo concidant mortui.

8. *Et relinquam.*] id eſt, non omnes vos concidetis gladio; ſed aliquot reliquos faciam, qui gladium Gentium effugiant, & ſalui ſint. H. והותרתי בהיות לכם פליטי חרב בגוים. Et relinquam (aliquos) vt ſint vobis liberi à gladio inter gentes.

9. *Liberati veſtri.*] id eſt, qui ex vobis ſuperſtites fuerint, nec interfecti gladio. *Quia contriui*, præteritum pro futuro, quia conteram, *cor eorum*, id eſt, faciam vt eos peccati pœniteat, affligens eos longa captiuitate; Vexatio enim dabit illis intellectum. H. אשר נשברתי. quando contriuero cor eorum; *Cùm enim occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur; & diluculò veniebant ad eum.* Pſal. 77. *Iſa. 28. 19.*

Pſa.77.34. Sept. *ὤμωμοκα τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, iuraui cordi eorũ* quaſi legerint נשבעתי. *Fornicans & recedens à me*, id eſt, quod fornicari ſolet & à me diſceſſionem facere, fornicationem autem vſitato ſcripturæ more idololatriam appellat. *Et diſplicebunt ſibi met* H. ונקוטו בפניהם. & excindentur in faciebus ſuis, ad verbum, id eſt, ſibi ipſi diſplicebunt, vt optimè vertit noſter interpres; ſicut apud Iob 10.1. נקטה נפשי. exciſa eſt anima mea, id eſt, dolet, cor mihi confoditur, vt Latini loquuntur, quod noſter interpres vertit, *Tædet animam meam vitæ meæ.* Chaldæus reddit ויתנקון. gement. Sept. *καὶ κόψονται κατὰ πρόσωπον ἑαυτῶν, & plangent in conſpectu ſuo* id eſt, apud ſe ipſos.

10. *Non fruſtra.*] id eſt, non ſine cauſa, ſed vt eos affligendo corrigerem, & ad pœnitentiam adducerem.

11. *Percute manum tuam.*] H. הכה בכפך Percute manu tua, ſub. femur tuum, aut alteram manum, vt interpretatur R. Dauid, vt infrà 21.12. *Clama, & vlula fili hominis, quia hic factus eſt in populo meo: gladio traditi ſunt cum populo meo, idcirco plaude ſuper femur. Et allide pedem tuum.* ורקע ברגלך. & percute pede tuo, vt R. Salom. & R. Dauid exponunt, eodem ſenſu Chald. & Sept. *κρότησον τῇ χειρὶ, καὶ ψόφησον τῷ ποδί. Plaude manu, & ſtrepe pede.* Solent qui vehementi, ac ſubito dolore corripiuntur, manu femur, & pede terram percutere. Quod idem iubet Deus facere Prophetam, vt ingentis doloris ſignificatione ingentem calamitatem impendere declaret. *Et dic, Heu, ad omnes abominationes*, id eſt, propter omnes abominationes, ſicut Septuag. explicarunt *ἐπὶ πᾶσι τοῖς βδελύγμασι*, ſuper omnes abominationes domus Iſraël.

13. *Cùm fuerint interfecti veſtri.*] H. חלליהם. interfecti eorum, id eſt, cadauera eorum, qui interficiendi ſunt, *in medio idolorum*, quæ coluerunt: quaſi dicat, Sapietis eorum exemplo.

14. *Et extendam manum meam.*] id eſt, percutiam eos per Chaldæos. Extendere manum, pro punire, nota phraſis, vt Pſal. 137.7. *Et ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua. A deſerto Deblatha.* H. ממדבר דבלתה. à deſerto vſque Deblatha. Putat R. Dauid, Deblatha eſſe eam, quæ apud Ieremiam cap. 39.5. & 4. lib. Reg. cap. 25.6. vocatur Reblatha, quæ ciuitas eſt in terra Emath in extremis Iudææ finibus; propter ſimilitudinem autem duarum litterarum ד & ר aliquando Deblatha, aliquando Reblatha dici. Erat autem deſertum iuxta Ieruſalem altera ex parte, itaque indicat fore vt tota Iudæa à principio vſque ad finem vaſtetur. Meminit autem Deblathæ potiùs, quàm alius loci, quia ibi Nabuchodonoſor conſedit, dum eius exercitus Ieroſolymam expugnaret, vt traditur lib. 4. Reg. c. 25. & Ierem. 39. quemadmodum adnotauit R. Dauid.

CAPVT VII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me dicens: 2 *Et tu fili hominis, hæc dicit*
Dominus Deus terræ Iſrael, Finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas ter-
ræ. 3 *Nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum in te: & iudicabo*
te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. 4 *Et non parcet*
oculus meus ſuper te, & non miſerebor: ſed vias tuas ponam ſuper te, & abominationes
tuæ in medio tui erunt: & ſcietis quia ego Dominus. 5 *Hæc dicit Dominus Deus,*
Afflictio vna, afflictio ecce venit, 6 *finis venit, venit finis, euigilauit aduerſum te:*
ecce

ecce venit. 7 Venit contractio ſuper te, qui habitas in terra: venit tempus, prope eſt
dies occiſionis, & non gloriæ montium. 8 Nunc de propinquo effundam iram meam
ſuper te: & complebo furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias tuas, & imponam
tibi omnia ſcelera tua. 9 Et non parcet oculus meus, nec miſerebor: ſed vias tuas im-
ponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & ſcietis quia ego ſum Dominus
percutiens. 10 Ecce dies, ecce venit: egreſſa eſt contractio, floruit virga, germinauit
ſuperbia. 11 Iniquitas ſurrexit in virga impietatis: non ex eis, & non ex populo, neque
ex ſonitu eorum & non erit requies in eis. 12 Venit tempus, appropinquauit dies: qui
emit, non lætetur: & qui vendit, non lugeat: quia ira ſuper omnem populum eius.
13 Quia qui vendit, ad id quod vendidit non reuertetur: & adhuc in viuentibus vi-
ta eorum: viſio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur, & vir in iniquitate vi-
tæ ſuæ non confortabitur. 14 Canite tuba, præparentur omnes, & non eſt qui vadat ad
prælium: ira enim mea ſuper vniuerſum populũ eius. 15 Gladius foris: & peſtis & fa-
mes intrinſecus: qui in agro eſt, gladio morietur: & qui in ciuitate, peſtilentia, & fame
deuorabuntur. 16 Et ſaluabuntur qui fugerint ex eis: & erunt in montibus quaſi co-
lumbæ conuallium omnes trepidi, vnuſquiſque in iniquitate ſua. 17 Omnes manus
diſſoluentur, & omnia genua fluent aquis. 18 Et accingent ſe ciliciis, & operiet eos
formido: & in omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium. 19 Ar-
gentum eorum foras proijcietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit. Argentum eorum
& aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam ſuam non ſa-
turabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia ſcandalum iniquitatis eorum factum
eſt. 20 Et ornamentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt & imagines abo-
minationum ſuarum, & ſimulachrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis iſtud in
immunditiam: 21 & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impiis ter-
ræ in prædam, & contaminabunt illud. 22 Et auertam faciem meam ab eis, &
violabunt arcanum meum: & introibunt in illud emiſſarij, & contaminabunt illud.
23 Fac concluſionem: quoniam terra plena eſt iudicio ſanguinum, & ciuitas plena ini-
quitate. 24 Et adducam peſſimos de Gentibus, & poſſidebunt domos eorum: &
quieſcere faciam ſuperbiam potentium, & poſſidebunt ſanctuaria eorum. 25 An-
guſtia ſuperueniente requirent pacem, & non erit. 26 Conturbatio ſuper conturba-
tionem veniet, & auditus ſuper auditum: & quærent viſionem de Propheta, & lex peri-
bit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus. 27 Rex lugebit, & princeps induetur mœ-
rore, & manus populi terræ conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis: & ſe-
cundum iudicia eorum iudicabo eos, & ſcient quia ego Dominus.

MINATVR aliis verbis Iudæis extremam perniciem ob ipſorum peccata.

2. *Et tu.*] Abundat hîc nominatiuus Hebræorum more, niſi dicamus vocandi caſum eſſe. *Venit finis.* perditio, deſolatio. *Super quatuor plagas terræ.* Iudææ. Sæpe monuimus nomine terræ abſolutè poſito, aliquando etiam addito epitheto, Omnis, aut, Vniuerſæ, Iudæam ſolam intelligi; vt, *luxit, & defluxit terra,* Iſai. 24. 4. Et, *tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* Matth. 27. 45.

3. *Super te.*] ſub. venit, O Iudæa, aut, O Ieruſalem eſt enim Hebraïcè pronomen generis fœminini. *Et iudicabo te iuxta vias tuas*, id eſt, puniam te pro meritis tuis. duplex Hebraïſmus: alter, Iudicare pro, punire, vt apud D. Paulum 1. Cor. 11. 31. 32. *Si nos ipſos diiudicaremus: non vtique iudicaremur. cùm autem iudicamur à Domino corripimur.* alter: Viæ pro moribus, & actionibus, vt Prouerb. 1. 31. *Comedent igitur fructus viæ ſuæ. Et ponam contra te omnes abomina-* *Hebraïſmus duplex.*

tiones tuas, id eſt, caſtigabo te propter omnes abominationes tuas, conuertam in caput tuum omnia peccata tua. Hebraiſmus eſt idem ſignificans quod prior, *Iudicabo te iuxta vias tuas*, vt verſu ſequenti, *Vias tuas ponam ſuper te*. & c. 11. 21. *Horum viam in capite ſuo ponam*

Hebraiſmus. 4. *Et non parcet oculus meus.*] id eſt, non moucbor vlla tui commiſeratione, cùm te afflictam videro, phraſis Hebraica, vt primo Regum 24. 11. *Cogitaui vt occiderem te: ſed pepercit tibi oculus meus.* Et Deuteronom. 7. 16. *Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Non parcet eis oculus tuus.* Et capite 13. 8. *Non acquieſcas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum. Et abominationes tuæ in medio tui erunt*, id eſt, apparebunt ex pœna, dabis pœnas abominationum tuarum, ita vt ex earum magnitudine abominationum tuarum magnitudo perſpici poſſit. Hæc eſt vis phraſis Hebraicæ. Significat enim hoc loco, In medio eſſe, eſſe manifeſtum, atque conſpicuum; quia quod in medio poſitum eſt ab omnibus conſpici poteſt, vt Iſaias 10. 23. *Conſummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*, id eſt, manifeſtam, omnibus clarè videntibus.

5. *Afflictio vna.*] perfecta, ſingularis, qualis numquam fuit, nec erit, vt Rab. Salom. & Rab. Dauid interpretantur, ſicut dixit, capite 5. verſu 9. *Et faciam in te, quod non feci, & quibus ſimilia vltrà non faciam*; Et Chriſtus de ſimili re loquens Matth. 24. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet.* Ita etiam aliquando Latini loquuntur; dicunt enim, *Semel*, pro, perfectè, vt,

Ægrota iam Polycarme ſemel.

Martial lib 12. Epigram. 56. Simile eſt illud, 1. Regum 26. 8. *Perfodiam eum lancea in terra ſemel, & ſecundò opus non erit.* Chaldæus Paraphraſtes, vt R. Dauid adnotauit, videtur pro אחת, legiſſe אחר. poſt, propter ſimilitudinem litterarum. vertit enim Malum poſt malum ecce venit.

6. *Finis venit, venit finis.*] excidium, exitium. repetitio vt ait, Rab. Dauid, mali venturi magnitudinem, celebritatémque ſignificat. *Euigilauit aduerſum te*, id eſt, citò veniet, quaſi ſummo mane euigilauerit, vt veniret. Ieremias ſimili phraſi in eandem ſententiam vſus eſt, capite 1. 11. 12. *Quid tu vides Ieremia? & dixi, Virgam vigilantem ego video, & dixit Dominus ad me, bene vidiſti; quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.* Et Thren. 1. 14. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum*, id eſt, nimis citò venit. Eſt autem Hebraïcè hoc in loco elegans παρανομασία. inter nomen הקץ. finis, & verbum הקיץ. vigilauit, quæ neque Latinè, neque Græcè exprimi poteſt.

7. *Venit contractio.*] Sic legendum, non contritio, vt in pleriſque aut confractio, vt in nonnullis exemplaribus habetur. Sic enim Hieronymus legit, Vocat autem contractionem, obſidionem Ieroſolimytanam. Hebr. צפירה. quam Aquila, vt Hieronymus recitat. προσκόπησιν contemplationem, & proſpectionem vertit, id eſt, quod tibi proſpiciebas euenturum; venit tibi, quod metuebas vt dicitur Prouerb. 1. 26. Theodotio πλοκὴν, id eſt, ordinem, contextúmque malorum. Chald. Paraphraſt. reuelatum eſt tibi regnum, id eſt, veniet contra te rex Babylonis, quaſi legerit צפירה. cidarim aut diadema, quod quia inſigne regni eſt, pro regno poni exiſtimauit. Eodem ſenſu R. Salom. & R. Dauid exponunt, Sed R. Dauid aliam quoque interpretationem affert, Venit ad te ſententia matutina (Dei) ſignificat enim צפר. mane ſurgere. Ego

vaga-

vagationem, & circuitionem reddi poſſe puto. Nam צפר. circuire ſignificat: vnde corona, aut cidaris. צפירה. dicta eſt, quod capiti circundetur. quaſi dicat, veniet citò captiuitas tua, qua huc illuc ſine certis ſedibus vageris. Atque hunc eſſe ſenſum colligitur ex illo verbo, *qui habitas in terra,* יושב הארץ, habitator terræ, id eſt, qui nunc in Iudæa quietus, & ſecurus habitas, vagus eris inter Gentes; ſunt enim antitheta. *Occiſionis, & non gloriæ montium*, id eſt, quo die non glorieris & exultes in montibus, in quibus nunc gloriaris, & exultas ſacrificans idolis: ſed potiùs in illis ipſis occidaris; ſicut dixit capite 6. 13. *Cùm fuerint interfecti veſtri in medio idolorum veſtrorum, in circuitu ararum veſtrarum in omni colle excelſo.* Hebr. היום מהומה ולא הד הרים. dies tumultus, & non echo montium; quod Rab. Dauid ſic interpretatur, Venit dies, quo ſonus, qui in montibus audietur, non erit fictus, qualis ſolet eſſe Echo ex montibus reſonans: ſed erit verus clamor hominum, qui ibi interficientur. Ego ex aliorum locorum ſimilitudine ſic expono, Dies tumultus aut clamoris, & non celeuſmatis. quaſi dicat, non audietur in montibus celeuſma vindemiantium: ſed clamor hominum, qui occidentur, aut hoſtium irruentium, & ſeſe ad cædem cohortantium. Hoc enim prædixerat Ieremias de ſimili re loquens, capite 48. 33. *Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuſma cantabit.* Hebr. Celeuſma non erit celeuſma; id eſt, non erit celeuſma calcantium vuas, & ſe ad laborem adhortantium: ſed erit celeuſma hoſtium cohortantium ſe ad cædem, & cap. 25. 30. *Celeuſma quaſi calcantium concinetur aduerſus omnes habitatores terræ*, & cap. 51. 14. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam, quia replebo te hominibus quaſi brucho, & ſuper te celeuſma cantabitur.* Chald. & Sept. alio prorſus ſenſu.

8. *De propinquo.*] id eſt, citò, non multò pòſt, vt R. Salom. & R. Dauid exponunt. Cætera vſque ad ver. 10. explicata ſunt ver. 3.

10. *Egreſſa eſt.*] id eſt, à conſpectu Dei, *Contractio*, ſic legendum vt verſu ſeptimo, eadem enim Hebraïcè dictio eſt, & eodem modo explicanda. *Floruit virga.* Virga hoc loco, vt Hieronymus, & Hebræorum interpretes obſeruarunt, ſupplicium ſignificat, vt Pſalm. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea.* & Pſalm. 88. 33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum.* & 1. Corinth. 4. 21. *Numquid vultis in virga veniam ad vos?* Dicitur autem floruiſſe, id eſt, parata eſſe, citòque ventura, quia poſtquam arbor floret, ſtatim fructum profert, fructus autem virgæ eſt verberatio. Quam Ezechiel vocat virgam florentem, Ieremias cap. 1. 11. vocat virgam vigilantem diuerſa metaphora. eodem ſenſu. Per virgam verò intelligitur Nabuchodonoſor, vt Iſai. 10. 5. *Væ Aſſur virga furoris mei, baculus ipſe eſt; in manu eius, indignatio mea. Germinauit ſuperbia*, veſtra, quaſi dicat, completa eſt iniquitas veſtra; aut, quod magis mihi placet, vt ſit repetitio, quemadmodum explicat R. Dauid. Nam quam priùs vocauit virgam, nunc vocat ſuperbiam, quia rex Babylonis ſuperbus erat, vt Ierem 50. 31. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum.* & quod antè dixit, *Floruit*, nunc dicit, *Germinauit.* Hunc eundem ſenſum Chald. Paraphr. expreſſit, Germinauit dominator, apparuit impius.

11. *Iniquitas ſurrexit in virga.*] למטה. in virgam; id eſt, Iniquitas eorum excreuit in virgam, qua verberentur, vt R. Salom. & R. Dauid exponunt. Elegans metaphora; comparat iniquitatem radici, pœnam virgæ; quaſi dicat, ex radice iniquitatis ipſorum, nata eſt virga, qua cædantur. Impietatis virgam appellat, qua impietas caſtigatur. Heb. למטה רשע. in virgam malam, id eſt, *Metaphora elegans.*

Digitized by Google

cadentem, dolorem afferentem. *Non ex eis*, id eſt, ita vt nemo ex eis remaneat, vt ait R. Dauid. *Et non ex populo.* ſub. quiſquam reliquus ſit. מהמונם.& non ex eorum opibus (quidquam) reliquum erit, vt explicat Quimchi. *Neque ex ſonitu eorum*, id eſt, ex tota eorum multitudine. Sonitum, aut ſtrepitum vocat multitudinem; populum, plebem, quæ propter frequentiam magnum rumorem excitat. Heb. מהמהם. quod R.Dauid interpretatur, Non ex illis ipſis, putátque dictionem eſſe geminatam, quaſi dicat, לא מהם מהם. non ex illis illis; id eſt, neque ex illis, neque ex illorum filiis quiſquam remanebit, vt Chaldæus Paraphraſtes interpretatur. *Et non erit requies in eis*: non ſinam eos quieſcere, ſemper eos affligam. H. לא נה בהם. non erit lamentatio inter eos, id eſt, tanta erit morientium multitudo, tanta viuentium calamitas, vt viui mortuos non lugeant, vt exponit R. Dauid; ſicut apud Ierem. cap. 16. 4. *Non plangentur, & non ſepelientur; in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt.* & cap. 25. 33. *Et erunt interfecti Domini in die illa, à ſummo terræ vſque ad ſummum eius: non plangentur, & non colligentur, neque ſepelientur.* Noſter interpres videtur legiſſe נוח. requiem, Sept. נוה. verterunt enim *ὡραιότητα, pulchritudinem.*

12. *Quia ira ſuper omnem populum eius.*] regionis. eſt enim Hebraicè fœminini generis, id eſt, neque emens gaudere debet, quia non longo tempore re empta fruetur; neque vendens lugere, quia etiamſi non vendidiſſet, non diu frui potuiſſet. Venit enim ira Dei ſuper omnem populum, ac diripietur. Hebr. כי חרון אל כל המונה. poteſt verti, Quia ira contra omnem ſubſtantiam, aut contra omnes opes; idem enim nomen eſt, quod verſu præcedenti. R. Dauid opes ſignificare dixit: ſenſúſque bene conuenit. Reddit enim cauſam, cur neque emens lætari; neque vendens lugere debeat, quia omnes opes, & vendentis, & ementis, citò diripientur. Hoc ſcribit Propheta iis, qui in Iudæa ſecuri ſibi eſſe videbantur: ſicut è contrario Ieremias iis, qui erant in captiuitate ſcribit cap. 29. 5. 6. *Ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructum eorum: accipite vxores, & generate filios, & filias.* Vt ſignificaret longum adhuc reſtare captiuitatis tempus.

13. *Non reuertetur.*] Anno iubilæi, quemadmodum lege ſancitum erat Leuit. 25. quia in captiuitate erit. *Et adhuc in viuentibus vita erunt*, id eſt, quamuis in viuis agant, quamuis adhuc ſuperſtites ſint, vt R. Dauid exponit. *Viſio enim.* prophetia, quæ ad omnem populum eorum miſſa eſt, *non regredietur*, id eſt, non erit inanis, & falſa, ſed vera, vt Iſai. 55. 11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui.* H. כי חזון אל כל המונה. quia viſio ad omnes opes. idem nomen quod ver. 11. & 12. quaſi dicat, prophetia, quam nunc pronuntiaui de diripiendis opibus vera erit. Hæc interpretatio magis mihi placet, quàm illa Hebræorum, & Chaldæi Paraphraſtis, Prophetia ad omnem multitudinem miſſa eſt, ſed non reuertetur, id eſt, non aget pœnitentiam. *Et vir in iniquitate vitæ ſuæ*, id eſt, nemo iuuabitur propter iniquitatem vitæ ſuæ, nemo diuitias ſuas retinebit, hoc eſt, יתחזקו. vel, vt explicat Quimchi, Vnuſquiſque in iniquitate vitæ ſuæ defixus erit, ideò non reuertetur: vel ideò non confortabitur, id eſt, diuitias ſuas retinere non poterit, aut hoſtibus reſiſtere; Nemo fortis erit contra hoſtes, vt ſtatim explicatur. *Canite tuba, & non eſt qui vadat ad prælium.*

14. *Canite tuba.*] id eſt, quamuis tubà canatis, & præparati iam fueritis, omnes ad prælium, nemo audebit ad pugnam procedere; ego enim iniiciam illis
Deut. 32. 30. metum propter iniquitates eorum. Nam *quomodo perſequebatur vnus mille, &*

duo

duo fugarent decem millia. Nonne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Hunc eſſe ſenſum conſtat ex ver. 16. *Et erunt in montibus quaſi columbæ conuallium omnes trepidi*: & ex ver. 17. *Omnes manus diſſoluentur, & omnia genua fluent aquis.*

16. *Et ſaluabuntur qui fugerint.*] ופלטו פליטיהם. & liberabuntur liberati eorum, id eſt, quos ego prædeſtinaui liberari. *Reliquiæ ſaluæ fient*, aut, *ſaluabuntur*, ſi qui fortè ex illis ſalui erunt, ſicut ſaluari ſolent columbæ, & aucupem effugere. *Omnes trepidi.* כלם הומות. omnes ſonantes, id eſt, gementes columbarum more, perſiſtit enim in eadem ſimilitudine, *Vnuſquiſque in iniquitate ſua*, propter iniquitatem ſuam, vt ver. 13. *Iſai. 10. 22. D. Paulus Rom. 9. 27.*

17. *Omnes manus.*] Frequens Hebraiſmus, manus diſſolui, pro vehementer timere. Solent enim iis, qui magno metu perciti ſunt, manus concidere, & quodammodo diſſolui, Iſai. cap. 13. 7. & cap. 35. 3. & Ierem. cap. 6. 24. & cap. 38. 4. Idem ſignificat altera phraſis, quæ ſequitur, *Et omnia genua fluent aquis*, id eſt, ſudabunt, vt aliqui interpretantur; quod ego non probo; nam quamuis metus ſudorem eliciat, tamen non elicit ex genibus potiùs, quàm ex aliis partibus, quin potiùs ex fronte. Eſt ergo ὑποκαλισμὸς, honeſtis enim verbis rem inhoneſtam declarat, fore vt præ metu mingant; vel, vt interpretatur R. Dauid, intellecta particula ſimilitudinis כ. & omnia genua tanquam aquæ fluent, id eſt, liquefient, diſſoluentur, ſicut de manibus dixit. quaſi dicat, nec manibus pugnare poterunt, neque pedibus fugere. *Manus diſſolui quid ſit.* *ὑποκαλισμὸς.*

18 *Accingent ſe ciliciis.*] habitu lugentium, Geneſ. cap. 37. 34. & 2. Regum cap. 21. 10. & 3. Regum cap. 21. 27. & Ierem. cap. 4. 8. Idem ſignificat quod ſequitur, *In omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium.* Solebant enim Iudæi imitatione vicinarum gentium in luctu barbam, & capillum vellere, aut radere; contrà Romani in rebus lætis barbam, & capillum tondebant, & in luctu dimittebant. Lege Deuteronomium cap. 14. ver. 1. & Iſai. cap. 15. ver. 2. & cap. 22. ver. 12. & Ierem. cap. 47. ver. 5. *Venit caluitium ſuper Gazam, conticuit Aſcalon.* & c. 48. v. 37. *Omne enim caput caluitium, & omnis barba raſa erit: in cunctis manibus colligatio: & ſuper omne dorſum cilicium.* & Am. c. 8. v. 10. *Inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput caluitium.* *Habitus lugentium apud Iudæos.* *Romanorum mos in rebus lætis.*

19. *Foras.*] בחוצות. in plateis proiicient, vt Septuag. tranſtulerunt, ſcilicet vt magis expediti fugiant. *Et aurum eorum in ſterquilinium erit.* לנדה. in elongationem erit, id eſt, longè proiicietur, vt R. Dauid interpretatur; vel, in commotionem, & tranſmigrationem erit, id eſt, diripietur, transferetúrque ab hoſtibus Babylonem; vel, erit in contemptum, vt Chaldæus Paraphraſtes, & Septuaginta reddiderunt, id eſt, contemnetur ab hoſtibus, ita vt nolint illorum vitæ parcere propter aurum, & argentum. eundem ſenſum habet quod dixit noſter interpres, *In ſterquilinium erit*, qui ſenſus verbis ſequentibus magis confirmatur, *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Eadem ſententia apud Sophoniam cap. 1. 18. & apud Iſaiam cap. 13. 12. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo*, id eſt, nemo poterit ſe ac hoſtibus auro liberare. & ver. 17. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint; ſed ſagittis paruulos interficient, & lactentibus vteri non miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum.* Quod dicit Iſaias de Babyloniis, dicit Ezechiel de Iudæis. *Quia ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt.* Iniquitatem hoc loco vocat auaritiam, vſuram, rapinam. quaſi dicat, eorum auaritia erit in ſcandalum: quia enim aliena rapuerunt, ſua perdent, vt,

quibus rebus peccauerunt, iiſdem puniantur: aut, vocat iniquitatem idololatriam: quia enim in ornandis idolis multum auri, & argenti poſuerant, aurum & argentum ſuum amiſerunt, vt ver. ſequenti declaratur.

20. *In ſuperbiam poſuerunt.*] id eſt, in idololatriam, aut in ſuperbum idolorum ornatum, ſicut ſtatim dicit, *Imagines abominationum ſuarum, & ſimulachrorum fecerunt ex eo.* Hoc eodem ſenſu Septuaginta verterunt, quamuis aliis verbis, ἐκλεκτὰ κόσμου εἰς ὑπερηφανίαν ἔθεντο αὐτά. καὶ εἰκόνας τῶν βδελυγμάτων ἐποίησαν ἐξ αὐτῶν. *Electa ornamenti in ſuperbiam poſuerũt, & imaginationes abominationum fecerunt ex eis.* Videtur alludere ad vitulum aureum, quem ex monilibus, & ornamentis muliebribus confecerunt, Exod 32. Hebræi legunt, וצבי עדיו לגאון שמהו. & gloriam decoris eius in ſuperbiam poſuit, quod Ionathas & R. Dauid de templo interpretantur. quaſi dicat, gloriam ornamenti eius, id eſt, templum ſuum, quod Deus ædificari iuſſerat *in ſuperbiam*, id eſt, vt eo Iudæi inter omnes gentes ſuperbi ac glorioſi eſſe viderentur, illi conuerterunt in templum idolorum; hoc eſt, תעבותם שקוציהם עשו בו. abominationes ſuas, & idola ſua fecerunt in eo. Similis ſententia eſt ſuprà, capite quinto, verſu vndecimo. *Viuo ego, dicit Dominus Deus; niſi pro eo, quod ſanctum meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus.* & Ieremiæ capite ſeptimo verſu trigeſimo, *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum.* & capite 32. 34. *Poſuerunt idola ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum. Propter hoc dedi eis illud in immunditiam.* לנדה. verſu præcedenti tranſtulit ſterquilinium. Eodem modo quo illic interpretandum eſt, In tranſmigrationem, vt hoſtes illud Babylonem transferant, vt ſtatim declaratur; aut, in contemptum, & profanationem; ſi de templo interpretemur.

22. *Auertam faciem meam ab eis.*] à Iudæis, id eſt, deſeram eos, non iuuabo eos, vt Pſalm. 12. 1. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? vſquequo auertis faciem tuam à me? Et violabunt*, hoſtes, *Arcanum meum*, templum meum, צפוני. adytum meum. *Emiſſarij*, deprædatores, latrones, direptores, פריצים. vt infrà capite 18. 10. *Quod ſi genuerit filium* פריץ. *Latronem effundentem ſanguinem, & fecerit vnum de iſtis*; & Ierem. 7. 11. *Numquid ergo ſpelunca* פריצים. *Latronum facta eſt domus iſta?* Chaldæus, Impij. Sept. ἀφυλάκτως, *ſine cuſtodia*, id eſt, nemine cuſtodiente ac reſiſtente.

23. *Fac concluſionem.*] id eſt, Conclude in ſummam omnia mala, quæ Ieroſolymis impendent, vt Hieronymus explicat. Heb. עשה הרתוק. catenam, vt Ionathas Chaldæus vertit, & Rab. Salomon, ac Rab. Dauid interpretantur. Catena autem ſignificabat fore vt Iudæi vincti Babylonem ducerentur; quemadmodum Ieremias iuſſus ad eandem captiuitatem deſignandam facere ſibi catenas primùm ligneas capite vigeſimo ſeptimo, deinde ferreas cap. 28. 13. *Quoniam terra plena eſt iudicio ſanguinum*, id eſt, homicidiis, vt Ionathas, & R. Dauid interpretantur.

24. *Et adducam peſſimos de gentibus.*] רעי גוים. peſſimos gentium, id eſt, gentes peſſimas, Chaldæos, qui non parcent cuiquam, vt dictum eſt ſuprà ver. 19. *Et quieſcere faciam ſuperbiam potentium*, Iudæorum, id eſt, metu corripiam fortiſſimos quoſque Iudæorum, ita vt hoſtibus reſiſtere non poſſint. *Et poſſidebunt.* נחלו. hæreditabunt, hæreditate accipient; ſicut paulò antè dixit, וירשו את בתיהם. & hæreditate capient domos eorum. Non ceperunt hæreditate: ſed vi ac rapina: ſed propterea vtitur hæreditandi verbo, quia Iudæi eam terram

ram hæreditate acceperant, quaſi dicat, Chaldæi eorum hæreditatem accipient. Dicit autem, *Sanctuaria*, numero plurali, quia tres partes erant in templo, quarum vnaquæque templum appellabatur, adytum, templum, atrium, vt Pſal. 67. 36. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*, id eſt, in ſanctuariis ſuis. & Ierem. 51. 51. vt ibi adnotauit R. Dauid.

25. *Anguſtia ſuperueniente.*] קפדה בא. Chaldæus Paraphraſtes, R. Dauid, & Rab. Salomon interpretantur, præciſio venit, vt apud Iſaiam capite 38. 12. קפדתי כארג חיי. præcidi, ſicut textor; vitam meam. Septuaginta ſenſu prorſus contrario, ἐξιλασμὸς ἥξει. *miſericordia veniet. Requirent pacem.* Videtur alludere ad verba Iudæorum, & pſeudoprophetarum, qui Ieremia, & Ezechiele bellum, & captiuitatem comminantibus, pacem prædicabant, Ierem. 4. 10. & 6. 14. & 8. 11. quaſi dicat, quia pacem contra verbum Dei iactatis, quæretis eam aliquando, & non inuenietis, vt ait Ieremias capite 14. verſu decimonono. *Expectauimus pacem, & non eſt bonum, & tempus curationis, & ecce turbatio.*

26. *Conturbatio ſuper conturbationem.*] והוה על הוה. Chaldæus Paraphraſtes, & Rab. Dauid exponunt, Contritio ſuper contritionem. Rab. Salomon caſus ſuper caſum. Septuaginta. Væ ſuper væ. Senſus idem fore vt frequentes illis calamitates accidant; aut potiùs, omne calamitatis genus. Eadem phraſi vtitur Liuius, Alia ſuper alia. *Auditus ſuper auditum*, id eſt, nuntius vnius calamitatis ſuper nuntium alterius. Similis locus apud Ieremiam de Babyloniorum interitu, capite quinquageſimo, verſu quadrageſimo ſexto. *Ne forte molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra; & veniet in anno auditio, & poſt hunc annum auditio; & iniquitas in terra, & dominator ſuper dominatorem. Et quærent viſionem de Propheta.* id eſt, prophetiam, qua ſe conſolentur: ac ſi dicat, non inuenient vllum Prophetam, qui ſibi proſpera prædicat. Quærere hoc loco בקש. ſignificat idem quod Latinè requirere, aut deſiderare. Idem enim eſt quærere prophetiam à Propheta, quod non eſſe prophetiam in Propheta; ſicut de lege & conſilio clariùs dixit, *Et lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus.* Valde caſtigat populum ſuum Deus, cùm illi Prophetas, ſacerdotes, doctores, ſenes tollit; aut, ſi non tollit, excæcat, vt Iſai. cap. 3. 1. 2. *Ecce Dominator Dominus auferet à Ieruſalem, & Iuda, iudicem, & Prophetam, & ariolum, & ſenem.* & cap. 28. 7. *Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium.* & cap. 56. 10. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.* Similes ſententiæ frequentes ſunt apud Ieremiam. Quod Ezechiel futurum prænuntiat, Daniel factum queritur cap. 3. ver. 38. *Non eſt in tempore hoc princeps, & dux, & Propheta; neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio.*

Deus populum valde caſtigat, cùm Doctores ſubtrahit.

27. *Rex lugebit.*] יתאבל. luctu conficietur. *Induetur mœrore.* שממה. ſtupore. idem dicit aliis verbis. *Et manus populi.* Fecit mentionem regis, principum, & populi, vt omne genus hominum comprehenderet; quaſi dicat, omnes homines lugebunt, omnes obſtupeſcent, omnes exanimabuntur præ timore. *Secundum viam eorum*, id eſt, pro eorum meritis, vt ſuprà ver. 3. *Iudicabo te iuxta vias tuas*, vide ver. 4, 8, 9.

CAPVT VIII.

ET factum eſt in anno ſexto, in ſexto menſe, in quinta menſis: ego ſedebam in
domo mea, & ſenes Iuda ſedebant coram me: & cecidit ibi ſuper me manus
Domini Dei. 2 *Et vidi, & ecce ſimilitudo quaſi aſpectus ignis: ab aſpe-*
ctu lumborum eius, & deorſum ignis: & à lumbis eius & ſurſum, quaſi aſpectus ſplen-
doris, vt viſio electri. 3 *Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno ca-*
pitis mei: & eleuauit me ſpiritus inter terram & cœlum: & adduxit me in Ieruſalem in
viſione Dei iuxta oſtium interius quod reſpiciebat ad Aquilonem, vbi erat ſtatutum ido-
lum zeli ad prouocandam æmulationem. 4 *Et ecce ibi gloria Dei Iſraël ſecun-*
dum viſionem quam videram in campo. 5 *Et dixit ad me, Fili hominis, leua ocu-*
los tuos ad viam Aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viam Aquilonis, & ecce ab Aqui-
lone portæ altaris idolum zeli in ipſo introitu. 6 *Et dixit ad me, Fili hominis pu-*
taſne vides tu quid iſti faciunt abominationes magnas, quas domus Iſraël facit hic, vt
procul recedam à ſanctuario meo? & adhuc conuerſus videbis abominationes maio-
res. 7 *Et introduxit me ad oſtium atrij: & vidi, & ecce foramen vnum in parie-*
te. 8 *Et dixit ad me, Fili hominis, fode parietem. Et cùm fodiſſem parietem,*
apparuit oſtium vnum. 9 *Et dixit ad me: Ingredere & vide abominationes peſ-*
ſimas, quas iſti faciunt hîc. 10 *Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo repti-*
lium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pa-
riete in circuitu per totum. 11 *Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domûs Iſraël, &*
Iezonias filius Saphan, ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas: & vnuſquiſque
habebat thuribulum in manu ſua: & vapor nebulæ de thure conſurgebat. 12 *Et*
dixit ad me: Certè vidiſti fili hominis quæ ſeniores domus Iſraël faciunt in tenebris, vnuſ-
quiſque in abſcondito cubilis ſui, dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Do-
minus terram. 13 *Et dixit ad me: Adhuc conuerſus videbis abominationes maiores*
quas iſti faciunt. 14 *Et introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpicie-*
bat ad Aquilonem, & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem. 15 *Et dixit*
ad me: Certè vidiſti fili hominis: adhuc conuerſus videbis abominationes maiores his.
16 *Et introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in oſtio templi Domini*
inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra templum
Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis. 17 *Et dixit ad me,*
Certè vidiſti fili hominis: numquid leue eſt hoc domui Iuda, vt facerent abominationes
iſtas quas fecerunt hîc: quia replentes terram iniquitate, conuerſi ſunt ad irritandum
me? & ecce applicant ramum ad nares ſuas. 18 *Ergo & ego faciam in furore: non*
parcet oculus meus, nec miſerebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non
exaudiam eos.

APPARET iterum Prophetæ gloria Domini, quæ capite primo deſcripta fuerat. Rapitur in Ieruſalem, illíque omnia Iudæorum flagitia demonſtrantur.

1\. *In anno ſexto.*] captiuitatis Ioachin, vt Hebræi omnes interpretantur. Cœperat Ezechiel anno quinto captiuitatis Ioachin, menſe quarto, die quinta menſis gloriam Dei videre, vt c. 1. v. 1. & 2. dixit. Iuſſus eſt eodem tempore in latus ſiniſtrum trecentos nonaginta dies, in dextrum quadraginta cubare, qui ſunt quadringenti triginta c. 4.4.6. Quo tẽpore Propheta ſe domi quaſi in carcere iniectis vinculis tenuit, vt dictum eſt c.4.v.8. Hoc igitur ſpatio tẽporis nihil

Digitized by Google

nihil vaticinatus eſt: ſed quæ poſtea vaticinaturus erat, quaſi per ſomnium & quietem illi reuelabantur. Nunc ſatis iam doctus educitur è ſchola, vt, quæ à Deo didicit, homines doceat. Sed priùs Ieroſolymam ducitur, vt futurorum malorum cauſas videat. Omnia ſpiritu prophetico facta intelligendum eſt. Ex quo colligitur, quod auctor סדר עולם. & R. Dauid obſeruarunt, annum ſextùm, de quo hìc loquitur Ezechiel, iam fuiſſe tranſactum, & duos menſes ſeptimi, quia quadringenti triginta dies quibus domi cubauerat, vnum annum & duos menſes efficiunt. *In ſexto menſe.* Is eſt noſter Auguſtus, a menſe enim Martio annum inchoabant, Exod. 12.2. *Cecidit ſuper me manus Domini*, id eſt, oſtenſa mihi eſt terribilis, & admirabilis viſio, vt ſtatim explicat ver. ſequenti. Manus enim Domini erat gloria illa, quam vidit, vide quæ de ea re ſupra adnotauimus cap. 1. 3.

2. *Quaſi aſpectus ignis.*] Quemadmodum vidit cap. 1. v. 27. illinc explicatio peti poteſt. *Et viſio electri*, id eſt, figura & ſimilitudo hominis colore electrino, vt cap. 1. v. 4. & 27. vide quæ illis duobus locis diximus.

3. *Et emiſſa ſimilitudo.*] וישלח תבנית יד & miſit (homo ille electrinus, quem videram) ſimilitudinem manus, id eſt, viſus mihi eſt manum porrigere, méque per crines apprehendere, & transferre in Ieruſalem. Vocat ſimilitudinem manus, quia non erat vera manus, ſed figura. *In viſione Dei.* במראות אלהים. in viſionibus Dei, id eſt, magnis, admirabilibus. vocat viſiones, quia multas res vidit, vt adnotauimus cap. 1. 1. ex R. Moſe lib. 3. More cap. 6. Viſiones autem Dei magnas & admirabiles appellat vſitata Hebræorum phraſi, vt *montes Dei*, Pſal. 35. 7. *cedros Dei*, Pſal. 79. 11. Adnotat hoc loco R. Dauid propter ea dixiſſe, *Apprehendit me in cincinno capitis mei*, vt futuram captiuitatem deſignaret: ſolẽt enim rei crinibus apprehendi, & in carcerem duci. *Iuxta oſtium interius.* אל פתח שער הפנימית. ad oſtium portæ interioris. (ſub. atrij templi) hoc R. Dauid intelligendum eſſe putat. Atrium enim vocabatur interius, non porta, 3. Reg. 6. 36. *Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.* Dicebatur atrium interius, illud, in quod ſacerdotes conueniebãt, & vbi erat altare holocauſti, comparatione exterioris atrij, in quod populus introïbat, quod baſilica grandis appellabatur, 2 Par. 4. 9. & porticus Salomonis, Act. 3. 11. & 5. 12. *Quod reſpiciebat ad Aquilonem*; quod oſtium. Nam verſus quattuor ventos, quattuor erant portæ, aut oſtia, vt ait R. Dauid. *Idolum zeli*; id eſt, excitans Deum ad zelotypiam, ſicut adultera maritum excitare ſolet; ſicut ſtatim declarat, dicens; *ad prouocandam æmulationem.*

4. *Quam videram in campo.*] Similis illi, quam videram, cùm Deus me in campum eduxiſſet, cap. 3. 22.

5. *Ab Aquilone portæ altaris.*] מצפון לשער המזבח. ab Aquilone ad portam, aut, iuxta portam altaris. Putat R. Dauid, quem multi recentiores interpretes ſecuti ſunt, in atrio ipſo populi ſtructum fuiſſe altare idolo Baal, ad quod porta illa ſeptentrionalis reſpiciebat, ideóque portam altaris appellatam. Sed quia hi mihi ſine ratione videntur diuinare, malo cum noſtris auctoribus dicere, portam altaris vocari, portam atrij interioris, vbi erat altare, Septuag. verterunt, *πρὸς τὴν πύλην τὴν πρὸς ἀνατολὰς τοῦ θυσιαστηρίου. ad portam orientalem altaris.* Itaque pro מזבח. videntur legiſſe מזרח.

6. *Putáſne vides tu?*] הראה an vides? quaſi dicat. putaſ-ne te omnes Iſraël abominationes videre? non ita eſt; plures enim, maioreſque videbis. *Vt procul recedam.* H. לרחקה. ad recedendum. itaque poteſt vel ad Iudæos, vel ad Deum

 referri.

referri. Sept. ad Iudæos retulerunt, *τοῦ ἀπέχεσθαι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἁγίων μου. vt abſtineant ipſi à ſanctis meis*, id eſt, vt conuertant ſanctuarium in idolum. Meliùs noſter interpres, & Chaldæus Paraphraſtes, & R. Dauid, & R. Salomon, ad Deum retulerunt, vt ego recedam a ſanctuario meo, id eſt, vt deſeram templum mihi dicatum, vt me de templo meo eiiciant introducto Baal.

7. *Ad oſtium atrij.*] ſub. interioris, vt R. Salomon, & R. Dauid exponunt. Priùs enim adduxerat illum iuxta oſtium atrij interioris, vt dixit ver. 3. ſed adhuc erat in atrio exteriori: nunc autem introduxit in ipſum oſtium eiuſdem atrij interioris.

11. *Et vapor nebulæ.*] Senſus idem, ſed verba Hebraïca ſunt ועתר ענן. & denſitas nubis de thuribulo aſcendebat. Chald. ו פור. & columna nubis.

12. *Certè vides.*] הראית. an vides? vidiſti ne? *Vnuſquiſq; in abſcondito cubilis ſui*, ſicut locus ille abſconditus erat. Hoc enim locus ille in pariete abditus ſignificabat Iudæos extrinſecus Deum colere; intrinſecus & in occulto idola. Non enim neceſſe eſt vt dicamus & illud foramen, & illas animalium imagines in pariete pictas fuiſſe: ſed hæc omnia Ezechieli per prophetiæ ſpiritum fuiſſe demonſtrata: vt intelligeret quid Iudæi facerent. Propterea autem in templo demonſtrata ſunt, vt ſignificaretur, cum cultu Dei, qui per templum intelligitur, cultum idolorum occultè miſcuiſſe, quamquam & in ipſo templo idola fuiſſe legimus, vt ſuprà cap. 5. 11. & Ierem. cap. 7. 30. & 32. 34. manifeſtum eſt. *In abſcondito cubilis ſui.* בחדרי משכיתו in penetralibus picturæ ſuæ, id eſt, in cubiculis ſuis egregiè pictis, atque ornatis; aut, quod mihi magis placet, in cubiculis pictis imaginibus dolorum, plenis idolorum picturis. *Non videt Dominus*, id eſt, perinde faciunt, ac ſi putarent Deum non videre. Reddit cauſam, cur in tenebris, & in occultis locis idola colerent, quia quodammodo putabant in tenebris, & penetralibus Deum non videre, neque animaduertebant, quod Dauid dicit Pſal. 138. 12. *Tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur:*
Impij de diuina prouidentia ſæpe dubitant. *ſicut tenebræ eius ita & lumen eius.* Solent impij de diuina prouidentia ſæpe dubitare, vt Pſal. 72. 11. *Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus et ſi eſt ſcientia in excelſo?* & Iob 22. 14. *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.*

14. *Introduxit me.*] iterum, aut, ויביא. duxit me ad portam templi Aquilonarem, id eſt, ad portam atrij exterioris, quæ reſpiciebat ad Aquilonem. *Plangentes*
Lepida fabula Hebræorum. *Adonidem.* H. התמוז. Cogimur hoc loco præter conſuetudinem noſtram Hebræorum fabulas recitare, quia ex illis huius loci ſententia quodammodo dependet. Scribit R. Moſes Ben Maimon in More legiſſe ſe in libro de cultu antiquorum fuiſſe Prophetam quendam idololatram nomine Thamus, qui cùm regi cuidam perſuaſiſſet, vt faceret ſeptem ſtellas, & duodecim ſigna, ab eo interfectus eſt. Ob cuius mortem cùm congregatæ fuiſſent omnium idolorum ſtatuæ ab vltimis vſque terris in templum Babel ad auream imaginem Solis, quæ inter cœlum & terram ſuſpenſa erat; ea in medio templi corruit. Omnes autem imagines, quæ congregatæ fuerant, ſteriſſe memorantur tota nocte flentes in circuitu eius, altero autem die luceſcente auolauiſſe inde in ſua templa. Inde conſuetudinem natam vt anniuerſario mortis eius die mulieres illum deflerent. Alij tradunt, vt R. Dauid in lib. rad. & R. Salom. in comment. in hunc locum Thamuz fuiſſe idolum quoddam, oculis plumbeis, & intus concauum, quod cùm infernè ſuccenderetur liquefacto oculorum plumbo flere videretur, ideóque mulieres ſimul flere conſueuiſſe. Creditur autem fuiſſe Adonidis ſimulachrum Veneris amaſij.

16. In

Digitized by Google

16. *In atrium domus Domini.*] Iterum, nam iam antè introduxerat ver. 3. & iterum ver. 14. aut ad aliam partem eiuſdem atrij interioris, nempe inter veſtibulum & altare, vbi ſolebant Sacerdotes eſſe, Ioël 2. 17. *Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini. Quaſi viginti quinque.* id eſt, circiter viginti quinque, aut, quod mihi magis placet, Similitudo viginti quinque virorum; non enim veros homines vidit, ſed figuram. *Contra templum Domini.* Contra ſancta ſanctorum, aut, contra altare holocauſti. Hoc enim vocat hoc loco templum Domini, quia ſacratiſſima templi pars erat. Solebant Gentes orientem ſolem adorare. Eius erroris vitandi cauſa ſanctum ſanctorum ad occidentem poſitum erat. Quod ergo viginti quinque viri dorſa habebant ad ſancta ſanctorum, ſignificabat Iudæos relicto vero Deo, qui in ſancto ſanctorum habitabat, ad colendum ſolem, cæteraque idola ſeſe conuertiſſe, quod clariùs Deus dicit apud Ierem. cap. 2. 27. *Dicentes ligno, Pater meus es tu; & lapidi, tu me genuiſti; Verterunt ad me tergum, & non faciem.* & c. 32. 33. *Verterunt ad me terga, & non facies; cùm docerem eos diluculo, & erudirem.* Quod autem dicit, *viginti quinque* numerum certum pro incerto poni puto, quaſi dicat, ferè omnes.

17. *Conuerſi ſunt.*] id eſt, obuerterunt mihi terga, ſicut paulò antè dixit, alij, *Conuerſi ſunt*, id eſt, addiderunt maiora etiam ſcelera, vt me irritarent, Hoc enim phraſis Hebraïca ſæpe ſignificat, vt verſu 13. & 15. *Conuerſus videbis abominationes maiores*, id eſt, iterum videbis maiora peccata. quaſi dicat, non contenti terram iniquitate, rapiníſque repleuiſſe, iterum me nouo impietatis genere irritarunt, nempe, *Ecce applicant ramum ad nares ſuas.* Sic Hieronymus vertit Theodotionem ſecutus. Quorum verborum ſenſum eſſe putat, Ecce ipſi adorant idola; quaſi mos idololatrarum fuerit, vt ramo idola tangentes, mox ad nares in ſignum adorationis applicarent, ſicut Iob gloriatur, cap. 31. 26. 27. Quòd non oſculatus fuerit manum ſuam, cùm ſolem & lunam videret. Septuag. *καὶ ἰδοὺ αὐτοὶ ἐκτείνουσι τὸ κλῆμα ὡς μυκτηρίζοντες. Ecce ipſi extendunt ramum quaſi ſubſannantes*, id eſt, adorant idola irridentes me. Symmachus, vt Hieronymus ait, Ecce ipſi fœdum, raucúmque ſonitum è naribus mittunt, id eſt, irritant me. Chaldæus, Adducunt confuſionem ad faciem ſuam, id eſt, faciunt ea, vnde aliquando erubeſcant, R. Salom. & R. Dauid dicunt dictionem Hebraïcam זמורה. fœtorem ſignificare. Addit R. Dauid אל אפם. ad nares ſuas, dictum eſſe, pro אל אפי. ad nares meas. Hanc enim eſſe vnam ex duodeuiginti dictionibus, quas ſcribæ conſilio in ſacris litteris mutauerunt, quas illi תקון ספרים. appellare ſolent. Honeſtatis enim cauſa noluiſſe ſcribere אל אפי. ad nares meas: ſed ad nares eorum: ſenſúmque eſſe, verterunt ad me terga, quaſi in nares meas oppedentes. Qui ſenſus optimè conueniet: ſi verum eſſet, quod illi tradunt, legendum eſſe. אל אפי, pro, אל אפם. Sed quia id incertum eſt, ſoláque Rabbinorum fide nititur, quæ minima eſt; alius quærendus eſt ſenſus. Sic ergo poſſumus interpretari, admouent fœtorem malum ad nares ſuas, id eſt, *lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*; vt dicitur, Prouerb. 2. 14. ſicut facere ſolent ij, qui cùm ſtercus, aut aliquid aliud fœtidum tetigerint, manum ad nares admouent, quaſi fœtore illo delectentur.

18. *Et ego faciam.*] illis, aut agam cum illis ſeuerè pro eorum meritis. furorem opponit miſericordiæ, & iudicio vt Ierem. 10. 24. *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Non parcet oculus meus.* Hanc phraſim ſuprà explicauimus, cap. 7. verſu 4. & 9.

CAPVT IX.

ET clamauit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquauerunt vi-
ſitationes vrbis, & vnuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua.
2 *Et ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aqui-*
lonem: & vniuſcuiuſque vas interitus in manu ſua: vir quoque vnus in medio eorum
veſtitus erat lineis & atramentarium ſcriptoris ad renes eius: & ingreſſi ſunt, & ſtete-
runt iuxta altare æreum. 3 *Et gloria Domini Iſraël aſſumpta eſt de Cherub, quæ*
erat ſuper eum ad limen domus: & vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramenta-
rium ſcriptoris habebat in lumbis ſuis. 4 *Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per*
mediam ciuitatem in medio Ieruſalem: & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium
& dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. 5 *Et illis dixit*
audiente me, Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter
neque miſereamini. 6 *Senem, adoleſcentulum & virginem, paruulos & mulieres*
interficite vſque ad internecionem, omnem autem ſuper quem videritis Thau, ne occidatis,
& à ſanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris ſenioribus qui erant ante faciem do-
mus: 7 *Et dixit ad eos: Contaminate domum, & implete atria interfectis: egredi-*
mini. Et egreſſi ſunt & percutiebant eos qui erant in ciuitate. 8 *Et cæde completa*
remanſi ego: ruique ſuper faciem meam, & clamans, aio, Heu, heu, heu Domine Deus,
ergo-ne diſperdes omnes reliquias Iſraël, effundens furorem tuum ſuper Ieruſalem?
9 *Et dixit ad me: Iniquitas domus Iſraël & Iuda magna eſt nimis valde, & repleta*
eſt terra ſanguinibus & ciuitas repleta eſt auerſione: dixerunt enim, Dereliquit Dominus
terram, & Dominus non videt. 10 *Igitur & meus non parcet oculus, neque miſerebor:*
viam eorum ſuper caput eorum reddam. 11 *Et ecce, vir qui erat indutus lineis, qui ha-*
bebat atramentarium in dorſo ſuo reſpondit verbum, dicens: Feci ſicut præcepiſti mihi.

SIGNANTVR qui ex cæde Ieroſolymitana liberandi erant: cæteri occiduntur: Queritur Propheta tantam in populo ſtragem fieri, reſpondítque illi Deus, id eius peccata commeruiſſe.

1. *Et clamauit.*] Deus, aut angelus. Hebraïcè poteſt habere vim verbi imperſonalis. Clamatum eſt, aut clamauit aliquis voce magna. *In auribus meis.* me audiente. *Appropinquauerunt viſitationes vrbis*, id eſt, ſupplicia, & pœnæ. Viſitationes vocat ſex illos viros, de quibus loquitur verſu ſequenti: ac ſi dicat, propè ſunt iam hoſtes, qui vrbem euerſuri ſunt. H. קרבו פקדות העיר. Quod aliqui vertunt, Appropinquauerunt præfecti vrbis, id eſt, hoſtes, qui vrbi præficiendi ſunt; ita Chaldæus. Alij, Appropinquauerunt viſitatores vrbis. Alij, Viri viſitationum. Septuag. videntur ſingulari numero legiſſe קרבה, & פקדה. Verterunt enim ἤγγικεν ἡ ἐκδίκησις τῆς πόλεως. *Appropinquauit vindicta vrbis.*

Hebraïſmus. Meliùs noſter interpres. *Et vnuſquiſque.* Hebraïſmus pro, In quorum vniuſcuiuſque manu, *vas interfectionis.* Dixerat, *Appropinquauerunt viſitationes*: & nunc dicit, *Vnuſquiſque.* Quia non verba; ſed ſenſum reſpexerat, viſitationes autem appellauerat homines viſitantes. *Vas interfectionis*, gladium, aut malleum כלי. vas vocat omne bellicum inſtrumentum, ſicut & Latinè vt Pſalm. 7. 14. *Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Quæ Ierem. c. 21. 4. & c. 51. 20. *Vaſa belli*, vocat. Quod appellat hic כלי משחתו. vas interfectionis ſuæ, appellat verſu ſequenti כלי מפצו. vas mallei ſui, vt Hebræi interpretantur.

2. *Sex viri veniebant.*] Ieremias, cap. 39. 3. ſcribit ſex principes duces Nabuchodono-

chodonoſoris Ieroſolymitanam vrbem occupaſſe Neregel, Sereſer, Semegarnabuthar-ſachim, Rapſares, Neregel, Sereſer, Quos igitur Ieremias illic vemiſſe narrat: hîc Ezechiel venturos prædicit. *De via portæ ſuperioris.* Ea erat inter Orientem, & Septentriones, vt Hebræorum magiſtri tradiderunt. Dicitur ſuperior comparatione Septentrionalis. Dicitur ad Aquilonem reſpicere, quia magis vergebat ad Aquilonem. Fecit autem eius portæ mentionem, quia ea hoſtes venturi erant. Ab aquilone enim pandendum erat omne malum, Ierem. 1. 14. & cap. 4. 6. & cap. 6. 1. & cap. 15. 12. *Vir quoque vnus.* Hunc angelum fuiſſe credendum eſt, vt & veſtitus candidus, & officium ſignandi eos, qui liberandi eſſent, oſtendit. Sunt enim angeli *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis,* vt ait D. Paul. ad Hebr. 1. 14. In Apocalypſi quoque Ioannis, cap. 7. 3. 4. Angelus vnus ſignat in fronte prædeſtinatos. *Et atramentarium ſcriptoris.* Ad ſignandos eos, qui liberandi erant. Itaque melius Hieronymus קסת. *atramentarium* vertit, quàm nonnulli etiam Hebræi, Tabulas, & quàm Septuaginta, ζώνην σαπφείρου, *Zonam Saphirinam,* quámque alij aliter, vt idem Hieronymus refert.

3. *Et gloria Domini.*] ferè omnes & Hebræi, & noſtri Chaldæum ſecuti Paraphraſtem gloriam Domini vocari putant, quæ in templo ſuper duo Cherubim, qui propitiatorium tegebant, habitare dicebatur. Pſalm. 79. 2. & 98. 1. *Qui ſedes ſuper Cherubim.* Interpretantur ergo diſceſſiſſe à Cherubim, id eſt, à propitiatorio; poni enim ſingulare pro plurali, & in limine Domus, id eſt, templi, aut ſanctuarij conſtitiſſe, quaſi ex templo diſceſſura. Hac re ſignificatum fore vt Deus templum derelinqueret. Alij gloriam Domini vocari putant eam imaginem electrinam, quam Ezechiel in quadriga cherubinorum viderat, cap. 1. 15. & 2. 1. & 3. 23. Ab ea enim gloria Dei Propheta cincinno capitis vſque ad templum Ieroſolymitanum tranſlatus fuerat: eámque nunc dicit à Cherubim, quibus inſidebat, diſceſſiſſe, vt indicaretur Deum a propitiatorio diſceſſurum. Hæc mihi interpretatio non diſplicet. Nam in capite ſequenti eadem gloria Domini iuſſit virum, qui lineis indutus erat, ingredi ſub rotas, & prunis manum implere.

4. *Et dixit Dominus.*] Dominum vocat, quem paulò antè gloriam Domini vocauerat. *Signa Thau.* Omnes ferè Hebræi, vt refert R. David, interpretantur ותוית תו. ſigna ſignum, Quin etiam Septuag. Aquila, & Symmachus ita verterunt, quaſi non iubeat certam in frontibus notam ponere; ſed ſignum aliquod quod velit. Alij etiam Hebræi Thau poſtremam alphabethi litteram interpretantur. Quam litteram alij ſignificare putant תחיה. viues. Alij, תם. perfectionem, id eſt, perfectus & innocens eſt, vt refert R. Dauid. Alij, תורה. legem, vt recitat Hieronymus, vt hoc ſignum acceperant qui legis præcepta compleuerant. Noſtri omnes interpretes Thau litteram fuiſſe putant vt & Chaldæus Paraphraſtes reddidit: & crucem Chriſti ſignificaſſe: Quia, vt Hieronymus ait, antiqua eius litteræ apud Hebræos figura cruci ſimilis erat. Quod vtrumque multò eſt probabilius; Quia quoties Deus in re ſimili ſignũ aliquod dedit, certum ſignum dedit, quod non ſolùm eam liberationem, quæ tunc: ſed eam etiam, quæ multò pòſt per Chriſtum futura erat, ſignificaret. Qualis fuit ſanguis agni, quo Hebræorum poſtes in Ægypto liti ſunt Exod. 12. 7. Qualis funiculus coccineus ad domum Raab meretricis appenſus Ioſue 2. 18. Vterque enim ſanguinem Chriſti ſignificabat. Hic ergo Thau crucem ſignificat. *Gementium & dolentium,* id eſt, qui non ſolùm malis, vt ait Hieronymus, non conſen-

Signũ Thau è cruciis figura. δὸς σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν.

ſerunt operibus; ſed & aliena planxêre peccata. Sic Dauid, *Tabeſcere me fecit Zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Pſalm. 18. ver. 139. Sic D. Paul. 2. Corinth. 11. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sic 2. Corinth. 12. 21. Timet ne, cùm venerit, lugeat multos, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.

5. *Et illis dixit.*] Sex viris, quorum vnuſquiſque vas interfectionis habebat in manu ſua, vt dixit verſu 1.

6. *A ſanctuario meo incipite.*] id eſt, à ſacerdotibus, & Leuitis, qui in templo meo verſantur: ij enim grauius peccauerunt. Sic 1. Petri 4. 17. *Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. A viris ſenioribus, qui erant ante faciem domus.* Ab illis viginti quinque viris, qui erant in oſtio templi inter veſtibulum, & altare habentes dorſa contra templum Domini, & facies ad orientem, vt dixit c. 8. v. 16.

7. *Et dixit.*] Dominus, vt verſu 4. *Ad eos* ſex viros. *Contaminate domum*, id eſt, implete templum cadaueribus interfectorum, vt ſtatim explicat, atria autem dicit numero plurali, quia aliud erat interius, aliud exterius, & rurſum atrium virorum, & atrium mulierum, vt notat R. Dauid. *Egredimini.* Subintelligendum eſt, & impleuerunt, & poſtea dixit illis, *egredimini. Et egreſſi ſunt, & percuſſerunt eos, qui erant in ciuitate.* Ipſa figura orationis conciſa ſignificat eos ſumma celeritate Dei ſententiam executos eſſe, dictúmque factum fuiſſe.

8. *Remanſi ego.*] Hoc Septuag. non habent, aut quia ipſi non tranſtulerunt: aut, vt Hieronymus putat, quia de eorum verſione ſublatum eſt, quòd ei ſententiæ contrarium eſſe videretur, qua iuſſerat Deus, ne qui ſignati eſſent, cæderentur. Sed non dicit ſe ſolùm remanſiſſe, etſi diceret, ex eius opinione intelligi deberet, quòd alios, qui remanſerant, non videret, ſe autem videret. Sicut Elias ſolùm ſe remanſiſſe dixit, quia alia Septem millia virorum ignorabat, 3. Regum 19. 10. 18. *Heu heu heu.* Heb. vna dictio. אהה Quam noſter interpres ſolet vertere *A. A. A.* vt ſuprà cap. 4. 14. & infra cap. 20. 49. & Ierem. 1. 6. & 14. 13. *Omnes reliquias*, id eſt, etiam paucos illos, quos, vt reliqui fierent, ſignare iuſſiſti; putat enim Propheta omnes interiſſe; promiſerat autem Deus ſe conſummationem non eſſe facturum Ierem. 4. 27. & 5. 10. *Effundens* id eſt, nihil retinens de furore tuo: ſed totum effundens, vt omnem populum deleas, vt Pſalm. 68. 25. *Effunde ſuper eos iram tuam.* & Pſalm. 78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.*

9. *Sanguinibus.*] homicidiis, vt ſuprà cap. 7. 23. ſic interpretatur Chaldæus. *Auerſione.* rebellione à me. H. מטה Chaldæus Paraphraſtes & R. Salom. peruerſitatem iudicij reddunt. R. Dauid rapinam interpretatur; propterea autem de iudicij peruerſitate mentionem fieri putat, quia agitur de Ieruſalem, vbi ſedes iudicij erat, ad quam omnis Iuda & Iſraël concurrebant. *Dereliquit Dominus terram*, id eſt, non curat res humanas, vt ſuprà cap. 8. 12.

10. *Igitur & meus non parcet oculus.*] vt ſup. cap. 8. 18. & cap. 7. 4. 9. illic phraſim expoſuimus *Viam eorum ſuper caput eorum reddam*; id eſt, dignas de illis pœnas ſumam, Iudicabo eos ſecundum vias ſuas, vt dixit cap. 7. 3. 8. vias eorum imponam ſuper eos, vt cap. 7. 4. 9. faciam eis ſecundum vias eorum, cap. 7. 27. ſimilis phraſis infrà cap. 11. 21. & cap. 16. 43. & cap. 22. 31.

11. *In dorſo ſuo.*] במתניו. in lumbis ſuis, vt ſuprà ver. 2. & 3. *Sicut præcepiſti mihi*, id eſt, poſui ſignum Thau in frontibus gementium, & dolentium, vt ver. 4. illi præceperat.

CAPVT X.

*ET vidi, & ecce in firmamento quod erat ſuper caput Cherubim, quaſi lapis ſap-
phirus quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolij apparuit ſuper ea.* 2 *Et dixit ad virum
qui indutus erat lineis, Ingredere in medio rotarum quæ ſunt ſubtus Cherubim:
& imple manum tuam prunis ignis quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper ciuitatem.
Ingreſſuſque eſt in conſpectu meo.* 3 *Cherubim autem ſtabant à dextris domus cùm
ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interius.* 4 *Et eleuata eſt gloria Do-
mini deſuper Cherub ad limen domus: & repleta eſt domus nube, & atrium repletum eſt
ſplendore gloriæ Domini.* 5 *& ſonitus alarum Cherubim audiebatur vſque ad atrium
exterius, quaſi vox Dei omnipotentis loquentis.* 6 *Cùmque præcepiſſet viro qui indu-
tus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum quæ ſunt inter Cherubim: ingreſſus ille
ſtetit iuxta rotam.* 7 *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim, ad ignem
qui erat inter Cherubim: & ſumpſit; & dedit in manus eius qui indutus erat lineis: qui ac-
cipiens egreſſus eſt.* 8. *Et apparuit in Cherubim ſimilitudo manus hominis ſubtus
pennas eorum,* 9 *& vidi, & ecce quattuor rotæ iuxta Cherubim: rota vna iuxta
Cherub vnum, & rota alia iuxta Cherub vnum: ſpecies autem rotarum erat quaſi viſio
lapidis chryſolithi.* 10 *& aſpectus earum ſimilitudo vna quattuor: quaſi ſit rota in
medio rotæ.* 11 *Cùmque ambularent, in quattuor partes gradiebantur: & non reuer-
tebantur ambulantes: ſed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, ſequeban-
tur & cætera, nec conuertebantur.* 12 *Et omne corpus earum, & colla, & manus, &
pennæ, & circuli plena erant oculis, in circuitu quattuor rotarum.* 13 *Et rotas iſtas
vocauit volubiles, audiente me.* 14 *Quattuor autem facies habebat vnum: facies
vna facies Cherub, & facies ſecunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quar-
to facies aquilæ.* 15 *Et eleuata ſunt Cherubim: ipſum eſt animal quod videram iuxta
fluuium Chobar.* 16 *Cùmque ambularent Cherubim, ibant pariter & rotæ iuxta
ea: & cùm eleuarent Cherubim alas ſuas, vt exaltarentur de terra, non reſidebant rotæ, ſed
& ipſæ iuxta erant.* 17 *Stantibus illis, ſtabant: & cum eleuatis eleuabantur, ſpiri-
tus enim vitæ erat in eis.* 18. *Et egreſſa eſt gloria Domini à limine templi: & ſtetit
ſuper Cherubim.* 19 *Et eleuantia Cherubim alas ſuas, exaltata ſunt à terra coram
me: & illis egredientibus rotæ quoque ſubſecutæ ſunt: & ſtetit in introitu portæ domus Do-
mini Orientalis, & gloria Dei Iſraël erat ſuper eos.* 20 *Ipſum eſt animal quod vi-
di ſubter Deũ Iſraël iuxta fluuiũ Chobar: & intellexi quia Cherubim eſſent.* 21 *Quat-
tuor vultus vni, & quattuor alæ vni: & ſimilitudo manus hominis ſub alis eorũ.* 22 *Et
ſimilitudo vultuum eorum, ipſi vultus quos videram iuxta fluuium Chobar, & intuitus
eorum, & impetus ſingulorum ante faciem ſuam ingredi.*

VIDET Propheta iterum quadrigam, quam primo capite viderat, Angelúmque prunas per vrbem ſpargentem, quod futuri vrbis incendij ſignum erat.

1. *In firmamento.*] figura cap. 1. ver. 26. deſcripta eſt. *& quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolij.* id eſt ſicut humana figura ſedes ſuper ſimilitudinem ſolij Sapphirini. Hunc eſſe ſenſum conſtat ex cap. 1. ver. 26.

2. *Et dixit.*] Qui ſuper thronum Sapphirinum ſedebat. *Quæ ſunt ſubtus Cherubim.* Rotæ erant infra Cherubim, vt apparet ex figura capitis primi. *Imple manum tuam prunis*, prunæ per vrbem diſperſæ futurum vrbis incendium portendebant; quòd autem ex medio rotarum, & per angelum, & Dei iuſſu colliguntur,

Prunæ per vrbem diſperſa quid ſignificent.

Digitized by Google

tur, indicat vrbis incendium non caſu, aut hominum conſilio; ſed Dei prouidentia, imperióque futurum eſſe.

3. *Cherubim autem.*] parentheſis eſt, continen. hunc verſum, quartum, & quintum. *A dextris domus,* ſanctuarij: erant enim intra templum; & domus, vocatur aliquando totum templum, aliquando ſanctum ſanctorum.

4. *Et eleuata eſt.*] quaſi diſcederet à propitiatorio relictis Cherubinis, qui illud obtegebant, vt dixit cap. 9. verſu 8. *Et repleta eſt domus nube;* Quia antè gloria, & maieſtas Dei intra propitiatorium quodammodo latebant; cùm autem exiret, ac diſcederet, impleuit ſplendore totum templum.

5. *Et ſonitus alarum.*] ſtridor, quem cap. 1. ver. 24. aquarum multarum murmuri, & ſono caſtrorum, & voci ſublimis Dei, id eſt, tonitruo comparauit. Atque eodem modo hic locus intelligendus eſt. Dicuntur enim tonitrua voces Dei, vt Pſal. 28. 3. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.* Vide quæ c. 1. ver. 24. notauimus.

8. *Similitudo manu.*] vt c. 1. ver. 8.

9 *Ecce quattuor rotæ.*] vt c. 1. ver. 15. & 16. *Chryſolithi.* H. תרשׁישׁ. Tharſis, id eſt, cryſtalli, vt R. Salom. interpretatur, vide quæ de ea re diximus, c. 1. verſu 16.

10. *Similitudo vna quattuor.*] Quattuor dandi caſus eſt, דמות אחד לארבעתם. quattuor illis, id eſt, vna & eadem erat omnibus illis quattuor forma atque ſimilitudo: aut, ex illis quattuor videbatur vna quadripartita rota conſtare; quaſi eſſet rota in rota, vt c. 1. ver. 16. explicatum eſt.

11. *In quattuor partes.*] id eſt, in omnem partem eadem facilitate voluebantur, quia non conuertebantur, ſicut currus noſtri, ſed verſus omnem partem paratæ erant moueri, vt expoſuimus, cap. 1. verſu 17. Quattuor partes poſuit pro omnibus, quia quattuor præcipuæ ſunt locorum differentiæ dextrum, ſiniſtrũ, anterius, poſterius. *Ad quẽ ire declinabat, quæ prima erat.* H. אשר יפנה הראש. Ambiguum eſt vtrum ad rotas, an ad Cherubim referatur. Ionathas & R. Dauid referunt ad Cherubim, quo declinabat primus Cherub. Conuenit hic ſenſus cum eo, quod dicitur infrà verſu 16. & ſuprà cap. 1. verſu 19. *Cùmque ambularent Cherubim ibant pariter & rotæ iuxta ea.* Hieronymus refert ad rotas, qui etiam ſenſus verus eſt. Ita enim rotæ factæ atque connexæ erant, vt quocunque prima moueri cœpta eſſet, eò omnes ſequerentur. Sept. eandem ambiguitatem ſuo more reliquerunt *εἰς ὃν ἂν τόπον ἐπέβλεπεν ἡ ἀρχὴ ἡ μία ὀπίσω αὐτῆς ἐπορεύοντο. In quẽcunq; locum principium vnũ reſpiciebat, poſt ipſum gradiebatur.*

12. *Et omne corpus earum.*] בשׂרם. etiam hoc Hebraïcè ambiguum eſt, & vel ad Cherubim, vel ad rotas referri poteſt. Et Septuaginta quidem, & Chaldæus Paraphraſtes ad Cherubím videntur retuliſſe; Quam interpretationem illud confirmat, quòd carnem, manus, penna, collaque illis tribuat: quæ rotæ non habebant. Atque ita Theodoritus interpretatur. Hieronymus verò, & inter Hebræos R. Dauid Quimchi referunt ad rotas; quod magis conſentaneum eſt figuræ, quæ primo capite ver. 18. deſcripta eſt; vbi non Cherubinis, ſed rotis oculi tribuuntur. Carnem ergo rotarum per metaphoram earum corpus appellat, quia corpus carne conſtare ſolet; colla modiolos, manus radios, pennas circulos ligneos, circulos verò canthos ferreos, quibus adſtringuntur. Tribuit enim rotis figuram volucris, vt ſummam earum celeritatem declaret. Si quis dixerit referendum eſſe hoc ad rotas ſimul & ad Cherubim; & rotis corpus & circulos, Cherubinis verò colla, manus, pennas tribui, non repugnabo: fieri enim poteſt, vt quod c. 1. non dixerat, hoc loco dicat.

13. Et

13. *Et rotas iſtas.*] H. לאופנים להם קורא הגלגל באזני. Recentiores interpr. ſecuti R. Dauid ad hunc modum exponunt, Me audiente acclamatum eſt ipſis rotis, ô rota, ſub. fac hoc vel illud. Quod mihi nullo modo placet, quorſum enim rotis, & non potiùs Cherubinis præceptum datum eſſet? aut quorſum præceptum reticeretur? aut cur potiùs ſecundo loco Propheta nomen גלגל, quàm אופן poſuiſſet, quo ſemper aliâs vſus fuerat, niſi vt ſignificaret impoſitum illis fuiſſe hoc nomen? Itaque rectè Septuag. nomen ipſum Hebraïcum quaſi proprium reliquerunt. γελγέλ. Rectè Hieronymus non dixit vocauit rotas: ſed, *vocauit volubiles.* Atque hoc ſenſu Chaldæus Paraphraſtes, & R. Moſes lib. 3. More, & R. Salomon in commentariis in hunc locum interpretantur.

14. *Facies Cherub.*] pro capite ver. 10. dicitur habuiſſe faciem bouis; & hoc ipſo, c. verſu 20. dicit fuiſſe omnes Cherubinos. Ex quo colligimus omnia animalia habuiſſe humanam faciem, ſed bouinam quodammodo referentem. Hæc enim erat forma Cherub. Quare quod animal bouinam formam maximè præ ſe ferebat, illic dicitur habere faciem bouis, hîc faciem Cherub.

15. *Ipſum eſt animal.*] Singularis numerus pro plurali, ipſa ſunt animalia, quæ videram iuxta fluuium Chobar, c. 1. ver. 13.

16. *Non reſidebant.*] H. לא יסבו. non recedebant rotæ גם הם מאצלם. etiam ipſæ de prope ipſorum, id eſt, non diſcedebant ab illis, ſed ſequebantur, vide c. 1. ver. 19.

17. *Spiritus enim vitæ.*] רוח חיה ſpiritus animalis, id eſt, eodem Dei ſpiritu impellebantur rotæ, quo animalia, vt explicauimus, c. 1. ver. 20.

20. *Ipſum eſt animal.*] Singulare pro plurali, vt ver. 15. *Subter Deum* id eſt, ſub imagine electrina, quæ in ſolio, quod erat ſuper firmamentum, quod capitibus Cherubinorum imminebat, vt apparet, c. 1. ver. 26. & 27. Ea enim imago Deum referebat, idcirco Deus appellatur.

21. *Quattuor per quatuor.*] Hebraïſmus ארבעה ארבעה, quattuor quattuor facies vni, id eſt, vnicuique quaternæ facies erant, vt dictum eſt, cap. 1. verſu 6. *Hebraïſmus.*

22. *Ipſi vultus.*] id eſt, Vultus eorum ſimiles erant iis, quos videram iuxta fluuium Chobar. *Et intuitus eorum* id eſt, ſimilitudo eorum, מראיהם. *Et impetus ſingulorum* אחד. & ipſa (animalia) ſub. eodem modo ſe habebant, vt Septuag. verterunt; Vnumquodque ante faciem ſuam ingrediebantur; id eſt, rectà incedebant in omnem partem quia verſus omnem partem faciem habebant, itaque non reuertebantur cùm incederent, vt demonſtratum eſt, capite primo ver. 12.

CAPVT XI.

ET eleuauit me ſpiritus, & introduxit me ad portam domus Domini orienta-
lem quæ reſpicit ad ſolis ortum: & ecce, in introitu portæ viginti quinque viri:
& vidi in medio eorum Iezoniam filium Azur, & Pheltiam filium Banaiæ
principes populi. 2 Dixitq́ ad me: Fili hominis, hi ſunt viri qui cogitant iniquitatem,
& tractant conſilium peſſimum in vrbe iſta: 3 dicentes: Nonne dudum ædificatæ
ſunt domus? hæc eſt lebes, nos autem carnes. 4 Idcirco vaticinare de eis, vaticinare
fili hominis. 5 Et irruit in me ſpiritus Domini, & dixit ad me, Loquere, Hæc dicit
Dominus: Sic locuti eſtis domus Iſrael & cogitationes cordis veſtri ego noui. 6 Plu-
rimos occidiſtis in vrbe hac, & impleſtis vias eius interfectis. 7 Propterea hæc di-

Digitized by Google

cit Dominus Deus: Interfecti veſtri, quos poſuiſtis in medio eius hi ſunt carnes, & hæc eſt
lebes: & educam vos de medio eius. 8 *Gladium metuiſtis, & gladium inducam*
ſuper vos, ait Dominus Deus. 9 *Et eijciam vos de medio eius, dabóque vos in ma-*
num hoſtium, & faciam in vobis iudicia. 10 *Gladio cadetis: in finibus Iſraël iudi-*
cabo vos, & ſcietis quia ego Dominus. 11 *Hæc non erit vobis in lebetem, & vos non*
eritis in medio eius in carnes: in finibus Iſraël iudicabo vos. 12 *Et ſcietis quia ego*
Dominus: quia in præceptis meis non ambulaſtis, & iudicia mea non feciſtis, ſed iuxta
iudicia gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, eſtis operati. 13 *Et factum eſt cùm pro-*
phetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuus eſt: & cecidi in faciem meam clamans voce
magna, & dixi: Heu, heu, heu. Domine Deus: conſummationem tu facis reliquiarum Iſ-
raël? 14 *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens.* 15 *Fili hominis, fratres tui*
viri propinqui tui, & omnis domus Iſraël, & vniuerſi quibus dixerunt habitatores Ieru-
ſalem: Longè recedite à Domino, nobis data eſt terra in poſſeſſionem. 16 *Propterea hæc*
dicit Dominus Deus: Quia longè feci eos in gentibus, & quia diſperſi eos in terris, ero eis
in ſanctificationem modicam in terris ad quas venerunt. 17 *Propterea loquere, Hæc*
dicit Dominus Deus: Congregabo vos de populis, & adunabo de terris in quibus diſperſi
eſtis: dabóque vobis humum Iſraël. 18 *Et ingredientur illuc, & auferent omnes of-*
fenſiones: cunctáſque abominationes eius de illa. 19 *Et dabo eis cor vnum, & ſpiri-*
tum nouum tribuam in viſceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, &
dabo eis cor carneum. 20 *Vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant,*
faciántque ea: & ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum. 21 *Quorum cor poſt*
offendicula & abominationes ſuas ambulat, horum viam in capite ſuo ponam, dicit Do-
minus Deus. 22 *Et eleuauerunt Cherubim alas ſuas, & rotæ cum eis: & gloria Dei*
Iſraël erat ſuper ea. 23 *Et aſcendit gloria Domini de medio ciuitatis, ſtetitque ſuper*
montem qui eſt ad Orientem vrbis. 24 *Et ſpiritus leuauit me: adduxitque me in*
Chaldæam ad tranſmigrationem in viſione in ſpiritu Dei: & ſublata eſt à me viſio quam
videram. 25 *Et locutus ſum ad tranſmigrationem omnia verba Domini quæ oſten-*
derat mihi.

ADVERSVS eos, qui Iudæos in Ieruſalem morituros, nec in captiuitatem abducendos dicebant, vaticinatur eos diſpergendos: deinde reliquias iterum congregandas, nouámque legem dandam.

1. *Eleuauit me.*] Sunt qui putent auctore R. Dauid hanc eandem eſſe viſionem, quæ capite 8. deſcripta eſt: repeti autem hic, aut continuari. Hæc enim omnia priùs facta fuiſſe, quàm quæ capite nono, & decimo ſcripta ſunt. *Viginti quinque viri*, illi ſcilicet, qui dorſa ad templum habebant obuerſa; qui pro ferè omnibus, aut pro principibus ponuntur.

3. *Nonne dudum.*] id eſt, nonne domus iamdudum ædificatæ manent, poſtquam Ieremias vrbem euertendam prædixit? aut, nonne domus ædificatæ ſunt nouæ, poſtquam Ieremias antiquas prædixerat euertẽdas? Heb. לא בקרוב בנות בתים. Ad verbum. Non in propinquo ædificare domos. Quæ verba R. Salomon & R. Dauid ſic interpretantur. Non propè eſt vrbis euerſio, quam nobis Ieremias prædixit; ædificate domos. Infinitum pro imperatiuo: non tam citò euenient, quæ Prophetæ nobis de huius euerſione vaticinati ſunt. Iraque licet nobis nouas ædificare domos. *Hæc eſt lebes, nos autem carnes.* id eſt, quemadmodum carnes ex lebete non extrahuntur, donec ſatis coctæ ſint: ita nos non abducemur ex hac vrbe in captiuitatem, donec confecto naturali vitæ curſu moriamur.

6. *Plu-*

Digitized by Google

6. *Plurimos occidiſtis.*] iniquis iudiciis innocentes condemnantes, vt dixit cap. 7. 23. *Terra plena eſt iudicio ſanguinum, & ciuitas plena iniquitate.* & cap. 9. ver. 9. *Repleta eſt terra ſanguinibus, & ciuitas repleta eſt auerſione.*

7. *Interfecti veſtri.*] Metaphoram, qua viginti quinque viri vſi fuerant, in contrarium ſenſum ſubtiliter conuertit. quaſi dicat, verè dicitis hanc vrbem eſſe lebetem: ſed carnes eius non eſtis vos: ſed ij, quos vos in ea iniquè interfeciſtis: quapropter vos non in ea manebitis: ſed adducam vos de medio eius.

8. *Gladium metuiſtis.*] Affirmatio tacitam negationem includens: quaſi dicat, non timuiſtis captiuitatem: ſed gladium, id eſt, bellum Babyloniorum, ideóque miſiſtis legatos in Ægyptum, vt auxilium peteretis, Ierem. 2. 18. Ideo vtrumque vobis inducam & gladium, quem timebatis; & captiuitatem, quam non timebatis.

9. *In manum hoſtium.*] ביד זרים. in manum alienorum, vt etiam Sept. verterunt, id eſt, in manus Babyloniorum. *Et faciam in vobis iudicia,* id eſt, caſtigabo vos pro meritis veſtris, ſumam dignas de vobis pœnas, vt cap. 5. 8. *Faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium.*

10. *In finibus Iſraël.*] adhuc alludit ad lebetem. quaſi dicat, non moriemini in hac vrbe, confecto vitæ curſu, ſicut carnes in lebete, vt vos exiſtimatis: ſed in finibus Iſraël, id eſt, in Reblatha, vbi Nabuchodonoſor, dum expugnaretur Ieruſalem, ſedem fixerat; ibidémque filios Sedeciæ, & principes interfecit, ipſúmque Sedeciam orbauit oculis, 4. Reg. 25. 6. & Ierem. 39. 5. & 52. 9. Erat autem Reblatha in finibus Iſraël. Ita & noſtri & Hebræorum interpretes exponunt.

13. *Pheltias filius Banaiæ.*] Hic vnus erat ex viginti quinque illis viris, qui Ieroſolymitanos ciues peruertebant, vt dixit ver. 1. Quare meritò quæri poteſt cur Ezechiel ob eius mortem dolens clamauerit. Reſpondet R. Dauid non eius cauſa, qui impius erat, doluiſſe: ſed quia, cùm princeps populi eſſet, ſubitóque eum mortuum eſſe vidiſſet, exiſtimauit omnem prorſus populum periturum. *Conſummationem facis?* per interrogationem legendum, id eſt, an perdes omnino omnes reliquias Iſraël? vt dixit ſuprà cap. 9. 8. contra quam per Ieremiam promiſiſti cap. 4. 27. & 5. 10.

15. *Fratres tui, viri propinqui tui.*] Incipit laudare, conſolatíque eos, qui ſe regi Babylonis ſponte tradiderant: promittit enim illis liberationem. Oratio eſt ſuſpenſa: ſunt enim multi nominatiui ſine verbo, Hebræorum more, Tota oratio ſic reſoluenda eſt Latinè, Fili hominis, fratribus tuis, fratribus (inquam) tuis, & propinquis, atque cognatis tuis, & omni domui Iſraël, vniuerſiſque, *quibus dixerunt habitatores Ieruſalem, longè recedite à Domino* (id eſt, ab Ieruſalem, vbi Dominus in templo ſuo habitat, itéque in captiuitatem) nobis enim hæc terra in poſſeſſionem data eſt: id eſt, in ea manebimus, nec ab ea Deus nos eiici patietur; his (inquam omnibus) quia eos inter gentes diſperſi, ero in ſanctificationem modicam. למקדש מעט. in ſanctuarium modicum in terris, ad quas venerunt. quaſi dicat, illi, qui Ieroſolymis manent, quíque exiſtimant ſe templum Ieroſolymitanum egregiè retinere, non habent templum, quia ſolos parietes ſine Deo habent, iam enim gloria mea inde receſſit, vt cap. præcedenti ver. 4. & 18. dictum eſt, & ab iſtis parietibus, quos retinetis, paulò pòſt eiiciemini. Illi autem, qui in captiuitate ſunt, quóſque vos putatis à templo diceſſiſſe, templum habent, quia me habent, qui ero illis in templum modicum, id eſt, ad breue tempus, tantiſper dum eos in patriam reduco.

17. *Loquere.*] iis, qui in captiuitate ſunt, vt eos conſolere. Hactenus Propheta vaticinatus fuerat iis, qui manſerant in Ieruſalem triſtia, nunc iubetur iis, qui in captiuitate, iucundam liberationem prædicere, quæ omnia eò ſpectant, vt ij, qui Ieroſolymis erant, audientes liberationem captiuis promitti, ſibi verò liberis captiuitatem denuntiari, ad pœnitentiam mouerentur.

18. *Et ingredientur illuc.*] Mutatio perſonæ: prius enim per ſecundam perſonam de iiſdem loquebatur, *Congregabo vos de populis, & adunabo de terris, in quibus diſperſi eſtis. Et auferent omnes offenſiones*, id eſt, idola quæ nunc in ea ſunt: idola enim offenſiones, & abominationes vocat, quia eos offendere faciebant, Deóque reddebant execrabiles, vt ſupra cap. 5. 11. & Ierem. cap. 4. 1. Hæc quamuis hiſtoricè de Ieruſalem à Propheta dicta ſint, longiùs tamen ſpectant ad Eccleſiam euangelicam, & reliquiarum Iudæorum ad eam reductionem.

Cur vocet idola offenſiones.

Prophetia de Ieruſalem.

19. *Et dabo eis cor vnum.*] id eſt, mihi ſoli deſeruiens, non item idolis. Nunc enim diuiſum quodammodo habent cor, quia & me, & idola colunt. Sic interpretatur R. Dauid, eodémque ſenſu vertit Chaldæus Paraphraſtes. Alij, *cor vnum*, id eſt, ſimplex vocari putant. quaſi dicat, faciam vt me ſimplici, ac ſyncero animo colant. Alij, *vnum* id eſt, amicum, atque conſentiens, quod in Chriſtianis D. Lucas in Actis cap. 4. ver. 32. factum fuiſſe ſcribit, *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.* Septuag. videntur pro אחד. legiſſe אחר alterum, verterunt enim, *ϗ δώσω αὐτοῖς καρδίαν ἑτέραν. Et dabo illis cor alterum.* id eſt, nouum; qui ſenſus magnopere mihi placet. Idem enim videtur dicere voluiſſe, cùm dixit, *cor vnum*, & cùm dixit, *ſpiritum nouum.* Confirmat hanc interpretationem quod Ezechiel cap. 36. 25. hanc eandem repetens ſententiam, non dixit, Dabo vobis cor vnum, ſed, *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* quamquam Ieremias cap. 32. 39. *Cor vnum, & viam vnam* dixit. Quid autem vocet cor alterum, & ſpiritum nouum declarat ſtatim, cùm dicit, *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.*

21. *Poſt offendicula.*] id eſt, idola, vt ver. 18. H. שקוציהם. abominationes eorum. idem enim ſignificat, quod תועבותיהם. quod ſtatim ſequitur, Cor autem ambulare dicitur metaphora Latinorum auribus duriſſima, Hebræis verò vſitata pro, eſſe propenſum. *Horum viam in capite ſuo ponam*, id eſt, eos pro meritis ſuis puniam. Frequens Hebraïſmus, vt ſuprà cap. 9. 10. & infrà cap. 16. 43. & cap. 22. 31.

Cor ambulare quid denotet.

23. *Et aſcendit gloria Domini.*] id eſt, imago illa electrina, quæ deſcripta eſt cap. 1. 26 27. & cap. 10. ver. 1. Ea enim vocatur gloria Dei cap. 2. 1. & cap. 3. 23. & cap. 8. 4. & cap. 9. 3. & cap. 10. 4. 18. 19. Dicitur autem aſcendiſſe, id eſt, diſceſſiſſe ab vrbe, & à templo, qua re diſceſſus Dei ſignificabatur. *Stetitque ſuper montem.* Is erat mons oliueti, vt Chaldæus Paraphraſtes, & R. Dauid, & R. Salomon interpretantur. In eo autem monte gloria Dei ſtetit, vt indicaret ſe in cœlum relicto templo recipere, vt ait Quimchi. Chriſtus ex eodem monte in cœlum aſcendit, Act. 1. 12. Poteſt etiam mons gentes barbaras, & incultas ſignificare, ad quas Dei gloria relictis Iudæis transferenda erat. Sicut Chriſtus dicit Mat. 21. 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti*, &c.

24. *Adduxítque in Chaldæam.*] Re quidem ipſa Propheta in Chaldæa erat: ſed quia ſpiritu in Ieruſalem ductus fuerat, eodem ſpiritu reducitur. *Ad tranſmigrationem*, id eſt, ad captiuos, qui ex Ieruſalem in Chaldæam tranſmigrauerant, vt verſu ſequenti, vt ſuprà cap. 3. 11. 15. & Ierem. cap. 28. 4. 6. & cap. 29. 1. 4.

CAPVT

CAPVT XII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 2 *Fili hominis in medio domus*
exaſperantis tu habitas: qui oculos habent ad videndum, & non vident: &
aures ad audiendum, & non audiunt: quia domus exaſperans eſt. 3 *Tu*
ergo fili hominis fac tibi vaſa transmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis
tranſmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conſpectu eorum, ſi fortè aſpiciant:
quia domus exaſperans eſt. 4 *Et efferes foras vaſa tua quaſi vaſa tranſmigrantis*
per diem in conſpectu eorum: tu autem egredieris veſpere coram eis, ſicut egreditur mi-
grans. 5 *Ante oculos eorum perfode tibi parietem: & egredieris per eum.* 6 *In*
conſpectu eorum in humeris portaberis, in caligine efferreris: faciem tuam velabis, & non
videbis terram: quia portentum dedi te domui Iſraël. 7 *Feci ergo ſicut præceperat*
mihi Dominus: vaſa mea protuli quaſi vaſa tranſmigrantis per diem: & veſpere perfodi
mihi parietem manu: & in caligine egreſſus ſum, & in humeris portatus in conſpectu
eorum. 8 *Et factus eſt ſermo Domini manè ad me dicens:* 9 *Fili hominis num-*
quid non dixerunt ad te domus Iſraël, domus exaſperans: Quid tu facis? Dic ad eos:
10 *Hæc dicit Dominus Deus. Super ducem onus iſtud, qui eſt in Ieruſalem, & ſuper*
omnem domum Iſraël, quæ eſt in medio eorum. 11 *Dic: Ego portentum veſtrum:*
quomodo feci, ſic fiet illis: in tranſmigrationem, & in captiuitatem ibunt. 12 *Et*
dux qui eſt in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem per-
fodient, vt educant eum: facies eius operietur, vt non videat oculo terram. 13 *Et*
extendam rete meum ſuper eum, & capietur in ſagena mea: & adducam eum in Baby-
lonem in terram Chaldæorum: & ipſam non videbit: ibique morietur. 14 *Et omnes*
qui circa eum ſunt, præſidium eius, & agmina eius diſpergam in omnem ventum & gla-
dium euaginabo poſt eos. 15 *Et ſcient quia ego Dominus: quando diſperſero illos in*
gentibus, & diſſeminauero in terris. 19 *Et relinquam ex eis viros paucos à gladio,*
& fame, & peſtilentia: vt enarrent omnia ſcelera eorum in gentibus ad quas ingredien-
tur: & ſcient quia ego Dominus. 17 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens.*
18 *Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede: ſed & aquam tuam in feſtina-*
tione & mœrore bibe, 19 *Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad*
eos qui habitant in Ieruſalē in terra Iſraël, panem ſuum in ſolicitudine comedent, & aquā
ſuam in deſolatione bibent: vt deſoletur terra à multitudine ſua, propter iniquitatem
omnium qui habitant in ea. 20 *Et ciuitates quæ nunc habitantur, deſolatæ erunt,*
terráque deſerta: & ſcietis quia ego Dominus. 21 *Et factus eſt ſermo Domini ad*
me dicens, 22 *Fili hominis, quod eſt prouerbium iſtud vobis in terra Iſraël? dicen-*
tium: In longum differentur dies, & peribit omnis viſio. 23 *Ideo dic ad eos: Hæc*
dicit Dominus Deus, Quieſcere faciam prouerbium iſtud, neque vulgò dicetur vltrà in
Iſraël: & loquere ad eos quòd appropinquauerint dies & ſermo omnis viſionis. 24 *Non*
enim erit vltrà omnis viſio caſſa, neque diuinatio ambigua in medio filiorum Iſraël.
25 *Quia ego Dominus loquar: & quodcunque locutus fuero verbum, & fiet, non pro-*
longabitur ampliùs: ſed in diebus veſtris domus exaſperans loquar verbum, & faciam
illud, dicit Dominus Deus: 26 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens:* 27 *Fili*
hominis, ecce domus Iſraël dicentium: Viſio quam hic videt, in dies multos: & in tem-
pora longa iſte prophetat. 28 *Propterea dic ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: Non*
prolongabitur vltrà omnis ſermo meus: verbum quod locutus fuero, complebitur, dicit
Dominus Deus.

SEDECIÆ captiuitatem vaſi tranſmigrationis ſignificat; futuram famem parcè edens & bibens prænuntiat. Quæ omnia citò ventura docet.

2. *In medio domus exaſperantis.*] id eſt, rebellis, בית המרי. vt ſuprà cap. 2. ver. 5. 6. 8. & c. 3. ver. 9. 26. 27. Domum autem vocat familiam, populum, gentem Iudæorum: quaſi dicat, inter homines rebelles, & immorigeros verſaris. *Qui oculos habent ad vidẽdum.* Videre & audire ambiguè ſumitur hoc loco. Nã priori loco ſignificat ſenſibus corporis percipere: ſecundo loco, animo cõprehendere, viſiſque & auditis morem gerere. Itaque non eſt hoc contrarium Chriſti ſententiæ, Matt. 11, 15. Illic enim audire non ſignificat ſenſu, ſed animo percipere.

3. *Fac tibi vaſa tranſmigrationis.*] id eſt, collige ſarcinas, quemadmodum colligi ſolent ab iis, qui ex vno loco in alium tranſmigraturi ſunt. כלי. vaſa inſtrumenta, & ſupellectilem vocat; ſicut Latini dicunt, Conuaſare. Vult non ſolum verbis: ſed etiam factis docere futuram illis captiuitatem imminere, vt, ſi non auditu, aſpectu ſaltem miſerabili tranſmigrationis moueantur. *Et tranſmigrabis.* וגלה. hoc verbum actiuè mihi videtur hoc loco accipi debere; non enim ſignificat migrare; ſed transferre ſarcinas ex vno loco in alium, vt explicatur ver. 4. *Per diem.* Interdiu, non noctu, vt te populus ſarcinas transferentem videre poſſit, vt explicatur verſu ſequenti. *Si fortè aſpiciant*, id eſt, vt experiar an hac ſaltem ratione animaduertant ſe rebelles eſſe, & ad pœnitentiam moueantur; vel, vt experiar, an aſpectu huius rei intelligant ſibi eſſe migrandum; populus enim rebellis & durus eſt, qui non verbis; ſed factis ac rebus moueri poteſt.

Etiam factis prophetat Ezechiel.

4. *Quaſi vaſa tranſmigrationis.*] id eſt, ſicut ſarcinæ tranſmigrantiũ efferri ſolent: portans alia in humeris, alia in manibus, alia in iumento. R. Dauid, habens baculum in manu, & ſaccum ſuper humeros. Alij, *quaſi vaſa tranſmigrationis*, id eſt, verè, non fictè, quod non probo. *Tu autem egredieris veſperi.* Hoc propterea fortaſſe dicit, quòd Sedecias, cuius hîc captiuitatẽ præmonſtrabat, vt verſu decimo declaratur, noctu effugit, 4. Reg. 25. 4. & Ierem. 39. 4. & 52. 7. *Sicut egreditur migrans*, fugiens ſcilicet, ac triſtis, vt interpretatur R. Dauid. Ego ſimpliciùs, *Sicut egreditur migrans*, id eſt, veſperi, vt dixit paulò antè. Solent enim qui ex vna domo in aliam demigrant, interdiu ſarcinas, & ſupellectilem transferre, ipſi verò noctu migrare.

5. *Perfode parietem.*] Ezechiel duas in hac parabola perſonas gerebat: Alteram hoſtis, muros vrbis perfodientis; alteram Sedeciæ, & populi fugientis. Eius domus vrbem ſignificabat: Vaſa tranſmigrationis ſpolia, quæ ab hoſtibus Babylonem tranferenda erant. *Et egredieris per eum.* per parietem perfoſſum, vt indicaret fore vt Sedecias non per portam vrbis: ſed per hoſtium horti regij, quaſi per anguſtum muri foramen effugeret, 4. Regum cap. 25. ver. 4. & Ierem. cap. 39. ver. 4. & cap. 52. ver. 7. Heb. והוצאת ב. & efferes per eum, ſub. ſarcinas tuas, vt explicatur verſu ſequenti.

6. *In humeris portaberis.*] Eodem modo Septuag. legerunt: atque ita Hebraïca, ſi puncta tollas, legi poſſunt תנשא. ſenſúſque eſt, vt alienis ipſe humeris portetur, ad ſignificandum fore vt ciues non ſponte ex vrbe; ſed vi exportati migrarent. Hebræi, Chaldæus Paraphraſtes, & Hieronymus actiue legunt תשא. In humeris portabis (ſarcinas tuas) ſicut in emigratione fieri ſolet. Hoc eſt quod dixit ver. 4. *Efferes foras vaſa tua, quaſi vaſa tranſmigrantis. In caligine efferêris.* Similiter hoc loco Hebræi actiuè legunt תוציא. efferes (ſub. ſarcinas tuas.) Septuaginta verò, Hieronymus, & Chaldæus verbo neutro, In tenebris egredieris.

egredieris. Senſus eſt multò melior. Nam Hebræorum interpretatio contraria eſt ſuperiori ſententiæ, verſ. 3 & 4. vbi Deus iuſſit Prophetam vaſa tranſmigrationis per diem efferre. Hæc autem conſentanea iis, quæ verſu 4. dicta ſunt. *Tu autem egredieris veſpere.* & iis quæ hoc loco ſequuntur: quamquam Hebræorum expoſitio ver. ſequenti confirmatur, vbi dicitur, בעלטה הוצאתי על כתף. In tenebris ſuper humeros extuli. Itaque poſſumus dicere verſu 3. & 4. iuſſum fuiſſe Prophetam maiores ſarcinas per diem efferre, hoc autem loco minorem aliquam, quales vltimo loco relinqui ſolent, ſuper humeros portare. Malo tamen הוצאתי. pro יצאתי. accipere vna coniugatione pro altera poſita. Nam ver. 12. dicitur de Sedecia, *In caligine egredietur, in humeris portabitur. Faciem ſuam velabit.* Sicut homo qui pudore affectus non vult videri, neque cognoſci. Significabat hoc fore, vt Sedecias excæcatus transferretur Babylonem, vt Hieronymus ait, & vt noctu fugeret; vt poſtea factum legimus, 4. Reg. cap. 25. 4. & Ierem. cap. 39. 4. & cap. 52. 7. *Quia portentum dedi te.* Poſui te quaſi ſignum rerum futurarum, ſpoliationis vrbis, migrationis ciuium, excæcationis, & captiuitatis regis.

7. *In humeris portatus.*] Heb. בעלטה הוצאתי על כתף. in tenebris extuli ſuper humeros, (ſarcinas meas) quod paulò antè interpretati ſumus.

9. *Numquid non dixerunt?*] Præteritum Hebraïcum pro futuro, id eſt, certum eſt fore vt dicant; cùm viderint te hæc facientem, Quid ſibi volunt iſta, quæ facis?

10. *Super ducem.*] Heb. הנשיא. ducis eſt onus hoc, id eſt, grauis & calamitoſa prophetia, vt Eſai. cap. 13. 1. & cap. 14. 25. 28. & cap. 15. 1. & cap. 17. 1. & cap. 19. 1. & cap. 21. 1. Ducem autem intelligit Sedeciam, quaſi dicat, Sedeciæ canitur hæc cantio. Itaque Septuag. per datiuum reddiderunt, τῷ ἄρχοντι καὶ ἀφηγουμένῳ. *principi & duci.* Chaldæus verò Paraphraſtes, & noſter interpres præpoſitionem על. contra, ſuper, de, quam Hebraïcè intelligi putauerunt, addidere. *Et ſuper omnem domum Iſraël.* Putant aliquid Iſraël hoc loco vocari eos, qui ex decem tribubus cum duabus in Ieruſalem mixti erant. Ego generaliter hoc nomen accipi arbitror, vt omnes duodecim tribus comprehendat, quemadmodum multis aliis locis adnotauimus.

11. *Sic fiet illis.*] Subita mutatio perſonæ Prophetis vſitata. Dixerat enim, *Ego portentum veſtrum.* Nunc dicit, *fiet illis*, id eſt, vobis. *Et in captiuitatem.* Addidit, *in captiuitatem*, ad differentiam Ioachin, & eorum, qui ſe cum illo regi Babylonis tradiderunt, 4. Regum cap. 24. ver. 15. Illi enim in tranſmigrationem iuerunt: ſed non in captiuitatem: quia non vi capti, ſed ſponte dediti ſunt. Quam differentiam Ieremias diligenter ſeruare ſolet Iechoniæ tranſmigrationem, Sedeciæ captiuitatem vocans.

12. *Dux.*] Sedecias, *Qui eſt in medio eorum*, qui nunc ſecurus eſt, & nihil timens, vt 4. Reg. 4. 13. *In medio populi mei habito*, id eſt, ſecurè, & ſine vllis inimiciciis. & Pſal. 109. 2. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* & Lucæ 4. 30. *Ille autem tranſiens per medium illorum ibat*, id eſt, ſecurus. Eſt enim Hebraïſmus. *In humeris portabitur.* אל כתף ישא. Septuag. & noſter interpres, & Hieronymus paſſiuè Hebraïſmus.
legunt ישא. portabitur. Chaldæus verò Paraphraſtes, & Hebræorum interpretes actiuè, portabit: vt ſuprà ver. 6. Vterque ſenſus rectè conuenit. Nam ſi paſſiuè legamus, ſenſus erit Sedeciam humeris ſuorum portatum fuiſſe dum fugeret, 4. Regum cap. 25. 5. & Ierem. cap. 39. 5. & cap. 52. 7. Quod quamuis ſcriptura non exprimat, tamen veriſimile eſt ſuorum humeris ſublatum

fuiſſe ſi

vtramque partem eius conſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam: numquid vtile erit ad opus?
5 *Etiam cùm eſſet integrum, non erat aptum ad opus: quantò magis cùm illud ignis deuorauerit & combuſſerit, nihil ex eo fiet operis?*
6 *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Quomodo lignum vitis inter ligna ſyluarum, quod dedi igni ad deuorandum, ſic tradam habitatores Ieruſalem.*
7 *Et ponam faciem meam in eos: de igne egredientur, & ignis conſumet eos: & ſcietis quia ego Dominus.*
8 *Cùm poſuero faciem meam in eos: & dedero terram inuiam & deſolatam: eo quòd præuaricatores extiterint, dicit Dominus Deus.*

SIMILITVDINE ligni vitis, quod nullam ad rem, niſi ad ignem vtile eſt, docet Iudæos igni exitióque tradendos.

2. *Ex omnibus lignis nemorum.*] id eſt, præ omnibus lignis ſylueſtribus, & infructiferis; qua in re lignum vitis, ſi fructum non ferat (hoc enim intelligendum eſt) lignis ſyluæ præſtabit; intelligenda eſt reſponſio, quæ ſtatim indicatur, Non ſolùm non præſtabit, ſed illis omnibus inutilius erit. Nam ligna ſylueſtria, quamuis fructum non ferant, tamen ad ædificandum, ad fabricandum, & vaſa facienda vtilia ſunt: lignum autem vitis, ſi fructum non ferat, ad nullam prorſus rem, niſi ad comburendum, vtile eſt. Nam ne paxillus quidem ex eo fieri poteſt, ex quo aliquid ſuſpendatur. Poſuit Hieronymus *Ex*, pro, præ, particula comparationis. Heb. מכל עץ præ omnibus lignis, vt Pſalm. 138.6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me* id eſt, præ me. Eſt autem elegantiſſima, & ad rem accommodatiſſima metaphora. Solet enim Deus populum Iudæorum vineam appellare, Iſai. 3.14. & 5.1.2.3.4.5.7. 10. & Iere. 2. 21. *Ego autem plantaui te vineam electam, & omne ſemen verum: quomodo conuerſa es in prauum vinea aliena?* & apud hunc ipſum Prophetam c.17.6. *Facta eſt ergo vinea, & fructificauit in palmites*: quia ergo expectauit vt faceret vuam, & fecit labruſcas, vt apud Iſaiã queritur c.1.5.4. comparat illum ligno infructuoſæ vitis, quod ad nullam rem vtile eſt, niſi vt in ignem coniiciatur. *Metaphora elegans.*

3. *Vt dependeat in eo quodcunque vas.*] aliquod domeſticum inſtrumentum, aliqua ſuppellex. Sæpe diximus nomen כלי. ſicut Græcè σκεῦος, & Latinè vas omne inſtrumentum & ſupellectilem ſignificare.

4. *Vtramque partem.*] H. את שני קצותיו. ambas extremitates eius conſumpſit ignis, id eſt, non ſolùm medietatem, ſicut in cæteris lignis, cõſumpſit, ſed etiam extremitates. Nam ex cæteris lignis extremitates, tiſionéſque aliqui manere ſolent, ex quibus aliquid operis, aut certè paxillus aliquis fieri poteſt, at ex ſarmentis, quia facillimè ardent, nihil manet.

7. *Et ponam faciem meam in eos.*] Suſcipiam contra eos inimicitias, toruo vultu intuebor eos, inimicè tractabo eos, vt ſupra cap. 12. 17. & 14. 8. *De igne egredientur, & ignis conſumet eos.* Oratio abſoluta pro conditionali, id eſt, ſi ex igne egreſſi fuerint, iterum in ignem coniiciam eos, vt omnino conſumantur: quemadmodum ſarmentorum extremitates, quæ media parte igni conſumpta manere ſolent, iterum in ignem coniicimus, donec omnino conſumantur. Alludit enim ad ſuperiorem metaphoram ſarmentorum. Ignem autem vocat afflictiones, vt Pſalm. 65. 12. *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

CAPVT XVI.

ET factus eſt ſermo Domini ad me dicens: 2 Fili hominis, notas fac Ieru-
ſalem abominationes ſuas, 3 & dices. Hæc dicit Dominus Deus Ieruſa-
lem: Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus,
& mater tua Chetæa. 4 Et quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus vmbi-
licus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis. 5 Non
pepercit ſuper te oculus, vt faceret tibi vnum de his, miſertus tui: ſed proiecta es ſuper
faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es. 6 Tranſiens autem per te,
vidi te conculcari in ſanguine tuo: & dixi tibi cùm eſſes in ſanguine tuo: Viue, dixi, in-
quam, tibi: in ſanguine tuo viue. 7 Multiplicatam quaſi germen agri dedi te: &
multiplicata es, & grandis effecta, & ingreſſa es, & peruenisti ad mundum muliebrem.
vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit: & eras nuda, & confuſione plena.
8 *Et tranſiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium: & ex-*
pandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi, & ingreſ-
ſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus: & facta es mihi. 9 Et laui te aqua. &
emundaui ſanguinem tuum ex te: & vnxi te oleo. 10 Et veſtiui te diſcoloribus: &
calceaui te hyacintho: & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. 11 Et ornaui te orna-
mento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. 12. Et de-
di inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.
13 *Et ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multis colori-*
bus. ſimilam & mel & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis: & profe-
cisti in regnum. 14 Et egreſſum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam:
quia perfecta es in decore meo, quem poſueram ſuper te, dicit Dominus Deus. 15 Et
habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo: & expoſuisti fornica-
tionem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres. 16 Et ſumens de veſtimentis tuis, fe-
cisti tibi excelſa hinc inde conſuta & fornicata es ſuper eis, ſicut non eſt factum, ne-
que futurum eſt. 17 Et tulisti vaſa decoris tui, de auro meo, atque argento meo,
quæ dedi tibi: & fecisti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis. 18 Et ſum-
pſisti veſtimenta tua multicoloria, & operuisti illas: & oleum meum, & thymiama
meum poſuisti coram eis. 19 Et panem meum quem dedi tibi, ſimilam, & oleum,
& mel quibus enutriui te, poſuisti in conſpectu eorum in odorem ſuauitatis, & factum eſt,
ait Dominus Deus. 20 Et tulisti filios tuos & filias tuas, quas generaſti mihi: &
immolaſti eis ad deuorandum. Numquid parua eſt fornicatio tua? 21 Immolaſti
filios meos, & dedisti illos conſecrans eis. 22 Et poſt omnes abominationes tuas &
fornicationes non es recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, quando eras nuda & confuſione
plena conculcata in ſanguine tuo. 23 Et accidit poſt omnem malitiam tuam (væ væ
tibi, ait Dominus Deus) 24 & ædificaſti tibi lupanar, & fecisti tibi proſtibulum in
cunctis plateis. 25 Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ: & abomi-
nabilem fecisti decorem tuum: & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti for-
nicationes tuas. 26 Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis, magnarum carnium:
& multiplicaſti fornicationem tuã ad irritandum me. 27 Ecce, ego extendam manum
meam ſuper te, & auferam iuſtificationem tuam: & dabo te in animas odientium te filia-
rum Paleſtinarum, quæ erubeſcunt in via tua ſcelerata. 28 Et fornicata es in filiis Aſ-
ſyriorum, eo quòd necdum fueris expleta: & poſtquã fornicata es, nec ſic es ſatiata. 29 Et
multiplicaſti fornicationem tuam in terra Chanáan cum Chaldæis: & nec ſic ſatiata es.
30 *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus: cùm facias omnia hæc opera mulieris*
meretri-

Digitized by Google

meretricis & procacis? 31 Quia fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ: &
excelſum tuum feciſti in omni platea: nec facta es quaſi meretrix faſtidio augens pretium.
32 ſed quaſi mulier adultera quæ ſuper virum ſuum inducit alienos. 33 Omnibus
meretricibus datur mercedes: tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona
donabas eis vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum. 34 Factúmque eſt in
te contra conſuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & poſt te non erit fornicatio: in
eo enim quod dediſti mercedes, & mercedes non accepiſti, factum eſt in te contrarium.
35 Propterea meretrix audi verbum Domini. 36 Hæc dicit Dominus Deus: Quia
effuſum eſt æs tuum, & reuelata eſt ignominia tua in fornicationibus tuis ſuper amatores
tuos, & ſuper idola abominationum tuarum in ſanguine filiorum tuorum quos dediſti eis:
37 Ecce, ego congregabo omnes amatores tuos quibus commiſta es, & omnes quos dile-
xiſti cum vniuerſis quos oderas: & congregabo eos ſuper te vndique, & nudabo ignomi-
niam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam. 38 Et iudicabo te
iudiciis adulterarum & effundentium ſanguinem: & dabo te in ſanguinē furoris & Zeli.
39. Et dabo te in manus eorum, & deſtruent lupanar tuum, & demolientur proſtibu-
lum tuum: & denudabunt te veſtimentis tuis, & auferent vaſa decoris tui: & derelin-
quent te nudam plenámque ignominia. 40 Et adducent ſuper te multitudinem, &
lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis ſuis. 41 Et comburent domos tuas
igni, & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum: & deſines fornicari, & mer-
cedes vltrà non dabis. 42 Et requieſcet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à
te, & quieſcam, nec iraſcar ampliùs. 43 Eo quòd non fueris recordata dierum adoleſ-
centiæ tuæ: & prouocaſti me in omnibus his: quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi,
ait Dominus Deus, & nō feci iuxta ſcelera tua in omnibus abominationib9 tuis. 44 Ecce
omnis qui dicit vulgò prouerbium, in te aſſumet illud, dicens. Sicut mater, ita & filia eius.
45 Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum ſuum, & filios ſuos: & ſoror ſororum tua-
rum es tu, quæ proiecerunt viros ſuos & filios ſuos: mater veſtra Cethæa, & pater veſter
Amorrhæus. 46 Et ſoror tua maior, Samaria, ipſa & filiæ eius quæ habitant ad
ſiniſtram tuam: ſoror autem tua minor te, quæ habitat à dextris tuis, Sodoma, & filiæ
eius, 47 Sed nec in viis earum ambulaſti: neque ſecundum ſcelera earum feciſti
pauxillum minus: pene ſceleratiora feciſti illis in omnibus viis tuis. 48 Viuo ego,
dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma ſoror tua ipſa, & filiæ eius, ſicut feciſti tu &
filiæ tuæ. 49 Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis
& abundantia, & otium ipſius & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porri-
gebant. 50 Et eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me: & abſtuli eas ſicut
vidiſti. 51 Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit: ſed viciſti eas
ſceleribus tuis: & iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata
es. 52 Ergo & tu porta confuſionem tuam, quæ viciſti ſorores tuas peccatis tuis, ſce-
leratiùs agens ab eis: iuſtificatæ ſunt enim à te: ergo & tu confundere, & porta ignomi-
niam tuam, quæ iuſtificaſti ſorores tuas, 53 Et conuertam reſtituens eas conuerſione So-
domorum cum filiabus ſuis, & conuerſione Samariæ & filiarum eius: & conuertam reuer-
ſionem tuam in medio earum, 54 vt portes ignominiam tuam, & confundaris in om-
nibus, quæ feciſti conſolans eas. 55 Et ſoror tua Sodoma, & filiæ eius reuertentur ad
antiquitatem ſuam: & Samaria, & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem ſuam: & tu
& filiæ tuæ reuertemini ad antiquitatem veſtram. 56 Non fuit autem Sodoma ſoror
tua audita in ore tuo, in die ſuperbiæ tuæ, 57 antequam reuelaretur malitia tua:
ſicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Pa-
læſtinarum, quæ ambiunt te per gyrum. 58 Scelus tuum & ignominiam tuam tu
portaſti, ait Dominus Deus. 59 Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi

ſicut deſpexiſti iuramentum, vt irritum faceres pactum. 60 *Et recordabor ego pacti*
mei tecum in diebus adoleſcentiæ tuæ: & ſuſcitabo tibi pactum ſempiternum. 61 *Et*
recordaberis viarum tuarum, & confunderis cùm receperis ſorores tuas te maiores cum
minoribus tuis: & dabo eas tibi in filias, ſed non ex pacto tuo. 62 *Et ſuſcitabo ego*
pactum meum tecum: & ſcies quia ego Dominus, 63 *vt recorderis, & confundaris,*
& non ſit tibi vltrà aperire os præ confuſione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ
feciſti, ait Dominus Deus.

PONIT Iudæis ante oculos Dei beneficia, & ipſorum ſcelera, comparans Ieruſalem cum vicinis gentibus: promittitque reſipiſcenti miſericordiam.

2. *Notas fac Ieruſalem*] per litteras, vt ait R. Dauid. Nam Propheta in Babylone erat. Idem iuſſit Iſaiam Deus facere, cap. 58. 1. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum & domui Iacob peccata eorum.*

3. *Radix tua.*] מכורותיך. quod Chaldæus Paraphraſtes, & omnes Hebræi interpretantur, Habitationes tuæ; putant enim מכורותיך pro מגורותיך. dictum eſſe, quod habitationes ſignificat, mutato ג in כ. vt adnotat R. Dauid; ſenſumque eſſe, mores tui eiuſmodi ſunt, vt inter Chananæos ſemper habitaſſe videare. Multò meliùs noſter interpres, & Sept. mihi videntur radicem vertiſſe. Significat enim מכורה. excisionem, poniturque pro prima redice atque origine, vnde Iudæi exciſi, id eſt, progeniti ſunt; & quam nunc vocat radicem, ſtatim generationem appellat. Porrò ſunt qui putent hoc ad Iudæorum genus, & originem referendum, quòd ex Abrahamo prognati eſſent, qui in Chananæorum terra habitauerit, in eáque natus fuerit Iſaac. Meliùs qui non ad genus, ſed ad morum ſimilitudinem referunt; quaſi dicat, iis moribus es, vt non ex Abrahamo, ſed Chananæis & Amorrhæis genita fuiſſe videaris; quemadmodum Chriſtus Iudæis dixit Ioan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis*; &, *genimina viperarum* apud Matthæum c. 23. 33. Chriſtus; apud Lucam cap. 3. 7. Ioannes appellauit. Iſaias quoque cap. 1. 10. Iudæorum principes, *principes Sodomorum*
Virgil. 4. Æneid. vocat. Ita de Ænea mulier illa apud nobilem Poëtam,

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hircanæque admorunt vbera tygres.

Hæc mihi non diſplicent: ſed videtur aliquid etiam aliud ſignificari, nempe primum populi Iudaïci nondum à Deo vocati ſtatum, & conditionem. quaſi dicat, antequam ego te, ô Ieruſalem, eligerem, ornarem, & vxorem ducerem, adeo barbara, & inculta eras, vt inter Chananæos, & Amorrhæos nata fuiſſe viderere. Hanc interpretationẽ, & argumentum ipſum præ ſe fert; agitur enim de prima Iudaïcæ gentis barbarie, déque Dei in illa excolenda beneficiis: & verba ſequentia confirmant, *In die ortus sui non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota.* Hoc enim barbararum eſt gentium. *Et mater sua Cethæa.* Chethææ mulieres inter alienigenas & barbaras fœminas, quas Salomon adamauit, numerantur, 3. Regum 11. 1.

4. *Et quando nata es.*] ומולדותיך & generationes tuæ, ad verbum, id eſt, natalitia tua. (ſub. ſic ſe habent) *in die ortus sui non eſt præciſus vmbilicus tuus.* Vocat generationes ea ſtudia, quæ recens natis infantibus adhiberi ſolent, vt quòd vmbilicus præcidatur, ac ligetur, quòd lauetur. *Et aqua non es lota in ſalutem.* למשעי. ſic etiam Sept. tranſtulerunt; quaſi legerint à verbo ישע. Senſuſque eſt valde cohærens; quaſi dicat, non es lota aqua vlla ſalutari, qua recens nati

infantes

infantes lauari ſolent. *Nec ſale ſalita*, id eſt, condita, vt caro tua ſolidaretur. *Hebræorum*
Hæc enim erat Hebræorum conſuetudo, quam etiam nunc retinent nonnullæ *conſuetudo.*
gentes; ſed ſimilis fuiſti infanti expoſitæ, cui nullum huiuſmodi miniſterium adhibetur, vt Ionathas interpretatur.

5. *Non pepercit ſuper te oculus.*] id eſt, nemo fuit, qui te ita abiectam, & expoſitam miſeraretur. Hanc phraſim ſuprà explicauimus cap. 5. ver. 11. & cap. 7. ver. 4. 9. & cap. 8. ver. 18. & cap. 9. ver. 5. & 10. *Sed proiecta es*, ſicut infantes expoſiti proiici ſolent. *In abiectione animæ tuæ.* id eſt, proiecta vt morerere; anima pro vita. Putat Chaldæus ad tempus illud hoc eſſe referendum, quo in *Anima pro vita.* Ægypto Hebræi adeo erant abiecti, vt eorum infantes occiderentur, aut proiicerentur; quod ſi aliquam ſimilitudinem veri habet, tamen non eſt neceſſarium: non enim hiſtoricè, ſed metaphoricè Propheta loquitur.

6. *Transiens autem per te:*] quaſi dicat, caſu inueni te, cùm te non quærerem, cùm iter facerem fortè incidi in te. Non quòd caſu eam inuenerit; nec enim prouidentiam, & prædeſtinationem tollit; ſed loquitur humano more, vt indicet ſe non indiguiſſe populo, nihílque cauſæ habuiſſe, vt illum quæreret. *Vidi te conculcari in ſanguine tuo* מת· וססת. conculcatam, vel, inuolutam, vel, contaminatam, inquinatam ſanguine tuo, quem ex ventre matris tuæ traxeras. Adhuc enim in te hærebat, quia non fueras lota aqua ad ſalutem, vt dixit ver. 4. Perſiſtit enim in eadem metaphora. Nihil autem aliud ſignificat, In ſanguine *In ſanguine* fuiſſe, quàm fuiſſe barbaram, incultam, miſerabilem, beneficiorum Dei ex- *eſſe quid ſignificet.* pertem: myſticè autem plenam fuiſſe peccatis, & adhuc peccatum ipſum originis, tanquam ſanguinem ex vtero matris tractum in ea hæſiſſe. *Et dixi tibi, viue*, id eſt, feci te viuere, cùm omni auxilio deſtituta eſſes, mortíque expoſi- *Hebraiſmus.* ta. Hebraïſmus eſt, *Dixi. Viue*, pro, viuere te feci.

7. *Multiplicatam.*] id eſt, multiplicaui te ſicut herbam, quæ germinat in agro. H. רבבה כצמח השדה נתתיך Decem millia ſicut germẽ agri dedi te. ad verbũ; id eſt, incredibilter, & in immenſum multiplicaui te. Solent enim Hebræi dicere רבבה. decem millia, pro rebus innumerabilibus, vt Pſal. 67. 18. *Currus Dei* *Pſalmi locus* *decem millibus multiplex.* id eſt, currus Dei innumerabiles. Hoc eſt, quod dicitur *expoſitus.* Exod. 1. 7. *Filij Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleuerunt terram. Et ingreſſa es, & peruenisti ad mundum muliebrem.* Heb. ותבאי בעדי עדיים & perueniſti ad ornamẽta ornamentorũ, ad verbũ, vel, vt alij vertunt, Ingreſſa es in ornamento ornamentorum. Ornamentum autem ornamẽtorum R. Dauid ea ornamenta, vaſaq; aurea, & argentea vocari putat, quæ mulieres Hebrææ ab Ægyptiis acceperunt. quaſi dicat, pretioſa ornamenta meo conſilio, & ſtudio obtinuiſti Alij nimis allegoricè ornamentum ornamentorum legem intelligunt. Alij naturalem corporis pulchritudinem, quaſi dicat, pulchra facta es. Hieronymus, & R. Ioſeph, quibus ego meam ſententiam adiungo, per ornamentum ornamentorum, nihil aliud intelligunt, quàm mẽbra corporis iam ad nuptias matura, vt ſtatim explicatur. Vocat autem ornamentum ornamentorum, quia iis in locis ornamentorum ſedes eſt: vel, perueniſti ad ornamentum ornamentorum, id eſt, ad eam ætatẽ. quæ pretioſiſſima amat ornamenta. Sept pro עדי עדים. legerunt ערי ערים. propter litteras ד. & ר. ſimilitudinem. Verterunt enim, Ciuitates ciuitatũ. *Vbera tua intumuerunt.* נכונו. parata ſunt vel efformata, noſter interpres ſenſum reddidit. Eſt autem tumor vberum in puellis nubilis ætatis ſignum, ſicut quod ſequitur. *Pilus tuus germinauit.* pubes, quæ viris quartodecimo, fœminis duodecimo ætatis anno naſci

ſolet: honeſto enim verbo rem turpem declarauit. *Et eras nuda*. Cùm ea ætate eſſes, quæ maximè ornari amat, *eras nuda, & confuſione plena*. ועריה. & diſcooperta. Sept. καὶ ἀσχημονοῦσα, ſicut Hieronymus, pudibunda; reſpexerunt enim ad ſenſum.

8. *Et tranſiui per te.*] Eandem vim habet, quam ſuprà ver. 6. *Et ecce tempus tuum*, ætas tua erat ætas procorum, quo tempore proci nuptias ambire ſolent. quaſi dicat, iam nubilis eras, & nemo te, quia nuda eras, & miſera, ducere volebat; ego autem veſtiui te, atque vxorem duxi. Hoc eſt, quod dicit, *Expandi amictum meum ſuper te*. Erat enim matrimonij ritus, aut futuri certè matrimonij ſponſio, ſi vir fœminam pallio ſuo texiſſet, ſicut Ruth dixit Booz cap. 3. ver. 9. *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam; quia propinquus es*. Sic R. Dauid interpretatur. *Et iuraui tibi*. Sicut ſponſus ſponſæ iurare ſolet ſe eam vxorem ducturum. *Et ingreſſus ſum pactum tecum*. Hæc emphaſin habent, perinde ac ſi diceret, ego Deus, qui bonorum tuorum non indigeo, non ſum dedignatus *tecum*, id eſt, cum paupere, nuda, & miſerabili puella nuptias paciſci. *Et facta es mihi*. facta es vxor mea, quod aliàs ſine metaphora ſolet dicere, facti mihi eſtis in populum.

9. *Laui te.*] Abſterſi ſordes paupertatis, & originis tuæ, & pulchram effeci. Myſticè laui te à peccatis aqua gratiæ meæ.

10. *Diſcoloribus.*] רקמה. veſtem acu pictam interpretantur Hebræi, Latini veſtem Phrygiam appellant. *Et calceaui te hyacintho*. Sic non ſolùm Septuag. ſed etiam, vt ait Hieronymus, Symmachus; Aquilas, & Theodotio tranſtulerunt, quod Hebraicè eſt תחש. quod Hebræi pellem taxi animalis diuerſi coloris maculis diſtinctam ſignificare dicunt, quibus pellibus tabernaculum opertum erat, Exodi 25. 5. & Numer. 4. 25. ex corio igitur eius animalis dicit ſe calceos ſponſæ ſuæ confeciſſe, quia pretioſi erant, & pulchri. *Et indui te ſubtilibus*. veſtibus, H. משי. quem R. Dauid pannum ſerycum eſſe dicit.

11. *Et ornaui te ornamento.*] multiplici ornamentorum genere. Hæc omnia, quæ ſequuntur vſque ad verſum. 14. nihil aliud ſignificant, quàm populum Iudaicum ex barbaro, Dei beneficio, maximè autem data lege factum eſſe ciuilem elegantem, nobilem; quamquam Chaldæus Paraphraſtes ſingula verba conatur ad ſingula Dei beneficia accommodare. *Dedi*. poſui, ואתנה. *In manibus tuis*. manus vocat eam partem brachij, quæ manui proxima eſt. Hiſpani *munnecam* à manu vocant, quaſi manicam. ea enim parte, vt ex multis ſcripturæ locis colligitur, ſolebant mulieres Hebrææ aureas, & argenteas armillas ferre, quemadmodum hodierno die in Hiſpania, & Africa fieri videmus.

12. *Et dedi inaurem ſuper os tuum.*] Sunt qui putent Hebræas mulieres ſolitas circulos aureos, vel argenteos ex fronte in naſum dependentes geſtare, hóſque hoc loco ſignificari. Sed id eſt incertum; quamquam lunulas geſtaſſe legimus, apud Iſai. cap. 3. ver. 18. Itaque malo ſimpliciter exponere, vt inaurem vocet quos ſtatim circulos appellat. vtrumque enim Hebraicum verbum. נזם. & עגילים. idem prorſus ſignificat. Vocat autem aures os, quia circa os ſunt, ſicut paulò antè brachia vocauit manus. Eſt ergo eiuſdem ſententiæ diuerſis verbis facta repetitio.

13. *Polymito.*] Polymita veſtis idem eſt, quod veſtis diuerſi coloris, quod ſtatim ſequitur. Hoc autem loco eſt משי. quod ſericam veſtem ſignificat, vt ait R. Dauid, vt diximus verſu 10. Septuag. verterunt τρίχαπτα ſubtili veſte. Quod autem ſequitur. *Et multis coloribus*. Hebr. eſt רקמה. id eſt, veſte acu picta,

vt

vt verſu 10. Quam Hiſpani ſumpto ex Hebræis, aut ex Africanis vocabulo, quorum lingua Hebraïcæ ſimilis eſt, *Recamado* vocant. *Similem & mel*, id eſt, non glãdes, non capas Ægypti; ſicut cùm adhuc barbara eſſes & inculta; ſed delicatum cibum, vt nobilis. *Et decora facta es*, id eſt, digna regno vt ſtatim ſequitur; ſicut poëta ille Græcus dixit, Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. *Et profeci in regnum*. H. ותצלחי למלוכה. & proſperè egiſti vſque ad regnum, id eſt, adeo proſperè omnia tibi mea prouidentia ſucceſſerunt, vt regi nupſeris, reginaque facta ſis. Cùm enim priùs reges non haberes, reges tibi dedi. Solet autem rex marito, populus vxori comparare, vt Thren. 1. 1. *facta eſt quaſi vidua domina gentium*, id eſt, orbata rege tanquam vxor marito.

Euripides ex Athenæo, & Porphyrio. Primum quidem facies digna imperio.

14. *Et egreſſum eſt nomen tuum.*] id eſt, peruenit fama tua ad omnes gentes propter pulchritudinem tuam, pulchritudinem vocat politiam & rectam Reipublicæ adminiſtrationem, quam regina Saba magnopere admirata eſt.

15. *Et habens fiduciam*] quaſi dicat, nimia fœlicitas, quæ te in meo cultu continere debuiſſet, à meo cultu auertit, & ad idololatriam incitauit. *Sedit enim populus manducare, & bibere; & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32. 6. *In nomine tuo.* propter famam tuam, quæ ad omnes gentes peruenerat. Eâ enim excitati multi ad te ex remotis nationibus veniebant, qui te paulatim idololatriam docuerunt: aut, *In nomine tuo*, id eſt, contra nomen tuum; quaſi dicat, fornicando nomen tuum contaminaſti, & cùm priùs clarum eſſet, obſcurum reddidiſti. *Vt eius fieres.* Heb. לו יהי. Illi erit, ad verbum. R. Dauid ſic interpretatur, *expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti*. id eſt, quicunque veniret, qui nouum idolum afferret, illud colebas, & ad illud ſtatim deſiderium tuum ferebatur. Chaldæus Paraphraſtes pro, לו. videtur legiſſe לא. vertit enim. Et non decebat te ita facere, quem nonnulli alij interpretes ſecuti ſunt. Ego malo ſic interpretari, *expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti*. לו יהי. illi erat, id eſt, cui aliquid erat. Hebraïſmus: quaſi dicat, fornicabaris cum omni tranſeunte, quid aliquod habebat idolum; quod poſſes colere. Hic ſenſus clariùs explicatur infrà verſu 25.

Hebraïſmus.

16. *Feciſti tibi excelſa.*] Excelſa hoc loco non vocat aras, vt putant multi: ſed idola, vt Septuag. tranſtulerunt, & vt Hieronymus interpretatur. Quo enim modo aras ex veſtibus confeciſſent? Idola autem fecerunt, id eſt, ornarunt, vt declaratur verſu 18. Siue re vera ita fecerint, & ex pretioſa veſte, quam ex opibus, quas à Deo acceperant, fecerant, ornamenta fecerint idolorum: ſiue metaphoricè, quòd quas ritus, quaſque ceremonias à Deo, vt ipſum colerent, accepiſſent; ad colenda idola conuertiſſent. *Hinc inde conſuta.* טלאות. Hebræi interpretantur diuerſicoloris. quaſi dicat, feciſti quod libidinoſiſſimæ meretrices facere ſolent, quæ ipſæ ſuis ſumptibus eleganter amatores ſuos veſtiunt, vt cum illis maiore cum voluptate concumbant. *Sicut non eſt factum, neque futurum eſt.* Hebr. לא באות. non venient. ולא יהיה, & non erit. Quod R. Dauid interpretatur. Non erunt ſimilia idola vnquam, nec erit quiſquam homo, aut populus (qui talia faciat.) Septuag. videntur pro באות. legiſſe באת. verterunt enim καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃς, & non ingredieris. Ego Hieronymum optimè omnium vertiſſe arbitror. Nam etſi verbum è verbo non reddidit, tamen verum ſenſum reddidit. Sic enim interpretor. לא באות. non venerunt, id eſt, numquam fuerunt, ſimilia idola, ולא יהיה. & non erit vnquam vllum idolum illis ſimile.

17. *Vaſa decoris tui.*] id eſt, inſtrumenta pulchritudinis tuæ, aut gloriæ tuæ: ſic

vocat

vocat armillas, inaures & omnia aurea, & argentea mulierum ornamenta. Sæpe enim diximus & ab Hebræis, & à Græcis, & à Latinis omnia cuiuſque rei inſtrumenta vaſa vocari. *Et feciſti imagines maſculinas.* Quemadmodum ſalaciſſimæ mulieres non contentæ viris ſuis; ipſæ ſibi imagines viriles fingunt, quibuſcum ſuam libidinem exſatient.

18. *Oleum meum.*] Quod ego tibi dederam, ſicut dixit verſu præcedenti, *de auro meo, atque argento meo quæ dedi tibi*: vel, *Oleum meum, & thymiama meum,* id eſt, quod mihi offerre debebas. *Poſuiſti coram eis,* id eſt, obtuliſti illis. Hebraïſmus, & alluſio ad lucernas, & oleum Leuit. 24. 4. *Super candelabrum mundiſſimum, ponentur ſemper in conſpectu Domini.* eandem phraſim repetit verſu ſequenti. — *Hebraïſmus.*

19. *Et factum eſt.*] Ita ſe res habet vt dixi, neque id negare potes, quia ego Dominus ſcio, ita R. Dauid interpretatur. Eodem ſenſu per interrogationem Chaldæus vertit, Nonne facta ſunt omnia hæc?

20. *Quas generaſti mihi.*] Tanquam vxor marito. ego enim tanquam maritus filios, & filias tibi dederam, id eſt ex te ſuſceperam. ſic enim ſcriptura loquitur Geneſ. 30. 1. *Da mihi liberos,* (inquit Rachel) *alioquin moriar.* Vel filios, quos mihi dare debuiſti; mihi enim eos genueras, idolis dediſti; contrà omnino quàm aliæ adulteræ facere ſolent. Nam aliæ filios adulteri marito ſuo ſupponunt: tu filios meos, id eſt, mariti tui idolis tanquam adulteris ſuppoſuiſti. *Ad deuorandum*, vt igne conſumerentur, ſic enim ſolebant filios ſuos idolis immolare, 4. Reg. 16. 3. & c. 17. 17. & c. 21. 6. & c. 23. 10.

21. *Et immolaſti.*] ותשחטי. & mactaſti. Filios meos, quos ego tibi dederam: vel; quos tu mihi dare debebas, quos mihi genueras, vt dixit verſu præcedenti. *Et dediſti illos conſecrans eis.* Hebr. בהעביר ad traiiciendum eos per ignem idololatrarum ritu, 4. Regum 16. 3. & 17. 17. 31. & 21. 6. & 23. 10.

23. *Væ væ tibi.*] Aliqui verba ita coniungunt, Accidit tibi væ væ, id eſt, magna miſeria, & infælicitas, poſtquam malitiam tuam expleſti: facientes hunc vnum verſum, ſicut Hebræi, & Chaldæus, & Septuag. faciunt. quamquam hæc verba *væ væ*, vt Hieronymus adnotat, vulgata olim editio non habebat; ſed de Theodotionis tranſlatione ſumpta fuerunt. Alij, & ſic accidet poſt omnem malitiam tuam væ væ, id eſt, vt ſis nuda, & diſcooperta, ſicut in adoleſcentia tua fuiſti. Alij cum verſu ſequenti iungunt, & ex duobus vnum faciunt interpoſitis per parentheſin his verbis (Væ Væ tibi) Accidit tibi poſt omnem malitiam tuam, vt ædificares tibi lupanar, & proſtibulum. Hebr. גב. & , רמה. quod vtrumque nomen excelſum ſignificat, & Hebræi aram interpretantur, dicitque R. Dauid eſſe repetitionem. Septuag. priori loco οἴκημα πορνικόν, id eſt, fornicem, poſteriori ἔκθεμα, proſtitutionem tranſtulerunt. Symmachus, & Theodotio, vt Hieronymus refert priori loco πορνεῖον. Aquila βόθυνον ganeam; poſteriori loco omnes illi tres, excelſum verterunt. *In cunctis plateis*; id eſt, in omnibus locis publicis, vt impudentiſſimæ meretrices facere ſolent.

25. *Ad omne caput viæ.*] in omni biuio, triuio, quadriuio. Alludit ad conſuetudinem proſtitutarum meretricum, quæ in biuiis, & triuiis ſedent, vt omnes prætereuntes ad libidinem inuitent. Sic legimus Thamar more meretricum in biuio ſediſſe, quà Iudas iturus erat, Geneſ. 38. 14. *Ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ*, id eſt, tuguriolum, ſublato ſigno, vt qui præterirent agnoſcerent eſſe ibi meretricem, quemadmodum tabernæ vinariæ hedera appendi ſolet. faciunt hoc alicubi etiam hodierno die perfrictæ frontis ſcorta. H. eſt בנת רמך. ædificaſti excelſum, id eſt, aram. idem nomen quod verſu ſuperiori. *Et abominabilem*

tam perſpicuè euenient, vt nemo poſſit ambigere impletam eſſe prophetiam.
H. מקסם חלק. Quod Hebræi interpretantur, Non erit diuinatio blanda, id
eſt, non erunt Pſeudoprophetæ, qui populo blanda loquantur, cúmque deci-
piant. Eodémque ſenſu Chaldæus Paraphraſtes, & Septuag. verterunt. Sed
verſio, & interpretatio Hieronymi melior eſt: Quòd enim non loquatur Deus
de pſeudoprophetis: ſed de ſuis, ac veris, conſtat ex verſu ſequenti. *Quia ego
Dominus loquar, & quodcumque locutus fuero verbum, & fiet.*

25. *In diebus veſtris.*] id eſt, quæ in diebus veſtris per Prophetas meos prædi-
xero, antequam moriamini, euenient. *Domus exaſperans.* בית המרי. domus re-
bellis, vt ſuprà ver. 2. & 3.

CAPVT XIII

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 2 *Fili hominis, vaticinare ad
Prophetas Iſraël, qui prophetant: & dices prophetantibus de corde ſuo: Au-
dite verbum Domini.* 3 *Hæc dicit Dominus Deus: Væ Prophetis inſi-
pientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.* 4 *Quaſi vulpes in deſertis,
Prophetæ tui Iſraël erant.* 5 *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum
pro domo Iſraël: vt ſtaretis in prælio in die Domini.* 6 *Vident vana, & diuinant
mendacium, dicentes: Ait Dominus: cùm Dominus non miſerit eos: & perſeuerauе-
runt confirmare ſermonem.* 7 *Numquid non viſionem caſſam vidiſtis, & diuina-
tionem mendacem locuti eſtis? & dicitis, Ait Dominus, cùm ego non ſim locutus.*
8 *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti eſtis vana, & vidiſtis menda-
cium: ideò ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus:* 9 *Et erit manus mea ſuper Pro-
phetas qui vident vana: & diuinant mendacium: in concilio populi mei non erunt, &
in ſcriptura domus Iſraël non ſcribentur, nec in terram Iſraël ingredientur: & ſcietis
quia ego Dominus Deus.* 10 *Eo quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax,
& non eſt pax: & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis.*
11 *Dic ad eos qui liniunt abſque temperatura quod caſurus ſit: erit enim imber inun-
dans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem.*
12 *Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis, Vbi eſt litura quam li-
niſtis:* 13 *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Et erumpere faciam ſpiritum tem-
peſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes
in ira in conſumptionem.* 14 *Et deſtruam parietem quem liniſtis abſque tempera-
mento: & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fundamentum eius: & cadet, & conſu-
metur in medio eius: & ſcietis quia ego ſum Dominus.* 15 *Et complebo indignatio-
nem meam in pariete, & in his qui liniunt eum abſque temperamento, dicámque vobis:
Non eſt paries, & non ſunt qui liniunt eum.* 16 *Prophetæ Iſraël qui prophetant ad
Ieruſalem, & vident ei viſionem pacis: & non eſt pax, ait Dominus Deus.* 17 *Et
tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo: &
vaticinare ſuper eas.* 18 *& dic, Hæc dicit Dominus Deus: Væ qui conſuunt pul-
uillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capien-
das animas: & cùm caperent animas populi mei viuificabant animas eorum.* 19 *Et
violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interfi-
cerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes po-
pulo meo credenti mendaciis.* 20 *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce, ego
ad puluillos veſtros quibus vos capitis animas volantes: & diſrumpam eos de brachiis ve-*

8. *Ecce ego ad vos.*] Venio vt vos puniam, vt infrà cap. 21. 3. *Ecce ego ad te, & eiiciam gladium meum de vagina ſua.* & cap. 34. 10. *Ecce ego ipſe ſuper paſtores.* vel vt interpretatur R. Dauid. *Ecce ego ad vos*, id eſt, ponam contra vos faciem meam in malum, & non in bonum. vt Ierem. 21. 10. & cap. 44. 11. Et phraſi paululum immutata Amos 9. 4. *Ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum.*

9. *Et erit manus mea.*] plaga mea, vt Chaldæus interpretatur. Sept. clariùs vno addito verbo, ἐκτενῶ τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τοὺς Προφήτας. *Extendam manum meam ad Prophetas. In concilio populi mei non erunt.* Non cenſebuntur in populo meo: vel, vt Chaldæus Paraphraſtes, & R. Dauid exponunt, non erunt participes ſecreti boni, quod ego populo meo reſeruo. סוד. enim quod hîc Hebraicè legitur, ſecretum ſignificat. *Et in ſcriptura domus Iſraël*, Chaldæus, & R. Dauid interpretantur, In libro vitæ non ſcribentur, in quo ſcripti ſunt iuſti domus Iſraël. Ego ſimpliciùs expono, non ſcribentur in catalogo Iſraël. quaſi dicat, non reuertentur ex captiuitate in Iſraël, vt ſtatim exponit. Cum enim populus ex captiuitate reuerteretur, recenſitus eſt, atque in catalogum relatus, vt apparet lib. 1. Eſdræ c. 2. *Nec in terram Iſraël ingredientur.* Non reuertentur ex captiuitate in terram ſuam, explicat quæ paulò antè dixerat.

10. *Dicentes, pax.*] inanem ſecuritatem populo promittentes, vt apud Ieremiam cap. 4. 10. & cap. 6. 14. & cap. 8. 11. *Et ipſe*, populus, vt nonnulli exponunt, *ædificabat parietem*, id eſt, promittebat ſibi ſecuritatem, (paries enim domus ſecuros nos ab hoſtibus reddit) Prophetæ verò *linebant eum luto abſque paleis*, id eſt, confirmabant populi ſecuritatem falſis, infirmíſque rationibus; Quemadmodum enim lutum ſine paleis ſuperueniente pluuia facilè labeſit, ſic omnes pſeudoprophetarum rationes, quibus pacem populo confirmabant, bello ingruente labefactatæ ſunt. quaſi dicat, pſeudoprophetæ loquebantur populo placentia, & vt dicit Comicus, ſi aiebat, aiebant: ſi negabat, negabant. Alii violentè mihi videntur interpretari, *ipſe*, id eſt, vnus ex ipſis Prophetis, princeps pſeudoprophetarum, alij verò linunt. Porrò nomen תפל, quod noſter interpres vertit, *Abſque paleis*, Septuaginta, & Theodotio ἀφροσύνην, ſtultitiam, propriè ſignificat inſulſum, ſine ſale, quemadmodum auctore Hieronymo Aquila vertit, quia, vt cibus ſine ſale non habet ſaporem, ſic lutum ſine paleis non habet firmitatem, vt ait R. Dauid; vel, vt ego arbitror, quia, vt caro, ſine ſale non eſt ſolida, & firma, ſic nec lutum ſine paleis.

11. *Abſque temperatura.*] ſine paleis תפל, vt verſu præcedenti, ſed noſter interpres orationem variare voluit. *Quod caſurum ſit.* paries, quem ædificant, id eſt, ſecuritas, quam promittunt, peritura. H. תפל ויפל, qui ædificant (parietem) ſine paleis, & cadet id eſt, parietem ſine paleis ruiturum. *Erit enim imber inundans.* H. היה גשם. Erit imber, Hæc ſunt verba, quæ iubet Deus Prophetam dicere. Imbrem inundantem vocat exercitum Chaldæorum, vt Ierem. 47. 2. *Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt quaſi torrens inundans: & operient terram, & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius.* ſimilis metaphora Iſa. 8. 7. & 17. 13. *Et lapides prægrandes.* H. אבני אלגביש. Hebræi interpretantur lapides grandinis, Noſter interpres ſemper vertit lapides magnos, vt hoc loco, & v. 13. & c. 38. 22. Sept. λίθους πετροβόλους, lapides, qui iactãtur, lapides vocat duces exercitus, ſicut militum multitudinem vocauit imbrem. *Et ventum procellæ*, ventum procelloſum omnia deiicientem ita videtur regem ipſum Babylonis appellare. Hic eſt ventus turbinis, quẽ Propheta c. 1. v. 4. ſe vidiſſe ab Aquilone venientem.

12. *Siquidem ecce cecidit.*] והנה נפל & ecce cecidit paries, id eſt, corruit malè firmata illa ſecuritas, quam ſibi populus, Prophetæque pollicebantur. *Numquid non dicetur vobis?* id eſt, nónne tunc hoſtes irridebunt vos, interrogabúntque, vbi ſit fiducia & ſecuritas veſtra?

13. *Propterea.*] vt cadat paries, & ab hoſtibus irrideamini. *Et erumpere faciam. Et*, redundat. *ſpiritum tempeſtatum*, ſpiritum procellæ, vt dixit verſu 11. id eſt, ventum procelloſum & vehementem.

14. *Et conſumemini.*] H. וכליתם. & conſumemini in medio eius, fundamenti, vt apparet ex genere fœminino Hebraïcè, vocat autem fundamentum parietis, id eſt, ſecuritatis ipſorum, Ieroſolymitanam vrbem, in qua omnem ſuam fiduciam collocauerant. In medio igitur eius vrbis, in qua maximè confidebant, trucidandos eſſe dicit. Sept. verterunt, καὶ συντελεσθήσεσθε μετ' ἐλέγχων, *& conſumemini cum increpationibus*, quaſi legerint בתוכחה, pro בתוכה.

15. *Et complebo.*] Exſatiabo iram meam in demoliendo pariete, quem ædificaſtis, effundámque indignationem meam aduerſus Prophetas, qui linunt eum. *Dicámque vobis*, irridens, *Non eſt paries*, affirmatio pro interrogatione. Vbi eſt paries, & vbi ſunt qui illum incruſtabant? quaſi dicat, perierunt.

16. *Prophetæ Iſraël.*] Appoſitio eſt cum ſuperiori verſu iungenda, *Non ſunt qui linunt eum, Prophetæ* ſcilicet *Iſraël*, qui prædicunt illi pacem, cùm non ſit pax.

Frequens Hebraiſmus.

17. *Pone faciem tuam.*] id eſt, audacter, ac liberè loquere; aut ſimpliciter, Conuerte te, vt alij interpretantur. frequens Hebraïſmus, vt ſuprà cap. 6. 2. & infrà cap. 21. 2. *Contra filias populi tui.* Contra prophetiſſas, quæ populum ſeducunt prædicentes commenta animi ſui, non Dei verba. Sunt qui putent prophetiſſas appellari hic viros molles, & effœminatos, qui falſa vaticinabantur. Sed veroſimilius eſt, vt Hieronymus ait, fuiſſe fœminas, quæ Dei ſpiritum ementirentur, imitarentúrque veras prophetiſſas qualis fuit Debora, in libro Iud. cap. 4. 4. & Holda 4 Reg. 22. 14. & filiæ Philippi, Act. 21. 9. quemadmodum viri pſeudoprophetæ veros Prophetas imitabantur.

Fabula R. Dauid.

18. *Væ quæ conſuunt.*] Sic legendum genere fœminino, vt Hebraïcè legitur, & vt Hieronymus, & Septuaginta verterunt, & vt res ipſa poſtulat; de fœminis enim agitur. Fabulatur hoc loco Rab. Dauid, eúmque nonnulli, qui Chriſtiani dici volunt, imitantur ſolitos fuiſſe mulieres illas fatidicas iis, qui ſe de rebus futuris conſulebant, re vera puluillos ſub cubitum aſſuere, & ceruicalia capiti ſupponere, quaſi ea ratione idonei redderentur ad percipienda vaticinia. Hoc ego Rabbinicum commentum eſſe arbitror. Quis enim non videt idem nunc de fœminis dici, quod paulò antè de viris dictum eſt? Quemadmodum ergo viri non linebant re ipſa parietem, quem populus ædificabat: ſed ea metaphora adulatio ſignificatur: ità fœminæ prophetiſſæ non conſuebant re vera puluinaria; ſed metaphoricè conſuere dicuntur, quia blanda, iucundáque populo vaticinabantur. vtraque igitur metaphora idem ſignificat; ſed ideo variatur, vt ad perſonas accommodetur, ædificare enim, & parietes incruſtare non fœminarum, ſed virorum officium eſt, ideo non mulieres, ſed viros parietem incruſtare dixit. Contrà verò puluillos, & ceruicalia ſuere, non virorum, ſed fœminarum eſt; quare non viros, ſed fœminas hoc dicit facere. *Ad capiendas animas.* ad fallendos homines falſa ſpe futuræ pacis. *Et cùm caperent*, id eſt, cùm perderent, dicebant ſe viuificare, aut vitam illis promittendo perdebant. Hebræi per interrogatio-

nem

Digitized by Google

nem legunt. הנפשות תצודדנה לעמי ונפשות לכנה תחיינה. An animas capient populi mei, & animas ſuas viuificabunt, quaſi dicat, non. Sed quemadmodum ipſæ animas populi mei perdiderunt, ita ego animas earum perdam.

19. *Et violabant me ad populum meum.*] id eſt, delinquebant in me coram populo meo, dicentes, Hæc dicit Dominus, cùm ego non dixiſſem, méque mendacem quodammodo facientes. Sunt qui per interrogationem interpretentur, ſicut poſtrema verba ſuperioris verſus. An contaminabunt me coram populo meo (ſub. impune? non) *Propter pugillum hordei.* minima mercede. *Vt interficerent animas, quæ non moriuntur,* vt prædicerent fore vt qui ſe regi Babylonis darent, morerentur, qui ſalui erunt, & qui ſe non darent, ſalui eſſent, qui morientur.

20. *Ecce ego*] Venio, vel, ponam contra puluillos faciem meam in malum, vt ſuprà verſu octauo. *Quibus vos capitis animas volantes*, id eſt, ſicut volucres. Hebr. Quibus capitis animas לפרחו. ad volandum, quod aliqui interpretantur, vt auolent à corporibus, id eſt, qui homines mori facitis. Alij, vt volent in gehennam, vt ait Rab. Salomon. Mihi magis placet, vt ſenſus ſit, Ecce ego ad puluillos, quibus animas capitis, vt eas è manibus veſtris eripiam, & auolare faciam. Eodémque modo interpretandum eſt, quod ſtatim ſequitur, Quemadmodum verſu decimo quarto dixit, *Deſtruam parietem, quem liniſtis abſque temperamento.* Sic nunc dicit ſe puluinaria, & ceruicalia diſrupturum. Quod autem dicit, *De brachiis veſtris*, cùm non in earum brachiis, ſed in eorum, qui eas conſulebant, puluilli eſſent, ideo Rabbi Dauid dictum eſſe putat, quòd ij, quos decipiebant, in earum erant poteſtate.

22 *Mœrere feciſtis.*] dicentes eum moriturum, cùm ego id non dixiſſem. *Et confortaſtis manus impij*, id eſt, adiuuiſtis conſilia impij, aut, bono animo eſſe iuſſiſtis impium, dicentes eum non moriturum, cùm moriturus eſſet: notus Hebraïſmus, vt apud Iſaiam cap. 35. 3. *Confortate manus diſſolutas.*

CAPVT XIV.

ET venerunt ad me viri ſeniorum Iſraël, & ſederunt coram me. 2 Et
factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 3 Fili hominis viri iſti poſuerunt
immunditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt
contra faciem ſuam: numquid interrogatus reſpondebo eis? 4 Propter hoc loquere
eis, & dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: Homo, homo de domo Iſraël, qui
poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra
faciem ſuam, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me: ego Dominus reſpon-
debo ei in multitudine immunditiarum ſuarum. 5 Vt capiatur domus Iſraël in cor-
de ſuo, quo receſſerunt à me in cunctis idolis ſuis. 6 Propterea dic ad domum Iſraël,
Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini & recedite ab idolis veſtris, & ab vniuerſis con-
taminationibus veſtris auertite facies veſtras. 7 Quia homo homo de domo Iſraël, & de
proſelytis quicunque aduena fuerit in Iſrael, ſi alienatus fuerit à me, & poſuerit idola ſua
in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad
Prophetam vt interroget per eum me: ego Dominus reſpondebo ei per me. 8 & po-
nam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam eum in exemplum & in prouerbium,
& diſperdam eum de medio populi mei: & ſcietis quia ego Dominus. 9 Et Pro-

pheta cùm errauerit & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam illum:
& extendam manum meam ſuper illum, & delebo illum de medio populi mei Iſraël.
10 *Et portabunt iniquitatem ſuam, iuxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas*
Prophetæ erit. 11 *Vt non erret vltrà domus Iſraël à me, neque polluatur in vni-*
uerſis præuaricationibus ſuis: ſed ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum, ait Do-
minus exercituum. 12 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens.* 13 *Fili hominis,*
terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam ſuper
eam, & conteram virgam panis eius: & immittam in eam famem, & interficiam de ea
hominem & iumentum. 14 *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noë, Daniel, &*
Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt ani[illegible]as ſuas, ait Dominus exercituum. 15 *Quòd ſi &*
beſtias peſſimas induxero ſuper terram, vt vaſtem eam: & fuerit inuia, eo quòd non ſit
pertranſiens propter beſtias: 16 *Tres viri iſti ſi fuerint in ea, viuo ego dicit Dominus*
Deus, quia nec filios nec filias liberabũt: ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur.
17 *Vel ſi gladium induxero ſuper terram illam, & dixero gladio, Tranſi per terram: &*
interfecero de ea hominem & iumentum: 18 *Et tres viri iſti fuerint in medio eius: vi-*
uo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios neque filias: ſed ipſi ſoli liberabuntur.
19 *Si autem & peſtilentiam immiſero ſuper terram illam, & effudero indignationem*
meam ſuper eam in ſanguine, vt auferam ex ea hominem & iumentum, 20 *Et Noë, &*
Daniel, & Iob fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam
non liberabunt: ſed ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. 21 *Quoniam hæc dicit Do-*
minus Deus: Quòd & ſi quattuor iudicia mea peſſima, gladium & famem, ac beſtias
malas, & peſtilentiam immiſero in Ieruſalem, vt interficiam de ea hominem & pecus;
22 *Tamen relinquetur in ea ſaluatio educentium filios & filias: ecce ipſi egredientur ad*
vos, & videbitis viam eorum & adinuentiones eorum: & conſolabimini ſuper malo,
quod induxi in Ieruſalem in omnibus quæ importaui ſuper eam. 23 *Et conſolabuntur*
vos, cùm videritis viam eorum & adinuentiones eorum: & cognoſcetis quòd non fruſtra
fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

PROPTER peccata populi Deus aduerſa per Prophetas ſuos prædicit, falſóſque Prophetas eſſe patitur, atque ita populum caſtigat, vt non poſſint iuſti iniuſtos liberare.

Hebraiſmus. 1. *Viri ſeniorum.*] Hebraïſmus, pro, nonnulli è ſenioribus Iſraël.

3. *Poſuerunt immunditias ſuas.*] id eſt, defixa gerunt idola in animo ſuo; toti dediti ſunt idololatriæ. Idola vocat immunditias גלולים, vt ſuprà cap. 8. 10. & infrà cap. 22. 3. & 30. 13. Ponere in corde apud Hebræos eſt, In animum inducere, aut, animo defigere. *Scandalum iniquitatis ſuæ*, מכשול. offenſionem, aut offendiculum, ſic vocat idolum, quòd faciat cultores ſuos offendere. *ſtatuerunt contra faciem ſuam*, id eſt, ſibi propoſuerunt, idolorum cultum ſibi pro fine conſtituerunt. Hoc Hebraï[illegible]mus ſignificat, vt infrà v. 7. Venerant iſti ſeniores ad Ezechielem, vt adnotat Quimchi, vt eum conſulerent; propterea ſederunt coram eo, vt dixit ver. 1. idcirco reuelat Deus Prophetæ, quales ſint, ne miretur, ſi pro ipſorum dignitate reſpondeat, aut omnino non reſpondeat. Hoc eſt, quod dicit. *Numquid interrogatus reſpondebo eis?*

Hebraiſmus. 4. *Homo homo.*] id eſt, quiſquis, quicunque Hebraïſmus vt infrà ver. 7. *Ego Dominus reſpondebo ei in multitudine*; iuxta multitudinem immunditiarum ſuarum. H. בה ברוב גלוליו. Dicunt autem Hebræi ſcribi, בה. & legi בא venit, ſenſúmque eſſe. Ego illi reſpondebo, (ſecus quàm putat, ac vult) quia venit ad conſulendum me in multitudine immunditiarum ſuarum; ita R. Dauid. Chaldæus

Digitized by Google

dæus verò contrario prorſus ſenſu, Ego ei per meum Prophetam verum reſpondebo, quamuis implicatus veniat multitudine immunditiarum ſuarum. Senſus noſtri interpretis eſt multò melior.

5. *Vt capiatur.*] alludit ad id, quod dixit ver. 3. *poſuerunt immunditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ:* quaſi dicat, ipſi ſibi laqueos in corde tetenderunt, quibus capientur. *Iniquitates* enim *ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*, Prouerb. 5. 22.

7. *Quia homo homo.*] id eſt, quicunque quiſquis, vt ſuprà ver. 4. *De domo Iſraël.* ſiue Iudæus, aut Iſraëlita: ſiue proſelytus. H. ומהגר. ſiue peregrinus, qui peregrinantur in Iſraël. *Et poſuerit idola ſua.* vide ſupra ver. 3. & 4. & obſerua nolle Deum vt peregrinos Iudæi permittant idola apud ſe colere: multò minùs Chriſtiani debent hæreticos pati ſuam apud ſe hæreſim exercere. *Vt interroget per eum me.* לדרש לו בי. quidam vertunt, vt interroget eum propter me. Alij meliùs, vt conſulat eum de me. multò meliùs Hieronymus, *vt interroget per eum me.* Chaldæus, vt interroget eum in verbo meo. Septuaginta, vt interroget eum in me, id eſt, de me, verterunt enim בי. ἐν ἐμοὶ, verbum ex verbo. *Reſpondebo ei per me.* בי. R. Dauid interpretatur, reſpondebo ei propter me, id eſt, patefaciam illi idola, quæ animo defixa gerit, vt intelligat me verum eſſe Deum. Chaldæus Paraphraſtes, & Rab. Salomon. Reſpondebo ei in verbo meo. Multò meliùs Hieronymus, *reſpondebo ei per me*, id eſt, ego ipſe decipiam illum ſecus reſpondens, quàm ſperabat, ſicut dixit ver. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* aut, ego ipſe per me pronuntiabo ſententiam aduerſus eum, ſicut videtur explicare ver. ſequenti.

8. *Et ponam faciem meam ſuper hominem illum.*] id eſt, ſuſcipiam contra illum inimicitias, aduerſarius illi ero. Frequens Hebraiſmus, vt ſuprà cap. 13. 17. & Ierem. cap. 21. 10. & 44. 11. 27. *Et faciam eum in exemplum.* והשמתיהו, & ponam eum in exemplum, id eſt, faciam vt eius pœna exemplo ſit aliis. *Et in prouerbium*, vt eius pœna tam clara ſit, & tam magna, vt deinceps prouerbio celebretur, & cùm homines magnam aliquam pœnam ſignificare volent, pœnam illius appellent; ſicut Tantali, & Titij pœnas dicimus. Eadem phraſis ſuprà cap. 5. 15. Et Ierem. cap. 48. 39. & Nahum. cap. 3. 6.

9. *Et Propheta.*] falſus: nam verus non errat. *Ego Dominus decepi*, ſuſcepto conſilio permiſi, vt deciperetur, vt pœnas de illo ſumerem. Sic omnes veteres auctores interpretantur; eáque interpretatio & ſcripturæ, & rationi conſentanea eſt. Namquomodo Deus Prophetas decipiat, oſtendit 3. Reg. cap. 22. 20. 21. 22. vbi decepit Prophetas Achab; eos autem non decepit, niſi permittendo ſpiritum mendacij eos decipere. Et ratio ipſa & pietas docet non poſſe Deum auctorem eſſe mendacij, vt noui hæretici delirant. Hebræi duobus modis hunc locum exponunt. Alij, *Decepi*, id eſt, aperui occultum eius peccatum præter ipſius opinionem, vt R. Salom. & R. Dauid. Alij, declaraui eſſe deceptum. Meliùs noſtri: aut, *ego decepi*, id eſt, affeci eum pœna, quam non ſperabat. Ludit enim ſimilitudine verbi פותה & פתה. *Deus quo ſenſu decipit.*

10. *Iniquitatem ſuam.*] pœnam iniquitatis, vt in multis aliis locis adnotauimus. *Iuxta iniquitatem interrogantis*, id eſt, æquali pœna punientur pſeudopropheta, & qui eum conſulit.

13. *Terra.*] homines qui in terra ſunt. *Vt præuaricetur præuaricans*, vt valde præuaricetur, notus Hebraiſmus. *Extendam manum.* Manum extendere ferè ſemper in malam partem accipitur, eſt enim verberantis, Iſa. 9. 12. 17. 21. & 10. 4. & 14.

Digitized by Google

& 14. 27. *In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Et conteram virgam panis*, id eſt, immittam famem in eam. corpus enim pane quaſi baculo ſuſtentatur. Eadem phraſis ſuprà cap. 4. 16. & cap. 5. 16. & Leuit. 26. 26. vbi hæc eadem terræ pœna proponitur.

14. *Noë, Daniel, & Iob.*] Nominauit tres ſanctiſſimos viros, qui tamen ſua ætate alios liberare non potuerunt. Nam neque homines ab illuuione; nec Iob filios ſuos à morte; nec Daniel populum ſuum à captiuitate liberauit. Idcirco non Abrahamum, non Moſem nominauit, qui ſæpe alios ſuis precibus ſeruauerunt: quaſi argumentetur ab exemplo. Sicut nec Noë orbem, nec Iob filios, nec Daniel populum ſuum liberauit: ita nunc non potuerunt populum meum liberare. Hebræi alia de cauſa hos tres viros nominatos putant, quòd vnuſquiſque eorum res proſperas, & aduerſas expertus fuerit; multáque de hac re R. Dauid philoſophatur: ſed quorſum hæc ratio Chryſoſtomus hom. in Geneſ. 43. quòd hi tres maximè ſoliti fuerint pro aliis orare, nominatos fuiſſe putat. Ego veram cauſam eſſe puto, quòd illi tres ab impendenti morte, de qua hîc agebatur, Noë ab illuuione, Iob à peſtifera morte, Daniel à leonibus ob ſuam iuſtitiam olim fuiſſent diuinitus liberati. Hoc loco ineptè abuti ſolent hæretici, vt probent ſanctos non orare pro nobis. Multò meliùs, ſi cœci non eſſent, argumentarentur orare pro nobis. Nam ſi non orarent, non diceret eos non eſſe populum liberaturos: & alios potiùs, quàm hos nominauiſſet. Senſus enim eſt, Moyſes fortaſſis, aut Abrahamus liberaſſet, ſicut olim fecerunt: at Noë, Iob, Daniel, quamuis ſancti ſint, multúmque orent, non liberabunt.

Hæretici refelluntur.

15. *Et fuerit inuia.*] ושכלתה. & orbauerit eam. (beſtia hominibus, qui in ea habitant) eſt enim ſingularis numeri. Sed Hieronymus ſenſum, non verba conuertit.

19. *In ſanguine.*] In ſanguinem, בדם. id eſt, ad fundendum humanum ſanguinem.

21. *Quattuor iudicia mea.*] quattuor pœnarum genera, quibus vti ſoleo. Iudicium pro pœna iudicio decreta, Hebraiſmus eſt.

22. *Relinquetur in ea ſaluatio.*] id eſt, non omnes vſque ad internecionem perdam in Ieruſalem: ſed aliquos reliquos faciam, qui cum liberis ſuis Babylonem captiui ducantur, ídque vt nomen meum magis illuſtretur. Cùm enim eos ſupeſtites contrucidatis aliis videritis, cognoſcetis eos non temerè, ac fortuitò: ſed iuſto meo, diuinóque iudicio propter magna ipſorum ſcelera caſtigatos. *Et conſolabimini ſuper malo*, id eſt, cùm videritis calamitatem, quam inducam in Ieruſalem, exiſtimabitis bene vobiſcum áctum eſſe, quòd vos conſilio Ieremiæ regi Babylonis tradideritis.

23. *Cùm videritis viam eorum.*] id eſt, pœnam ſcelerum ipſorum, & adinuentionum. עליליוהם. ſtudia eorum, aut opera, id eſt ſupplicia.

CAPVT XV.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, 2 *Fili hominis, quid fiet de li-*
gno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum?
3 *Numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea*
paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas? 4 *Ecce igni datum eſt in eſcam,*

vit am-

nabilem feciſti decorem tuum. Abuſa es pulchritudine tua. nam cùm eam, ſicut vxor caſta, marito reſeruare debuiſſes, viliſſimis quibuſque hominibus expoſuiſti, eamque turpem reddidiſti; ſicut meretrices quæ nimio, longóque vſu libidinis fœdiſſimæ fiunt. *Diuiſiſti pedes tuos.* proſtituiſti te, honeſto verbo rem turpem ſignificat.

26. *Magnarum carnium.*] id eſt, qui membra virilia maiora habent, quàm cæteri homines, vt dicit infrà cap. 23. 20. *Et inſaniuit libidine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt, vt carnes aſinorum, & ſicut fluxus equorum, fluxus eorum.* partes inhoneſtas honeſtè nominat. Dicit autem metaphoricè Ægyptios maiora, quàm cæteros homines virilia habuiſſe, quia multò maior apud Ægyptios, quàm apud cæteras gentes erat idololatria.

27. *Extendam manum meam ſuper te.*] id eſt, percutiam te, affligam, puniam, ſæpe hunc Hebraïſmum expoſuimus, vide ſuprà cap. 14. 9. 13. *Et auferam iuſtificationem tuam*, id eſt, fauorem meum, quo dum te proſequor videris eſſe iuſta, & puniam te, vt appareat te iniuſtam eſſe. H. אגרע חקך. auferam decretum tuum, ad verbum; quod R. Dauid exponit, auferam à te demenſum tuum, cibum tuum, quo te ſingulis diebus alebam, ſimilam ſcilicet mel & oleum, quod tibi dedi, vt dixit verſu 19. R. Salom. *Auferam à te decretum tuum*, id eſt, fornicationem tuam, conſuetudinem fornicandi tuam: vtraque interpretatio bene conuenit. Sed meliùs fortaſſe decretum inter Deum, &, Iudæos, quo promiſerat numquam ſe eos deſerturum. *Et dabo te in animas. In deſideria.* Hebraïſmus; id eſt, tradam te voluntati atque libidini Paleſtinorum. Filias autem vocat Paleſtinorum ciuitates frequenti ſcripturæ conſuetudine. Iſai. 16. 2. & Ier. 48. 18. & 49. 2. 3. 4. *Quæ erubeſcunt.* Quia iuſtiores ſunt te, vt declarat infrà verſu 52.

29. *In terra Chanaan.*] vſque in terram Chanaan, imitans etiam eius idololatriam. *Cum Chaldæis.* כשדימה. ad Chaldæam vſque.

30. *In quo mundabo cor tuum?*] qua ratione te innocentem iudicare potero? aut, vt Hieronymus ipſe, qui ſic vertit, interpretatur. quomodo tibi mederi potero? vt apud Iſai. c. 5. 4. *Quid eſt quod vltrà debui facere vineæ meæ. & non feci ei?* Et apud Oſee c. 6. 4. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* H. מה אמלה לבתך. Quàm infirmum eſt cor tuum! aut, quàm exciſum eſt cor tuum! id eſt, quàm inſipiens, & fatua es, quàm vecors, cùm hæc feceris! ita Hebræi. Septuag. Quid faciam cordi tuo? eodem ſenſu, quo Hieronymus. *Meretricis & procacis.* שלטת, dominantis, id eſt, liberæ, ſolutæ, non habentis maritum, vagæ, huc illuc diſcurrentis, Hiſpanicè, vt ait R. Dauid, *callegera.* Eodem ſenſu Chaldæus vertit, Quæ ſui ipſius poteſtatem habet; & Septuag. παῤῥησιαζομένης, *liberè agentis.*

31. *Lupanar.*] גב. excelſum, aram tuam, vt verſu 24. *Et excelſum.* רמה, quod verſu 24. vertit, *proſtibulum. In capite omnis viæ.* vide verſum 25.

32. *Faſtidio augens pretium.*] Quæ non libidinis, ſed lucri cauſa amatores admittit, ideoque nimia libidinis ſatietate mercedem auget: ſed facta es ſimilis adulteræ, quæ non mercedis, ſed inſatiabilis libidinis cauſa præter maritum ſuum alios viros inducit, ſponteque ſua ſine vlla mercede allicit. H. Non fuiſti, ſicut meretrix, לקלס אתנן, ad contemnendam mercedem, ad verbum: Quidam Hebræi eadem ſententia interpretantur; ſicut meretrix, quæ contemnit mercedem, quam accipit, vt maiorem eliciat. Ego ſimpliciùs, Non eſt facta ſicut meretrix ad contemnendam mercedem, id eſt, ita vt mercedem contem-

neres, quam meretrix contemnere non ſolet; Quia mercedem contempſiſti, vt explicatur verſu 33. *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis.*

34. *Et poſt te non erit fornicatio.*] ſub. tuæ ſimilis, vt Hebræi intelligunt, & Ionathas reddit, quanquam Septuag. hæc verba non tranſtulerunt.

36. *Quia effuſum eſt æs tuum.*] id eſt, omnis tua pecunia in amatores tuos, vt Hieronymus exponit. Eodem modo Septuag. verterunt: quamquam Theodoretus alio ſenſu eorum verſionem interpretatur. H. נחשתך inferior pars tua, fundum tuum; ſic vocat mulieris pudenda honeſto verbo, vt Ionathas & R. Dauid exponunt. Sic appellatur Hebraïcè fundum cuiuſque rei נחשת. quaſi ſubæratum, quòd fundum vaſorum æratum eſſe ſoleat, ideo Hieronymus, & Septuag. æs reddiderunt. Hunc autem, quem diximus, eſſe ſenſum indicant verba quæ ſequuntur, *& reuelata eſt ignominia tua. In ſanguine filiorum*, propter ſanguinem, frequens Hebraïſmus; ſicut, *In fornicationibus*, id eſt, propter fornicationes.

37. *Nudabo ignominiam tuam.*] quaſi dicat, ſicut tu pudenda tua omnibus amatoribus tuis libidinis cauſa nudaſti: ita ego ea coram illis, & coram iis, quos odio habebas, ignominiæ cauſa nudabo, vt ab amicis, & inimicis irrideare. Reuelauit Deus ignominiam Ieruſalem, cùm eam excidit, inflammauit templum, ita vt qui tranſirent, & viderent eius ruinas, obſtupeſcerent, & mouerent caput ſuum, vt dixit Ierem. cap. 18. 16. & cap. 19. 8. Dicit autem ſe amicos, & inimicos congregaturum, id eſt, Ægyptios, quibuſcum erant confœderati, vt apparet Ierem. 2. 18. multis aliis eiuſdem Prophetæ locis; & Chaldæus, qui hoſtes erant. Nam vtrique Ieruſalem ignominiam viderunt; Chaldæi, dum eam vaſtarent, atque diriperent; Ægyptij, dum famam audirent, & multos in Ægypto Iudæos profugos viderent, Ieremiæ cap. 43.

38. *Et iudicabo te.*] id eſt, puniam adulterarum, & homicidarum pœna, quia & adultera idola colendo, & homicida filios tuos illis ſacrificando fuiſti. *Et dabo te in ſanguinem furoris*, id eſt, crudeli, & truculenta morte puniam te; ſicut ſolent mariti furore, & zelotypia incenſi adulteras vxores occidere.

39. *Lupanar tuum.*] iiſdem duobus verbis vtitur. גב. & רמה. quibus ſuprà verſu 24. & 31. vſus eſt: vtrumque excelſum, id eſt, aram ſignificat. *Et auferent vaſa decoris tui.* Ornamenta tua, quæ inſtrumenta ſunt pulchritudinis tuæ, quibus pulchra nunc eſſe videris vt ſuprà verſu 17. Sic vocat opes, & theſauros Ieroſolymitanos; quos Chaldæi direpturi erant.

Adultera ex lege aut conſuetudine lapidabantur.

40. *Adducent te ſuper multitudinem.*] id eſt, tradent te multitudini lapidandam, והעלו עליך קהל. & adducent ſuper te multitudinem, aut congregationem id eſt, magnum exercitum. *Et lapidabunt te.* proiicientes lapides intra vrbem machinis, & catapultis. Alludit autem, vt rectè adnotauit R. Dauid, ad pœnam adulterarum, quæ ex lege aut conſuetudine lapidabantur.

41. *Et comburent domos tuas.*] Hæc etiam, vt ait R. Dauid, adulterarum pœna erat. Id re ipſa factum fuiſſe narratur lib. 4. Reg. cap. 25. verſu 9. & apud Ierem. cap. 52. verſu 13. *Et facient in te iudicia*, id eſt, diuerſis te ſuppliciis afficient, quia & lapidabunt te, & comburent, ideo plurali numero vſus eſt Propheta, vt notat Quimchi. *In oculis mulierum plurimarum*, id eſt, multarum nationum, vt Chaldæus Paraphraſtes vertit, & R. Dauid exponit. Alludit etiam ad conſuetudinem, qua adulteræ in oculis aliarum mulierum puniebantur,

bantur, vt & ipſæ maiore ignominia afficerentur, & aliæ earum exemplo ab adulterio deterrerentur. Propterea dixit, *In oculis mulierum plurimarum*, & non, virorum plurimorum. Quamquam aliæ nationes, quæ Ieroſolymitano excidio interfuerunt, non mulieres: ſed viri erant.

42. *Requieſcet.*] Satiabo indignationem meam puniendo te. Clariùs Hebraïcè, הניחותי. quieſcere faciam indignationem meam in te. *Et auferetur zelus meus a te.* Non ero ampliùs contra te zelotypus, quia indignationem in te meam ſemel exſaturabo.

43. *Et quòd non fueris recordata*] vide ſuprà verſu 22. *Et ego vias tuas*, id eſt, puniui te pro meritis tuis. Hebraïſmum ſæpe explicauimus, vt cap. 9. verſu 10. & cap. 11. verſu 21. *Et non feci iuxta ſcelera tua*, id eſt, non vtar in te punienda ſummo iure meo; maiora enim ſupplicia merebare. Hoc ſenſu Hieronymus, & Septuag. verterunt: Hebraicè verò eſt, ולא עשיתי את הזמה על כל תעבותיך. Putant autem Hebræi, vt ſcribit Quimchi, litteram י. in verbo עשיתי. redundare. Itaque omnes interpretantur, Non feciſti cogitationem ſuper omnibus abominationibus tuis, ad verbum, id eſt, non cogitaſti apud te, diſcedere à tuis abominationibus; non rediiſti ad meliorem mentem: atque hunc ſenſum Chaldæus quoque Paraphraſtes expreſſit, eúmque verba proximi verſus confirmant, *Sicut mater, ita & filia eius*, id eſt, qualis erat olim Ieruſalem, talis etiam nunc eſt, non eſt emendata ſuppliciis.

44. *Omnis qui dicit.*] id eſt, quiſquis volet eleganti, ac vero aliquo vti prouerbio, nullum melius, aut verius inueniet, quàm ſi de te dicat, qualis erat mater, talis eſt filia, id eſt, talis eſt nunc Ieruſalem, qualis ſemper fuit: plena ſcilicet impietatis, & ſcelerum. Matrem vocat veterem Ieruſalem: filiam verò nouam, quia hæc ex illa genita eſt.

45. *Filia matris tuæ.*] id eſt, ſimilis es matri tuæ; ſatis apparet ex tuis moribus te illius eſſe filiam. *Et ſoror ſororum tuarum.* ſimilis ſororibus tuis, nulla ex parte illis melior. Sorores eius vocat vicinas ciuitates Samariam, & Sodomam, vt declarat verſu ſequenti.

46. *Soror tua maior.*] Samariam ſororem appellat Ieruſalem, quia ſicut Ieruſalem erat caput regni Iuda; ita Samaria regni Iſraël. Maiorem autem, quia in Iſraël, & Samaria decem erant tribus: in Ieruſalem duæ tantùm: & ſolet ſoror ætate maior, corpore quoque maior eſſe. Filias Samariæ ciuitates, & oppida illi ſubiecta dicit frequentiſſima ſcripturæ phraſis, vt ſuprà ver. 20. Sodomam verò vel propter vicinitatem, vel propter morum ſimilitudinem ſororem eius vocat; quam minorem eſſe dicit, quia erat minùs frequens. Quòd autem Samariam ad ſiniſtram, Sodomam ad dexteram eſſe dicit, ad ſitum loci pertinet, quem ſuprà declarauimus cap. 4. 4. Orientem enim ſolem ſpectantibus in Ieruſalem, vt Hieronymus ſcribit, Samaria ad ſiniſtram, Sodoma ad dexteram erat.

47. *Sed nec in viis earum.*] Non fuiſti earum contenta ſceleribus; ſed breui tempore maiora perpetraſti, vt ſtatim declarat. *Pauxillum minùs.* Noſter interpres & Septuaginta hæc verba cum ſuperioribus copulant, vt ſenſus ſit. non fuiſti contenta paulò minora ſcelera, quàm ſorores tuæ patrare, quod tolerabile videri potuiſſet: ſed multò maiora deſignaſti. Hebræi cum ſequentibus iungunt. כמעט קט ותשחיתי מהן בכל דרכיך ad verbum, Sicut parum parum, & corrupiſti præ illis omnes vias tuas. Notat R. Dauid idem eſſe. מעט. &, קט. augendæque diminutionis cauſa geminari; atque breuiſſimum viginti

trium annorum tempus ſignificari, quod poſt Samariæ captiuitatem effluxerat. Sexto enim anno Ezechiæ regis Samaria à Sennacherib Aſſyriorum rege capta eſt, 4. Regum 18. 10. regnauit autem Ezechias viginti nouem annos, 4. Regum 18. 2. quo toto tempore populum ab idololatria continuit. Succeſſit illi impius Manaſſes, 4. Regum 20. 21. qui idololatriam reſtaurauit, 4. Regum 21. 2. 3. 4. Itaque viginti tribus annis poſt captam Samariam populus ab idolis abſtinuit, poſt quod tempus multò magis quàm Samaria, & Sodoma idola coluit. Atque hoc putant Hebræi hoc loco ſignificari. Mihi ſenſus Septuag. & interpretis noſtri magis placet.

49. *Et abundantia, & otium*] ושלות השקט. & abundantia otij. Otium vocat nimiam à bellis, & aliis vexationibus requietem, quæ cauſa hominibus eſſe ſolet omnis vitioſitatis, maximè verò libidinis, vt poëta quidam dixit.

Ouid. lib. 1. de remed. amo.

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus.

Manum egeno ויד עני ואביון לא החזיקה. Magnum egeni & pauperis non corroborabat, id eſt, non implebat, nihil pauperi & egeno in manum dabat. Eodem ſenſu Sept. χεῖρα πτωχοῦ καὶ πένητος οὐκ ἀντελαμβάνοντο, *manum mendici, & pauperis non adiuuabant.*

50. *Eleuatæ ſunt.*] In ſuperbiam elatæ Sodoma, & filiæ eius, id eſt, vicinæ, ſubiectæque ciuitates. *Coram me.* Contra me, aut, me vidente, frequens Hebraiſmus.

51. *Et iuſtificaſti ſorores tuas.*] Iuſtiores te eſſe declaraſti, dum peiora flagitia commiſiſti.

52. *Quæ viciſti ſorores.*] ſenſus noſtri interpretis optimè conuenit. Hebræi tamen aliter exponunt אשר פללת. Quæ iudicaſti ſororem tuam; id eſt, quæ contra Samariam ſententiam pronuntiaſti, cùm videres eam in captiuitatem duci, dicens meritò eam puniri, quòd Deum dereliquiſſet. Hæc mihi interpretatio non placet. Nam ſi hoc dicere voluiſſet, non dixiſſet, Iudicaſti ſororem tuam in peccatis tuis, ſed in peccatis eius. Senſus ergo eſt Iudicaſti, id eſt, condemnaſti ſororem tuam in peccatis tuis. quaſi dicat, cùm peccatis tu, ſorórque tua certaretis, tu illam condemnaſti, id eſt, eam peccatis viciſti, vt optimè vertit noſter interpres. *Sceleratius agens ab eis.* מהן. præ illis.

53. *Conuertam reſtituens eas.*] ושבתי את שבותהן. Et conuertam conuerſionem earum, conuerſionem, inquam, Sodomæ, & filiarum eius, & conuerſionem Samariæ, & filiarum eius, quemadmodum Septuag. verterunt. Conuerſionem vocat captiuitatem שבות. quaſi dicat, reuocabo ciues Sodomorum & Samariæ, qui captiui tenentur. Non poteſt hic locus niſi de vocatione Gentium intelligi, qua Sodomitæ, id eſt, homines Gentiles ad Eccleſiam Chriſti tanquam ad ſuam patriam ab exilio errorum reuertentur. Ponit enim vnam Gentilium ciuitatem loco omnium: ſicut Chriſtus Matth. 11. 21. 23. poſuit Sodomam, Tyrum, & Sidonem. Cùm enim hæc Ezechiel prædicebat, Sodomæ incendio deletæ erant. Per Samariam autem eos Iudæos intelligit, qui cùm à duabus tribubus, quæ verum regnum, & ſacerdotium retinebant, diſceſſiſſent, medij quodammodo inter Iudæos, & Gentiles erant. Docet ergo fore, vt priùs Gentiles, & Samaritani à diaboli captiuitate liberentur, & ad Eccleſiam veniant, quod euentus verum eſſe declarauit. *Et conuertam reuerſionem tuam,* captiuitatem tuam, qua inter eas verſaris, vt plerique interpretantur, vel, quod mihi magis placet, *In medio earum,* id eſt, vnà cum illis, quaſi non illas propter te, ſed te propter illas liberare videar.

Locus de vocatione Gētium intelligendus.

54. *Vt*

54. *Vt potes ignominiam tuam.*] Vides alios venire ab Oriente, & Occidente, & recumbere cum Abraham & Iſaac in regno Dei, te autem foras eiici, vt Chriſtus dicit Matth 8. 11. 12. Atque hac ratione ſorores tuas conſolaberis, quia ex ſuppliciis tuis intelligent, ſe leuiùs, quam te peccauiſſe.

55. *Ad antiquitatem ſuam.*] Ad priſtinam libertatem, ad antiquam poſſeſſionem ſuam, id eſt, ad Eccleſiam, non quòd antè in Eccleſia fuiſſent: ſed quòd ſtatus Eccleſiæ, ſit ſtatus libertatis, qualem illi olim habuerant. In libertatem enim vocati ſumus, Galat. 5. 13. *Et tu, & filiæ tuæ reuertemini.* Poſt alias gentes. *Cæcitas* enim *ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic* (poſt gentes) *omnis Iſraël ſaluus fieret.* Rom. 11. 26.

56. *Non fuit audita in ore tuo.*] Nemo te vnquam audiuit commemorare inſigne Sodomorum exemplum, qui ob nefanda ſua flagitia deleti fuerant, vt te, & alios metu ſimilis ſupplicij à ſimilibus flagitiis reuocares; ſed *in die ſuperbiæ tuæ*, id eſt, cùm tibi adeo proſperè omnia ſuccederent, vt in ſuperbiam efferreris, oblita es, quid Sodomis accidiſſet.

57. *Antequam reuelaretur.*] exponit, quis fuerit ille dies ſuperbiæ; nempe tempus illud, quo nondum eius malitia per captiuitatem, per peſtem, per gladium, per vrbis & templi euerſionem & incendium reuelaretur. *In opprobrium filiarum Syriæ.* Reuelaretur, inquam, ita vt te Syriæ, Paleſtinæque ciuitates probro haberent, cùm ita te à Deo derelictam, afflictamque viderent. *Quæ ambiunt te.* השאטות אותך מסביב. quæ te vndique deprædabuntur, aut contemnent.

58. *Scelus tuum, & ignominiam tuam.*] H. את זמתך ואת תועבותיך. ſcelus tuum & abominationes tu portabis, id eſt, ſcelerum & abominationum pœnas dabis. præteritum pro futuro.

59. *Et faciam.*] ו. coniunctio redundat. *Sicut deſpexiſti.* כאשר עשית ſicut feciſti, quemadmodum Sept. verterunt, id eſt, ſicut tu irritum feciſti pactum meum, quo promiſeras fore vt coleres me; ita ego irritum faciam pactum tuum quo promiſeram fore vt bene tibi facerē, vt paulò pòſt declarat. *Sicut deſpexiſti iuramentum.* H. אשר בזית אלה. quia deſpexiſti iuramētum, *vt irritum faceres pactū* id eſt, deſpiciens iuramētum irritum feciſti pactum, aut, irritum feciſti pactum non habens rationem vllam iuramenti, quo illud firmaueras. Alij hunc verſum ſequenti coniungunt, atque ad hunc modum interpretantur, quamuis poſſem facere ſicut tu feciſti, id eſt, pactum meum violare, ſicut tu violaſti tuum, tamen non faciam; ſed recordabor pacti mei, itaque verſu ſequenti coniunctionem ו. &, vertunt in Tamen, aut in Autem, Ego tamen, aut, Ego autem recordabor pacti mei. Quæ interpretatio neque præcedentibus, neque ſequentibus verbis mihi videtur conuenire. Nam ver. 58. dixit *ſcelus tuum & ignominiam tuam* portabis, & ver. 59. reddit cauſam, quia faciam tibi ſicut feciſti: non ergo de venia, ſed de pœna agit; & ver. ſequenti 61. dicit, *recordaberis viarum, tuarum & confunderis.* quamquam id alium ſenſum habere poteſt. Igitur ſenſus eſt.

60. *Et recordabor ego pacti mei.*] id eſt, puniam te ſecundum pactum meum. Nam in fœdere non ſolùm promiſſa erant præmiorum: ſed etiam pœnarum aduerſus tranſgreſſores comminationes, Leuit. 26. quaſi dicat, Quia tu non es recordata pacti mei, ego recordabor. Seruabo enim illud ſumendis de te pœnis: cùm autem puniuero te auferam pactum illud à te, & dabo pactum aliud ſempiternum, quod eſt Euangelium, vt apud Ierem. cap. 31. 31. Quia enim de pœnis agebat, verbum vnum conſolatorium intermiſcuit.

61. *Et recordaberis viarum tuarum.*] Cognoſces ex pacto illo ſempiterno antiqua tua peccata, per euangelium enim peccata cognoſcuntur. *Et confunderis.* pudebit te tui, ages per euangelium admonita, pœnitentiam. *Cùm receperis ſorores tuas*, Decem tribus, & omnes alias gentes: faciam enim illas ex ſororibus filias, quia priùs æquales tibi erant, tunc tibi erunt tanquam matri filiæ ſubiectæ, à te enim per baptiſmum generabuntur. Loquitur de Eccleſia ſub nomine Ieruſalem, quemadmodum Ieremias multis in locis facit: propterea dicit fore vt ex ſororibus filias faciat, quia antè ſorores fuerant Ieruſalem; poſtea Eccleſiæ filiæ. Hoc eſt, quod Iſaias cap. 60. 4. vaticinatur, *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* & cap. 49. 22. *Afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Non ex pacto tuo.* Non propter pactum illud vetus: ſed propter nouum. Alij, non propter merita tua.

Ieruſalem pro Eccleſia.

63. *Et non ſit tibi vltrà aperire os.*] Non audebis ampliùs contra me me hiſcere, nullam habebis occaſionem querendi de me; multitudine, magnitudinéque meorum beneficiorum deuincta.

CAPVT XVII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 2 Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domum Iſraël, & dices, 3 Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu,
plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. 4 Summitatem frondium eius auulſit: & tranſportauit eam in terra Chanaan, in vrbe negotiatorum poſuit illam. 5 Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine: vt firmaret radicem ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud. 6 Cùmque germinaſſet creuit in vineam latiorem humili ſtatura, reſpicientibus ramis eius ad eam: & radices eius ſub illa erant, facta eſt ergo vinea, & fructificauit in palmites: & emiſit propagines.
7 Et facta eſt aquila altera grandis, magnis alis, multiſque plumis: & ecce vinea iſta quaſi mittens radices ſuas ad eam, palmites ſuos extendit ad illam, vt irrigaret eam de areolis germinis ſui. 8 In terra bona ſuper aquas multas plantata eſt: vt faciat frondes, & portet fructum, vt ſit in vineam grandem. 9 Dic, Hæc dicit Dominus Deus. Ergo-ne proſperabitur? non-ne radices eius euellet, & fructus eius diſtringet, & ſiccabit omnes palmites germinis eius, & areſcet: & non in brachio grandi, neque in populo multo, vt euelleret eam radicitus? 10 Ecce plantata eſt: ergo-ne proſperabitur? non-ne cùm tetigerit eam ventus vrens ſiccabitur, & areis germinis ſui areſcet?
11 Et factum eſt verbum Domini ad me dicens. 12 Dic ad domum exaſperantem, Neſcitis quid iſta ſignificent? Dic, Ecce, venit rex Babylonis in Ieruſalem: & aſſumet regem & principes eius, & adducet eos ad ſemetipſum in Babylonem. 13 Et tollet de ſemine regni, feriétque cum eo fœdus, & ab eo accipiet iuſiurandum, ſed & fortes terræ tollet: 14 Vt ſit regnum humile: & non eleuetur, ſed cuſtodiat pactum eius, & ſeruet illud. 15 Qui recedens ab eo, miſit nuntios ad Ægyptum, vt daret ſibi equos & populum multum. Numquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem qui fecit hæc? & qui diſſoluit pactum, numquid effugiet? 16 Viuo ego dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis qui conſtituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & ſoluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. 17 Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium, in iactu aggeris, & in extructione vallorũ, vt interficiat animas multas. 18 Spreuerat enim iuramentũ, vt ſolueret fœdus, & ecce

dedit

Digitized by Google

dedit manum ſuam, & cùm omnia hæc fecerit, non effugiet. 19 *Propterea hæc dicit Do-*
minus Deus, Viuo ego, quoniam iuramentum quod ſpreuit, & fœdus quod præuaricatus
eſt, ponam in caput eius. 20 *Et expandam ſuper eum rete meum, & comprehendetur in*
ſagena mea: & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione qua
deſpexit me. 21 *Et omnes profugi eius, cum vniuerſo agmine ſuo, gladio cadent: reſidui*
autem in omnem ventũ diſpergentur: & ſcietis quia ego Dominus locutus ſum. 22 *Hæc*
dicit Dominus Deus. Et ſumam ego de medulla cedri ſublimis, & ponam· de vertice ra-
morum eius tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum & eminentem.
23 *In monte ſublimi Iſraël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructũ, & erit*
in cedrum magnam, & habitabunt ſub ea omnes volucres & vniuerſum volatile, ſub vm-
bra frondium eius nidificauit. 24 *Et ſcient omnia ligna regionis quia ego Dominus hu-*
miliaui lignum ſublime, & exaltaui lignum humile: & ſiccaui lignum viride, & fronde-
re feci lignum aridum. Ego Dominus loquutus ſum, & feci.

DVARVM aquilarum ſimilitudine prædicit Sedeciæ captiuitatem, promittitque Eccleſiæ Euangelicæ plantationem, & propagationem. *Cur Nabuchodonoſor aquila vocetur.*

3. *Aquila grandis.*] Nabuchodonoſor magnus Chaldæorum rex, qui & propter celeritatem, & propter rapinam, quam exercebat, aquila vocari ſolet, vt apud Ierem. c. 48. 40. & c. 49. 22. Id explicatur inf. v. 12. *Magnarum alarum.* Alas vocat militares copias vt Ierem. 49. 22. *Ecce quaſi aquila aſcendet, & volabit, & expandet alas ſuas ſuper Boſram.* & Ierem. 48. 40. *Extendet alas ſuas ad Moab.* Etiam Latinè in agmine alæ dicuntur, *longo membrorum ductu.* ארך האבר longis pennis, pennas per metaphoram vocat haſtas, aut pernicioſiſſimos equos, quibus Chaldæi volare videbantur, Ierem. 4. 13. *Velociores aquilis equi illius. Plena plumis.* Opes plumas appellat; varias autem gentes, quas ſecum in bellum duxit, varietatem; aut milites plumas, diuerſas nationes varietatem, vt alludat ad plumas aquilæ, quæ diuerſicolores ſunt. *Venit ad Libanum.* Ad Ieruſalem, vt explicatur v. 12. Ieruſalem monti Libano vicina erat: & quia de aquila loquebatur, quæ non in vrbibus, ſed in montibus verſari ſolet, vrbem nomine montis appellauit. *Tulit medullam cedri.* צמרת. Hieron. medullam vertit, ſicut etiam infrà v. 22. Sept. τὰ ἐπίλεκτα τῶν κέδρων. *Lectiſſimas quaſq; cedros.* Hebræi, vt R. Dauid in lib. rad. & R. Salomon in comm. in hunc locum, ſummum cacumen arboris interpretantur, quemadmodũ idẽ Hier. aliis locis vertit, vt inf. c. 31. 3. 10. Vtrocunq; modo vertamus, ſenſus eſt idem. Nam per medullam, & cacumen cedri Ioachin, & principes eius intelligit, qui quaſi medulla, aut cacumen populo erant.

4. *Summitatem frondium eius.*] את ראש יניקותיו. caput plantationum eius, aut ramorum eius, vt Chaldæus vertit, id eſt, proceriores ſtolones eius: alludit enim ad arbores, & ſtolones, qui ex vno loco in alterum tranſplantantur. *In terram Chanaan.* Chanaan hoc loco non debet eſſe nomen proprium, ſed appellatiuum, quod negotiationem ſignificat, vt ſtatim exponit, *in vrbe negotiatorum*, id eſt, in Babylone, quæ negotiatoribus magnopere abundabat. Nam & terra Chanaan à negotiatione nomen acceperat. *Chanaã quid ſignificet.*

5. *Et tulit de ſemine terræ.*] Poſtquam ſtolones tranſplantauit, id eſt, Iechoniam, & principes eius Babylonem tranſtulit, accepit ex ſemine cedrorum terræ Iuda, & ſeminauit in terra Iuda, id eſt, Sedeciam, qui ex regio Iudæorum ſemine erat, patruus nimirum Iechoniæ regem conſtituit, & in Ieruſalem miſit, 4. Reg. 24. 17. *In terra pro ſemine.* H. בשדה זרע. In terra ſeminis, id eſt, fertili, ſatiua, apta ſementi faciendæ. Hoc ſenſu Sept. verterunt, atque ita Hebræi,

&

Digitized by Google

& Chaldæus Paraphraſtes interpretantur. Terram aptam ſemini vocat Iudæam, quòd fertilis eſſet. *Vt firmaret radicem.* H. קח על מים רבים. Accepit iuxta aquas multas, id eſt, accepit vt ſeminaret illud iuxta aquas multas, vt Chaldæus vertit. *In ſuperficie*, aquarũ, iuxta ipſas aquas. H. צפצפה שמו. ſicut ſalicem poſuit illud. Solent enim ſalices iuxta aquas plantari. צפצפה. R. Dauid, & R. Salomon ſalicem ſignificare dicunt. Ionathas vertit vitem, quia verſu ſequenti dicitur, *creuit in vineam*. Senſus ergo ex vtroque nomine colligitur. Plantauit (vitem) iuxta aquas multas, ſicut ſalicem. Mutauit metaphoram. Nam priùs Iechoniam, & principes eius ramos cedri vocauerat, nunc Sedeciam vitem vocat: qua metaphoræ mutatione, regnum quoque mutatum eſſe indicat, & ex cedro, quæ altiſſima eſt arbor, humilem vitem factam fuiſſe.

6. *Creuit in vineam latio em.*] סרחת. luxuriantem. Significat regnum Sedeciæ initio floruiſſe antequam aduerſus regem Babylonis rebellaret. Septuag. contrario ſenſu verterunt, ἐγένετο εἰς ἄμπελον ἀσθενοῦσαν. *facta eſt in vitem infirmam. Humili ſtatura*. quaſi dicat, non creuit regnum Sedeciæ in altum, quia ſub rege Babylonis erat, illique tributa pendebat, ſed creuit in latum, quia quidquid antè occupabat, poſtea etiam occupauit. *Reſpicientibus ramis eius ad eam.* Hebræi interpretantur, reſpicientibus ramis eius ad aquilam, id eſt, ad Nabuchodonoſorem. quaſi dicat, propter ea rami eius in ſublime creſcere non potuerunt; quia ſub Nabuchodonoſore erant, ſicut paruæ arbores, quæ ſub magnis plantatæ ſunt, in altum aſſurgere non poſſunt. Mihi pauló duriùs videtur, vt pronomen *eam*, ad aquilam referatur, quæ longè antè relicta eſt. Itaq; ad vitem referendum puto, eſſeque elegantem metaphoram ſumptam ex arboribus, quæ ſub tecto, aut aliquo alio impedimento ſatæ ſunt, quarum rami, cùm in altum tendere non poſſint, recuruantur, & in ipſam arborem reſpiciunt. *Et radices eius ſub illa erant.* Hoc etiam Hebræi ad Nabuchodonoſorem, ego ad vitem refero. quaſi dicat, non fuerunt exciſæ radices eius, ſed ſub ea adhuc manebant, ideo in latum propagabatur. Radicem vocat regem Sedeciam, palmites eius filios, qui quotidie multiplicabantur donec à Nabuchodonoſore trucidati ſunt, 4. Reg. 25. 7. & Ierem. 52. 10.

7. *Aquila altera.*] Rex Ægypti, qui magnus quidem erat: ſed minor quàm rex Babylonis. *Mittens radices ſuas ad eam.* Radices vocat legatos, quos Sedecias miſit ad regem Ægypti, vt ab eo exilium peteret, Ierem. 2. 18. & infrà v. 15. Alludit autem tacita quadam metaphora ad arbores, quæ in eam partem radices, & ramos mittunt, vbi aquam eſſe ſentiunt. Sic enim Sedecias in Ægyptum legatos miſit, quæ tota Nili aquis irrigabatur. Hoc eſt, quod dicit, *vt irrigaret* (Ægyptus) *eam*, vineam, *de areolis germinis ſui*, id eſt, vt ex ſuis ſatis, quæ irrigationis cauſa in areas diſtincta erant, aliquid ex aquis, quæ illi abundabant, ad ſe deriuaret. Aquæ autem ſunt milites. Eadem alluſione Ieremias vſus eſt cap. 2. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Aqua enim Nili turbida erat, vnde שחור. Hebraïcè, id eſt, obſcurus appellatus eſt.

8. *Quæ in terra bona.*] Omnes hoc de vite, hoc eſt, de Sedecia interpretantur, qui in Iudæa erat fertiliſſimo ſolo, vt dixit ver. 5. *Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra ſeminis, vt firmaret radicem ſuper aquas multas.* Quomodo ergo petit aquas ex Ægypto? Quia nomen aquæ ambiguè ſumit. Cùm dicit plantatam eſſe ſuper aquas multas, aquas propriè ſumit, ſolique Iudaïci fertilitatem ſignificat: cùm autem ab Ægyptiis aquas petit, aquas milites auxiliares

liares appellat, quaſi dicat, Sedecias ſe regnum habere optimo loco, vt amplificari, florereque poſſit, tantùm ſibi milites deeſſe.

9. *Ergóne proſperabitur?*] Rectè noſter interpres & Hieronymus, particulam illatiuam, & interrogationem reddidit, quæ Hebraicè non eſt. Neceſſariò enim intelligi debet, vt etiam Rab. Dauid admonuit. *Nonne radices eius euellet?* prior aquila, id eſt, nonne Nabuchodonoſor reuellet Sedeciam à regno, in quo eum tanquam vitem plantauerat, & Babylonem captiuum ducet? *Fructus eius diſtringet.* Omnes eius opes diripiet. *Et ſiccabit*, areſaciet, *omnes palmites.* Occidet omnes filios eius, 4. Regum 25. 7. & Ierem. 52. 10. *Et non in brachio grandi*, non magna potentia. Hæc verba nonnulli ad regem Ægypti referunt, vt R. Salomon, id eſt, rex Ægypti non veniet cum magna potentia, vt Sedeciam iuuare poſſit. Quod cum hiſtoria non conuenit. Nam apud Ierem. cap. 37. 4. legimus Babylonios ad regis Ægypti aduentum Ieroſolymitanam obſidionem ſoluiſſe. Alij referunt ad ipſum Sedeciam, vt R. Dauid: quaſi dicat, non poterit ſe Sedecias cum magna potentia, populóque liberare. Sed verus ſenſus infrà declaratur ver. 17. Non poterit rex Ægypti, quamuis cum magna potentia, & exercitu veniat, Sedeciam liberare.

10. *Ecce plantata eſt.*] Hebraiſmus, pro, an proſperabitur, quamuis bene nunc plantata ſit? *Ventus vrens.* H. רוח הקדים. ventus orientalis, ſic vocat *Hebraiſmus.* regem Babylonis, quia, vt ait R. Dauid, Babylon terræ Iſraël ad orientem ſeptentrionalem ſita erat, vnde fit vt rex Babylonis aliquando Aquilo, aliquando ventus orientalis appelletur. *Et in areis germinis ſui.* in eodem loco quo creuit, in ipſa Iudæa. Nam Sedecias, & eius principes in Ierichotinis campis capti ſunt, 4. Reg. 25. 5. & Ierem. 52. 7. 8.

12. *Ad domum exaſperantem.*] H. לבית המרי. ad domum rebellem, vt ſuprà cap. 2. ver. 5. 6. 8. & cap. 3. ver. 9. 26. 27. & cap. 12 ver. 2. 3. 9. 25. Incipit ænigma declarare. *Aſſumet regem*, Iechoniam, 4. Reg. 24. 15. Hæc eſt explicatio ſuperioris verſus tertij, & quarti.

13. *Et tollet de ſemine regio.*] Sedeciam, qui ex regio ſanguine erat, explicat quod dixerat v. 5. *Feriétque cum eo fœdus*, vt regnet, ſed ſibi ſit vectigalis. Quod quamuis in libris Regum non ſcribatur, tamen colligitur ex hoc loco. *Sed & fortes terræ tollet.* principes multos apud ſe retinebit, Ioachin ſcilicet, & eius filios, vt vires regni debilitet. Hoc eſt quod ſequitur.

14. *Vt ſit regnum humile.*] Exponit verſum 6. *Humili ſtatura, reſpicientibus ramis eius ad eam.*

17. *Faciet contra eum.*] contra regem Babylonis; vt non ſolùm noſter interpres ſed etiam Chaldæus interpretantur. Quamquam alij verba Hebraica aliter exponunt, יעשה אותו. faciet illum, id eſt, opem feret illi, iuuabit illum. R. Dauid putat pronomen Hebræorum more redundare. quaſi dicat, non congregabit rex Pharao magnum exercitum. *In iactu aggeris.* בשפך. Cùm iecerit (Nabuchodonoſor) aggerem, nihil poterit Pharao Sedeciam adiuuare. Exponit hoc verſu, quod verſu 9. obſcuriùs dixerat.

18. *Et dedit manum ſuam.*] Pharaoni, vt Chaldæus vertit, id eſt, cùm violaſſet fœdus quod interpoſito iureiurando cum rege Babylonis inierat, aliud fœdus cum eius hoſte Pharaone percuſſit. Alij interpretantur, *Dedit manum* id eſt, fidem Nabuchodonoſori, quod mihi minùs placet.

19. *Iuramentum.*] Hebraicè eſt, אלתי ובריתי. iuramentum meum, & fœdus meum, ſicut Septuag. tranſtulerunt. Vocat autem Deus iuramentum, & fœ-

AA a dus

Digitized by Google

12. *Siquidem ecce cecidit.*] והנה נפל. & ecce cecidit paries, id eſt, corruit malè firmata illa ſecuritas, quam ſibi populus, Prophetæque pollicebantur. *Numquid non dicetur vobis?* id eſt, nónne tunc hoſtes irridebunt vos, interrogabúntque, vbi ſit fiducia & ſecuritas veſtra?

13. *Propterea.*] vt cadat paries, & ab hoſtibus irrideamini. *Et erumpere faciam. Et*, redundat. *ſpiritum tempeſtatum*, ſpiritum procellæ, vt dixit verſu 11. id eſt, ventum procelloſum & vehementem.

14. *Et conſumemini.*] H. וכליתם. & conſumemini in medio eius, fundamenti, vt apparet ex genere fœminino Hebraïcè, vocat autem fundamentum parietis, id eſt, ſecuritatis ipſorum, Ieroſolymitanam vrbem, in qua omnem ſuam fiduciam collocauerant. In medio igitur eius vrbis, in qua maximè confidebant, trucidandos eſſe dicit. Sept. verterunt, ϗ συντελεσθήσεσθε μετ' ἐλέγχων, *& conſumemini cum increpationibus*. quaſi legerint בתוכחות, pro בתוכה.

15. *Et complebo.*] Exſatiabo iram meam in demoliendo pariete, quem ædificaſtis, effundámque indignationem meam aduerſus Prophetas, qui linunt eum. *Dicámque vobis*, irridens, *Non eſt paries.* affirmatio pro interrogatione. Vbi eſt paries, & vbi ſunt qui illum incruſtabant? quaſi dicat, perierunt.

16. *Prophetæ Iſraël.*] Appoſitio eſt cum ſuperiori verſu iungenda, *Non ſunt qui linunt eum*, *Prophetæ* ſcilicet *Iſraël*, qui prædicunt illi pacem, cùm non ſit pax.

Frequens Hebraiſmus.

17. *Pone faciem tuam.*] id eſt, audacter, ac liberè loquere; aut ſimpliciter, Conuerte te, vt alij interpretantur. frequens Hebraïſmus, vt ſuprà cap. 6. 2. & infrà cap. 21. 2. *Contra filias populi tui.* Contra prophetrias, quæ populum ſeducunt prædicentes commenta animi ſui, non Dei verba. Sunt qui putent prophetrias appellari hic viros molles, & effœminatos, qui falſa vaticinabantur. Sed veroſimilius eſt, vt Hieronymus ait, fuiſſe fœminas, quæ Dei ſpiritum ementirentur, imitarentúrque veras prophetrias qualis fuit Debora, in libro Iud. cap. 4. 4. & Holda 4 Reg. 22. 14. & filiæ Philippi, Act. 21. 9. quemadmodum viri pſeudoprophetæ veros Prophetas imitabantur.

Fabula R. Dauid.

18. *Væ quæ conſuunt.*] Sic legendum genere fœminino, vt Hebraïcè legitur, & vt Hieronymus, & Septuaginta verterunt, & vt res ipſa poſtulat; de fœminis enim agitur. Fabulatur hoc loco Rab. Dauid, eúmque nonnulli, qui Chriſtiani dici volunt, imitantur ſolitos fuiſſe mulieres illas fatidicas iis, qui ſe de rebus futuris conſulebant, re vera puluillos ſub cubitum aſſuere, & ceruicalia capiti ſupponere, quaſi ea ratione idonei redderentur ad percipienda vaticinia. Hoc ego Rabbinicum commentum eſſe arbitror. Quis enim non videt idem nunc de fœminis dici, quod paulò antè de viris dictum eſt? Quemadmodum ergo viri non linebant re ipſa parietem, quem populus ædificabat: ſed ea metaphora adulatio ſignificatur: ita fœminæ prophetriæ non conſuebant re vera puluinaria; ſed metaphoricè conſuere dicuntur, quia blanda, iucundáque populo vaticinabantur. vtraque igitur metaphora idem ſignificat; ſed ideo variatur, vt ad perſonas accommodetur, ædificare enim, & parietes incruſtare non fœminarum, ſed virorum officium eſt, ideo non mulieres, ſed viros parietem incruſtare dixit. Contrà verò puluillos, & ceruicalia ſuere, non virorum; ſed fœminarum eſt; quare non viros, ſed fœminas hoc dicit facere. *Ad capiendas animas.* ad fallendos homines falſa ſpe futuræ pacis. *Et cùm caperent*, id eſt, cùm perderent, dicebant ſe viuificare, aut vitam illis promittendo perdebant. Hebræi per interrogatio-

nem

nem legunt. הנפשות תצודדנה לעמי ונפשות לכנה תחיינה. An animas capient populi mei, & animas ſuas viuificabunt, quaſi dicat, non. Sed quemadmodum ipſæ animas populi mei perdiderunt, ita ego animas earum perdam.

19. *Et violabant me ad populum meum.*] id eſt, delinquebant in me coram populo meo, dicentes, Hæc dicit Dominus, cùm ego non dixiſſem, méque mendacem quodammodò facientes. Sunt qui per interrogationem interpretentur, ſicut poſtrema verba ſuperioris verſus. An contaminabunt me coram populo meo (ſub. impune ? non) *Propter pugillum hordei.* minima mercede. *Vt interficerent animas, quæ non moriuntur*, vt prædicerent fore vt qui ſe regi Babylonis darent, morerentur, qui ſalui erunt, & qui ſe non darent, ſalui eſſent, qui morientur.

20. *Ecce ego*] Venio, vel, ponam contra puluillos faciem meam in malum, vt ſuprà verſu octauo. *Quibus vos capitis animas volantes*, id eſt, ſicut volucres. Hebr. Quibus capitis animas לפרחות. ad volandum, quod aliqui interpretantur, vt auolent à corporibus, id eſt, qui homines mori facitis. Alij, vt volent in gehennam, vt ait Rab. Salomon. Mihi magis placet, vt ſenſus ſit, Ecce ego ad puluillos, quibus animas capitis, vt eas è manibus veſtris eripiam, & auolare faciam. Eodémque modo interpretandum eſt, quod ſtatim ſequitur, Quemadmodum verſu decimo quarto dixit, *Destruam parietem, quem liniſtis abſque temperamento.* Sic nunc dicit ſe puluinaria, & ceruicalia diſrupturum. Quod autem dicit, *De brachiis veſtris*, cùm non in earum brachiis, ſed in eorum, qui eas conſulebant, puluilli eſſent, ideo Rabbi Dauid dictum eſſe putat, quòd ij, quos decipiebant, in earum erant poteſtate.

22 *Mœrere feciſtis.*] dicentes eum moriturum, cùm ego id non dixiſſem. *Et confortaſtis manus impij*, id eſt, adiuuiſtis conſilia impij, aut, bono animo eſſe iuſſiſtis impium, dicentes eum non moriturum, cùm moriturus eſſet: notus Hebraïſmus, vt apud Iſaiam cap. 35. 3. *Confortate manus diſſolutas.*

CAPVT XIV.

ET venerunt ad me viri ſeniorum Iſraël, & ſederunt coram me. 2 Et
factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 3 Fili hominis viri iſti poſuerunt
immunditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt
contra faciem ſuam: numquid interrogatus reſpondebo eis? 4 Propter hoc loquere
eis, & dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: Homo, homo de domo Iſraël, qui
poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra
faciem ſuam, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me: ego Dominus reſpondebo
ei in multitudine immunditiarum ſuarum. 5 Vt capiatur domus Iſraël in cor-
de ſuo, quo receſſerunt à me in cunctis idolis ſuis. 6 Propterea dic ad domum Iſraël,
Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini & recedite ab idolis veſtris, & ab vniuerſis con-
taminationibus veſtris auertite facies veſtras. 7 Quia homo homo de domo Iſraël, & de
proſelytis quicunque aduena fuerit in Iſrael, ſi alienatus fuerit à me, & poſuerit idola ſua
in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad
Prophetam vt interroget per eum me: ego Dominus reſpondebo ei per me. 8 & po-
nam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam eum in exemplum & in prouerbium,
& diſperdam eum de medio populi mei: & ſcietis quia ego Dominus. 9 Et Pro-

pheta cùm errauerit & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam illum:
& extendam manum meam ſuper illum, & delebo illum de medio populi mei Iſraël.
10 Et portabunt iniquitatem ſuam, iuxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas
Prophetæ erit. 11 Vt non erret vltrà domus Iſraël à me, neque polluatur in vni-
uerſis præuaricationibus ſuis: ſed ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum, ait Do-
minus exercituum. 12 Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens. 13 Fili hominis,
terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam ſuper
eam, & conteram virgam panis eius: & immittam in eam famem, & interficiam de ea
hominem & iumentum. 14 Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noë, Daniel, &
Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum. 15 Quòd ſi &
beſtias peſſimas induxero ſuper terram, vt vaſtem eam: & fuerit inuia, eo quòd non ſit
pertranſiens propter beſtias: 16 Tres viri iſti ſi fuerint in ea, viuo ego dicit Dominus
Deus, quia nec filios nec filias liberabũt: ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur.
17 Vel ſi gladium induxero ſuper terram illam, & dixero gladio, Tranſi per terram: &
interfecero de ea hominem & iumentum: 18 Et tres viri iſti fuerint in medio eius: vi-
uo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios neque filias: ſed ipſi ſoli liberabuntur.
19 Si autem & peſtilentiam immiſero ſuper terram illam, & effudero indignationem
meam ſuper eam in ſanguine, vt auferam ex ea hominem & iumentum, 20 Et Noë, &
Daniel, & Iob fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam
non liberabunt: ſed ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. 21 Quoniam hæc dicit Do-
minus Deus: Quòd & ſi quattuor iudicia mea peſſima, gladium & famem, ac beſtias
malas, & peſtilentiam immiſero in Ieruſalem, vt interficiam de ea hominem & pecus;
22 Tamen relinquetur in ea ſaluatio educentium filios & filias: ecce ipſi egredientur ad
vos, & videbitis viam eorum & adinuentiones eorum: & conſolabimini ſuper malo,
quod induxi in Ieruſalem in omnibus quæ importaui ſuper eam. 23 Et conſolabuntur
vos, cùm videritis viam eorum & adinuentiones eorum: & cognoſcetis quòd non fruſtra
fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

PROPTER peccata populi Deus aduerſa per Prophetas ſuos prædicit, falſóſque Prophetas eſſe patitur, atque ita populum caſtigat, vt non poſſint iuſti iniuſtos liberare.

Hebraiſmus. 1. *Viri ſeniorum.*] Hebraïſmus, pro, nonnulli è ſenioribus Iſraël.

3. *Poſuerunt immunditias ſuas.*] id eſt, defixa gerunt idola in animo ſuo; toti dediti ſunt idololatriæ. Idola vocat immunditias גִּלּוּלִים, vt ſuprà cap. 8. 10. & infrà cap. 22. 3. & 30. 13. Ponere in corde apud Hebræos eſt, In animum inducere, aut, animo defigere. *Scandalum iniquitatis ſuæ*, מִכְשׁוֹל. offenſionem, aut offendiculum, ſic vocat idolum, quòd faciat cultores ſuos offendere. *Statuerunt contra faciem ſuam*, id eſt, ſibi propoſuerunt, idolorum cultum ſibi pro fine conſtituerunt. Hoc Hebraïſmus ſignificat, vt infrà v. 7. Venerant iſti ſeniores ad Ezechielem, vt adnotat Quimchi, vt eum conſulerent; propterea ſederunt coram eo, vt dixit ver. 1. idcirco reuelat Deus Prophetæ, quales ſint, ne miretur, ſi pro ipſorum dignitate reſpondeat, aut omnino non reſpondeat. Hoc eſt, quod dicit. *Numquid interrogatus reſpondebo eis?*

Hebraiſmus. 4. *Homo homo.*] id eſt, quiſquis, quicunque Hebraïſmus vt infrà ver. 7. *Ego Dominus reſpondebo ei in multitudine*; iuxta multitudinem immunditiarum ſuarum. H. בה ברוב גלוליו. Dicunt autem Hebræi ſcribi, בה. & legi בא venit, ſenſúmque eſſe. Ego illi reſpondebo, (ſecus quàm putat, ac vult) quia venit ad conſulendum me in multitudine immunditiarum ſuarum; ita R. Dauid. Chaldæus

dæus verò contrario prorſus ſenſu, Ego ei per meum Prophetam verum reſpondebo, quamuis implicatus veniat multitudine immunditiarum ſuarum. Senſus noſtri interpretis eſt multò melior.

5. *Vt capiatur.*] alludit ad id, quod dixit ver. 3. *poſuerunt immunditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ*: quaſi dicat, ipſi ſibi laqueos in corde tetenderunt, quibus capientur. *Iniquitates* enim *ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*, Prouerb. 5. 22.

7. *Quia homo homo.*] id eſt, quicunque quiſquis, vt ſuprà ver. 4. *De domo Iſrael.* ſiue Iudæus, aut Iſraëlita: ſiue proſelytus. H. ומהגר. ſiue peregrinus, qui peregrinantur in Iſraël. *Et poſuerit idola ſua.* vide ſupra ver. 3. & 4. & obſerua nolle Deum vt peregrinos Iudæi permittant idola apud ſe colere: multò minùs Chriſtiani debent hæreticos pati ſuam apud ſe hæreſim exercere. *Vt interroget per eum me.* לדרש לו בי. quidam vertunt, vt interroget eum propter me. Alij meliùs, vt conſulat eum de me. multò melius Hieronymus, *vt interroget per eum me.* Chaldæus, vt interroget eum in verbo meo. Septuaginta, vt interroget eum in me, id eſt, de me, verterunt enim בי. ἐν ἐμοὶ, verbum ex verbo. *Reſpondebo ei per me.* בי. R. Dauid interpretatur, reſpondebo ei propter me, id eſt, patefaciam illi idola, quæ animo defixa gerit, vt intelligat me verum eſſe Deum. Chaldæus Paraphraſtes, & Rab. Salomon. Reſpondebo ei in verbo meo. Multò meliùs Hieronymus, *reſpondebo ei per me*, id eſt, ego ipſe decipiam illum ſecus reſpondens, quàm ſperabat, ſicut dixit ver. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* aut, ego ipſe per me pronuntiabo ſententiam aduerſus eum, ſicut videtur explicare ver. ſequenti.

8. *Et ponam faciem meam ſuper hominem illum.*] id eſt, ſuſcipiam contra illum inimicitias, aduerſarius illi ero. Frequens Hebraiſmus, vt ſuprà cap. 13. 17. & Ierem. cap. 21. 10. & 44. 11. 27. *Et faciam eum in exemplum.* והשמתיהו. & ponam eum in exemplum, id eſt, faciam vt eius pœna exemplo ſit aliis. *Et in prouerbium*, vt eius pœna tam clara ſit, & tam magna, vt deinceps prouerbio celebretur, & cùm homines magnam aliquam pœnam ſignificare volent, pœnam illius appellent; ſicut Tantali, & Titij pœnas dicimus. Eadem phraſis ſuprà cap. 5. 15. Et Ierem. cap. 48. 39. & Nahum. cap. 3. 6.

9. *Et Propheta.*] falſus: nam verus non errat. *Ego Dominus decepi*, ſuſcepto conſilio permiſi, vt deciperetur, vt pœnas de illo ſumerem. Sic omnes veteres auctores interpretantur; eáque interpretatio & ſcripturæ, & rationi conſentanea eſt. Nam quo modo Deus Prophetas decipiat, oſtendit 3. Reg. cap. 22. 20. 21. 22. vbi decepit Prophetas Achab; eos autem non decepit, niſi permittendo ſpiritum mendacij eos decipere. Et ratio ipſa & pietas docet non poſſe Deum auctorem eſſe mendacij, vt noui hæretici delirant. Hebræi duobus modis hunc locum exponunt. Alij, *Decepi*, id eſt, aperui occultum eius peccatum præter ipſius opinionem, vt R. Salom. & R. Dauid. Alij, declaraui eſſe deceptum. Meliùs noſtri: aut, *ego decepi*, id eſt, affeci eum pœna, quam non ſperabat. Ludit enim ſimilitudine verbi פותה & פתה. *Deus quo ſenſu decipit.*

10. *Iniquitatem ſuam.*] pœnam iniquitatis, vt in multis aliis locis adnotauimus. *Iuxta iniquitatem interrogantis*, id eſt, æquali pœna punientur pſeudoprophetæ, & qui eum conſulit.

13. *Terra.*] homines qui in terra ſunt. *Vt præuaricetur præuaricans*, vt valde præuaricetur, notus Hebraiſmus. *Extendam manum.* Manum extendere ferè ſemper in malam partem accipitur, eſt enim verberantis, Iſa. 9. 12. 17. 21. & 10. 4. & 14.

nabilem feciſti decorem tuum. Abuſa es pulchritudine tua. nam cùm eam, ſicut vxor caſta, marito reſeruare debuiſſes, viliſſimis quibuſque hominibus expoſuiſti, eamque turpem reddidiſti; ſicut meretrices quæ nimio, longóque vſu libidinis fœdiſſimæ fiunt. *Diuiſiſti pedes tuos.* proſtituiſti te, honeſto verbo rem turpem ſignificat.

26. *Magnarum carnium.*] id eſt, qui membra virilia maiora habent, quàm cæteri homines, vt dicit infrà cap. 23. 20. *Et inſaniuit libidine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt, vt carnes aſinorum, & ſicut fluxus equorum, fluxus eorum.* partes inhoneſtas honeſtè nominat. Dicit autem metaphoricè Ægyptios maiora, quàm cæteros homines virilia habuiſſe, quia multò maior apud Ægyptios, quàm apud cæteras gentes erat idololatria.

27. *Extendam manum meam ſuper te.*] id eſt, percutiam te, affligam, puniam, ſæpe hunc Hebraïſmum expoſuimus, vide ſuprà cap. 14. 9. 13. *Et auferam iuſtificationem tuam,* id eſt, fauorem meum, quo dum te proſequor videris eſſe iuſta, & puniam te, vt appareat te iniuſtam eſſe. H. אגרע חקך. auferam decretum tuum, ad verbum; quod R. Dauid exponit, auferam à te demenſum tuum, cibum tuum, quo te ſingulis diebus alebam, ſimilam ſcilicet mel & oleum, quod tibi dedi, vt dixit verſu 19. R. Salom. *Auferam à te decretum tuum,* id eſt, fornicationem tuam, conſuetudinem fornicandi tuam: vtraque interpretatio bene conuenit. Sed meliùs fortaſſe decretum inter Deum, &, Iudæos, quo promiſerat numquam ſe eos deſerturum. *Et dabo te in animas. In deſideria.* Hebraïſmus; id eſt, tradam te voluntati atque libidini Paleſtinorum. Filias autem vocat Paleſtinorum ciuitates frequenti ſcripturæ conſuetudine. Iſai. 16. 2. & Ier. 48. 18. & 49. 2. 3. 4. *Quæ erubeſcunt.* Quia iuſtiores ſunt te, vt declarat infrà verſu 52.

29. *In terra Chanaan.*] vſque in terram Chanaan, imitans etiam eius idololatriam. *Cum Chaldæis.* כשדימה. ad Chaldæam vſque.

30. *In quo mundabo cor tuum?*] qua ratione te innocentem iudicare potero? aut, vt Hieronymus ipſe, qui ſic vertit, interpretatur. quomodo tibi mederi potero? vt apud Iſai. c. 5. 4. *Quid eſt quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Et apud Oſee c. 6. 4. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* H. מה אמלה לבתך. Quàm infirmum eſt cor tuum! aut, quàm exciſum eſt cor tuum! id eſt, quàm inſipiens, & fatua es, quàm vecors, cùm hæc feceris! ita Hebræi. Septuag. Quid faciam cordi tuo? eodem ſenſu, quo Hieronymus. *Meretricis & procacis.* שלטת, dominantis, id eſt, liberæ, ſolutæ, non habentis maritum, vagæ, huc illuc diſcurrentis, Hiſpanieè, vt ait R. Dauid, *callegera.* Eodem ſenſu Chaldæus vertit, Quæ ſui ipſius poteſtatem habet; & Septuag. παῤῥησιαζομένης, *liberè agentis.*

31. *Lupanar.*] גב. excelſum, aram tuam, vt verſu 24. *Et excelſum.* רמה, quod verſu 24. vertit, *proſtibulum. In capite omnis viæ.* vide verſum 25.

32. *Faſtidio augens pretium.*] Quæ non libidinis, ſed lucri cauſa amatores admittit, ideoque nimia libidinis ſatietate mercedem auget: ſed facta es ſimilis adulteræ, quæ non mercedis, ſed inſatiabilis libidinis cauſa præter maritum ſuum alios viros inducit, ſponteque ſua ſine vlla mercede allicit. H. Non fuiſti, ſicut meretrix, לקלס אתנן, ad contemnendam mercedem, ad verbum: Omnes Hebræi eadem ſententia interpretantur; ſicut meretrix, quæ contemnit mercedem, quam accipit, vt maiorem eliciat. Ego ſimpliciùs, Non eſt facta ſicut meretrix ad contemnendam mercedem, id eſt, ita vt mercedem contem-

Digitized by Google

neres, quam meretrix contemnere non ſolet; Quia mercedem contempſiſti, vt explicatur verſu 33. *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis.*

34. *Et poſt te non erit fornicatio.*] ſub. tuæ ſimilis, vt Hebræi intelligunt, & Ionathas reddit, quanquam Septuag. hæc verba non tranſtulerunt.

36. *Quia effuſum eſt æs tuum.*] id eſt, omnis tua pecunia in amatores tuos, vt Hieronymus expõnit. Eodem modo Septuag. verterunt: quamquam Theodoretus alio ſenſu eorum verſionem interpretatur. H. נחשתך inferior pars tua, fundum tuum; ſic vocat mulieris pudenda honeſto verbo, vt Ionathas & R. Dauid exponunt. Sic appellatur Hebraïcè fundum cuiuſque rei נחשה. quaſi ſubæratum, quòd fundum vaſorum æratum eſſe ſoleat, ideo Hieronymus, & Septuag. æs reddiderunt. Hunc autem, quem diximus, eſſe ſenſum indicant verba quæ ſequuntur, *& reuelata eſt ignominia tua. In ſanguine filiorum*, propter ſanguinem, frequens Hebraïſmus; ſicut, *In fornicationibus*, id eſt, propter fornicationes.

37. *Nudabo ignominiam tuam.*] quaſi dicat, ſicut tu pudenda tua omnibus amatoribus tuis libidinis cauſa nudaſti: ita ego ea coram illis, & coram iis, quos odio habebas, ignominiæ cauſa nudabo, vt ab amicis, & inimicis irridcare. Reuelauit Deus ignominiam Ieruſalem, cùm eam excidit, inflammauit templum, ita vt qui tranſirent, & viderent eius ruinas, obſtupeſcerent, & mouerent caput ſuum, vt dixit Ierem. cap. 18. 16. & cap. 19. 8. Dicit autem ſe amicos, & inimicos congregaturum, id eſt, Ægyptios, quibuſcum erant confœderati, vt apparet Ierem. 2. 18. multis aliis eiuſdem Prophetæ locis; & Chaldæus, qui hoſtes erant. Nam vtrique Ieruſalem ignominiam viderunt; Chaldæi, dum eam vaſtarent, atque diriperent; Ægyptij, dum famam audirent, & multos in Ægypto Iudæos profugos viderent, Ieremiæ cap. 43.

38. *Et iudicabo te.*] id eſt, puniam adulterarum, & homicidarum pœna, quia & adultera idola colendo, & homicida filios tuos illis ſacrificando fuiſti. *Et dabo te in ſanguinem furoris*, id eſt, crudeli, & truculenta morte puniam te; ſicut ſolent mariti furore, & zelotypia incenſi adulteras vxores occidere.

39. *Lupanar tuum.*] iiſdem duobus verbis vtitur. גב. & רמה. quibus ſuprà verſu 24. & 31. vſus eſt: vtrumque excelſum, id eſt, aram ſignificat. *Et auferent vaſa decoris tui.* Ornamenta tua, quæ inſtrumenta ſunt pulchritudinis tuæ, quibus pulchra nunc eſſe videris vt ſuprà verſu 17. Sic vocat opes, & theſauros Ieroſolymitanos; quos Chaldæi direpturi erant.

Adultera ex lege aut conſuetudine lapidabantur.

40. *Adducent te ſuper multitudinem.*] id eſt, tradent te multitudini lapidandam, והעלו עליך קהל. & adducent ſuper te multitudinem, aut congregationem id eſt, magnum exercitum. *Et lapidabunt te.* proiicientes lapides intra vrbem machinis, & catapultis. Alludit autem, vt rectè adnotauit R. Dauid, ad pœnam adulterarum, quæ ex lege aut conſuetudine lapidabantur.

41. *Et comburent domos tuas.*] Hæc etiam, vt ait R. Dauid, adulterarum pœna erat. Id re ipſa factum fuiſſe narratur lib. 4. Reg. cap. 25. verſu 9. & apud Ierem. cap. 52. verſu 13. *Et facient in te iudicia*, id eſt, diuerſis te ſuppliciis afficient, quia & lapidabunt te, & comburent, ideo plurali numero vſus eſt Propheta, vt notat Quimchi. *In oculis mulierum plurimarum*, id eſt, multarum nationum, vt Chaldæus Paraphraſtes vertit, & R. Dauid exponit. Alludit etiam ad conſuetudinem, qua adulteræ in oculis aliarum mulierum puniebantur.

bantur, vt & ipſæ maiore ignominia afficerentur, & aliæ earum exemplo ab adulterio deterrerentur. Propterea dixit, *In oculis mulierum plurimarum*, & non, virorum plurimorum. Quamquam aliæ nationes, quæ Ieroſolymitano excidio interfuerunt, non mulieres: ſed viri erant.

42. *Requieſcet.*] Satiabo indignationem meam puniendo te. Clariùs Hebraïcè, הניחותי. quieſcere faciam indignationem meam in te. *Et auferetur zelus meus a te.* Non ero ampliùs contra te zelotypus, quia indignationem in te meam ſemel exſaturabo.

43. *Et quòd non fueris recordata*] vide ſuprà verſu 22. *Et ego vias tuas*, id eſt, puniui te pro meritis tuis. Hebraïſmum ſæpe explicauimus, vt cap. 9. verſu 10. & cap. 11. verſu 21. *Et non feci iuxta ſcelera tua*, id eſt, non vtar in te punienda ſummo iure meo; maiora enim ſupplicia merebare. Hoc ſenſu Hieronymus, & Septuag. verterunt: Hebraicè verò eſt, ולא עשיתי את הזמה על כל תעבותיך. Putant autem Hebræi, vt ſcribit Quimchi, litteram י. in verbo עשיתי. redundare. Itaque omnes interpretantur, Non feciſti cogitationem ſuper omnibus abominationibus tuis, ad verbum, id eſt, non cogitaſti apud te, diſcedere à tuis abominationibus; non rediiſti ad meliorem mentem: atque hunc ſenſum Chaldæus quoque Paraphraſtes expreſſit, eúmque verba proximi verſus confirmant, *Sicut mater, ita & filia eius*, id eſt, qualis erat olim Ieruſalem, talis etiam nunc eſt, non eſt emendata ſuppliciis.

44. *Omnis qui dicit.*] id eſt, quiſquis volet eleganti, ac vero aliquo vti prouerbio, nullum melius, aut verius inueniet, quàm ſi de te dicat, qualis erat mater, talis eſt filia, id eſt, talis eſt nunc Ieruſalem, qualis ſemper fuit: plena ſcilicet impietatis, & ſcelerum. Matrem vocat veterem Ieruſalem: filiam verò nouam, quia hæc ex illa genita eſt.

45. *Filia matris tuæ.*] id eſt, ſimilis es matri tuæ; ſatis apparet ex tuis moribus te illius eſſe filiam. *Et ſoror ſororum tuarum.* ſimilis ſororibus tuis, nulla ex parte illis melior. Sorores eius vocat vicinas ciuitates Samariam, & Sodomam, vt declarat verſu ſequenti.

46. *Soror tua maior.*] Samariam ſororem appellat Ieruſalem, quia ſicut Ieruſalem erat caput regni Iuda; ita Samaria regni Iſraël. Maiorem autem, quia in Iſraël, & Samaria decem erant tribus: in Ieruſalem duæ tantùm: & ſolet ſoror ætate maior, corpore quoque maior eſſe. Filias Samariæ ciuitates. & oppida illi ſubiecta dicit frequentiſſima ſcripturæ phraſis, vt ſuprà ver. 20. Sodomam verò vel propter vicinitatem, vel propter morum ſimilitudinem ſororem eius vocat; quam minorem eſſe dicit, quia erat minùs frequens. Quòd autem Samariam ad ſiniſtram, Sodomam ad dexteram eſſe dicit, ad ſitum loci pertinet, quem ſuprà declarauimus cap. 4. 4. Orientem enim ſolem ſpectantibus in Ieruſalem, vt Hieronymus ſcribit, Samaria ad ſiniſtram, Sodoma ad dexteram erat.

47. *Sed nec in viis earum.*] Non fuiſti earum contenta ſceleribus; ſed breui tempore maiora perpetraſti, vt ſtatim declarat. *Pauxillum minùs.* Noſter interpres & Septuaginta hæc verba cum ſuperioribus copulant, vt ſenſus ſit. non fuiſti contenta paulò minora ſcelera, quàm ſorores tuæ patrare, quod tolerabile videri potuiſſet: ſed multò maiora deſignaſti. Hebræi cum ſequentibus iungunt. כמעט קט ותשחיתי מהן בכל דרכיך ad verbum, Sicut parum parum, & corrupiſti præ illis omnes vias tuas. Notat R. Dauid idem eſſe. מעט. &, קט. augendæque diminutionis cauſa geminari; atque breuiſſimum viginti

 trium

trium annorum tempus ſignificari,quod poſt Samariæ captiuitatem effluxerat. Sexto enim anno Ezechiæ regis Samaria à Sennacherib Aſſyriorum rege capta eſt, 4. Regum 18. 10. regnauit autem Ezechias viginti nouem annos, 4. Regum 18. 2. quo toto tempore populum ab idololatria continuit. Succeſſit illi impius Manaſſes, 4. Regum 20. 21. qui idololatriam reſtaurauit, 4. Regum 21. 2. 3. 4. Itaque viginti tribus annis poſt captam Samariam populus ab idolis abſtinuit, poſt quod tempus multò magis quàm Samaria, & Sodoma idola coluit. Atque hoc putant Hebræi hoc loco ſignificari. Mihi ſenſus Septuag. & interpretis noſtri magis placet.

49. *Et abundantia, & otium*] ושלות השקט. & abundantia otij. Otium vocat nimiam à bellis, & aliis vexationibus requietem, quæ cauſa hominibus eſſe ſolet omnis vitioſitatis, maximè verò libidinis, vt poëta quidam dixit.

Ouid. lib. 1. de remed. am. *Otia ſi tollas periêre cupidinis arcus.*

Manum egeno יד עני ואביון לא החזיקה. Magnum egeni & pauperis non corroborabat, id eſt, non implebat, nihil pauperi & egeno in manum dabat. Eodem ſenſu Sept. *χεῖρα πτωχοῦ καὶ πένητος οὐκ ἀντελαμβάνοντο*, *manum mendici, & pauperis non adiuuabant.*

5. *Eleuatæ ſunt.*] In ſuperbiam elatæ Sodoma, & filiæ eius, id eſt, vicinæ, ſubiectæque ciuitates. *Coram me.* Contra me, aut, me vidente, frequens Hebraïſmus.

51. *Et iuſtificaſti ſorores tuas.*] Iuſtiores te eſſe declaraſti, dum peiora flagitia commiſiſti.

52. *Quæ viciſti ſorores.*] ſenſus noſtri interpretis optimè conuenit. Hebræi tamen aliter exponunt אשר פ לת. Quæ iudicaſti ſororem tuam;id eſt,quæ contra Samariam ſententiam pronuntiaſti, cùm videres eam in captiuitatem duci, dicens meritò eam puniri, quòd Deum dereliquiſſet. Hæc mihi interpretatio non placet. Nam ſi hoc dicere voluiſſet, non dixiſſet, Iudicaſti ſororem tuam in peccatis tuis, ſed in peccatis eius. Senſus ergo eſt Iudicaſti, id eſt, condemnaſti ſororem tuam in peccatis tuis. quaſi dicat, cùm peccatis tu, ſorórque tua certaretis, tu illam condemnaſti, id eſt, eam peccatis viciſti, vt optimè vertit noſter interpres. *Sceleratius agens ab eis.* מהן. præ illis.

53. *Conuertam reſtituens eas.*] ושבתי את שבותהן. Et conuertam conuerſionem earum, conuerſionem, inquam, Sodomæ, & filiarum eius, & conuerſionem Samariæ, & filiarum eius, quemadmodum Septuag. verterunt. Conuerſionem vocat captiuitatem שבות. quaſi dicat, reuocabo ciues Sodomorum & Samariæ, qui captiui tenentur. Non poteſt hic locus niſi de vocatione Gentium intelligi, qua Sodomitæ, id eſt, homines Gentiles ad Eccleſiam Chriſti tanquam ad ſuam patriam ab exilio errorum reuertentur. Ponit enim vnam Gentilium ciuitatem loco omnium: ſicut Chriſtus Matth. 11. 21. 23. poſuit Sodomam, Tyrum, & Sidonem. Cùm enim hæc Ezechiel prædicebat, Sodomæ incendio deletæ erant. Per Samariam autem eos Iudæos intelligit, qui cùm à duabus tribubus, quæ verum regnum, & ſacerdotium retinebant, diſceſſiſſent, medij quodammodo inter Iudæos, & Gentiles erant. Docet ergo fore, vt priùs Gentiles, & Samaritani à diaboli captiuitate liberentur, & ad Eccleſiam veniant, quod euentus verum eſſe declarauit. *Et conuertam reuerſionem tuam*, captiuitatem tuam, qua inter eas verſaris, vt plerique interpretantur, vel, quod mihi magis placet, *In medio earum*, id eſt, vnà cum illis, quaſi non illas propter te, ſed te propter illas liberare videas.

Locus de vocatione Gētium intelligendus.

54. Vt.

54. *Vt portes ignominiam tuam.*] Vides alios venire ab Oriente, & Occidente, & recumbere cum Abraham & Iſaac in regno Dei, te autem foras eiici, vt Chriſtus dicit Matth 8. 11. 12. Atque hac ratione ſorores tuas conſolaberis, quia ex ſuppliciis tuis intelligent, ſe leuiùs, quam te peccauiſſe.

55. *Ad antiquitatem ſuam.*] Ad priſtinam libertatem, ad antiquam poſſeſſionem ſuam, id eſt, ad Eccleſiam, non quòd antè in Eccleſia fuiſſent: ſed quòd ſtatus Eccleſiæ, ſit ſtatus libertatis, qualem illi olim habuerant. In libertatem enim vocati ſumus, Galat. 5. 13. *Et tu, & filiæ tuæ reuertemini.* Poſt alias gentes. *Cæcitas* enim *ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic* (poſt gentes) *omnis Iſraël ſaluus fieret.* Rom. 11. 26.

56. *Non fuit audita in ore tuo.*] Nemo te vnquam audiuit commemorare inſigne Sodomorum exemplum, qui ob nefanda ſua flagitia deleti fuerant, vt te, & alios metu ſimilis ſupplicij à ſimilibus flagitiis reuocares; ſed *in die ſuperbiæ tuæ*, id eſt, cùm tibi adeo proſperè omnia ſuccederent, vt in ſuperbiam efferreris, oblita es, quid Sodomis accidiſſet.

57. *Antequam reuelaretur.*] exponit, quis fuerit ille dies ſuperbiæ; nempe tempus illud, quo nondum eius malitia per captiuitatem, per peſtem, per gladium, per vrbis & templi euerſionem & incendium reuelaretur. *In opprobrium filiarum Syriæ.* Reuelaretur, inquam, ita vt te Syriæ, Paleſtinæque ciuitates probro haberent, cùm ita te à Deo derelictam, afflictámque viderent. *Quæ ambiunt te.* השאטות אותך מסביב. quæ te vndique deprædabuntur, aut contemnent.

58. *Scelus tuum, & ignominiam tuam.*] H. את זמתך ואת תועבותיך. ſcelus tuum & abominationes tu portabis, id eſt, ſcelerum & abominationum pœnas dabis. præteritum pro futuro.

59. *Et faciam.*] ו. coniunctio redundat. *Sicut deſpexiſti.* כאשר עשית ſicut feciſti, quemadmodum Sept. verterunt, id eſt, ſicut tu irritum feciſti pactum meum, quo promiſeras fore vt coleres me; ita ego irritum faciam pactum tuum quo promiſeram fore vt bene tibi facerẽ, vt paulò pòſt declarat. *Sicut deſpexiſti iuramentum.* H. אשר בזית אלה. quia deſpexiſti iuramẽtum, *vt irritum faceres pactũ* id eſt, deſpiciens iuramẽtum irritum feciſti pactum, aut, irritum feciſti pactum non habens rationem vllam iuramenti, quo illud firmaueras. Alij hunc verſum ſequenti coniungunt, atque ad hunc modum interpretantur, quamuis poſſem facere ſicut tu feciſti, id eſt, pactum meum violare, ſicut tu violaſti tuum, tamen non faciam; ſed recordabor pacti mei, itaque verſu ſequenti coniunctionem ו. &, vertunt in Tamen, aut in Autem, Ego tamen, aut, Ego autem recordabor pacti mei. Quæ interpretatio neque præcedentibus, neque ſequentibus verbis mihi videtur conuenire. Nam ver. 58. dixit *ſcelus tuum & ignominiam tuam* portabis, & ver. 59. reddit cauſam, quia faciam tibi ſicut feciſti: non ergo de venia, ſed de pœna agit; & ver. ſequenti 61. dicit, *recordaberis viarum, tuarum & confunderis.* quamquam id alium ſenſum habere poteſt. Igitur ſenſus eſt.

60. *Et recordabor ego pacti mei.*] id eſt, puniam te ſecundum pactum meum. Nam in fœdere non ſolùm promiſſa erant præmiorum: ſed etiam pœnarum aduerſus tranſgreſſores comminationes, Leuit. 26. quaſi dicat, Quia tu non es recordata pacti mei, ego recordabor. Seruabo enim illud ſumendis de te pœnis: cùm autem puniuero te auferam pactum illud à te, & dabo pactum aliud ſempiternum, quod eſt Euangelium, vt apud Ierem. cap. 31. 31. Quia enim de pœnis agebat, verbum vnum conſolatorium intermiſcuit.

61. *Et recordaberis viarum tuarum.*] Cognoſces ex pacto illo ſempiterno antiqua tua peccata, per euangelium enim peccata cognoſcuntur. *Et confunderis.* pudebit te tui, ages per euangelium admonita, pœnitentiam. *Cùm receperis ſorores tuas*, Decem tribus, & omnes alias gentes: faciam enim illas ex ſororibus filias, quia priùs æquales tibi erant, tunc tibi erunt tanquam matri filiæ ſubiectæ, à te enim per baptiſmum generabuntur. Loquitur de Eccleſia ſub nomine *Ieruſalem pro Eccleſia.* Ieruſalem, quemadmodum Ieremias multis in locis facit: propterea dicit fore vt ex ſororibus filias faciat, quia antè ſorores fuerant Ieruſalem; poſtea Eccleſiæ filiæ. Hoc eſt, quod Iſaias cap. 60. 4. vaticinatur, *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* & cap. 49. 22. *Afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Non ex pacto tuo.* Non propter pactum illud vetus: ſed propter nouum. Alij, non propter merita tua.

63. *Et non ſit tibi vltrà aperire os.*] Non audebis ampliùs contra me me hiſcere, nullam habebis occaſionem querendi de me; multitudine, magnitudinéque meorum beneficiorum deuincta.

CAPVT XVII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 2 *Fili hominis propone ani-*
gma, & narra parabolam ad domum Iſraël, & dices, 3 *Hæc dicit Do-*
minus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu,
plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. 4 *Summi-*
tatem frondium eius auulſit: & tranſportauit eam in terra Chanaan, in vrbe negotiato-
rum poſuit illam. 5 *Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine: vt*
firmaret radicem ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud. 6 *Cùmque germinaſ-*
ſet creuit in vineam latiorem humili ſtatura, reſpicientibus ramis eius ad eam: & radices
eius ſub illa erant, facta eſt ergo vinea, & fructificauit in palmites: & emiſit propagines.
7 *Et facta eſt aquila altera grandis, magnis alis, multiſque plumis: & ecce vinea iſta*
quaſi mittens radices ſuas ad eam, palmites ſuos extendit ad illam, vt irrigaret eam de
areolis germinis ſui. 8 *In terra bona ſuper aquas multas plantata eſt: vt faciat*
frondes, & portet fructum, vt ſit in vineam grandem. 9 *Dic, Hæc dicit Dominus*
Deus. Ergo-ne proſperabitur? non-ne radices eius euellet, & fructus eius diſtringet, &
ſiccabit omnes palmites germinis eius, & areſcet: & non in brachio grandi, neque in
populo multo, vt euelleret eam radicitus? 10 *Ecce plantata eſt: ergo-ne proſpera-*
bitur? non-ne cùm tetigerit eam ventus vrens ſiccabitur, & areis germinis ſui areſcet?
11 *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens.* 12 *Dic ad domum exaſperan-*
tem, Neſcitis quid iſta ſignificent? Dic, Ecce, venit rex Babylonis in Ieruſalem: &
aſſumet regem & principes eius, & adducet eos ad ſemetipſum in Babylonem. 13 *Et*
tollet de ſemine regni, ferìetque cum eo fœdus, & ab eo accipiet iuſiurandum, ſed & fortes
terræ tollet: 14 *Vt ſit regnum humile: & non eleuetur, ſed cuſtodiat pactum eius, &*
ſeruet illud. 15 *Qui recedens ab eo, miſit nuntios ad Ægyptum, vt daret ſibi equos &*
populum multum. Numquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem qui fecit hæc? & qui
diſſoluit pactum, numquid effugiet? 16 *Viuo ego dicit Dominus Deus, quoniam in*
loco regis qui conſtituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & ſoluit pactum quod
habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. 17 *Et non in exercitu grandi, neque in*
populo multo faciet contra eum Pharao prælium, in iactu aggeris, & in extructione vallo-
rũ, vt interficiat animas multas. 18 *Spreuerat enim iuramentũ, vt ſolueret fœdus, & ecce*
dedit

Digitized by Google

dedit manum ſuam,& cùm omnia hæc fecerit,non effugiet. 19 *Propterea hæc dicit Do-*
minus Deus, Viuo ego, quoniam iuramentum quod ſpreuit, & fœdus quod præuaricatus
eſt,ponam in caput eius. 20 *Et expandam ſuper eum rete meum,& comprehendetur in*
ſagena mea: & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione qua
deſpexit me. 21 *Et omnes profugi eius,cum vniuerſo agmine ſuo, gladio cadent: reſidui*
autem in omnem ventũ diſpergentur:& ſcietis quia ego Dominus locutus ſum. 22 *Hæc*
dicit Dominus Deus. Et ſumam ego de medulla cedri ſublimis,& ponam: de vertice ra-
morum eius tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum & eminentem.
23 *In monte ſublimi Iſraël plantabo illud,& erumpet in germen,& faciet fructũ, & erit*
in cedrum magnam,& habitabunt ſub ea omnes volucres & vniuerſum volatile. ſub vm-
bra frondium eius nidificabit. 24 *Et ſcient omnia ligna regionis quia ego Dominus hu-*
miliaui lignum ſublime,& exaltaui lignum humile: & ſiccaui lignum viride,& fronde-
re feci lignum aridum. Ego Dominus loquutus ſum,& feci.

DVARVM aquilarum ſimilitudine prædicit Sedeciæ captiuitatem, promittitque Eccleſiæ Euangelicæ plantationem,& propagationem. *Cur Nabuchodonoſor aquila vocetur.*

3. *Aquila grandis.*] Nabuchodonoſor magnus Chaldæorum rex, qui & propter celeritatem, & propter rapinam, quam exercebat, aquila vocari ſolet, vt apud Ierem.c.48.40.& c.49.22.Id explicatur inf.v. 12. *Magnarum alarum.* Alas vocat militares copias vt Ierem.49.22.*Ecce quaſi aquila aſcendet,& volabit,& expandet alas ſuas ſuper Boſram.* & Ierem. 48.40. *Extendet alas ſuas ad Moab.* Etiam Latinè in agmine alæ dicuntur, *longo membrorum ductu* ארך האבר longis pennis, pennas per metaphoram vocat haſtas, aut pernicioſiſſimos equos, quibus Chaldæi volare videbantur,Ierem.4. 13. *Velociores aquilis equi illius. Plena plumis.* Opes plumas appellat;varias autem gentes,quas ſecum in bellum duxit, varietatem;aut milites plumas, diuerſas nationes varietatem, vt alludat ad plumas aquilæ,quæ diuerſicolores ſunt.*Venit ad Libanum.*Ad Ieruſalem,vt explicatur v. 12.Ieruſalem monti Libano vicina erat:& quia de aquila loquebatur,quæ non in vrbibus,ſed in montibus verſari ſolet,vrbem nomine montis appellauit.*Tulit medullam cedri.*צמרת. Hieron.medullam vertit, ſicut etiam infrà v. 22. Sept. τὰ ἐπίλεκτα τῶν κέδρων. *Lectiſſimas quaſq; cedros.* Hebræi, vt R. Dauid in lib.rad.& R.Salomon in comm. in hunc locum,ſummum cacumen arboris interpretantur, quemadmodũ idẽ Hier.aliis locis vertit,vt inf.c.31.3.10.Vtrocunq; modo vertamus, ſenſus eſt idem. Nam per medullam, & cacumen cedri Ioachin, & principes eius intelligit,qui quaſi medulla,aut cacumen populo erant.

4. *Summitatem frondium eius.*] אתראש יניקותיו. caput plantationum eius, aut ramorum eius,vt Chaldæus vertit,id eſt,proceriores ſtolones eius: alludit enim ad arbores, & ſtolones, qui ex vno loco in alterum tranſplantantur. *In terram Chanaan.*Chanaan hoc loco non debet eſſe nomen proprium,ſed appellatiuum, quod negotiationem ſignificat, vt ſtatim exponit, *in vrbe negotiatorum*, id eſt, in Babylone, quæ negotiatoribus magnopere abundabat.Nam & terra Chanaan à negotiatione nomen acceperat. *Chanaã quid ſignificet.*

5. *Et tulit de ſemine terræ.*] Poſtquam ſtolones tranſplantauit, id eſt, Iechoniam, & principes eius Babylonem tranſtulit, accepit ex ſemine cedrorum terræ Iuda,& ſeminauit in terra Iuda, id eſt, Sedeciam, qui ex regio Iudæorum ſemine erat,patruus nimirum Iechoniæ regem conſtituit,& in Ieruſalem miſit, 4. Reg. 24. 17. *In terra pro ſemine.* H. בשרה זרע. In terra ſeminis, id eſt, fertili,ſatiua, apta ſementi faciendæ. Hoc ſenſu Sept. verterunt, atque ita Hebræi,

&

Digitized by Google

& Chaldæus Paraphraſtes interpretantur. Terram aptam ſemini vocat Iudæam, quòd fertilis eſſet. *Vt firmaret radicem.* H. קח על מים רבים. Accepit iuxta aquas multas, id eſt, accepit vt ſeminaret illud iuxta aquas multas, vt Chaldæus vertit. *In ſuperficie*, aquarũ, iuxta ipſas aquas. H. צפצפה שמו ſicut ſalicem poſuit illud. Solent enim ſalices iuxta aquas plantari. צפצפה. R. Dauid, & R. Salòmon ſalicem ſignificare dicunt. Ionathas vertit vitem, quia verſu ſequenti dicitur, *reuit ut vineam.* Senſus ergo ex vtroque nomine colligitur. Plantauit (vitem) iuxta aquas multas, ſicut ſalicem. Mutauit metaphoram. Nam prius Iechoniam, & principes eius ramos cedri vocauerat, nunc Sedeciam vitem vocat: qua metaphoræ mutatione, regnum quoque mutatum eſſe indicat, & ex cedro, quæ altiſſima eſt arbor, humilem vitem factam fuiſſe.

6. *Creuit in vineam latiorem.*] סרחת. luxuriantem. Significat regnum Sedeciæ initio floruiſſe antequam aduerſus regem Babylonis rebellaret. Septuag. contrario ſenſu verterunt, ἐγένετο εἰς ἄμπελον ἀσθενοῦσαν. *facta eſt in vitem infirmam. Humili ſtatura.* quaſi dicat, non creuit regnum Sedeciæ in altum, quia ſub rege Babylonis erat, illique tributa pendebat, ſed creuit in latum, quia quidquid antè occupabat, poſtea etiam occupauit. *Reſpicientibus ramis eius ad eam.* Hebræi interpretantur, reſpicientibus ramis eius ad aquilam, id eſt, ad Nabuchodonoſorem. quaſi dicat, propter ea rami eius in ſublime creſcere non potuerunt; quia ſub Nabuchodonoſore erant, ſicut paruæ arbores, quæ ſub magnis plantatæ ſunt, in altum aſſurgere non poſſunt. Mihi paulò duriùs videtur, vt pronomen *eam*, ad aquilam referatur, quæ longè antè relicta eſt. Itaq; ad vitem referendum puto, eſſeque elegantem metaphoram ſumptam ex arboribus, quæ ſub tecto, aut aliquo alio impedimento ſatæ ſunt, quarum rami, cùm in altum tendere non poſſint, recuruantur, & in ipſam arborem reſpiciunt. *Et radices eius ſub illa erant.* Hoc etiam Hebræi ad Nabuchodonoſorem, ego ad vitem refero. quaſi dicat, non fuerunt exciſæ radices eius, ſed ſub ea adhuc manebant, ideo in latum propagabatur. Radicem vocat regem Sedeciam, palmites eius filios, qui quotidie multiplicabantur donec à Nabuchodonoſore trucidati ſunt, 4. Reg. 25. 7. & Ierem. 52. 10.

7. *Aquila altera.*] Rex Ægypti, qui magnus quidem erat: ſed minor quàm rex Babylonis. *Mittens radices ſuas ad eam.* Radices vocat legatos, quos Sedecias miſit ad regem Ægypti, vt ab eo exilium peteret, Ierem. 2. 18. & infrà v. 15. Alludit autem tacita quadam metaphora ad arbores, quæ in eam partem radices, & ramos mittunt, vbi aquam eſſe ſentiunt. Sic enim Sedecias in Ægyptum legatos miſit, quæ tota Nili aquis irrigabatur. Hoc eſt, quod dicit, *vt irrigaret* (Ægyptus) *eam*, vineam, *de areolis germinis ſui*, id eſt, vt ex ſuis ſatis, quæ irrigationis cauſa in areas diſtincta erant, aliquid ex aquis, quæ illi abundabant, ad ſe deriuaret. Aquæ autem ſunt milites. Eadem alluſione Ieremias vſus eſt cap. 2. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Aqua enim Nili turbida erat, vnde שיחור. Hebraïcè, id eſt, obſcurus appellatus eſt.

8. *Quæ in terra bona.*] Omnes hoc de vite, hoc eſt, de Sedecia interpretantur, qui in Iudæa erat fertiliſſimo ſolo, vt dixit ver. 5. *Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra ſeminis, vt firmaret radicem ſuper aquas multas.* Quomodo ergo petit aquas ex Ægypto? Quia nomen aquæ ambiguè ſumit. Cùm dicit plantatam eſſe ſuper aquas multas, aquas propriè ſumit, ſolique Iudaïci fertilitatem ſignificat: cùm autem ab Ægyptiis aquas petit, aquas milites auxiliares

liates appellat, quaſi dicat, Sedecias ſe regnum habere optimo loco, vt amplificari, floreréque poſſit, tantùm ſibi milites deeſſe.

9. *Ergóne proſperabitur?*] Rectè noſter interpres & Hieronymus, particulam illatiuam, & interrogationem reddidit, quæ Hebraicè non eſt. Neceſſariò enim intelligi debet, vt etiam Rab. Dauid admonuit. *Nonne radices eius euellet?* prior aquila, id eſt, nonne Nabuchodonoſor reuellet Sedeciam à regno, in quo eum tanquam vitem plantauerat, & Babylonem captiuum ducet? *Fructus eius diſtringet.* Omnes eius opes diripiet. *Et ſiccabit*, areſaciet, *omnes palmites.* Occidet omnes filios eius, 4. Regum 25. 7. & Ierem. 52. 10. *Et non in brachio grandi*, non magna potentia. Hæc verba nonnulli ad regem Ægypti referunt, vt R. Salomon, id eſt, rex Ægypti non veniet cum magna potentia, vt Sedeciam iuuare poſſit. Quod cum hiſtoria non conuenit. Nam apud Ierem. cap. 37. 4. legimus Babylonios ad regis Ægypti aduentum Ieroſolymitanam obſidionem ſoluiſſe. Alij referunt ad ipſum Sedeciam, vt R. Dauid: quaſi dicat, non poterit ſe Sedecias cum magna potentia, populóque liberare. Sed verus ſenſus infrà declaratur ver. 17. Non poterit rex Ægypti, quamuis cum magna potentia, & exercitu veniat, Sedeciam liberare.

10. *Ecce plantata eſt.*] Hebraiſmus, pro, an proſperabitur, quamuis bene nunc plantata ſit? *Ventus vrens.* H. רוח הקדים. ventus orientalis, ſic vocat regem Babylonis, quia, vt ait R. Dauid, Babylon terræ Iſraël ad orientem ſeptentrionalem ſita erat, vnde fit vt rex Babylonis aliquando Aquilo, aliquando ventus orientalis appelletur. *Et in areis germinis ſui.* in eodem loco quo creuit, in ipſa Iudæa. Nam Sedecias, & eius principes in Ierichotinis campis capti ſunt, 4. Reg. 25. 5. & Ierem. 52. 7. 8. *Hebraiſmus.*

12. *Ad domum exaſperantem.*] H. לבית המרי. ad domum rebellem, vt ſuprà cap. 2. ver. 5. 6. 8. & cap. 3. ver. 9. 26. 27. & cap. 12 ver. 2. 3. 9. 25. Incipit ænigma declarare. *Aſſumet regem*, Iechoniam, 4. Reg. 24. 15. Hæc eſt explicatio ſuperioris verſus tertij, & quarti.

13. *Et tollet de ſemine regio.*] Sedeciam, qui ex regio ſanguine erat, explicat quod dixerat v. 5. *Ferietque cum eo fœdus*, vt regnet, ſed ſibi ſit vectigalis. Quod quamuis in libris Regum non ſcribatur, tamen colligitur ex hoc loco. *Sed & fortes terræ tollet.* principes multos apud ſe retinebit, Ioachin ſcilicet, & eius filios, vt vires regni debilitet. Hoc eſt quod ſequitur.

14. *Vt ſit regnum humile.*] Exponit verſum 6. *Humili ſtatura, reſpicientibus ramis eius ad eam.*

17. *Faciet contra eum.*] contra regem Babylonis; vt non ſolùm noſter interpres ſed etiam Chaldæus interpretantur. Quamquam alij verba Hebraica aliter exponunt, יעשה אותו. faciet illum, id eſt, opem feret illi, iuuabit illum. R. Dauid putat pronomen Hebræorum more redundare. quaſi dicat, non congregabit rex Pharao magnum exercitum. *In iactu aggeris.* בשפך. Cùm iecerit (Nabuchodonoſor) aggerem, nihil poterit Pharao Sedeciam adiuuare. Exponit hoc verſu, quod verſu 9. obſcurius dixerat.

18. *Et dedit manum ſuam.*] Pharaoni, vt Chaldæus vertit, id eſt, cùm violaſſet fœdus quod interpoſito iureiurando cum rege Babylonis inierat, aliud fœdus cum eius hoſte Pharaone percuſſit. Alij interpretantur, *Dedit manum* id eſt, fidem Nabuchodonoſori, quod mihi minus placet.

19. *Iuramentum.*] Hebraicè eſt, אלתי ובריתי. iuramentum meum, & fœdus meum, ſicut Septuag. tranſtulerunt. Vocat autem Deus iuramentum, & fœ-

Google

ſuum, non quòd cum illo pactum eſſet; ſed quòd eius interpoſito nomine initum fuerat. *Ponam in caput eius.* Sumam de illo pœnas ob violatum iuramentum. Idem Hebraiſmus ſuprà cap 9. 10. & c. 11. 21. & cap. 16. 43.

20. *Expandam.*] rete ſuum vocat Deus Chaldæorum exercitum, vt ſuprà c. 12. 13. & infrà cap. 32. 3. *In præuaricatione.* H. propter præuaricationem. Dicit Deus Sedeciam non ſolùm in regem Babylonis, ſed etiam in ſe præuaricatum, quia iuramentum per nomen Dei factum violauit.

22. *Et ſumam ego.*] Pronomen *Ego* emphaticè poſitum eſt. Opponit enim ſe Deus Nabuchodonoſori, qui de cacumine cedri ſumpſerat, vt regnum Iuda plantaret vt ver. 5. dictum eſt: ſed non bene ſucceſſit: Deus idem ſe facturum dicit, benéque ſucceſſurum. Sumet enim de medulla, מצמרת. de ſummo cacumine cedri, ſicut ver. 3. id eſt, ex nobiliſſimo Iud[æor]um ſanguine, ex genere regio Dauidis, decerpet, inquam, ex eo tenerum ſtolonem, id eſt, Chriſtum, plantabítque eum *ſuper montem excelſum*, hoc eſt, regem conſtituet *ſuper Sion montem ſanctum eius*, Pſal. 2. 6. *Et regni eius non erit finis*, ſicut fuit Sedeciæ, quod Nabuchodonoſor plantauerat, Lucæ cap. 1. 33. Hebræi hunc locum de Zorobabel interpretantur; ſed non poſſunt, quæ hîc dicuntur in illum conuenire. Nam nec rex fuit, nec eius dominatio perpetua.

Locus de Chriſti regno intelligendus.

23. *In monte ſublimi Iſraël.*] In monte Sion, id eſt, in Eccleſia, Pſalm. 2. 6. *Et erit in cedrum magnam.* Erit magnus rex. Cedrus enim inter arbores regnum tenet. *Omnes volucres.* Omnes reges, aut, omnes gentes ad Eccleſiam venient. Deſcribitur regnum Chriſti eadem metaphora, qua regnum Nabuchodonoſoris apud Danielem cap. 4. 17. 18. 19. *Nidificabit.* תשכנה. habitabit. Sept. ἀναπαύσεται, requieſcet.

24. *Et ſcient omnia ligna regionis.*] כל עצי השדה. omnia ligna agri, id eſt, omnes gentes etiam barbaræ, non ſolùm Iudæi ac domeſtici, qui quaſi hortenſes arbores ſunt. *Humiliaui lignum ſublime.* Sedeciam, qui ſe violato iureiurando nimiùm extulerat, & rebellionem fecerat. *Et exaltaui lignum humile*, Chriſtum, ex ima radice Ieſſe, quæ adeo latebat humilis ſub terra, vt exciſa eſſe videretur. Hoc enim eſt, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, Iſai. cap. 11. ver. 1. *Et ſiccaui lignum viride:* Sedeciam, & regnum eius, quod florere videbatur. *Et frondere feci lignum aridum*, regnum Dauidis in Chriſto, quod quaſi arbor exaruiſſe videbatur: ſed manebat adhuc occulta radix Ieſſe. *Et feci.* præteritum Hebraïcum pro futuro, id eſt, ſicut dixi, ita faciam.

CAPVT XVIII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, 2 *Quid eſt quod inter vos*
parabolam vertitis in prouerbium iſtud in terra Iſraël? dicentes, Patres
comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. 3 *Viuo*
ego, dicit Dominus Deus, ſi erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium in Iſraël.
4 *Ecce omnes animæ meæ ſunt: vt anima patris, ita & anima filij mea eſt: ani-*
ma quæ peccauerit, ipſa morietur. 5 *Et vir, ſi fuerit iuſtus, & fecerit iudicium &*
iuſtitiam, 6 *in montibus non comederit, & oculos ſuos non leuauerit ad idôla do-*
mus Iſraël: & vxorem proximi ſui non violauerit, & ad mulierem menſtruatam
non acceſſerit. 7 *Et hominem non contriſtauerit: pignus debitori reddiderit,*

per

per vim nihil rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento.
8 Ad vſuram non commodauerit, & ampliùs non acceperit: ab iniquitate auerterit
manum ſuam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum: 9 in præceptis meis
ambulauerit, & iudicia mea cuſtodierit, vt faciat veritatem: hic iuſtus eſt, vita vi-
uet, ait Dominus Deus. 10 Quod ſi genuerit filium latronem effundentem ſangui-
nem, & fecerit vnum de iſtis: 11 & hæc quidem omnia non facientem, ſed in mon-
tibus comedentem, & vxorem proximi ſui polluentem: 12 Egenum & pauperem
contriſtantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos ſuos,
abominationem facientem: 13 Ad vſuram dantem, & ampliùs accipientem: nunquid
viuet? non viuet, cùm vniuerſa hæc deteſtanda fecerit; morte morietur, ſanguis eius in
ipſo erit. 14 Quòd ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui quæ fecit ti-
muerit, & non fecerit ſimile eis. 15 Super montes non comederit & oculos ſuos non le-
uauerit ad idola domus Iſraël, & vxorem proximi ſui non violauerit: 16 Et virum
non contriſtauerit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem ſuum eſurien-
ti dederit, & nudum operuerit veſtimento: 17 A pauperis iniuria auerterit manum
ſuam, vſuram & ſuperabundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, & in præceptis
meis ambulauerit: hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita viuet. 18 Pater
eius quia calumniatus eſt, & vim fecit fratri, & malum operatus eſt in medio populi ſui:
ecce, mortuus eſt in iniquitate ſua. 19 Et dicitis, quare non portabit filius iniquitatem
patris? Videlicet, quia filius iudicium & iuſtitiam operatus eſt, omnia præcepta mea cu-
ſtodiuit, & fecit illa, viuet vita. 20 Anima quæ peccauerit ipſa morietur: filius non
portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iuſtitia iuſti ſuper
eum erit, & impietas impij erit ſuper eum. 21 Si autem impius egerit pœnitentiam ab
omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudi-
cium & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur. 22 Omnium iniquitatum eius quas
operatus eſt, non recordabor: in iuſtitia ſua quam operatus eſt, viuet. 23 Nunquid vo-
luntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt cõuertatur à viis ſuis & viuat?
24 Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes
abominationes quas operari ſolet impius, nunquid viuet? omnes iuſtitiæ eius quas fecerat,
non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo quod pec-
cauit, in ipſis morietur. 25 Et dixiſtis, Non eſt æqua via Domini. Audite ergo do-
mus Iſraël. Nunquid via mea non eſt æqua, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt?
26 Cùm enim auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in
iuſtitia quam operatus eſt, morietur. 27 Et cùm ſe auerterit impius ab impietate ſua
quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam: ipſe animam ſuam viuificabit.
28 Conſiderans enim, & auertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis quas operatus eſt, vi-
ta viuet & non morietur: 29 Et dicunt filij Iſraël. Non eſt æqua via Domini. Nun-
quid viæ meæ non ſunt æquæ, domus Iſraël, & non magis veſtræ prauæ? 30 Idcirco
vnumquemque iuxta vias ſuas iudicabo domus Iſraël, ait Dominus Deus. Conuertimini,
& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniqui-
tas. 31 Proiicite à vobis omnes præuaricationes veſtras in quibus præuaricati eſtis,
& facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum: & quare moriemini domus Iſraël?
32 Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.

TOLLENDVM eſſe prouerbium, quod inter Iudæos verſabatur, *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*: neminem deinceps pro altero puniendum, ſed vnumquemque aut ob ſuam iniquitatem moriturum, aut ob ſuam iuſtitiam ſaluum futurum eſſe.

1. *Dicens.*] Verbum dicens, id eſt, quo mihi dicebatur, aut verbum Dei dicentis. Alij, לֵאמֹר. vt ego dicerem, vt exponit R. [illegible] Sed hoc minùs vſitatum eſt.

2. *Parabolam vertitis.*] משׁלים את המשׁל הזה, vſurpare ſoletis prouerbium hoc. *In terra Iſrael.* על־אדמת ישׂראל. Aliqui interpretantur, De terra Iſraël, id eſt, de vaſtatione terræ Iſraël, ita R. Dauid. &, vt videtur, Chaldæus Paraphraſtes. Meliùs Septuag. & Hieronymus, *In terra Iſrael.* Nondum enim vaſtata terra erat, vt de eius vaſtatione prouerbium iactarent. *Patres comederunt*, id eſt, patres peccauerunt, & nos eorum filij pro ipſorum peccatis pœnas damus.

Hebraiſmus. 3. *Si erit.*] id eſt, quod non erit. Sæpe huiuſmodi Hebraïſmum declarauimus, poſt verba iurandi affirmationem per negationem, & negationem per affirmationem eſſe reſoluendam, vt Pſ. 88. 36. *Semel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar*, id eſt, quòd non mentiar. Et Pſal. 94. 11. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt*, id eſt, quòd non introibunt. Et Iſai. 14. 24. *Iurauit Dominus exercituum, dicens, ſi non vt putaui, ita erit*, id eſt, quòd, vt putaui, ita erit.

4. *Ecce omnes animæ meæ ſunt.*] Anima hoc loco aut pro vita, aut pro toto homine ponitur, vt in aliis innumeris locis, ſtatim enim dicit, *Anima, quæ peccauerit*, id eſt, homo. Senſus ergo eſt, omnes homines, & eorum vita in mea ſunt poteſtate, poſſúmque de illis facere quidquid velim, Ego enim ſum qui vitæ & mortis poteſtatem habeo, & deduco vſque ad portas inferi, & reduco. Sap. 16. 13. Hoc idcirco dicit, vt doceat, non propterea ſe filios punire, quòd patres punire non poſſit, quemadmodum homines facere ſolent, qui paruos, & *Anacharſis apud Plutarchum in Solone.* ignobiles fures puniunt, magnos, quia non poſſunt, non puniunt, quamobrem aranearum telis ille quondam Philoſophus leges comparauit, quæ muſcas capiunt, à maioribus verò beſtiis diſrumpuntur. Non ſic Deus: cùm enim omnes æqualiter in eius ſint poteſtate, omnes punire poteſt, nec eſt quidquam *Horat. lib. 1. Epiſt. 2.* cauſæ, cur propter reges, vt quidam poëta dixit, *plectat Achiuos*. Alij interpretantur, *Omnes animæ, meæ ſunt*, per creationem, id eſt, ego ſolus ex nihilo eas procreaui, non parentes. Quod etſi eſt verum, non eſt ad rem. *Anima quæ peccauerit.* Hic locus valde difficilis, magnas inter Theologos quæſtiones excitauit. Ego ſic interpretor, quemadmodum ſimilem apud Ieremiam locum interpretatus ſum, cap. 31. 29. Duplex eſt in hac quæſtione difficultas: altera eſt, quomodo filij propter parentes puniantur, quod negare non poſſumus ſæpe factum eſſe. Nam Dauidis filius propter patris adulterium mortuus eſt, 2. Regum 12. 18. Et Iudæi propter peccata regis Manaſſe puniebantur, vt dicitur, 4. Regum cap. 21. 12. 13. & 24. 3. 4. & apud Ieremiam cap. 15. 4. Itaque quamuis immeritò Iudæi de Deo quererentur, tamen quod dicebant, verum erat, filios propter parentum peccata puniri, occaſionémque prouer-*Quo ſenſu filij propter parentes puniantur.* bio ſcriptura quodammodo dederat: Ad hanc primam difficultatem rectè mihi videntur multi Theologi reſpondiſſe, filios propter peccata patrum, (niſi iiſdem ipſi teneantur) non animo, ſed corpore puniri, quia corpore quiddam parentum ſunt, ideóque vſque in tertiam, & quartam generationem punit. Exod. 20. 5. quia vſque ad quartam generationem cenſentur veluti poſſeſſio patris eſſe. Altera difficultas eſt, quomodo promittat Deus hoc loco, fore vt deinceps filij propter parentum peccata non puniantur, cùm etiam hodierno die id fieri videamus? Nam & Iudæos propter ſummum illud maiorum ſuorum ſcelus, quo Chriſtum crucifixerunt, etiam nunc pœnas darè credimus.

Ad hanc ego quæſtionem ſimpliciſſimè reſpondeo, non eſſe hanc ſententiam, & illam, quæ apud Ieremiam huic ſimilis eſt, generaliter de omnibus perſonis, & de omni tempore intelligendam; ſed accommodate ad id, de quo agebatur: agebatur autem de pœnis, quas Iudæi propter peccata Manaſſis ſe luere querebantur; reſpondet Deus fore, vt non ampliùs propter peccata Manaſſis puniantur, ſed ſui quiſque peccati pœnas luat; aut, quia iam ſatis pœnarum propter peccata Manaſſis datum erat: aut, quia ſatis ipſi peccatorum habebant, vt meritò de illis Deus grauiſſimas pœnas ſumeret.

6. *In montibus non comederit.*] Idolothyta, quæ in montibus, & collibus ſolebant immolari, 4. Regum 16. 4. & cap. 17. 10. & 2. Paral. 28. 4. & Ierem. 2. 20. *Et oculos ſuos non leuauerit*; Adorandi, aut inuocandi cauſa. Oculos leuare propriè ſignificat auxilium poſtulare, vt Pſal. 120. 1. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.*

Oculos leuare quid ſit.

8. *A b iniquitate auerterit.*] Latinè, à rebus iniquè gerendis manus abſtinuerit, ſi nihil per iniuſtitiam, & iniquitatem fecerit.

6. *Vt faciat veritatem.*] id eſt, quod iuſtum, & æquitas, אמת, enim, veritas pro æquitate ſumitur, vt Pſal. 24. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*: multis aliis locis. *Vita viuet.* Certò viuet, non morietur propter peccata Manaſſis.

10. *Vnum de iſtis.*] malis, quæ paulò antè commemoraui.

11. *Et hæc quidem omnia.*] bona, quæ dixi, non facientem filium genuerit. והוא אתכל אלה לא עשה. Et ipſe hæc omnia non fecerit.

12. *Contriſtantem.*] הונה. opprimentem, vt ſuprà verſu 7.

13. *Sanguis eius in ipſo erit.*] id eſt, mortis reus erit, dignus erit morte, vt videtur Ionathas interpretari: aut, quod ego magis probo, דמיו בו יהיה Sanguines eius in ipſo erunt. ad verbum, id eſt, pœnas perſoluet omnium homicidiorum, quæ patrauit: ſicut aliorum ſanguinem fudit; ita ſanguis eius fundetur: aut, ipſe ſibi cauſa mortis erit, ſicut infrà cap. 33. 4. *Sanguis ipſius ſuper caput eius erit.*

10. *Iniquitate patris ſui.*] propter iniquitatem patris ſui. Hebraïſmus.

18. *Ecce mortuus eſt.*] morietur propter iniquitatem ſuam.

19. *Et dicitis.*] ואמרתם. & dixiſtis ad verbum, id eſt, quod ſi dixeritis, quod ſi quis veſtrum à me petat, cur non portabit filius iniquitatem patris? reſpondeo, *quia iudicium & iuſtitiam operatus eſt.*

20. *Iuſtitia iuſti ſuper eum erit.*] id eſt, iuſtus mercedem recipiet iuſtitiæ ſuæ, & impius impietatis ſuæ pœnas dabit. Ex hoc loco perſpicuum eſt, & in nobis aliquam eſſe noſtram, vt vocant, inhærentem, propriámque iuſtitiam, quamuis ex Dei gratia, & largitate profectam; & nos tam propriè, ac verè cum gratia Dei bene agentes præmia mereri, quàm ſine illa malè agentes ſupplicia meremur. De præmio enim iuſti, & ſupplicio impij eodē prorſus modo loquitur.

In nobis eſſe iuſtitiam inhærentem contra hæreticos.

21. *Egerit pœnitentiam.*] כי ישוב, cùm diſceſſerit ab omnibus peccatis ſuis.

22. *Non recordabor.*] Senſum, non verba reddidit noſter interpres, quæ Hebraicè ſunt, לא יזכרו לו, non memorabuntur illi, ad verbum, aut parum Latinè, Non recordabuntur illi paſſiuè, vt vertit noſter interpres, paulò pòſt ver. 24. Solent Caluiniani hoc loco, & aliis huic ſimilibus abuti, vt doceant, nihil aliud eſſe peccata remitti, quàm ad pœnam non imputari. Nempe non animaduertunt, quid eos abſurdi conſequatur: Si peccata remitti nihil aliud eſt, quàm ad pœnam non imputari, quamuis re vera maneant; peccata non re-

Locus à Caluiniſtarum calumnia vindicatus.

 mitti

mitti nihil aliud erit, quam ad pœnam imputari, quamuis re vera non maneant. Itaque Deus homines ſine vlla vera ipſorum culpa ſæpe puniuit: Quod non minùs impium, quam abſurdum eſt.

23. *Nunquid voluntatis meæ.*] הֶחָפֹץ אֶחְפֹּץ מוֹת רָשָׁע. Non volendo volam mortem impij? id eſt, an ego morte impij delectabor? Rectè hoc Theologi de voluntate Dei antecedente interpretari ſolent. Nam voluntate, quam vocant, conſequenti, vult Deus mortem impij, ſiquidem mortem illi infert: ſed dicitur nolle, quia prima eius voluntas, &, vt ita loquar, intentio non fuit, vt quiſquam moreretur, ſed vt omnes viuerent; peccatum autem effecit, vt Deus à ſua iuſtitia quodammodo coactus mortem peccatoris velit. Nam quod Caluiniani dicunt, feciſſe Deum nonnullos homines ad interitum, impietatis plenum eſt. Hoc eſt quod dicitur Sap. 1. 13. 14. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum; creauit enim vt eſſent omnia.* Et cap. 2. 23. 24. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Voluntas Dei an antecedens & conſequẽs.

Impietas Caluinianorum.

25. *Et dixiſtis,*] וַאֲמַרְתֶּם. *Et dixiſtis*, id eſt, quòd ſi dixeritis non eſſe æquam viam Domini, audite, quid vobis reſpondeam, *Nunquid via mea non eſt æqua, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt?* vt explicauimus ver. 19.

26. *Morietur in eis.*] In ea iniquitate ſingulare pro plurali.

29. *Et dicunt.*] Et tamen dicunt, aut, Quòd ſi dixerint, vt ver. 19. & 25. *Filij Iſraël.* בֵּית יִשְׂרָאֵל. domus Iſraël, vt paulò pòſt repetit, & vt Sept. verterunt: Sed quia, Idem eſt Filij Iſraël, &, Domus Iſraël quod attinet ad ſenſum; Hieronymus vertit, *Filij Iſraël*, aut fortè pro בֵּית, legit בְּנֵי.

30. *Et non erit vobis in ruinam iniquitas.*] Non erit vobis cauſa mortis.

31. *Quare moriemini.*] Si hoc feceritis, nihil cauſæ erit, cur moriamini; non enim voluntatis meæ eſt mors veſtra, vt dixit ver. 23. Peccatum ſolum vobis eſt cauſa mortis: quare moriemini? id eſt, cur ſponte veſtra mori vultis? cur non arripitis ſalutem, quam vobis offero?

CAPVT XIX

ET tu aſſume planctum ſuper principes Iſraël, 2 & dices, Quare mater
tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos?
3 Et eduxit vnum de leunculis ſuis, leo factus eſt: & didicit capere prædam,
hominémq; comedere, 4 Et audierunt de eo Gentes, & non abſq; vulneribus ſuis ceperunt eum: & adduxerunt eũ in catenis in Terram Ægypti. 5 Quæ cùm vidiſſet quoniam infirmata eſt, & periit expectatio eius: tulit vnum de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum. 6 Qui incedebat inter leones, & factus eſt leo: & didicit prædam capere, & homines deuorare: 7 Didicit viduas facere, & ciuitates eorum in deſertum adducere: & deſolata eſt terra & plenitudo eius à voce rugitus illius. 8 Et conuenerunt aduerſus eum gentes vndique de prouinciis, & expanderunt ſuper eum rete ſuum, in vulneribus earum captus eſt. 9 Et miſerunt eum in caueam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis: miſerúntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius vltrà ſuper montes Iſraël. 10 Mater tua quaſi vinea in ſanguine tuo ſuper aquam plantata eſt: fructus eius, & frondes eius creuerunt ex aquis multis. 11 Et factæ ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra dominantium, & exaltata eſt ſtatura eius inter frondes: & vidit altitudinem ſuam in multitudine palmitum ſuorum.

12 Et

12 *Et euulſa eſt ira, in terrámque proiecta: & ventus vrens ſiccauit fructum eius:*
marcuerunt, & areſacta ſunt virgæ roboris eius: ignis comedit eam: 13 *Et nunc*
tranſplantata eſt in deſertum, in terra inuia & ſitienti. 14 *Egreſſus eſt ignis de*
virga ramorum eius, qui fructum eius comedit: & non fuit in ea virga fortis, ſceptrum
dominantium. Planctus eſt, & erit in planctum.

DVABVS metaphoris deſcribit calamitatem, quam breui tempore accepit Ieruſalem altera eſt catulorum leonum, altera vineæ.

1. *Et ſumen.*] Hæc duo verba nunc Hebraicè non leguntur, neque Hieronymus; & Sept. verterunt, ſed conſuetudine fortaſſe ad noſtram verſionem addita ſunt. *Aſſume planctum* שא קינה, ſume lamentationem *ſuper principes Iſraël*, id eſt, deplora ac luge calamitatem principum Iſraël. קינה. propriè lugubre carmen ſignificat, quales ſunt Ieremiæ lamentationes, quæ propterea ab Hebræis קינות. appellantur; & illæ, quæ in obitu Ioſiæ regis dicuntur fuiſſe decantatæ, 2. Paralip. 35. 25. propterea autem dicit *ſuper principes Iſraël*, quia eorum potiſſimùm captiuitatem, & miſerabiles caſus deflet.

2. *Quare mater tua.*] Quomodo factum eſt vt mater tua, id eſt, Ieruſalem ſimilis ſit leænæ, quæ breui tempore multos catulos & nutriuit, & amiſit? *Mater tua*, pro, matre veſtrâ, quia cum vnoquoque eorum loquitur: aut, *mater tua.* O Propheta. Adnotauit R. David, מה. hoc loco eſſe particulam dolentis, ſicut ſuprà cap. 16. ver. 30. מאומלל לבך. quomodo infirmum eſt cor tuum. quaſi dicat, Heu quomodo mater tua facta eſt ſimilis leænæ, quæ cùm inter leones cubuiſſet, multos catulos genuit, ſed omnes breui tempore amiſit: ſicut Ieremias ſuas lamentationes orſus eſt, *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo? In medio leunculorum*, id eſt, cùm inter leones verſata ſit & cum eis concubuerit: leones vocat priſtinos reges, quos habebat Ieruſalem, ex quibus genuit catulos, id eſt, nouos iſtos reges Ioachaz, Ieconiam, Sedeciam, quorum calamitatem deflet, quos ideo catulis comparat, quia ſuperiorum regum comparatione parui fuerunt; ſub illis enim regnum collabi cœpit. *Enutriuit catulos ſuos*, רבתה. ad verbum, multiplicauit catulos ſuos, id eſt, breui tempore multos reges genuit, vt rectè Theodoritus obſeruauit. Nam Ioachaz tribus tantùm regnauit menſibus, 4. Reg. 23. 31. Iechonias aliis tribus, 4. Reg. 24. 8.

3. *Et eduxit.*] educauit, H. תעל. aſcendere fecit, id eſt, extulit ad regiam vſque dignitatem, & ex catulo leonem fecit, vt ſcribitur, 2. Paralip. 36. 1. & 4. Regum 23. 30. *Tulitque populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & vinxerunt eum, & conſtituerunt eum regem pro patre ſuo.* De Ioachaz enim loquitur, quemamodum non ſolùm noſtri, ſed etiam Hebræi interpretantur, ídque ex hiſtoria manifeſtum eſt. *Didicit capere prædam*, id eſt, factus eſt leo, id eſt, rex, qui poteſtatem haberet occidendi homines, vt Chaldæus videtur exponere: aut indicat præterea factum eſſe crudelem, qui populum vexaret, multóſque innocentes occideret, vt ſignificatur 4. Reg. 23. 32. *& fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.*

4. *Audierunt de eo Gentes.*] Audierunt eius famam, quòd homo ferox eſſet, & ad bella concitanda procliuis; alludit ad conſuetudinem venandorum leonum. Cùm enim circumuicini populi leonem aliquem, aut vrſum, in agro verſari audiunt, facta manu conuenire ſolent, vt eum capiant; propterea dixit, *Audierunt de eo Gentes. Et non abſque vulneribus ſuis*, ipſarum gentium ſicut leones

non

Digitized by Google

non ſine magno periculo capi ſolent. H. בשחתם. in perditione eorum, quod noſter interpretes dixit, *non abſque vulneribus ſuis*. Alij, reti eorum captus eſt, vt Chald. Paraphraſtes. Alij, in fouea eorum, vt Hieronymus: vt alludat ad modum, quo leones, & aliæ huiuſmodi ferociſſimæ beſtiæ capi ſolent, factis foueis, in quas cùm ceciderint, euadere non poſſint. *Et adduxerunt in catenis.* catenis vinctum, ſicut leones vinciri ſolent. Hiſtoria eſt, 4. Reg. 23. 33. *Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath.*

5. *Quæ mater tua.*] quam vocauit verſu 2. *Quoniam infirmata eſt.* cùm vidiſſet ſe filio, ac rege ſuo orbata, vt 1. Reg. 2. 5. *Quoniam ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt*, id eſt, illis orbata eſt, ita R. Salom. interpretatur, eodémque ſenſu Sept. reddiderunt, quod Hebraïcè legitur נוחלה. *ὅτι ἀπωσατοι ἀπ' αὐτῆς, quod ablatus à ſe eſſe*, (filius.) Alij, cùm vidiſſet ſpem ſuam periiſſe, vt Ionathas, & R. Dauid exponunt. Vtrumque ſenſum verbum Hebraicum habere poteſt, ſed noſtra verſio mihi magis placet. *Tulit vnum de leunculis ſuis.* מגוריה. de catulis ſuis, vt v. 2. & 3. loquitur autem de Eliacim, qui Ioacim cognomento dictus eſt, quem Pharao Nechao rex Ægypti pro Ioachaz regem conſtituit: 4. Reg. 23. 34. & 2. Paral. 36. 4. Dicitur autem mater eius, id eſt, Ieruſalem regem eum conſtituiſſe, quia Pharao cum populi conſenſu, & approbatione id fecit, vt adnotauit R. Dauid.

6. *Qui incedebat inter leones.*] id eſt, rex magnus ac potens ſimilis cæteris factus eſt, vt de Ioachaz dixit ver. 3.

Locus obſcurus.

7. *Didicit viduas facere.*] H. וידע אלמנותיו Et nouit viduas eius, ad verbum, locus eſt obſcurus. Primum relatiuum eſt ſine antecedente, quod apud Hebræos ſæpe fit, niſi dicamus referri ad leonem & vertamus, nouit viduas ſuas. Nonnulli putant verbum ידע. hoc loco non ſignificare Scire, aut Cognoſcere: ſed conterere, quemadmodum aliquando ſignificat; & nomen אלמנה. non ſignificare viduam ſed palatium, vt Iſai. 13. 22. *reſpondebunt ibi vlulæ* באלמנותיו. *in palatiis* eius, ſiue quòd nomen ambiguum ſit, & aliquando viduam, aliquando palatium ſignificet, vt multi putant, ſiue quòd ר, mutetur in ל, vt aliis placet. Igitur Chaldæus Paraphraſtes hoc ſenſu vertit, Deſtruxit palatia eius. Alij propriam verborum ſignificationem retinentes, cognouit viduas eius, pro eorum. quaſi dicat, occidit multos homines, & cum viduis mulieribus eorum rem habuit, vt Rab. Salomon, & Rab. Dauid, multíque Hebraïzantes interpretantur: Quod mihi nullo modo placet. Agit enim de leone, qui homines quidem ſolet occidere, ſed cum viduis rem habere non ſolet. Sic igitur interpretor, Nouit viduas, eius ſcilicet hominis, quem occidit, vt dixit verſu præcedente, vbi ſingulare pro plurali poſitum eſt, id eſt, expertus eſt multas viduas, quod optimè noſter interpres expreſſit, dicens, *Didicit viduas facere.* Hac enim periphraſi ſolet ſcriptura virorum cædem ſignificare, vt Pſal. 108. 9. *fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* & Ierem. 15. 8. *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſuper arenam maris.* & cap. 18. 21. *Fiant vxores eorum abſque liberis, & viduæ*, Et apud hunc ipſum Ezechiel. locus eſt huic valde ſimilis infrà c. 22. 25. *Sicut leo rugiens, rapienſque prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius. Et ciuitates eorum* hominum, quos occidit; mutauit numerum, quia priùs ſingulari pro plurali vſus fuerat. Non eſt legendum. Earum vt nonnulli libri habent, ſed *Eorum*, genere maſculino, vt Hebraicè eſt. *A voce.* propter vocem, frequens Hebraiſmus, id eſt, eo comminante, & quaſi leone rugiente omnes ci-

Phraſis ſcripturæ, viduas facere.

uitates

uitates ſuas deſerebant & aliò fugiebant.

8. *Et conuenerunt.*] Heb. ויתנו עליו. & dederunt ſuper eum (ſub.) ſignum, vt conuenirent, vt Ierem. 50. 2. *Annuntiate in Gentibus, & auditum facite, leuate ſignum.* Et 51. 12. *Super muros Babylonis leuate ſignum augete cuſtodiam.* Alij interpretantur יתנו קולם. dederunt vocem ſuam, id eſt, ſublato clamore irruerunt, vt R. Dauid. *Gentes vndique.* Hoc intelligitur ex 4. Regum 24. 2. *Immiſitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immiſit eos in Iudam, vt diſperderent eum. Rete ſuum.* Exercitum vocat rete, vt ſuprà cap. 12. 13. & cap. 17. 20. & infrà cap. 31. 3. *In vulneribus earum.* Non ſine periculo, בשחתם in perditione eorum, vel, in fouea eorum, vt verſu 4. loquitur autem de Eliacim, ſeu Ioacim, & Iechonia, quaſi de vno rege, quia Iechonias Eliacim ſucceſſit. Latrunculi enim non in Iechoniam, ſed in Eliacim miſſi ſunt; & Iechonias, non Eliacim captus eſt, 4. Reg. 24. 2. 15.

9. *Ne audiretur vox eius.*] Alludit ad metaphoram leonis, qui in montibus rugire ſolet, omneſque beſtias perterrefacere. Fuit autem Iechonias in carcere propter ſuſpicionem rebellionis, vt tradunt Hebræi, vſque ad mortem Nabuchodonoſoris, & regnum Euilmerodach, 4. Reg. 25. 27. & Ierem. 52. 31.

10. *Mater tua.*] O rex, ô princeps; principibus enim loquitur, vt illi mandauit Deus verſu 1. Eſt autem hæc ſecunda pars capitis, qua alia metaphora vitis idem dicit. *quaſi vinea.* כגפן. ſicut vitis. *In ſanguine tuo.* בדמך. R. Salomon, & R. Dauid exponunt ad ſimilitudinem tuam, quaſi poſitum ſit דמך, pro ודמתך, & ſenſus ſit, ſicut tu, ita & mater tua, ſicut vitis iuxta aquas tuas plantata eſt. Hieronymus, *In ſanguine tuo*, vt nomen ſignificat, id eſt, in flore tuo, vt flos propter ruborem ſanguis appelletur. atque in hanc ſententiam Septuaginta verterunt, *ὡς ἄνθος ῥοᾶς, ſicut flos malo granati.* Alij, *In ſanguine tuo*, id eſt, in progenie tua regia, quaſi dicat, mater*tua regio ſanguine fœcundiſſima fuit, multóſque filios regum generauit, ſicur ſuprà dixit verſu ſecundo. *Enutriuit catulos ſuos.* רבתה. multiplicauit catulos ſuos.

Ita legitur in Complutenſi & apud Theodoretum, alibi ὡς ἄνθος ἐν ῥοᾷ.

11. *Virgæ ſolidæ in ſceptra.*] id eſt, vt ex illis ſceptra regum fieri poſſent. quaſi dicat, multi erant ex regio ſanguine, qui reges eſſe poſſent; *Inter frondes.* על בין עבותים. inter denſiores, & perplexiores ramos, id eſt, præ cæteris ciuibus ij, qui ex ſanguine regio erant, eminebant. *Et vidit*, id eſt, videndo ſibi placuit, & in ſuperbiam elata eſt. Hieronymus & Septuag. actiuè legerunt ראה. *vidit.* Hebræi nunc paſſiuè legunt, viſa eſt, id eſt, apparuit in altitudine ſua. Vtroque enim modo remotis punctis legi poteſt, & vterque ſenſus congruus eſt.

12. *Et euulſa eſt in ira.*] magna vi, ſubitoque impetu, ſicut arbores vehementi vento radicitus euelli ſolent. hac metaphora ſignificat non ſolùm Iechoniæ, qui quaſi truncus, & principum, qui quaſi rami erant, ſed Sedeciæ, & totius populi captiuitatem; ita vt in vrbe nemo remaneret, quaſi ciuitas radicitus eſſet euulſa, vt apparet, 4. Reg. 25. 11. & Ierem. 52. 15. Hanc euulſionem ſæpe Deus fuerat comminatus, vt 3. Regum 14. 15. *Euellet Iſraël de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen.* Et 2. Paralipom. 7. 20. *Euellam de terra mea; quam dedi vobis: & domum hanc, quam ſanctificaui nomini meo, proijciam à facie mea. In terrámque proiecta.* In Chaldæam.

Babylon erat ad ortum Septentrionalem Ieroſolymis.

Et ventus vrens. Rex Babylonis. רוח קדים ventus Orientalis: erat enim Babylon ad ortum Septentrionalem Ieroſolymis, vt ſuprà ex R. Dauid adnotauimus, c. 17. 10. *Siccauit fructum eius*, exhauſit omnem theſaurum. *Virga roboris.* validæ, *ſolidæ in ſceptra dominantium*, vt dixit verſu præcedenti, id eſt, filij Sedeciæ, qui in regnum ſucceſſuri erant; ſceptraque recturi occiſi ſunt, 4. Reg. 25. 7. & Iere. 52.10. *Ignis comedit eam.* Ieruſalem quaſi vineá ignis abſumpſit, 4. Regum 25.9. & Ierem. 52.13. H. אכלתהו, comedit eum, genere maſculino; quod refertur ad ſenſum, non ad vocem, quia per מטה עוז virgam roboris eius intellexerat Sedeciam, vt ait R. Dauid, quem dicitur ignis conſumpſiſſe. quia in captiuitate ſine ſucceſſore mortuus eſt.

14. *Egreſſus eſt ignis.*] Hoc nonnulli de Iſmaële interpretantur, qui ex virga aut trunco ramorum eius egreſſus, id eſt, ex regio ſanguine progenitus, Godoliam & omnes Iudæos, qui cum eo in Iudæa remanſerant, interfecit, & velut ignis abſumpſit. Ierem. 41. 2. 3. & 4. Regum 25. 25. Ita Hieronym. & Theodot. Alij, *Egreſſus eſt ignis*, id eſt, pœna, quæ eam conſumpſit, ex iniquitate regum ac principum eius proceſſit. Sic Chald. Paraphraſt. & R. Salomon interpretantur. Alij, vt R. Dauid, Egreſſus eſt Sedecias ex genere eius regio, qui quaſi ignis omne regnum eius deuorauit, quia cauſa fuit excidij, & vltimus rex. Hoc eſt quod ſequitur, *Non fuit*, id eſt, non remanſit in ea *virga fortis in ſceptrum dominantium*, id eſt, qui in regnum ſuccederet. Non quòd nullus eſſet legitimus hæres regni, erat enim Salathiel filius Iechoniæ, & Zorobabel filius Salathiel, ex quorum regio genere Chriſtus, vt homo originem traxit; ſed non numerantur, quia in captiuitate erant, & quia regno non ſucceſſerunt. *Planctus eſt.* Id eſt, ſicut prædixi, ita res eueniet ſicut prophetia hæc lamentatio eſt, ita re ipſa cum Ieruſalem incendetur, & cætera, quæ vaticinatus ſum euenient; magna ſequetur lamentatio. Sic Ionath. Chald. & omnes Hebræi.

CAPVT XX.

ET factum eſt in anno ſeptimo, in quinto, in decima menſis: venerunt viri de ſe-
nioribus Iſraël vt interrogarent Dominũ, & ſederunt coram me. 2 *Et fa-*
ctus eſt ſermo Domini ad me, dicens, 3 *Fili hominis loquere ſenioribus Iſraël,*
& dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: Nunquid ad interrogandum me vos veniſtis?
viuo ego, quia non reſpondebo vobis, ait Dominus Deus. 4 *Si iudicas eos, ſi iudicas fili*
hominis: abominationes patrum eorum oſtende eis. 5 *Et dices ad eos: Hæc dicit Do-*
minus Deus in die qua elegi Iſraël, & leuaui manum meam pro ſtirpe domus Iacob: &
apparui eis in Terra Ægypti, & leuaui manum meam pro eis, dicens, 6 *Ego Domi-*
nus Deus veſter: in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægy-
pti: in terram quam prouideram eis, fluentem lacte & melle, quæ eſt egregia inter omnes
terras. 7 *Et dixi ad eos, Vnuſquiſque offenſiones oculorum ſuorum abijciat, & in idô-*
lis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus veſter. 8 *Et irritauerunt me, noluerúntq;*
me audire: vnuſquiſque abominationes oculorum ſuorum non proiecit, nec idôla Ægypti
reliquerunt: & dixi vt effunderem indignationem meam ſuper eos, & implerem irã meam
in eis, in medio terræ Ægypti. 9 *Et feci propter nomen meum, vt non violaretur co-*
ram Gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, vt educerem eos de
terra Ægypti. 10 *Eieci ergo eos de terra Ægypti, & eduxi eos in deſertum.*
11 *Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo viuet in*
eis.

Digitized by Google

tis. 12 Inſuper & ſabbatha mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me & eos: & ſci-
rent quia ego Dominus ſanctificans eos. 13 Et irritauerunt me domus Iſraël in
deſerto, in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt, quæ fa-
ciens homo viuet in eis: & ſabbatha mea violauerunt vehementer: dixi ergo vt ef-
funderem furorem meum ſuper eos in deſerto, & conſumerem eos. 14 Et feci pro-
pter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus de quibus eieci eos, in conſpectu earum.
15 Ego igitur leuaui manum meam ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in terram,
quam dedi eis fluentem lacte & melle præcipuam terrarum omnium: 16 Quia iudicia
mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, & ſabbatha mea violauerunt:
poſt idôla enim cor eorum gradiebatur. 17 Et pepercit oculus meus ſuper eos, vt non in-
terficerem eos: nec conſumpſi eos in deſerto: 18 Dixi autem ad filios eorum in ſolitudine:
In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec in idôlis
eorum polluamini. 19 Ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia
mea cuſtodite & facite ea. 20 Et ſabbatha mea ſanctificate, vt ſint ſignum inter me &
vos: & ſciatis quia ego ſum Dominus Deus veſter. 21 Et exacerbauerunt me filij, in
præceptis meis non ambulauerunt: & iudicia mea non cuſtodierunt, vt facerent ea: quæ
cùm fecerit homo, viuet in eis; & ſabbatha mea violauerunt: & comminatus ſum vt effun-
derem furorem meum ſuper eos, & implerem iram meam in eis in deſerto. 22 Auerti
autem manum meam, & feci propter nomèn meum, vt non violaretur coram Gentibus, de
quibus eieci eos in oculis earum. 23 Iterum leuaui manum meam in eos in ſolitudine, vt
diſpergerem illos in nationes, & ventilarem in terras. 24 Eo quòd iudicia mea non feciſ-
ſent, & præcepta mea reprobaſſent, & ſabbata mea violaſſent, & poſt idôla patrum ſuorũ
fuiſſent oculi eorum. 25 Ergo, & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus
non viuent. 26 Et pollui eos in muneribus ſuis cùm offerrent omne quod aperit vuluam,
propter delicta ſua: & ſcient quia ego Dominus. 27 Quamobrem loquere ad domum Iſ-
raël fili hominis, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus. Adhuc & in hoc blaſphema-
uerunt me patres veſtri, cùm ſpreuiſſent me contemnẽtes: 28 & induxiſſem eos in terram
ſuper quam leuaui manum meam vt darem eis: viderunt omnem collẽ excelſum, & omne
lignum nemoroſum, & immolauerunt ibi victimas ſuas: & dederunt ibi irritationem obla-
tionis ſuæ, & poſuerunt ibi odorem ſuauitatis ſuæ, & libauerunt libationes ſuas. 29 Et
dixi ad eos, Quid eſt excelſum ad quos vos ingredimini? Et vocatum eſt nomen eius Ex-
celſum vſque ad hanc diem. 30 Propterea dic ad domum Iſraël, Hæc dicit Dominus
Deus, Certè in via patrum veſtrorum vos polluimini, & poſt offendicula eorum vos forni-
camini. 31 Et in oblatione donorum veſtrorum, cùm traducitis filios veſtros per ignem, vos
polluimini in omnibus idôlis veſtris vſque hodie: & ego reſpõdebo vobis domus Iſraël: Viuo
ego dicit Dominus Deus, quia non reſpondebo vobis: 32 Neque cogitatio mentis veſtræ
fiet, dicentium: Erimus ſicut Gentes, & ſicut cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides.
33 Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in
furore effuſo regnabo ſuper vos. 34 Et educam vos de populis: & congregabo vos de terris,
in quibus diſperſi eſtis, in manu valida & in brachio extento, & in furore effuſo regnabo
ſuper vos. 35 Et adducam vos in deſertum populorum, & iudicabor vobiſcum ibi facie ad
faciem. 36 Sicut iudicio contendi aduerſum patres veſtros in deſerto terræ Ægypti: ſic
iudicabo vos, dicit Dominus Deus. 37 Et ſubiiciam vos ſceptro meo, & inducam vos in
vinculis fœderis. 38 Et eligam de vobis tranſgreſſores & impios, & de terra incolatus
eorum educam eos, & in terram Iſraël non ingredientur: & ſcietis quia ego Dominus.
39 Et vos domus Iſraël, Hæc dicit Dominus Deus, Singuli poſt idôla veſtra ambulate, &
ſeruite eis. Quòd ſi & in hoc non audieritis me, & nomen meum ſanctum pollueritis vltrà
in muneribus veſtris, & in idolis veſtris: 40 in monte ſancto meo, in monte excelſo Iſ-

Digitized by Google

raël, ait Dominus Deus, ibi ſeruiet mihi omnis domus Iſraël: omnes, inquam in terra in
qua placebunt mihi: & ibi quæram primitias veſtras & initium decimarum veſtrarum in
omnibus ſanctificationibus veſtris. 41 *In odorem ſuauitatis ſuſcipiam vos, cùm eduxero*
vos de populis, & congregauero vos de terris in qua diſperſi eſtis: & ſanctificabor in vobis
in oculis nationum. 42 *Et ſcietis quia ego Dominus, cùm induxero vos ad terram Iſraël,*
in terram pro qua leuaui manum meam, vt darem eam patribus veſtris. 43 *Et re-*
cordabimini ibi viarum veſtrarum, & omnium ſcelerum veſtrorum, quibus polluti eſtis
in eis: & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro in omnibus malitiis veſtris quas feciſtis.
44 *Et ſcietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum & non ſe-*
cundum vias veſtras malas neque ſecundum ſcelera veſtra peſſima domus Iſraël, ait Do-
minus Deus. 45 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens:* 46 *Fili hominis, pone*
faciem tuam contra viam Auſtri, & ſtilla ad Africum, & Propheta ad ſaltum agri me-
ridiani. 47 *Et dices ſaltui meridiano audi verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus,*
Ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum
aridum: non extinguetur flamma ſucceſſionis: & comburetur in ea omnis facies ab Au-
ſtro vſque ad Aquilonem. 48 *Et videbit vniuerſa caro quia ego Dominus ſuccendi*
eam, nec extinguetur. 49 *Et dixi, Ah, ah, ah, Domine Deus: ipſi dicunt de me:*
Nunquid per parabolas loquitur iſte?

NON vult Deus à Iudæis per Prophetam interrogatus reſpondere; ſed ponit illis ob oculos ſua beneficia, & ipſorum peccata, minatúrque maiores adhuc pœnas.

1. *Anno ſeptimo.*] captiuitatis Iechoniæ, vt & noſtri, & Hebræi interpretantur. Sic enim ſolet Propheta tempus notare. Cœperat reuelationes habere anno quinto, menſe quarto, die quinta captiuitatis Iechoniæ, cap. 1. ver. 1. & 2. Cubauit poſtea in latus ſiniſtrum trecentos nonaginta dies, in dextrum quadraginta; ſunt quadringenti triginta, id eſt, annus vnus, & menſes duo, dies quinque, quo tempore Propheta nihil vaticinatus eſt, ſed quaſi in carcere fuit, cap. 4. ver. 4. 6. 8. Hoc elapſo tempore vaticinari cœpit, & ſcelera Iudæorum prophetico ſpiritu videre, anno ſcilicet ſexto, menſe ſexto, die quinta menſis, c. 8. v. 1. poſt vndecim autem menſes & quinque dies, vt rectè Hieron. colligit, acciderunt, quæ hoc capite narrantur. *In quinto*, intelligitur, menſe. Sic enim loquuntur Hebræi, cùm poſtea dies menſis ſequitur, vt explicauimus cap. 1. ver. 1. Quintus autem menſis Iulio noſtro reſpondet, Martius enim primus Iudæis menſis erat, Exod. 12. 2.

3. *Vos.*] Emphaticum pronomen eſt, quaſi dicat, vos homines conſcelerati. Similis locus ſuprà cap. 14. ver. 3. & 4.

4. *Si iudicas eos.*] H. התשפט. an iudicas eos, an iudicas filij hominis? Quod quidam ſic interpretantur, quaſi dicat, ne iudices, & condemnes eos, ſed potiùs oſtende illis ſcelera patrum ipſorum, vt ad pœnitentiam adducantur. Ego ſic potius, An iudicas, id eſt, quid ceſſas iudicare & coarguere eos? oſtēde ergo illis abominationes patrum eorum. Hanc enim vim habet aliquādo apud Hebræos interrogatio, vt infrà cap. 22. 2. *Nonne iudicas, nonne iudicas ciuitatem ſanguinum?*

5. *In die qua elegi.*] Quo tempore elegi Iſraël, vt eſſet mihi populus peculiaris, vt dicit Deuter. 7. 6. *Et leuaui manum meam*, iuraui, ſicut ſuprà dixit, *Dedit manum ſuam*, cap. 17. 18. Solent enim qui iurant manum leuare, Deuter. 32. 40. *Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum. Et leuaui*, leuaui, inquam, manum meam, repetit hæc verba ad tollendum hyperbaton. *Dicens*, verba

verba illa ſequentis verſus, *Ego Dominus Deus veſter*, cum hoc verbo iungi debent, & huius verſus finis eſſe, vt apud Hebræos, non ſequentis initium, vt in multis libris noſtris. Hæc enim eſt forma iuramenti, qua Deus vſus eſt, *Ego Dominus Deus veſter*. aut certè, hoc eſt, quod iurauit.

6. *In die illa.*] Eodem, inquam, tempore, quo iuraui me futurum eſſe Deum veſtrum, iuraui etiam fore vt vos educerem de terra Ægypti. Incipit ſua erga illos beneficia commemorare.

7. *Offenſiones oculorum ſuorum.*] שקוצי עיניו abominationes oculorum ſuorum, id eſt, idola; vocat abominationes oculorum, vt ait R. Dauid, quia ſolent oculi ad peccatum idololatriæ homines prouocare idola intuentes, vt ſuprà cap. 6. ver. 9. *Oculos eorum* (conteram) *fornicantes poſt idola ſua*. & cap. 18. 6. *Et oculos ſuos non leuauerit ad idola* & v. 12. *& ad idola leuantem oculos ſuos*. & ver. 15. *& oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſraël. Ego Dominus Deus veſter.* Qui ſi non id feceritis, caſtigabo vos, ſicut Exod. 20. 5. *Ego Deus tuus fortis Zelotes viſitans iniquitates patrum in filios.* *Idola abominationes oculorum.*

8. *Et dixi*] Penè conſtitui, cogitaui, eos penitus delere, cùm adhuc in Ægypto eſſent. Hoc ſignificat, effundere indignationem, vt cap. 7. 8. & cap. 9. 8. & 14. 19. &, implere aut complere iram, cap. 5. 13. & cap. 6. 12. & cap. 13. 15.

9. *Et feci.*] Non quæ facere cogitaueram; ſed ea quæ feci, vt eos de Ægyptiorum ſeruitute liberarem, *Ne pollueretur*, Ne infame eſſet apud Gentes, ſi eos non liberaſſem, quos audientibus omnibus gentibus me liberaturum promiſeram.

11. *Qui faciens homo viuet in eis.*] Quæ ſatis erant, vt quicumque ea faceret, capite non plecteretur, ſicut vos plectimini, quia non feciſtis. Sumptum hoc eſt ex Leuit. c. 18. 5. quod in hanc ſententiam D. Paulus interpretatur ad Rom. 10. 5.

12. *Inſuper ſabbata mea.*] Putant nonnulli Hebræi idcirco plurali numero ſabbata dixiſſe, vt ſabbatum dierum & annorum comprehenderet, id eſt, diem ſeptimum hebdomadis, annum ſeptimum, qui remiſſionis erat, & quinquageſimum iubilæi. Hæc enim omnia ſabbata in ſignum futuræ per Chriſtum ſalutis data fuerant. Fortaſſe ſimpliciùs interpretari poſſumus, *Dedi eis ſabbata mea.* quia vnum ſabbatum idem ſæpe redit. *vt eſſet ſignum* creati à me mundi, vt intelligerent me vnum eſſe Deum, qui eos ſanctificare poſſum.

13. *Et irritauerunt.*] וימרו בי. & rebellauerunt contra me, vt ſuprà v. 8. quod enim illic de eis dixit, cùm adhuc in Ægypto eſſent, dicit nunc eos feciſſe in deſerto, poſtquam ex Ægypto fuiſſent egreſſi, & tot, tantáque miracula vidiſſent. Declarat enim per gradus eorum ingratos mores. Quod idem facit Dauid Pſalm. 105. 7. 8. *Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ. Et irritauerunt aſcendentes in mare, mare rubrum. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam.* & ver. 14. *Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius.*

15. *Ego igitur.* וגם אני. Ego etiam *leuaui manum meam*, id eſt, iuraui fore vt non inducerem eos in terram, quam promiſeram, vt Pſalm. 94. 11. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Leuare manum, pro, iurare, vt ver. 5. & 6.

16. *Cor eorum gradiebatur.* Hebraïſmus, qui Latinè ſic exprimi poteſt, magno ſtudio in idolorum cultum ferebantur, aut, magna animi procliuitate idola ſequebantur, vt ſuprà cap. 11. 21. *Hebraiſmus.*

17. *Pepercit oculus meus.*] Hebraïſmus, pro eorum intuitu miſeratione motus ſum, vt ſuprà cap. 5. 11. & cap. 7. 4. & cap. 8. 18. & cap. 9. 5. 10. & cap. 16. 5.

22. *Auerti manum meam.*] id eſt, cùm iam manum extendiſſem, vt eos percu-

 terem,

Digitized by Google

terem, & abolerem, reuocaui eam, idque feci propter nomen meum, vt ſuprà ver. 9. & 14.

23. *Iterum leuaui.*] גם אני. etiam ego, non ſignificat illos etiam leuaſſe manum; ſed ſe antè leuaſſe, itaque rectiſſimè noſter interpres ſenſum expreſſit vertens, *Iterum leuaui manum meam*, id eſt, comminatus ſum, vt infrà cap. 44. 12. *Pro eo quod miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorum ſuorum, & facti ſunt domui Iſraël in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam ſuper eos, ait Dominus Deus, & portauerunt iniquitatem ſuam.* Itaque alio ſenſu accipitur hîc leuare manum, quam ſupra verſu 5. 6. 15. Eſtque gratia in verbi ambiguitate. quaſi dicat, leuaui manum meam aliter quàm antè. Nam ante, vt iurarem, nunc, vt minarer.

24. *Fuiſſent oculi eorum.*] id eſt, toti eſſent in idololatriam intenti. Hebraiſmus, ſicut ver. 7. vocauit offenſiones oculorum.

Præcepta non bona quænam hic dicantur.

25. *Præcepta non bona.*] Multi non ſolum recentiores Theologi: ſed etiam antiqui, vt Theodor. præcepta non bona ceremonialia præcepta vocari putant, quæ nihil natura ſua vtilitatis afferebant, idcóque non dixiſſe præcepta mala, ſed non bona, hoc eſt inutilia. Hoc mihi nimis ſubtile videtur eſſe. Nam præceptum de obſeruatione ſabbati, quod maximè ceremoniale erat, paulò antè ver. 20. 21. 24. inter præcepta bona connumerauit, quæ faciens homo, in eis viueret. Et manifeſtum eſt hanc eſſe antitheſim, idémque eſſe præcepta non bona, quod præcepta mala; & non viuere in eis, idem quod mori: eſt enim ταπείνωσις. Verum ergo eſſe ſenſum arbitror, quem & D. Hieron. & Ionathas Chaldæus tradiderunt, vt idem ſit hoc loco. *Dedi*, atque permiſi eos facere quidquid vellent, vt eos punirem, vt ad Rom. 1. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Vocat autem præcepta non bona quæ illis, qui ea faciebant, non vitam, ſed mortem afferebant; præcepta verò non à Deo, nec ab illis ipſis; ſed à gentibus idolorum cultricibus, quæ multas de idolis colendis leges excogitauerant, quas Iudæi libentiùs, quàm leges diuinas obſeruabant, qualis erat illa de primogenitis filiis idolis immolandis, de qua ſtatim mentionem facit. Eodem ferè redit R. Salom. & R. Dauid, aliorúmque Hebræorum interpretatio. Dedi eis præcepta non bona, id eſt, tradidi eos in manus hoſtium, qui illis, tributa imperarunt, & alia præcepta nimis grauia.

26. *Et pollui eos.*] id eſt, pollui permiſi ſacrificiis ſuis, ſicut verſu præcedenti, *Dedi eis præcepta non bona. Cùm offerrent* idolis, *omne quod aperit vuluam*. id eſt, omne primogenitum, quod mihi offerri præceperam, Exod. 13. 2. H. בְּהַעֲבִיר. vt tranſire facerent (filios ſuos per ignem.) alludit enim ad ritum, quo infantes idolis per ignem traducti, atque concremati ſacrificabantur, 4. Regum 16. 3. & 17. 17. 31. & 21. 6. & 23. 10. Septuag. ἐν τῷ διαπορεύεσθαί με *cùm ego traducerem*, ſicut dixit, pollui. *Propter delicta ſua* vt ipſi ſui manibus filios ſuos concremantes pœnas de ſe propter delicta ſua ſumerent. Heb. לְמַעַן אַשְׁמֵּם. vt delerem eos, ſicut Septuag. verterunt. id eſt, vt occaſionem haberem poſt tantum flagitium, delendi eos.

27. *Adhuc & in hoc.*] Hic eſt tertius narrationis gradus. Commemorauit enim primo loco peccata, quæ perpetrauerant, cùm adhuc in Ægypto eſſent, v. 8. Secundo loco, quæ in deſerto, v. 13. Nunc narrat ea quæ fecerunt poſtquam in terram Iuda introducti fuerunt. Hoc eſt quod dicit, *Adhuc*. quaſi dicat, non contenti iis, quæ fecerant, maiora fecerũt. Hoc etiam ſignificat quod ſequitur.

Cùm

Digitized by Google

Cùm ſpreuiſſent me contemnentes. בְּמַעֲלָם בִּי מָעַל. cùm præuaricando præuaricati eſſent in me, id eſt, cùm valde præuaricati fuiſſent, contenti non fuerunt, ſed magis ac magis peccauerunt.

28. *Et induxiſſem eos.*] intelligi voluit noſter interpres particulam, *Cùm*. quæ præceſſerat clariùs ſic, וָאֲבִיאֵם. cumque induxiſſem eos in terram, quam me illis daturum iurauerам. Leuare manum, pro, iurare, vt ſuprà ver. 5. 6. 15. *Viderunt omnem collem.* Hebraïſmus ſic reſoluendus, In omni colle excelſo, & ſub omni arbore frondoſa, quam viderunt, immolauerunt victimas ſuas. *Et dederunt ibi irritationem oblationis ſuæ*, id eſt, poſuerunt oblationem ſuam, quæ me irritarent. *Hebraïſmus.*

29. *Quid eſt excelſum.*] Gentes idolorum cultrices altaria ſua. בָּמוֹת. id eſt, excelſa vocabant, aut, quòd excelſa eſſent, vt ait R. Dauid, aut, quòd plerunque in excelſis collibus eſſent: altare verò, quod Deus inſtituerat nec erat excelſum, ſed terreum, vt præcipitur Exod. 20. 24. 25. 26. neque vocabatur בָּמָה. excelſum, ſed מִזְבֵּחַ. altare. Sed conſuetudo idolis ſacrificandi fecerat, vt Iudæi etiam nomen בָּמָה excelſi vſurparent. Subtiliter ergo illis peccatum oſtendit interrogans, *Quid eſt excelſum?* id eſt, quid ſibi vult hoc nomen? aut vnde venit? meum enim altare non ita vocatur, vt ipſi ſibi tacitis cogitationibus reſponderent, hoc nomen ex idololatria veſtra natum eſt. Eodem modo interrogauit Deus Adam, Geneſ. 3. 11. *Quis indicauit tibi, quod nudus eſſes? Et vocatum eſt nomen eius excelſum* ex Iudæorum conſuetudine. *Quid excelſũ, & altare differant.*

30. *Poſt offendicula.*] אַחֲרֵי שִׁקּוּצֵיהֶם. poſt abominationes eorum.

32. *Erimus ſicut Gentes.*] vt ligna & lapides impunè colamus, hoc, aut aliquid huiuſmodi neceſſariò eſt intelligendum, vt ex verſu ſequenti perſpicuum eſt. Nam quod attinet ad idololatriam, iam erant ſicut Gentes, aut etiam peiores, vt ſæpe Deus illis exprobrat; ſed optabant eſſe ſicut Gentes, quæ propter idololatriam non videbant à Deo vnquam puniri: aut, cupiebant eſſe ſine vero Deo, quia malè ſibi ab eo tractari videbantur, ſicut erant antequam Deus eligeret eos vt ipſi eſſent populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram, Deuteron. cap. 7. ver. 6. ad eum enim locum, vt putat R. Dauid, hîc alludit propterea dicit ſtatim.

33. *In manu forti.*] quaſi dicat, velitis nolitis regnabo in vos, regamque vos in virga ferrea. Hoc ſignificant tres phraſes, quæ hoc loco ponuntur, Manus fortis, Brachium extentum Furor effuſus, quamuis duæ primæ poteſtatem potiùs, quàm ſeueritatem ſignificare ſoleant.

34. *Et ducam vos de populis.*] Quod ſummum erat beneficium, loco ſupplicij comminatur; quia illi optabant inter Gentes quaſi diuinis legibus ſoluti viuere.

35. *In deſertum populorum*] In quo non ſunt populi. *Et iudicabor vobiſcum.* וְנִשְׁפַּטְתִּי. & diſceptabo vobiſcum, aut, vltionem de vobis ſumam, vt Ionathas & R. Dauid interpretantur. *Facie ad faciem.* ſolus cum ſolis, ſine arbitris, ne Gentes videant pœnas, quas de vobis ſumpturus ſum, & lætentur, vt exponit R. Dauid, vt Exod. 33. 11. Deus dicitur cum Moſe facie ad faciem loqui conſueuiſſe, id eſt, ſine interprete, ſine teſtibus, ſine arbitris. Itaque idem ferè eſt, in deſerto, & facie ad faciem. Nominauit autem deſertum, partim quia inter Chaldæam, & Iudæam deſertum erat, partim vt alluderet ad alterum deſertum per quod eos ex Ægypto in Iudæam deduxerat, & vt iſtam reductionem cum illa, filios cum patribus, pœnam cum pœna conferat.

37. *Inducam*

37. *Inducam vos in vinculis fœderis.*] Percutiam vobiſcum nouum fœdus, vt dixit Ierem.cap.31.ver.31. vt hoc ad legem euangelicam referatur; aut, ſubiiciam vos meis legibus, à quibus nunc ſoluti ac liberi eſſe videmini.

38. *Et eligam.*] ad pœnam.

39. *Poſt idola veſtra ambulate.*] Conceſſio eſt. *Quòd ſi & in hoc non audieritis me.* Septuaginta contrario prorſus ſenſu verterunt, ἐὰν ὑμεῖς εἰσακούσητέ μου. *Si vos audieritis me.* Clariùs Symmachus, vt Hieronymus confitetur *Ite & ſeruite idolis, ſiquidem non auditis me.* Atque hunc ſenſum habent Hebraïca. ואחר אם אינכם שמעים. eodémque modo Chaldæus interpretatur. quaſi dicat, malo vt apertè idola colatis, quàm vt nomen meum polluatis, dum me ſimul cum idolis colitis, & illo ore, quo idola inuocatis meum nomen vſurpatis.

Eccleſia Catholica mons ſanctus Dei.

40. *In monte.*] Non reddit noſter interpres particulam cauſalem כי. quæ Hebraïcè legitur, quamque Septuaginta tranſtulerunt; *Quia in monte ſancto meo,* id eſt, in Eccleſia Catholica, quæ per Sion montem ſanctum frequentiſſimè intelligitur. Nam quamuis de reductione Iudæorum in montem Sion, id eſt, in patriam vaticinetur, tamen longiùs ad vocationem omnium gentium ad Eccleſiam tenditur prophetia. Aliqui nonnihil hîc intelligendum putant, vt, aliquando fiet, vt me purè colatis, quia in monte ſancto meo omnis domus Iſraël ſeruiet mihi: quod ego non video eſſe neceſſarium. Senſus enim eſt, Ite ſi vultis, ſeruite idolis; non enim mihi cultus veſter neceſſarius eſt, quia veniet tempus, quo domus Iſraël, id eſt, ij, qui non peccauerunt, quique ex hac calamitate ſupurſtites fuerint, & omnes Chriſtiani veri Iſraëlitæ, qui per domum Iſraël ſignificantur, colent me: ſicut per Malachiam dixit cap. 1. 10. 11. *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et ibi quæram.*] petam à vobis ac recipiam ibi, vbi non idolis, ſed mihi ſoli ſeruietis. Nam hîc, vbi cultum meum cum idolorum cultu miſcetis, non recipiam primitias & oblationes veſtras, ſed ite potiùs, ſeruite idolis, & illis oblationes veſtras date, vt dixit verſu præcedenti. *Primitias veſtras.* תרומתיכם. dona veſtra. *Et initium decimarum veſtrarum.* ראשית משאותיכם primitias munerum veſtrorum. Septuag. vtrobique ἀπαρχὰς primitias reddiderunt: per primitias autem & dona, non ſolùm omnia ſacrificiorum genera; ſed etiam omnem cultum intelligit, ex parte totum.

41. *In odorem ſuauitatis ſuſcipiam vos.*] Eodem modo Sept. verterunt. Senſus eſt, recipiam vos tanquam ſuauiſſimi odoris ſacrificium, ſicut D. Paulus dicit ad Roman. 15. 16. *Vt fiat oblatio Gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Heb. בריח ניחח ארצה אתכם quod aliqui interpretantur, Tanquam odore quietis (id eſt, gratiſſimo) placebo mihi in vobis, quod in eandem ſententiam redit. Hebræi verò non intelligentes myſterium ad bellum Gog & Magog referunt. *Et ſanctificabor in vobis*, id eſt, cùm omnes nationes viderint vos à me eſſe liberatos, ſanctum me, iuſtumque iudicabunt, quòd fecerim quod promiſeram.

42. *Pro qua leuaui manum meam.*] Quam iuraui me patribus veſtris daturum eſſe, vt ſuprà ver. 5. 6. 15. 28.

43. *Et recordabimini.*] Pœnitentiam agetis, prima enim vox Euangelij eſt, *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum*, Matth. c. 3. 2. *Et diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro.* pœnitebit vos. H. ונקטתם בפניכם. Sept. verterunt,

ἐν

ϗ κόψεσθε τὰ πρόσωπα ὑμῶν. *percutietis facies veſtras.* verbum קוט. & excindere & execrari ſignificat. Hebræi hoc loco ſic interpretantur, Excindentur in oculis ſuis, id eſt, digni ſibi eſſe videbuntur, vt excindantur de populo Dei, vt R. Dauid. Meliùs mihi videtur noſter interpres reddidiſſe, *Diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro*, id eſt, execrabiles vobiſmet ipſis eſſe videbimini, vt ſuprà c. 6. v. 9. *Diſplicebunt ſibimet ſuper malis, quæ fecerant.* נקוטו בפניהם. ſicut hoc loco, & Iob. 10.1. נקטה נפשי. execrabilis eſt anima mea propter vitam meam, quod rectè noſter interpres dixit, *Tædet animam meam vitæ meæ.*

44. *Scietis.*] experientia. Solus enim Deus peccata remittit: experiemini me peccata remittere. *Cùm beneſecero.* H. בעשותי. cùm fecero vobis *propter nomen meum, & non ſecundum vias veſtras malas.* Significat gratuitam peccatorum remiſſionem, quæ fit in Eccleſia nullis, vt ſæpe dicit Auguſtinus, præcedentibus meritis bonis, & multis præcedentibus meritis malis. *Gratuita peccatorum remiſſio.*

46. *Pone faciam tuam.*] Conſtanter & intrepidè loquere, vt cap. 4. 3. *Et obfirmabis faciem tuam ad eam: & erit in obſidionem.* & cap. 6. 2. *Pone faciem tuam ad montes Iſraël, & prophetabis ad eos.* & cap. 13. 17. *Pone faciem tuam contra filias populi tui; quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas. Contra viam Auſtri;* Contra Ieruſalem, quæ Babyloni, vbi Propheta habitabat, Auſtralis erat. Nam Babylon Iudææ erat Septentrionalis, vt indicat, Ierem. cap. 1. ver. 14. *Ab Aquilone pandetur omne malum. Et ſtilla.* Continenter, ac fluente oratione loquere, vt Deuteron. 32. 2. *Fluat vt ros eloquium meum.* & infrà cap. 21. 2. *Pone faciem tuam ad Ieruſalem, & ſtilla ad ſanctuaria.* Eadem phraſis apud Michæam cap. 2. 6. 11. *Ad Africum.* Idem eſt, quod ad Auſtrum. H. אל דרום ad Meridiem. *Ad ſaltum.* ad ſyluam *agri meridiani.* Sic deſcribit Ieruſalem. Vocat enim ſyluam, quia ſicut ſylua, vt ait R. Dauid; plena eſt arboribus bonis, & malis; ita illa bonis & malis hominibus. Agrum autem meridianum appellat, quia Babyloni meridionalis erat. Eadem metaphora vſus eſt Iſai. c. 9. 18. & Ierem. cap. 21. 14. & c. 46. 23. *Deſcriptio Ieruſalem.*

47. *Omne lignum viride, & omne lignum aridum.*] id eſt, omnia ligna nullo excepto, ſicut Galli prouerbio dicere ſolent, Viride & Siccum. Per ligna viridia intelligit bonos ciues, per ſicca malos, vt ait R. Dauid, quòd veluti prouerbium Chriſtus etiam vſurpauit, Luc. 23. 31. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Perſeuerat in metaphora. Nam quia verſu præcedenti Ieruſalem ſyluam appellauerat, nunc ciues vocat ligna; ſimúlque ſignificat futurum vrbis incendium, quale poſtea conſecutum eſt, 4. Regum cap. 25. 9. & Iere. 52. 13. *Et non extinguetur flamma ſuccenſionis.* להבת שלהבת. flamma flammæ, id eſt, vehemens flamma, Hebraïca phraſi; aut flamma flammæ ſuccedens. Chaldæus, flamma conſumens. Septuag. flamma ſuccenſa. *Et comburetur in ea omnis facies*, H. plurali numero, comburentur in ea omnes facies, id eſt, omnes homines, vt interpretatur R. Salom. Alij exponunt, Igneſcent in ea omnes facies, id eſt, rubore perfundentur. Malim ego exponere, ſi ab illa prima R. Salom. interpretatione diſcedendum eſſet, Omnes facies hominum adeo erunt fame & metu extenuatæ, & pallidæ, vt combuſtæ eſſe videantur, vt apud Iſaiam cap. 13. 8. *Torſiones & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt. vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebunt, facies combuſtæ vultus eorum.* *Il y employe le verd & le ſec.*

48. *Quia ego Dominus.*] Animaduertent eiuſmodi incendium non caſu, ſed diuino meo conſilio contigiſſe, cùm extingui non poſſit.

49. *A. A. A.*] Ahah. vnica dictio dolentis, aut admirantis, vt ſuprà cap. 4. 14.

Digitized by Google

& Ierem.1.6. & 14.13. Quia per parabolas & ænigmata Deus Prophetam lo-
qui iuſſerat, queritur, quòd Iudæi non intelligerent, eúmque quodammodo de-
lirare exiſtimarent.

CAPVT XXI.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, 2 *Fili hominis, pone faciem tuam*
ad Ieruſalem, & ſtilla ad ſanctuaria, & propheta contra humū Iſraël. 3 *Et*
dices terræ Iſraël, Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te, & eijciā gladium
meum de vagina ſua, & occidam in te iuſtum & impium. 4 *Pro eo autem quod occidi*
in te iuſtum & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina ſua ad omnē carnem
ab Auſtro vſque ad Aquilonem: 5 *Vt ſciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gla-*
dium meum de vagina ſua irreuocabilem. 6 *Et tu fili hominis ingemiſce in contritione*
lumborum, & in amaritudinibus ingemiſce coram eis. 7 *Cumq́; dixerint ad te, Quare*
tu gemis? dices: Pro auditu, quia venit, & tabeſcet omne cor, & diſſoluentur vniuerſæ ma-
nus, & infirmabitur omnis ſpiritus, & per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit & fiet,
ait Dominus Deus. 8 *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens:* 9 *Fili hominis*
propheta, & dices. Hæc dicit Dominus Deus, Loquere. Gladius, gladius, exacutus eſt &
limatus, 10 *Vt cædat victimas, exacutus eſt, vt ſplendeat limatus eſt: qui moues ſceptrū*
filij mei, ſuccidiſti omne lignum. 11 *Et dedi eum ad leuigandum, vt teneatur manu:*
iſte exacutus eſt gladius, & iſte limatus eſt, vt ſit in manu interficientis. 12 *Clama,*
& vlula fili hominis, quia hic factus eſt in populo meo, hic in cunctis ducibus Iſraël qui
fugerant, gladio traditi ſunt cum populo meo, idcirco plaude ſuper femur. 13 *Quia*
probatus eſt, & hoc cum ſceptrum ſubuerterit, & non erit, dicit Dominus Deus.
14 *Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu ad manum & duplicetur gladius,*
ac triplicetur gladius interfectorum: hic eſt gladius occiſionis magnæ, qui obſtupeſcere
eos facit, & corde tabeſcere, & multiplicat ruinas. 15 *In omnibus portis eorum*
dedi conturbationem gladij acuti & limati, & ad fulgendum, amicti ad cædem.
16 *Exacuere, vade ad dexteram ſiue ad ſiniſtram, quocumque faciei tuæ eſt appetitus.*
17 *Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam: ego*
Dominus locutus ſum. 18 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens:* 19 *Et tu*
fili hominis pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis: de terra vna egredien-
tur ambo: & manu capiet coniecturam, in capite viæ ciuitatis conijciet. 20 *Viam*
pones, vt veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Iudam in Ieruſalem muni-
tiſſimam. 21 *Stetit enim rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinatio-*
nem quærens, commiſcens ſagittas: interrogauit idola, exta conſuluit. 22 *Ad dextram*
eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde vt eleuet vo-
cem in vlulatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitio-
nes. 23 *Eritq́; quaſi conſulens fruſtra oraculum in oculis eorum, & ſabbathorum otium*
imitans: ipſe autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. 24 *Idcirco hæc dicit Do-*
minus Deus, Pro eo quòd recordati eſtis iniquitatis veſtræ, & reuelaſtis præuaricatio-
nes veſtras, & apparuerunt peccata veſtra in omnibus cogitationibus veſtris: pro eo, in-
quam, quòd recordati eſtis, manu capiemini. 25 *Tu autem prophane impie dux Iſ-*
raël: cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita. 26 *Hæc dicit Dominus Deus,*
Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc eſt quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem hu-
miliauit? 27 *Iniquitatem, iniquitatem iniquitatem, ponam eam: & hoc non fa-*
ctum eſt, donec veniret cuius eſt iudicium, & tradam ei. 28 *Et tu fili hominis,*
Pro-

Propheta, & dic, Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum
& dices, Mucro mucro euagina te ad occidendum, lima te vt interficias & fulgeas.
29 *Cùm tibi viderentur vana, & diuinarentur mendacia, vt dareris ſuper colla vul-*
neratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. 30 *Reuer-*
tere ad vaginam tuam: in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, &
effundam ſuper te indignationem meam: in igne furoris mei ſufflabo in te, dabóque te
in manu hominum inſipientium, & fabricantium interitum. 31 *Igni eris ci-*
bus, ſanguis tuus erit in medio terræ, obliuioni traderis: quia ego Dominus locutus
ſum.

SVPERIORI capite comminatus Deus ignem vrbi Ieroſolymitanæ, hoc capite comminatur gladium, regníque tranſlationem vſque ad verſum 28. Deinde vaticinatur Propheta contra Ammonitas vſque ad ver. 30. Poſtremo contra Nabuchodonoſorem vſque ad finem.

2. *Pone faciem tuam ad Ieruſalem, & ſtilla.*] Quid ſit ponere faciem, & quid ſtillare, explicauimus cap. præcedenti ver. 46. quod autem dicit *Ad ſanctuaria.* propterea plurali numero vtitur, quia, vt ſæpe adnotauimus, tres erant templi partes, quarum vnaquæque templum appellabatur, Adytum ſiue ſanctum ſanctorum; templum; porticus Salomonis, vbi Chriſtus docere ſolebat, vt colligitur ex Ioan. cap. 10. ver. 23. & poſtea Apoſtoli Act. 3. 11. & 5. 12. & tamen in templo docere dicebantur. Vide quæ ſuprà adnotauimus cap. 7. ver. 24. & Ierem. 51. 51. ex R. Dauid, & infrà cap. 22. 8. 26.

3. *Ecce ego ad te.*] venio, aut aliquid huiuſmodi intelligendum, vt ſuprà cap. 5. 8. & cap. 13. 8. 20. Chaldæus intelligit, Ecce ego mitto furorem meum contra te. *Educiam gladium.* educam, diſtringam, gladium meum. Gladium ſuum vocat Deus Nabuchodonoſorem, vt explicatur paulò infrà verſu 19. & 30. quia miniſter erat iræ Dei, ſicut apud Iſaiam cap. 10. 5. vocat regem Aſſyriorum virgam furoris ſui. Vaginam autem appellat eius patriam, vt conſtat ex verſu 30. quaſi dicat, educam regem Chaldæorum ex patria ſua contra te. *Iuſtum & impium* Quia iniquum eſſe videbatur, vt Deus iuſtos propter iniquos interimeret, Septuag. verterunt, ἐξολοθρεύσω ἐκ σοῦ ἄδικον καὶ ἄνομον. *Delebo ex te iniuſtum & iniquum.* Chaldæus autem migrare faciam ex te iuſtos tuos, vt perdam peccatores tuos. Sed verba Hebraïca hanc interpretationem pati non poſſunt. Et perſpicuum eſt, vt Hieronymus obſeruauit, idem hoc loco per iuſtum & impium, quod ſuprà cap. præcedenti verſu 47. per lignum viride & ſiccum ſignificari. Nec eſt dubium, quin aliquando Deus iuſtos cum iniuſtis iiſdem pœnis inuoluat. Mors enim illis non pœna, ſed gloria eſt. Id conſtat ex Pſalm. 78. verſu 2. 3. *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli: carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem: & non erat, qui ſepeliret.*

4. *Pro eo quòd occidi.*] Septuaginta & Chaldæus eodem modo hunc verſum explicant, quo præcedentem. Noſtri verò auctores, & Hebræi ſic interpretantur, quia cùm occiderem iuſtum & impium in Ieruſalem, Ammonitæ, aliæque vicinæ gentes veſtra calamitate lætabantur: ideo egredietur iterum gladius meus de vagina ſua ad omnem carnem, contra omnes populos, qui ſunt ab Auſtro vſque ad Aquilonem, id eſt, ab Ieruſalem vſque ad Chaldæam, vt R. Dauid interpretatur. At non videtur nunc de Ammonitis, & Chaldæis agere, de quibus poſtea dicet ver. 28. & 30. ſed de ſolis Iudæis. Quapropter

admirantis. Ierem. 31. 19. *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum.*

13. *Quia probatus eſt.*] Noſtræ verſionis ſenſus faciliimus eſt, quia probatus: rabit & gradus eſt hic gladius; quia ita regnum Iuda & Iſraël ſuccidet, vt amplius non extet. Sedecias enim vltimus erit rex: Sic Hieron. exponit, ſed Hebraicè impeditiſſimus locus eſt. כי בחן. quia probatio (ſub. eſt, aut, erit.). ומה אם גם שבט מאסת לא יהיה & quid ſi etiã ſceptrũ reprobauerit, non erit, ad verbum: Quæ verba R. Dauid ſic exponit, Quoniam probatio eſt, ideo gladius politus eſt & acutus; politus, vt ſplendore homines terreat, metúque ad pœnitentiam adducantur; acutus verò, vt eos, qui reſipiſcere noluerint, occidat. Et quid ſi etiam ſceptrum (filij mei, vt verſu 10. reprobauerit, id eſt, prætermiſerit illique pepercerit? ita vt non excindat illud. Hoc ſi fecerit, non erit probatio, fruſtraque politus, acutúſque fuerit. In hac interpretatione, & in multis aliis recentiorum auctorum, quas idcirco non refero, quia peiores, illud mihi violentum videtur, quòd verbum מאסת. reprobauit, aut reiecit. idem putetur valere, quod pepercit. Itaque melius fortaſſe, ſaluáque verborum proprietate ſic interpretabimur. Et quid (mirum eſt) ſi etiam ſceptrum ſic excideret vt amplius non ſit, id eſt, cùm ſit probatio, quid mirum ſi gladius non ſolum alia ligna, hoc eſt, inferiores ciues; ſed ipſum etiam ſceptrum regium ceciderit, vt dixit verſu 10. Verſionem Sept. & Chaldæi Paraphraſtis non opus eſſe arbitror recitare, videat, qui volet. Hæc enim interpretatio proximè mihi ad veritatem, verborúmque proprietatem accedere videtur.

Triplex gladius quid denotet.

14. *Percute manum ad manum.*] more dolentis, atque admirantis. *Duplicetur gladius ac triplicetur.* ותכפל חרב שלישתה. duplicetur gladius tertiò, id eſt, ſemel atque iterum. Putat Hieronymus triplicem gladium, triplicem Nabuchodonoſoris aduentum ſignificare; primùm, cùm Ioacim ſibi vectigalem fecit, 4. Regum cap. 24. 1. Secundum, cùm Iechoniam captiuum duxit, ibidem, verſu 15. tertium, cùm Sedeciam oculis orbatum tranſtulit Babylonem, 4. Regum 25. 7. & Ierem. 52. 11. Nonnulli Hebræi, Tertiò, pro, Sæpe, poni exiſtimant. *Hic eſt gladius occiſionis magnæ; hic*, ſcilicet tertius. Nam cum tertiò venit Nabuchodonoſor tempore Sedeciæ, magnam fecit ſtragem, 4. Reg. 25. & Iere. 52. חרב חללים היא חרב חלל הגדול *gladius interfectorum*. ipſe eſt gladius interfecti magni, ad verbum. Adnotauit autem R. Dauid ſingularem numerum poni pro plurali. Gladius interfecti magni, pro, Gladius interfectorum magnorum, id eſt, quo magnates & principes interfecti ſunt Iere. 52. 10. *Qui obſtupeſcere eos facit.* faciet præſens, pro futuro. החדרת להם penetrãs illis, vt ita loquar. Nam חדר. penetrale ſignificat, id eſt, gladius, qui eos in ipſis ædium ſuarum penetralibus occidet, vt R. Dauid interpretatur. R. Salomon. de Iohanan filio Caree, & de iis, qui cum eo in Ægyptum fugerunt, hoc intelligit, Ier. 43. 7. quaſi dicat, quocumque catis, gladius vos perſequetur etiam vſque ad intima penetralia, ſicut Iere. dixit c. 42. 16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti.* Alij, Gladius, qui hactenus delituit, id eſt, qui illis incognitus fuit. Hieron. Septuag. & Chaldæus eodem omnes ſenſu verterunt, qui obſtupeſcere, aut contremiſcere faciet eos, niſi quòd Septuag. per ſecundam perſonam reddiderunt, quaſi Propheta hoc nuntio Iudæos obſtupefacturus eſſet. *Et corde tabeſcere.* Hoc Hebraïcè ſequentis verſus initiũ eſt למען למוג לב. vt corde liqueſiant, vt ver. 7. quamuis alio hic vtatur verbo. *Multiplicat.* gladius. הרבה. ad multiplicandas *ruinas*, id eſt, vt vbique mortui cadant. Simile

eſt

eſt illud, *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Pſalm. 109. 6. & infrà c. 43. verſu 7.

15. *Conturbationem gladij.*] vbique gladij timor erit, etiam in ipſo limine domorum אבחת חרב. aciem gladij. Putat autem R. Dauid, אבחת poni pro בעת. ע. mutatio in ח & א præpoſito, quod terrorem ſignificat. Alij, vt ipſe, & R. Salom. referunt, exiſtimant poni pro טבחת. occiſione, ט, in א, commutato, quo ſenſu Ionathas vertit. *Et limati ad fulgendum.* אח עשוּיה לברק heu facti (id eſt, poſiti) ad fulgendum. *Amicti ad cædem.* Qui gladius adeo ad cædem paratus eſt, vt non ſolùm politus ſit, atque exacutus, ſed etiam baltheo accinctus militi. Optimè noſter Hieronymus ſenſum expreſſit. Nam מעטה. vt Hebræi interpretantur, inuolutum ſignificat. Inuolutus autem eſt corrigiis gladius, cùm eo miles accingitur. Alij, exponunt capulo inſertum: Quod minus mihi placet.

16. *Exacuere.*] Dat Deus optionem gladio Nabuchodonoſoris, vt eat, quocumque voluerit ſiue ad dextram, id eſt, ad Ieruſalem, ſiue ad ſiniſtram, id eſt ad Rabbath filiorum Ammon, vt explicatur verſu 20. & 22. Senſuſque noſtræ verſionis clariſſimus eſt, Hebraïcorum autem verborum obſcuriſſimus: התאחדי הימיני השימי השמילי אנה פניך מעדות ad verbum, Vni te, dextra te (ſi hoc Latinè dici poſſet) pone te, ſiniſtra te, quocumque facies tua parata eſt: quod Hebræi ſic interpretantur, quaſi Propheta animo conſpexerit gladium huc illuc diſcurſantem, cumque alloquatur vt vniat ſe, id eſt, colligat, vnoque in loco conſiſtat, ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, quocumque facies eius ſpectet. Mihi prorſus contrarius videtur eſſe ſenſus, quemadmodum expreſſit noſter interpres. Non enim Propheta, ſed Deus gladium alloquitur, vt conſtat ex verſu ſequenti, *Quin & ego plaudam manu ad manum & implebo indignationem meam.* Nec alloquitur rogans vt vno tantùm loco conſiſtat, ſed poteſtatem illi concedens, in quamcumque velit partem inclinandi, vt apparet ex verſu 19. 20. 21. 22. Quod ergo dicit, התאחדי. vni te, perinde eſt ac ſi dicat, collige te, ô exercitus regis Babylonis: Nam per gladium totum exercitum int[illegible]. Et quod dicit. השימי. pone, non eſt ſenſus, pone faciem tuam verſus Aquilonem, vt Hebræi interpretantur. Nam Aquilon erat Babylon, non autem minatur hìc Babyloni, ſed Ieruſalem. Sic ergo interpretor. Pone (faciem tuam) ad dexteram, aut ad ſiniſtram, id eſt, ito quocumque voles.

17. *Quin & ego.*] Sicut tu. Hoc etiam loco pleroſque R. Dauidis interpretationem ſequi video, vt Deus plaudat manus in ſignum triſtitiæ, ſicut Propheta fecerat, qui ſenſus contrarius mihi videtur eſſe menti Prophetæ. Non enim loquitur Deus, quaſi dolens, ſed quaſi gaudens de futura calamitate Iudæorum, quam ipſe erat inducturus. Plaudere ergo Deum manibus non eſt eum dolere; ſed hoſtes cohortari, vt rectè Hieronymus interpretatur ſicut infrà cap. 25. 6. *Pro eo quòd plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſa es ex toto affectu ſuper terram Iſraël.* & 4. Regum 11. 12. *Et plaudentes manibus dixerunt. Viuat rex.* & Pſal. 46. 2. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* Atque in hanc ſententiam vertit Chaldæus, Adducam vltionem ſuper vltionem; eodemque modo R. Salomon interpretatur. Itaque ſenſus eſt: Ego quoque plaudam manibus, ſicut tu: ſed alio ſenſu, nempe vt impleam indignationem meam.

19. *Pone tibi duas vias.*] Iubet Deus Prophetam perſonam regis Babylonis agere, & futurum eius conſilium, aduentumque non iam verbis prædicere: ſed re

ipſa

Digitized by Google

non ſine magno periculo capi ſolent. H. בשחתם. in perditione eorum, quod noſter interpres dixit, *non abſque vulneribus ſuis*. Alij, reti eorum captus eſt, vt Chald. Paraphraſtes. Alij, in fouea eorum, vt Hieronymus: vt alludatur ad modum, quo leones, & aliæ huiuſmodi ferociſſimæ beſtiæ capi ſolent, factis foueis, in quas cùm ceciderint, euadere non poſſint. *Et adduxerunt in catenis.* catenis vinctum, ſicut leones vinciri ſolent. Hiſtoria eſt, 4. Reg. 23. 33. *Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath.*

5. *Quæ mater tua.*] quam vocauit verſu 2. *Quoniam infirmata eſt.* cùm vidiſſet ſe filio, ac rege ſuo orbata, vt 1. Reg. 2. 5. *Quoniam ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt*, id eſt, illis orbata eſt, ita R. Salom. interpretatur, eodémque ſenſu Sept. reddiderunt, quod Hebraïcè legitur נוחלה. ὅτι ἀπώσατο ἀπ' αὐτῆς, *quod ablatus à ſe eſſe*, (filius.) Alij, cùm vidiſſet ſpem ſuam periiſſe, vt Ionathas, & R. Dauid exponunt. Vtrumque ſenſum verbum Hebraicum habere poteſt, ſed noſtra verſio mihi magis placet. *Tulit vnum de leunculis ſuis.* מגוריה. de catulis ſuis, vt v. 2. & 3. loquitur autem de Eliacim, qui Ioacim cognomento dictus eſt, quem Pharao Nechao rex Ægypti pro Ioachaz regem conſtituit: 4. Reg. 23. 34. & 2. Paral. 36. 4. Dicitur autem mater eius, id eſt, Ieruſalem regem eum conſtituiſſe, quia Pharao cum populi conſenſu, & approbatione id fecit, vt adnotauit R. Dauid.

6. *Qui incedebat inter leones.*] id eſt, rex magnus ac potens ſimilis cæteris factus eſt, vt de Ioachaz dixit ver. 3.

Locus obſcurus.

7. *Didicit viduas facere.*] H. וידע אלמנותיו Et nouit viduas eius, ad verbum, locus eſt obſcurus. Primum relatiuum eſt ſine antecedente, quod apud Hebræos ſæpe fit, niſi dicamus referri ad leonem & vertamus, nouit viduas ſuas. Nonnulli putant verbum ידע. hoc loco non ſignificare Scire, aut Cognoſcere: ſed conterere, quemadmodum aliquando ſignificat; & nomen אלמנה. non ſignificare viduam ſed palatium, vt Iſai. 13. 22. *reſpondebunt ibi vlulæ* באלמנותיו. *in palatiis* eius, ſiue quòd nomen ambiguum ſit, & aliquando viduam, aliquando palatium ſignificet, vt multi putant, ſiue quòd ר, mutetur in ל, vt aliis placet. Igitur Chaldæus Paraphraſtes hoc ſenſu vertit, Deſtruxit palatia eius. Alij propriam verborum ſignificationem retinentes, cognouit viduas eius, pro eorum. quaſi dicat. occidit multos homines, & cum viduis mulieribus eorum rem habuit, vt Rab. Salomon, & Rab. Dauid, multíque Hebraïzantes interpretantur: Quod mihi nullo modo placet. Agit enim de leone, qui homines quidem ſolet occidere, ſed cum viduis rem habere non ſolet. Sic igitur interpretor, Nouit viduas, eius ſcilicet hominis, quem occidit, vt dixit verſu præcedente, vbi ſingulare pro plurali poſitum eſt, id eſt, expertus eſt multas viduas, quod optimè noſter interpres expreſſit, dicens, *Didicit viduas facere.* Hac enim periphraſi ſolet ſcriptura virorum cædem ſignificare, vt Pſal. 108. 9. *fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* & Ierem. 15. 8. *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſuper arenam maris.* & cap. 18. 21. *Fiant vxores eorum abſque liberis, & viduæ*, Et apud hunc ipſum Ezechiel. locus eſt huic valde ſimilis infrà c. 22. 25. *Sicut leo rugiens, rapienſque prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius. Et ciuitates eorum*, hominum, quos occidit; mutauit numerum, quia priùs ſingulari pro plurali vſus fuerat. Non eſt legendum, Earum, vt nonnulli libri habent, ſed *Eorum*, genere maſculino, vt Hebraicè eſt. *A voce.* propter vocem, frequens Hebraiſmus, id eſt, eo comminante, & quaſi leone rugiente omnes ciuitates

Phraſis ſcripturæ, viduas facere.

uitates ſuas deſerebant & aliò fugiebant.

8. *Et conuenerunt.*] Heb. ויתנו עליו. & dederunt ſuper eum (ſub.) ſignum, vt conuenirent, vt Ierem. 50. 2. *Annuntiate in Gentibus, & auditum facite, leuate ſignum.* Et 51. 12. *Super muros Babylonis leuate ſignum augete cuſtodiam.* Alij interpretantur יתנו קולם. dederunt vocem ſuam, id eſt, ſublato clamore irruerunt, vt R. Dauid. *Gentes vndique.* Hoc intelligitur ex 4. Regum 24. 2. *Immiſitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immiſit eos in Iudam, vt diſperderent eum.* *Rete ſuum.* Exercitum vocat rete, vt ſuprà cap. 12. 13. & cap. 17. 20. & infrà cap. 31. 3. *In vulneribus earum.* Non ſine periculo, בשחתם in perditione eorum, vel, in fouea eorum, vt verſu 4. loquitur autem de Eliacim, ſeu Ioacim, & Iechonia, quaſi de vno rege, quia Iechonias Eliacim ſucceſſit. Latrunculi enim non in Iechoniam, ſed in Eliacim miſſi ſunt; & Iechonias, non Eliacim captus eſt, 4. Reg. 24. 2. 15.

9. *Ne audiretur vox eius.*] Alludit ad metaphoram leonis, qui in montibus rugire ſolet, omneſque beſtias perterrefacere. Fuit autem Iechonias in carcere propter ſuſpicionem rebellionis, vt tradunt Hebræi, vſque ad mortem Nabuchodonoſoris, & regnum Euilmerodach, 4. Reg. 25. 27. & Ierem. 52. 31.

10. *Mater tua.*] O rex, ô princeps; principibus enim loquitur, vt illi mandauit Deus verſu 1. Eſt autem hæc ſecunda pars capitis, qua alia metaphora vitis idem dicit. *quaſi vinea.* כגפן. ſicut vitis. *In ſanguine tuo.* בדמך. R. Salomon, & R. Dauid exponunt ad ſimilitudinem tuam, quaſi poſitum ſit דמך, pro דמתך, & ſenſus ſit, ſicut tu, ita & mater tua, ſicut vitis iuxta aquas tuas plantata eſt. Hieronymus, *In ſanguine tuo*, vt nomen ſignificat, id eſt, in flore tuo, vt flos propter ruborem ſanguis appelletur. atque in hanc ſententiam Septuaginta verterunt, ὡς ἄνθος ῥοᾶς, *ſicut flos mali granati.* Alij, *In ſanguine tuo*, id eſt, in progenie tua regia, quaſi dicat, mater* tua regio ſanguine fœcundiſſima fuit, multóſque filios regum generauit, ſicut ſuprà dixit verſu ſecundo. *Enutriuit catulos ſuos.* רבתה. multiplicauit catulos ſuos.

* *Ita legitur in Complutenſi & apud Theodoretum, alibi* ὡς ἄνθος ἐν ῥοᾷ.

11. *Virgæ ſolidæ in ſceptra.*] id eſt, vt ex illis ſceptra regum fieri poſſent. quaſi dicat, multi erant ex regio ſanguine, qui reges eſſe poſſent; *Inter frondes.* על בין עבותים. inter denſiores, & perplexiores ramos, id eſt, præ cæteris ciuibus ij, qui ex ſanguine regio erant, eminebant. *Et vidit,* id eſt, videndo ſibi placuit, & in ſuperbiam elata eſt. Hieronymus & Septuag. actiuè legerunt ירא. *vidit.* Hebræi nunc paſſiuè legunt, viſa eſt, id eſt, apparuit in altitudine ſua. Vtroque enim modo remotis punctis legi poteſt, & vterque ſenſus congruus eſt.

12. *Et euulſa eſt in ira.*] magna vi, ſubitoque impetu, ſicut arbores vehementi vento radicitus euelli ſolent. hac metaphora ſignificat non ſolùm Iechoniæ, qui quaſi truncus, & principum, qui quaſi rami erant, ſed Sedeciæ, & totius populi captiuitatem; ita vt in vrbe nemo remaneret, quaſi ciuitas radicitus eſſet euulſa, vt apparet, 4. Reg. 25. 11. & Ierem. 52. 15. Hanc euulſionem ſæpe Deus fuerat comminatus, vt 3. Regum 14. 15. *Euellet Iſraël de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen.* Et 2. Paralipom. 7. 20. *Euellam de terra mea; quam dedi vobis: & domum hanc, quam ſanctificaui nomini meo, proijciam à facie mea.* *In terrámque proiecta.* In Chaldæam.

Babylon erat ad ortum Septentrionalem Ieroſolymis.

Et ventus vrens. Rex Babylonis. רוח קדים ventus Orientalis: erat enim Babylon ad ortum Septentrionalem Ieroſolymis, vt ſuprà ex R. Dauid adnotauimus, c. 17. 10. *Siccauit fructum eius*, exhauſit omnem theſaurum. *Virgæ roboris.* validæ, *ſolide in ſceptra dominantium*, vt dixit verſu præcedenti, id eſt, filij Sedeciæ, qui in regnum ſucceſſuri erant; ſceptraque recturi occiſi ſunt, 4. Reg. 25. 7. & Iere. 52.10. *Ignis comedit eam.* Ieruſalem quaſi vineã ignis abſumpſit, 4. Regum 25.9. & Ierem. 52.13. H. אכלתהו, comedit eum, genere maſculino; quod refertur ad ſenſum, non ad vocem, quia per מטה עוז virgam roboris eius intellexerat Sedeciam, vt ait R. Dauid, quem dicitur ignis conſumpſiſſe. quia in captiuitate ſine ſucceſſore mortuus eſt.

14. *Egreſſus eſt ignis.*] Hoc nonnulli de Iſmaële interpretantur, qui ex virga aut trunco ramorum eius egreſſus, id eſt, ex regio ſanguine progenitus, Godoliam & omnes Iudæos, qui cum eo in Iudæa remanſerant, interfecit, & velut ignis abſumpſit. Ierem. 41. 2. 3. & 4. Regum 25. 25. Ita Hieronym. & Theodor. Alij, *Egreſſus eſt ignis*, id eſt, pœna, quæ eam conſumpſit, ex iniquitate regum ac principum eius proceſſit. Sic Chald. Paraphraſt. & R. Salomon interpretantur. Alij, vt R. Dauid, Egreſſus eſt Sedecias ex genere eius regio, qui quaſi ignis omne regnum eius deuorauit, quia cauſa fuit excidij, & vltimus rex. Hoc eſt quod ſequitur, *Non fuit*, id eſt, non remanſit in ea *virga fortis in ſceptrum dominantium*. id eſt, qui in regnum ſuccederet. Non quòd nullus eſſet legitimus hæres regni, erat enim Salathiel filius Iechoniæ, & Zorobabel filius Solathiel, ex quorum regio genere Chriſtus, vt homo originem traxit; ſed non numerantur, quia in captiuitate erant, & quia regno non ſucceſſerunt. *Planctus eſt.* Id eſt, ſicut prædixi, ita res eueniet ſicut prophetia hæc lamentatio eſt, ita re ipſa cum Ieruſalem incendetur, & cætera, quæ vaticinatus ſum euenient; magna ſequetur lamentatio. Sic Ionath. Chald. & omnes Hebræi.

CAPVT XX.

ET factum eſt in anno ſeptimo, in quinto, in decima menſis: venerunt viri de ſe-
nioribus Iſraël vt interrogarent Dominũ, & ſederunt coram me, 2 *Et fa-*
ctus eſt ſermo Domini ad me, dicens, 3 *Fili hominis loquere ſenioribus Iſraël,*
& dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: Nunquid ad interrogandum me vos veniſtis?
viuo ego, quia non reſpondebo vobis, ait Dominus Deus. 4 *Si iudicas eos, ſi iudicas fili*
hominis abominationes patrum eorum oſtende eis. 5 *Et dices ad eos: Hæc dicit Do-*
minus Deus. in die qua elegi Iſraël, & leuaui manum meam pro ſtirpe domus Iacob: &
apparui eis in Terra Ægypti, & leuaui manum meam pro eis, dicens, 6 *Ego Domi-*
nus Deus veſter: in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægy-
pti: in terram quam prouideram eis, fluentem lacte & melle, quæ eſt egregia inter omnes
terras. 7 *Et dixi ad eos, Vnuſquiſque offenſiones oculorum ſuorum abijciat, & in idô-*
lis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus veſter. 8 *Et irritauerunt me, noluerúntq;*
me audire: vnuſquiſque abominationes oculorum ſuorum non proiecit, nec idôla Ægypti
reliquerunt: & dixi vt effunderem indignationem meam ſuper eos, & implerem irã meam
in eis, in medio terræ Ægypti. 9 *Et feci propter nomen meum, vt non violaretur co-*
ram Gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, vt educerem eos de
terra Ægypti. 10 *Eieci ergo eos de terra Ægypti, & eduxi eos in deſertum.*
11 *Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo viuet in*
eis.

tis. 12 Inſuper & ſabbatha mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me & eos: & ſci-
rent quia ego Dominus ſanctificans eos. 13 Et irritauerunt me domus Iſraël in
deſerto, in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt, quæ fa-
ciens homo viuet in eis: & ſabbatha mea violauerunt vehementer: dixi ergo vt ef-
funderem furorem meum ſuper eos in deſerto, & conſumerem eos. 14 Et feci pro-
pter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus de quibus eieci eos, in conſpectu earum.
15 Ego igitur leuaui manum meam ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in terram,
quam dedi eis fluentem lacte & melle præcipuam terrarum omnium: 16 Quia iudicia
mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, & ſabbatha mea violauerunt:
poſt idôla enim cor eorum gradiebatur. 17 Et pepercit oculus meus ſuper eos, vt non in-
terficerem eos: nec conſumpſi eos in deſerto: 18 Dixi autem ad filios eorum in ſolitudine:
In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec in idôlis
eorum polluamini. 19 Ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia
mea cuſtodite & facite ea. 20 Et ſabbatha mea ſanctificate, vt ſint ſignum inter me &
vos: & ſciatis quia ego ſum Dominus Deus veſter. 21 Et exacerbauerunt me filij, in
præceptis meis non ambulauerunt: & iudicia mea non cuſtodierunt, vt facerent ea: quæ
cùm fecerit homo, viuet in eis; & ſabbatha mea violauerunt: & comminatus ſum vt effun-
derem furorem meum ſuper eos, & implerem iram meam in eis in deſerto. 22 Auerti
autem manum meam, & feci propter nomen meum, vt non violaretur coram Gentibus, de
quibus eieci eos in oculis earum. 23 Iterum leuaui manum meam in eos in ſolitudine, vt
diſpergerem illos in nationes, & ventilarem in terras. 24 Eo quòd iudicia mea non feciſ-
ſent, & præcepta mea reprobaſſent, & ſabbata mea violaſſent, & poſt idôla patrum ſuorũ
fuiſſent oculi eorum. 25 Ergo, & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus
non viuent. 26 Et pollui eos in muneribus ſuis cùm offerrent omne quod aperit vuluam,
propter delicta ſua: & ſciens quia ego Dominus. 27 Quamobrem loquere ad domum Iſ-
raël fili hominis, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus. Adhuc & in hoc blaſphema-
uerunt me patres veſtri, cùm ſpreuiſſent me contemnẽtes: 28 & induxiſſem eos in terram
ſuper quam leuaui manum meam vt darem eis: viderunt omnem collẽ excelſum & omne
lignum nemoroſum, & immolauerunt ibi victimas ſuas: & dederunt ibi irritationem obla-
tionis ſuæ, & poſuerunt ibi odorem ſuauitatis ſuæ, & libauerunt libationes ſuas. 29 Et
dixi ad eos, Quid eſt excelſum ad quos vos ingredimini? Et vocatum eſt nomen eius Ex-
celſum vſque ad hanc diem. 30 Propterea dic ad domum Iſraël, Hæc dicit Dominus
Deus, Certè in via patrum veſtrorum vos polluimini, & poſt offendicula eorum vos forni-
camini. 31 Et in oblatione donorum veſtrorum, cùm traducitis filios veſtros per ignem, vos
polluimini in omnibus idôlis veſtris vſque hodie: & ego reſpõdebo vobis domus Iſraël? Viuo
ego dicit Dominus Deus, quia non reſpondebo vobis: 32 Neque cogitatio mentis veſtræ
fiet, dicentium: Erimus ſicut Gentes, & ſicut cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides.
33 Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in
furore effuſo regnabo ſuper vos. 34 Et educam vos de populis: & congregabo vos de terris,
in quibus diſperſi eſtis, in manu valida & in brachio extento, & in furore effuſo regnabo
ſuper vos. 35 Et adducam vos in deſertum populorum, & iudicabor vobiſcum ibi facie ad
faciem. 36 Sicut iudicio contendi aduerſum patres veſtros in deſerto terræ Ægypti: ſic
iudicabo vos, dicit Dominus Deus. 37 Et ſubiiciam vos ſceptro meo, & inducam vos in
vinculis fœderis. 38 Et eligam de vobis tranſgreſſores & impios, & de terra incolatus
eorum educam eos, & in terram Iſraël non ingredientur: & ſcietis quia ego Dominus.
39 Et vos domus Iſraël, Hæc dicit Dominus Deus, Singuli poſt idôla veſtra ambulate, &
ſeruite eis. Quòd ſi & in hoc non audieritis me, & nomen meum ſanctum pollueritis vltrà
in muneribus veſtris, & in idolis veſtris: 40 in monte ſancto meo, in monte excelſo Iſ-

raël, ait Dominus Deus, ibi ſeruiet mihi omnis domus Iſraël: omnes, inquam in terra in
qua placebunt mihi. & ibi quæram primitias veſtras & initium decimarum veſtrarum in
omnibus ſanctificationibus veſtris. 41 *In odorem ſuauitatis ſuſcipiam vos, cùm eduxero*
vos de populis, & congregauero vos de terris in qua diſperſi eſtis: & ſanctificabor in vobis
in oculis nationum. 42 *Et ſcietis quia ego Dominus, cùm induxero vos ad terram Iſraël,*
in terram pro qua leuaui manum meam, vt darem eam patribus veſtris. 43 *Et re-*
cordabimini ibi viarum veſtrarum. & omnium ſcelerum veſtrorum, quibus polluti eſtis
in eis: & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro in omnibus malitiis veſtris quas feciſtis.
44 *Et ſcietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum & non ſe-*
cundum vias veſtras malas neque ſecundum ſcelera veſtra peſſima domus Iſraël, ait Do-
minus Deus. 45 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens:* 46 *Fili hominis, pone*
faciem tuam contra viam Auſtri, & ſtilla ad Africum, & Propheta ad ſaltum agri me-
ridiani. 47 *Et dices ſaltui meridiano, audi verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus,*
Ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum
aridum: non extinguetur flamma ſuccenſionis: & comburetur in ea omnis facies ab Au-
ſtro vſque ad Aquilonem. 48 *Et videbit vniuerſa caro quia ego Dominus ſuccendi*
eam, nec extinguetur. 49 *Et dixi, Ah, ah, ah, Domine Deus: ipſi dicunt de me:*
Nunquid per parabolas loquitur iſte?

NON vult Deus à Iudæis per Prophetam interrogatus reſpondere; ſed ponit illis ob oculos ſua beneficia, & ipſorum peccata, minatúrque maiores adhuc pœnas.

1. *Anno ſeptimo.*] captiuitatis Iechoniæ, vt & noſtri, & Hebræi interpretantur. Sic enim ſolet Propheta tempus notare. Cœperat reuelationes habere anno quinto, menſe quarto, die quinta captiuitatis Iechoniæ, cap. 1. ver. 1. & 2. Cubauit poſtea in latus ſiniſtrum trecentos nonaginta dies, in dextrum quadraginta; ſunt quadringenti triginta, id eſt, annus vnus, & menſes duo, dies quinque, quo tempore Propheta nihil vaticinatus eſt, ſed quaſi in carcere fuit, cap. 4. ver. 4. 6. 8. Hoc elapſo tempore vaticinari cœpit, & ſcelera Iudæorum prophetico ſpiritu videre, anno ſcilicet ſexto, menſe ſexto, die quinta menſis, c. 8. v. 1. poſt vndecim autem menſes & quinque dies, vt rectè Hieron. colligit, acciderunt, quæ hoc capite narrantur. *In quinto*, intelligitur, menſe. Sic enim loquuntur Hebræi, cùm poſtea dies menſis ſequitur, vt explicauimus cap. 1. ver. 1. Quintus autem menſis Iulio noſtro reſpondet, Martius enim primus Iudæis menſis erat, Exod. 12. 2.

3. *Vos.*] Emphaticum pronomen eſt, quaſi dicat, vos homines conſcelerati. Similis locus ſuprà cap. 14. ver. 3. & 4.

4. *Si iudicas eos.*] H. התשפוט. an iudicas eos, an iudicas filij hominis? Quod quidam ſic interpretantur, quaſi dicat, ne iudices, & condemnes eos, ſed potiùs oſtende illis ſcelera patrum ipſorum, vt ad pœnitentiam adducantur. Ego ſic potiùs, An iudicas, id eſt, quid ceſſas iudicare & coarguere eos? oſtẽde ergo illis abominationes patrum eorum. Hanc enim vim habet aliquãdo apud Hebræos interrogatio, vt infrà cap. 22. 2. *Nonne iudicas, nonne iudicas ciuitatem ſanguinum?*

5. *In die qua elegi.*] Quo tempore elegi Iſraël, vt eſſet mihi populus peculiaris, vt dicit Deuter. 7. 6. *Et leuaui manum meam*, iuraui, ſicut ſuprà dixit, *Dedit manum ſuam*, cap. 17. 18. Solent enim qui iurant manum leuare, Deuter. 32. 40. *Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum. Et leuaui*, leuaui, inquam, manum meam, repetit hæc verba ad tollendum hyperbaton. *Dicens*,

verba

Digitized by Google

verba illa ſequentis verſus, *Ego Dominus Deus veſter*, cum hoc verbo iungi debent, & huius verſus finis eſſe, vt apud Hebræos, non ſequentis initium, vt in multis libris noſtris. Hæc enim eſt forma iuramenti, qua Deus vſus eſt, *Ego Dominus Deus veſter.* aut certè, hoc eſt, quod iurauit.

6. *In die illa.*] Eodem, inquam, tempore, quo iuraui me futurum eſſe Deum veſtrum, iuraui etiam fore vt vos educerem de terra Ægypti. Incipit ſua erga illos beneficia commemorare.

7. *Offenſiones oculorum ſuorum.*] שקוצי עיניו abominationes oculorum ſuorum, id eſt, idola; vocat abominationes oculorum, vt ait R. Dauid, quia ſolent oculi ad peccatum idololatriæ homines prouocare idola intuentes, vt ſuprà cap. 6. ver. 9. *Oculos eorum* (conteram) *fornicantes poſt idola ſua.* & cap. 18. 6. *Et oculos ſuos non leuauerit ad idola* & v. 12. *& ad idola leuantem oculos ſuos.* & ver. 15. *& oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſraël. Ego Dominus Deus veſter.* Qui ſi non id feceritis, caſtigabo vos, ſicut Exod. 20. 5. *Ego Deus tuus fortis Zelotes viſitans iniquitates patrum in filios.* *Idola abominationes oculorum.*

8. *Et dixi*] Penè conſtitui, cogitaui, eos penitus delere, cùm adhuc in Ægypto eſſent. Hoc ſignificat, effundere indignationem, vt cap. 7. 8. & cap. 9. 8. & 14. 19. &, implere aut complere iram, cap. 5. 13. & cap. 6. 12. & cap. 13. 15.

9. *Et feci.*] Non quæ facere cogitaueram; ſed ea quæ feci, vt eos de Ægyptiorum ſeruitute liberarem, *Ne pollueretur*, Ne infame eſſet apud Gentes, ſi eos non liberaſſem, quos audientibus omnibus gentibus me liberaturum promiſeram.

11. *Qui faciens homo viuet in eis.*] Quæ ſatis erant, vt quicumque ea faceret, capite non plecteretur, ſicut vos plectimini, quia non feciſtis. Sumptum hoc eſt ex Leuit. c. 18. 5. quod in hanc ſententiam D. Paulus interpretatur ad Rom. 10. 5.

12. *Inſuper ſabbata mea.*] Putant nonnulli Hebræi idcirco plurali numero ſabbata dixiſſe, vt ſabbatum dierum & annorum comprehenderet, id eſt, diem ſeptimum hebdomadis, annum ſeptimum, qui remiſſionis erat, & quinquageſimum iubilæi. Hæc enim omnia ſabbata in ſignum futuræ per Chriſtum ſalutis data fuerant. Fortaſſe ſimpliciùs interpretari poſſumus, *Dedi eis ſabbata mea.* quia vnum ſabbatum idem ſæpe redit. *vt eſſet ſignum* creati à me mundi, vt intelligerent me vnum eſſe Deum, qui eos ſanctificare poſſum.

13. *Et irritauerunt.*] וימרו בי. & rebellauerunt contra me, vt ſuprà v. 8. quod enim illic de eis dixit, cùm adhuc in Ægypto eſſent, dicit nunc eos feciſſe in deſerto, poſtquam ex Ægypto fuiſſent egreſſi, & tot, tantáque miracula vidiſſent. Declarat enim per gradus eorum ingratos mores. Quod idem facit Dauid Pſalm. 105. 7. 8. *Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ. Et irritauerunt aſcendentes in mare, mare rubrum. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam.* & ver. 14. *Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius.*

15. *Ego igitur.* וגם אני. Ego etiam *leuaui manum meam*, id eſt, iuraui fore vt non inducerem eos in terram, quam promiſeram, vt Pſalm. 94. 11. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Leuare manum, pro, iurare, vt ver. 5. & 6.

16. *Cor eorum gradiebatur.* Hebraïſmus, qui Latinè ſic exprimi poteſt, magno ſtudio in idolorum cultum ferebantur, aut, magna animi procliuitate idola ſequebantur, vt ſuprà cap. 11. 21. *Hebraïſmus.*

17. *Pepercit oculus meus.*] Hebraïſmus, pro eorum intuitu miſeratione motus ſum, vt ſuprà cap. 5. 11. & cap. 7. 4. & cap. 8. 18. & cap. 9. 5. 10. & cap. 16 5.

22. *Auerti manum meam.*] id eſt, cùm iam manum extendiſſem, vt eos percu-

Digitized by Google

terem, & abolerem, reuocaui eam, idque feci propter nomen meum, vt ſuprà ver. 9. & 14.

23. *Iterum leuaui.*] גם אני. etiam ego, non ſignificat illos etiam leuaſſe manum; ſed ſe antè leuaſſe; itaque rectiſſimè noſter interpres ſenſum expreſſit vertens, *Iterum leuaui manum meam*, id eſt, comminatus ſum, vt infrà cap. 44. 12. *Pro eo quòd miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorum ſuorum, & facti ſunt domui Iſraël in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam ſuper eos, ait Dominus Deus, & portauerunt iniquitatem ſuam.* Itaque alio ſenſu accipitur hîc leuare manum, quam ſuprà verſu 5. 6. 15. Eſtque gratia in verbi ambiguitate. quaſi dicat, leuaui manum meam aliter quàm antè. Nam ante, vt iurarem, nunc, vt minarer.

24. *Fuiſſent oculi eorum.*] id eſt, toti eſſent in idololatriam intenti. Hebraiſmus, ſicut ver. 7. vocauit offenſiones oculorum.

Præcepta non bona quænam hic dicantur.

25. *Præcepta non bona.*] Multi non ſolum recentiores Theologi: ſed etiam antiqui, vt Theodor. præcepta non bona ceremonialia præcepta vocari putant, quæ nihil natura ſua vtilitatis afferebant, ideóque non dixiſſe præcepta mala, ſed non bona, hoc eſt inutilia. Hoc mihi nimis ſubtile videtur eſſe. Nam præceptum de obſeruatione ſabbati, quód maximè ceremoniale erat, paulò antè ver. 20. 21. 24. inter præcepta bona connumerauit, quæ faciens homo, in eis viueret. Et manifeſtum eſt hanc eſſe antitheſim, idémque eſſe præcepta non bona, quod præcepta mala; & non viuere in eis, idem quod mori: eſt enim ταπείνωσις. Verùm ergo eſſe ſenſum arbitror, quem & D. Hieron. & Ionathas Chaldæus tradiderunt, vt idem ſit hoc loco. *Dedi*, atque permiſi eos facere quidquid vellent, vt eos punirem, vt ad Rom. 1. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Vocat autem præcepta non bona quæ illis, qui ea faciebant, non vitam, ſed mortem afferebant; præcepta verò non à Deo, nec ab illis ipſis; ſed à gentibus idolorum cultricibus, quæ multas de idolis colendis leges excogitauerant, quas Iudæi libentiùs, quàm leges diuinas obſeruabant, qualis erat illa de primogenitis filiis idolis immolandis, de qua ſtatim mentionem facit. Eodem ferè redit R. Salom. & R. Dauid, aliorúmque Hebræorum interpretatio. Dedi eis præcepta non bona, id eſt, tradidi eos in manus hoſtium, qui illis, tributa imperarunt, & alia præcepta nimis grauia.

26. *Et pollui eos.*] id eſt, pollui permiſi ſacrificiis ſuis, ſicut verſu præcedenti, *Dedi eis præcepta non bona. Cùm offerrent* idolis, *omne quod aperit uuluam*. id eſt, omne primogenitum, quod mihi offerri præceperam, Exod. 13. 2, H. בהעביר. vt tranſire facerent (filios ſuos per ignem.) alludit enim ad ritum, quo infantes idolis per ignem traducti, atque concremati ſacrificabantur, 4. Regum 16. 3. & 17. 17. 31. & 21. 6 & 23. 10. Septuag. *ἐν τῷ διαπορεύεσθαί με cùm ego traducerem*, ſicut dixit, pollui. *Propter delicta ſua* vt ipſi ſui manibus filios ſuos concremantes pœnas de ſe propter delicta ſua ſumerent Heb. למען אשמם. vt delerem eos, ſicut Septuag. verterunt. id eſt, vt occaſionem haberem poſt tantum flagitium, delendi eos.

27. *Adhuc & in hoc.*] Hic eſt tertius narrationis gradus. Commemorauit enim primo loco peccata, quæ perpetrauerant, cùm adhuc in Ægypto eſſent, v. 8. Secundo loco, quæ in deſerto, v. 13. Nunc narrat ea quæ fecerunt poſtquam in terram Iuda introducti fuerunt. Hoc eſt quod dicit, *Adhuc*. quaſi dicat, non contenti iis, quæ fecerant, maiora fecerũt. Hoc etiam ſignificat quod ſequitur.

Cum

Digitized by Google

Cùm ſpreuiſſent me contemnente. כמעלם בי מעל. cùm præuaricando præuaricati eſſent in me, id eſt, cùm valde præuaricati fuiſſent, contenti non fuerunt, ſed magis ac magis peccauerunt.

28. *Et induxiſſem eos.*] intelligi voluit noſter interpres particulam, *Cùm*, quæ præceſſerat clariùs ſic, ביאים .i. cumque induxiſſem eos in terram, quam me illis daturum iuraueram. Leuare manum, pro, iurare, vt ſuprà ver. 5. 6. 15. *Viderunt omnem collem.* Hebraïſmus ſic reſoluendus, In omni colle excelſo, & ſub omni arbore frondoſa, quam viderunt, immolauerunt victimas ſuas. *Et dederunt ibi irritationem oblationis ſuæ*, id eſt, poſuerunt oblationem ſuam, qua me irritarent. *Hebraïſmus.*

29. *Quid eſt excelſum.*] Gentes idolorum cultrices altaria ſua. בברות. id eſt, excelſa vocabant, aut, quòd excelſa eſſent, vt ait R. Dauid, aut, quòd plerumque in excelſis collibus eſſent: altare verò, quod Deus inſtituerat nec erat excelſum, ſed terreum, vt præcipitur Exod. 20. 24. 25. 26. neque vocabatur במה. excelſum, ſed מזבח. altare. Sed conſuetudo idolis ſacrificandi fecerat, vt Iudæi etiam nomen במה excelſi vſurparent. Subtiliter ergo illis peccatum oſtendit interrogans, *Quid eſt excelſum?* id eſt, quid ſibi vult hoc nomen? aut vnde venit? meum enim altare non ita vocatur, vt ipſi ſibi tacitis cogitationibus reſponderent, hoc nomen ex idololatria veſtra natum eſt. Eodem modo interrogauit Deus Adam, Geneſ. 3. 11. *Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes? Et vocatum eſt nomen eius excelſum* ex Iudæorum conſuetudine. *Quid excelſũ, & altare differant.*

30. *Poſt offendicula.*] אחרי שקוציהם. poſt abominationes eorum.

32. *Erimus ſicut Gentes.*] vt ligna & lapides impunè colamus, hoc, aut aliquid huiuſmodi neceſſariò eſt intelligendum, vt ex verſu ſequenti perſpicuum eſt. Nam quod attinet ad idololatriam, iam erant ſicut Gentes, aut etiam peiores, vt ſæpe Deus illis exprobrat; ſed optabant eſſe ſicut Gentes, quæ propter idololatriam non videbant à Deo vnquam puniri: aut, cupiebant eſſe ſine vero Deo, quia malè ſibi ab eo tractari videbantur, ſicut erant antequam Deus eligeret eos vt ipſi eſſent populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram, Deuteron. cap. 7. ver. 6. ad eum enim locum, vt putat R. Dauid, hic alludit propterea dicit ſtatim.

33. *In manu forti.*] quaſi dicat, velitis nolitis regnabo in vos, regamque vos in virga ferrea. Hoc ſignificant tres phraſes, quæ hoc loco ponuntur, Manus fortis, Brachium extentum Furor effuſus, quamuis duæ primæ poteſtatem potiùs, quàm ſeueritatem ſignificare ſoleant.

34. *Et ducam vos de populis.*] Quod ſummum erat beneficium, loco ſupplicij comminatur; quia illi optabant inter Gentes quaſi diuinis legibus ſoluti viuere.

35. *In deſertum populorum*] In quo non ſunt populi. *Et iudicabor vobiſcum.* ונשפטתי. & diſceptabo vobiſcum, aut, vltionem de vobis ſumam, vt Ionathas & R. Dauid interpretantur. *Facie ad faciem.* ſolus cum ſolis, ſine arbitris, ne Gentes videant pœnas, quas de vobis ſumpturus ſum, & lætentur, vt exponit R. Dauid, vt Exod. 33. 11. Deus dicitur cum Moſe facie ad faciem loqui conſueuiſſe, id eſt, ſine interprete, ſine teſtibus, ſine arbitris. Itaque idem ferè eſt, in deſerto, & facie ad faciem. Nominauit autem deſertum, partim quia inter Chaldæam, & Iudæam deſertum erat, partim vt alluderet ad alterum deſertum per quod eos ex Ægypto in Iudæam deduxerat, & vt iſtam reductionem cum illa, filios cum patribus, pœnam cum pœna conferat.

37. *Inducam*

Digitized by Google

37. *Inducam vos in vinculis fœderis.*] Percuriam vobiſcum nouum fœdus, vt dixit Ierem.cap.31.ver.31. vt hoc ad legem euangelicam referatur; aut, ſubiiciam vos meis legibus, à quibus nunc ſoluti ac liberi eſſe videmini.

38. *Et eligam.*] ad pœnam.

39. *Poſt idola veſtra ambulate.*] Conceſſio eſt. *Quòd ſi & in hoc non audieritis me.* Septuaginta contrario prorſus ſenſu verterunt, ἐὰν ὑμεῖς εἰσακούσητέ μου. *Si vos audieritis me.* Clariùs Symmachus, vt Hieronymus confitetur *Ite & ſeruite idolis, ſiquidem non auditis me.* Atque hunc ſenſum habent Hebraïca. ואחר אם איניכם שמעים. eodémque modo Chaldæus interpretatur. quaſi dicat, malo vt apertè idola colatis, quàm vt nomen meum polluatis, dum me ſimul cum idolis colitis, & illo ore, quo idola inuocatis meum nomen vſurpatis.

Eccleſia Catholica mons ſanctus Dei.

40. *In monte.*] Non reddit noſter interpres particulam cauſalem כי. quæ Hebraïcè legitur, quamque Septuaginta tranſtulerunt; *Quia in monte ſancto meo,* id eſt, in Eccleſia Catholica, quæ per Sion montem ſanctum frequentiſſimè intelligitur. Nam quamuis de reductione Iudæorum in montem Sion, id eſt, in patriam vaticinetur, tamen longiùs ad vocationem omnium gentium ad Eccleſiam renditur prophetia. Aliqui nonnihil hîc intelligendum putant, vt, aliquando fiet, vt me purè colatis, quia in monte ſancto meo omnis domus Iſraël ſeruiet mihi: quod ego non video eſſe neceſſarium. Senſus enim eſt, Ite ſi vultis, ſeruire idolis; non enim mihi cultus veſter neceſſarius eſt, quia veniet tempus, quo domus Iſraël, id eſt, ij, qui non peccauerunt, quique ex hac calamitate ſupurſtites fuerint, & omnes Chriſtiani veri Iſraëlitæ, qui per domum Iſraël ſignificantur, colent me: ſicut per Malachiam dixit cap. 1. 10. 11. *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et ibi quæram.*] petam à vobis ac recipiam ibi, vbi non idolis, ſed mihi ſoli ſeruietis. Nam hîc, vbi cultum meum cum idolorum cultu miſcetis, non recipiam primitias & oblationes veſtras, ſed ite potiùs, ſeruite idolis, & illis oblationes veſtras date, vt dixit verſu præcedenti. *Primitias veſtras.* תרומתיכם. dona veſtra. *Et initium decimarum veſtrarum.* ראשית משאותיכם primitias munerum veſtrorum. Septuag. vtrobique ἀπαρχὰς primitias reddiderunt: per primitias autem & dona, non ſolùm omnia ſacrificiorum genera; ſed etiam omnem cultum intelligit, ex parte totum.

41. *In odorem ſuauitatis ſuſcipiam vos.*] Eodem modo Sept. verterunt. Senſus eſt, recipiam vos tanquam ſuauiſſimi odoris ſacrificium, ſicut D. Paulus dicit ad Roman. 15. 16. *Vt fiat oblatio Gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Heb. בריח ניחח ארצה אתכם quod aliqui interpretantur, Tanquam odore quietis (id eſt, gratiſſimo) placebo mihi in vobis, quod in eandem ſententiam redit. Hebræi verò non intelligentes myſterium ad bellum Gog & Magog referunt. *Et ſanctificabor in vobis.* id eſt, cùm omnes nationes viderint vos à me eſſe liberatos, ſanctum me, iuſtumque iudicabunt, quòd fecerim quod promiſeram.

42. *Pro qua leuaui manum meam.*] Quam iuraui me patribus veſtris daturum eſſe, vt ſuprà ver. 5. 6. 15. 28.

43. *Et recordabimini.*] Pœnitentiam agetis, prima enim vox Euangelij eſt, *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum,* Matth. c. 3. 2. *Et diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro.* pœnitebit vos. H. ונקטתם בפניכם. Sept. verterunt,

κ

ϗ κόψεσθε τὰ πρόσωπα ὑμῶν. *percutietis facies veſtras.* verbum קוט. & excindere & execrari ſignificat. Hebræi hoc loco ſic interpretantur, Excindentur in oculis ſuis, id eſt, digni ſibi eſſe videbuntur, vt excindantur de populo Dei, vt R. Dauid. Meliùs mihi videtur noſter interpres reddidiſſe, *Diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro*, id eſt, execrabiles vobiſmet ipſis eſſe videbimini, vt ſuprà c. 6. v. 9. *Diſplicebunt ſibimet ſuper malis, quæ fecerant.* נקוטו בפניהם. ſicut hoc loco, & Iob. 10. 1. נקטה נפשי. execrabilis eſt anima mea propter vitam meam, quod rectè noſter interpres dixit, *Tædet animam meam vitæ meæ.*

44. *Scietis.*] experientia. Solus enim Deus peccata remittit: experiemini me peccata remittere. *Cùm beneficero.* H. בעשותי. cùm fecero vobis *propter nomen meum, & non ſecundum vias veſtras malas.* Significat gratuitam peccatorum remiſſionem, quæ fit in Eccleſia nullis, vt ſæpe dicit Auguſtinus, præcedentibus meritis bonis, & multis præcedentibus meritis malis. *Gratuita peccatorum remiſſio.*

46. *Pone faciem tuam.*] Conſtanter & intrepidè loquere, vt cap. 4. 3. *Et obfirmabis faciem tuam ad eam: & erit in obſidionem.* & cap. 6. 2. *Pone faciem tuam ad montes Iſraël, & prophetabis ad eos.* & cap. 13. 17. *Pone faciem tuam contra filias populi tui; quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas. Contra viam Auſtri;* Contra Ieruſalem, quæ Babyloni, vbi Propheta habitabat, Auſtralis erat. Nam Babylon Iudææ erat Septentrionalis, vt indicat, Ierem. cap. 1. ver. 14. *Ab Aquilone pandetur omne malum. Et ſtilla.* Continenter, ac fluente oratione loquere, vt Deuteron. 32. 2. *Fluat vt ros eloquium meum.* & infrà cap. 21. 2. *Pone faciem tuam ad Ieruſalem, & ſtilla ad ſanctuaria.* Eadem phraſis apud Michæam cap. 2. 6. 11. *Ad Africum.* Idem eſt, quod ad Auſtrum. H. אל דרום ad Meridiem. *Ad ſaltum.* ad ſyluam *agri meridiani.* Sic deſcribit Ieruſalem. Vocat enim ſyluam, quia ſicut ſylua, vt ait R. Dauid; plena eſt arboribus bonis, & malis; ita illa bonis & malis hominibus. Agrum autem meridianum appellat, quia Babyloni meridionalis erat. Eadem metaphora vſus eſt Iſai. c. 9. 18. & Ierem. cap. 21. 14. & c. 46. 23. *Deſcriptio Ieruſalem.*

47. *Omne lignum viride, & omne lignum aridum.*] id eſt, omnia ligna nullo excepto, ſicut Galli prouerbio dicere ſolent, Viride & Siccum. Per ligna viridia intelligit bonos ciues, per ſicca malos, vt ait R. Dauid, quòd veluti prouerbium Chriſtus etiam vſurpauit, Luc. 23. 31. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Perſeuerat in metaphora. Nam quia verſu præcedenti Ieruſalem ſyluam appellauerat, nunc ciues vocat ligna; ſimúlque ſignificat futurum vrbis incendium, quale poſtea conſecutum eſt, 4. Regum cap. 25. 9. & Iere. 52. 13. *Et non extinguetur flamma ſuccenſionis.* להבת שלהבת. flamma flammæ, id eſt, vehemens flamma, Hebraïca phraſi; aut flamma flammæ ſuccedens. Chaldæus, flamma conſumens. Septuag. flamma ſuccenſa. *Et comburetur in ea omnis facies*, H. plurali numero, comburentur in ea omnes facies, id eſt, omnes homines, vt interpretatur R. Salom. Alij exponunt, Igneſcent in ea omnes facies, id eſt, rubore perfundentur. Malim ego exponere, ſi ab illa prima R. Salom. interpretatione diſcedendum eſſet, Omnes facies hominum adeo erunt fame & metu extenuatæ, & pallidæ, vt combuſtæ eſſe videantur, vt apud Iſaiam cap. 13. 8. *Torſiones & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt: vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebunt, facies combuſtæ vultus eorum.* *Il y employe le verd & le ſec.*

48. *Quia ego Dominus.*] Animaduertent eiuſmodi incendium non caſu, ſed diuino meo conſilio contigiſſe, cùm extingui non poſſit.

49. *A. A. A.*] Ahah. vnica dictio dolentis, aut admirantis, vt ſuprà cap. 4. 14.

& Ierem. 1.6. & 14. 13. Quia per parabolas & ænigmata Deus Prophetam loqui iuſſerat, queritur, quòd Iudæi non intelligerent, cúmque quodammodo delirare exiſtimarent.

CAPVT XXI.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, 2 Fili hominis, pone faciem tuam
ad Ieruſalem, & ſtilla ad ſanctuaria, & propheta contra humũ Iſraël. 3 Et
dices terræ Iſraël, Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te, & eijciã gladium
meum de vagina ſua, & occidam in te iuſtum & impium. 4 Pro eo autem quod occidi
in te iuſtum & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina ſua ad omnẽ carnem
ab Auſtro vſque ad Aquilonem: 5 Vt ſciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua irreuocabilem. 6 Et tu fili hominis ingemiſce in contritione
lumborum, & in amaritudinibus ingemiſce coram eis. 7 Cúmq; dixerint ad te, Quare
tu gemis? dices: Pro auditu, quia venit, & tabeſcet omne cor, & diſſoluentur vniuerſæ manus, & infirmabitur omnis ſpiritus, & per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit & fiet,
ait Dominus Deus. 8 Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: 9 Fili hominis
propheta, & dices. Hæc dicit Dominus Deus, Loquere, Gladius, gladius, exacutus eſt &
limatus, 10 Vt cædat victimas, exacutus eſt, vt ſplendeat limatus eſt: qui moues ſceptrũ
filij mei, ſuccidiſti omne lignum. 11 Et dedi eum ad leuigandum, vt teneatur manu:
iſte exacutus eſt gladius, & iſte limatus eſt, vt ſit in manu interficientis. 12 Clama,
& vlula fili hominis, quia hic factus eſt in populo meo, hic in cunctis ducibus Iſraël qui
fugerant, gladio traditi ſunt cum populo meo, idcirco plaude ſuper femur. 13 Quia
probatus eſt, & hoc cum ſceptrum ſubuerterit, & non erit, dicit Dominus Deus.
14 Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu ad manum & duplicetur gladius,
ac triplicetur gladius interfectorum: hic eſt gladius occiſionis magnæ, qui obſtupeſcere
eos facit, & corde tabeſcere, & multiplicat ruinas. 15 In omnibus portis eorum
dedi conturbationem gladij acuti & limati, & ad fulgendum, amicti ad cædem.
16 Exacuere, vade ad dexteram ſiue ad ſiniſtram, quocumque faciei tuæ eſt appetitus.
17 Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam: ego
Dominus locutus ſum. 18 Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 19 Et tu
fili hominis pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis: de terra vna egredientur ambo: & manu capiet coniecturam, in capite viæ ciuitatis conijciet. 20 Viam
pones, vt veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Iudam in Ieruſalem munitiſſimam. 21 Stetit enim rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiſcens ſagittas: interrogauit idola, exta conſuluit. 22 Ad dextram
eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde vt eleuet vocem in vlulatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones. 23 Eritq; quaſi conſulens fruſtra oraculum in oculis eorum, & ſabbathorum otium
imitans: ipſe autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. 24 Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Pro eo quòd recordati eſtis iniquitatis veſtræ, & reuelaſtis præuaricationes veſtras, & apparuerunt peccata veſtra in omnibus cogitationibus veſtris: pro eo, inquam, quòd recordati eſtis, manu capiemini. 25 Tu autem prophane impie dux Iſraël: cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita. 26 Hæc dicit Dominus Deus,
Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc eſt quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit? 27 Iniquitatem, iniquitatem iniquitatem, ponam eam: & hoc non factum eſt, donec veniret cuius eſt iudicium, & tradam ei. 28 Et tu fili hominis,
Pro-

Propheta, & dic; Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum
& dices, Mucro mucro euagina te ad occidendum, lima te vt interficias & fulgeas.
29. *Cùm tibi viderentur vana, & diuinarentur mendacia, vt dareris ſuper colla vul-*
neratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. 30 *Reuer-*
tere ad vaginam tuam: in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, &
effundam ſuper te indignationem meam: in igne furoris mei ſufflabo in te, dabóque te
in manu hominum inſipientium, & fabricantium in interitum. 31 *Igni eris ci-*
bus, ſanguis tuus erit in medio terræ, obliuioni traderis: quia ego Dominus locutus
ſum.

SVPERIORI capite comminatus Deus ignem vrbi Ieroſolymitanæ, hoc capite comminatur gladium, regníque tranſlationem vſque ad verſum 28. Deinde vaticinatur Propheta contra Ammonitas vſque ad ver. 30. Poſtremo contra Nabuchodonoſorem vſque ad finem.

2. *Pone faciem tuam ad Ieruſalem, & ſtilla.*] Quid ſit ponere faciem, & quid ſtillare, explicauimus cap. præcedenti ver. 46. quod autem dicit *Ad ſanctuaria.* propterea plurali numero vtitur, quia, vt ſæpe adnotauimus, tres erant templi partes, quarum vnaquæque templum appellabatur, Adytum ſiue ſanctum ſanctorum; templum; porticus Salomonis, vbi Chriſtus docere ſolebat, vt colligitur ex Ioan. cap. 10. ver. 23. & poſtea Apoſtoli Act. 3. 11. & 5. 12. & tamen in templo docere dicebantur. Vide quæ ſuprà adnotauimus cap. 7. ver. 24. & Ierem. 51. 51. ex R. Dauid, & infrà cap. 22. 8. 26.

3. *Ecce ego ad te.*] venio, aut aliquid huiuſmodi intelligendum, vt ſuprà cap. 5. 8. & cap. 13. 8. 20. Chaldæus intelligit, Ecce ego mitto furorem meum contra te. *Eiciam gladium.* educam, diſtringam, gladium meum. Gladium ſuum vocat Deus Nabuchodonoſorem, vt explicatur paulò infrà verſu 19. & 30. quia miniſter erat iræ Dei, ſicut apud Iſaiam cap. 10. 5. vocat regem Aſſyriorum virgam furoris ſui. Vaginam autem appellat eius patriam, vt conſtat ex verſu 30. quaſi dicat, educam regem Chaldæorum ex patria ſua contra te. *Iuſtum & impium* Quia iniquum eſſe videbatur, vt Deus iuſtos propter iniquos interimeret, Septuag. verterunt, ἐξολοθρεύσω ἐκ σοῦ ἄδικον καὶ ἄνομον. *Delebo ex te iniuſtum & iniquum.* Chaldæus autem migrare faciam ex te iuſtos tuos, vt perdam peccatores tuos. Sed verba Hebraica hanc interpretationem pati non poſſunt. Et perſpicuum eſt, vt Hieronymus obſeruauit, idem hoc loco per iuſtum & impium, quod ſuprà cap. præcedenti verſu 47. per lignum viride & ſiccum ſignificari. Nec eſt dubium, quin aliquando Deus iuſtos cum iniuſtis iiſdem pœnis inuoluat. Mors enim illis non pœna, ſed gloria eſt. Id conſtat ex Pſalm. 78. verſu 2. 3. *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli: carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem: & non erat, qui ſepeliret.*

4. *Pro eo quòd occidi.*] Septuaginta & Chaldæus eodem modo hunc verſum explicant, quo præcedentem. Noſtri verò auctores, & Hebræi ſic interpretantur, quia cùm occiderem iuſtum & impium in Ieruſalem, Ammonitæ, aliæque vicinæ gentes veſtra calamitate lætabantur: ideo egredietur iterum gladius meus de vagina ſua ad omnem carnem, contra omnes populos, qui ſunt ab Auſtro vſque ad Aquilonem, id eſt, ab Ieruſalem vſque ad Chaldæam, vt R. Dauid interpretatur. At non videtur nunc de Ammonitis, & Chaldæis agere, de quibus poſtea dicet ver. 28. & 30. ſed de ſolis Iudæis. Quapropter

ſic ego interpretor, *Pro eo quòd occidi*. id eſt, occidere decreui iuſtum & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina ſua, ſicut capite ſuperiore ver. 47. cum de ſolis Iudæis ageret, dixit fore vt combureretur omne lignum & viride & ſiccum ab Auſtro vſque ad Aquilonem.

5. *Irreuocabilem.*] Quem nemo reuocare, aut impedire poterit Hebraïcè לֹא תָשׁוּב עוֹד. & non reuertetur vltrà. Quod R. Dauid, non reducetur in vaginam donec percuſſerit omnes gentes, quæ ſunt ab Auſtro vſque ad aquilonem; ſicut de verbo ſuo dicit Iſai. 45. 23. *Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuertetur.* & cap. 55. 11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum; ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in iis, ad quæ miſi illud.* & Ierem. 50. 9. *Ecce ego ſuſcito, & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra Aquilonis: Sagitta eius quaſi viri fortis interfectoris non reuertetur vacua.*

Hebraiſmus. 6. *In contritione lumborum.*] ita vt lumbi tibi ob ſuſpiria & gemitus conteri, diſrumpíque videantur. *In amaritudinibus.* Amarè, Hebraïſmus. Nomen pro aduerbio, Iubet Deus Prophetam non ſolùm verbis, ſed etiam geſtibus & actione vaticinari.

7. *Pro auditu.*] Propter auditum, id eſt, propter id quod ex Deo audiui citò contra hanc vrbem venturum eſſe. *Quia venit*, auditus; quia malum, quod audiui, impendere iam video. *Et tabeſcet.* נָמֵס. liqueſcet, id eſt, metu ſoluetur, omnia quæ ſequuntur deſcriptio ingentis timoris ſunt. *Et diſſoluentur vniuerſæ manus.* Sæpe hanc phraſim explicauimus, vide ſuprà cap. 7. 17. & Iſai. 13. 7. & 35. 3. *Et per cuncta genua fluent aquæ.* H. תֵּלַכְנָה מַּיִם. Ad verbum, cuncta genua. Ibunt aquis, aut per cuncta genua ibunt aquæ. Quod Ionathas interpretatur, Omnia genua fluent ſicut aquæ, id eſt, diſſoluentur, R. Dauid, trement ſicut aquæ, vento ſcilicet agitatæ, præ timore. Ego [illegible] eſſe puto, rémque turpem honeſto verbo ſignificari. Solent enim qui nimio metu correpti ſunt, vrinam ſoluere. Nam & Hiſpanis ſimile prouerbium eſt, Metu mingere. Similem phraſim explicauimus ſuprà cap. 7. 17.

9. *Gladius, gladius.*] Geminatio ſententiam confirmat. Quod ait R. Salom. propterea Prophetam vocem *gladius gladius* ingeminaſſe, vt duplicem gladium, alterum contra Babylonios, alterum contra Ammonitas venturum ſignificaret, futile eſt; non enim de Babyloniis, & Ammonitis: ſed de Iudæis hîc agitur. Melius R. Dauid hanc repetitionem dolorem indicare ait. ſolent enim dolentes verba ingeminare, vt Ierem. cap. 4. 19. *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* & 4. Regum 4. 19. *Caput meum, caput meum doleo. Exacutus eſt & limatus.* Periphraſis inſtantis belli eſt; ſolent enim milites imminente bello gladios acuere, ac polire.

10. *Vt cædat victimas.*] לְמַעַן טְבֹחַ טֶבַח. Ad verbum, ad victimanda victimam. Adnotauit R. Dauid verbum nomini verbali iunctum incrementum ſignificare, vt iraſci ira, morte mori. Perinde ergo eſt ac ſi dicat, ad magnam cædem faciendam exacutus eſt: Quam eandem vim habet ipſum per ſe nomen victimæ. Solet enim Deus magnam hominum ſtragẽ nomine victimæ declarare, vt indicet homines more pecudum trucidandos, vt Iſai. 34. 6. *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe; victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom*; Et Iere. 46. 10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum dies vltionis, vt ſumat vindictam de inimicis ſuis; deuorabit gladius & ſaturabitur & inebriabitur ſanguine eorum, Victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis iuxta flu-*

men

Digitized by Google

men Euphratem. Eadem phraſis eſt infrà cap. 39. 17. 19. *Vt ſplendeat limatus eſt*; politus eſt, vt ſplendore ſuo hoſtes terreat. *Qui moues ſceptrum filij mei.* Apoſtrophe eſt ad ipſum gladium, vt ait Hieronymus; Tu ô gladie Nabuchodonoſoris es, qui aufers *ſceptrum filij mei*, id eſt, qui perdis regnum Iuda, & Iſraël. quíque ſuccidis *omne lignum*, id eſt, omnes homines in toto regno Iuda trucidas. Hic ſenſus conſequens eſt & facilis. Sed Hebræi obſcurum ac difficilem hunc locum reddunt; legunt enim או נשיש שבט בני מאסת כל־עץ quod alij cum R. Dauid ſic interpretantur. Quomodo gaudebimus (de hoc gladio) cùm non contra alias gentes, ſed contra regnum filij mei, id eſt, populi mei exacutus atque politus ſit; & vt contemnat omne lignum eius? Putantque ideo Prophetam populum filium ſuum appellare, quòd doctoris perſonam gerat; diſcipulos enim quaſi filios eſſe doctoris. Chaldæus verò Paraphraſtes ſic, Vt occidat occiſionem euaginatus eſt, vt faciat vltionem exacutus eſt; pro eo quòd lætatæ ſunt tribus Iudà, & Beniamin ob tribus Iſraël, quando migrauerunt; quia ſeruierant idolis & conuerſæ ſunt ipſæ, vt errarent poſt ſimulachra lignea. Alij etiam aliter, ſed peius. Nulla mihi Hebræorum interpretatio placet, nec quiſquam mihi videtur præter noſtrum interpretem Hieronymum verum ſenſum reddidiſſe. Omnes enim Hebræi, & qui eos nimio ſtudio ſectantur, ponunt Prophetam eſſe qui loquitur, propterea dicere, Quomodo gaudebimus? quod omninò falſum eſt, Deus enim eſt qui dicit; aut Propheta perſona Dei verſu ſequenti, *Dedi eum ad leuigandum*: aut, vt Hebræi legunt, Dedit eum (hoſtis) ad leuigandum. Deus autem aut Propheta eius nomine numquā dixiſſet, Quomodo gaudebimus. Deinde quòd populum filium ſuum appellat, quis non videt magis Deo quàm Prophetæ conuenire; nam quod dicunt Prophetam tanquam doctorem populum filium ſuum appellare, commento ſimile videtur. Et ſi Propheta loqueretur, tamen quorſum hoc diceret? Nemo enim eum interrogauerat, cur ingemiſceret. Valde igitur ſuſpicor Hieronymum non legiſſe נשיש, ſed נשיא, auferet, & או. accepiſſe, pro, ו. &, vt multis aliis locis ponitur. Certè nec illum, nec alios legiſſe נשיש, magnum argumentum eſt, quòd cùm in commentariis varias aliorum editiones recitet, nec Septuag. nec quiſquam alius reddiderit, Gaudebimus.

Verſio, & expoſitio Hieronymi melior.

11\. *Et dedi.*] Ego Deus, vt Hieronymus vertit, & in commentariis exponit, H. ויתן. Et dedit eum, vt etiam Septuag. tranſtulerunt. Hebræi interpretantur, tradidit eum Deus; poteſt etiam intelligi hoſtis. *Ad leuigandum.* למרטה ad limandum, aut, poliendum, vt faciliùs manu militis teneri poſſit; idem verbum quod verſu 9. & 10. *In manu interficientis. Vt ſit in manu interficientis*, legendum eſt. ſic enim vertit, atque interpretatur Hieronymus. H. לתת אותה ביד הרג. vt detur in manum interfectoris.

12\. *Quia hic.*] Gladius, *factus eſt*, fiet; Præteritum pro futuro graſſabitur in populo meo. *In cunctis ducibus, qui fugerant.* In Sedecia & principibus Ieruſalem, qui cum eo fugientes capti ſunt, & occiſi. Ierem. 52. 10. Sic vertit Hieronymus מגורי אל־חרב היו. Alij interpretantur de iis, qui fugerant in Ægyptum Ieremiæ 43. Septuag. *οἱ παροικοῦντές μοι, qui apud me*, aut vicini mei. interpretantur autem, factus eſt in hoſpitibus meis, & ſacerdotibus, qui habitabant in templo meo; quo ſenſu videntur vertiſſe Hebræi exponunt, terrores erunt populo meo, id eſt, gladius quem timebat, veniet illi, vt R. Dauid interpretatur, ſicut dixit cap. 11. 8. *Gladium metuiſtis, & gladium inducam ſuper vos, ait Dominus Deus. Plaude ſuper femur.* Percute manu femur tuum more hominis

admirantis. Ierem. 31. 19. *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum.*

13. *Quia probatus eſt.*] Noſtræ verſionis ſenſus facillimus eſt, quia probatus mihi & gradus eſt hic gladius; quia ita regnum Iuda & Iſraël ſuccidet, vt amplius non extet. Sedecias enim vltimus erit rex: Sic Hieron. exponit, ſed Hebraicè impeditiſſimus locus eſt. כי בחן. quia probatio (ſub. eſt, aut, erit.) ומה אם גם שבט מאסת לא יהיה & quid ſi etiã ſceptrũ reprobauerit, non erit, ad verbum: Quæ verba R. Dauid ſic exponit, Quoniam probatio eſt, ideo gladius politus eſt & acutus; politus, vt ſplendore homines terreat, metúque ad pœnitentiam adducantur; acutus verò, vt eos, qui reſipiſcere noluerint, occidat. Et quid ſi etiam ſceptrum (filij mei, vt verſu 10. reprobauerit, id eſt, prætermiſerit illique pepercerit? ita vt non excindat illud. Hoc ſi fecerit, non erit probatio, fruſtraque politus, acutúſque fuerit. In hac interpretatione, & in multis aliis recentiorum auctorum, quas idcirco non refero, quia peiores, illud mihi violentum videtur, quòd verbum מאסת. reprobauit, aut reiecit, idem putetur valere, quod pepercit. Itaque meliùs fortaſſe, ſaluáque verborum proprietate ſic interpretabimur. Et quid (mirum eſt) ſi etiam ſceptrum ſic excideret vt ampliùs non ſit, id eſt, cùm ſit probatio, quid mirum ſi gladius non ſolùm alia ligna, hoc eſt, inferiores ciues; ſed ipſum etiam ſceptrum regium ceciderit, vt dixit verſu 10. Verſionem Sept. & Chaldæi Paraphraſtis non opus eſſe arbitror recitare, videat, qui volet. Hæc enim interpretatio proximè mihi ad veritatem, verborúmque proprietatem accedere videtur.

14. *Percute manum ad manum.*] more dolentis, atque admirantis. *Duplicetur gladius ac tripricetur.* ותכפל חרב שלישתה. duplicetur gladius tertiò, id eſt, ſemel atque iterum. Putat Hieronymus triplicem gladium, triplicem Nabuchodonoſoris aduentum ſignificare; primùm, cùm Ioacim ſibi vectigalem fecit, 4. Regum cap. 24. 1. Secundum, cùm Iechoniam captiuum duxit, ibidem, verſu 15. tertium, cùm Sedeciam oculis orbatum transtulit Babylonem, 4. Regum 25. 7. & Ierem. 52. 11. Nonnulli Hebræi, Tertiò, pro, Sæpe, poni exiſtimant. *Hic eſt gladius occiſionis magnæ; hic*, ſcilicet tertius. Nam cum tertiò venit Nabuchodonoſor tempore Sedeciæ, magnam fecit ſtragem, 4. Reg. 25. & Iere. 52. חרב חללים היא חרב חלל הגדול *gladius interfectorum*. ipſe eſt gladius interfecti magni, ad verbum. Adnotauit autem R. Dauid ſingularem numerum poni pro plurali. Gladius interfecti magni, pro, Gladius interfectorum magnorum, id eſt, quo magnates & principes interfecti ſunt Iere. 52. 10. *Qui obſtupeſcere eos facit.* faciet præſens, pro futuro. החודרת להם penetrãs illis, vt ita loquar. Nam חדר. penetrale ſignificat, id eſt, gladius, qui eos in ipſis ædium ſuarum penetralibus occidet, vt R. Dauid interpretatur. R. Salomon. de Iohanan filio Caree, & de iis, qui cum eo in Ægyptum fugerunt, hoc intelligit, Ier. 43. 7. quaſi dicat, quocumque eatis, gladius vos perſequetur etiam vſque ad intima penetralia, ſicut Iere. dixit c. 42. 16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti.* Alij, Gladius, qui hactenus delituit, id eſt, qui illis incognitus fuit. Hieron. Septuag. & Chaldæus eodem omnes ſenſu verterunt, qui obſtupeſcere, aut contremiſcere faciet eos, niſi quòd Septuag. per ſecundam perſonam reddiderunt, quaſi Propheta hoc nuntio Iudæos obſtupefacturus eſſet. *Et corde tabeſcere.* Hoc Hebraïcè ſequentis verſus initiũ eſt. למען למוג לב. vt corde liqueſiant, vt ver. 7. quamuis alio hic vtatur verbo. *Multiplicat.* gladius. הרבה. ad multiplicandas *ruinas*, id eſt, vt vbique mortui cadant. Simile

eſt

Triplex gladius quid denotet.

eſt illud, *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Pſalm. 109. 6. & infrà c. 43. verſu 7.

15. *Conturbationem gladij.*] vbique gladij timor erit, etiam in ipſo limine domorum אבחת חרב. aciem gladij. Putat autem R. Dauid, אבחת poni pro בעת. ע. mutatio in ח & א præpoſito, quod terrorem ſignificat. Alij, vt ipſe, & R. Salom. referunt, exiſtimant poni pro טבחת. occiſione, ט, in א, commutato, quo ſenſu Ionathas vertit. *Et limati ad fulgendum.* אח עשויה לברק heu facti (id eſt, politi) ad fulgendum. *Amicti ad cædem.* Qui gladius adeo ad cædem paratus eſt, vt non ſolùm politus ſit, atque exacutus, ſed etiam baltheo accinctus militi. Optimè noſter Hieronymus ſenſum expreſſit. Nam מעטה. vt Hebræi interpretantur, inuolutum ſignificat. Inuolutus autem eſt corrigiis gladius, cùm eo miles accingitur. Alij, exponunt capulo inſertum: Quod minus mihi placet.

16. *Exacuere.*] Dat Deus optionem gladio Nabuchodonoſoris, vt eat, quocumque voluerit ſiue ad dextram, id eſt, ad Ieruſalem, ſiue ad ſiniſtram, id eſt ad Rabbath filiorum Ammon, vt explicatur verſu 20. & 22. Senſuſque noſtræ verſionis clariſſimus eſt, Hebraïcorum autem verborum obſcuriſſimus: התאחדי הימיני השימי השמילי אנה פניך מעדות ad verbum, Vni te, dextra te (ſi hoc Latinè dici poſſet) pone te, ſiniſtra te, quocumque facies tua parata eſt: quod Hebræi ſic interpretantur, quaſi Propheta animo conſpexerit gladium huc illuc diſcurſantem, cumque alloquatur vt vniat ſe, id eſt, colligat, vnoque in loco conſiſtat, ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, quocumque facies eius ſpectet. Mihi prorſus contrarius videtur eſſe ſenſus, quemadmodum expreſſit noſter interpres. Non enim Propheta, ſed Deus gladium alloquitur, vt conſtat ex verſu ſequenti, *Quin & ego plaudam manu ad manum & implebo indignationem meam.* Nec alloquitur rogans vt vno tantùm loco conſiſtat, ſed poteſtatem illi concedens, in quamcumque velit partem inclinandi, vt apparet ex verſu 19. 20. 21. 22. Quod ergo dicit, התאחדי. vni te, perinde eſt ac ſi dicat, collige te, ô exercitus regis Babylonis: Nam per gladium totum exercitum intelligit. Et quod dicit. השימי. pone, non eſt ſenſus, pone faciem tuam verſus Aquilonem, vt Hebræi interpretantur. Nam Aquilon erat Babylon, non autem minatur hic Babyloni, ſed Ieruſalem. Sic ergo interpretor. Pone (faciem tuam) ad dexteram, aut ad ſiniſtram, id eſt, ito quocumque voles.

17. *Quin & ego.*] Sicut tu. Hoc etiam loco pleroſque R. Dauidis interpretationem ſequi video, vt Deus plaudat manus in ſignum triſtitiæ, ſicut Propheta fecerat, qui ſenſus contrarius mihi videtur eſſe menti Prophetæ. Non enim loquitur Deus, quaſi dolens, ſed quaſi gaudens de futura calamitate Iudæorum, quam ipſe erat inducturus. Plaudere ergo Deum manibus non eſt eum dolere; ſed hoſtes cohortari, vt rectè Hieronymus interpretatur ſicut infrà cap. 25. 6. *Pro eo quod plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſa es ex toto affectu ſuper terram Iſrael.* & 4. Regum 11. 12. *Et plaudentes manibus dixerunt. Viuat rex.* & Pſal. 46. 2. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* Atque in hanc ſententiam vertit Chaldæus, Adducam vltionem ſuper vltionem; codemque modo R. Salomon interpretatur. Itaque ſenſus eſt: Ego quoque plaudam manibus, ſicut tu: ſed alio ſenſu, nempe vt impleam indignationem meam.

19. *Pone tibi duas vias.*] Iubet Deus Prophetam perſonam regis Babylonis agere, & futurum eius conſilium, aduentumque non iam verbis prædicere: ſed re ipſa

ipſa repræſentare; ſicut c.4.ver.1. iuſſit eum in latere Ieroſolytanam vrbem deſcribere, & ver. 3. ſartagine eius obſidionem ante oculos ponere. *Vt veniat gladius*, quibus venire poteſt exercitus regis Babylonis. *De terra vna egredientur ambæ.* ſic legendum: Quamquam Hieronymus, Ambo legere videtur, & Sept. δύο ἀρχαὶ, dixerunt, id eſt, duo imperia egredientur ex eadem terra. Sed ſenſus eſt facilis, Iuber enim Deus Prophetam vrbem Babylonem deſcribere, duaſque vias ex ea pregredientes; alteram, quæ ad dexteram, id eſt, ad Ieruſalem, alteram, quæ ad ſiniſtram, id eſt, ad Rabbath Ammonitarum metropolim ducat. *Manu capiet coniecturam.* Rex Babylonis, cùm ad biuium venerit, vt deliberet quò ire debeat. Ita Hieronymus. Putauit enim per יד, manum ritum illum ex manu diuinandi ſignificari, quo vagabundi hodie Ægyptij vti ſolent. H. ויד ברא. Quod R. Dauid interpretatur, Elige locum, ſub. in quem ire debeas, dum adhuc *in capite viæ*, id eſt, in biuio quod eſt iuxta ciuitatem, manes. Poſſumus retenta vſitata nominis ſignificatione interpretari, *Elige tibi manum*, id eſt, conſtitue ad quam partem ire debeas, ad dexteram, an ad ſiniſtram.

20. *Viam pones.*] id eſt, Alteram viam deſcribes, qua exercitus Babylonicus ad Rabbath venire poſſit; alteram, qua ad Ieruſalem.

Genus ſortitionis etiamnum vſitatū.

21. *Stetit.*] ſtabit. Declarat, quid ſignificent, quæ dixit verſu præcedente. *Commiſcens ſagittas.* Genus ſortitionis ſignificat, quo etiam nunc multæ gentes vtuntur: coniectis enim ſagittis in pharetram, ſcriptis earum rerum, quæ eligendæ ſunt, nominibus, puer aliquis vnam extrahit, eaque res eligitur, cuius nomen habet inſcriptum. Hebræi aliter interpretantur קִלְקַל בחיצים Alij, terget ſagittas, vt in cuſpide polita atque relucente diuinator videat; ſicut in vngue diuinare quidam ſolent. Ita R. Dauid, & Salom. Alij, proiiciet ſagittas in aëra, vt in quam partem ſagitta ceciderit, in eam eat. Ita R. Ioſeph, & Chaldæus Paraphraſtes. Multò melius Hieronymus.

22. *Ad dexteram, eius facta eſt diuinatio.*] id eſt, ſuper Ieruſalem cecidit ſors. *Vt ponat arietes.* Inſtrumenta bellica, quibus olim vrbes expugnabantur. H. כרים. Ionathas Chaldæus, R. Salom. & R. Dauid exponunt, vt ponat duces. Quod mihi nullomodo placet. Non enim de ducibus; ſed de bellicis inſtrumentis agitur. Melius ergo noſter Hieronymus, & inter Hebræos R. Ioſeph Quimchi vertunt arietes, cùm id propriè nomen ſignificet, vt ſuprà c. 4. ver. 2. *Vt aperiat os in cæde.* vt magno clamore ſuos milites ad cædem exhortetur, vt canat celeuſma ſuper hoſtes, vt dixit Ieremias c. 25. 30. & c. 51. 14. *Vt ponat arietes.* Priùs dixit tantùm, *vt ponat arietes*; nunc dicit, *vt ponat aries contra portas*, itaque quia idem nomen repetit, idcirco opus eſt, vno aut altero loco duces ſignificare.

23. *Eritque quaſi conſulens fruſtra oraculum.*] Videbitur Nabuchodonoſor Iudæis operam perdere, fruſtraque idola ſua conſuluiſſe, ignorantes non idola ſed Deum ſortes ita moderatum, vt Nabuchodonoſor Ieroſolymitanam expugnationem eligeret. *Et ſabbatorum otium imitans*, id eſt, videbitur illis nihil agere, quemadmodum qui ſabbatum obſeruant, vt D. Hieronymus verſionis noſtræ auctor in Comm. interpretatur. H. שבעי שבעות להם. Hebdomades hebdomadum, id eſt, cùm ſepties ſepties, nempe quadragies nouies ſors ceciderit, vt veniret ad expugnandam Ieruſalem, vt Chald. Paraphr. & R. Salom. interpretantur. Eodem ſenſu videntur Sept. vertiſſe, ἑβδομάζων τὰς ἑβδομάδας αὐτοῖς. *Computans eis ſepties hebdomadas.* Alij, vt R. Dauid; propter iuramenta iuramentorum ipſis, id eſt, quia confidebant in pſeudoprophetis, qui multis iuramen-

D. Hieronymus auctor noſtræ verſionis.

Alij vertunt, *celebrans hebdomadas eis.*

Digitized by Google

iuramentis illis confirmauerant, fore, vt numquam vrbs caperetur. Alij meliùs, propter iuramenta iuramentorum, id eſt, confidentes fœdere, quod erat inter Iudæos, & Chaldæos multis iuramentis confirmato, non ſibi perſuadebant fore vt contra Ieruſalem veniret. Ille verò contrà memor *iniquitatis*, id eſt, iuramenti à Sedecia violati, veniet ad capiendam vrbem.

24. *Pro eo quòd recordati eſtis.*] יען הזכרכם. quia recordari feciſtis (me & Nabuchodonoſorem) iniquitatis veſtræ, ſicut ſtatim dicit, *Reuelaſtis præuaricationes veſtras.*

25. *Tu autem profane.*] חלל. morte digne, vt Chaldæus & Hebræi interpretantur. Sic vocat regem Sedeciam. *Cuius venit dies*, punitionis. *In tempore iniquitatis.* בעת עון קץ. in tempore iniquitatis finis, id eſt, quo iniquitas tua per ſupplicium finienda erat: aut, vt R. Dauid exponit, Cuius venit tempus, quo tempore iniquitas tua finem tibi regni afferet.

26. *Aufer cidarim.*] הסיר המצנפת. auferre cidarim. Infinitiuus pro imperatiuo, quem alij per futurum indicatiui reddunt, auferam cidarim; ſicut alterum infinitiuum, qui ſequitur, הרים העטרה. *tolle*, aut tollam *coronam*. Porrò per cidarim aliqui ſacerdotalem dignitatem, per coronam regnum intelligunt: in quibus eſt Ionathas Chaldæus. Erat enim cidaris ſacerdotis vitta, qua caput redimiebatur, Exod. 28. 4. & Leuit. 8. 9. & 16. 4. Alij autem ad eundem Sedeciam vtrumque referunt; putant enim Sedeciam ſacerdotalem ſibi dignitatem vſurpaſſe, quod ſine hiſtoria dici arbitror. Chaldæus refert ad Saraiam Sacerdotem magnum. Alij ad Ioſedech ſacerdotem, qui vnà cum Sedecia Babylonem ductus dicitur; quod ipſum non conſtat: præterquam quod hoc loco de regno agitur, non de ſacerdotio. Quapropter מצנפת. cidarim diadema ſignificare arbitror, & eſſe idem atque coronam Eſt enim repetitio. *Nónne hæc eſt?* Hæc cidaris, & hæc corona, quæ nihil fecit iuſtè, vt Hieron. interpretatur; ſed *humilem*, id eſt, qui humiliari debebat, *ſubleuauit, & ſublimem*, id eſt, quem ſublimari oportebat, *humiliauit.* Alij nimis violentè ad manum Nabuchodonoſoris referunt, qua ſuperiori verſu dixerant capiendum eſſe Sedeciam. quaſi dicat, Hæc manus eſt, quæ humiles erigit, vt Godoliam Ierem. 40. 5. Meliùs, ſi lectionem noſtram ſequamur, hæc corona humilem ſublimauit Iechoniam, qui cùm vinctus eſſet, eductus eſt è carcere ab Euilmerodach, vt regnaret, 4. Reg. 25. 27. & Ierem. 52. 31. aut, te ô Sedecia, cùm humilis eſſes, ad regnum euexit, 4. Reg 24. 17. & eundem te, cùm in ſublimi regni gradu eſſes, de regno deiecit, id eſt, occaſio fuit, vt caderes Hebr. זאת לא זאת. iſta non iſta; quod R. Dauid ſic interpretatur, Iſta corona non erit iſta, id eſt, iſtud regnum, quod nunc Sedecias tenet, non diu ſtabit ſed concidet. Deinde ſequitur, השפל הגבה והגבה השפיל. ad verbum, Humilem euehere, & excelſum deiicere. Infinitiui pro prima perſona futuri indicatiui, humilem euehem, & ſublimem deiiciam. Quod Rab. Dauid de Iechonia & Sedecia, Chaldæus verò Paraphraſtes & R. Salom. de Sedecia & Godolia dictum putant.

Infinitiuus pro imperatiuo.

Cidaris & corona quid denotent.

27. *Iniquitatem iniquitatem.*] עוה. iniquitas hoc loco afflictionem, pœnámque iniquitatis ſignificat, vt multis aliis locis obſeruauimus. Itaque ſenſus mihi videtur eſſe, paulatim hactenus coronam iſtam afflixi tempore Ioacim, Iechoniæ & Sedeciæ; ſed non eſt penitus auferenda, donec veniat Nabuchodonoſor, cui ego iudicium tradidi id eſt, quem iudicij & vltionis meæ adminiſtrum feci. Ille enim iudicium cum Sedecia faciet, eiúſque filios in conſpe-

Iniquitas pro pœna iniquitatis.

chiam ipſius occidet, eúmque oculis orbabit, 4. Reg. 25. 7. & Ierem. 52. 10. propterea putat R. Dauid ter iniquitatis nomen repetiuiſſe, vt tres generationes ſignificaret. Alij, גם זאת לא היה. etiam hæc non erit, &c. Interpretantur, Hæc etiam corona non erit amplius, donec veniat Christus, cui ego omne iudicium dedi, Ioan. 5. 22. quia qui poſt Sedeciam, vt ait Hieron. vſque ad Christum reges fuerunt, non iure: ſed vi, vt Hircanus, regnum obtinuerunt. Alij, curuam curuam, aut obliquam obliquam ponam illam, id eſt, efficiam, vt nullius capiti conuenire poſſit, donec Chriſtus veniat, cui repoſita eſt.

Locus hic de Christo potest intelligi.

28. *Ad filios Ammon.*] Hîc incipit Propheta aduerſus Ammonitas vaticinari, quia Iudæos ſanguine ſibi iunctos, & loco vicinos, cùm à Chaldæis vexarentur, irriſerant. Nam tribus Gad Ammonitis cognata erat, ex Loth enim vtrique genus ducebant: & Ammonitæ, cùm decem tribus in captiuitatem ducerentur, in earum poſſeſſiones irruerunt, Ierem. 49. 1. *Et ad opprobrium eorum.* אל חרפתם. de opprobrio, aut ſuper opprobrio eorum, quo ſcilicet Iudæos affecerunt, vt Ionathas, & R. Dauid exponunt. Dicunt Hebræi Ammonitas gauiſos eſſe, Iudæóſque probro habuiſſe, cùm Nabuchodonoſor ſortibus deliberaſſet, vtrum aduerſus Ieruſalem, an aduerſus Rabbath Ammonitarum profecturus eſſet, cùm viderent ſortem contra Ieruſalem cecidiſſe, vt ſuprà indicauit v. 20. & 21. *Euagina te.* H. חרב חרב פתוחה. gladius gladius apertus eſt, iam paratus, atque diſtrictus ad occidendos Ammonitas; & politus, vt interficiat, & fulgeat. להכיל למען ברק. ad conſumendum, & ad fulgendum. Alij, ad ſufficiendum, id eſt, vt vnus multis occidendis ſufficiat.

29. *Cùm tibi viderentur vana.*] Interim dum idola, ac diuini tui conſulti reſpondebant, gladium ad te non venturum, gladius contra te parabatur: ſicut antè dum Iudæi pſeudoprophetarum confiſi mendaciis non credebant contra ſe venturum fuiſſe, contra eos limatus eſt. *Ut dareris ſuper colla.* לתת אותך. vt traderent te (pſeudoprophetæ tui & diuinatores) gladio. אל צוארי. cum collis *vulneratorum impiorum*, id eſt, ſicut Iudæorum impiorum ceruices gladio traditæ ſunt: cùm venit eorum dies, quo ſcilicet punirentur. *In tempore iniquitatis præfinita.* בעת עון קץ. in tempore iniquitatis finis, id eſt, quo eorum iniquitas finem illis, & exitium allatura erat, vt ver. 25.

30. *Reuertere ad vaginam tuam.*] Sic etiam Septuag tranſtulerunt; ſenſúſque eſt, vt Hieronymus interpretatur. Reuertere, ô rex Babylonis, in terram tuam victor, facta Iudæorum cæde; ibi enim puniam te: vt incipiat Propheta contra Chaldæos vaticinari. Sic etiam Theodoritus. Hebræi continuationem cœptæ aduerſus Ammonitas prophetiæ eſſe putant, Legunt autem per interrogationem השב אל תערה. an in vaginam reducam? (gladium) quaſi dicat, non; ſed poſtquam Iudæos eo interfecero, vos quoque interficiam; idque in terra, qua nati eſtis, id eſt non permittam, vt captiui ducamini, quemadmodum Iudæi, quæ leuior pœna eſt; ſed efficiam vt omnes moriamini. *In terra natiuitatis tuæ.* במכורותיך. habitationum tuarum, interpretantur Hebræi & Chaldæi. putat enim R. Dauid מכור.תיך. dictum eſſe pro מגור. ותיך

31. *In igne furoris mei.*] In furore meo igni ſimili, pro ignem furoris mei *ſufflabo in te*, id eſt, magis ac magis incendam. *In manus hominum inſipientium*, id eſt, barbarorum, vt Septuag. reddiderunt; qui nullam perſonarum rationem habeant. *Et fabricantium interitum.* חרשי משחית. machinantium interitum, id eſt, crudelium qui nihil cogitant præter cædem, & ſanguinem; aut, *fabricantium interitum*, id eſt, qui in cædibus faciendis verſati, peritique ſunt.

32. *Igni*

32. *Igni eris cibus, ſanguis tuus* &c.] id eſt, igne & gladio peribis, ita vt nulla
ſit ampliùs tui memoria.

CAPVT XXII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 2 *Et tu fili hominis, nónne*
iudicas, nónne iudicas ciuitatem ſanguinum? & oſtendes ei omnes abomina-
tiones ſuas, 3 *& dices, Hæc dicit Dominus Deus. Ciuitas effundens*
ſanguinem in medio ſui, vt veniat tempus eius: & quæ fecit idôla contra ſemetipſam, vt
pollueretur. 4 *In ſanguine tuo qui à te effuſus eſt, deliquiſti: & in idôlis tuis quæ*
feciſti, polluta es: & appropinquare feciſti dies tuos, & adduxiſti tempus annorum
tuorum: propterea dedi te opprobrium Gentibus, & irriſionem vniuerſis terris,
5 *Quæ iuxta ſunt & quæ procul à te, triumphabunt de te: ſordida, nobilis, grandis*
interitu. 6 *Ecce principes Iſraël ſinguli in brachio ſuo fuerunt in te ad effundendum*
ſanguinem. 7 *Patrem & matrem contumeliis affecerunt in te, aduenam calum-*
niati ſunt in medio tui, pupillum & viduam contriſtauerunt apud te. 8 *San-*
ctuaria mea ſpreuiſtis, & ſabbatha mea polluiſtis. 9 *Viri detractores fuerunt in*
te ad effundendum ſanguinem, & ſuper montes comederunt in te, ſcelus operati ſunt in
medio tui. 10 *Verecundiora patris diſcooperuerunt in te, immunditiam menſtruatæ*
humiliauerunt in te. 11 *Et vnuſquiſque in vxorem proximi ſui operatus eſt abomi-*
nationem, & ſocer nurum ſuam polluit nefariè, frater ſororem ſuam filiam patris ſui op-
preſſit in te. 12 *Munera acceperunt apud te ad effundendum ſanguinem: vſuram*
& ſuperabundantiam accepiſti, & auarè proximos tuos calumniabaris: meiq́ oblita es,
ait Dominus Deus. 13 *Ecce complosi manus meas ſuper auaritiam tuam quam feci-*
ſti, & ſuper ſanguinem qui effuſus eſt in medio tui. 14 *Numquid ſuſtinebit cor tuum,*
aut præualebunt manus tuæ in diebus quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus ſum,
& faciam. 15 *Et diſpergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere fa-*
ciam immunditiam tuam à te. 16 *Et poſſidebo te in conſpectu Gentium: & ſcies quia*
ego Dominus. 17 *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens:* 18 *Fili homi-*
nis, verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, &
plumbum in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt. 19 *Propterea hæc dicit Dominus*
Deus, Eo quòd verſi eſtis omnes in ſcoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio
Ieruſalem, 20 *congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & ferri, & plumbi in me-*
dio fornacis vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum, ſic congregabo in furore meo & in
ira mea, & requieſcam, & conflabo vos. 21 *Et congregabo vos, & ſuccendam vos*
in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius. 22 *Vt conflatur argentum in me-*
dio fornacis, ſic eritis in medio eius: & ſcietis quia ego Dominus cùm effuderim indi-
gnationem meam ſuper vos. 23 *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens,*
24 *Fili hominis dic ei, Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris.* 25 *Con-*
iuratio Prophetarum in medio eius: ſicut leo rugiens, rapiénſque prædam, animas deuo-
rauerunt, opes & pretium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius.
26 *Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſan-*
ctum & prophanum non habuerunt diſtantiam: & inter pollutum & mundum non intel-
lexerunt: & à ſabbathis meis auerterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum.
27 *Principes eius in medio illius quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſangui-*
nem, & perdendas animas, & auarè ſectanda lucra. 28 *Prophetæ autem eius linebant*
eos abſque temperamento, videntes vana, & diuinantes eis mendacium dicentes: Hæc

dicit Dominus Deus , cùm Dominus non ſit locutus : 29 *Populi terræ calumnia-*
bantur calumniam, & rapiebant violenter : egenum & pauperem affligebant : & adue-
nam opprimebant calumnia abſque iudicio. 30 *Et quæſiui de eis virum qui inter-*
poneret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam : & non inueni.
31 *Et effudi ſuper eos indignationem meam , in igne iræ meæ conſumpſi eos : viam eo-*
rum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

CONNVMERAT ſcelera Ieruſalem, omniúmque Iudæorum.
2. *Nónne iudicas, nónne iudicas?*] bis legendum, vt Hebraïcè, התשפוט התשפוט. An iudicabis, an iudicabis? id eſt, quid ceſſas iudicare, cur non coarguis, & corripis ciuitatem, ſicut ſuprà cap. 20. 4. *Si iudicas eos , ſi iudicas fili hominis? Ciuitatem ſanguinum*, Ieruſalem ſanguinolentam, & homicidiorum plenam.

3. *Ciuitas* (eſt iſta) *effundens ſanguinem in medio ſui.*] publicè & impunè. *Vt veniat tempus eius* , vt homicidiis ſuis accelerari faciat tempus punitionis ſuæ , vt dicit ver. 4. *Appropinquare feciſti dies tuos , & adduxiſti tempus annorum tuorum. Contra ſemetipſam.* In ſuam perniciem עליה. quod eodem modo Sept. verterunt. R. Dauid , Super eam , id eſt , in montibus & collibus , qui illa altiores ſunt ; quod nimis ſubtile mihi videtur. Meliùs Chaldæus pro eodem accipit עליה. ſuper ſe , בתוכה. in medio ſui , quod paulò antè dixit.

Hebraiſmus. 4. *In ſanguine tuo.*] propter humanum ſanguinem, quem tu effudiſti. Hebraiſmus, ſicut qui ſtatim ſequitur, *In idolis tuis* , id eſt, propter idola tua. *Appropinquare feciſti dies tuos*, quia, *viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos* , Pſalm. 54. 24. feciſti vt citiùs punirem te , quàm conſtitueram , vt ver. præcedenti indicauit.

5. *Quæ iuxta ſunt.*] Tam vicinæ , quàm remotæ gentes triumphabunt de te. יתקלסו בך. ſpernent te, irridebunt te, vt verſu præcedenti. *Dedi te opprobrium Gentibus, & in irriſionem.* Idem enim hîc, & illic verbum eſt. *Sordida.* O polluta ciuitas, & nobilis, famoſa, malæ ſcilicet famæ , quæ apud omnes gentes propter ſcelera tua malè audis. Id clariùs duobus verbis dicitur Hebraicè , טמאת השם. polluta nomine, id eſt , malæ famæ, vt R. Dauid exponit. *Grandis interitu.* רבת המהומה. Multa contritionis. Ad verbum, id eſt, quæ multa mala pateris, vt quidam interpretantur ; aut, quæ magna contritione digna es, vt alij; aut, in qua magnus , multúſque tumultus eſt , vt Chaldæus Paraphraſtes : aut multiplex interitu, id eſt, qui vario mortis genere peribis, fame, gladio, peſte, vt R. Dauid interpretatur.

6. *Singuli in brachio ſuo.*] id eſt , pro ſua quiſque virili conati ſunt in te homicidia patrare.

7. *Contriſtauerunt.*] הונו. oppreſſerunt, ſicut & Sept. verterunt.

8. *Sanctuaria mea.*] Sacraria mea : vtitur numero plurali propter tres templi partes, ſanctum ſanctorum, templum , & porticum, quarum vnaquæque templum appellabatur, vt adnotauimus ſuprà c. præcedenti v. 2. *Spreuiſtis.* Apoſtrophe & mutatio perſonæ. H. בזית ſpreuiſti; ſicut quod ſequitur, *Polluiſtis.* חללת. polluiſti.

9. *Viri detractores.*] אנשי רכיל. viri fraudis, id eſt, falſi teſtes, qui pecunia corrupti contra innocentes falſa dicunt teſtimonia, quibus eorum ſanguis funderetur. *Super montes comederunt.* Idolorũ ſacrificia, quæ in montibus & collibus offerebantur, 4. Reg. 16. 4. & 17. 10. & 2. Par. 28. 4. & Ier. 2. 20, vide ſup. c. 18. 6. 11. 15.

10. *Verecundiora patris diſcooperuerunt.*] honeſta periphraſis inhoneſti inceſtus, id

id eſt, filij cum matribus ſuis concubuerunt. Hoc enim eſt verenda patris reuelare, id eſt, quæ ſolus pater reuelare poteſt; aut quæ eadem verenda patris cenſentur, vt Leuit. 18. 8. *Turpitudinem vxoris patris tui non diſcooperies; turpitudo enim patris tui eſt. Immunditiam menſtruatæ.* טמאת הנדה. immundam menſtruo oppreſſerunt in te libidinis cauſa, quod tanquam nefarium lege prohibitum erat, Leuit. 18. v. 19. & cap. 20. v. 18.

12. *Munera acceperunt.*] muneribus corrupti iudices innocentes morte condemnarunt.

13. *Comploſi manus meas.*] Admiratus ſum, & dolui propter auaritiam tuam. על בצעך. propter pecuniam vi & malis artibus quæſitam, & propter homicidia publicè atque impunè in te patrata. Percutere manus, hoc loco non eſt exhortari, vt cap. præcedenti ver. 17. ſed dolere vt eodem capite ver. 14.

14. *Numquid ſuſtinebit?*] Num æquo animo ferre poteris, aut viribus tuis ſuperare pœnas & afflictiones, quas ego inducam in te? Manus pro viribus dies pro rebus aduerſis, vt ver. 4. *Appropinquare feciſti dies tuos, & adduxiſti tempus annorum tuorum. Ego Dominus locutus ſum,* id eſt, decreui has pœnas tibi inferre, & ſicut locutus ſum ita faciam, vt Iſai. 14. 24. *Iurauit dominus exercituum dicens, ſi non vt putaui, ita erit; & quo modo mente tractaui, ſic eueniet.* & Iſai. 46. 11. *Locutus ſum, & adducam illud; creaui, & faciam illud.* & cap. 48. 15. *Ego ego locutus ſum, & vocaui eum, adduxi eum, & directa eſt via eius.*

15. *Deficere faciam.*] התמותי. finem imponam immunditiæ tuæ, id eſt, purgabo, expiabóque ſuppliciis ſcelera tua.

16. *Et poſſidebo te in conſpectu Gentium.*] ונחלת בך. Eodem modo Septuaginta verterunt κατακληρονομήσω. quaſi legerint נחלתי. in prima perſona. Et quidem Chaldæus Paraphraſtes per primam etiam perſonam, & quamuis alio verbo, tamen eodem ſenſu vertit אתקדש בין. Sanctificabor in te, id eſt, cùm abſterſero abs te omnem immunditiam tuam, efficiam, vt omnes gentes intelligant, te eſſe poſſeſſionem, & hæreditatem meam, ſicut antè eras, quemadmodum Hieronymus exponit. Aquila, & Theodotio, vt idem Hieronymus tradit, verterunt, Contaminabo te, id eſt, oſtendam te contaminatam eſſe, quaſi legerint à verbo חלל. aut חל. quemadmodum nonnulli etiam Hebræi legunt, vt auctor eſt etiam Rab. Dauid. Symmachus ab eodem verbo alia ſignificatione ſumpto. Vulnerabo te in conſpectu Gentium, Hebræi legunt in ſecunda perſona generis fœminini, נחלת בך. pro נִנחלת. hæreditaberis in te, id eſt, eris tibi ipſi hæreditas, non eris iam hæreditas mea ſicut antè. Magis mihi interpretatio Hieronymi placet, quia, vt ille adnotauit, dixerat verſu præcedenti, *Deficere faciam immunditiam tuam à te;* cum qua ſententia meliùs conuenit vt dicat, *poſſidebo te*, quàm eris tibi ipſi hæreditas. Deinde quod ſequitur, *In conſpectu Gentium*, meliùs cum hac interpretatione hæret.

20. *Congregatione argenti & æris & ſtanni.*] id eſt, Cùm antè purum argentum eſſetis, verſique ſitis in ſcoriam, factíque argentum impurum mixtum æri, ſtãno, plumbo, ferro, faciam, quod fabri argentarij facere ſolent, coniiciam vos in fornacem, vt purgemini, ſicut impurum argentum coniici ſolet, hoc eſt quod dicit, *Congregabo vos congregatione argenti & æris.* Simile quiddam apud Ierem. c. 6. v. 28 *Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: vniuerſi corrupti ſunt. Et requieſcam,* id eſt, deſinam vos punire, cùm omnino conflauero atque expiauero vos. H. והנחתי. & quieſcere faciam (vos) id eſt, ponam vos in

fornace, aut, derelinquam vos in fornace, id eſt, in gladio, fame, & peſte, vt R. Dauid interpretatur.

24. *Dic ei.*] Ieruſalem de qua dixit v. 19. *Congregabo vos in medio Ieruſalem. Tu es terra immunda.* לא מטהרה. non munda, id eſt, nondum ſuppliciis purgata, quæ, cùm multis peccatis cooperta ſis, nondum pœnitentiam egiſti, vt ait R. Dauid. Idem eſt terra non munda, & quod dixit v. 20. argentum æri, ſtanno, ferro, plũbo mixtum, id eſt, nondum conflatum atque purgatum. *Et non compluta in die furoris,* In quam Dominus, cùm iratus eſt pluuiam non mittit, aut per futurum, In quam Dominus cùm iratus fuerit, pluuiam non mittet, ſicut in lege comminatur Deuteronom. 11. 16. 17. *Cauete ne forte decipiatur cor veſtrum, & recedatis à Domino, ſeruiatiſque Diis alienis, & adoretis eos: iratúſque Dominus, claudat cœlum, & pluuia non deſcendat.* & apud Iſa. cap. 5. 6. *Et nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* & Ierem. 3. 3. *Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, & ſerotinus imber non fuit.* & cap. 14. 4. *Propter terræ vaſtitatem, quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua.*

25. *Coniuratio Prophetarum.*] Incipit omnium ordinum flagitia numerare, ac primo loco Prophetarum, quorum tanta erant ſcelera, vt ad perpetranda in vrbe homicidia conſpiraſſe viderentur. Dum enim pacem, reſq; proſperas populo pollicebantur, in cauſa erant, vt veri Prophetæ, qui bellum, captiuitatem, mortem, vrbis, templiq; incendium prædicebant, occiderentur. *Opes & pretium acceperunt*, vt ad populi voluntatem vaticinarentur. *Viduas eius*, id eſt, fuerunt cauſa vt multi viri occiderentur, eorũmq; vxores viduæ manerent; periphraſis magnæ cædis in ſacris litteris vſitata, qualem ſuprà adnotauimus c. 19. v. 7.

26. *Contempſerunt legem meam.*] חמסו תורתי. rapuerunt legem meam; furto legem meam ſurripuerunt, quod Hebræi ſic interpretantur, cùm deberent populum legem docere, non fecerunt, itaque legem illi quodammodo furati ſunt. *Sanctuaria mea.* Cur vtatur numero plurali, vide ſuprà ver. 8. & cap. præcedenti ver. 2. *Inter ſanctum & profanum.* Inter res Deo oblatas, & cæteras: *Inter pollutum & mundum.* Inter cibos mundos & immundos, legéque prohibitos non diiudicarunt. *Et à ſabbatis meis*, id eſt, neglexerunt ſabbati obſeruationem; vel, vt R. Dauid interpretatur, cùm viderent populum Sabbatum violare, & onera die Sabbati portare, vt dicitur Ieremiæ capite 17. verſu 27. connixerunt.

28. *Liniebant eos abſque temperamento.*] תפל. ſine ſale, id eſt, ſine paleis, quia quòd in carnibus eſt ſal, hoc in luto ſunt paleæ; vt enim ſal carnes, ita paleæ lutum conſtringunt. Senſus ergo eſt, Prophetæ vanas populi opiniones vanis vaticiniis confirmabant, ſicut dixit ſuprà cap. 13. ver. 10. *Eo quod deceperint populum meum, dicentes: pax, & non eſt pax: & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis.*

29. *Populi terræ.*] עם הארץ populus terræ, id eſt, vulgus; opponit enim homines plebeios Prophetis, ſacerdotibus, principibus. *Calumniabantur calumniam* id eſt, vehementer fraudibus, & calumniis dediti erant. עשקו עשק. opprimebant oppreſſione. Sept. τὸν λαὸν τῆς γῆς ἐκπιέζοντες ἀδικίᾳ *populum terræ opprimebant iniuſtitia* (Prophetæ) *Et rapiebant violenter.* גזלו גזל rapiebant rapinam, id eſt, rapinis dediti erant. *Abſque iudicio*, iniuſtè, contra ius.

30. *Qui interponeret ſepem.*] qui ſeſe tanquam ſepem opponeret inter me & populum, ne eum perderem; ſicut ſe olim Aaron oppoſuit, Num. 16. 48. & Moſes Exod. 32. & Ierem. Dixit enim illi Deus cap. 7. 15. *Tu ergo noli orare pro populo*

Digitized by Google

populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem , & non obſiſtas mihi. Similis exprobratio eſt ſuprà cap. 13. 5. *Non aſcendiſtis ex aduerſo , neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël. Et ſtaret oppoſitus.* ועמד בפרץ. & ſtaret in ruptura. Metaphora ſumpta à ſtrenuis militibus , qui cùm vrbs, quam defendunt , oppugnatur , in murorum rupturis ſeſe hoſtibus , ne ingrediantur , opponunt. Huiuſmodi Deus dicit ſe neminem inueniſſe. *Metaphora pulchra.*

31. *Et effudi.*] אשפך. effundam. Similiter cætera præterita ponuntur pro futuris. De re enim futura comminatur. *Viam eorum in caput eorum.* eorum peccata in ipſorum ſupplicia conuertam , aut dignas de illis pœnas ſumam , vt ſuprà cap. 9. 10.

CAPVT XXIII.

ET factum eſt ſermo Domini ad me, dicẽs, 2 Fili hominis duæ mulieres filiæ ma-
tris vnius fuerunt. 3 Et fornicatæ ſunt in Ægypto, in adoleſcentia ſua forni-
catæ ſunt: ibi ſubacta ſunt vbera earum & fracta sũt mãmæ pubertatis earũ.
4 Nomina autẽ earũ Oolla maior, & Ooliba ſoror eius iunior: & habui eas, & pepererunt
filios & filias. Porrò earum nomina Samaria Oolla, & Ieruſalem Ooliba. 5 Fornicata eſt
igitur ſuper me Oolla, & inſaniuit in amatores ſuos, in Aſſyrios propinquantes, 6 veſtitos
hyacintho, principes & magiſtratus, iuuenes cupidinis vniuerſos, equites aſcenſores equorũ.
7 Et dedit fornicationes ſuas ſuper eos electos filios Aſſyriorum vniuerſos : & in omni-
bus in quos inſaniuit, in immunditiis eorum polluta eſt. 8 Inſuper & fornicationes ſuas
quas habuerat in Ægypto, non reliquit : nam & illi dormierunt cum ea in adoleſcentia
eius, & illi confregerunt vbera pubertatis eius, & effuderunt fornicationẽ ſuam ſuper eam.
9 Propterea tradidi eam in manus amatorum ſuorum, in manus filiorum Aſſur, ſuper
quorũ inſaniuit libidine. 10 Ipſi diſcooperuerunt ignominiã eius: filios & filias eius tule-
runt: & ipsã occiderunt gladio: & factæ ſunt famoſæ mulieres, & iudicia perpetrauerunt in
ea. 11 Quod cùm vidiſſet ſoror eius Ooliba , plus quam illa inſaniuit libidine: 12 &
fornicationem ſuam ſuper fornicationem ſororis ſuæ ad filios Aſſyriorum præbuit impu-
denter, ducibus & magiſtratibus ad ſe venientibus indutis veſte varia , equitibus qui ve-
ctabantur equis, & adoleſcentibus forma cunctis egregia. 13 Et vidi quod polluta eſſet
via vnã ambarum. 14 Et auxit fornicationes ſuas ; cùm que vidiſſet viros depictos in
pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, 15 & accinctos balteis renes, & tia-
ras tinctas in capitibus eorum formam ducum omnium , ſimilitudinem filiorum Babylo-
nis, terræq́ Chaldæorum in qua orti ſunt: 16 Inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculo-
rum ſuorum , & miſit nuntios ad eos in Chaldæam. 17 Cúmque veniſſent ad eam filij
Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam ſtupris ſuis : & polluta eſt ab eis, & ſa-
turata eſt anima eius ab illis. 18 Denudauit quoque fornicationes ſuas, & diſcooperuit
ignominiam ſuam & receſſit anima mea ab ea , ſicut receſſerat anima mea à ſorore eius.
19 Multiplicauit enim fornicationes ſuas, recordans dies adoleſcentiæ ſuæ, quibus forni-
cata eſt in Terra-Ægypti. 20 Et inſaniuit libidine ſuper concubitum eorum, quorum
carnes ſunt vt carnes aſinorum : & ſicut fluxus equorum fluxus eorum. 21 Et viſitaſti
ſcelus adoleſcentiæ tuæ , quando ſubacta ſunt in Ægypto vbera tua , & confracta ſunt
mammæ pubertatis tuæ. 22 Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ſuſci-
tabo omnes amatores tuos contra te, de quibus ſatiata eſt anima tua, & congregabo eos ad-
uerſum te in circuitu. 23 Filios Babylonis & vniuerſos Chaldæos, nobiles tyrannóſque &
principes omnes filios Aſſyriorum, iuuenes forma egregia, duces & magiſtratus vniuerſos,

princi

principes principum, & nominatos aſcenſores equorum. 24 Et venient ſuper te in-
ſtructi curru, & rota, & multitudo populorum: lorica & clypeo & galea armabuntur
contra te vndique: & dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudiciis ſuis. 25 Et
ponam zelum meum in te quem exercent tecum in furore: naſum tuum & aures tuas
præcident: & quæ remanſerint gladio concident: ipſi filios tuos & filias tuas capient, & no-
uiſſimum tuum deuorabitur igni. 26 Et denudabunt te veſtimentis tuis & tollent va-
ſa gloriæ tuæ. 27 Et requieſcere faciam ſcelus tuum de te, & fornicationem tuam de
Terra Ægypti: nec leuabis oculos tuos ad eos, & Ægypti non recordaberis amplius.
28 Quia hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego tradam te in manus eorum quos odiſti, in
manus de quibus ſatiata eſt anima tua: 29 Et agent tecum in odio: & tollent omnes
labores tuos, & dimittent te nudam & ignominia plenam, & reuelabitur ignominia for-
nicationum tuarum, ſcelus tuum & fornicationes tuæ. 30 Fecerunt hæc tibi quia forni-
cata es poſt gentes, inter quas polluta es in idolis earum. 31 In via ſororis tuæ ambula-
ſti, & dabo calicem eius in manu tua. 32 Hæc dicit Dominus Deus, Calicem ſororis
tuæ bibes profundum & latum, eris in deriſum & in ſubſannationem quæ eſt capaciſſima.
33 Ebrietate & dolore repleberis: calice mœroris & triſtitiæ, calice ſororis tuæ Samariæ.
34 Et bibes illum & epotabis vſque ad fæces, & fragmenta eius deuorabis, vbera tua la-
cerabis: quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus. 35 Propterea hæc dicit Dominus
Deus: quia oblita es mei, & proiecisti me poſt corpus tuum, tu quoque porta ſcelus tuum,
& fornicationes tuas. 36 Et ait Dominus ad me dicens: Fili hominis, numquid iu-
dicas Oollam Oolibam, & annuntias eis ſcelera earum? 37 Quia adulteratæ ſunt,
& ſanguis in manibus earum: & cum idolis ſuis fornicatæ ſunt: inſuper & filios ſuos, quos
genuerunt mihi, obtulerunt eis ad deuorandum. 38 Sed & hoc fecerunt mihi, Pol-
luerunt ſanctuarium meum in die illa, & ſabbatha mea prophanauerunt. 39 Cúm-
que immolarent filios ſuos idolis ſuis, & ingrederentur ſanctuarium meum in die illa vt
pollerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. 40 Miſerunt ad vi-
ros venientes de longè ad quos nuntium miſerant, itaque ecce venerunt: quibus te lauiſti,
& circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. 41 Sediſti in lecto
pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te: thymiama meum, & vnguentum meum po-
ſuiſti ſuper eam. 42 Et vox multitudinis exultantis erat in ea: & in viris qui de
multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deſerto, poſuerunt armillas in
manibus eorum, & coronas, ſpecioſas in capitibus eorum. 43 Et dixi ei quæ attrita
eſt in adulteriis, nunc fornicabitur in fornicatione ſua etiam hæc: 44 Et ingreſſi
ſunt ad eam quaſi ad mulierem meretricem: ſic ingrediebantur ad Oollam & Oolibam
mulieres nefarias. 45 Viri ergo iuſti ſunt: hi iudicabunt eas iudicio adulterarum, &
iudicio effundentium ſanguinem: quia adulteræ ſunt, & ſanguis in manibus earum.
46 Hæc enim dicit Dominus Deus, Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tu-
multum & in rapinam. 47 Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur
gladiis eorum: filios & filias earum interficient, & domos earum igne ſuccendent. 48 Et
auferam ſcelus de terra, & diſcent omnes mulieres ne faciant ſecundum ſcelus earum.
49 Et dabunt ſcelus veſtrum ſuper vos, & peccata idolorum veſtrorum portabitis &
ſcietis quia ego Dominus Deus.

Idololatria Ieruſalem, & Samariæ duarum meretricum ſimilitudine deſcribitur.

DVARVM meretricum Oolæ, & Oolibæ ſimilitudine Ieruſalem & Samariæ, hoc eſt duarum, & decem tribuum idololatriam deſcribit, pœnáſque illis dignas comminatur.

2. *Duæ mulieres.*] Duo populi, Iuda, & Iſraël, id eſt, duæ, & decem tribus. *Filiæ matris vnius.* ex vno populo. nã cùm priùs vnicus Hebræorum populus eſſet,

postea

Digitized by Google

poſtea decem tribus, à duabus ſeparatæ ſunt, & ex vno populo duo facti, quaſi ex vna matre duæ natæ ſunt filiæ, 3. Regum 12. 16.

3. *Et fornicatæ ſunt.*] Idola primùm coluerunt. *Subacta ſunt ubera.* virginitatem perdiderunt: periphraſis & metaphora eſt. Habent enim puellæ dum virgines ſunt, vbera ſolida, & turgentia, quæ ſimulatque virginitatem amittunt, comprimuntur, & quodammodo franguntur. Eadem phraſis infrà, verſu 8. & 21. H. עשׂו דדי. fecerunt vbera pubertatis earum. (Ægyptij) vt R. Salom. & R. Dauid interpretantur, id eſt, imprægnauerunt eas; ſolent enim mulieribus prægnantibus vbera fieri, id eſt, intumeſcere. Loquitur autem de illis tanquam de duabus per anticipationem, cùm tunc, cùm in Ægypto erant, cumque ſubacta ſunt vbera earum, non eſſent niſi vna.

4. *Oola.*] אהלה. Aholah, quod ſignificat habitaculum ſuum. Sic decem tribus vocatæ ſunt, quòd Deus in illis non habitaret, neque templum quaſi tabernaculum ſuum haberet, ſed ipſæ ſibi habitaculum feciſſent. Adorabant enim Deum contra eius præceptum, in monte Garizin, qui vrbi Samariæ imminebat Ioan. 4. 20. Duæ autem tribus vocantur Ooliba אהליבה. Aholibah, id eſt, tabernaculum meum in ea, quia in Ieruſalem, quæ duarum tribuum caput erat, templum Deus ædificari ſibi iuſſerat. Dicuntur decem tribus ſoror maior, quia cùm maiore populi multitudine abundaret, ſtatura quodammodo maior erat, & ſolet ſoror quæ ſtatura maior eſt, natu quoque maior eſſe, ſicut ſuprà capite 16. 46. *Et habui eas.* In matrimonio, antequam adulterium committerent, & antequam diuiderentur, tempore Abraham, Iſaac, & Iacob, *& pepererunt filios, & filias*, valde multiplicari ſunt. *Samaria Oola, & Ieruſalem, Ooliba.* Per Samariam decem tribus, per Ieruſalem duas intelligit, per partem totum; quia illa decem, hæc duarum tribuum caput erat.

Oola & Ooliba quid ſignificat.

5. *Fornicata eſt ſuper me.*] תחתי. ſub me, loco mei, id eſt, pro me, qui maritus eius eram, adulterum ſuppoſuit. R. Dauid interpretatur, ſub me, id eſt, meo nomine: ſicut ſolent adulteræ omnia ſua adulteria honeſto matrimonij nomine velare, liberoſque ex adulterio ſuſceptos marito tribuere. Sic enim Ieroboan, cùm duos vitulos feciſſet, alterum in Bethel, alterum in Dan veri Dei nomine eos ornauit dicens, *ecce Dij tui Iſraël qui te eduxerunt de terra Ægypti.* 3. Regum 12. 28. *Et inſaniuit amore.* Deperiit amatores ſuos. *Propinquantes.* Aliqui etiam inter Hebræos vicinos interpretantur, vt R. Salom. Alij, moribus ſui ſimiles. Nam loco Aſſyrij decem tribubus vicini non erant, Ego confœderator interpretor ex hiſtoria regum, lib. 4. c. 15. 19. *Veniebat Phul rex Aſſyriorum in Therſam, & dabat Manahem* (rex Samariæ) *Phul mille talenta argenti, vt eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum eius.* Noſter interpres paulò infrà verſu 12. idem verbum vertit, *Ad ſe venientes.* Dicit autem eos deamaſſe per metaphoram, non quòd eos amauerit; ſed quòd eorum idola coluerit. quod enim de Aſſyriis dicit, de idolis intelligendum eſt.

6. *Iuuenes cupidines.*] id eſt, amabiles, venuſtos.

7. *Dedit fornicationes ſuas.*] proſtituit ſe illis, qui ex omnibus Aſſyriis lectiſſimi erant. *In omnibus, in quos inſaniuit.* Hebraiſmus ſic reſoluendus, In omnium eorum, quos adamauit, idolis polluta eſt. Abundat enim vnum relatiuum Hebræorum more. Immunditias vocat idola גלולים vt ſuprà cap. 14. 3. 4.

8. *Inſuper & fornicationes.*] id eſt, ſuſcepit Aſſyriorum idololatriam, ſed non propterea dereliquit idololatriam, quam in Ægypto didicerat: Quemadmo-

dum ſi de adultera diceret, ſuſcepit nouos amicos, ſed non reliquit veteres. *Nam & illi.* Ægyptij deuirginauerunt illam, illi primi docuerunt eam idololatriam, ſicut dixit verſu 3. *Ibi ſubacta ſunt vbera earum. Et effuderunt*, id eſt, docuerunt illam omne genus idololatriæ ſuæ.

9. *Propterea.*] ſcilicet vt iuſto iudicio quos amauerat, ab iis poſtea puniretur. Cepit enim rex Aſſyriorum Samariam, & decem tribus in captiuitatem duxit, 4. Reg. 17. 6. & 18. 10.

10. *Diſcooperuerunt ignominias eius.*] id eſt, ſpoliauerunt, quemadmodum ſi amator adulteræ libidine ſatiatus eam ſpoliaret, nudamque relinqueret. Alludit etiam fortaſſis ad captiuitatem; ſolent enim mulieres ſeminudæ in captiuitatem duci, aut quia ab hoſtibus deſpoliantur, aut quia ſcipſæ faciendi itineris, traiiciendorumque fluuiorum cauſa nudare ſolent, vt Iſai. 47. 2. *Denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum, reuela crura, tranſi flumina. Et factæ ſunt famoſæ mulieres*, mulieres Samariæ factæ ſunt celebres miſeriis & pœnis. Hebr. ותהי שם לנשים. & factum eſt nomen mulieribus, quod Septuaginta dixerunt, καὶ ἐγένετο λάλημα εἰς γυναῖκας. *Et facta eſt locutio in mulieres*, id eſt, data eſt omnibus mulieribus materia de mulieribus Samariæ loquendi, quòd miſerandum in modum ab Aſſyriis habitæ eſſent. Alij interpretantur factum eſt nomen mulieribus, id eſt, propoſitum exemplum ne adulteræ ſint, conſiderantes: quid Samariæ propter adulteria ſua accidiſſet. ita Rab. Salomon. Alij, factum eſt nomen (malum) cæteris mulieribus propter Samariam, id eſt, malè audierunt propter illam, vt exponit R. Dauid. *Et iudicia perpetrauerunt.* Aſſyrij tanquam Dei miniſtri iudicia in ea exercuerunt, id eſt, dignas de ea pœnas ſumpſerunt.

11. *Inſaniuit libidine.*] ותשחת עגבתה ממנה. Et corrupit amorem ſuum præ illa, id eſt, magis amauit Ieruſalem idola, quàm Samaria; & quo exemplo melior fieri debebat, peior facta eſt.

12. *Ad filios Aſſyriorum præbuit impudenter.*] אל בני אשור עגבה. Filios Aſſur adamauit, aut deperiit, idem vebum quod ſuprà verſu 5. 6. 9. *Ad ſe venientibus.* קרבים quod noſter interpres verſu 5. vertit. *Propinquantes. Veſte varia.* מכלול. perfectione, vt vertit Chaldæus, id eſt, omni genere pretioſarum veſtium, vt R. Dauid exponit, ſuprà verſu 6. dixit. *Veſtitos hyacintho. Adoleſcentibus forma cunctis egregia.* בחורי חמד. adoleſcentibus *cupiditatis*, id eſt, amabilibus, vt ver. 6.

13. *Et vidi, quòd polluta eſſet.*] Hebræi hîc punctum ponunt, deinde legunt, *via vna ambarum*, id eſt, vidi Ieruſalem pollutam eſſe, quemadmodum Samariam, ſimileſque vtriuſque mores eſſe.

14. *Cùmque vidiſſet.*] וארא. & vidit ו. poteſt eſſe cauſalis, vidit enim *viros depictos*. Non quòd re vera viderit, ſed declarat nimiam ad idololatriam procliuitatem per ſimilitudinem libidinoſiſſimæ mulieris, quæ non ſolùm quos viros præſentes; ſed etiam quos in aliquo pariete egregia forma depictos videt, amare ſolet. Sic enim Ieruſalem, cùm numquam Chaldæos vidiſſet, ſicut Samaria, quæ cum illis fœdus habebat, ſed ſolùm de illorum idololatria inaudiſſet, eam imitata eſt.

15. *Accinctos balteis.*] Deſcribit habitum Chaldæorum. *Formam ducum omnium.* מראה שלישים כלם. forma ducum omnibus illis (erat) id eſt, omnes erant forma elegantes, quales duces ac principes eſſe ſolent. *Similitudinem filiorum Babylonis*, id eſt, omnes illi, quos pictos videbat ſimiles forma & habitu ciui...

R.

Babylonis eſſe videbantur, quæ Chaldæorum terra, *in qua nati ſunt*, id eſt, ita picti erant, vt non picti; ſed in Babylone nati eſſe viderentur.

16. *Inſaniuit.*] חעגב. deperiit, adamauit, vt ſupra verſu 5. 9. 12. *Concupiſcentia*, למראה עיניה ad aſpectum oculorum ſuorum, id eſt, ſimul atque eos pictos vidit.

17. *Ad cubile mammarum.*] דדים. ad cubiculum amatorum, id eſt, in quo ſolent amatores cum amica concumbere. Sic vocat fana & delubra, vbi Iudæi idolis immolabant. quaſi dicat, docuerũt Chaldæi Iudęos in ſuis delubris idolis etiam ſuis ſacrificare. *Et ſaturata eſt anima eius*, exſatiauit libidinem ſuam. Videtur noſter interpres legiſſe השבע pro, תקע. aut exiſtimaſſe verbum הקע ſaturitatem ſignificare; Qui ſenſus melius ſanè loco conuenit, quam ille, quem R. Dauid, & alij eum ſecuti aſſerre ſolent, Diſceſſit anima eius ab eis, id eſt, rupit amicitias, quas cum illis contraxerat: Quod illi ad rebellionem referunt, quam fecit Ioacim contra regem Babylonis, 4. Regum 24. 1. ita etiam Septuag. verterunt, ϗ ἀπέστη ἡ ψυχὴ αὐτῆς ἀπ᾽ αὐτῶν *Et diſceſſit anima eius ab illis*, quod ego non mutata verbi ſignificatione aliter interpretor, id eſt, vſque ad nauſeam & faſtidium ſatiata eſt eorum libidine, ſicut intellexit noſter interpres. Eadem ſignificatione ſumitur idem verbum verſu ſequenti. *Melior noſtri Interpretis verſio.*

18. *Denudauit quoque fornicationes ſuas.*] id eſt, non ſolùm clam ſicut principiò; ſed publicè ac palam idola coluit. Cumq; viderem proſtitutam eius turpitudinem, cepit me illius faſtidium, hoc eſt. *Receſſit anima mea ab ea, ſicut receſſerat anima mea à ſorore eius.*

19. *Recordans dies.*] לזכור. ad recordandum, id eſt, vt me recordari faceret *dies adoleſcentiæ ſuæ, quibus fornicata eſt in terra Aegypti*, id eſt, vt punirem in illa non ſolùm recentem, ſed etiam veterem idololatriam. Noſter interpres verbum, *Recordans*, contra conſuetudinem Latini ſermonis tranſitiuè poſuit, ſicut ſuprà, cap. 21. 24.

20. *Et inſaniuit libidine*] ותעגבה. & adamauit, deperiit, idem verbum quod verſu 5. 9. *Super concubitum eorum.* In concubitum eorum: rectè mihi videtur noſter interpres ſenſum reddidiſſe; quamquam Hebræi aliter exponunt. על פלגשיהם cum pellicibus eorum, id eſt, ita vt facta ſit eorum pellex. ita R. Dauid & R. Salomon: eodémque ſenſu videtur Chaldæus vertere, & elegit vt eſſet miniſtrans eis; ſed ſenſus non bene mihi videtur hærere loco. Alij, adamauit ſeruos eorum, id eſt, non ſolùm Chaldæorum; ſed etiam omnium hominum, qui Chaldæis ſubiecti erant, idola colebant. Ego ſicut Hieronymus interpretor, Adamauit concubitus eorum. Manifeſtum enim eſt voluiſſe dicere, eam propter virilis membri magnitudinem adamaſſe, quod neque de pellicibus, neque de ſeruis dici poteſt. Non enim ſeruos amaret, quia eorum domini magna habebant membra virilia. *Quorum carnes*, id eſt, membra genitalia: rem inhoneſtam honeſto verbo ſignificat. *Carnes aſinorum.* ſimiles carnibus aſinorum, id eſt, magnæ. Aſini enim inter omnia animalia maxima habent genitalia. Hac metaphora ſignificat Chaldæorum idololatriam maximam fuiſſe, Iudæos verò ad eam ſectandam maximè procliues. Simile quiddam de Ægyptiis dixit ſuprà cap. 16. 26. *Et fornicata cum filiis Aegypti vicinis tuis magnarum carnium. Et ſicut fluxus equorum.* Qui in coitu magnam copiam ſpermatis proiiciunt ſicut equi.

21. *Et viſitaſti.*] id eſt, feciſti vt viſitarem *ſcelus adoleſcentiæ tuæ*, hoc eſt, vt punirem. ſic etiam Septuag. tranſtulerunt. Idque verbum Hebraïcum propriè ſigni-

ficat תפקדי ſed etiam ſignificat recordari,atque ita Hebræi,& Chaldæus Paraphraſtes hoc loco interpretantur, Recordata es ſcelus adoleſcentiæ tuæ, id eſt, veterem tuam idololatriam renouaſti. Alio ſenſu quàm verſu 19.

22. *Propterea Oolibà.*] Aholibah,id eſt, Ieruſalem, vt verſu 4. *Omnes amatores tuos.* Chaldæos. *De quibus ſatiata eſt anima tua.* את אשר נקעה נפשך. A quibus diſceſſit anima tua, id eſt, quorum præ ſatietate libidinis tæduit te, quorum libidine vſque ſatiata es,vt ſuprà ver.17. Hebræi interpretantur,Quos odiſti,aut quos amare deſiiſti,quod menti Prophetæ contrarium eſt. Voluit enim dicere, eam per eos,quos vehementer amabat eſſe puniendam.

23. *Filios Babylonis.*] repetit ea, quæ dixerat ver. 12.quaſi dicat,illos ipſos Babylonios principes,duces,magiſtratus,iuuenes forma præſtantes,quos adamaſti,excitabo contra te; & quibus de cauſis tu eos adamaſti,iis ego de cauſis eos aduerſum te ſuſcitabo. Quod noſter interpres vertit, *nobiles,tyrannóſque & principes.* H. eſt פקוד ושוע וקוע. Quæ Septuag. propria virorum nomina eſſe putauerunt: ipſa enim Hebraïca nomina integra reliquerunt.Chaldæus autem Paraphraſtes exiſtimauit nomina eſſe gentilia Pecodaitas,Soaitas,Coaitas. *Et nominatos aſcenſores equorum.* Hebræi duos dignitatis gradus eſſe putant קרואים, nominatos,id eſt,magnates,vt R. Dauid interpretatur,& רוכבי סוסים aſcenſores equorũ,id eſt,equites. Chaldæus etiam diſtinguit.Septuaginta verò ſicut noſter interpres coniungunt.ϗ ὀνομαστοὺς ἱππεύοντας ἐφ' ἵππων.

Et nominatos equitantes in equis.

24. *Inſtructi.*] הצן. quod alij Hebræi dicunt eſſe clypei genus. Alij genus quoddam currus, vt refert R. Dauid. Alij vlnam, id eſt, brachium; vt ſit ſenſus, venient ad te in brachio, id eſt, magno cum robore, vt interpretatur R. Ioſeph. Alij, generaliter arma. atque ita Chaldæus Paraphraſtes, & Septuag. reddiderunt. Venient ad te cum armis. *Curru & rota.* Singularia pro pluralibus. *Multitudo.* ובקהל. & cum multitudine populorum, vt etiam Septuag. verterunt, id eſt, magnis copiis, magno exercitu. *Lorica, & clypeo.* צנה ומגן. Scutum, clypeum, & galeam. ישימו. ponent contra te in circuitu, ſicut Septuag. conuerterunt, id eſt, milites ſcuto, clypeo, & galea armatos. quaſi dicat, obſidebunt te armatis militibus, ita vt in circuitu tuo non niſi ſcuta, clypei, & galeæ videantur. *Et dabo coram eis iudicium*, id eſt, dabo eis poteſtatem puniendi te. Duplex Hebraïſmus: alter, iudicium pro pœna, alter, Dare coram, id eſt, in poteſtate alicuius ponere, vt Eccleſ. 45.6. *Dedit illi coram præcepta*, id eſt, in eius poteſtate poſuit, vt declaratur in Deuter. cap. 30. verſu 15. *Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum:* Quod enim coram nobis ponitur, in poteſtate noſtra ponitur. *Et iudicabunt te iudiciis ſuis*, id eſt, puniente te pro ſuo arbitratu,quia in eorum poteſtate eris.

Hebraïſmus duplex.
Dare coram, Hebraïca phraſis,quid ſignificet.

Chaldæi zelus Dei quo ſenſu.

25. *Ponam Zelum meum.*] Zelum ſuum vocat Chaldæos, id eſt, miniſtros iræ ſuæ,ſicut vocauit Aſſur virgam furoris ſui,Iſai. 10.5. *Quem exercent.* ועשו אותך. Et facient tecum in furore,vt Septuag. tranſtulerunt, id eſt, tractabunt te crudeliter,ſicut ſolent facere milites furore incenſi. *Naſum tuum, & aures tuas.* Alludit ad conſuetudinem amatorum ac lenonum, qui meretricibus, quarum libidine ſatiati ſunt, ſi quando offenſi fuerint, naſum, auréſque præcidunt, in quibus maximè earum turpitudo appareat; nulla enim maiore ignominia mulieres adulteræ,quæ pulchræ videri volunt, affici,poſſunt; quàm ſi naſo & auribus abſciſſis turpiſſimæ fiant. Intelligunt autem Hebræi & Chaldæus Paraphraſtes per naſum regem, per aures ſacerdotes. Hieronymus autem per naſum.:

ſum regem, per aures iudices. Significat ergo regem & ſacerdotes, aut iudices non occidendos, ſed in captiuitatem ducendos eſſe, milites verò gladio interficiendos, vrbis autem reliquias, id eſt, templum & cætera ædificia habitatoribus vacuata igne inflammanda. quæ omnia cunctus interpretatur, 4. Regum 25. & Ieremias 52.

26. *Et denudabunt te.*] ſpoliabunt te, tollent à te omnes theſauros, quibus maximè gloriabare, vt ſuprà cap. 16. ver. 37. 39. *vaſa gloriæ*, aut decoris vocat ornamenta muliebria. ſæpe enim monuimus omnia cuiuſque rei inſtrumenta & Hebraïcè & Græcè, & Latinè vaſa vocari.

27. *Et requieſcere faciam.*] Hebraïſmus, pro, Tollam, auferam, excoquam te ſuppliciis, vt nihil veteris ſceleris in te remaneat. *Neque leuabis oculos tuos ad eos.* Ad Deos Ægypti. Relatiuum abſque antecedente Hebræorum idiomate. Leuare autem oculos ad idola eſt ea venerari, aut ab illis auxilium petere, vt ſuprà cap. 18. 6. 12. 15. Et *Ægypti non recordaberis*, id eſt, idololatriæ, quam in Ægypto didiciſti. Referendum hoc eſt ad Eccleſiam Catholicam, in qua propriè hæc Prophetia perfecta eſt.

28. *Eorum, quos odiſti.*] hoſtium tuorum, Chaldæorum, quorum libidine, id eſt, idololatria olim ſatiata es. H. A quibus diſceſſit anima tua; eadem phraſis, quæ ſuprà ver. 17. & 22.

29. *Agent tecum in odio.*] hoſtiliter, crudeliter, ſpoliabúntque te omnibus opibus, quas magno labore comparaueras, & reuelabitur turpitudo tua, & fornicationes tuæ, id eſt, ómnes gentes cognoſcent te propter peccatum idololatriæ ita puniri, vt verſu ſequenti declaratur.

30. *Fecerunt hæc tibi.*] facient. עשה. infinitiuus, quem alij vertunt per primam ſingularem perſonam, Faciam hoc tibi; alij per tertiam ſingularem, fecit hoc tibi, vt Septuaginta.

31. *In via ſororis.*] Imitata es mores ſororis tuæ Aholah, id eſt, idololatriam decem tribuum: idcirco dabo calicem eius in manu tua, id eſt, iiſdem te pœnis afficiam, quibus illam affeci, duceris in captiuitatem, ſicut illa ducta eſt.

32. *Profundum & latum.*] Qui calix profundus & latus eſt, id eſt, plurimum pœnarũ capit. quaſi dicat, maximis ſuppliciis afficieris. *Quæ es capaciſſima*, Quæ nunc frequentiſſimè habitaris, eris in ſibilum & ſtuporem propter ſolitudinem vt Ierem. cap. 18. 16. & 19. 18. H. מרבה להכיל. præ multitudine ad capiendum. Quod R. Dauid ſic explicat; Calix iſte erit tibi in deriſum & ſubſannationem, quia multum vini capiet ita vt eo hauſto inebrieris, & tanquam ebria ab omnibus deridebere, vt declaratur verſu ſequenti.

33. *Calice mœroris & triſtitiæ.*] כוס שמה ושממה. calice ſolitudinis & vaſtationis.

34. *Epotabis vſque ad fæces.*] Nomen *fæces*, Hebraïcè non legitur, ſed continetur in vi verbi מצית. Exprimes, id eſt, bibes vſque ad fæces, vt Iſai. 51. 17. *Vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces. Et fragmenta eius deuorabis* Eodem modo Septuaginta conuerterunt. Non eſt ſenſus fore vt fragmenta ipſa deuorer, quod fieri non poteſt; ſed vt exhauſto vaſe, fractóque etiam guttulas, quæ in fragmentis manſerint, lambere cogatur. Hebræi interpretantur. חרשיה תגרמי. teſtas eius franges, quia nihil intus remanebit, vel vt eas etiam lambas. *Et vbera.* Tundes præ dolore pectus tuum.

35. *Poſt corpus tuum.*] poſt tergum, ſicut ſolemus poſt tergum reiicere, quæ obliuiſci volumus.

36. *Numquid iudicas.*] Cur non iudicas, quin iudicas, quid ceſſas iudicare? id eſt, ſententiam contra illas pronuntiare, vt cap. 20. 4. *Si iudicas eos, ſi iudicas eos fili hominis: abominationes patrum eorum oſtende eis.* & cap. 22. 2. *Et tu fili hominis, nonne iudicas nonne iudicas ciuitatem ſanguinum? & oſtendes ei omnes abominationes ſuas.*

37. *Et ſanguis in manibus earum*] id eſt, cruentas habent adhuc manus ex Prophetis & viris iuſtis, quos occiderunt. *Quos genuerunt mihi.* quos mihi tanquam vxores marito gignere debuerunt, obtulerunt idolis, vt in eorum honorem igne deuorarentur.

39. *In die illa.*] Chaldæus interpretatur. Eadem die, qua filios ſuos idolis immolauerant in templum meum ingrediebantur, quo ingreſſu polluebant illud. *Etiam hæc fecerunt*, etiam in ipſo templo meo filios ſuos idolis ſacrificauerunt, vt Ierem. 7. 30. *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum.* & cap. 23. 11. *In domo mea inueni malum.* Et hic ipſe Propheta, cap. 8. verſu 10. vidit templum idolis plenum, & ſeniores Ieruſalem illis ſacrificantes. Poteſt etiam eſſe epiphonema. quaſi dicat, vſque eò impudentes fuerunt vt hæc, quæ dixi, in domo mea facerent.

In cap. 2. Matth. 40. *Miſerunt.*] nuntios aut litteras, aliis locis monuimus verbum שלח, mitto, abſolutè poſitum, idem ſignificare quod nuntios mittere, ſicut Græcè. ἀποςέλλειν, aut litteras, ſicut ἐπιςέλλειν. *Venientes de longè.* ad Chaldæos, Aſſyrios, Ægyptios, ex quibus idololatriam didicerunt. *Quibus te lauiſti.* Sicut meretrices amatoribus ſuis: mutat perſonam & numerum per apoſtrophem. ſignificat autem Chaldæos, Aſſyrios, & Ægyptios, cùm Ieroſolymam veniebant, magno, honorificóque apparatu exceptos fuiſſe.

41. *Ante te.*] לפניה. ante eum (lectum) iuxta lectum, vbi menſam mulieres ponere ſolent, cum pigmentis & cæteris rebus, quibus ſeſe ornant. *Thymiama meum*, id eſt, quod mihi debebas offerre, ſicut dixit ver. 37. *Filios ſuos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis* (idolis) *ad deuorandum.* & cap. 16. 18. *Oleum meum, & thymiama meum poſuiſti coram eis.* Significat ſolitos fuiſſe Iudæos Chaldæis, & Aſſyriis, & Ægyptiis, cùm Ieroſolymam veniebant, ſuas opes honoris cauſa oſtentare, quemadmodum Ezechiam apud Iſaiam cap. 39. feciſſe legimus.

42. *Vox multitudinis exultantis.*] קול המון שלו vox multitudinis pacificæ, (ſub. audiebatur) *in ea* menſa iuxta lectum, aut potiùs, *in ea*, muliere Aholibah, ſicut dicit poſtea, *Et in viris*, id eſt, conueniebant vndique multi ad cubile eius, & ſuauiter, amatoriéque colloquebantur; aut cantabantur ibi carmina amatoria. Quo ſenſu Septuaginta reddiderunt, καὶ φωνὴν ἁρμονίας ἀνεκρούοντο, *& vocem concentus reſonabant. Et in viris*, audiebatur vox, id eſt, viri cum illa colloquebantur. Heb. ואל אנשים. & cùm viris, vt Rab. Dauid interpretatur, docet enim אל. ad, pro עם. cum, ſenſúmque eſſe, Et cum viris (ad quos nuntios miſerant, ſub. veniebat) magna hominum multitudo. *Qui adducebantur* à legatis apparatus & magnificentiæ cauſa, ſicut legati magno comitatu venire ſolent. *Et veniebant de deſerto.* Hebr. סובאים מִדבר Hebræi interpretantur, Sabæi ex deſerto, quod mihi nullo modo placet; non enim de Sabæis agebatur, nec ab illis Ieruſalem vſquam dicitur idololatriam didiciſſe. Noſter interpres & Chaldæus Paraphraſtes videntur legiſſe duplici ב. סב באים. vndique venientes: hoc enim ſenſu verterunt. Septuaginta. verò vna dictione סבאם. ebrij. ſic enim tranſtulerunt, ἐκ τῆς ἐρήμου οἰνωμένους, *qui ebrij veniebant*, id eſt, pleni idololatria & ſuperſtitione. *In manibus eorum.* Hebraicè fœmininum genus eſt,

poſue-

Digitized by Google

poſuerunt (viri vndique venientes) armillas in manibus earum Aholah, & Aholibah: quamquam & Septuaginta & Chaldæus Paraphraſtes maſculino genere verterunt. Cui ſenſui illud tantùm videtur repugnare, quòd armillæ non in manibus virorum, ſed mulierum poni ſoleant.

43. *Quæ audita eſt.*] לבלה. inueteratæ illi in adulteriis, Aholah, quæ prior peccare cœpit; aut Aholibah, quæ iam diu adulteria committit, *Nunc fornicabitur*, id eſt, finem imponet fornicationibus ſuis, per fornicabitur, ſi Latinè dicere liceret, quia puniam eam ſic, vt non ampliùs fornicetur. H. יזנו תזנותיה והיא. quod Hebræi ſic exponunt, migrabunt fornicationes eius & ipſa, id eſt, ibit in captiuitatem cum fornicationibus ſuis. Chaldæus alio ſenſu, Et dixi de cœtu Iſraël, cuius populus inueteratus eſt in peccatis, nunc dimittet idola ſua, & conuertetur ad cultum meum, & non eſt conuerſus. Sept. multo aliter.

45. *Viri ergo iuſti ſunt.*] H. Viri iuſti ipſi iudicabunt eas, abundante relatiuo Hebraïcæ linguæ proprietate. Vocat autem viros iuſtos Chaldæos, qui Ieruſalem; & Aſſyrios, qui Samariam expugnarunt, non quòd iuſti eſſent, ſed quòd in ea re diuinæ iuſtitiæ miniſtri eſſent. *Iudicio adulterarum, & iudicio effundentium ſanguinem*, id eſt, ea pœna, qua adulteræ & homicidæ puniri ſolent, nempe vt lapidentur, & comburantur, vt dixit cap. 16. 38. 40. *Viri iuſti Chaldæi, & Aſſyrij quo ſenſu.*

46. *Adduc ad eas multitudinem.*] id eſt, prædic fore vt magnus ad eas Aſſyriorum & Chaldæorum exercitus veniat, vt Chaldæus interpretatur. Alij infinitiuum Hebraïcum העלה per primam perſonam futuri vertunt, Adducam contra eas. *Et trade eas in tumultum*; aut, Tradam. *In tumultum.* לזעוה. in commotionem, id eſt, in diſperſionem, in exilium, vt Deut. 28. 25. & Ierem. 34. 17.

47. *Lapidibus populorum.*] Qui eas obſidebunt, & lapides in ipſas iaculabuntur vt ſuprà cap. 16. 40. H. רגמו עליהן אבן קהל. lapidabunt eas lapidibus multitudo.

48. *Et auferam.*] vi ſuppliciorum & afflictionum, *ſcelus*, idololatriæ & homicidiorum, *de terra*, Iuda & Iſraël; eritque omnibus mulieribus, id eſt, omnibus aliis gentibus exemplum, vt diſcant non idem facere. *Et dabunt ſcelus veſtrum ſuper vos*, id eſt, ſument de vobis pœnas pro ſcelerum veſtrorum dignitate. Frequens & notus eſt Hebraïſmus.

CAPVT XXIV.

ET factum eſt verbum Domini ad me, in anno nono, in menſe decimo, decima
die menſis, dicens: 2 *Fili hominis, ſcribe tibi nomen diei huius, in qua*
confirmatus eſt rex Babylonis aduerſum Ieruſalem hodie. 3 *Et dices per*
prouerbium ad domum irritatricem parabolam, & loqueris ad eos, Hæc dicit Dominus
Deus, pone ollam: pone, inquam, & mitte in eam aquam. 4 *Congere fruſtra eius in*
eam omnem partem bonam, femur & armum, electa & oſſibus plena. 5 *Pinguiſſi-*
mum pecus aſſume, compone quoque ſtrues oſſium ſub ea: efferbuit coctio eius, & diſcocta
ſunt oſſa illius in medio eius. 6 *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Væ ciuitati ſan-*
guinum, ollæ cuius rubigo in ea eſt, & rubigo eius non exiuit de ea: per partes, & per
partes ſuas eyce eam, non cecidit ſuper eam ſors. 7 *Sanguis enim eius in medio eius*
eſt, ſuper limpidiſſimam petram effudit illum ſuper terram, vt poſſit operiri puluere.
8 *Vt ſuperinducerem indignationem meam, & vindicta vlciſcerer: dedi ſanguinem*
eius

Digitized by Google

eius ſuper petram limpidiſſimam ne operiretur. 9 *Propterea hæc dicit Dominus*
Deus. Væ ciuitati ſanguinum cuius ego grandem faciam pyram. 10 *Congere oſſa*
quæ igne ſuccendam: conſumentur carnes, & coquetur vniuerſa compoſitio, & oſſa ta-
beſcent. 11 *Pone quoque eam ſuper prunas vacuam, vt incaleſcat & liqueſiat æs*
eius: & conflętur in medio eius inquinamentum eius, & conſumatur rubigo eius.
12 *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem.*
13. *Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordi-*
bus tuis: ſed nec mundaberis prius donec quieſcere faciam indignationem meam in te.
14 *Ego Dominus locutus ſum, Veni, & faciam, non tranſeam, nec parcam, nec placa-*
bor iuxta vias tuas: & iuxta adinuentiones tuas iudicabo te, dicit Dominus. 15 *Et*
factum eſt verbum Domini ad me dicens: 16 *Fili hominis, ecce ego tollo à te deſide-*
rabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ
tuæ. 17 *Ingemiſce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata*
ſit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugen-
tium comedes. 18 *Locutus ſum ergo ad populum mane, & mortua eſt vxor mea ve-*
ſpere: feci que mane ſicut præceperat mihi. 19 *Et dixit ad me populus: Quare non*
indicas nobis quid iſta ſignificent quæ tu facis? 20 *Et dixi ad eos: Sermo Domini*
factus eſt ad me, dicens: 21 *Loquere domui Iſraël. Hæc dicit Dominus Deus, Ecce*
ego polluam ſanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, & deſiderabile oculorum ve-
ſtrorum, & ſuper quo pauet anima veſtra: filij veſtri & filiæ veſtræ quas reliquiſtis gla-
dio cadent. 22 *Et facietis ſicut feci: Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium*
non comedetis: 23 *Coronas habebitis in capitibus veſtris, & calceamenta in pedi-*
bus: non plangetis neque flebitis, ſed tabeſcetis in iniquitatibus veſtris, & vnuſquiſque ge-
met ad fratrem ſuum. 24 *Eritq; Ezechiel vobis in portentum: iuxta omnia quæ*
fecit, facietis cùm venerit iſtud: & ſcietis quia ego Dominus Deus. 25 *Et tu fili ho-*
minis, ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & deſide-
rium oculorum eorum ſuper quo requieſcunt animæ eorum filios & filias eorum. 26 *In*
die illa cùm venerit fugiens ad te, vt annunciet tibi. 27 *In die, inquam, illa aperietur*
os tuum cum eo qui fugit, & loquêris, & non ſilebis vltrà, eriſque eis in portentum, & ſcie-
tis quia ego Dominus.

IERVSSALEM multis modis caſtigatam à Deo, emendatam non eſſe; tandem tamquam ollam liquefaciendam eſſe: dicit, ac fore vt cùm vxores & liberi mortui fuerint, lūgere non audeant.

1. *Anno nono.*] Omnes Hebræi interpretantur, regni Sedeciæ, quia 4. Regum 24. 1. & Ierem. 39. 1. & 52. 4. dicitur Nabuchodonoſor anno nono regni Sedeciæ menſe decimo decima menſis veniſſe contra Ieruſalem. Meliùs Hieronymus, & Latini omnes auctores exponunt, *Anno nono* captiuitatis Iechoniæ. Nam etſi idem regni Sedeciæ nonus fuit, vt 4. lib. Regum cap. 24. ver. 17. ſignificatur; tamen non ſolet Ezechiel, cùm in Babylone eſſet, annos regni Sedeciæ, qui Ieroſolymis; ſed captiuitatis Iechoniæ, qui in Babylone etiam erant, numerare, vt cap. 1. ver. 1. & 2. & cap. 8. ver. 1. & cap. 20. v. 1.

2. *Scribe tibi nomen.*] Nota hunc diem diligenter, quo die Nabuchodonoſor contra Ieruſalem obſidionem ponit; vt Iudæi, qui tecum in captiuitate ſunt, cùm viderint te in Chaldæa ea, quæ Ieroſolymis fuit, videre, credant te verum eſſe Prophetam; & cætera, quæ de eius vrbis incendio & Iudæorum captiuitate dixiſti, aut dicturus euentura. H. *ſcribe,* שם חיום את עצם היום. nomen diei, & ſubſtantiam diei huius; id eſt, non ſolùm eius nomen vt prima Sabbati, aut
ſecunda

Digitized by Google

ſecunda Sabbati, ſed etiam omnes eius circunſtantias, vt explicat R. Dauid. *Confirmatus eſt.* Obfirmauit faciem ſuam contra Ieruſalem, id eſt, obſedit eam, vt cap. 4. 3. *Et obfirmabis faciem tuam ad eam, & circundabis eam, & erit in obſidionem.* H. סמך R. Dauid interpretatur, appropinquauit, R. Salomon obſedit. *In qua hodie*, dixit noſter interpres altero nomine redundante, H. quia hodie obſedit, aut, appropinquauit.

3. *Ad domum irritatricem.*] מרי. rebellem, vt ſuprà cap. 2. 5. & cap. 3. 9. 25. 27. & cap. 12. 2. 9. & cap. 17. 12. vbi noſter interpres domum exaſperantem reddidit.

Pone ollam.] Hæc eſt parabola, quam iubetur proponere Propheta, vt non ſolùm verbis, ſed etiam factis vaticinetur. Duo autem olla hæc ſignificat; alterum *Olla quid ſignificet.* eſt, quòd Ieruſalem rubigine, id eſt, malitia plena ſit, quod que igne purgari non potuerit; alterum, Ieruſalem incendendam, & in ea ciues fruſtatim conciſos concremandos: quæ duo v. 6. & 10. explicantur.

4. *Congere fruſta eius.*] ollæ, id eſt, quæ in eam conici debent. *Omnem partem bonam.* Significat optimum quemque militem & lectiſſimum quemque ciuem in vrbe trucidãdum; ita vt verum ſit, quod illi alio ſenſu dicere ſolebant, c. 11. 3. *Nonne dudũ ædificata ſunt domus? hæc eſt lebes, nos autem carnes. Electa & oſſibus plena.* maxima quæque membra, quæ oſſibus plena eſſe ſolent. H. מבחר עצמים כלא. quod R. Dauid interpretatur, Electis oſſibus imple (eam ollam) id eſt, electis membris, quia ſolent (inquit) membra ſecundum oſſa ſecari. Septuag. alio prorſus ſenſu, σκέλος καὶ ὦμον ἐκπεσαρκισμένα ἀπὸ τῶν ὀστῶν. *crus & armum carne ab oſſibus ſeparata* quod non malè conuenit, ſi verba paterentur.

5. *Pinguiſſimum pecus.*] Per pinguiſſimum pecus, locupletiſſimum quemque ciuem intelligit. *Compone ſtrues oſſium ſub ea.* R. Dauid ſic interpretatur, loco lignorum, quæ ſub olla, vt ferueat, poni ſolent, pone oſſa innocentum, qui in vrbe occiſi ſunt; ea enim ignem accendent; id eſt, cauſa erunt incendij Ieroſolymitani. Senſus ſubtilis & bonus: ſed paulò coactior; nulla enim hic de innocentibus mentio facta eſt. Alij, *Compone ſtrues oſſium ſub ea*. id eſt, in fundo ollæ intrinſecus, vt faciliùs excoquantur: ita R. Salom. & eum ſecuti nonnulli; quod mihi videtur loco magis conuenire. Nam ſuperiori verſu iuſſus eſt Propheta electis oſſibus ollam implere. Et ſtatim ſequitur, *Diſcocta ſunt oſſa illius in medio eius.* Significat autem principes primo loco, quaſi in fundo ollæ ſint, afflictionis ignem ſenſuros. *Efferbuit coctio eius.* רתח רתחיה. bullire fac bullitiones eius.

6. *Væ ciuitati ſanguinum.*] Ieruſalem homicidiis, & innocentum ſanguine redundanti, vt c. 22. v. 2. Incipit propoſitũ ænigma declarare, ollamq; eſſe Ieruſalem. *Cuius rubigo.* אשר חלאתה בה R. Dauid, & R. Salom. exponunt, Cuius ſpuma in ea eſt. ſed cum noſtro interprete, atque eodem ſenſu Chaldæus vertit הומתה. Solent enim feruẽte olla ſpuma colligi, vt carnes purgẽtur. Significat ergo Ieruſalem multis à Deo calamitatibus vexatã fuiſſe, & quaſi ollam bulliuiſſe: ſed nondum deſpumatam eſſe, id eſt, nec dum à peccatis ſuis eſſe repurgatam. Quæ interpretatio quamuis ſpecioſa ſit, mihi non placet, quia v. 11. idem nomen rubiginem, non ſpumam ſignificat. *Per partes & per partes ſuas.* Perſeuerat in metaphora ollæ, quæ non ſimul; ſed paulatim, & ſenſim deſpumari ſolet. Sic iubet Deus facere Prophetam, vt *per partes*, id eſt, paulatim ac certis interuallis eiiciat ſpumam de olla, vt ſignificet fore vt non omnes eodem tempore puniantur, & à peccatis emundentur, ſed paulatim alij poſt alios. Hebræi,

FFf &

& Chaldæus Paraphraſtes hoc ad captiuitatem referunt, quia non omnes ſimul in captiuitatem ducti ſunt, ſed alij cum Iechonia, alij vndecim annis pòſt cum Sedecia. Itaque ciues ipſos ſpumam vocari putant. Mihi alius videtur eſſe ſenſus, *per partes & per partes*, id eſt, ſigillatim, ita vt nullus remaneat, ſicut ſtatim dicit, *Non cecidit ſuper eam ſors*, id eſt, Non ſortitò occidentur, vt aliquando fieri ſolet, vt dicimus quiſque vel centeſimus moriatur, quemadmodum in Thebæis martyribus factum legimus; ſed omnes ſine vllo diſcrimine aut gladio, aut fame, aut peſte, aut captiuitate punientur.

7. *Sanguis eius.*] quem effudit. *In medio eius eſt.* manifeſtus eſt & publicus. quaſi dicat, eius homicidia publica ſunt, vt omnibus nota, vt cap. 22. 3. 13. *Super limpidiſſimam petram.* ita patrauit homicidia, vt nullo modo celari poſſent; ſed ſemper mihi ob oculos verſentur, vltionemque à me petant. צחיח סלע. R. Dauid interpretatur, ſuper altiſſimam petram, ſicut infra ver. 8. melius Hieronymus. Non enim ſignificatur locus editus, ſed durus & terſus, vbi puluis non poſſit ſanguinem cooperire, vt ſtatim declaratur.

8. *Vt ſuperinducerem.*] idcircò permiſi vt ſanguis, quem illa effudit, non in terram, ſed in petram caderet, vt eum videns inducerem contra illam indignationem meam, & vltionem ſumerem. H. להעלות חמה. vt aſcẽdere faceret iram id eſt, vt faciliùs aſcenderet ad me, & iram meam prouocaret, cecidit in petram, vt exponunt Hebræi. *Dedi ſanguinem eius*; quem illa iniquè fudit. *ſuper petram limpidiſſimam*, id eſt, permiſi, vt non ſuper terram caderet, ſed ſuper petram, ne puluere operiretur. Quod permiſit Deus feciſſe dicitur, vt 2. Theſſ. 2. 11. Mittere dicitur *operationem erroris*. R. Dauid ſic exponit. *Dedi ſanguinem eius*, id eſt, pœnas ſanguinis eius ſuper petram. quaſi dicat, publicè peccauit, ita publicè à me punietur.

Quod Deus permiſit ſæpe dicitur feciſſe

9. *Væ ciuitati ſanguinum.*] homicidiorum plenæ, vt v. 6. *Cuius ego grandem faciam pyram.* גם אני אגדיל המדורה. Etiã ego magnũ faciam rogum, id eſt, ſicut ipſa multum ſanguinis fudit, ita ego multùm de illa pœnarum ſumam. Rogum aut pyram vocat futuram afflictionem, vt, *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*, Pſal. 65. 12. ſimulque alludit ad futurum templi & vrbis incendium, 4. Reg. 25. 9. & Ierem. 39. 8. & 52. 13. Sept. alio prorſus ſenſu, *κἀγὼ μεγαλυνῶ τὸν λαόν. & ego magnificabo populum.*

Rogus, aut pyra futura afflictio.

10. *Congere oſſa.*] H. הרבה העצים. multiplicare ligna. Nam & hoc, & quæ ſequuntur infinita verba ſunt, Igne ſuccedere, conſumere carnes, coquere, tabeſcere. Quæ nonnulli Hebræi, & Sept. partim per primam, partim per tertiam perſonam reddunt. Multiplicabo ligna, ſuccendam ignem, conſumam carnem, coquam, & oſſa tabeſcent, aut cremabuntur. Chaldæus per ſecundam perſonã, ſicut Hieronymus. Porrò videtur Hieronymus pro עצים. lignis, legiſſe vna addita littera עצמים oſſa. Hebræi ſic interpretantur; *Multiplicabo ligna*, id eſt, magnam ſub Ieruſalem tanquam ſub olla oſſibus & carnibus pyram ſuccendam, vt dixit verſu præcedenti; accendam ignem, conſumam carnes, id eſt, adeo coquam vt penitus conſumantur. Carnes autem populum ſignificant, ſicut oſſa principes. Itaque indicat fore vt populus adeo vexetur, vt prorſus ferè aboleatur. *Et coquatur vniuerſa compoſitio.* H. הרקח המרקחה. coquant decoctionem pigmentorum, id eſt, excoquam illos, ſicut pharmacopolæ pigmenta coquere ſolent, donec ſcilicet omnia conſumantur, & tertium quiddam fiat. Sept. *καὶ ἐλαττωθῇ ὁ ζωμός, & minuetur iuſculum. Et oſſa tabeſcent.* והעצמות יחרו. & oſſa ardebunt, aut exurentur, quæ in fundo ollæ poſita fuerant ver. 5. quaſi dicat,

Carnes populum, oſſa principes ſignificant.

non

Google

non ſolùm plebæi, fame, peſte, gladio morientur; ſed etiam principes ciuitatis viri. Chaldæus nimis liberè totum verſum reddidit, Multiplica reges, congrega exercitum, coniunge auxilia, præpara contra eam bellatores, & fortes viri eius inſaniant.

11. *Pone quoque eam.*] והעמידה Ponere eam. Infinitum, vt præcedentia; quod Hebræi per primam perſonam exponunt. Ponam eam, ollam, poſtquam carnes & oſſa conſumpta fuerint, *ſuper prunas*, vt etiam ipſum æs eius liqueſiat. *æs eius.* R. Dauid interpretatur, fundum eius, quia ſolet eſſe lebetis fundum ſubæratum; vt ſuprà cap. 16. 36. Quod mihi ideo non placet, quia ſenſum reſtringit. Non enim ſignificat ſolùm ollæ fundum, ſed totam ipſam ollam eſſe fundendam, id eſt, poſtquam principes ac ciues, qui velut oſſa & carnes erant, conſumpti fuerint, ipſam quoque vrbem incendio conſumendam. *Et conſumatur rubigo eius.* Hoc etiam loco Hebræi חלאתה. ſpumam interpretantur, vt ſuprà ver. 6. quod mihi non videtur loco conuenire. Iam enim non ſolum ſpuma, ſed etiam carnes & oſſa conſumpta fuerant, ſed reliqua erat rubigo, quæ ollæ tenaciter hærere ſolet; eam ergo dicit fuſo ære abſtergendam eſſe.

12. *Multo labore ſudatum eſt.*] H. תאנים הלאת. mendaciis laborauit, ad verbum. Quod Hebræi ſic exponunt, quia mendaciis alios fatigauit & oppreſſit, nec exiuit ex ea ſpuma eius: quod mihi non videtur ad rem eſſe. Melius ergo noſter interpres ſenſum expreſſit, *multo labore ſudatum eſt*, aut clariùs, fruſtra laboratum eſt; hoc enim eſt, in mendaciis laborauit; aut fatigauit (me olla iſta) id eſt, fecit me ſæpe in ea puniẽda inanem laborem ſumere; nondum enim à ſua rubigine purgata eſt, vt Ierem. 51. 9. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Similis ſententia eſt Ierem. cap. 6. ver. 29. *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator, malitia enim eorum non ſunt conſumptæ. Neque per ignem* באש חלאתה. in igne rubigo eius. Quod ſic poſſumus exponere, per ignem ergo rubigo eius perpurgetur, quando omnia alia remedia fruſtra tentata ſunt.

13. *Immunditia tua execrabilis*] eſt, H. בטמאתך זמה. In immunditia tua ſcelere, id eſt, Adhuc hæret in te macula ſceleris tui: putat enim R. Dauid appoſitionem eſſe. In immunditia tua (adhuc hæres) quæ ſcelus eſt. *Donec quieſcere faciam*, id eſt, donec exhauſero omnem iram meam, donec omnia ſuppliciorum genera in te punienda expertus fuero, donec exſatiauero iram meam, vt cap. 16. 42. *Et requieſcet indignatio mea, in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar ampliùs.*

14. *Venit.*] Adeſt iam, & perficiam in te quæ locutus ſum. H. באה. venit, vt Sept. & Chaldæus tranſtulerunt: ponitur autem præteritum pro futuro. quaſi dicat, ſicut locutus ſum, ita eueniet. vt Iſai. 46. 11. *Locutus ſum, & adducam illud; creaui, & faciam illud. Non tranſeam* Nõ præteribo, nõ diſſimulabo. לא אפרע. non deſiſtam, aut, vt R. Dauid interpretatur, non retrocedam, id eſt, non diſcedam à ſententia mea. *Iudicabo te*, Eodem quoque modo Septuag. H. autem שפטוך iudicabunt te (hoſte) vt cap. 23. 24. *Iuxta vias tuas*, id eſt, iudicio adulterarum, & homicidarum, vt cap. 16. 38.

16. *Ecce ego.*] Proponit aliam parabolam, qua ſignificet, tantam omnium perturbationem, conſternationémque futuram eſſe, vt nec vrbis excidium, nec ſuæ quiſquam vxoris, aut ſuorum liberorum interitum lugeat. *Deſiderabile oculorum tuorum* id eſt, quod tibi viſu iucundiſſimum eſt, ſic vocat vxorem, vt explicat ver. 18. *In plaga* ſubito interitu, non præcedente morbo; maiorem

enim dolorem mors improuiſa, quàm quæ longo morbo præcedente animo concepta fuerat, afferre ſolet, *Et non planges*, futura Hebræorum more pro imperatiuis, ne plangas nec plores, nec fluant lacrymæ ad oculis tuis.

Futura pro imperatiuis ponere ſolent Hebræi.

17. *Ingemiſce tacens.*] apud te, ita vt nemo te audiat. Eodem modo Septuag. verterunt, quaſi דם. pro aduerbio ſumpſerint. Hebræi verò, & Chaldæus aliter interpretantur, האנק דם. *ingemiſce tace* id eſt, contine te non ſolùm à luctu, ſed etiam à minimo gemitu. Caue ne vllam gementis, aut dolentis des ſignificationem. Magis mihi Hieron. & Septuaginta interpretatio probatur, quia ver. 23. explicans hanc parabolam ait, *Vnuſquiſque gemet fratrem ſuum*, id eſt, tacitus. *Mortuorum luctum* Qui aliis mortuis per ſeptem, aut per triginta, aut per Septuaginta dies fieri ſolet, Gen. 50. 3. & Num. 20. 30. *Corona tua.* פארך: *gloria tua*, id eſt, ornamentum capitis tui, cæſaries tua, vt Hieron, tiara tua, vt Rab. Dauid interpretatur, quæ ideo gloria dicitur, quia magnum homini decorem affert: Senſus ergo eſt, Ne aperto capite, & nudis pedibus incedas more eorum, qui in luctu verſantur, nec os veſte teges, ſicut pullati homines faciunt. *Nec cibos lugentium.* Non celebrabis conuiuium, quod ad conſolandos lugentes in funere celebrari ſolet, vt conſtat ex Ierem. cap. 16. 5. 8. *Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum, neque conſoleris eos.* H. ולחם אנשים לא תאכל. & cibum hominum ne comedas. Quod Hebræi interpretantur, ne comedas cibum aliorum hominum lugentium: quod mihi durius videtur; non enim dixiſſet cibum hominum, ſi lugentes tantùm intellexiſſet: quare meliùs credo noſtrum interpretem vertiſſe. Nam אנשים. & homines, & lugentes aut dolentes ſignificat. Dicitur enim homo אנוש quaſi dolens & infirmus. Atque ita etiam vertit Chald. Paraphr. quamquam etiam Sept. ἄρτον ἀνδρῶν dixerunt.

Mos Iudæorum circa mortuos.

18. *Locutus ſum.*] Hæc, quæ mihi Deus dixerat, &, vt euentus vera eſſe confirmaret, eodem die *mortua eſt vxor mea veſpere.* ſicut Deus prædixerat ver. 16. *Ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum. Fecique manè, ſicut præceperat mihi*, id eſt, habui coronam meam capiti circumligatam, & calceamenta mea in pedibus, nullúmque doloris ſignum oſtendi.

21. *Ecce ego polluam.*] per Chaldæorum ingreſſum, per incendium, per vaſtationem, vt Pſalm. 78. 1. *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam.* Incipit parabolam explicare. Nam per vxorem Ezechielis templum ſignificauit, quod Iudæi chariſſimum habebant. *Superbiam imperij veſtri.* גאון עזכם. Superbiam fortitudinis veſtræ, id eſt, in quo omne robur veſtrum ponentes gloriari ſoletis; *Deſiderabile oculorum.* Cuius aſpectu maximè delectamini, vt ver. 16. *Super quo pauet anima veſtra.* Quod vos maximè timentis amittere. Eſt enim cauſa timoris amor. H. מחמל נפשכם. indulgentiam animæ veſtræ, id eſt, quod maximè diligitis, quódque chariſſimum habetis. Solemus enim quos chariſſimos habemus, iis maximè indulgere, vt Ionathas & R. Dauid interpretantur. Alij minùs propriè, Miſericordiam animæ veſtræ, id eſt, cuius miſeremini. Meliùs fortaſſe intelligimus liberos, quos, vt illis indulgerent, Ieroſolymis reliquerant, vt ſtatim declarat. Atque hoc ſenſu videntur Sept. vertiſſe, quibus parcunt animæ veſtræ. *Quas reliquiſtis.* In Ieruſalem, vt ſalui eſſent, gladio peribunt: loquebatur enim iis, qui Babyloni erant.

Amor timoris cauſa.

22. *Facietis.*] præ turbatione. & terrore, & quia in captiuitate eſtis, vbi ritus veſtros ſeruare non poteſtis, ac ne lugere quidem commodè.

23. *Coronas*

23. *Coronas habebitis.*] pileos, aut cæſariem, vide ver. 17. *Vnuſquiſque gemet ad fratrem ſuum*, id eſt, tacitus apud ſe alij alios aſpicientes ingemiſcent taciti, dolorem enim miſerabilis aliorum aſpectū augebit.

24. *Cùm venerit iſtud.*] Quod Ezechiel vobis portendit, facietis quæ ipſe in funere vxoris ſuæ fecit, hoc eſt nullum doloris ſignum oſtendetis.

25. *Fortitudinem eorum.*] Templum, in quo omne robur ſuum poſitum habent, quod ver. 21. vocauit ſuperbiam fortitudinis eorum. *Et gaudium dignitatis.* משוש תפארתם. gaudiū gloriæ eorum, id eſt, templum quo maximè gaudent atque gloriantur. *Deſiderium.* Templum, cuius aſpectu maximè delectantur, vt ver. 16. & 21. *Super quo requieſcunt.* Templum, in quo magnopere confidunt, & de quo dicere ſolent, *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*, Ierem. 7.4. H. משא נפשם. elationem, aut leuationem animæ ipſorum, id eſt, templum, quo ſeſe maximè efferunt, & iactant; aut, ad quod leuabant animas ſuas, id eſt, quo erigebantur in ſpem, aut, quòd deſiderabant, vt Hier. interpretatur. Hoc enim propriè Hebraïca phraſis ſignificat, vt apud Iere. c. 22. ver. 27. *In terram, ad quam ipſi leuant animam ſuam vt reuertantur illuc, non reuertentur.* Alij vertunt, onus animæ ipſorum, id eſt, ſolicitudinem. quaſi dicat, de quo ſoliciti ſunt: ſed phraſis nō eſt vſitata. R. Dauid hoc refert ad filios & filias. Hieron. meliùs, ad templum, ad quod animum deſiderio ac fiducia leuabant.

26. *Cùm venerit fugiens.*] יבוא הפליט. veniet qui euaſerit ex vrbis expugnatione. *Vt annuntiet.* H. להשמעות אזנים. ad auditum aurium, id eſt, vt tibi in aurem dicat; vt te audiente dicat. Putat etiam R. Dauid ſenſum eſſe poſſe, veniet in auditu auris, id eſt, vt narret non quæ vidit, ſed quæ audiuit; quod non mihi videtur bene conuenire, quia ſententiæ vim & energiam extenuat. Potiùs enim indicat venturum certum & oculatum nuntium, qui narret excidium, quod oculis ſuis viderit.

27. *Aperietur os tuum.*] Non quòd antè clauſum habuerit; nam paulò antè cum populo loquebatur; ſed quòd timidè priùs & minùs liberè de rebus futuris loqueretur: non enim illi credebant; ſicut dixerat cap. 3. 26. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans; quia domus exaſperans eſt.* Poſtquam autem venit nuntius, qui narrauit omnia ſic eueniſſe, quemadmodum Propheta prædixerat, apertum eſt illi os, vt non iam per ænigmata: ſed aperte, liberéque loqueretur. Ita R. Dauid. Simile quidam infrà cap. 29. 21. & cap. 33. 22. & apud D. Paulum ad Epheſ. cap. 6. ver. 29. *Eriſque eis in portentum*, id eſt, intelligent te in portentum fuiſſe, aut, quidquid deinceps illis dixeris, portentum eſſe exiſtimabunt, docti iam experientia, & malo ſuo.

CAPVT XXV.

ET *factus eſt ſermo Domini ad me, dicens,* 2 *Fili hominis, pone faciem*
tuam contra filios Ammon, & prophetabis de eis. 3 *Et dices filiis Am-*
mon: Audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd
dixiſti, euge, euge, ſuper ſanctuarium meum quia pollutum eſt: & ſuper terram Iſraël,
quoniam deſolata eſt: & ſuper domum Iuda, quoniam ducti ſunt in captiuitatem.
4 *Idcirco ecce ego tradam te filiis Orientalibus in hereditatem, & collocabunt caulas*
ſuas in te, & ponent in te tentoria ſua: ipſi comedent fruges tuas, & ipſi bibent lac tuum.
5 *Daboque Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum:*

Digitized by Google

eſt,qui camelorum lacte pro potu vti ſolent. Chaldæi autem non tanquam paſtores:ſed tanquam ferociſſimi milites vbique deſcribuntur, vt apud Iere. cap. 4.13.& 21.7.& Thren.4.16 & 5.12. *Arabes pro potu camelorum lacte vtuntur.*

6. *Plauſiſti manu, & percuſſiſti pede*] præ lætitia, vt cap. 21. 17. & Pſalm. 46. 2. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis* & Pſalm. 97. 8. *flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt.* Contrario ſenſu dicitur aliquando plaudere manu,aut manum manu percutere, id eſt, doloris ſignificationem dare vt ſupra cap. 21. 14. & cap. 6. 11. *Percute manum tuam, & pedem tuum.* Vtrumque enim contrario modo affecti facimus,& dum vehementer læti,& dum vehementer dolentes ſumus. *Ex toto affectu*. בכל שאטך בנפש. In omni contemptu ex animo,id eſt,animo apud te,aut,apud animum tuum(vt Latini dicunt) contemnens Iſraël.

7. *In direptionem*.] לבג. in cibum,id eſt,in prædam,in deuoratonem,vt te deuorent. *Et interficiam te de populis*. נהכרתיך מן העם. & excindam te à populis,id eſt,tollam te de numero populorum, delebo te ita vt non ſis amplius populus,efficiam vt non extet vlla gentis Ammonitarum memoria.Eodem modo intelligendum quod ſequitur, *Et perdam de terris*, vt non ſis amplius in terra. Terram autem vocat non elementum, ſed regnum, gentem, nationem.

8. *Moab & Seir*.] Moabitæ & Idumæi. Nota eſt nominis origo. שעיר. Seir, hirſutum ſignificat: Quo nomine Eſaü, quia piloſus erat, vocatus eſt, deinde Idumæi,qui ab eo genus ducebāt,Seir appellati ſunt,2.Par. 25.11.14. *Ecce ſicut omnes gentes*, à Deo derelictæ. Incipit contra Idumæos, & Moabitas vaticinari, qui cùm vtrique Iudæis non ſolùm vicini, ſed etiam cognati eſſent, eorum calamitate,qua dolere debuerunt,lætati ſunt. Quæ cauſa fuit,vt ipſi quoque à Deo punirentur, vt ſcribit Ierem. cap. 48. & 49. & Abd. ver. 10. *Seir vnde dictum.*

9. *Aperiam humerum Moab*.] id eſt, Tollam omne robur, & fortitudinem eius, vt Chaldæus Paraphraſtes,& R.Salomon interpretantur. Humerũ vocat per metaphoram munitiſſimas vrbes; quia ſicut in humeris robur hominis, ita in illis robur regni conſiſtit. Alij, Viam aperiam per ciuitates eius, ferro viam faciam; quo ſenſu videtur exponere R. Dauid. *De finibus eius*. De ciuitatibus, inquam,quæ in finibus eius ſunt,eæ enim munitiſſimæ eſſe ſolent. *Inclytas terræ.* צבי ארץ. gloria terræ,quæ totius regionis Moabitarum nobiliſſimæ ſunt,ſcilicet Bethieſimoth,Bealmon, & Cariathaim. *Cur humerũ vocet munitiſſimas vrbes.*

10. *Filiis orientis*.] Arabibus,aperiam viam;vt repetatur verbum ex ſuperiore verſu. Alij nouum verbum adeiſcunt, filios orientis vocabo, qui dicantur filij orientis docuimus verſu 4. *Cum filiis Ammon*. על בני עמון. contra filios Ammon,vt Septuaginta tranſtulerunt,& ex ſuperiori verſu 4. colligitur. Hieronymus ipſe ſuam, noſtramque verſionem ſic interpretatur, *Cum filiis Ammon*, id eſt, ſicut adduxi orientales contra Ammonitas, ita adducam contra Moabitas. Cui interpretationi illud videtur repugnare, quòd ſtatim ſequitur. *Vt non ſit vltrà memoria filiorum Ammon in gentibus*: ex quo colligitur hoc verſu non contra Moabitas, ſed contra Ammonitas Prophetam loqui: Quamuis ſtatim verſu ſequenti ad Moabitas redeat.

12. *Pro eo quòd fecit Idumæa vltionem*.] Idumæi, cùm Iudæa à Chaldæis vaſtaretur,fugientes Iudæos occidebant,vt ſcribit Abdias verſu 14.

13. *Ab auſtro*.] מתימן. A Theman,quæ vrbs principum Idumæorum erat ex Theman filio Elephaz filij Eſaü ita nominata Geneſ.36.15.& Iere.49.20. Atq; hoc ſenſu Sept. reddiderunt ἐκ Θαιμάν, quaſi nomen proprium vrbis eſſe exiſtimaue-

præclaras ſubuertent: & lapides tuos & ligna tua, & puluerem tuum in medio aqua-
rum ponent. 13 *Et quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus*
citharārum tuarum non audietur ampliùs 14 *Et dabo te in limpidiſſimam petram,*
ſiccatio ſagenarum eris, nec ædificaberis vltrà: quia ego Dominus locutus ſum, ait Domi-
nus Deus. 15 *Hæc dicit Dominus Deus Tyro, Numquid non à ſonitu ruinæ tuæ*
& gemitu interfectorum tuorum cùm occiſi fuerint, in medio tui commouebuntur inſulæ?
16 *Et deſcendent de ſedibus ſuis omnes principes maris: & auferent exuuias ſuas, &*
veſtimenta ſua varia abiicient, & induentur ſtupore, in terra ſedebunt, & attoniti ſuper
repentino caſu tuo admirabuntur. 17 *Et aſſumentes ſuper te lamentum, dicent tibi:*
Quomodo periiſti quæ habitas in mari, vrbs inclyta, quæ fuiſti fortis in mari, cum habi-
tatoribus tuis quos formidabant vniuerſi? 18 *Nunc ſtupebunt naues in die pauoris*
tui: & turbabuntur inſulæ in mari, eo quòd nullus egrediatur ex te. Quia hæc dicit Do-
minus Deus. 19 *Cùm dedero te vrbem deſolatam ſicut ciuitates quæ non habitantur:*
& adduxero ſuper te abyſſum, & operuerint te aquæ multæ: 20 *Et detraxero te*
cum his, qui deſcendunt in lacum ad populum ſempiternum, & collocauero in terra nouiſ-
ſima ſicut ſolitudines veteres cum his qui deducuntur in lacum, vt non habiteris, porrò
cùm dedero gloriam in terra viuentium: 21 *In nihilum redigam te, & non eris requi-*
ſita: non inuenieris vltrà in ſempiternum, dicit Dominus Deus.

HOc capite, & duobus proximè ſequentibus Tyri excidium prædicit, vt Iſaias cap. 23. & Ierem. cap. 27. 3. & cap. 47. 4. & Amos cap. 1. 9. 10.

1. *Undecimo anno.*] Hebræi vndecimum annum Sedeciæ interpretantur, vt annum nonum ſuprà cap. 24. 1. Anno enim vndecimo regni Sedeciæ Ieruſalem à Chaldæis capta fuit, 4. Regum 25. 2. & Ierem. 39. 2. & 52. 5. Quo audito nuntio, vt ait verſu ſequenti, Tyrij etiam dixerunt, *Euge, Euge*, quemadmodum Ammonitæ capite præcedenti ver. 3. Ego vndecimum captiuitatis Iechoniæ annum interpretari malo, quia ſic ſolet Propheta annos numerare vt cap. 1. ver. 1. & 2. & cap. 8. ver. 1. & cap. 20. ver. 1. & cap. 24. ver. 1. Quod autem attinet ad tempus, in idem redit. Nam vndecimus captiuitatis annus, idem quoque vndecimus fuit regni Sedeciæ, cùm primo anno captiuitatis Sedecias regnare cœperit, 4. Reg. 24. 15. 17.

2. *Confractæ ſunt portæ populorum.*] portæ Ieruſalem, per quas omnes vndique populi in vrbem influebant: aut, populos vocat ipſos ciues Ieroſolymitanos, propter innumerabilem eorum multitudinem. H. נשברה דלתות. Confracta eſt porta, ad verbum: quod Hebræi ſic exponunt, Confracta eſt vrbs portarum omnium populorum, id eſt, ad quam omnes populi negotiandi cauſa confluebant. Poteſt etiam ſenſus eſſe, Vrbs, ex qua omnes populi portam aliquam ſuam denominant. Solent enim minores vrbes ex maioribus portas, quibus ad eas itur, appellare, vt in multis Galliæ vrbibus aliqua porta Pariſienſis vocatur, *Conuerſa eſt ad me*, Negotiatio illius; aut, Ipſa vrbs. quaſi dicat, Ego deinceps ero Ieruſalem, id eſt, omnium ciuitatum frequentiſſima, atque locupletiſſima. *Implebor.* Eius opibus, ac mercibus, quæ ad me deinceps apportabuntur, illa deſerta. Sept. alio prorſus ſenſu verterunt. *Hebraiſmus.*

3. *Gentes multas.*] Chaldæos, vt explicatur ver. 7. *Sicut aſcendit mare*, כהעלות הים לגליו. ſicut aſcendere facit mare fluctus ſuos, militares copias fluctibus comparat, propter multitudinem & ferocitatem, vt apud Ierem. cap. 46. 8. *Ægyptus fluminis inſtar aſcendet, & velut flumina mouebuntur fluctus eius, & dicet. Aſcendens operiam terram: perdam ciuitatem, & habitatores eius.* Et Ierem. 51. 42.

Aſcendit ſuper Babylonem mare: multitudine fluctuum eius operta eſt.

Tyrus erat in rupe in medio mari ædificata.

4. *Et radam puluerem eius.*] Hyperbole eſt. quaſi dicat, efficiam, vt ne puluis quidem in ea maneat, Erat enim Tyrus in rupe in medio mari ædificata. Habitatores verò, vt ait R. Dauid, multam terram ædificandi, plantandíque cauſa comportauerant, quam dicit Deus euertendam eſſe, rupémque nudam relinquendam, qualis erat, antequam vrbs ædificaretur, לצחיח סלע. quod noſter interpres & Septuag. dixerunt, *In limpidiſsimam petram.* Hebræi interpretantur, In excelſam petram. vt cap. 24. 7. quod minùs conuenit, Non enim humili, ſed puluere opertæ opponit.

5. *Siccatio ſagenarum.*] Non erit vtilis, niſi vt piſcatores retia ſua in ea expandant. vt ſiccentur. משטח חרמים. extenſio retium, vt infrà cap. 47. 10.

6. *Filia quoque eius.*] Minora oppida illi ſubiecta. Solent, vt ſæpe diximus, Hebræi metropolim matrem, minores verò vrbes illis ſubiectas filias appellare, vt Ierem. 49. 2. 3. Eadem phraſis repetitur ver. 8.

7. *Ab Aquilone.*] Erat enim Babylon Tyro Aquilonaris. *Regem regum.* Ita vocat regem Babylonis, quia multos reges ſibi ſubditos habebat, vt apparet ex 4. lib. Reg. c. 25. ver. 28. Et Ierem. 52. ver. 32. Vbi dicitur Euilmerodach poſuiſſe thronum Ioacin, ſuper thronos omnium regum, qui cum illo erant. Alij, quia hiſtoriæ tradunt Tyrum ab Alexandro magno poſtquam regnum Chaldæorùm obtinuit, euerſam fuiſſe, per Nabuchodonoſorem Alexandrum intelligunt, Omnes enim Chaldæorum reges Nabuchodonoſores vocabantur.

8. *Filias tuas*] minores vrbes, vide ver. 6. *Eleuabit contra te clypeum*, id eſt, ſublatis, conſertiſque clypeis milites teſtudinem facient.

9. *Vineas & arietes*] H. ומחי קבלו יתן בחומתיך. R. Salom. putat מחי. Baliſtam ſignificare, quæ lapides in vrbem eiaculatur. R. Dauid & Chaldæus Paraphraſtes percuſſionem interpretantur Sept. λόγχας, id eſt, lanceas reddiderunt. Veroſimile eſt bellicam aliquam machinam ſignificare, qualis eſt baliſta; de iis enim agebatur. Baliſtas ponet contra te in muros tuos. *In armatura ſua.* Similiter Sept. ἐν τοῖς ὅπλοις ἑαυτοῦ. *In armis ſuis.* H. בחרבותיו. Chaldæus interpretatur lapidibus ferreis, id eſt, globis ferreis, quales nunc tormenta bellica iaculantur. R. Dauid dicit eſſe malleos, quibus petræ conteruntur.

10. *Inundatione.*] משפעת סוסיו. præ multitudine equorum eius, operiet te puluis eius. vt Septuag. verterunt, id eſt, Tanta erit equorum eius multitudo, tantúmque pulueris excitabit, vt puluere operiri videaris. Simile eſt illud in cauſa diſſimili Iſai. 60. 6. *Inundatio camelorum operiet te. A ſonitu equitum.* Hebraiſmus, id eſt, præ ſonitu, Solent equi, & currus prætercurrentes domos tremefacere. *Quaſi per introitum vrbis diſsipatæ*, quæ iam deſerta eſt, & à nemine cuſtoditur. quaſi dicat, Ingredientur nemine reſiſtente.

11. *Statuæ tuæ nobiles.*] ומצבות עזך. R. Dauid interpretatur, turres fortitudinis tuæ, id eſt, in quibus priùs fortitudinem tuam ponebas in terram deijcientur. Alij minùs aptè, ſtatuæ fortitudinis tuæ, id eſt, trophæa, quæ fortitudine tua bellica conſtitueras. Alij, ſtatuæ viris fortibus tuis erectæ. Septuag. τὴν ὑπόστασιν τῆς ἰσχύος σου. *Subſtantiam fortitudinis tuæ*, id eſt, quidquid fortitudine tua comparaſti, conculcabunt, ſicut ſtatim ſequitur.

12. *Vaſtabunt.*] שללו. ſpoliabunt, ſicut ſtatim dicit בזו. *diripient negotiationes tuas.* רכלתך. merces tuas.

13. *Quieſcere faciam.*] Auferam à te omne genus lætitiæ.

14. *Et dabo.*] vide ver. 4. & 5.

16. *Deſcen-*

16. *Deſcendent de ſedibus ſuis.*] vt in terra ſedeant more lugentium. *Principes*
maris. Vicinarum inſularum, quæ in mari ſunt, propterea nominauit *principes*
maris, & non terræ, quia ipſa Tyrus in mari erat. *Exuuias ſuas.* מְעִילֵיהֶם. pallia
ſua, & veſtimenta varia רִקְמָתָם. veſtem ſuam acu pictam, Phrygiam veſtem,
Et induentur ſtupore, id eſt veſte lugubri, qua qui præ mœrore ſtupefacti ſunt, in-
dui ſolent.
17. *Quæ habitas in mari.*] נושבת מימים. quæ habitabaris à maribus, id eſt, à
mercatoribus, qui ab omni mari veniebant, Oceano, rubro, Arabico. vt R.
Dauid interpretatur. Ego maria plurali numero vnum etiam mare dici arbi-
tror, ſicut aquas.
18. *Naues.*] איין. Inſulæ, vt Sept. verterunt. *In die pauoris tui.* ביום מפלתך. In
die ruinæ tuæ, id eſt, cùm ſolo æquata fueris. *Eo quòd nullus egrediatur ex te,*
מצאתך. ad verbum, *Ab exitu tuo*: Quod omnes Hebræi, itémque Paraphra-
ſtes Chaldæus interpretantur, Propter captiuitatem, & tranſmigrationem
tuam. Meliùs mihi videtur noſter interpres Hebraiſmi vim expreſſiſſe. Solet
enim dictio, מן. negationem ſignificare.
20. *Qui deſcendunt in lacum.*] In infernum, aut in ſepulchrum. *Ad populum ſem-* *Infernus, la-*
piternum, id eſt, ad multitudinem mortuorum, qui non reſurgent vſque ad fi- *cus: mortui,*
nem mundi, vt apud Ierem. cap. 51. ver. 39. & 57. *Inebriabo principes eius, & ſa-* *populus ſemp*
pientes eius, & magiſtratus eius, duces eius, & fortes eius: & dormient ſomnum ſempiter- *ternus quo*
num, & non expergiſcentur. Et Thren. 3. 6. *In tenebroſis collocauit me: quaſi mortuos* *ſenſu.*
ſempiternos. H. אל עם עולם. ad populum ſæculi. Quod R. Dauid ſic exponit, cum
populo, qui à ſæculo, id eſt, iam olim mortuus eſt, ita vt eorum corpora in pul-
uerem redacta ſint. Magis mihi placet prior interpretatio, quia ſcripturæ ma-
gis conſentanea eſt, & quia maiorem habet vim. Significatur enim fore, vt ita
Tyrus euertatur, vt numquam ampliùs ædificetur, vt dixit ver. 14. Quod autem *An Tyrus fue*
dixit Iſa. c. 23. 15. Tyrum poſt ſeptuaginta annos reſtaurandam, aut numerus *rit reſtaurata*
finitus pro infinito ponitur, aut myſticè de Eccleſiæ reſtauratione intelligen-
dum eſt. *In terra nouiſſima.* תחתיות. inferiori, id eſt, In inferno. vt Chriſtus di-
cit de Capharnaum Matth. c. 11. v. 23. *Et tu Capharnaum numquid vſque in cœ-*
lum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes. Sicut ſolitudines veteres, id eſt, ſimilem
חרבות. ruinis antiquis, vrbibus iam olim euerſis, quarum nullum veſtigium
cernitur. *Cùm dedero gloriam in terra viuentium.* Hebræi ſic exponunt, Cùm ter-
ram Iſraël reſtituero in priſtinam gloriam. Vocat autem eam *terram viuentium*,
quia non erat perpetuò futura deſerta, vt eam opponat Tyro, quam dixit deſ-
cenſuram *in lacum ad populum ſempiternum*, id eſt, ad terram mortuorum, quem-
admodum R. Dauid adnotauit. In eandem ſententiam vertit Chaldæus, Da-
bo gaudium in terra Iſraël. Sept. alio prorſus ſenſu, vt non habiteris in terra
viuentium. Alij interpretantur. *Cùm dedero gloriam in terra viuentium*, id eſt, cùm
re punienda gloriam meam vbique terrarum oſtendero.

CAPVT XXVII.

T factum eſt verbum Domini ad me, dicens. 2 *Tu ergo fili hominis aſſume*
ſuper Tyrum lamentum: & dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotia-
tioni populorum ad inſulas multas. 3 *Hæc dicit Dominus Deus, O Tyre, tu*
dixiſti, Perfecti decoris ego ſum, 4 *& in corde maris ſita. Finitimi tui qui te ædificaue-*
GGg 2 *runt,*

runt, impleuerunt decorem tuum: 5 abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus
tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum. 6 Quercus de
Baſan dolauerunt in remos tuos: & tranſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætо-
riola de inſulis Italiæ. 7 Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, vt poneretur
in malo: hyacinthus & purpura de inſulis eliſa, facta ſunt operimentum tuum. 8 Ha-
bitatores Sydonis & Aradij fuerunt remiges tui: ſapientes tui, Tyre, facti ſunt guberna-
tores tui. 9 Senes Giblij & prudentes eius habuerunt nautas ad miniſterium variæ ſup-
pellectilis tuæ: omnes naues maris & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.
10 Perſæ & Lydij & Lybies erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum & galeam
ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo. 11 Filij Aradij cum exercitu tuo erant ſuper muros
tuos in circuitu: ſed Pigmæi qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpenderunt in mu-
ris tuis per gyrum: ipſi compleuerunt pulchritudinem tuam. 12 Carthaginenſes negotia-
tores tui, à multitudine cunctarum diuitiarum: argento, ferro, ſtanno, plumbóq; repleuerunt
nundinas tuas. 13 Græcia, Thubal, & Moſoch, ipſi inſtitores tui: mancipia, & vaſa ærea
adduxerunt populo tuo. 14 De domo Thogorma, equos & equites, & mulos adduxerũt
ad forum tuum. 15 Filij Dedan negotiatores tui: inſulæ multæ negotiatio manus tuæ: dẽ-
tes eburneos & ebeninos commutauerunt in pretio tuo. 16 Syrus negotiator tuus, pro-
pter multitudinem operum tuorum, gemmam, & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & ſe-
rycum, & chodchod propoſuerunt in mercatu tuo. 17 Iuda & terra Iſraël ipſi inſtitores
tui in frumento primo: balſamum & mel, & oleũ & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis.
18 Damaſcenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſa-
rum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi. 19 Dan, & Græcia, & Mozel in
nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum, ſtacte & calamus in negotiatione tua.
20 Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum. 21 Arabia & vniuerſi principes Ce-
dar, ipſi negotiatores manus tuæ: cum agnis & arietibus, & hædis venerunt ad te nego-
tiatores tui. 22 venditores Saba & Reema ipſi negotiatores tui: cum vniuerſis primis aro-
matibus, & lapide pretioſo & auro, quod propoſuerunt in mercatu tuo. 23 Haran, &
Chenne, & Eden, negotiatores tui: Saba, Aſſur, & Chelmad venditores tui. 24 Ipſi ne-
gotiatores tui multifariam, inuolucris hyacinthi, & polymitorum gazarúmq; pretioſarum,
quæ obuoluta & adſtricta erant funibus: cedros quoq; habebant in negotiationibus tuis.
25 Naues maris principes tui in negotiatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in
corde maris. 26 In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus auſter contriuit te in
corde maris: 27 Diuitiæ tuæ & theſauri tui, & multiplex inſtrumentum tuum, nautæ
tui, & gubernatores tui qui tenebant ſuppellectilem tuam, & populo tuo præerant: viri
quoque bellatores tui qui erant in te, cum vniuerſa multitudine tua quæ eſt in medio tui:
cadent in corde maris in die ruinæ tuæ. 28 A ſonitu clamoris gubernatorum tuorum
conturbabuntur claſſes. 29 Et deſcendent in nauibus ſuis omnes qui tenebant remum:
nautæ & vniuerſi gubernatores maris in terra ſtabunt. 30 Et eiulabũt ſuper te voce ma-
gna, & clamabunt amarè: & ſuperiacient puluerẽ capitibus ſuis, & cinere conſpergentur.
31 Et radent ſuper caluitium, & accingentur ciliciis: & plorabunt te amaritudine ani-
mæ ploratu amariſſimo. 32 Et aſſument ſuper te carmen lugubre, & plangent te. Quæ eſt
vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? 33 Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari
impleſti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum ditaſti
reges terræ. 34 Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis mul-
titudo tua quæ erat in medio tui, ceciderunt. 35 Vniuerſi habitatores inſularum obſtu-
puerunt ſuper te: & reges earum omnes tempeſtate percuſſi mutauerunt vultus. 36 Ne-
gotiatores populorũ ſibilauerunt ſuper te: ad nihilũ reducta es, & non eris vſq; in perpetuũ.

PER-

PERSEQVITVR prophetiam aduerſus Tyrum; deſcribit eius opes & gloriam, vt eius ruina maior eſſe videatur.

3 *In introitu maris.*] על מבואת ים. in oſtiis maris, id eſt, quæ multis vndique portibus circundata es. *Negotiationi.* רכלת. negotiatrici populorum, id eſt, quæ cum omnibus populis negotiatur vſque ad remotiſſimas inſulas. *Tu dixiſti, Perfecti decoris ego ſum*, id eſt, nimium tibi placuiſti, viſa tibi es omnium vrbium pulcherrima.

4. *In corde maris.*] בלב ימים גבוליך. In corde marium termini tui id eſt, in mediis aquis ſita es. *Qui te ædificauerunt impleuerunt decorem tuum*, id eſt, omni te ornamentorum genere cumularunt, quidquid in aliqua vrbe pulchrum eſſe poterat, in te contulerunt. Sept. vt ait Hieronymus, ſic verterunt, Βειλείμ υἱοί σου περιέθηκάν σοι κάλλος. *Beelim filij tui pulchritudinem tibi appoſuerunt*; quaſi exiſtimauerint גבולים. nomen eſſe proprium, & בניך. pluralem eſſe à בן. filio: quæ verba in Complutenſibus, & Antuerpienſibus exemplaribus deſiderantur, in aliis corrupta ſunt.

5. *Abietibus de Sanir.*] Sanir mons erat, quem Hebræi Hermon; Sidonij Sarion, Amorrhæi Sanir appellabant, Deut. 3. 9. Loquitur autem de vrbe tamquam de naui abietibus ædificata, quia maxima Tyri gloria in nauibus erat. *Cum omnibus tabulatis maris.* את כל לוחותים (ædificauerunt) omnes duas tabulas, ad verbum; id eſt, vtrumque tabularum ordinem. Nauis enim duos tabularum ordines habet. quaſi dicat, omnes nauium tuarum tabulæ erãt abiegnæ.

6. *Quercus.*] אלונים. R. Dauid pinum ſignificare dicit. R. Salom. & Ionathas Chaldæus arborẽ caſtaneã. Noſter interpres ſemper vertit, *quercus*, vt Iſai. 2. 13. & Oſee 4. 13. & Amos 2. 9. Sept. abietes interpretari ſolent. *Baſan*, regio erat in tribu Manaſſe nemoribus abundans, præſertim altiſſimis quercubus, aut pinis, aut caſtaneis, Iſai. c. 2. ver. 13. *Tranſtra tua.* Tranſtra ſunt remigum ſedilia, vt apud Poëtam legimus.

Præcipites vigilate viri, & conſidite tranſtris. Virgil 4. Æneid.

קרשך R. Dauid turrim nauis interpretatur. Sept. ἱερὰ, *templa*. Chaldæus, Superliminaria portarum tuarum. *Et prætoriola.* cellulas tuas. H. בתאשורים. R. Dauid ſic interpretatur, filia Aſſyriorum, id eſt, Aſſyriorum artificum multitudo ædificauit tranſtra (aut, vt ille vertit, turres tuas) ex ebore allato ex inſulis Cethim. כתים. Chaldæus Paraphraſtes, de inſulis Apuliæ, id eſt, ex Cypro, Creta, Sicilia. Alij, ex inſulis maris Ionici.

7. *Byſſus varia.*] variis tincta coloribus. ברקמה. acu picta, opere Phrygio: quales ſunt telæ lineæ, quas hodie Belgæ faciunt diuerſis figuris intertextis. *De inſulis Eliſa.* Italiæ, vt Ionathas, & R. Dauid exponunt. *Operimentum tuum*, id eſt, tectum cellularum tuarum, aut cortina, qua cellulæ tegebantur, erant ex hyacintho, & purpura; aut, veſtis tua, vt etiam interpretatur R. Dauid.

8 *Aradij.*] Ciues Arad, quæ Amorrhæorum ciuitas erat, Num. 21. 1. & Iud. 1. 16. *Sapientes tui.* Vult dicere nauarchos, & gubernatores nauium fuiſſe Tyrios homines ſapientes, nec externis hominibus ad gubernandas naues eguiſſe; ad remigandum verò, & ad cætera ſeruilia opera, alienigenis hominibus, vt Sidoniis, & Aradiis vti conſueuiſſe.

9. *Senes Giblij.*] ex ciuitate Syriæ quæ Gebal appellabatur, Pſal. 82. 8. *Gebal, & Ammon, & Amalech: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.* Giblij, aut Gebalij nobiles fabri lignarij erant: nam cùm Salomonis templum ædificaretur, ipſi ligna præparabant, 3. Regum 5. 18. *Et prudentes eius.* Gebal. *Habuerunt nautas.*

Heb. היו בך מחזיקי בדקך. erant in te reſarcientes dirutum tuum, id eſt, reficiebant naues tuas, aut muros tuos, vt Quimchi interpretatur. Chaldæus, Prouidebant tibi neceſſaria. Septuag. Corroborabant conſilium tuum, id eſt, perficiebant, quidquid tu deſignabas. *Fuerunt in populo negotiationis tuæ.* היו בך לערוב מערבך fuerunt in te ad negotiandum negotiationem tuam, id eſt, non erat neceſſe, vt longè ad negotiandum ires; nam toto mari ad te nautæ, mercatoréſque confluebant, mercéſque tibi domum portabant.

10. *Perſæ, & Lydij.*] Id eſt, omnes gentes ſeruiebant tibi; ignobiles quidem, in artibus fabrilibus, vt Sidonij, Aradij, & Gebalij; nobiles verò & fortes in bello, vt Perſæ, Lydij, & Afri; qui tempore belli præſidio tibi erant, tempore verò pacis ſuſpenſis clypeis, & galeis ornamento.

11. *Super muros tuos.*] Cuſtodiebant te, ſicut Heluetij nunc pleraſque aliarum gentium vrbes cuſtodire ſolent. *Sed & Pigmæi.* Sic etiam Hebræi גמדים. interpretantur, quos populos Plinius in extrema parte montium Indiæ eſſe dicit ſalubri cœlo, ſempérque vernante, qui ternos dodrantes non excedant. Sept. cuſtodes verterunt teſte Hieronymo; atque ita etiam in eorum editione legimus. Ex quo perſpicuum eſt, hunc verſum in Complutenſibus. & Antuerpienſibus exemplaribus, non ex Sept. ſed ex Symmachi verſione poſitum fuiſſe; legunt enim, Sed & Medi in turribus tuis, quemadmodum Symmachum Hieronymus vertiſſe tradit. Chaldæus vertit, קפוטקאי. Cappadoces. Aquila, ſicut noſter interpres, Pigmæi, Theodotio nomen ipſum Megadim tamquam proprium reliquit. *Pharetras ſuas.* שלטיהם. ſcuta ſua.

Pigmæi an ſint. & quo terræ ſint loco Nat. hiſt. l. 7. c. 2.

ἀλλὰ καὶ Μῆδοι ἐν τοῖς πύργοις.

12. *Carthaginenſis.*] תרשיש סחרתך. Tharſis negotiatrix tua. Tharſis autem, vt multis locis monuimus, alij Carthaginem, alij Ciliciam, aut eius metropolim Tharſum, alij Africam, alij mare mediterraneum, alij generaliter mare ſignificare putant; quemadmodum hoc loco vertit Chaldæus Paraphraſtes, De mari apportabant ad te merces. *A multitudine.* Hebraiſmus, præ multitudine.

Tharſis quid ſignificet.

13. *Thubal.*] Iberos plerique vocari putant ex Thubal filio Iaphet, Alij Italos eſſe dicunt. *Moſoch.* Cappadoces, ex Moſoch filio etiam Iaphet ſic appellati, Geneſ. 10. 2. *Adduxerunt populo tuo.* נתנו מערבך. poſuerunt in nundinis tuis, aut in mercatu tuo, vt ſuprà ver. 9.

14. *De domo Thogorma.*] Thogorma filius erat Gomer, Gen. 10. 3. ex quo Figranæi, qui à Græcis Phryges dicuntur, appellati creduntur, & Hebraico verbo corrupto Turcæ. Alij Germanos eſſe dicunt, ſicut hoc loco vertit Chaldæus, ex prouincia Germaniæ. Vocat autem domum, nationem, gentem, Hebræorum more, vt domum Iacob, domum Iſraël. *Equos & equites.* Equos, & mancipia ad bellum apta, & ad equitandum, vt interpretatur R. Dauid; aut equos, & mancipia apta vt ſint aurigæ. & vt equos regant, vt ego interpretor.

15. *Filij Dedan.*] Idumæi. Nam Dedan Idumææ ciuitas erat, vt apparet ex ſuperiori cap. 25. ver. 13. *Negotiatio manus tuæ.* quæ tibi in negotiationibus tuis aſſeruiunt; aut cum quibus induſtria, operáque tua negotiaris; aut, quæ ſub tua auctoritate negotiantur; aut, quæ inito tecum fœdere commercia tecum habent. *Et ebeninos.* והבנים. Hebræi omnes, & Chaldæus Paraphraſtes pauones interpretantur: quamquam R. Dauid etiam putat genus quoddam ligni pulchri, & pretioſi ſignificare, quale ebenum eſt, vt vertit noſter interpres, quod, vt ait Virgilius, ex India deportatur.

Georgic. lib. 2.

16. *Propter multitudinem operum tuorum.*] id eſt, vt emerent res, quæ miro artificio in te fiebant, omne genus mercium ad te conuehebant. *Guttam.* נפך. genus

nus eſt lapidis pretioſi, & nigri, vt ſcribit R. Dauid in lib. rad. & in commentariis huius loci, Hieronymus carbunculum ſolet vertere, vt Exod. cap. 28. v. 18. & cap. 39. v. 11. & infrà cap. 28. ver. 13. *Et ſcutulata.* ſquammatas veſtes, & quaſi ſcutis diſtinctas. Hebraicè רקמה. veſtem acu pictam, & variam, quam Phrygiam vocant. *Et ſericum.* ראמות. coralia vertunt quidam. Chaldæus lapides pretioſos. Septuag. nomen ipſum quaſi proprium integrum reliquerunt, ὡς ῥαμώθ. *Et Chodchod.* Fatetur Hieronymus neſcire ſe quid hoc nomen propriè ſignificet, ideóque integrum reliquiſſe quod & Sept. fecerunt. Hebræi etiam videntur ignoraſſe; nullam enim in commentariis in hunc locum mentionem faciunt. Idem tamen Hieronymus apud Iſai. cap. 54. 12. Iaſpidem vertit. Chaldæus hoc loco & in nonnullis aliis gemmas reddit, aut margaritas. Alij carbunculum, alij rubinum, alij cryſtallum, alij adamantē eſſe putant. *Chodchod quid ſignificet*

17. *In frumento.*] בחטי. in frumentis, id eſt, frumenta propoſuerunt in nundinis tuis. Hebraiſmus, ב loco את. vt, *Noli æmulari in malignantibus*, id eſt, malignantes; Pſal. 36. 1. Nec enim eorum verſionem probare poſſum, qui ſine vllo ſenſu reddunt, cum frumento melle, & oleo. *Primo balſamum* בחיטי מנית ופנג. frumenta Menith, & Panag, quæ Hebræi duo loca in terra Iſraël optimorum frumentorum feraciſſima eſſe putant: quamquam R. Ioſeph. פנג. balſamum ſignificaſſe dicit, quemadmodum Chaldæus vertit, Aquila, Symmachus, & Theodotio, vt Hieron. refert, nomen ipſum Hebraicum tanquam proprium reliquerunt. *Hebraiſmus ב. pro את.*

18. *In multitudine operum tuorum*] propter multitudinem pretioſarum rerum, quæ in te miro artificio fiunt, vt ver. 16. *In multitudine.* propter multitudinem diuerſarum opum; quæ apud te ſunt, ſunt negotiatores tui Damaſceni; aut, Damaſcenus negotiatur tecum omni genere mercium. *In vino pingui.* H. ביין חלבון. In vino Helbon, quód R. Dauid nomen loci eſſe putat in Damaſcenorum regione; vbi vinum optimum erat. Ionathas Chaldæus, & R. Salomon vinum coctum interpretantur, quale hodie vocant Hiſpanicum apud Gallos. *Coloris optimi.* צחר. albis.

19. *Dan.*] Ciuitas erat in finibus terræ Iſraël, 1. Regum cap. 3. 20. *Et Moſel.* Septuaginta etiam, & Aquila, vt Hieronymus tradit, nomen loci eſſe crediderunt. H. מאוזל. R. Dauid vagam interpretatur. quaſi dicat, Græcia, quæ mercaturæ cauſa huc, illúcque diſcurſat. *Ferrum fabrefactum.* ברזל עשות. ferrum factum, id eſt, in laminas, aut virgas diſtinctum, vt Chaldæus, & R. Salomon exponunt; aut, vt R. Dauid, ferrum purum, chalybem.

20. *Ad ſedendum.*] לרכבה. ad equitaturam, vt vertit Chaldæus, id eſt, ad ornādos equos; aut, ad currus, id eſt, ad tegēdos currus, vt Sept. verterunt. Quod autem noſter interpres vertit, *in tapetibus.* H. eſt, בבגדי חפש. in veſtibus libertatis, aut ingenuitatis, id eſt, pretioſis quibus nobiles, & ingenui viri vti ſolent.

21. *Cedar.*] Arabiæ regio in Agarenorum ſolitudine. Cedar à Cedar Iſmaëlis filio cognominata eſt, vt Hieronymus ait. *Negotiatores manus tuæ*, id eſt, ſub tua auctoritate negotiantur; aut, cum quibus induſtria, atque opera tua negotiaris; aut, qui pro te negotiantur, id eſt, in tuam vtilitatem, quaſi pro manibus, & miniſtris tibi eſſent, vt v. 15. *Venerunt ad te negotiatores tui.* בם סחריך. in iis (inquam) rebus negotiatores tui ſunt, id eſt, in tuū vſum negotiantur. Loquitur accommodatè ad vnamquamque gentem. Nam Arabes paſtores erant.

22. *Saba, & Recma.*] Sabæorum gens thure, & aromatibus nobilis eſt. Recma verò ciuitas eſt Arabiæ fælicis.

23. *Haram.*] Meſopotamiæ ciuitas, quæ & Charram appellatur, Gen. 11.32. & 12.5. Chenne vrbis etiam nomen eſt, quod hoc tantùm loco reperitur Sept. terram Chanaan eſſe putauerunt, de qua ſæpe in ſcripturis mentio fit. *Eden*, nomen etiam eſt loci quod voluptatem ſignificat, Gen. 4. 16. *Negotiatores tui.* רכלי שבא. negotiatores Saba. Chilmad hoc ſolo loco legitur; ſed loci nomen eſſe manifeſtum eſt.

24. *Multifariam.*] In omnis generis mercibus. H. במכללים. *In inuolucris hyacinthi.* Cum inuolucris quibus portant hyacinthum. בגלומי תכלת. Hebræi, & Chaldæus Paraphr. veſtes hyacinthinas exponunt. Sept. ipſum nomen Hebraicum, quaſi proprium reliquerunt, quod rectè Hieronymus vidit; Antuerpienſis verò interpres non animaduertens reddidit, Et volucribus. *Quæ obuoluta & adſtricta erant funibus* ובגנזי ברמים בחבלים חבשים. & in capſis veſtium pretioſarum, quæ funibus ligatæ erant. R. Salom. & R. Dauid ברמים. veſtes pretioſas eſſe dicunt. *Cedros quoque.* וארזים. R. Dauid torques interpretatur. Alij, in capſis funibus ligatis & cedrinis, quod durius eſt.

25. *Naues maris.*] תרשיש. Tharſis. vide ſuprà ver. 12. *Principes tui.* Principes tui negotiabantur nauibus Tharſis; aut, vt alij exponunt, Naues quæ in mari pro te negotiabantur principes tui erant, id eſt, principum tuorum. quaſi dicat, non erant negotiatores, & nautæ tui pauperes; ſed principes. Hebræi ſic interpretantur, אכית תרשיש שרותיך. naues maris (aut Charthaginenſes) ad te ventitabant propter negotiationem tuam, aut, apportantes merces tuas.

26. *In aquis multis.*] in aquas multas, id eſt, in mare proiecerunt te illi ipſi Sidonij, & Aradij, qui remiges tui erant, ver 8. R. Dauid in commentariis, & in lib. rad & Chaldæus Paraphr. interpretantur, השטים אתך ſpoliatores tui qui te ſpoliabunt, pro השאסים. *Ventus auſter contriuit.* Conteret tanquam arborem in medio mari ſuper rupem plantatam, in quam vehementiùs ventus inſpirat. Alludit ad ſitum Tyri; erat enim in mari ſuper rupem poſita, & animo, & loco nimiùm elata; *feriunt* autem *ſummos fulmina montes.* Auſtrum aurem, aut רוח הקדים. ventum orientalem vocat Nabuchodonoſorem, quem ſuprà dixit Tyrum vaſtaturum, cap. 26. 7. quia, vt ventus orientalis calidus eſt, omniáque exurit, ita Nabuchodonoſor omnia depopulabatur.

Horat. Od. 10. lib. 2. Carm.

27. *Theſauri tui.*] ועזבונך. & merces tuæ. *Multiplex inſtrumentum.* Omnes ſarcinæ tuæ, omnes capſæ mercibus plenæ, omnis tua ſuppellex. Hebraicè, כערבך. negotiatio tua, id eſt, quidquid negotiando comparaſti. *Tenebant ſuppellectilem tuam.* H. מחזיקי בדקך. reſtauratores fiſſurarum tuarum, id eſt, ſenes Gebalij, qui naues tuas reſarciebant, vt dixit ver. 9. *Et populo tuo præerant.* וערבי מערבך. & negotiatores negotiationis tuæ, id eſt, omnes illi, per quos negotiaris, quos paulò ſuprà commemorauit, hi, inquam, omnes & viri bellatores tui cum vniuerſa populi multitudine proiicientur à Chaldæis in medio maris.

28. *A ſonitu.*] propter ſonitum, frequens Hebraiſmus. *Conturbabuntur claſſes.* quæ longè erunt in mari. Heb. מגרשות. Hebræi interpretantur oppida ſuburbana.

29. *Deſcendent de nauibus ſuis.*] id eſt, non ampliùs nauigare poterunt; aut deſcendent, vt humi iaceant, luctus cauſa, vt ſtatim declarat.

30. *Superiacent.*] more lugentium, qui puluere & cinere aſpergebantur, Ioſue 7. 6. Iob. 2. 12.

Mos lugentium caluitiũ facere.

31. *Radent caluitium.*] Alter mos lugentium erat, caluitium facere, & cilicio indui, vt ſuprà cap. 7. 18.

31. Quæ

32. *Quæ eſt vt Tyrus.*] Hæc lugentes dicent, *Quæ eſt vt Tyrus?* quæ vrbs tam miſerabilis, quàm Tyrus reperiri poterit, quæ quamuis in medio mari ſita eſſet, tamen *obmutuit*, id eſt, deleta eſt, prorſus periit, ita vt nulla extet eius memoria. Hebræi dicunt, ſilere, aut tacere, aut obmuteſcere, pro, ita perire, vt non maneat memoria, Iſai. 15. 1. *Quia nocte vaſtata eſt Ar, Moab, conticuit, quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit.* & Ierem. 25. 37. *Conticuerunt arua pacis à facie iræ furoris Domini.* & cap. 47. 5. *Conticuit Aſcalon.* R. Salom. & R. Dauid hoc loco interpretantur כרמה. ſicut exciſa in medio maris, quod in laudem, & in vituperationem dici poteſt; in laudem ſic, Quis erat ſimilis Tyro, quæ in medio mari in rupe exciſa erat, ita vt inexpugnabilis eſſe videretur? & tamen expugnata eſt, & à mari contrita, vt dicit ver. 34. In vituperationem ſic, Quæ vrbs tam miſerabilis, quàm Tyrus reperiri poterit, quæ cùm in medio mari ſita eſſet, tamen exciſa eſt?

Silere quid ſignificet apud Hebræos.

33. *Quæ in exitu negotiationum tuarum.*] Quæ exportatione mercium per mare populos implebas. השבעת. ſaturabas. *Et populorum tuorum.* miniſtrorum tuorum. H. ומערבך. & mercium tuarum.

34. *Nunc contrita es.*] Hebræi nunc legunt עת נשברת. tempus contereris, id eſt, veniet tempus, cùm contereris: quod mihi nullo modo probatur. Loquitur enim Propheta non de re futura, ſed de præterita, recitans verba eorum, qui euerſam iam Tyrum lucturi erant; præterquam quod oratio coacta eſt. Multò ergo meliùs videtur noſter interpres legiſſe עתה. nunc. Nam & ſenſus eſt melior, & Sept. & Chaldæus Paraphr. eodem modo legerunt.

35. *Tempeſtate percuſſi.*] שערו שער. timore timuerunt, id eſt, valde timuerunt, ne ſibi idem accideret, metuque expalluerunt.

36. *Sibilauerunt ſuper te.*] præ ſtupore, & admiratione caſus tui, vt Ierem. 19. 8. *Ponam ciuitatem hanc in ſtuporem, & in ſibilum: omnis qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper vniuerſa plaga eius.* & cap. 49. 17. *Et erit Idumæa deſerta, omnis qui tranſibit per eam, ſtupebit, & ſibilabit ſuper vniuerſas plagas eius.* & cap. 50. 13. *Ab ira Domini non habitabitur, ſed redigetur tota in ſolitudinem: omnis qui tranſibit per Babylonem ſtupebit, & ſibilabit ſuper vniuerſis plagis eius. Ad nihilum reducta es.* Eodem ſenſu Chaldæus vertit. H. בלהות היית. Alij exponunt, terrores fuiſti, id eſt, omnibus gentibus exemplo fuiſti, vt tua calamitate terrerentur, vt ſuperiore capite ver. 21.

CAPVT XXVIII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 2 *Fili hominis dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus, Eo quòd eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris cùm ſis homo, & non Deus: & dediſti cor tuum quaſi cor Dei.* 3 *Ecce ſapientior es tu Daniele: omne ſecretum non eſt abſconditum à te.* 4 *In ſapientia tua & prudentia tua feciſti tibi fortitudinem: & acquiſiſti aurum & argentum in theſauris tuis.* 5 *In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem: & eleuatum eſt cor tuum in robore tuo.* 6 *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Eo quòd eleuatum eſt cor tuum quaſi cor Dei,* 7 *idcirco ecce ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentium, & nudabunt gladios ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum,* 8 *Interficient & detrahent te: & morieris in interitu occiſorum in corde maris.* 9 *Nunquid*

Digitized by Google

*dicens loquêris, Deus ego ſum coram interficientibus te: cùm ſis homo, & non Deus, in ma-
nu occidentium te?* 10 *Morte incircumciſorum morieris in manu alienorum: quia
ego locutus ſum, ait Dominus Deus.* 11 *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens,*
12 *Fili hominis, leua planctum ſuper regem Tyri: & dices ei, Hæc dicit Dominus Deus:
Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decôre,* 13 *In delicijs pa-
radiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum: ſardius, topazius, iaſpis chryſo-
lithus, & onyx, & berillus, ſapphirus, carbunculus, & ſmaragdus: aurum opus decô-
ris tui: & foramina tua, in die qua conditus es præparata ſunt.* 14 *Tu Cherub ex-
tentus & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum ambu-
laſti.* 15 *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas à te.*
16 *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate & peccaſti: &
eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.*
17 *Et eleuatum eſt cor tuum in decôre tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decôre tuo, in
terram proieci te: ante faciem regum dedi te, vt cernerent te.* 18 *In multitudine ini-
quitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationem tuam: produ-
cam ergo ignem in medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terram in conſpe-
ctu omnium videntium te.* 19 *Omnes qui viderint te in Gentibus, obſtupeſcent ſuper
te: nihili factus es, & non eris in perpetuum.* 20 *Et factus eſt ſermo Domini ad me,
dicens:* 21 *Fili hominis pone faciem tuam contra Sidonem: & prophetabis de ea,*
22 *& dices, Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te Sidon, & glorificabor in medio
tui: & ſcient quia ego Dominus cùm fecero in ea iudicia: & ſanctificatus fuero in ea.*
23 *Et immittam ei peſtilentiam & ſanguinem in plateis eius: & corruent interfecti
in medio eius gladio per circuitum: & ſcient quia ego Dominus.* 24 *Et non erit vltrà
domui Iſraël offendiculum amaritudinis, & ſpina dolorem inſerens vndique per circuitum
eorum qui aduerſantur eis: & ſcient quia ego Dominus Deus.* 25 *Hæc dicit Domi-
nus Deus, Quando congregauero domum Iſrael de populis in quibus diſperſi ſunt, ſanctifi-
cabor in eis coram Gentibus: & habitabunt in terra ſua, quam dedi ſeruo meo Iacob.*
26 *Et habitabunt in ea ſecuri: & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & habi-
tabunt confidenter, cùm fecero iudicia in omnibus qui aduerſantur eis per circuitum: &
ſcient quia ego Dominus Deus eorum.*

DESCRIBIT gloriam regis Tyri, eiuſque interitum prædicit vſque ad ver. 21. Deinde vaticinatur contra Sidonem.

2. *Eo quòd eleuatum eſt cor tuum.*] Sententia ſuſpenſa eſt vſque ad verſum ſeptimum, vbi completur. Porrò quod hîc dicitur de principe Tyri, Theologi de Lucifero interpretari ſolent. *Et dixiſti,* apud te, id eſt, cogitaſti te ſimilem eſſe Deo. *In cathedra Dei ſedi,* id eſt, in loco edito, & inacceſſo; ſicut Deus in cælo, quò nemo poteſt attingere. *Cùm ſis homo.* ואתה cumque homo ſis & non Deus, *Dediſti cor tuum quaſi cor Dei.* id eſt, geſſiſti animos Dei, ſic elato animo fuiſti, quaſi Deus tibi eſſe videreris. Hebraïſmus.

3. *Sapientior es tu Daniele.*] tuo iudicio. Hinc apparet adeo iam fuiſſe celebrem præſertim in Chaldæa, vbi Ezechiel vaticinabatur, ſapientiam Danielis, vt prouerbio de homine ſapientiſſimo diceretur, *Sapientior Daniele.*

Sapientia Danielis cauſam dedit prouerb.

4. *In ſapientia.*] Hebraïſmus, ſapientia & intelligentia tua. *Feciſti tibi fortitudinem.* חיל. opes, ſubſtantiam, facultates tibi paraſti, vt Chaldæus interpretatur, & ſtatim explicatur. Omnia hæc ſunt non de re ipſa ac veritate, ſed de illius opinione intelligenda.

5. *Multiplicaſti tibi fortitudinem.*] חילך. diuitias tuas, vt verſu præcedenti.

Eodem

Eodem modo, *In robore tuo.* בחילך. in opibus tuis, id eſt, propter opes tuas.

6. *Eo quòd eleuatum eſt.*] יען תתך. *quia dediſti cor tuum quaſi cor Dei*, id eſt, quia ſic elato animo fuiſti, quaſi Deus eſſes vt ver. 2.

7. *Alienos.*] Gentes barbaras, Chaldæos, qui inter omnes gentes robuſtiſſimi ſunt. *Super pulchritudinem.* על. contra, id eſt, vt auferant abs te quidquid pulchri & pretioſi tua ſapientia tibi videris comparaſſe, fœdabuntque decorem tuum.

8. *Interficient.*] H. לשחת. in foueam. יורדוך deſcendere facient te, id eſt, proiicient te in profundum maris. *Et morieris interitu occiſorum.* ממותי חלל. mortibus vulneratorum, id eſt, multis confoſſa vulneribus, vt interpretatur Rab. Dauid, aut mortibus occiſorum in medio mari, id eſt, ita vt ſepultura careas, proiiciariſque in mare, vt illi, qui in mari moriuntur.

9. *Numquid dicens loqueris?*] האמר תאמר. an dicendo dices, id eſt, an iactabis te Deum, cùm fueris coram interfectoribus tuis, cùm ſis homo & non Deus, & in manus eorum veneris, qui te occident? quaſi dicat, non.

10. *Morte incircumciſorum.*] id eſt, ab incircumciſis hominibus occidêris, quod apud Hebræos ignominioſum erat, ſicut dixit Saül armigero ſuo, 1. Regum 31. 4. *Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi.* Hunc ſenſum verba ſequentia confirmant, *In manu alienorum.* Quamquam Chaldæus Paraphraſtes, & Rab. Dauid interpretantur, *morte incircumciſorum*, id eſt, morte impiorum, qui incircumciſi corde ſunt, morieris, qui plerumque infælicem, & miſerabilem vitæ exitum habent.

Hebræis ignominioſum ab incircumciſis interfici.

12. *Leua planctum.*] plange magna voce, aut שא קינה. ſume carmen lugubre, quale Ieremias ſumpſit contra Ieruſalem, id enim propriè ſignificat קינה. vt ſuprà verſu 19. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, id eſt, perfectio imaginis. Solemus enim obſignare quæ perfecta ſunt. quaſi dicat, ſi quis fœliciſſimi principis imaginem depingere voluiſſet, tu eius imaginis opinione tua perfectio fuiſſes. תכנית. imaginem aut picturam ſignificat, vt ait Rab. Salom. Alij autem exponunt. אתה חותם תכנית tu ſignans numerum (nam id etiam verba ſignificare poſſunt,) id eſt, omnibus numeris es abſolutus, vt ipſe tibi videris; ſicut ſtatim dicit, *Plenus ſapientia, & perfectus decore*

13. *In deliciis paradiſi.*] Adeo fœlix eras, itaque omnium bonorum copia affluebas, vt in paradiſo terreſtri eſſe viderere, omni genere pretioſorum lapidũ coopertus. *Et foramina tua.* Chaldæus in hanc ſententiam interpretatur, adeo elatus fuiſti, oblitúſque conditionis tuæ, vt non conſideraueris te hominem eſſe, tibíque quo die natus es, tanquam homini mortali foramina oris & narium ad ſpirandum data eſſe. Septuag. Καὶ χρυσίου ἐνέπλησας τοὺς θησαυρούς σου, καὶ ἀποθήκας σου ἐν σοὶ ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐκτίσθης, καὶ κατεσκευάσθης. *Et auro repleſti theſauros tuos & apothecas tuas in te, à die, quo conditus, atque paratus fuiſti.* Hebræi poſito puncto poſt aurum, Smaragdus & aurum, legunt deinceps, ביום הבראך מלאכת תפיך כוננו ונקביך בך. Opus tympanorum tuorum, & fiſtularum tuarum in te in die, quo creatus es parata fuerunt, id eſt, reſonantibus in domo tua omnibus inſtrumentis muſicis natus es, vt interpretatur Rab. Dauid. Itaque noſter interpres foramina pro fiſtulis poſuit, quia nomen Hebraïcum נקבים. id etiam ſignificat; vnde & tibiæ & fiſtulæ נקבים. dictæ ſunt, quòd foraminibus plenæ ſint.

14. *Tu cherub.*] Similis fuiſti cherub; propter ſcientiam & pulchritudinem; fuiſti enim *ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore*, vt dixit

HHh 2 verſu

verſu 12. Comparat etiam illum Cherub, quia magnus erat, & quaſi ſub alis ſuis populum protegebat, ſicut ſtatim duobus epithetis declarat, *Extentus, & protegens.* Alludit enim ad Cherubim, qui erant in templo Salomonis, qui extentis alis propitiatorium protegebant. Exod. 25. 20. & 37. 9. *Poſui te in monte ſancto Dei*, id eſt, ſicut poſui cherub in Sion monte ſancto meo vt propitiatorium protegeret, ita poſui te in rupe, vbi Tyrus ſita erat, vt omnibus conſpicuus eſſes, vrbémque protegeres.

Refelluntur R. Dauid, & Chal. Paraphr.

Quod Rab. Dauid, & alij hoc loco dicunt, probare non poſſum, Non agitur hic de rege, qui tunc erat, aut de eo, qui à Chaldæis victus eſt: ſed de Hiram, qui olim Salomonis tempore viuebat, lignáque illi ad ædificandum templum mittebat, 3. Regum 5. 9. ideóque dici in monte ſancto Dei poſitus fuiſſe, quòd templi ædificationem iuuerit. Agit enim Propheta de eius regis gloria, cuius interitum paulò pòſt prædicit ver. 18. ideóque deſcribit eius gloriam, vt futura eiuſdem calamitas maior eſſe videatur. Feiùs etiam Chaldæus, & tu montem ſanctum Domini ſpreuiſti, & in populum ſanctum cogitaſti dominari. *In medio lapidum ignitorum*, id eſt, adeo diues eras vt totus lapidibus pretioſis, ac in ſpeciem ignis collucentibus circundatus eſſes. Alij ex Rab. Dauid interpretantur, *In medio lapidum ignitorum*, id eſt, Iſraëlitarum, qui lapides igniti vocantur, quia populus ſanctus ſunt. Non placet.

15. *In viis tuis.*] id eſt, potens eras, faciebas quidquid volebas, quidquid faciebas, bene tibi ſuccedebat. Non enim vocat vias hoc loco mores; ſed opera. quaſi dicat, bene tibi omnia ſuccedebant, *donec inuenta eſt iniquitas in te*; non qualibet; nam ſemper iniquus fuiſti; ſed illa intolerabilis, qua dixiſti, *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris*, ver. 2.

16. *In multitudine.*] propter multitudinem, aut; præ multitudine; notus Hebraïſmus. *Interiora tua.* תוכך. medium tui, ad verbum; id eſt, viſcera tua, aut, cor tuum, aut, ciuitatem tuam (negotiatores) repleuerunt iniquitate, téque peccare fecerunt, & tua te fælicitas infælicem effecit. *Eieci te.* אחללך. pollui te, ad verbum, id eſt, cùm priùs in monte ſancto Dei eſſe videreris, mouebo te de loco tuo, proiiciámque in mare, veluti rem pollutam & contaminatam, efficiámque, vt non amplius cherub protegens, & pretioſis lapidibus circundatus eſſe videare.

17. *In decore tuo.*] propter decorem tuum. *Perdidiſti ſapientiam tuam*, id eſt, ſplendore regiæ tuæ dignitatis elatus, perdidiſti ſapientiam, quam tibi habere videbaris: non quòd reuera perdideris, quam non habebas, ſed quòd ego effecerim, ne tibi iam ſapiens viderere, tradens te in manus hoſtium, à quibus te nullo tuo conſilio, nulla ſapientia, nullis artibus liberare potuiſti. *Ante faciem regum dedi te*. Efficiam vt in conſpectum regum capriuus ducaris; ſicut Sedecias in conſpectum regis Babylonis ductus eſt, 4. Regum 25. 6. & Ierem. 39. 5. & 52. 9.

18. *Polluiſti ſanctificationem tuam.*] מקדשיך. ſanctuarium tuum, id eſt, monrem ſanctum Dei, in quo tanquam cherub eſſe videbaris, vt dixit ver. 14. R. Dauid, & qui eum nimio quodam ſtudio ſequi ſolent, interpretantur ſanctuarium, id eſt, palatium regis, quod ad modum templi factum eſt. Minùs aptè. *Producam ergo ignem de medio tui*, id eſt, faciam vt ex peccatis tuis pœna naſcatur, qua conſumaris, ſicut domus igne in medio eius accenſo conflagrare ſolet, vt Iſai. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri; & in flammis, quas ſuccendiſtis.* & cap. 9. ver. 18. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit: & ſuccendetur in denſitate ſaltus, & conuoluetur*

ſuperbia

ſuperbia fumi. Alij exponunt, *Producam ignem de medio tui*, id eſt, faciam vt ex tuis ciuibus aliqui ad regem Babylonis transfugiant, qui te prodant. Sed hoc videtur eſſe ſine cauſa diuinare. *In conſpectu omnium videntium te*, id eſt, vt te de regio ſolio deturbatum, humíque proſtratum quicunque volent videre poſſint.

19. *Nihili factus es.*] בלהות היית terrores eris, id eſt, omnes, qui te viderint, exemplo tuo deterrebuntur, vt ſuprà cap. 26. 21. & cap. 27. 36.

21. *Pone faciem ſuam.*] id eſt, Conuerte ad Sidonem orationem tuam; aut, intrepidè, ac liberè loquere contra Sidonem, vt ſicut loco Tyro vicina eſt, ita ſit illi pœna ſimilis. Hæc phraſis ſuprà explicata eſt, cap. 6. 2. & cap. 13. 17. & cap. 20. 46. & cap. 25. 2.

22. *Ecce ego ad te.*] Venio, aut, loquor, vt cap. 5. 8. & cap. 13. 8. 20. 21. 3. & c. 26. 3. *Ecce ego ſuper te Tyre. Et glorificabor*, Puniendo te, gloriam meam oſtendam. *Cùm fecero in ea*, in te; mutat perſonam, veluti conuertens orationem ad auditores. *Et ſanctificatus fuero*. Cùm eam puniens declarauero me iuſtum eſſe, ac ſanctum.

23. *Et ſanguinem in plateis eius.*] בחוצתיה. in vicos eius ſuburbanos. Nam per ſanguinem hoſtilem gladium intelligit, cúmque peſti opponit, quia qui peſte moriuntur, ſine ſanguinis effuſione moriuntur; qui autem gladio, fuſo ſanguine. Itaque ſenſus eſt, fore vt intra vrbem Sidonij moriantur peſte, extra vrbem gladio; ſicut dixit ſuprà contra Ieruſalem, cap. 7. 15. *Gladius foris, peſtis & fames intrinſecus: qui in agro eſt, gladio morietur; & qui in ciuitate, peſtilentia & fame deuorabuntur.* Quæ autem ſequuntur ita ſunt diſtinguenda. *Et corruent interfecti.* נפלל חלל. cadet infirmus, id eſt, peſte tactus *in medio eius*, intra vrbem. ſingularis pro plurali. *Et*, (interfecti) *gladio* (cadent foris) *per circuitum.*

24. *Offendiculum amaritudinis.*] amaritudinem & dolorem afferens. H. סלון ממאיר. ſpina pungens, vt ait R. Dauid, vocat Sidonem aut eius regem eleganti metaphora ſpinam pungentem. quia Sidon Iudææ vicinæ erant, illíque quodammodo tanquam ſpina pedi infixæ, & dolorem inferentes, quia rex Sidonis regi Iuda plerumque aduerſabatur. *Vndique per circuitum.* quaſi dicat, tollentur omnes ſpinæ, quæ in circuitu Iſraël ſunt, illíque dolorem inferunt, Sidonij, Tirij, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi: contra quos c. 25. 26. & 27. vaticinatus eſt.

25. *Sanctificabor in eis.*] Omnes gentes ſanctum me, iuſtúmque eſſe cognoſcent, cùm viderint me populum meum longa captiuitate propter eius peccata puniuiſſe; punitum verò, & emendatum in veterem ſtatum, poſſeſſionémque reſtituiſſe.

CAPVT XXIX.

IN anno decimo, decimo menſe, duodecima die menſis, factum eſt verbum Domini ad me dicens: 2 *Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem*
regem Ægypti: & prophetabis de eo, & de Ægypto vniuerſa. 3 *Loquere,*
& dices, Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti draco magne,
qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum.
4 *Et ponam frenum in maxillis tuis: & agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis*
tuis: & extraham te de medio fluminum tuorũ, & vniuerſi piſces tui ſquammis tuis hærebunt. 5 *Et proiiciam te in deſertũ, & omnes piſces fluminis tui: ſuper faciem terræ cades,*
non colligeris, neque congregaberis: beſtiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad deuoran-

 dum.

Digitized by Google

dum. 6 *Et ſcient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus: pro eo quòd fuiſti*
baculus arundineus domui Iſraël. 7 *Quando apprehenderunt te manu, & confractus*
es, & laceraſti omnem humerum eorum: & innitentibus eis ſuper te comminutus es, & diſ-
ſoluiſti omnes renes eorum. 8 *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego, adducam*
ſuper te gladium: & interficiam de te hominem & iumentum. 9 *Et erit Terra*
Ægypti in deſertum & in ſolitudinem: & ſcient quia ego Dominus: pro eo quòd dixeris,
Fluuius meus eſt, & ego feci eum. 10 *Idcirco ecce ego ad te, & ad flumina tua: da-*
bóque Terram Ægypti in ſolitudines, gladio diſſipatam, à turre Syenes, vſque ad termi-
nos Æthiopiæ. 11 *Non pertranſibit eam pes hominis, neque pes iumenti gradietur*
in ea, & non habitabitur quadraginta annis. 12 *Dabóque Terram Ægypti de-*
ſertam in medio terrarum deſertarum, & ciuitates eius in medio vrbium ſubuerſarum,
& erunt deſolatæ quadraginta annis: & diſpergam Ægyptios in nationes, & ventilabo
eos in terras. 13 *Quia hæc dicit Dominus Deus. Poſt finem quadraginta annorum*
congregabo Ægyptum de populis in quibus diſperſi fuerant. 14 *Et reducam capti-*
uitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phathures, in terra natiuitatis ſuæ: & erunt
ibi in regnum humile: 15 *inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltrà*
ſuper nationes, & imminuam eos ne imperent gentibus. 16 *Neque erunt vltrà domui*
Iſraël in confidentia, docentes iniquitatem, vt fugiant & ſequantur eos: & ſcient quia
ego Dominus Deus. 17 *Et factum eſt in vigeſimo & ſeptimo anno, in primo, in vna*
menſis factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 18 *Fili hominis, Nabuchodonoſor*
rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput
decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque exerci-
tui eius de Tyro, pro ſeruitute qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. 19 *Propterea hæc dicit*
Dominus Deus: Ecce, ego dabo Nabuchodonoſor regem Babylonis in Terra Ægypti:
& accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius &
erit merces exercitui illius. 20 *Et operi quo ſeruiuit aduerſus eam, dedi ei Terram*
Ægypti: pro eo quòd laborauerunt mihi, ait Dominus Deus. 21 *In die illa pullulabit*
cornu domus Iſraël, & tibi dabo apertum os in medio eorum: & ſcient quia ego Dominus.

Melior D. Hieronymi interpretatio.

VATICINIVM aduerſus Ægyptum, quod c. 30. 31. & 32. continuat. 1. *Anno decimo.*] R. Dauid annum decimum regni Sedeciæ exponit qui quamuis idem quoque captiuitatis Iechoniæ decimus fuerit, tamen melius D. Hieronymus decimum captiuitatis Iechoniæ annum interpretatur, quia ſtatim initio à captiuitate annos numerare cœpit, vt cap. 1. ver. 1 & 2. & cap. 8. ver. 1. & cap. 20. ver. 1. & cap. 24. 1. & 26. 1. & infrà ver. 17. dicit *factum eſt in vigeſimo & ſeptimo anno:* quod non poteſt de regno Sedeciæ intelligi, ſed de Iechoniæ captiuitate, & cap. 32. 1. numerat duodecimum annum & c. 33. ver. 21. Porrò quod ſæpe monuimus Prophetas in compingendis vaticiniis ordinem temporum non ſeruare, ex hoc loco perſpicuum eſt. Nam cap. 26. poſita eſt prophetia aduerſus Tyrum, quam vndecimo captiuitatis anno ſe accepiſſe dicit: hîc prophetia contra Pharaonem ponitur, quam vno antè anno habuerat. Fuit tamen mutandi ordinis aliqua ratio, ac, vt mihi quidem videtur, triplex; prima, quod quamuis priùs habuerit prophetiam aduerſus Ægyptum; quàm aduerſus Tyrum, & Sidonem: tamen priùs Tyrus, quàm Ægyptus vaſtanda erat: cùm Babyloniis remunerationis gratia ob euerſam Tyrum Ægyptus in prædam data ſit, vt dicitur ver. 18. & 19. Altera quòd Tyrus, & Sidon vicinior eſſet Ieroſolymis, quàm Ægyptus; itaque maluit Propheta locorum, quàm temporum ordinem ſeruare. Tertia, quam affert R. Dauid,

Propheta in compingendis vaticiniis non ſemper ordinem temporum ſeruant. Cur Ezechiel non ſeruauerit, hoc loco triplex ratio auctoris.

quòd

quòd Ezechiel alteram prophetiam contra Pharaonem anno vigeſimo ſeptimo captiuitatis acceperit, vt conſtat ver. 17. & voluerit vtramque ſimul ponere.

2. *Pone faciem tuam.*] Conuerte te, verte orationem tuam, aut, intrepidè & conſtanter loquere, vt cap. præcedenti ver. 21. & cap. 25. ver. 2. & c. 20. 46. & cap. 13. 17. & cap. 6. 2.

3. *Ecce ego ad te.*] Venio, aut aliquid huiuſmodi vt cap. præcedenti ver. 22. & cap. 26. 3. & cap. 21. 3. & cap. 13. 8. 20. & cap. 5. 8. *Draco magne.* Draconem magnum vocat התנים. cete, balenam, aut crocodilum, quia omnes alias gentes, ſicut magnus piſcis paruos, deuorabat, vt declarat ver. 4. Simulque alludit ad Nilum celeberrimum Ægypti fluuium, vbi frequentes erant crocodili: ideo dicit, *Qui cubas in medio fluminum tuorum. Meus eſt fluuius.* לי יאורי. meus eſt fluuius meus, aut riuulus meus, id enim propriè nomen ſignificat. Vocat autem riuulum, ſingulari poſito pro plurali, non ipſum Nilum, qui maximum erat flumen; ſed aquæ ductus, quos rex per totam Ægyptum, ad irrigandam regionem fecerat. Hoc eſt, quod dicit. *Et ego feci memetipſum.* ואני עשיתני & ego feci mihi ipſi (riuulos.) Quaſi dicat, mea ſapientia, induſtria, & potentia Nilum per totam Ægyptum deriuaui, vt interpretatur R. Dauid, putat enim poſitum eſſe עשיתיני. pro, עשיתי לי feci me, pro, feci mihi; aut, ſicut R. Salomon. & Chaldeus Paraphaſtes exponunt, Ego feci me mea induſtria regem magnum, qualis ſum.

4. *Et ponam frenum.*] H. חחיים. quos Hebræi, & Chaldæus Paraphraſtes hamos interpretantur. Senſuſque rectè conuenit: loquitur enim de Pharaone tanquam de magno aliquo piſce: vt de Leuiathan apud Iob c. 40. ver. 19. & 20. *In oculis eius quaſi hamo capiet eum, & in ſudibus perforabit nares eius.* Hamum autem vocat hoc loco regem Babylonis, & eius exercitum, per quem Ægyptus vaſtata eſt. *Et agglutinabo piſces.* principes tuos & ciues. quaſi dicat, capiam te cum omnibus tuis principibus, & ciuibus.

5. *Proiiciam te in deſertum.*] Perſeuerat in metaphora piſcis, qui ex aquis tractus, & in aridam proiectus continuò moritur. Significat ergo fore, vt rex Ægypti ex Nilo, quaſi piſcis extrahatur, & in Chaldæam aridam terram captiuus ducatur, ibique moriatur, neque colligatur ſicut boni piſces colligi ſolent, id eſt, non ſepeliatur, ſed à beſtiis, atque volucribus deuoretur, ſimilis locus infrà cap. 32. 4.

Hamum vocat regem Babylonis.

6. *Pro eo quòd fuiſti.*] יען היותם. quia fuerunt *baculus arundineus domui Iſraël*, id eſt, quia cùm deberent illi propter fœdus, quod cum illa contraxerant, auxilium ferre, perniciem attulerunt. Irritatus enim Deus, quòd Iudæi ab Ægyptiis auxilium peterent, eos in poteſtatem Chaldæorum tradidit, vt apparet Ierem. 2. ver. 18. & 36. & Iſai. 36. 6. *Baculus* autem *arundineus* in prouerbio erat, deque homine dicebatur, qui cùm prodeſſe vellet, nocebat; ſicut baculus arundineus, qui dum eo nitimur, fractus manum perforat. Metaphora ab Iſaia declaratur, cap. 36. 6. *Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: ſic Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* Eodem modo; 4. Regum 18. 21. Id explicatur verſu ſequenti.

Baculus arundineus, prouerbij loco in ſcriptura quid denotet.

7. *Quando apprehenderunt te manu.*] id eſt, cùm Iudæi auxilio tuo vti voluerunt, Ierem. 37. 4. *Confractus es,* id eſt, ſoluiſti, aut, non potuiſti auxilium illis ferre, quia cùm exercitus Pharaonis ex Ægypto in Iudæorum auxilium egreſſus

eſſet,

eſſet, ſiue metu, ſiue à Chaldæis profligatus in Ægyptum rediit, vt Ieremias prædixit, cap. 37. ver. 7. *Et lacerasti omnem humerum*. id eſt, totum brachium vſque ad humerum, id eſt, in cauſa fuiſti, vt altera pars Iudæorum, quæ Iechonia in captiuitatem ducto Ieroſolymis remanſerat, quaſi alterum brachium à manu vſque ad humerum, id eſt, à minimo ciue vſque ad regem Sedeciam vulneraretur, aut in captiuitatem iret. *Et diſſoluiſti omnes renes eorum*, id eſt, feciſti, vt fracto baculo conciderent, cùm renes illis diſſoluerentur, ac deficerent: Qui enim renibus dolent, non poſſunt ſine baculo ſtare. Per renes autem vires ſignificantur. quaſi dicat, Cùm tu illis auxilium, quod promiſeras, non præſtitiſſes, non potuerunt ſtare, & regi Babylonis reſiſtere. H. והעמדת להם כל מתנים. & ſtare feciſti eis omnes renes, id eſt, feciſti vt tuis viribus deſtituti, ſuis tantùm viribus innixterentur, quæ admodũ erant infirmæ: Qui enim baculo nituntur, incurui ſunt: fracto autem baculo, neceſſe eſt, vt, ſi poſſunt, erigantur, & ſeſe ſuis viribus ſuſtentent. Ita R. Dauid. Alij Hebræi, vt ille refert putant העמדת. per litterarum tranſpoſitionem pro, המעדת. ductum eſſe; quod ſignificat nutare, & ruinam minari: quaſi dicat, effeciſti, vt fracto baculo vacillarent, & corruerent renes eorum, id eſt, vt ſtare non poſſent.

9. *Pro eo quòd dixerit*] ſuprà vet. 3.

Siene principium regni Ægypti, Æthiopiæ terminus.

10. *Ecce ego ad te.*] Contra te venio, vt ver. 3. *A turre Siene*, id eſt, à principio vſq; ad finem. Nam Siene, aut, vt Hebræi dicunt, Seueneh, principium erat regni Ægypti, vt Solinus ait c. 45. inter mare rubrum, & Nilum: Æthiopia verò in finibus erat Ægypti ad occaſum meridionalem.

In medio eſſe aliorum idem quod ſimilem eſſe aliis.

12. *In medio terrarum.*] id eſt, ſimilem cæteris terris deſertis faciam illam. Hebraïſmus: Qualis ille Lucæ c. 22. 27. *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*, id eſt, ſimilis vobis. Nam qui in media aliorum turba eſt, illis ſimilis eſſe; idem Hebraïſmus eſt, c. ſequenti ver. 7.

14. *Captiuitatem Ægypti.*] Captiuos, vt infrà c. 39. 25. & Ierem. 29. 14. & 31. 23. & 32. 44. & 48. 47. *In terra Phatures*. Ciuitas erat verſus meridionales fines Ægypti Ierem. 44. 1. longiſſimè à Chaldæa. Itaque vult dicere fore vt eos reducat vſque ad poſtremam partem Ægypti. *Et erunt regnum humile*; Quia nunquam poſtea regnum Ægypti tam potens fuit, quàm antè fuerat.

16. *Neque erunt vltrà domui Iſraël.*] id eſt, non vltrà confidet in eis domus Iſraël, cùm viderit eos deiectos, & fractos eſſe; Quemadmodum non confidimus in baculo, poſtquam fractus eſt. *Docentes iniquitatem*, Vt Ægyptij docẽãt eos iniquitatem propter conſuetudinem, quæ inter ipſos erat. Nam *commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum.* Pſalm. 105. 35. H. למבטח מזכיר עון. In confidentiam facientem recordari iniquitatem, id eſt, punire. Deus enim propter fiduciam, quam Iudæi in Ægyptiis poſuerunt, puniuit eos. *Vt fugiant*. Iudæi in Ægyptum, vt Ieremiæ c. 43. Intelligitur præcedens negatio, Non erunt confidentia, ad quam confugiant. H. בפנותם אחריהם, vt poſt eos reſpiciant, ſcilicet Iudæi poſt Ægyptios, eodem ſenſu.

17. *Vigeſimo ſeptimo anno.*] Captiuitatis Ioachin. Nam Sedecias non tot regnauit annos. Ex quo perſpicuum eſt, etiam ſuperioribus locis annos captiuitatis, non regni Sedeciæ computari. *In primo*. menſe; phraſis Hebraïca, quam cap. 1. ver. 1. explicauimus. *Vna menſis*. id eſt, prima die menſis, vſitatus Hebraïſmus, qualis ille, Geneſ. 1. 5. *factum eſt veſpere & manè dies vnus*, id eſt, primus, & Ioan. 20. 1. 19. & Lucæ 24. 1. *vna ſabbati*. id eſt, prima die hebdomadis. Hæc eſt altera prophetia aduerſus regem Ægypti, quam Ezechiel decem & ſeptem annis poſt primam accepit.

Hebraïſmus duplex.

18 *Ser-*

18. *Seruitute magna.*] magno cum labore,ita vt nullus miles eſſet, qui aſſiduitate geſtandæ galeæ non eſſet caluus;& lignorum, aliarúmque rerum ad expugnationem neceſſariarum, non haberet attritos humeros.

19. *Dabo.*] ponam & conſtituam eum in terra Ægypti. Hebraïcè. Dabo Nabuchodonoſori regi Babylonis terram Ægypti. *Et accipiet multitudinem eius.* Captiuam ducet omnem plebem eius.

20. *Et operi.*] Operi dedi ei,id eſt,operi eius dedi,relatiuo Hebræorum more redundante ; aut, propter opus,quo ſeruiuit mihi,dedi ei terram Ægypti. Rectè D. Hieronymus ex hoc loco colligit , Deum etiam infidelium bona opera remunerare.

Deum etiam Infidelium bona opera remunerare ex hoc loco D. Hieronymus colligit.

21. *Pullulabit cornu.*] אצמיח.pullulare faciam cornu domui Iſraël. Cornu per metaphoram regnum , & robur appellat , quia tauris in cornibus robur eſt , vt Pſal.131.17.*Illuc producam cornu Dauid , paraui lucernam Chriſto meo. Et tibi dabo apertum os*,id eſt,loquendi inter eos libertatem.Cùm enim viderint omnia,quæ prædixeras accidiſſe,credent tibi,poteríſque apertè, ac liberè, non ſicut hactenus per parabolas illis loqui,vt dixit ſuprà c. 24. 27. *In die illa aperietur os tuum, cum eo qui fugit,& loqueris,& non ſilebis vltrà.*

Cornu *regnum , & robur ſignificat in ſcriptura.*

CAPVT XXX.

*ET factum eſt verbum Domini ad me,dicens : 2 Fili hominis , propheta
& dic , Hæc dicit Dominus Deus : Vlulate,væ væ diei : 3 quia iuxta eſt
dies,& appropinquat dies Domini : dies nubis,tempus Gentium erit. 4 Et
veniet gladius in Ægyptum : & erit pauor in Æthiopia , cùm ceciderint vulnerati in
Ægypto,& ablata fuerit multitudo illius,& deſtructa fundamenta eius. 5 Æthiopia,& Libya,& Lydi,& omne reliquum vulgus & Chub,& filij terræ fœderis : cum eis
gladio cadent. 6 Hæc dicit Dominus Deus , Et corruent fulcientes Ægyptum , &
deſtruetur ſuperbia imperij eius: à turre Syenes gladio cadent in ea , ait Dominus Deus
exercituum : 7 & diſſipabuntur in medio terrarum deſolatarum , & vrbes eius in
medio ciuitatum deſertarum erunt. 8 Et ſcient quia Dominus , cùm dedero ignem in
Ægypto,& attriti fuerint omnes auxiliatores eius. 9 In die illa egredientur nuntij
à facie mea in trieribus ad conterendam Æthiopiæ confidentiam, & erit pauor in eis in
die Ægypti:quia abſque dubio veniet. 10 Hæc dicit Dominus Deus. Et ceſſare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis. 11 Ipſe &
populus eius cum eo fortiſſimi Gentium adducentur ad diſperdendam terram : & euaginabunt gladios ſuos ſuper Ægyptum , & implebunt terram interfectis. 12 Et faciam
alueos fluminum aridos,& tradam terram in manus peſſimorum,& diſſipabo terram &
plenitudinem eius in manus alienorum,ego Dominus locutus ſum. 13 Hæc dicit Dominus Deus, Et diſperdam ſimulachra , & ceſſare faciam idola de Memphis , & dux de
Terra-Ægypti non erit ampliùs : & dabo terrorem in Terra-Ægypti. 14 Et diſperdam terram Phathures , & dabo ignem in Taphnis, & faciam iudicia in Alexandria:
15 Et effundam indignationem meam ſuper Peluſium robur Ægypti , & interficiam
multitudinem Alexandriæ, 16 & dabo ignem in Ægypto: quaſi parturiens dolebit
Peluſium,& Alexandria erit diſſipata,& in Memphis anguſtiæ quotidianæ. 17 Iuuenes Heliopoleos , & Pubaſti gladio cadent, & ipſæ captiuæ ducentur. 18 Et in Taphnis
nigreſcet dies,cùm contriuero ibi ſceptra Aegypti,& defecerit in ea ſuperbia potentiæ eius:
ipſam nubes operiet,filiæ autem eius in captiuitatem ducentur. 19 Et iudicia faciam in*

Ægypto: & ſcient quia ego Dominus. 20 *Et factum eſt in vndecimo anno, primo men-*
ſe, in ſeptima menſis, factum eſt verbum Domini ad me dicens, 21 *Fili hominis, bra-*
chium Pharaonis regis Ægypti confregi: & ecce non eſt obuolutum, vt reſtitueretur ei
ſanitas, vt ligaretur pannis & faſciaretur linteolis, & recepto robore poſſit tenere gladium.
22 *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, &*
comminuam brachium eius forte, ſed confractum; deiiciam gladium de manu eius, 23 *&*
diſpergam Ægyptum in Gentibus, & ventilabo eos in terris. 24 *confortabo brachia*
regis Babylonis, daboque gladium meum in manu eius: & confringam brachia Pharao-
nis, & gement gemitibus interfecti coram facie eius. 25 *Et confortabo brachia regis*
Babylonis, & brachia Pharaonis concident: & ſcient quia ego Dominus, cùm dedero
gladium meum in manum regis Babylonis, & extenderit eum ſuper terram Ægypti.
26 *Et diſpergam Ægyptum in nationes, & ventilabo eos in terras, & ſcient quia ego*
Dominus.

PLANGIT depopulationem Ægypti vſque ad verſum 20. ſicut planxit Tyrum ſuprà cap. 27. Deinde ponit aliam contra eandem Ægyptum prophetiam, quam acceperat vndecimo captiuitatis anno.

2. *Vlulate.*] O Ægyptij dicentes, *Væ diei*, id eſt, ô diem illum miſerabilem, & infælicem, quo Ægyptus vaſtata eſt.

Dies Domini, & dies nubis quid ſignificent.

Ioel. cap. 2.

3. *Quia eſt iuxta dies.*] כי קרוב יום. quia appropinquauit dies, appropinquauit, inquam, *dies Domini* id eſt, quo Dominus de Ægyptiis vltionem ſumet, ſicut dies iudicij dies Domini vocatur, 1. Corint. 5. 5. & 2. Cor. 1. 14. & 1. Theſſal. 5. 2. *Dies nubis*, aduerſa, triſtis; ſicut Latini dicunt atram diem, id eſt, infælicem, & calamitoſam. Eadem phraſis eſt infrà c. 34. v. 12. & apud Ioëlem c. 2. 2. *Tempus gentium*, Chaldæorum; dicitur dies Chaldæorum, quo Chaldæi oſtendent in Ægypto potentiam ſuam, facientq; quidquid volent; ſicut dicitur dies Domini, quo facit quidquid vult.

4. *Et erit pauor.*] aut, dolor. הלחלה. in Æthiopia. Æthiopia Ægypto ad meridiem, & occaſum vicina eſt. Significat ergo tantam Ægypti calamitatem futuram eſſe, vt omnes vicinæ gentes contremiſcant: vnam enim gentem pro omnibus poſuit. *Et ablata fuerit multitudo illius*, id eſt, plebs eius in captiuitatem ducta, vt cap. præcedenti v. 19.

Lib. 4. Geogra. cap 5.

5. *Chub.*] Symmachus, vt auctor eſt Hieronymus, Arabiam eſſe exiſtimauit. Sunt qui putent hos eſſe eos, quos Ptolomæus Cobios appellat. *Et filij terræ fœderis.* omnes alij, qui cum Ægypto confœderati ſunt. Hebraïſmus, qui verſu ſequenti declaratur.

6. *Fulcientes Aegyptum.*] Omnes gentes, quæ Ægyptiis auxilio eſſe ſolent. *Et deſtruetur.* וירד & concidet ſuperbia, faſtus, gloria. עוז. fortitudinis eius, vt ſuprà cap. 24. 21. *A turre Sienes, vſque ad terminos Aethiopiæ*, id eſt, per totam Ægyptum; vt dixit cap. præcedenti ver. 10.

7. *In medio terrarum.*] id eſt, ſicut cæteræ terræ deſolatæ, & ſicut cæteræ vrbes deſertæ, vt cap. præcedente ver. 12. vbi Hebraïſmum explicauimus.

8. *Cùm dedero ignem.*] Cùm fecero vt Chaldæi totam Ægyptum igne incendant. Alij metaphoricè omne genus calamitatis ignem vocari putant.

9. *Egredientur nuntij à facie mea.*] id eſt, proficiſcentur nuntij ex Ægypto in Æthiopiam nauibus, qui nuntiantes Ægypti calamitatem, Æthiopiæ, quæ priùs nimiùm ſecura, & confidens erat, terrorem incutiat. Dicit autem Deus à facie ſua profecturos, quia eius conſilio, ac prouidentia profecturi erant. *Et erit*

pauor

pauor in eis. Æthiopibus. *In die Ægypti*, calamitatis Ægypti. paſſiuè dicitur cùm actiuè dici ſoleat, vt adnotauimus ver. 2. *Quia abſque dubio*. כי הנה באה. quia ecce venit, id eſt, citò veniet (pauor, vt Hebraïcè conſtat ex genere fœminino) id eſt, quia propè imminet, quod timebant.

10. *Et ceſſare faciam.*] Redundat coniunctio *&*, Hebræorum more. Senſus autem eſt, faciam vt Nabuchodonoſor omnem Ægypti multitudinem captiuam ducat, ita vt terra deſerta maneat. Alij, vt Chaldæus Paraphraſtes, ceſſare faciam. המון. tumultum Ægypti, id eſt, negotiatorum concurſum, aut, ſtrepitum populi, quod ad primam interpretationem redit.

12. *Et faciam alueos fluminum.*] יארים. riuulos, alludens ad riuulos, quibus tota Ægyptus irrigatur. Dicit autem fore vt omnes riuuli areſcant præ multitudine militum, ſicut gloriatur Sennacherib, 4. Regum 19. 24. *Bibi aquas alienas, & ſiccaui veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas*. Alij metaphoricè, vt Rab. Dauid, per riuos diuitias intelligunt. quaſi dicat, exhauriam totam Ægyptum opibus; vocauit autem opes riuulos, vt alluderet ad riuulos Nili, quibus Ægyptus diues; & fertilis fiebat. *In manus peſſimorum*, Chaldæorum: peſſimos autem vocat, id eſt, crudeles, vt Ierem, cap. 6. ver. 23. *Crudelis eſt, & non miſerebitur*. & Threnor. cap. 4. ver. 16. *Neque ſenum miſerti ſunt*. & cap. 5. ver. 12. *Facies ſenum non erubuerunt*.

13. *De Memphis.*] Notiſſima eſt, & non ſolùm in ſacris, ſed etiam in prophanis libris celeberrima ciuitas Ægypti non longè ab oſtiis Nili. Vide Iſai. cap. 19. 13. & Ierem. cap. 46. 14. 19. Omnes etiam, quæ ſequuntur notæ ſunt Ægypti ciuitates.

14. *Faciam iudicia.*] grauiter puniam Alexandriam. H. נא. No. quam noſter interpres, & Chaldæus Paraphraſtes, & omnes Hebræi Alexandriam eſſe dicunt, vt R. Salom. & Rab. Dauid hoc loco: quamquam tunc, cùm Ezechiël ſcribebat, nondum Alexandria vocabatur: poſtea enim ab Alexandro Macedone, vt ait Hieronymus nomen accepit. Sept. *διόσπολιν*, Dioſpolin vertunt. *Alexandria Hebraicè No.*

17. *Pubaſti.*] פי־בסת. Pibeſeth; noſter interpres, & Sept. Pubaſtum vertunt: ponitur à Geographis ad oſtium primum orientale Nili prope Peluſium.

18. *Nigreſcet dies.*] Obſcurabitur, vertetur in noctem præ hominum triſtitia; vt Ierem. 15. 9. *Occidit ei Sol, cùm adhuc eſſet dies*. & Amos 8. 9. *Occidet Sol in meridie*. Similis phraſis infrà cap. 32. 7. & Ioël. cap. 2. 10. 31. & cap. 3. 15. *Nubes operiet*. mœror, & triſtitia, vt ver. 3. *dies nubis, tempus Gentium*.

20. *Et factum eſt in vndecimo anno.*] captiuitatis Ioachin, vt cap. præcedenti ver. 17. qui idem vndecimus ac poſtremus fuit regni Sedeciæ, 4. Regum cap. 25. 2. & Ierem. cap. 39. 2. & 52. 5. Hic etiam videmus ordinem temporum non ſeruari, quemadmodum ſuprà cap. 29. ver. 1. Ideo tamen mihi videtur ea, quæ anno vndecimo Propheta viderat, hoc loco cum iis, quæ vigeſimo ſeptimo anno acceperat, narrare voluiſſe, quia veluti confirmatio quædam ſunt eorum, quæ de Ægypti vaſtatione vaticinabatur. *Cur ordinem temporum non hic ſeruet Propheta.*

21. *Brachium Pharaonis regis confregi.*] Rab. Salomon, & Rab. Dauid referunt hoc ad pugnam, quam rex Ægypti Nechao cum rege Babylonis iniit in Charcamis, 2. Paralipom. 35. 20. & ab eo victus eſt, Ierem. cap. 46. 2. *Et vltrà non addidit rex Ægypti, vt egrederetur de terra ſua: tulerat enim rex Babylonis à riuo Ægypti vſque ad fluuium Euphratem omnia, quæ fuerant regis Ægypti*; vt eſt 4. Regum cap. 24. 7. Significat ergo hoc loco fore, vt rex Ægypti regi Babylonis reſiſtere non poſſit, quia ex ſuperiore pugna fractum habet brachium, id eſt,

Digitized by Google

debilitatas vires,ita vt gladium tenere non poſſit.Nec enim eius brachium obuolutum, & medicamentis curatum fuiſſe, id eſt, numquam priſtinas vires recuperaſſe, & ea quæ perdiderat a riuo Ægypti vſque ad fluuium Euphratem. Alij minùs aptè per futurum interpretantur, Confringam.

22. *Comminuam.*] Omnino frangam brachium eius, quod ideò facilè fiet, quia quamuis forte ſit, tamen iam quaſſatum eſt atque debilitatum ſuperiore bello. Hebr. ושברתי את זרועתיו את החזקה ואת הנשברת. & confringam brachia eius & forte, & confractum, vt Septuaginta verterunt: quod Hebræi ſic interpretantur, Confringam vtrumque brachium eius; nam alterum iam confractum eſt, quod eſt illa pars regni,quæ illi ablata eſt à riuo Ægypti vſque ad flumen Euphratem: alterum autem ſecundo bello confringam, id eſt,quod reliquum illi regni fuerat, tollam; ita vt neutra iam manu gladium tenere poſſit: nam antè altera ſaltem manu tenere poterat.

24. *Confortabo brachia.*] Iuuabo eum, vires ei ſuppeditabo. *Dabóque gladium meum*, id eſt, cui nemo reſiſtere poteſt; vocat ſuum, quia miniſter erat iuſtitiæ ipſius, & vindex iniuriarum eius. *Et gement.* נאק. gemet, rex Ægypti more hominis, qui interficitur. *Coram facie eius.* quaſi dicat, ſimulatque viderit conſpectum regis Babylonis, metu morietur.

CAPVT XXXI.

ET factum eſt in anno vndecimo, tertio menſe, vna menſis factum eſt verbum
Domini ad me, dicens: 2 Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti, &
populo eius, Cui ſimilis factus es in magnitudine tua. 3 Ecce Aſſur quaſi
cedrus in Libano pulcher ramis, & frondibus nemoroſus, excelſiſque altitudine, & inter
condenſas frondes eleuatum eſt cacumen eius. 4 Aquæ nutrierunt illum: abyſſus
exaltauit illum: flumina eius manabant in circuitu radicum eius, & riuos ſuos emiſit ad
vniuerſa ligna regionis. 5 Propterea eleuata eſt altitudo eius ſuper omnia ligna re-
gionis: & multiplicata ſunt arbuſta eius, & eleuati ſunt rami eius præ aquis multis.
6. Cúmque extendiſſet vmbram ſuam, in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia cœli,
& ſub frondibus eius genuerunt omnes beſtiæ ſaltuum, & ſub vmbraculo illius habitabat
cœtus gentium plurimarum. 7 Erátque pulcherrimus in magnitudine ſua, & in di-
latatione arbuſtorum ſuorum: erat enim radix illius iuxta aquas multas. 8 Cedri
non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei, abietes non adæquauerunt ſummitatem eius, &
platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradiſi Dei non eſt aſſimilatum
illi, & pulchritudini eius: 9 Quoniam ſpecioſum feci eum, & multis condenſiſque fron-
dibus,& æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis quæ erant in paradiſo Dei. 10 Pro-
pterea hæc dicit Dominus Deus, Pro eo quòd ſublimatus eſt in altitudine,& dedit ſummi-
tatem ſuam virentem atque condenſam, & eleuatum eſt cor eius in altitudine ſua.
11 Tradidi eum in manus fortiſſimi Gentium, faciens faciet ei iuxta impietatem eius
eieci eum. 12 Et ſuccident eum alieni & crudeliſſimi nationum, & proiicient eum
ſuper montes, & in cunctis conuallibus corruent rami eius: & confringentur arbuſta eius
in vniuerſis rupibus terræ,& recedent de vmbraculo eius omnes populi terræ,& relinquent
eum 13 In ruina eius habitauerunt omnia volatilia cœli, & in ramis eius fuerunt
vniuerſæ beſtiæ regionis. 14 Quamobrem non eleuabuntur in altitudine ſua omnia
ligna aquarum, nec ponent ſublimitatem ſuam inter nemoroſa atque frondoſa, nec ſta-
bunt in ſublimitate ſua omnia, quæ irrigantur aquis: quia omnes traditi ſunt in mortem
ad

Digitized by Google

ad terram vltimam in medio filiorum hominum ad eos qui deſcendunt in lacum.
15 *Hæc dicit Dominus: In die quando deſcendit ad inferos, induxi luctum, operui*
eum abyſſo, & prohibui flumina eius, & coërcui aquas multas: contriſtatus eſt ſuper eum
Libanus, & omnia ligna agri concuſſa ſunt. 16 *A ſonitu ruinæ eius commoui Gen-*
tes, cùm deducerem eum ad infernum cum his qui deſcendebant in lacum: & conſolata
ſunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano, vniuerſa
quæ irrigantur aquis. 17 *Nam & ipſi cum eo deſcendent ad infernum ad interfe-*
ctos gladio: & brachium vniuſcuiuſque ſedebit ſub vmbraculo eius in medio nationum.
18 *Cui aſſimilatus es, ô inclyte atque ſublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus*
es cum lignis voluptatis ad terram vltimam: in medio incircumciſorum dormies, cum
eis qui interfecti ſunt gladio, ipſe eſt Pharao, & omnis multitudo eius, dicit Dominus
Deus.

DESCRIBIT excellentem gloriam regis Aſſyriorum, vt eam cum gloria Pharaonis regis Ægypti conferat, ſimilémque vtriuſque caſum oſtendat.

1. *Vndecimo anno*] captiuitatis Iechoniæ, vt cap. præcedenti ver. 20. duobus menſibus poſt præteritam prophetiam, hanc accepit. *Tertio menſe*, qui Maio noſtro reſpondet. *Vna menſis*. primà die menſis, vt c. 29. 17. vbi Hebraiſmum explicauimus.

2. *Cui ſimilis factus es?*] Cui te poterimus comparare? adeo magnus tibi eſſe videris. Intelligitur reſponſio, regi Aſſur, aut per negationem, vt alij interpretantur, Nemini, qui non ceciderit. Nam ſi cui comparandus eſſes, regi Aſſur comparandus eſſes; at ille cecidit, cùm multò maior eſſet quàm tu, multò ergo magis tu cades. Ideo ſtatim depingit magnitudinem regis Aſſyriorum, vt oſtendat eum maiorem fuiſſe, quàm regem Ægypti; cúmque ille à Deo cæſus fuerit, hunc etiam eſſe cædendum. Alludit enim fortaſſis ad mortem Sennacherib, & cædem in eius exercitu per angelum factam, 4. Regum cap. 19. ver. 35. & 37.

3. *Ecce Aſſur.*] rex Aſſyriorum. Regem vocat cedrum, potentiam ramos, gloriam frondes. Vſitata metaphora, vt apud Danielem cap. 4. ver. 7. & ſeqq. *Et frondibus nemoroſus*. Hebraïcè חרש מצל. ramuſculis vmbram faciens.

4. *Aquæ nutrierunt illum.*] Aquas vocat diuitias, quæ illi tanquam aqua ad voluntatem affluebant, quæque illum in tantam magnitudinem excreſcere fecerunt. *Abyſſus*. aquarum profunditas, id eſt, inexhauſtus eius theſaurus, fecit illum in tantam altitudinem aſſurgere, quemadmodum aquarum copia creſcere facit arborem. *Et riuos ſuos*, ſuas diuitias; poſtquam ea, quæ ſibi neceſſaria erant, acceperat, ad alios reges liberaliter effundebat; ſicut ex præcipua arbore, cùm ſatis rigata fuerit, aquæ ſolent ad alias minores deriuari.

5. *Super omnia ligna regionis.*] Factus eſt maior cæteris regibus. *Et multiplicata ſunt arbuſta eius*. סרעפותיו. rami eius, vt Sept. verterunt, id eſt, dilatati ſunt fines imperij eius. *Eleuati ſunt rami*. תארכנה & longè producti ſunt rami eius, id eſt, longè propagati fines regni eius. *Cúmque extendiſſet vmbram ſuam*. Heb. non eſt vmbra, neque Septuag. verterunt, ſed בשלחו. cùm ille mitteret. Quod Rab. Dauid ad abyſſum refert, quæ Hebræis maſculini generis eſt. quaſi dicat, longè rami eius propagati ſunt propter aquarum copiam, quam perpetuò abyſſus ad eius radices emittebat.

6. *In ramis eius.*] id eſt, ſub eius ditione, & auctoritate omnes gentes protegebantur, vt apud Dan. cap. 4. ver. 18.

7. *Eritque pulcherrimus.*] Cedrus, quam facit maſculini generis, quia per eam rex Aſſyriorum intelligitur. *In magnitudine.* propter ingentem magnitudinem, & dilatationem arbuſtorum. דליותיו. ramorum eius, notus Hebraïſmus.

8. *In paradiſo Dei.*] quam Deus plantaſſe dicitur, Geneſ. cap. 2. ver. 8. vbi credibile eſt altiſſimas fuiſſe cedros: poteſt hyperbole eſſe. Alij putant paradiſum Dei vocari generaliter amœniſſimum quemque hortum, ſicut dicuntur cedri Dei, & montes Dei, id eſt, altiſſimi. quaſi dicat, nullus hortus tam fertilis reperiri poterit, vt habeat cedros illo altiores. *Summitatē eius.* Heb. סעפותיו. ramos eius. *Et platani.* ערמנים. Rab. Salomon, & Rab. Dauid caſtaneas ſignificare putant. Noſter interpres vbique platanos vertit, vt Geneſ. cap. 30. ver. 37. Hæc omnia idem ſignificant, nullum fuiſſe regem regi Aſſyriorum, aut imperij amplitudine, aut gloria ſimilem.

9. *Quoniam ſpecioſum.*] Rectè noſter interpres cauſalem particulam, *quoniam*, appoſuit, quamuis Hebraïcè non ſit, vt ſententia conſtaret. Adeo enim pulchrum feci eum, vt omnia ligna, id eſt, omnes reges terræ illi inuiderent. Dicit Deus ſe illum feciſſe regem, quia per illum *reges regnant*, Prouerb. 8. 15. *Et ipſe transfert regna, atque conſtituit*, Daniel. 2. 21. & Iob: 12. 18.

11. *In manus fortiſſimi Gentium.*] regis Chaldæorum, qui vbique fortiſſimus dicitur, vt cap. præcedenti ver. 11. Ponit præteritum pro futuro noſter interpres. Nam Hebraïcè futurum eſt אתנהו. tradam eum, id eſt, regem Aſſyriorum. *Faciens faciet.* Hebraïſmus, id eſt, quidquid velit, faciet illi; erit enim in eius poteſtate.

12. *Succident.*] Perſeuerat in metaphora; loquitur enim de illo, tanquam de cedro. *Crudeliſſimi nationum.* Chaldæi, qui crudeles ſemper dicuntur in ſcriptura, vt cap. præcedenti ver. 12. & Ierem. 6. 23. & Thren. 4. 16. & 5. 12. *Corruent rami eius.* Ramos & arbuſta eius vocat populos illi ſubiectos. *Et recedent de vmbraculo eius*; fugient ab eo omnes vicinæ, & confœderatæ gentes, quæ in illius auxilio confidebant, & quaſi aues in eius ramis nidificabant, vt dixit ver. 6.

13. *Habitauerunt.*] præterita pro futuris. Habitabunt, & erunt. Ruinam vocat truncum iacentem ſuccisæ arboris, vbi ſolent arbores inſidere; aut cadauer, ad quod ſolent aues conuolare. quaſi dicat, priùs aues, & beſtiæ erant ſub ramis eius; poſtquam autem corruerit, ſedebunt ſuper eam. id eſt, conculcabunt eam. Significat fore, vt illæ gentes, quæ priùs in regis Aſſyriorum tutela erant, cùm à Chaldæis afflictū viderint, contra eum conuertantur, eúmque diſpoliēt.

14. *Quamobrem.*] Hoc exemplo territi cæteri reges non efferent ſeſe, ne eodem modo cadant; aut, למען אשר לא יגבהו. ne leuent ſe, ſicut Sept. tranſtulerunt. *Ligna aquarum.* Hebraïſmus, quæ aquis abundant, id eſt. reges opibus abundantes. *Quia omnes traditi ſunt.* Quia omnes tradentur, Aſſyrii; Cum viderint Aſſyrios homines præpotentes, tradi in terram vltimam, id eſt, in Infernum detrudi. *In medio filiorum hominum*; more cæterorum hominum ignobilium, neque ſe ſuis poſſe opibus liberare. Duplex Hebraïſmus; alter, *In medio*, id eſt, more, ſicut, ad modum; quem ſuprà declarauimus, cap. 29. 12. & cap. 30. 7. Alter, *Filiorum hominum*. id eſt, filiorum vulgi, non principum, qui plus videntur eſſe, quàm homines; quaſi dicat, homines plebeij, & ignobiles.

Duplex Hebraiſmus.

15. *In die quando deſcendit.*] præterita pro futuris. *In die*, qua deſcenderit *ad Inferos*, inducam luctum. האבלתי. lugere faciam & cooperiam ſuper eum (id eſt, propter eum) abyſſum (ſacco) more ſcilicet lugentium, vt Hebræi interpretātur. quaſi dicat, faciā lugere abyſſum illam, quæ ad radices eius aquas emit-

emittebat,vt dixit ver. 4. lugere autem abyſſum, eſt,aquas non habere;ſicut lugere terram,eſt eſſe ſterilem, Iſai.24.4. Ac ſi dicat, mortuo rege Aſſyriorum exhaurietur eius ærarium ; ſic vt legere videatur. Hoc eſt, quod ſtatim ſequitur, *Et prohibui flumina eius, & coërcui aquas multas. Contriſtatus eſt ſuper eum libanus.* אקדיר עליו.nigreſcere feci propter eum,id eſt, pullà veſte indui, Libanum, montem, in quo cedrus illa altiſſima rex Aſſyriorum erat, vt dixit ver. 3. per Libanum autem intelligit totum regnum,quaſi dicat, induam totum regnum pulla, & lugubri veſte propter mortem eius. *Et omnia ligna agri*,omnes alij reges audito nuntio terrore concutientur, vt indicauit verſ. 14. עלפה. exanimabuntur. *Lugere abyſſum, & terram quid ſit.*

16. *A ſonitu.*] Notus Hebraiſmus, propter ſonitum *ruinæ eius*, propter ſtridorem,aut fragorem. Solet enim arbor magna, cùm cæſa cadit, magnum fragorem edere; & perſeuerat loqui de rege Aſſyriorum tanquam de altiſſima cedro, quæ non poteſt ſine magno fragore cadere. *Et conſolata ſunt.* Omnes alij potentes reges ſimiles amœnis, & irriguis arboribus, & iis, quæ in Libano ſunt, qui in Inferno erunt, videntes regem Aſſyriorum in eumdem locum deſcendentem, conſolabuntur ſe quia ſolatium eſt miſeris ſocios habere.

17. *Ad interfectos gladio*] Cum interfectis gladio, id eſt, nullum inter principes, & plebeios diſcrimen erit. Omnes enim gladio interfecti pariter in Infernum deſcendent. *Et brachium vniuſcuiuſque*, id eſt, vnuſquiſque eorum, qui in Inferno erunt, requieſcet, hoc eſt, conſolationem aliquam capiet ex præſentia eius, tanquam ex vmbra. Solemus enim, cùm quieſcimus, cubito inniti. quaſi dicat, Quemadmodum in hac vita ſub vmbra eius, id eſt, auctoritate quieſcebant ; ita in Inferno eius pœna, veluti vmbra recreabuntur. Hebr. וזרעו ישבו בצלו בתוך הגוים Quod Hebræorum commentarij ſic interpretantur, Et brachium eius, pro brachia eius, quæ habitabant in vmbra eius, in medio gentium,id eſt,omnes principes illi confœderati, aut ſubditi, quos per metaphoram brachia eius appellat. Septuaginta, καὶ τὸ σπέρμα αὐτοῦ, *& ſemen eius*, id eſt, omnes eius poſteri, aut conſanguinei: quaſi legerint וזרע. zargo, pro וזרעו. zerogo.

18. *Cui aſſimilatus es?*] Hæc verba aut regi Aſſyriorum, aut regi Ægypti dici poſſunt. Si Aſſyriorum regi dicantur, ſenſus erit, Tu ô rex Aſſur, qui neminem tibi ſimilem habebas; ecce tamen cecidiſti, & *deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam*, id eſt, infimam, ad Infernum, ſic ergo cadet rex Ægypti. Si regi Ægypti, hic erit ſenſus, Elige, ô Pharao, cuinam ex iſtis tantis regibus ſimilis eſſe velis; nam vnà cum illis in Infernum deſcendes: aut per negationem, vt verſ. 2. *Cui aſſimilatus es?* ſub. an regi Aſſyriorum? quaſi dicat, non; ille enim te maior eſt. Atqui iſte cadet, & tu ergo cades. *Ipſe eſt Pharao.* idem accidet Pharaoni, & populo eius. Aut ſit ſubiectio; Cui ſimilis eſt rex Aſſur, & cuius figuram gerunt ea, quæ de illo dicta ſunt? Pharao eſt, cui ſim ilis eſt, & cuius figuram gerunt. *In medio incircumciſorum*, id eſt, more eorum, qui incircumciſi ſunt, vt ſuprà capite 8. ver 10. quamuis alio ſenſu.

CAPVT XXXII.

ET *factum eſt duodecimo anno, in menſe duodecimo, in vna menſis, factum eſt verbum Domini ad me, dicens:* 2 *Fili hominis aſſume lamentum ſuper Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum: Leoni Gentium aſſimilatus es, & dra-*

& draconi qui eſt in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas
pedibus tuis, & conculcabas flumina earum. 3 Propterea hæc dicit Dominus Deus:
Expandam ſuper te rete meum in multitudine populorum multorum, & extr. ham te in
ſagena mea. 4 Et proiiciam te in terram, ſuper faciem agri abiiciam te, & habitare fa-
ciam ſuper te omnia volatilia cœli, & ſaturabo de te beſtias vniuerſæ terræ. 5 Et dabo
carnes tuas ſuper montes, & implebo colles tuos ſanie tua. 6 Et irrigabo terram fœtore
ſanguinis tui ſuper montes, & valles implebuntur ex te. 7 Et operiam cùm extinctus
fueris cœlos: & nigreſcere faciam ſtellas eius, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen
ſuum. 8 Omnia luminaria cœli mœrere faciam ſuper te: & dabo tenebras ſuper terram
tuam, dicit Dominus Deus. 9 Et irritabo cor pupulorum multorum, cùm induxero con-
tritionem tuam in Gentibus ſuper terras quas neſcis. 10 Et ſtupeſcere faciam ſuper te po-
pulos multos, & reges eorum horrore nimio formidabunt ſuper te, cùm volare cœperit gla-
dius meus ſuper facies eorum, & obſtupeſcent repentè ſinguli pro anima ſua in die ruinæ tuæ.
11 Quia hæc dicit Dominus Deus, Gladius regis Babylonis veniet tibi 12 In gladiis
fortium deiiciam multitudinem tuam, inexpugnabiles omnes gentes hæ: & vaſtabũt ſuper-
biam Ægypti, & diſſipabitur omnis multitudo eius. 13 Et perdam omnia iumenta eius,
quæ erant ſuper aquas plurimas: & non conturbabit eas pes hominis vltrà, neque vngula
iumentorum turbabit eas. 14 Tunc puriſſimas reddam aquas eorum, & flumina eorum
quaſi oleum adducam, ait Dominus Deus. 15 Cùm dedero terram Ægypti deſolatam:
deſeretur autem terra à plenitudine ſua, quando percuſſero omnes habitatores eius: &
ſcient quia ego Dominus. 16 Planctus eſt, & plangent eum: filiæ gentium plangent
eum: ſuper Ægyptum, & ſuper multitudinem eius plangent eum, ait Dominus Deus.
17 Et factum eſt in duodecimo anno, in quintadecima menſis factum eſt verbum Domi-
ni ad me, dicens: 18 Fili hominis cane carmen lugubre ſuper multitudinem Aegypti:
& detrahe eam ipſam & filias Gentium robuſtarum ad terram vltimam cum his qui de-
ſcendunt in lacum. 19 Quò pulchrior es? deſcende, & dormi cum incircumciſis. 20 In
medio interfectorum gladio cadent: gladius datus eſt, attraxerunt eam, & omnes populos
eius. 21 Loquentur ei potentiſſimi robuſtorum de medio inferni, qui cum auxiliatori-
bus eius deſcenderunt, & dormierunt incircumciſi, interfectique gladio. 22 Ibi Aſſur
& omnis multitudo eius, in circuitu illius ſepulchra eius: omnes interfecti, & qui ceciderunt
gladio. 23 Quorum data ſunt ſepulchra in nouiſſimis laci: & facta eſt multitudo eius
per gyrum ſepulchri eius: vniuerſi interfecti, cadentéſque gladio qui dederant quondam
formidinem in terra viuentium. 24 Ibi Aelam, & omnis multitudo eius per gyrum ſe-
pulchri ſui, omnes hi interfecti ruentéſque gladio, qui deſcenderunt incircumciſi ad terram
vltimam: qui poſuerunt terrorem ſuum in terra viuentium, & portauerunt ignominiam
ſuam cum his qui deſcenderunt in lacum. 25 In medio interfectorum poſuerunt cu-
bile eius in vniuerſis populis eius: in circuitu eius ſepulchrum illius, omnes hi incircumciſi,
interfectique gladio, dederunt enim terrorem ſuum in terra viuentium, & portauerunt
ignominiam ſuam cum his qui deſcendunt in lacum, in medio interfectorum poſiti ſunt.
26 Ibi Moſoch & Thubal, & omnis multitudo eius: in circuitu eius ſepulchra illius, om-
nes hi incircumciſi, interfectiq; & cadentes gladio: quia dederunt formidinem ſuam in terra
viuentium. 27 Et non dormient cum fortibus, cadentibúſque & incircumciſis qui
deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis: & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus
ſuis, & fuerunt iniquitates eorum in oſſibus eorum: quia terror fortium facti
ſunt in terra viuentium. 28 Et tu ergo in medio incircumciſorum contereris, &
dormies cum interfectis gladio. 29 Ibi Idumæa & reges eius, & omnes du-
ces eius, dati ſunt cum exercitu ſuo cum interfectis gladio: & qui cum incir-
cumciſis dormierunt, & cum his qui deſcenderunt in lacum. 30 Ibi principes
Aquilonis

Digitized by Google

Aquilonis omnes, & vniuerſi venatores: qui deducti ſunt cum interfectis: pauentes & in ſua fortitudine confuſi: qui dormierunt incircumciſi cum interfectis gladio, & portauerunt confuſionem ſuam cum his qui deſcendunt in lacum. 31 *Vidit eos Pharao, & conſolatus eſt ſuper vniuerſa multitudine ſua, quæ interfecta eſt gladio, Pharao & omnis exercitus eius, ait Dominus Deus,* 32 *quia dedit terrorem ſuum in terra viuentium, & dormiuit in medio incircumciſorum cum interfectis gladio, Pharao & omnis multitudo eius: ait Dominus Deus.*

IVBETVR Propheta lugubre carmen in regem Ægypti dicere, eiúſque interitum prænuntiare.

1. *Duodecimo anno.*] Miror Hebræos, & qui nimiò quodam ſtudio eos ſectantur, pergere etiam hoc loco interpretari duodecimum annum regni Sedeciæ cùm tam apertè, & tam multis locis ſcriptura doceat eum vndecim tantùm annos regnauiſſe, 4. Regum 24. 18. & c. 25. 2. & Ierem. 39. 2. & 52. 5. Duodecimum ergo annum captiuitatis Iechoniæ accipere debemus, vt ſuperioribus locis cap. 31. 1. & 29. 1. 17. & c. 26. 1. & 24. 1. & 20. 1. & 8. 1. & 1. 2. Adnotat Hieronymus nonnullos interpretes annum decimum, menſem verò duodecimum: alios autem annum duodecimum, menſem decimum reddidiſſe. Sed manifeſtus eſt error. *In vna menſis.* prima die menſis, vt c. 29. 1. & c. 31. 1. vbi phraſis explicata eſt. *Hebræi & Hebraizantes confutantur.*

2. *Aſſume lamentum.*] שא קינה. ſume carmen lugubre, id eſt, cāta clara voce, tolle, vt ſuprà c. 26. 17. & c. 27. 2. *Leoni gentium*, id eſt, qui gentes deuorabat; aut, quod eſt leo inter beſtias, hoc tu es inter Gentes, vt R. Dauid interpretatur. *Et draconi, qui eſt in mari.* כתנים. cete, balænæ quæ eſt in aquis, quæ præ magnitudine aquas naribus exſufflare, & in ſublime iactare ſolet, maréque commouere. Hoc eſt quod dicit. *Ventilabas cornu in fluminibus,* תגח. exſufflabas. *Flumina eorum.* Relatiuum Hebraicum ſine antecedente, vt ſæpe accidit, niſi fortaſſis ad Gentes referatur. Comparat Pharaonem balænæ, quia inter aquas Nili habitabat, quibus omnis Ægyptus irrigabatur, vt ſuprà cap. 29. 3. Dicit autem ventilare aquas, & turbare flumina, quia omnes gentes bellis miſcebat; alludens ad Nilum, qui erat turbidis aquis, & cùm exundabat, omnem terram operiebat.

3. *Expandam ſuper te rete.*] loquitur tanquam de leone, & tanquam de balæna: propterea vtitur nomine retis, quo feræ; & ſagenæ, qua piſces capi ſolent, vt ſuprà c. 12. 13. & c. 17. 20. & c. 19. 8. Dicit autem, *In multitudine populorum*, quia ſolent multi ſimul populi ad capiendum leonem, & balænam conuenire. Per populos intelligit Chaldæos.

4. *Proiiciam te in terram.*] Alludit ad piſces, qui capti in terram proiiciuntur vt moriantur, quia extra aquas viuere non poſſunt. ſimilis locus ſuprà c. 29. 5. *Et habitare faciam ſuper te.* Inſidere cadaueri tuo, ſicut ſolent aues cadaueribus inſidere; ſicut dixit c. præced. v. 13. *In ruina eius habitauerunt omnia volatilia cœli.*

5. *Et implebo colles tuos ſanie tua.*] Saniem dixit, vt vertit Hieronymus quia piſces non habent ſanguinem, ſed ſaniem: Quamquam Sept. ſanguinem verterunt. H. ומלאתי הגאיות רמותך. Et implebo valles altitudine tua, id eſt, altiſſimis aceruis cadauerum exercitus tui. vt R. Dauid, & Chaldæus Paraphr. interpretantur. quaſi dicat, omnia cadaueribus plena erunt; & montes, quia qui ſalutis cauſa in montes confugerint, ibi occidentur; & reliqua multitudo, quæ in vallibus erit, trucidabitur ſic, vt cadaueribus valles impleantur. Alij vt refert idem Hebræus, exponunt, Implebo valles altitudine tua, id eſt, exercitu tuo, *Piſces pro ſanguine ſaniem habent.*

KKk quo

quo tantopere ſuperbiebas.

6. *Et irrigabo terram fœtore.*] Sanguine tuo fœtido, qui ſuper montes effundetur, indéq; ad irrigadā terram defluet. והשקיתי ארץ צפתך אל מדמך ההרים. & rigabo terram tuam natantem ex ſanguine tuo vſque ad montes. Quod R. Dauid in comment. & in lib. rad. ſic exponit, rigabo terram tuam. quæ priùs natare ſolebat aquis, non iam aqua, ſed ſanguine tuo, id eſt, exercitus tui nec ſolùm valles vt antè, ſed ipſos etiam montes: aut, vſque ad montes, id eſt, ita vt ſanguis vſque ad montes aſcendat. *Et valles implebuntur ex te*, id eſt, ex ſanguine tuo, & exercitus tui. Hæc omnia hyperbolycè dicta ſunt.

Hyperbola Prophetica.

7. *Operiam cœlos.*] Tantus vbique te extincto luctus erit, vt cœlum, ſol, & luna, omnéſque ſtellæ obſcurari videantur, quaſi tu priùs ſplendore tuo hæc omnia colluſtrares. propterea vſus eſt delinquendi verbo כסה. quia comparat illum maximæ faci, qua extincta tenebris omnia conteguntur.

9. *Et irritabo cor.*] Commouebo, perterrefaciam. ſic interpretor hoc loco verbum הכעסתי. non enim ſignificat fore vt omnes populi audito eius interitu iraſcantur, ſed vt contremiſcant, vt declarat verſu ſequenti, & vt dixerat c. 30. ver. 9. *Cùm induxero contritionem tuam*, Cùm famam exitij tui vſque ad gentes adeò remotas peruenire fecero, vt eas ne de nomine quidem cognoſcas; vel, vt exponit Quimchi, Cùm induxero milites tuos contritos, atque fractos bello captiuos ad gentes, quas non nouiſti.

10. *Stupeſcere faciam.*] præ terrore. *Super te*, propter te, exemplo interitus tui, vt c. 30. v. 9. *Cùm volare cœperit*, בעופפי חרבי. cùm fulgurare, aut, ſplendere fecero gladium meum ante faciem eorum, vt aliqui Hebræi interpretantur, id eſt, cùm gladium meum diſtrinxero aduerſus Ægyptios, omnes gentes contremiſcent exiſtimantes ſuam rem agi, paries cùm proximus ardet. *Pro anima ſua*. ſoliciti de vita ſua, aut timentes vitæ ſuæ. Alij in animo ſuo.

12. *In gladiis fortium.*] gladiis Chaldæorum. *Inexpugnabiles omnes gentes hæ.* עריצי גוים כלם. fortiſſimi gentium omnes illi ſunt, vt c. 30. 11.

13. *Quæ erant ſuper aquas plurimas.*] Quæ paſcebantur iuxta aquas multas, על. ſuper, & iuxta; aut, quæ potabantur ſuper aquas multas. *Et non conturbabit eas.* Non erit deinceps homo, aut iumentum, quod aquas turbare poſſit, vt in aquatione fieri ſolet.

14. *Puriſſimas reddam.*] Quia nemo erit, qui eas turbet. *Quaſi oleum adducam.* אוליך. ire faciam, fluere faciam, id eſt, claras & perſpicuas, ſicut oleum.

15. *Deſeretur autem.*] ונשמה ארץ. & terra deſerta erit; aut, Terra enim deſerta erit.

16. *Planctus eſt.*] hic. Hæc prophetia non ſine cauſa vocata eſt à me. קינה. id eſt, lamentum, cùm dixi ſuprà v. 2. *aſſume lamentum ſuper Pharaonem.* Lamentabuntur enim eum omnes filiæ gentium, id eſt, omnes nationes, quæ vbique gentium ſunt; aut omnes ciuitates omnium gentium. Ciuitates enim ab Hebræis filiæ vocantur, vt, filia Sion. quaſi dicat, euentus prophetiæ, ciúſq; nomini reſpondebit. ſimilis ſententia c. 19. 14. *Planctus eſt, & erit in planctum.* Dixerat enim initio eius capitis, *Aſſume planctum ſuper principes Iſraël. Super Ægyptum.* propter Ægyptum, propter eius vaſtationem. *Plangent eum.* אותה. eam, Ægyptū.

17. *Duodecimo anno.*] Eodem anno, *Quinta decima menſis.* Eiuſdem, id eſt, duodecimi, vt dixerat ver. 1. hoc eſt, quatuordecim diebus poſt, quàm illi diceretur, *Aſſume lamentum.*

18. *Detrahe eam.*] præcipita, detrude in Infernum, id eſt, prædic fore vt in Infer-

Infernum præcipitetur. *Et filias gentium robuſtarum.* Ciuitates gentium vt v. 16. *Ad terram vltimam.* Infimam, in Infernum, vt c. præcedenti ver. 14. & 18.

19. *Quò pulchriores?*] ממי נעמת. Quo altior es? quo formoſior? quo tibi magis places? quaſi dicat, quò altior es, eò inferiùs cades, vt Chriſtus dixit de Capharnaum Lucæ 10. 15. *Et tu Capharnaum vſque ad cœlos exaltata, vſque ad Infernum demergeris*, aut, Quò pulchrior es, eò in fœtidiorem locum Inferni demergeris, vbi ſunt incircumciſi, id eſt, homines omnino impij, qui Deum non habebant: vt cap. præcedenti ver. 18. Sept. exiſtimantes ממי. eſſe à מים. verterunt ἐξ ὑδάτων, ab aquis.

20. *In medio.*] id eſt, more eorum, qui gladio interficiuntur, vt ſuprà c. 29. 12. & c. 30. 7. & cap. 31. 18. Vbi Hebraiſmum exemplis explicauimus. *Gladius datus eſt.* חרב נתנה. Alij, gladio data eſt. pro, dabitur, *Et attraxerunt eam.* Detrahent, deijcient, ruere facient.

21. *Loquentur ei.*] gratulandi cauſa, gaudebunt enim eius in Infernum deſcenſu, ſicut dixit c. præcedenti ver. 16. *Cùm deducerem eum ad Infernum cum iis, qui deſcendebant in lacum. conſolata ſunt in terra infima omnia ligna voluptatis. Potentiſſimi robuſtorum.* Qui inter potentes potentiſſimi ſunt, potentiſſimus quiſque rex. *Et dormierunt incircumciſi.* R. Dauid putat intelligendam particulam עם. cum incircumciſis, qui mortui ſunt morte incircumciſorum, & occiſorum gladio. ſicut dixit ver. 19. *Deſcende, & dormi cum incircumciſis.* & c. præcedente ver. 18. *In medio incircumciſorum dormiet.*

22. *Ibi.*] Inter incircumciſos, & occiſos gladio, in terra vltima, vt dixit ver. 18. & capite ſuperiore v. 14. & 18. *In circuitu illius* regis Aſſur. *Sepulchra eorum.* Ægyptiorum, aut Aſſyriorum: dixerat enim, *Aſſur & omnis multitudo eius.* quaſi dicat, omnes eodem mortis genere, nempe gladio peribunt. ita enim loquitur, vt ſi, qui eodem modo moriuntur, eodem in Inferno loco ſepelirentur, vt declarat verſu ſequenti: & perinde atque ſi in Inferno ſepulchra eſſent; ſicut Chriſtus dixit, *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in Inferno.* Lucæ 16. 22. *Omnes interfecti.* כלם. omnes illi. Tacita redditio cauſæ, cur in circuitu illius ſepulchra eorum futura ſint, quia omnes illi, id eſt, tam rex Aſſur, quàm Ægyptij eodem modo, ſcilicet gladio interfecti ſunt.

23. *Quorum data.*] נתנו. poſita ſunt ſepulchra. *In nouiſſimis laci*, In infima parte Inferni, In terra vltima, vt ver. 18. & c. 31. ver. 14. & 18. H. ביר כתי בור. In lateribus laci, id eſt, in extremis angulis. Noſter interpres non verba & genus, ac numerum: ſed ſenſum reddidit. *Et facta eſt multitudo eius*, id eſt, Aſſyrij in Inferno iuxta regem ſuum ſepulti ſunt, quia omnes gladio, ſicut ille interfecti ſunt, cùm in hac vita omnibus hominibus terrori fuiſſent.

24. *Ibi Ælam.*] Ælamitarum rex, ſicut verſu præcedenti, *Aſſur*, id eſt, rex Aſſyriorum, &c. ſicut latinè dicimus, *Turca*, id eſt, rex Turcarum, *Et portauerunt ignominiam ſuam.* Qui cùm aliis terrori fuiſſent, ignominioſè mortui ſunt, ſicut cæteri, qui deſcendunt in lacum.

25. *Poſuerunt.*] Qui eos interfecerunt, aut mali angeli, qui homines impios in Infernum deducunt. *Cubile eius.* משכבלה. cubile illius, fœminini generis. quia intelligit Ælamitarum congregationem, ſicut ſtatim facit generis maſculini. סביבותיו. quia intelligit Ælamitarum regem.

26. *Moſoch.*] Capadox, *& Thubal.* Iberus, vide ſuprà c. 27. ver. 13. *Quia dederunt.* Hîc vtitur cauſali particula. כי. cùm ſuperioribus verſibus vſus non fuerit, ex quo ſequitur, illic etiam, vbi nõ ponitur, intelligendam eſſe, quaſi dicat, quia

 alios

alios gladio occidebant, gladio occiſi ſunt. *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Matth. 26. 52.

27. *Non dormient.*] לא ישכבו. non cubabunt, id eſt, non ſepelientur. *Cum fortibus.* Cum illis incircumciſis, ac viris fortibus, qui non ignominioſè, ſed glorioſè ac fortiter in bello occubuerunt, quíque deſcendunt in Infernum, *cum armis ſuis*, id eſt, qui, quamuis in Infernum deſcendant, tamen non turpiter victi, ſed glorioſè mortui deſcendunt: ij enim vt ait R. Salom. & R. Dauid cum armis ſepeliebantur, vt ſignificaretur eos vſque ad mortem & vſq; ad ſepulchrum arma non abieciſſe. Sic Ionathan ſepultum legimus lib. 1. Machab. c. 13. v. 29. Comparat ergo eos, non cum iuſtis, & cum iis, qui naturali morte moriuntur, vt Hebræi interpretantur; ſed cum iis, qui quamuis impij eſſent, & incircumciſi, gladióque interfecti, tamen glorioſè interfecti ſunt, quaſi dicat, fore vt peiores etiam, quàm illi conditionis ſint. *Et fuerunt iniquitates eorum*, id eſt, qui gladio vſque ad oſſa confixi iniquitatum ſuarum pœnas dederunt, de cætero verò honorificè & fortiter mortui ſunt, vt interpretatur R. Dauid: vel, vt alij, Dederunt pœnas iniquitatum ſuarum, non ignominioſè moriendo; ſed in Inferno intimis oſſibus ardendo. Verba Hebraica alium etiam ſenſum videntur habere poſſe, Non dormient cadentes (gladio) ab incircumciſis, (id eſt, qui ab incircumciſis occiduntur) & ij, quorum iniquitates in oſſibus eorum ſunt (id eſt. qui propter iniquitates ſuas occiduntur] *quia terror fortium facti ſunt in terra viuentium*; ij, inquam, *non dormient cum fortibus*, *qui deſcenderunt ad Infernum cum armis ſuis*, *& poſuerunt*, (id eſt, poni præceperunt. aut, vt alij ponerent, meruerunt) *gladios ſuos ſub capitibus ſuis*. Septuag. גבורים. verterunt γίγαντες, *gigantes*, & מעולם. ἀπὸ αἰῶνος, *à ſæculo*, quaſi legerint מעלים.

28. *In medio incircumciſorum.*] id eſt, more incircumciſorum. Hebraiſmus ſuprà explicatus eſt, c. 31. ver. 18. & c. 30. 7. & 29. 12.

30. *Principes Aquilonis.*] Hebræi interpretantur, reges Babylonis; quod mihi idcirco non placet, quia hoc loco Propheta nihil contra Babylonios vaticinatur; ſed eos potiùs dicit miniſtros ſuos ad puniendos Ægyptios futuros eſſe, ſéque illis euerſionis Tyri mercedem daturum, vt dixit c. 29. ver. 18. & 19. Principes ergo Aquilonis, reges Tyri, & Sidonis intelligo, contra quos c. 26. & 27. & 28. vaticinatus fuerat. Erat enim Tyrus, & Sidon Ægypto, de qua hîc loquitur, Aquilonaris. Id ſtatim declarat. *Et vniuerſi venatores*. וכל סדוני. & omnes Sidonij, vt Chaldæus vertit.

31. *Et conſolatus eſt.*] Cùm videret ſe tam multos, & tam magnos pœnarum ſuarum ſocios habere, vt c. ſuperiori ver. 16.

32. *Quia dedi terrorem meum.*] id eſt, ſicut ille bella gerendo omnes terruerat, ita ego illum puniendo omnes terrebo; ſicut ille dedit terrorem ſuum, ita ego dabo terrorem meum in terra viuentium, id eſt, per totum terrarum orbem. Alij legunt, חתיתו. terrorem eius, ſicut Sept. verterunt, id eſt, faciam vt illius exemplo animaduerſo omnes timeant. Itaque ſenſus eodem redit.

CAPVT XXXIII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 2 *Fili hominis loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra cùm induxero ſuper eam gladium: & tulerit populus terræ virum vnum de nouiſſimis ſuis, & conſtituerit eum ſuper ſpecu-*

ſpeculatorem. 3 Et ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit bucci-
na, & annuntiauerit populo. 4 Audiens autem quiſquis ille eſt, ſonitum buccinæ,
& non ſe obſeruauerit, veneritque gladius, & tulerit eum ſanguis ipſius ſuper caput
eius erit. 5 Sonum buccinæ audiuit, & non ſe obſeruauit, ſanguis eius in ip-
ſo erit: ſi autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſaluabit. 6 Quòd ſi ſpeculator vide-
rit gladium venientem, & non inſonuerit buccina: & populus ſe non cuſtodierit, venerit-
que gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem
autem eius de manu ſpeculatoris requiram. 7 Et tu fili hominis ſpeculatorem dedi te
domui Iſraël audiens ergo ex ore meo ſermonem annuntiabis eis ex me. 8 Si me di-
cente ad impium, impie morte morieris: non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via
ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requi-
ram. 9 Si autem annuntiante te ad impium vt à viis ſuis conuertatur non fuerit
conuerſus à via ſua: ipſe in iniquitate ſua morietur: porrò tu animam tuam liberaſti.
10 Tu ergo fili hominis dic ad domum Iſraël: Sic locuti eſtis dicentes, iniquitates noſtræ,
& peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus: quomodo ergo viuere poteri-
mus? 11 Dic ad eos, Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, ſed vt con-
uertatur impius à via ſua, & viuat. Conuertimini, Conuertimini à viis veſtris peſſimis:
& quare moriemini domus Iſraël? 12 Tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui:
iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacumque die peccauerit: & impietas impij non noce-
bit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua: & iuſtus non poterit viuere in
iuſtitia ſua in quacumque die peccauerit. 13 Etiamſi dixero iuſto quòd vita viuat,
& confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem: omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur, &
in iniquitate ſua quam operatus eſt, in ipſa morietur. 14 Si autem dixero impio,
Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium & iuſtitiam,
15 & pignus reſtituerit ille impius, rapinámque reddiderit, in mandatis vitæ ambula-
uerit, nec fecerit quidquam iniuſtum, vita viuet, & non morietur. 16 Omnia pec-
cata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei: iudicium & iuſtitiam fecit vita viuet.
17 Et dixerunt filij populi tui, Non eſt æqui ponderis via Domini, & ipſorum vita
iniuſta eſt. 18 Cùm enim receſſerit iuſtus à iuſtitia ſua, feceritque iniquitates, mo-
rietur in eis. 19 Et cùm receſſerit impius ab impietate ſua, feceritque iudicium & iu-
ſtitiam: viuet in eis. 20 Et dicitis, Non eſt recta via Domini. Vnumquemque iu-
xta vias ſuas iudicabo de vobis domus Iſraël. 21 Et factum eſt in duodecimo anno,
in decimo menſe, in quinta menſis tranſmigrationis noſtræ, venit ad me qui fugerat de
Ieruſalem, dicens, Vaſtata eſt ciuitas, 22 Manus autem Domini, facta fuerat ad
me veſpere, antequam veniret qui fugerat: aperuitque os meum donec veniret ad me ma-
nè, & aperto ore meo non ſilui amplius. 23 Et factum eſt verbum Domini ad me, dicent.
24 Fili hominis, qui habitant in ruinoſis his, ſuper humum Iſraël, loquentes aiunt: vnus
erat Abraham, & hæreditate poſſedit terram: nos autem multi ſumus, nobis data eſt ter-
ra in poſſeſſionem. 25 Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in ſangui-
ne comeditis, & oculos veſtros leuatis ad immunditias veſtras, & ſanguinem funditis:
numquid terram hæreditate poſſidebitis? 26 Stetiſtis in gladiis veſtris, feciſtis abomi-
nationes, & vnuſquiſque vxorem proximi ſui polluit: & terram hæreditate poſſidebitis,
27 Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus: Viuo ego: quia qui in ruinoſis habi-
tant, gladio cadent: & qui in agro eſt, beſtiis tradetur ad deuorandum: qui autem in
præſidiis & ſpeluncis ſunt, peſte morientur. 28 Et dabo terram in ſolitudinem & in de-
ſertum: & deficiet ſuperba fortitudo eius, & deſolabuntur montes Iſraël, eo quòd nullus
ſit qui per eos tranſeat. 29 Et ſcient quia ego Dominus, cùm dedero terram eorum de-
ſolatam & deſertam propter vniuerſas abominationes ſuas quas operati ſunt. 30 Et tu fi-

li hominis: filij populi tui qui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtijs domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximũ ſuum, loquentes: Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens à Domino. 31 *Et veniunt ad te, quaſi ſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus: & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum.* 32 *Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui, dulcíq́; ſono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* 33 *Et cùm venerit quod prædictum eſt (ecce enim venit) tunc ſcient quòd Propheta fuerit inter eos.*

EXEMPLO ſpeculatoris monet Deus Prophetam, ne quid ſileat; ſed omnia, quæ ſpiritu prophetico vidit, populo annuntiet.

2. *Ad filios populi tui.*] ad ciues, aut populares tuos: quaſi dicat, hactenus contra Gentes iuſſi te loqui, conuerte nunc orationem ad populum tuum. *Terra.* Hebraiſmus ſic reſoluendus, Cùm ſuper terram aliquam gladium induxero, abundat enim antecedens & relatiuum. Dicit autem, *cùm induxero ſuper eam gladium*; non quòd de bello, quod Ieroſolymis impendebat, loqueretur, vt quidam putant; ſed quòd nullum bellum ſine diuina prouidentia moueatur. *Virum vnum de nouiſſimis ſuis.* Aliqui interpretantur, de vltimis finibus ſuis. Ego potiùs, ex infimo ordine. quaſi dicat, ſi ſpeculatorem ipſe ſibi quemcumque etiam viliſſimum hominẽ conſtituerit; ſi illi credere debet, quantò magis credere debet non cuicumq; ſed Prophetæ, non quem ipſe ſed quem ego conſtitui.

4. *Audiens autem quiſquis ille eſt.*] ושמע השומע. & audierit, qui audit, id eſt, quicumque audierit, aut. & aliquis audierit, quiſquis ille ſit. Noſter interpres Hebraiſmum voluit exprimere. *Et ſe non obſeruauerit*, Non cauerit ſibi ſicut ſpeculator admonebat. *Sanguis ipſius ſuper caput eius erit*, id eſt, ipſe ſibi mortis cauſa erit, ſua culpa morietur. Hebraiſmus eſt. Latinè diceremus, præſtare culpam. Hoc ſenſu dixerunt Iudæi. *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros*, Matt. 27. 25. id eſt, ſi quid culpæ eſt, nos eam præſtabimus, pœnam in nos luendam recepimus. Eadem ſententia dicit, verſu ſequenti. *Sanguis eius in ipſo erit.*

Hebraiſmus.

6. *Et tulerit de eis animam.*] aliquem ex eis occiderit. Hebraiſmus. *Ille quidem*, Qui gladio occiſus eſt, meritò ac propter iniquitatem ſuam gladio eſt comprehenſus. Tamen *ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram*, id eſt, ſpeculatorem propter mortem illius mori faciam.

7. *Speculatorem dedi te.*] Accommodat exemplum ad Ezechielem. quem dicit ſe ſpeculatorem in populo conſtituiſſe, vt ſi quid periculi populo imminere viderit, illi prædicat, exaltans quaſi tuba vocem ſuam, vt dixit Iſai. c. 58. 1. Eadem metaphora ſuprà c. 3. v. 17 & Iere. c. 6. 17. *Conſtitui ſuper vos ſpeculatores. Audite vocem tubæ, & dixerunt, non audiemus.* & Iſa. 56. 10. *ſpeculatores eius cæci omnes.*

10. *Sic locuti eſtis, dicentes.*] id eſt, dicere ſoletis *Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt*; vrgent nos ad mortem, opprimunt nos, illiſque contabeſcimus, נמקים. diſſoluimur. *quomodo ergo viuere poterimus*? Videbantur hoc Iudæi deſperatione quadam dicere, quos Deus in ſpem erigit, fore vt ſi reſipiſcant, non recordetur præteritorum peccatorum. Alij ex R. Dauide interpretantur. כן אמרתם. rectè locuti eſtis, id eſt, verè dicere ſoletis vos peccatis opprimi, aut rectè dicere poſſetis (quamuis non dicatis) vos eſſe peccatores mortiſque reos, tamen ſi reſipiſcere volueritis, non recordabor ampliùs peccatorum veſtrorum.

Qua voluntate non vult Deus mortem peccatoris.

11. *Nolo mortem.*] Nollem, ſi fieri poſſet, vt moreretur impius. Hoc Theologi de prima, & vt vocant, antecedente Dei voluntate interpretantur, qua *omnes*

nes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. ad Thim. 2. 4. &, qua *mortem non fecit; nec lætatur in perditione virorum.* Sap. 1. 13. Deus enim *creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* cap. 2. ver. 23. & 24. Vide quæ ſuprà notauimus cap. 18. ver. 23. *Quare moriemini?* Quare finctis vos mori, cùm poſſitis, ſi conuerti volueritis, vitam veſtram ſeruare? Indicat non ſtare niſi per nos, quominùs ſalui ſimus, Deum enim ſemper ſtare ad oſtium, vt pulſet, Apocal. 3. 20. ſicut Eccleſiaſticus dicit c. 15. 11. *Non dixeris, per Deum abeſt; quæ enim odit, ne feceris.* Cætera quæ ſequuntur, explicata ſunt ſuprà c. 18. *Per nos ſtat ne ſalui ſimus.*

15. *Pignus reſtituerit.*] ponit duo iuſtitiæ opera pro omnibus, vt c. 18. ver. 6. *Et in mandatis vitæ ambulauerit, quæ faciens homo viuet in eis.* vt dixit c. 20. 11. & Leuit. 18. 5.

17 *Non eſt æqui ponderis.*] ולא יתכן. non eſt recta ratio, quia Dominus nobiſcum agit: cùm ipſorum potiùs vita recta non ſit, vt c. 18. v. 15. & infrà v. 20.

21. *Tranſmigrationis noſtræ.*] Cum Iechonia 4. Reg. 24. ver. 12. ex quo etiam perſpicuum eſt ſuperioribus locis Prophetam non Sedeciæ, ſed captiuitatis annos numeraſſe, vt c. 32. 1. & 31. 1. & 29. 1. 18. & c. 26. 1. & 24. 1. & 20. 1. & 8. 1. *Venit ad me qui fugerat.* Expugnata iam vrbe, vt prædixerat illi Deus, ſuprà c. 24. ver. 26.

22. *Manus autem Domini facta fuerat.*] id eſt, corroborauerat me, & confirmauerat Dominus, vt liberè loquerer: aut, afflauit me Dominus ſpiritu prophetico, vt c. 1. v. 3. & c. 3. v. 22. & c. 8. v. 1. *Veſpere.* principio eius diei quo venit, qui fugerat ex Ieruſalem, diem enim Iudæi à veſpere incipiebant vt apparet Geneſ. c. 1. 5. 13. 19. 23. *aperuitq;* (Dominus) *os meum*, id eſt, dedit mihi loquendi libertatem, vt mihi promiſerat eadem vtens phraſi c. 24. v. 27. eundem Hebraiſmum adnotauimus c. 29. 21. Liberè autem locutus eſt poſt aduentum eius nuntij, quia narrauit captam eſſe vrbem, ſicut ipſe prædixerat. *Diem Iudæi à veſpere incipiebant.*

24. *Qui habitant in ruinoſis his.*] החרבות. in ruinis, qui manſerunt in terra Iſraël omnino vaſtata, nec in Chaldæam cum alijs venire voluerunt, aut in tranſmigratione Iechoniæ, 4. Reg. 24. 12. 14. aut in captiuitate Sedeciæ Iere. 39. 10. *De plebe enim pauperum, qui nihil penitus habebant, dimiſit Nabuzardan magiſter militum in terra Iuda*, ij ergo putabant fore vt totam terram Iuda quaſi iure ſuo poſſiderent. Argumentabantur enim, *Vnus erat Abraham, & hereditate poſſedit terram in poſſeſſionem: nos autem multi ſumus: multo ergo* maiore iure *nobis data eſt*, id eſt, dabitur *terra in poſſeſſionem.* præteritum pro futuro.

25. *Qui in ſanguine comeditis.*] על הדם. ſuper ſanguinem aut iuxta ſanguinem. Chaldæus interpretatur, ſuper ſanguinem innocentem, id eſt, poſtquam ſanguinem innocentem fudiſtis, cruentis adhuc manibus cibum ſecuri ſumitis, quaſi nihil mali feciſſetis. R. autem Dauid exponit, Carnem cum ſanguine comeditis, cùm ego vobis præceperim, Leuit. 19. 26. *Non comedetis carnem cum ſanguine. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia. Oculos veſtros leuatis ad immunditias veſtras*, adorandi, aut inuocandi cauſa, vt cap. 18. ver. 6. 12. 15. & cap. 23. ver. 27. *Immunditias* autem גלולים. vocat idola, vel quia ipſa immunda erant, nimirum oblita victimarum ſanguine; vel quia cultores ſuos inquinabant, vt ſuprà c. 14. 3. 4. & cap. 23. 7. *Cur idola immunditias vocet ſcriptura.*

26. *Steriſtis in gladiis veſtris.*] id eſt, confidiſtis in armis veſtris. Dixiſtis, *manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia*, Hoc ſenſu Chald. vertit, ſteriſtis in fortitudine veſtra. R. Dauid, *ſteriſtis*, id eſt, parati gladiis fuiſtis prompti- *Deut. 32. 7.*

que

que ad effundendum ſanguinem innocentem.

27. *Qui in ruinoſis.*] in vrbibus à Chaldæis ſemidirutis. Hebraicè elegans eſt paranomaſia inter חרבות ruinas, & חרב. gladium.

30. *Loquuntur de te.*] Obloquuntur, irrident te. ſicut Ieremiam cap. 23. ver. 33. irridentes interrogabant, *Quod eſt onus Domini? Iuxta muros.* Vbi ſolent homines otioſi, quia locus apricus eſt, ad confabulandum conuenire, ſicut, *& in oſtiis domorum.*

31. *Quaſi ingrediatur populus.*] Veniunt ad te turmatim, magnáque multitudine, quemadmodum ſi vniuerſus populus ad te confluerer. *In canticum oris ſui.* עגבים. cantiones amatorias faciunt illos, pro luſu eos habent: verſu ſequenti vertit, *carmen muſicum.*

32. *Et es eis.*] והנך לחם. & ecce es illis ſicut carmen amatorium, id eſt, es illis ludibrio, habent te pro hiſtrione.

33. *Quod prædictum eſt.*] hoc verbum Hebraicè non eſt: ſed explicationis cauſa rectè, ſaluóque ſenſu additum eſt ab interprete.

CAPVT XXXIIII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 2 Fili hominis propheta de
paſtoribus Iſraël: propheta, & dices paſtoribus Iſraël, Hæc dicit Dominus
Deus: Væ paſtoribus Iſraël: qui paſcebant ſemetipſos: nónne greges à paſto-
ribus paſcuntur? 3 Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craſſum erat,
occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis. 4 Quod infirmum fuit non conſo-
lidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis: quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abie-
ctum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis
eis, & cum potentia. 5 Et diſperſæ ſunt oues meæ, eo quòd non eſſet paſtor, &
factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Et errauerunt
greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo excelſo: & ſuper omnem faciem terræ
diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui require-
ret. 7 Propterea paſtores audite verbum Domini, 8 Viuo ego, dicit Domi-
nus Deus, quia pro eo quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuora-
tionem omnium beſtiarum agri, eo quòd non eſſet paſtor (neque enim quæſierunt paſto-
res mei gregem meum: ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſce-
bant.) 9 Propterea paſtores audite verbum Domini. 10 Hæc dicit Dominus
Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſa-
re faciam eos vt vltrà non paſcant gregem, nec paſcant ampliùs paſtores ſemetipſos: &
liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltrà eis in eſcam. 11 Quia hæc
dicit Dominus Deus, Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas. 12 Sicut vi-
ſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum: ſic
viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus diſperſæ fuerant in die nubis
& caliginis. 13 Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & indu-
cam eas in terram ſuam: & paſcam eas in montibus Iſraël, in riuis, & in cunctis ſedi-
bus terræ. 14 In paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſraël erunt
paſcua earum, ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper
montes Iſraël. 15 Ego paſcã oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.
16 Quod perierat requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat,
alligabo: & quod infirmum fuerat, conſolidabo, & quod pingue & forte cuſtodiam: &

paſcam

paſtam illas in iudicio. 17 *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego*
iudico inter pecus & pecus, arietum & hircorum. 18 *Nonne ſatis vobis erat paſcua*
bona depaſci? inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris: &
cùm puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis. 19 *Et oues meæ*
his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbauerant,
hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: 20 *Ecce, ego ipſe iudico*
inter pecus pingue & macilentum. 21 *Pro eo quòd lateribus, & humeris impingebatis, &*
cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerentur foras. 22 *Sal-*
uabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus.
23 ET SVSCITABO SVPER EAS PASTOREM VNVM,
qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. 24 *E-*
go autem Dominus ero eis in Deum: & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum: ego
Dominus locutus ſum. 25 *Et faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam beſtias*
peſſimas de terra: & qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus. 26 *Et ponam*
eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore ſuo, pluuiæ bene-
dictionis erunt. 27 *Et dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum,*
& erunt in terra ſua abſque timore, & ſcient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas
iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi: 28 *Et non erunt vltrà in rapi-*
nam in Gentibus, neq; beſtiæ terræ deuorabunt eos: ſed habitabunt confidenter abſque vllo
terrore. 29 *Et ſuſcitabo eis germen nominatum, & non erunt vltrà imminuti fame in*
terra, neque portabunt vltrà opprobrium Gentium. 30 *Et ſcient quia ego Dominus*
Deus eorum cum eis, & ipſi populus meus domus Iſraël, ait Dominus Deus. 31 *Vos autem*
greges mei, greges paſcuæ meæ homines eſtis: & ego Dominus Deus veſter, dicit Dominus
Deus.

CONTRA paſtores, id eſt, pſeudoprophetas, & ſacerdotes vaticinatur; prædicitque Chriſti veri paſtoris aduentum, qui diſſipatum gregem colligat.

2. *Qui paſcebant in ſemetipſos.*] lacte, & carnibus gregis mei, id eſt, qui ſuam, non populi mei vtilitatem quærebant: cũ paſtoris officium ſit non ſeipſum, ſed gregem ſibi commiſſum paſcere. Quid ſit paſcere ſemetipſum, ſtatim declarat ver. 3.

3. *Lac comedebatis.*] חלב. quattuor punctis ſignificat lac, ſicut noſter interpres, & Sept. legerunt; quinque autem punctis ſignificat adipem & pinguedinem, ſicut nunc legunt Hebræi. Meliùs noſter interpres. Loquitur enim Propheta accõmodatè ad gregem, qui triplicem prouentum præſtare ſolet, lac, lanam, carnes. Per lac intelligi poteſt ſtipendium ſacerdotum, & Prophetarum; paſtor enim iure ſuo lacte gregis veſcitur. Nam *quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* 1. Corint. cap. 9. v. 7. Lana eſt quidquid præter ſua ſalaria ſpoliantes populum accipiebant: carnes hæreditates, quas per homicidia, & iniqua iudicia captabant.

Per lac, lanā & carnes gregis quid intelligat.

4. *Quod infirmum fuit.*] את נחלות. infirmas, fœminini generis, quia intelliguntur oues. Eodem modo omnia, quæ ſequuntur fœminina ſunt, ægrotam, confractam; abiectam, הנדחת. quæ deerrauerat, errantem non reduxiſtis.

10. *Ecce ego.*] Venio, aut aliquid huiuſmodi, vt cap. 5. 8. & cap. 13. 8. 20. & cap. 21. 3. & cap. 26. 3. & cap. 28. 22. & cap. 29. 3. 10. & cap. 30. 22. *Super paſtores.* Contra paſtores. *Vt vltrà non paſcant.* remouebo eos ab officio paſtorum; non enim paſcebant re vera gregem, vt dixit ver. 2. *De ore eorum.* propterea dicit de ore eorum, quia quod craſſum erat, occidebant, vt dixit ver. 3.

11. *Ecce ego ipſe.*] Chriſtus loquitur, ſeq; venturum promittit, *ad oues, quæ perierunt*

domus Iſraël, Matth. 15. 24. Sic apud Iſaiam cap. 40. ver. 11. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet:in brachio ſuo congregabit agnos,& in ſinu ſuo leuabit,fœtus ipſe portabit.* & Zachar. 10.3. *Super paſtores iratus eſt furor meus,& ſuper hircos viſitabo: quia viſitabit Dominus exercituum gregem ſuum domum Iuda. Viſitabo eas.* בקרתים. quæram eas.

12. *Sicut viſitat*] כבקרת ſicut quærit. *In medio ouium ſuarum.* Inter oues ſuas. *In medio* hoc loco præſentiam ſignificat, vt *vbi ſunt duo vel tres, congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, Matth, cap. 18. ver. 20. id eſt, præſens illis ero. *De omnibus locis.* vbi captiuæ fuerunt. *In die nubis & caliginis.* aduerſo & difficili tempore, tempore captiuitatis, vt cap. 30.3. & 32.7.

13. *In terram ſuam.*] In Eccleſiam, quam per terram Iuda & Iſraël ſæpe intelligi manifeſtum eſt. Nam etſi hiſtoricè de reductione Iudæorum ex captiuitate Babylonica in priſtinas ſedes vaticinatur; tamen longiùs reſpicit ad liberationem ex Diaboli captiuitate, quæ per Chriſtum facienda erat, & ad vocationem omnium gentium ad Eccleſiam. *In montibus, in riuis*, id eſt, vbique, tam in montibus, quam in vallibus. Significat Eccleſiam per totum terrarum orbem eſſe diffundendam.

17. *Vos autem greges mei.*]Poſtquam contra paſtores locutus eſt, conuertit orationem ad ipſas oues, quas ſe iudicaturum dicit, agnóſq; ad dexteram; hœdos ad ſiniſtram conſtituturum, vt apud Matth. cap. 25. 33.

18. *Nónne ſatis.*]Contra diuites loquitur, qui cùm lautè viuerent, quæ ipſis ſuperabant, perdere malebant, quàm pauperibus elargiri. Facit mentionem ſolius eleemoſynæ prætermiſſæ, quod vnum peccatum loco omnium ponit, vt apud Matth. cap. 25. ver. 42. *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis mihi bibere.*

20. *Inter pecus pingue.*]Pingue pecus vocat homines beneficos, plenóſq; miſericordiæ, quibus dicit Chriſtus. Matth. 25. 35. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Macilentos verò vocat auaros, bonísq; operibus carentes, quibus Chriſtus dicit, *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.*

21. *Lateribus.*] Cubitis & humeris pulſabatis, & cornu petebatis alias oues, donec extra paſcuum eiicèretis. Metaphora ex bobus ſumpta, qui infirmiores cornu petunt, & ex loco paſcuo ſolent eiicere. Qua figura ſignificat diuites omnia rapuiſſe, nec quidquam reliquum feciſſe pauperibus.

Paſtor vnus Chriſtus.

23. *Paſtorem vnum.*] Non multos, ſicut antè. Nam hactenus, *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meam: dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis*, Ierem. 12. 10. Nunc autem mittam illis Chriſtum paſtorem bonum, qui ponet *animam ſuam pro ouibus ſuis*, Ioan. 10. 11. Opponit vnum paſtorem noui teſtamenti, multis veteris; ſicut D. Paulus ad Hebr. 7. 23. 24. vnum ſacerdotem multis. Non quòd ſub Chriſto non ſint in nouo teſtamento multi ſacerdotes & multi paſtores: ſed quia vnus eſt princeps ſacerdotum, & paſtorum Chriſtus, in æternum *viuens ad interpellendum pro nobis*, Heb. 7. 25. cùm in veteri teſtamento multi etiam principes ſacerdotum atque paſtorum eſſent, alij aliis ſuccedentes, *idcirco quòd morte prohiberentur permanere.* Quare non magis poſſunt ex illo loco D. Pauli Caluiniani colligere neminem eſſe in Eccleſia præter Chriſtum ſacerdotem; quàm ex hoc loco neminem præter ipſum eſſe paſtorem. *Seruum meum Dauid*, id eſt, Chriſtum Dauidis filium. Vtitur D. Auguſt. in lib. de octo Dulcitij quæſtionibus, qu. 5. ad quam vltimo loco reſpondet poſt octauam, exemplo vtitur huius loci, vt doceat Chriſtum aliquando Dauidem appellari; ſicut infrà c. 37. 24. *Seruus meus Dauid rex ſuper eos,*

...olem cap. 7. 23.

Caluiniani confutantur.

Chriſtus Dauid dictus in ſcriptura.

eos, & paſtor vnus erit omnium eorum. & ver. 25. *Et Dauid ſeruus meus princeps eorum in perpetuum.* & Oſee 3. 5. *Poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum.* Quæ omnia non poſſunt intelligi niſi de Chriſto, Cùm Dauid multò antè mortuus eſſet. Ipſi etiam Hebræi de Meſſia hunc locum intelligunt, vt ſcribit Rab. Dauid.

25. *Pactum pacis.*] nouum teſtamentum, quo Chriſtus reconciliauit *omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt*, ad Coloſſ. 1. 20. *Veniens enim euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis, qui propè*, ad Epheſ. 2. 17. *Et ceſſare faciam beſtias*, malos dæmones, vt apud Iſaiam cap. 11. ver. 6. & c. 65. ver. 25. *Lupus & agnus paſcentur ſimul, & leo & bos comedent paleas:* quæ nihil aliud ſignificant, quàm ſummam poſt aduentum Chriſti pacem futuram. Quæ prophetia ſtatim Chriſto nato perfici cœpta eſt; Lucæ 2. 14. omnino autem in cœleſti Ieruſalem complebitur, vt indicat D. Ioannes in Apocal. cap. 21. 25.

26. *Ponam eos benedictionem.*] id eſt, faciã vt omnes gentes, quæ *in circuitu collis mei*, id eſt, Ieruſalem habitant, beatos eos prædicent: aut, ponam eos, וסביבות. & circuitus collis mei benedictionem, hoc eſt, efficiam vt non ſolùm ipſis, ſed vicinis etiam eorum omnia proſperè ſuccedant, vt prouerbium verum ſit, Semper aliquid boni propter vicinum bonum. Hunc ſenſum ſtatim declarat, *Deducam imbrem*, &c.

29. *Germen nominatum.*] nobile, quod totam Iudæorum gentem illuſtrabit, Chriſtum, qui *egredietur de radice Ieſſe*, Iſai. 11. 1. vt Ierem. 23. 5. *Suſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit rex, & ſapiens erit.* & cap. 33. ver. 15. *Germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ: & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. Imminuti fame.* Non minuetur propter famem eorum numerus; Non morientur multi eorum fame ſicut antè, nec ferent opprobria gentium.

Chriſtus germen nominatum.

31. *Homines eſtis.*] Explicat ſuperiorem allegoriam, dicens, Oues, & greges, de quibus hactenus locutus ſum, non ſunt pecudes: ſed vos domus Iſraël, qui homines eſtis, & paſtor veſter ego ſum Dominus Deus veſter.

CAPVT XXXV.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 2 Fili hominis pone faciem tuam
aduerſum montem Seir, & prophetabis de eo, 3 & dices illi: Hæc dicit
Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam ſuper
te, & dabo te deſolatum atque deſertum. 4 Vrbes tuas demoliar, & tu deſertus
eris: & ſcies quia ego Dominus. 5 Eo quòd fueris inimicus ſempiternus, & concluſeris
filios Iſraël in manus gladij in tempore afflictionis eorum in tempore iniquitatis extremæ.
6 Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus: quoniam ſanguini tradam te, & ſanguis
te perſequetur: & cùm ſanguinem oderis, ſanguis, perſequetur te. 7 Et dabo mon-
tem Seir deſolatum atque deſertum: & auferam de eo euntem & redeuntem. 8 Et
implebo montes eius occiſorum ſuorum: in collibus tuis, & in vallibus tuis, atque in tor-
rentibus interfecti gladio cadent; 9 in ſolitudines ſempiternas tradam te, & ciui-
tates tuæ non habitabuntur, & ſcietis quia ego Dominus Deus. 10 Eo quòd dixe-
ris, Duæ gentes & duæ terræ meæ erunt, & hæreditate poſſidebo eas: cùm Dominus
eſſet ibi: 11 Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram
tuam, & ſecundum zelum tuum quem feciſti, odio habens eos: & notus efficiar per eos,

cùm te iudicauero. 12 *Et ſcies quia ego Dominus audiui vniuerſa opprobria tua,*
quæ locutus es de montibus Iſraël, dicens: Deſerti nobis ad deuorandum dati ſunt. 13 *Et*
inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro, & derogaſtis aduerſum me verba veſtra: ego audiui.
14 *Hæc dicit Dominus Deus. Lætante vniuerſa terra, in ſolitudinem te redigam.*
15 *Sicut gauiſus es ſuper hæreditatem domus Iſraël, eo quòd fuerit diſſipata, ſic faciam*
tibi: diſſipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis, & ſcies quia ego Dominus.

VATICINATVR contra Idumæos, qui Iudæorum calamitate lætati fuerant, cóſque à Chaldæis afflictos magis afflixerant, vt ſuprà vaticinatus fuerat, cap. 25. Idem argumentum Abdiæ.

2. *Pone faciem tuam.*] Verte te, conuerte orationem tuam: aut, intrepidè & liberè loquere, vt cap. 29. 2. & cap. 28. 21. & cap. 25. 2. & 21. 2 & 20. 46. *Aduerſum montem Seir.* aduerſus Idumæam. Synecdoche ex parte totum. Nam Seir mons erat in Idumæa inter Aſphaltitem & Ægyptum, cui Eſau illic habitans, qui Seir, id eſt, hirſutus erat, nomen dedit, Geneſ. 36. 8. 9. vide ſuprà c. 25. 8.

3. *Ecce ego.*] Venio, aut aliquid ſimile, vt cap. 30. 22. & 29. 3. 10. *Extendam manum meam.* Manum extendere verberantis, ac ferientis eſt, vt c. 25. 7. 13. 16.

5. *Eo quòd fueris.*] Quia perpetuas inimicitias cum populo meo geſſiſti. *Et concluſeris filios Iſraël.* quia quo tempore Chaldæi Iudæos perſequebantur, eos, qui ad ſe fugiebant, occidebant, quod eſt tradere in manus gladij, vt cap. 25. 12. *Pro eo, quòd fecit Idumæa vltionem, vt ſe vindicaret de filiis Iuda, peccauítque delinquens, & vindictam expetiuit de eis.* & apud Abdiam ver. 14. *Neque ſtabis in exitibus, vt interficias eos, qui fugerint; & non concludes reliquos eius in die tribulationis. Iniquitatis extremæ*, extremæ calamitatis. Sæpe docuimus עון. iniquitatem, pro pœna iniquitatis poni, vt Pſalm. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.*

6. *Sanguini tradam te.*] לדם אעשך. ad verbum, Sanguini (aut in ſanguinem) faciam te. Quod Rab. Dauid interpretatur, In ſanguinem præparabo te. Ego, *Sanguim tradam te*, vt noſter interpres, id eſt, faciam vt te ſanguis perſequatur, vt ſtatim explicat. Non poſſum facilè diuinare quomodo Sept. legerint. Verterunt enim, εἰς αἷμα ἥμαρτες, καὶ αἷμα ἐκδιώξεταί σε. *In Sanguinem peccaſti, & ſanguis perſequetur te. Et cùm ſanguinem oderis*, id eſt, perſecutus fueris, *ſanguis perſequetur te.* Alij exponunt ſecuti Rab. Dauid, niſi ſanguinem oderis; אם לא. id eſt, niſi te ab effundendo ſanguine abſtinueris, ſanguis perſequetur te. Non probo: nam quod Hebraïcè dicit, אם לא. ſi non iurandi forma eſt. Dixerat enim, *Viuo ego dicit Dominus.*

8. *Occiſorum tuorum.*] Occiſis eius. mutat autem ſtatim perſonam, quaſi conuertens orationem ad ipſum montem, aut ad Idumæam.

10. *Duæ gentes.*] Idumæa, quæ iam mea eſt, & Iſraël, quam nunc Iudæis abeuntibus occupabo: vel, Iuda, & Iſraël. Vtramque interpretationem Hieronymus probat. Ductis in captiuitatem Iudæis omnes vicinæ gentes in earum terram quaſi in vacuam hæreditatem irruerunt, vt indicat Ierem. cap. 49. 1. *Numquid non filij ſunt Iſraël? aut hæres non eſt ei? cur igitur hæreditate poſſedit Melchom Gad? & populus eius in vrbibus eius habitauit? Cùm Dominus eſſet ibi*; cùm terra ſancta eſſet, & quaſi Dei domicilium propter templum, quod erat in Ieruſalē.

11. *Iuxta iram tuam.*] Iraſcar tibi, ſicut tu iratus es filiis Iſraël, iratúſque tractabo te, quemadmodum tu eos iratus tractaſti, & gloriam meam oſtendam illos liberando, te puniendo.

13. *Inſurre-*

13. *Inſurrexiſtis.*] ותגדילו. magnificaſtis vos, aut, os veſtrum, id eſt, auſi eſtis loqui: aut ſuperbè conrra me locuti eſtis. Poſuiſti in cœlum os veſtrum, & locuti eſtis aduerſus Dominum iniquitatem. *Derogaſtis aduerſum me.* detraxiſti mihi. העתרתם עלי. aſpera, & contumelioſa verba contra me multiplicaſtis, vt Rab. Dauid interpretatur. Sepr. ἐφωνήσατε κατ' ἐμοῦ. *clamaſtis aduerſum me.*

14. *Lætante vniuerſa terra.*] id eſt, ſicut tu, cùm terra Iuda vaſtaretur, lætatus es, ita cùm tu vaſtaberis, omnes gentes lætabuntur. Id explicat ver. ſeq.

15. *Sic faciam tibi.*] efficiam, vt aliæ quoque gentes tuo gaudeant interitu.

CAPVT XXXVI.

TV autem fili hominis, propheta ſuper montes Iſraël, & dices, Montes Iſraël
audite verbum Domini: 2 Hæc dicit Dominus Deus, Eo quòd dixerit
inimicus de vobis, Euge, altitudines ſempiternæ in hæreditatem datæ ſunt no-
bis: 3 Propterea vaticinare, & dic, Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd deſo-
lati eſtis, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis Gentibus, &
aſcendiſtis ſuper labium linguæ, & opprobrium populi: 4 Propterea montes Iſraël
audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus, torrenti-
bus, vallibúſque deſertis, & parietinis, & vrbibus derelictis, quæ depopulatæ ſunt &
ſubſannatæ à reliquis gentibus per circuitum. 5 Propterea hæc dicit Dominus Deus.
Quoniam in igne zeli mei loquutus ſum de reliquis gentibus, & de Idumæa vniuerſa quæ
dederunt terram meam ſibi in hæreditatem cum gaudio, & toto corde, & ex animo: &
eiecerunt eam, vt vaſtarent: 6 Idcirco vaticinare ſuper humum Iſraël, & dices mon-
tibus & collibus, iugis, & vallibus, Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, &
in furore meo loquutus ſum, eo quòd confuſionem Gentium ſuſtinueritis 7 Idcirco hæc
dicit Dominus Deus: Ego leuaui manum meam, vt gentes quæ in circuitu veſtro ſunt, ipſæ
confuſionem ſuam portent. 8 Vos autem montes Iſraël ramos veſtros germinetis, &
fructum veſtrum afferatis populo meo Iſraël: propè enim eſt vt veniat. 9 Quia ecce ego
ad vos, & conuertar ad vos, & arabimini, & accipietis ſementem. 10 Et multiplicabo
in vobis homines, omnémque domum Iſraël: & habitabuntur ciuitates, & ruinoſa inſtau-
rabuntur. 11 Et replebo vos hominibus, & iumentis: & multiplicabuntur & cre-
ſcent: & habitare vos faciam ſicut à principio, boniſque donabo maioribus, quam habui-
ſtis ab initio: & ſcietis quia ego Dominus. 12 Et adducam ſuper vos homines po-
pulum meum Iſraël, & hæreditate poſſidebunt te: & eris eis in hæreditatem, & non addes
vltrà vt abſque eis ſis. 13 Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dicunt de vobis, De-
uoratrix hominum es, & ſuffocans gentem tuam: 14 Propterea homines non comedes
ampliùs & gentem tuam non necabis vltrà, ait Dominus Deus, nec auditam faciam in te
ampliùs confuſionem Gentium, 15 & opprobrium populorum nequaquam portabis, &
gentem tuam non amittes ampliùs, ait Dominus Deus. 16 Et factum eſt verbum
Domini ad me, dicens: 17 Fili hominis, domus Iſraël habitauerunt in humo ſua, &
polluerunt eam in viis ſuis: & in ſtudiis ſuis iuxta immunditiã menſtruatæ facta eſt via
eorum coram me. 18 Et effudi indignationem meam ſuper eos pro ſanguine, quem
fuderunt ſuper terram: & in idôlis ſuis polluerunt eam. 19 Et diſperſi eos in Gentes, &
ventilati ſunt in terras: iuxta vias eorum & adinuentiones eorum iudicaui eos. 20 Et
ingreſſi ſunt ad Gentes ad quas introierunt & polluerunt nomen ſanctum meum, cùm dice-
retur de eis: Populus Domini iſte eſt, & de terra eius egreſſi ſunt. 21 Et peperci nomini

Digitized by Google

ſancto meo, quod polluerat domus Iſraël in Gentibus ad quas ingreſſi ſunt. 22 *Idcirco*
dices domui Iſraël, Hæc dicit Dominus Deus, Non propter vos ego faciam domus Iſraël,
ſed propter nomen ſanctum meum quod polluiſtis in Gentibus, ad quas intraſtis. 23 *Et*
ſanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum eſt inter Gentes; quòd polluiſtis in me-
dio earum: vt ſciant Gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cùm ſanctifi-
catus fuero in vobis coram eis. 24 *Tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos*
de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtram. 25 *Et effundam ſuper vos*
aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis
idôlis veſtris, mundabo vos. 26 *Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam*
in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.
27 *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis,*
& iudicia mea cuſtodiatis & operemini. 28 *Et habitabitis in terra, quam dedi patri-*
bus veſtris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. 29 *Et ſaluabo vos ex*
vniuerſis inquinamentis veſtris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non im-
ponam vobis famen. 30 *Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri: vt non portetis*
vltrà opprobrium famis in Gentibus 31 *Et recordabimini viarum veſtrarum peſſi-*
marum, ſtudiorúmque non bonorum: & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ & ſcelera
veſtra. 32 *Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum ſit vobis: con-*
fundimini & erubeſcite ſuper viis veſtris, domus Iſraël. 33 *Hæc dicit* Dominus *Deus,*
In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus veſtris, & inhabitari fecero vrbes: &
inſtaurauero ruinoſa: 34 *& terra deſerta fuerit exculta, quæ quondam erat deſolata*
in oculis omnis viatoris. 35 *dicent: Terra illa inculta facta eſt vt hortus voluptatis:*
& ciuitates deſertæ, & deſtitutæ atque ſuffoſſæ, munitæ ſederunt. 36 *Et ſcient gentes*
quæcumque derelictæ fuerint in circuitu veſtro, quia ego Dominus ædificaui diſſipata,
plantauique inculta, ego Dominus locutus ſim, & fecerim. 37 *Hæc dicit Dominus*
Deus, Adhuc in hoc inuenient me domus Iſraël, vt faciam eis: Multiplicabo eos ſicut
gregem hominum, vt gregem ſanctum, 38 *vt gregem Ieruſalem in ſolennitatibus eius.*
Sic erunt ciuitates deſertæ, plenæ gregibus hominum: & ſcient quia ego Dominus.

PRÆDICITVR Iudæorum à captiuitate liberatio; & regeneratio per Chriſtum & eius baptiſmum.

1. *Super montes.*] De montibus אל הרי. ad montes, in gratiam montium Iſraël, in bonam enim partem accipitur. Montes autem vocat totam Iudæorum regionem per Synecdochem.

2. *Inimicus.*] Idumæus, Ammonita, Moabita, vt dixit ſuprà cap. 25. 3. *Altitudines ſempiternæ.* montes antiqui terræ Iſraël, qui numquam explanantur, ſed in eodem ſemper ſtatu manent. R. Salom. & R. Dauid interpretantur, altitudines mundi, id eſt, terra Iuda, quæ cæteris mundi partibus altior eſt: quod eſt falſum. *In hæreditatem data ſunt nobis.* Erant Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ, cognati Iudæis, Nam Idumæi ex Eſau, qui Edom, id eſt, rufus dicebatur, Ammonitæ, & Moabitæ ex Lot fratre Abrahami genus ducebant, Gen. 19. ver. 37. & 38. & cap. 36. ver. 8. Quamobrem mortuis, aut in captiuitatem ductis Iudæis putabant ſe quaſi iure hæreditario in eorum terrã, poſſeſſionéſque ſucceſſuros, vt ſignificat Ie. c. 49. 1. propterea vtitur hoc loco hæreditatis nomine.

3. *Et conculcati per circuitum.*] שאוף אתכם. & abſorbuerunt vos omnes vicinæ gentes. *Et aſcendiſtis ſuper labium.* Hebraïſmus, fuiſtis materia ſermonum omnibus gentibus; fuiſtis prouerbium, ſicut prædixerat Iere. c. 24. 9. *Dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouer-*

* Hebraiſmus hoc tãtum loco repertus.

Digitized by Google

prouerbium,& in maledictionem in vniuerſis locis,ad quæ eieci eos. Hæc phraſis hoc tantùm loco reperitur.

5. *Quoniam.*] non eſt dictio cauſalis hoc loco, ſed explicatiua idem ſignificans atque, Quod. אם לא. quæ, vt ſæpe diximus iurantis forma eſt. *In igne zeli mei.* quod ira inflammatus locutus ſum. quaſi dicat, non ſum illis ioco, ſed ſeriò comminatus: itaque re ipſa faciam. quæ prædixi, nec illis parcam, ſicut parcere non ſolent homines irati. *Quæ dederunt terram meam ſibi.* Quæ ſibi tanquam propriam hæreditatem terram meam vſurpauerunt. *Cum gaudio, & toto corde,* בשמחת כל לבב. cum gaudio totius cordis, id eſt, magna animi auiditate. *Ex animo.* בשאט נפש. cum contemptu animi, id eſt, contemnens illam in animo tuo, vt ſuprà c.25.v.6.& v.15. *Et eiecerunt eam, vt vaſtarent.* למען מגרשה לבז. propter eiectionem in rapinam, id eſt, cùm viderent eam in direptionem, & rapinam datam eſſe.

6. *Idcirco.*] repetit ſingulis verſibus eandem ſententiam diuerſis verbis confirmationis cauſa. *Locutus ſum.* contra gentes vobis inimicas, quod ad conſolandos Iudæos dicit. *Eo quòd confuſionem gentium.* quia contumeliis & iniuriis ab illis affecti eſtis.

7. *Ego leuaui manum meam.*] id eſt, iuraui, vt conſtat ex forma iurandi, quæ ſtatim ſequitur. אם לא. ſolent enim iurantes manum leuare. Eadem phraſis ſuprà c.20.ver.5.6.15.& Deuter.32.40. *leuabo ad cœlum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum.*

8. *Propè enim eſt.*] קרבו לבוא. propè ſunt (filij Iſraël) vt veniant, id eſt, citò venient ex captiuitate, propterea ô montes incipite frondeſcere, & fructus illis præparare.

9. *Quia ecce ego ad vos.*] veniam, vt cap. præcedenti; & multis aliis locis, quos illic notauimus. Verum aliis quidem locis in malam, hoc loco in bonam partem accipitur. Significat enim ſe venturum non iratum; ſed miſericordem: non vt puniat, ſed vt gratiam effundat in Eccleſiam ſuam, vt declarat infrà ver. 25.

11. *Sicut à principio.*] Cùm eduxi vos è terra Ægypti, & in terram Iuda introduxi; aut, antequam in captiuitatem abireris.

12. *Hæreditate poſſidebunt te.*] iure ſuo hæreditario. ſunt enim legitimi poſſeſſores. Mutat numerum ſeruato ſenſu. Nam montes vocauerat Iſraël. ideo vtitur nunc numero ſingulari, & genere maſculino. ירשוך. *Et non addes vltrà vt abſque eis ſis,* לשכלם. vt eis orberis, aut, vt eos orbes, id eſt, patria ſua priues. quaſi dicat, non ducentur deinceps captiui.

13. *Deuoratrix hominum.*] Mutat numerum, & genus, quia priùs loquebatur de hominibus, nunc verò loquitur de terra tanquam de aliqua muliere, cui crimini detur, quòd filios ſuos comedat, aut in lecto ſuffocet: Quia permittebat ciues ſuos occidi, & ab hoſtibus opprimi.

14. *Non comedes ampliùs.*] Non obiicietur tibi, quòd homines comedas, quodque ſi veluti hominum vorago, quia non patiar, vt habitatores tui in te deinceps occidantur. *Et gentem tuam non necabis.* לא תכשלי. non orbabis, vt ver.12.& ver. ſequenti, vbi Hieronymus vertit, *Gentem tuam non amittes.* לא תכשלי.

17. *In viis ſuis.*] prauis ſuis moribus; & mulieri menſtrua patienti ſimilis fuit apud me, id eſt, ſicut maritus vxorem ſuam exhorret, cùm menſtrua patitur, quia immunda eſt: ita ego exhorrui populum Iſraël propter eius immunditiam, & idololatriam, & homicidia, vt declarat verſu ſequenti.

18. *Pro*

18. *Pro ſanguine.*] propter ſanguinem, quem effuderunt, mutat numerum, & genus, quia priùs loquebatur de terra, nunc de habitatoribus. *Et in idolis ſuis.* Intelligenda eſt ἀπὸ κοινοῦ, dictio cauſalis, & propter idola, quibus polluerunt eam, aut, & propterea quòd idolis ſuis polluerunt eam.

20. *Et ingreſſi ſunt.*] Cúmque ingreſſi eſſent ad gentes, ad quas in captiuitatem abierunt. *Et polluerunt.* occaſionem dederunt vt Gentes nomen meum polluerent, & contumeliis afficerent, dicentes me non potuiſſe vos è manibus hoſtium liberare, non intelligentes vos non hoſtium virtute, ſed meo permiſſu, iuſtóque iudicio ſuperatos. Quid ſit nomen Dei polluere ſtatim declarat. *Populus Domini iſte eſt*: quaſi argumentarentur, populus Domini hic eſt, & tamen de terra ſua eiectus eſt, & in captiuitatem ductus, non eſt ergo Dominus tam potens, quàm illi putant.

21. *Et peperci.*] aut parcam. Præteritum pro futuro *nomini ſancto meo*, id eſt, rationem habebo nominis ſancti mei non patiar vt diu inter gentes polluatur: ſed reducam eos ex captiuitate in terram ſuam, non propter eorum merita, ſed propter nomen meum, ne diutius polluatur, vt declarat duobus ſequentibus verſibus.

23. *Cùm ſanctificatus fuero in vobis coram eis.*] Cùm nomen meum ſanctum eſſe oſtendero vobis liberandis, illis cernentibus. Sanctificare nomen ſuum, Deum eſt ab iniuriis, & probris hominum liberare, ſicut pollui eſt probris affici.

Baptiſmus Chriſti hoc loco traditus. 25. *Et effundam ſuper vos.*] Rectè veteres auctores ad baptiſmum Chriſti hunc locum retulerunt. Non enim aliam vnquam aquam mundam Deus in Iudæos effudit, niſi illam, qua Chriſtus mundauit Eccleſiam *per lauacrum regenerationis*, ad Epheſ. 5. 26. & ad Tit. 3. 5. Nam quod quidam Hebræorum de omnium rerum abundantia, quia per aquam mundam ſignificari dicunt, interpretantur, abſurdum eſt. Epithetum enim, *mundam* indicat agi de aqua, quæ animas mundet; non de aqua, quæ ſegetes riget: & Chaldæus Paraphraſtes, & R. Dauid quamuis baptiſmum non agnoſcant, tamen de remiſſione peccatorum agi putant.

26. *In medio veſtri.*] In corde veſtro, aut, in viſceribus veſtris, ſicut dixit ſuprà cap. 11. verſ. 19. Conſentaneum eſt, vt hunc locum de ſpiritu ſancto, qui poſt baptiſmum Chriſtianis dabatur, interpretemur; quemadmodum D. Petrus Act. 2. ver. 17. ſimilem Ioëlis locum interpretatur, c. 2. ver. 28.

29. *Et vocabo frumentum.*] Iubebo frumentum copiosè prouenire, ſicut ſtatim dicit, *multiplicabo illud.* Vtitur vocandi verbo, quia Deus verbo facit omnia: *Ipſe* enim *dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Et non imponam.* לא אתן. non dabo, non inducam vobis famem. *Pſal. 148. v. 5.*

30. *Opprobrium famis in Gentibus.*] id eſt, Gentes non exprobrabunt vobis, quòd fame moriamini.

31. *Et recordabimini.*] partim ſuppliciis caſtigati, partim deuincti nouo liberationis beneficio, peccatorum veſtrorum pœnitentiam agetis.

32. *Non propter vos.*] Sed propter nomen meum, vt dixit ſuprà verſ. 22.

35. *Munitæ ſederunt.*] בצורות ישבו. munitæ ſedent, id eſt, nunc munitæ ſunt & tutæ. Sedere dixit pro, tutas eſſe, quia qui tuti ſunt, ſedent.

36. *Quæcumque derelictæ fuerint in circuitu veſtro.*] Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Tyrij, Sidonij. Dicit autem, *Derelictæ fuerint*, quia ſuprà delendas eſſe prædixerat, à capite 25. vſque ad 29. *Ego Dominus locutus ſum, & fecerim.* אני יהוה ועשיתי

Digitized by Google

וְעָשִׂיתִי דִּבַּרְתִּי. Ego Dominus locutus ſum, & faciam, præteritum pro futuro; id eſt, ſicut locutus ſim, ita faciam, vt apud Iſai. cap. 46. 11. *locutus ſum, & adducam illud, creaui, & faciam illud.*

37 *Inuenient me.*] אדרש. inueniar à domo Iſraël, *vt faciam eis*, id eſt, exorabor à domo Iſraël, exaudiam illos, hoc à me precibus obtinebunt, *vt faciam eis*, ſub. quidquid petiuerint. *Sicut gregem hominum*; aut, ſicut gregem hominem; aut ſicut oues homines, vt Septuag. verterunt, id eſt, multiplicabo homines, quemadmodum ſi eſſent oues.

38. *Vt gregem ſanctum.*] id eſt, ſicut Ieruſalem tribus anni ſolennibus temporibus plena eſt gregibus ouium, quæ ad ſacrificandum adducuntur. quem gregem ſanctum aut קדשים. ſanctificationum vocat, ſic erunt omnes vrbes, quæ antè dirutæ, deſertæque fuerant plenæ gregibus hominum, aut, hominibus tanquam gregibus.

CAPVT XXXVII.

FACTA eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Domini: & di-
miſit me in medio campi qui erat plenus oſſibus. 2 *Et circumduxit me*
per ea in gyro: erant autem multa valde ſuper faciem campi ſiccáque vehemen-
ter. 3 *Et dixit ad me, Fili hominis putaſne viuent oſſa iſta? Et dixi, Domine Deus, tu*
noſti. 4 *Et dixit ad me: Vaticinare de oſſibus iſtis: & dices eis, Oſſa arida audite*
verbum Domini. 5 *Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his, Ecce ego intromittam in vos*
ſpiritum, & viuetis. 6 *Et dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes,*
& ſuperextendam in vobis cutem: & dabo vobis ſpiritũ, & viuetis: & ſcietis quia ego Do-
minus. 7 *Et prophetaui ſicut præceperat mihi: factus eſt autem ſonitus prophetante me,*
& ecce commotio: & acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam. 8 *Et*
vidi, & ecce ſuper ea nerui, & carnes aſcenderunt: & extenta eſt in eis cutis deſuper, & ſpi-
ritum non habebant. 9 *Et dixit ad me: Vaticinare ad ſpiritum, vaticinare fili hominis:*
& dices ad ſpiritum, Hæc dicit Dominus Deus, A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuf-
fla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant. 10 *Et prophetaui ſicut præceperat mihi: &*
ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt: ſteteruntq; ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis
valde. 11 *Et dixit ad me: Fili hominis, oſſa hæc vniuerſa, domus Iſraël eſt: ipſi dicunt,*
Aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus. 12 *Propterea vaticinare,*
& dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam
vos de ſepulchris veſtris populus meus: & inducam vos in terram Iſraël. 13 *Et ſcietis*
quia ego Dominus, cùm aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris po-
pule meus. 14 *Et dedero ſpiritum meum in vobis, & vixeritis, & requieſcere vos fa-*
ciam ſuper humum veſtram: & ſcietis quia ego Dominus locutus ſum & feci, ait Domi-
nus Deus. 15 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens.* 16 *Et tu fili hominis, ſume ti-*
bi lignum vnum: & ſcribe ſuper illud Iuda & filiorum Iſraël ſociorum eius, & tolle lignum
alterum, & ſcribe ſuper illud, Ioſeph ligno Ephraim, & cunctæ domui Iſraël ſociorumque
eius. 17 *Et adiunge illa vnum ad alterum tibi in lignum vnum: & erunt in vnio-*
nem in manu tua. 18 *Cùm autem dixerint ad te filij populi tui loquentes: Nónne in-*
dicas nobis quid in his tibi velis? 19 *loqueris ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, Ec-*
ce, ego aſſumam lignum, Ioſeph, quod eſt in manu Ephraim, & tribus Iſraël quæ ſunt ei
adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum vnum: & erunt
vnum in manu eius. 20 *Erunt autem ligna ſuper quæ ſcripſeris in manu tua in*

Digitized by Google

oculis eorum. 21 *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aſſumam filios*
Iſraël de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos
ad humum ſuam. 22 *Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſraël, &*
rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur ampliùs in
duo regna. 23 *Neque polluentur vltrà in Idolis ſuis & abominationibus ſuis, & cun-*
ctis iniquitatibus ſuis: & ſaluos eos faciam de vniuerſis ſedibus ſuis in quibus peccauerunt,
& emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. 24 *Et ſeruus meus Da-*
uid rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabũt, & man-
data mea cuſtodient, & facient ea. 25 *Et habitabunt ſuper terram, quam dedi ſeruo*
meo Iacob, in qua habitauerunt patres veſtri: & habitabunt ſuper eam ipſi, & filij eorum,
& filij filiorum eorum vſque in ſempiternum: & Dauid ſeruus meus princeps eorum in per-
petuum. 26 *Et percutiam cum illis fœdus pacis, & pactum ſempiternum erit eis: &*
fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuũ.
27 *Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.*
28 *Et ſcient Gentes, quia ego Dominus ſanctificator Iſraël, cùm fuerit ſanctificatio mea*
in medio eorum in perpetuum.

PRÆDICIT Iudæorum à captiuitate liberationem, & reſtitutionem in patriam. futuramque per Chriſtum Iſraëlis, & Iuda reconciliationem.

1. *Manus Domini.*] Non videtur hoc loco prophetiam ſolùm ſignificare, vt ſuprà c.33.22. & aliis locis, quos illic deſignauimus: Sed manum ipſam Dei, quæ ipſum apprehenderit, & in cãpum deduxerit, vt c. 2.9. *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber.* Viſus ergo ſibi eſt Propheta quaſi iniecta manu rapi, & in campum plenum oſſibus duci, vt 1.8. 3. *Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me ſpiritus inter terram, & cœlum. In ſpiritu Domini.* In ſpiritu prophetico, quem Dominus mihi dederat. quaſi dicat, non re ipſa, ſed per propheticam viſionem.

3. *Putaſne viuent oſſa iſta.*] Non interrogat Prophetam an credat oſſa in vltima reſurrectione victura. Nec enim de ea re Propheta dubitabat: neque tanquam incertus reſpondiſſet, *Domine Deus tu noſti.* Sed interrogat an putet victura tunc, cùm vixerunt, & ante conſtitutum generalis reſurrectionis tempus reſurrectura, vt euentus declarauit.

5. *Spiritum.*] Animam, *ſpiraculum vitæ*, vt in Adam Geneſ. 2.7. Eſt autem ordo narrationis inuerſus. Nam quod vltimo loco factum eſt, primo loco narrat. Primùm enim oſſa iuncta ſunt, deinde neruis & carnibus tecta, poſtremò ſpiritum receperunt, ver.8. & 9.

7. *Sonitus.*] ſtrepitus oſſium, quæ mouebantur, & alia ad alia accedebant. *Prophetante me.* Cùm adhuc prophetarem. quaſi dicat, nondum loquendi finem feceram, cùm effectus prophetiæ conſecutus eſt. *Et ecce commotio.* oſſium, aut terræ motus. Terra enim commota eſt, vt oſſa, quæ in ſepulchris, & ſub terra erant, educerentur. *Vnumquodque ad iuncturam ſuam.* עצם אל עצמו. os ad os ſuum, id eſt, vnumquodque ad illud, cui iungi oportebat, & non ad aliud.

9. *A quatuor ventis.*] loquitur perinde, atque ſi anima ventus eſſet; non quòd ventus ſit, ſed quòd vento, id eſt, ſpiratione, & reſpiratione viuamus: ſicut dicitur anima in ſanguine eſſe, quia ſanguine maximè viuimus: Leuit. 17.11.

11. *Oſſa hæc vniuerſa domus Iſraël eſt.*] id eſt, domum Iſraël ſignificant. Declarat viſionem. Putabant enim Iudæi actum de ſe eſſe, neque plus eſſe ſpei, vt in priſtinum ſtatum reſtituerentur, quàm vt oſſa illa ante vltimam reſurrectionem reuiuiſ-

Digitized by Google

reuiuiſcerent. Oſtendit autem Deus ſuſcitatis oſſibus, fore etiam vt illi,qui ſimiles mortuis eſſe videbantur, à captiuitate & oppreſſione, qua quodammodo ſepulti erant, liberentur, & in priſtinam conditionem reſtituantur. Ex quo *An de futura reſurrectione hic ſermo ſit.* perſpicuum eſt, non agi hoc loco de futura reſurrectione: quamuis ea etiam hinc probari poſſit. Nec enim Deus hanc ſimilitudinem oſſium propoſuiſſet, niſi mortui ſurrecturi eſſent. Non enim conſueuit parabolas proponere, niſi iis in rebus, quæ fieri poſſunt, ac ſolent. *Aruerunt oſſa noſtra*. quaſi dicat, iam diu mortui ſumus. ſi enim recens mortui eſſemus, ſpes aliqua reuiuiſcendi ſupereſſet: ſicut dixit Martha veluti diffidens non de vltima, ſed de præſenti *Ioan 11.39.* fratris reſurrectione, *Iam fœtet, quatriduanus eſt enim*. Hoc eſt,quod ſtatim dicit, *Periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus*; mortui ſine vlla ſpe vitæ, ſicut arbores, quæ radicitus exciſæ ſunt.

12. *De ſepulchris veſtris*.] loquitur ex eorum opinione; putabant enim ſimiles eſſe mortuis, quorum oſſa iam aruerunt. Idcirco dicit Deus fore vt, etiam ſi in ſepulchris eſſent,inde eos educeret: aut ſepulchra metaphoricè vocat captiuitatem, vrbes, carceres, vbi vincti tenebantur.

14. *Spiritum meum*.] ſpiritum nouum, quem ſe illis ſuprà daturum dixerat, cap. præcedenti ver. 26. & 27. Sicut dedi ſpiritum meum, id eſt, ventum oſſibus iſtis, ſuprà ver. 9.

16. *Et tu fili hominis*.] Tu autem fili hominis. Incipit alia duorum lignorum in vnum coniunctorum ſimilitudine,prædicere futuram per Chriſtum duarum & decem tribuum reconciliationem. Chriſtus enim *fecit vtraque vnum*. Epheſ. 2.14. non ſolùm Iuda, & Iſraël, ſed Iudæos etiam,& Græcos, vt in illo nec Iudæus & Græcus ſit, vt ait D. Paulus ad Galat. 3.28. & ad Coloſ. 3.11. *lignum vnum*. Iuſſit duo ligna ſumi, vt duo ſceptra, hoc eſt duo regna, alterum Iuda, alterum Iſraël ſignificaret. Alij minùs propriè Chaldæum Paraphraſtem imitati, tabulas vertunt. Meliùs Septuag. ῥάβδον, virgam. *Iudæ & filiorum Iſraël* ליהודה ולבני. Iudæ,& filiis Iſraël ſociis eius.Per Iudam intelligit tribum Iuda, cuius iure regnum erat. Per filios autem Iſraël ſocios eius tribum Beniamin, & Leui,quæ cum rebellione Ieroboam diſciſum eſt regnum, 3. Reg.12.21.cum tribu Iuda remanſerunt. tribus quidem Beniamin ſtatim, tribus autem Leui,vt creditur poſtea, cùm Ieroboam idolorũ ſacerdotes conſtituiſſet, 3. Reg.12.31. 32. Per Ioſeph autem, & Ephraim intelligit decem tribus, vt apud Iſaiam c. 7. ver. 2. 5. 8.9.aut ſolam tribum Ephraim,quæ rebellionis caput fuit, quia Ieroboam auctor illius ex tribu erat Ephraim, Ephraim autem filius Ioſeph. per domum autem Iſraël reliquas nouem tribus, quæ ſe illi aſſociauerunt.

17. *In lignum vnum*.] ita vt vnum lignum eſſe videatur. *Et erunt in vnionem in manu tua*. ita ea manu geſtabis, quemadmodum ſi vnum lignum eſſet.

19. *Lignum Ioſeph*] regnum Ioſeph. propterea nominat Ioſeph, quia vnus fuit ex duodecim patriarchis. loquitur autem de illis, quemadmodum ſi vnuſquiſque ſuam virgam haberet. Inde enim dictæ ſunt duodecim שבטי. tribus, *Inde dictæ ſunt duodecim tribus quaſi duodecim virgæ ex eodem trunco prodeuntes.* quaſi duodecim virgæ ex eodem trunco prodeuntes.nomen enim שבט. virgam ſignificat. Propterea dicit, *Aſſumam lignum Ioſeph, quod eſt in manu Ephraim*, quia quamuis Ioſeph vnus eſſet ex duodecim patriarchis,tamen tribus non eſt ab illo, ſed ab eius filio Ephraim denominata, Numer. 1. 10. propter prærogatiuam, quam illi Iacob dederat,cùm illi benediceret. Geneſ. 48. 20. *Et erunt vnum in manu mea*. quaſi dicat, hominum malitia & peruerſitate, cùm vnum eſſet regnum, facta ſunt duo; mea verò potentia, cùm duo ſint, aut potiùs

nullum, vnum fient: Quemadmodum tu manu tua duo ligna ita iunxiſti, vt vnum eſſe viderentur: Quod non tam ad illud tempus, quo ex captiuitate redierunt, quàm ad tempus Chriſti referendum eſt. Tunc enim ſublata eſt illa contentio inter Iuda, & Iſraël. vt dixit Chriſtus Ioan. 4. 21. 23. *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque Ieroſolymis adorabitis patrem. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate.*

Nota locum ad tempus Chriſti eſſe referendum.

20. *In oculis eorum.*] In eorum conſpectu, vt ea videant, & interrogent, quid ſignificent.

22. *In gentem vnam.*] In vnum populum Chriſtianum, in quo non ſit *Iudaus neque Græcus*, ad Galat. 3. 28. & Coloſ. 3. 11. ſed ſit omnium credentium cor vnum, & anima vna, Act. 4. 32. *In montibus Iſraël.* In Eccleſia Catholica, quæ ſupra montem poſita abſcondi non poterit, vt cap. præcedenti 1. 4. 6. 8.

23. *De vniuerſis ſedibus ſuis.*] מכל מושבתיהם. de omnibus habitationibus ſuis, id eſt, ex omnibus locis, in quibus hactenus captiui habitarunt, & aliarum gentium exemplo peccauerunt, *commiſti enim ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum.*

Pſal. 105. 35.

24. *Seruus meus Dauid.*] Chriſtus filius Dauid, vt ſup. c. 34. 23. 24. & aliis locis, quos ex Auguſt. illic notauimus. Vocat ſeruum ſuum, quia loquitur de illo, vt de homine Dauidis filio. *Et paſtor vnus erit omniũ.* Chriſtus, ſicut ipſe dicit Ioan. 10. 16. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Ad hunc enim Prophetæ locũ Chriſtus alludebat.

25. *Super terram quam dedi ſeruo meo.*] In Eccleſia catholica, quæ per eam terram ſignificabatur: ponit enim ſignum pro re ſignificata: ſicut ponit Dauidem pro Chriſto, quia Chriſti figuram geſſerat. *Princeps eorum in perpetuum.* quia *regni eius*, id eſt, Chriſti *non erit finis*. Lucæ 1. 33.

Signum pro re.

26. *Fœdus pacis.*] Nouum teſtamentum, quo Chriſtus pacificauit omnia per ſanguinem crucis ſuæ, ad Coloſ. 1. 20. vide ſuprà cap. 34. 25. *Sanctificationem meam.* מקדשי. ſactarium meum, templum meum, vt explicat verſu ſequenti.

27. *Et erit tabernaculum meum in eis.*] Quaſi dicat, ſicut olim habitaui inter eos in templo Ieroſolymitano, ita tunc habitabo in cordibus eorum. Chriſtiani enim ſunt templum Dei, vt ait D. Paulus 1. Corint. 3. 16. 17. & cap. 6. 19. & 2. Corint. 6. 16.

CAPVT XXXVIII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: 2 Fili hominis pone faciem
tuam contra Gog & terram Magog, principem capitis Moſoch & Thu-
bal: & vaticinare de eo, 3 & dices ad eum, Hæc dicit Dominus Deus:
Ecce, ego ad te Gog principem capitis Moſoch & Thubal, 4 & circumagam te, &
ponam frænum in maxillis tuis, & educam te & omnem exercitum tuum, equos & equites
veſtitos loricis vniuerſos, multitudinem magnam haſtam & clypeum arripientem & gla-
dium. 5 Perſæ, Æthiopes & Libyes cum eis, omnes ſcutati & galeati. 6 Go-
mer, & vniuerſa agmina eius, domus Thogorma latera Aquilonis, & totum robur
eius, populique multi tecum. 7 Præpara & inſtrue te, & omnem multitudinem
tuam quæ coaceruata eſt ad te: & eſto eis in præceptum. 8 Poſt dies multos viſita-
beris: in nouiſſimo annorum venies ad terram, quæ reuerſa eſt à gladio, & congregata
eſt de populis multis ad montes Iſraël, qui fuerunt deſerti iugiter: hæc de populis multis
educta.

edicta educta eſt, & habitabunt in ea confidenter vniuerſi. 9 *Aſcendens autem*
quaſi tempeſtas venies & quaſi nubes vt operias terram tu & omnia agmina tua, &
populi multi tecum. 10 *Hæc dicit Dominus Deus, In die illa aſcendent ſermones*
ſuper cor tuum, & cogitabis cogitationem peſſimam: 11 *& dices, Aſcendam ad*
terram abſque muro: veniam ad quieſcentes habitan éſque ſecurè: hi omnes habitant
ſine muro, vectes & portæ non ſunt eis. 12 *Vt diripias ſpolia, & inuadas prædam,*
vt inferas manum tuam ſuper eos qui deſerti fuerant, & poſtea reſtituti, & ſuper populum
qui eſt congregatus ex Gentibus, qui poſſidere cœpit & eſſe habitator vmbilici terræ.
13 *Saba & Dedam, & negotiatores Tharſis, & omnes leones eius dicent tibi, Numquid*
ad ſumenda ſpolia tua venis? ecce ad diripiendam prædam congregaſti multitudinem
tuam, vt tollas, argentum & aurum, & auferas ſupellectilem atque ſubſtantiam, & di-
ripias manubias infinitas. 14 *Propterea vaticinare fili hominis, & dices ad Gog. Hæc*
dicit Dominus Deus: Numquid non in die illo cùm habitauerit populus meus Iſraël,
confidenter ſcies? 15 *Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis tu & populi multi*
tecum, aſcenſores equorum vniuerſi, cœtus magnus, & exercitus vehemens. 16 *Et*
aſcendes ſuper populum meum Iſraël quaſi nubes, vt operias terram. In nouiſſimis diebus
eris, & adducam te ſuper terram meam: vt ſciant Gentes me, cùm ſanctificatus fuero
in te in oculis eorum ô Gog. 17 *Hæc dicit Dominus Deus, Tu ergo ille es, de quo*
locutus ſum in diebus antiquis in manu ſeruorum meorum Prophetarum Iſraël, qui pro-
phetauerunt in diebus illorum temporum, vt adducerem te ſuper eos. 18 *Et erit in*
die illa: in die aduentus Gog ſuper terram Iſraël, ait Dominus Deus, aſcendet indigna-
tio mea in furore meo. 19 *Et in zelo meo: in igne iræ meæ locutus ſum. Quia in die*
illa erit commotio magna ſuper terram Iſraël, 20 *& commouebuntur à facie mea*
piſces maris, & volucres cœli, & beſtiæ agri, & omne reptile quod mouetur ſuper humum,
cunctique homines qui ſunt ſuper faciem terræ. & ſubuertentur montes, & cadent ſepes,
& omnis murus corruet in terram. 21 *Et conuocabo aduerſus eum in cunctis mon-*
tibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius vniuſcuiuſque in fratrem ſuum dirige-
tur. 22 *Et iudicabo eum peſte, & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus im-*
menſis: ignem, & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius, & ſuper populos
multos qui ſunt cum eo. 23 *Et magnificabor, & ſanctificabor: & notus ero in oculis*
multarum gentium: & ſcient quia ego Dominus.

PRÆDICIT tyrannidem Gog & Magog in populum Dei, eorúmque ad extremum interitum.

2. *Pone faciem tuam.*] Vertete, conuerte orationem tuam, aut, intrepidè & liberè loquere, vt ſuprà c. 35. 2. & c. 29. 2. & c. 28. 21. *Contra Gog.* Quid ſit Gog & Magog, magna inter interpretes quæſtio eſt. Legimus Ioëlis filium quendam Gog appellatum, 1. Paralip. 5. 4. legimus & filium vnum Iapheth filij Noë vocatum Magog, Gen. 10. 2. ſed nihil ad hunc locum. Vulgaris & antiqua Iudæorum, &, vt ait Hieronymus, Iudaïzantium opinio fuit Gog & Magog *Gog & Magog an ſint Scythæ.* Scythas eſſe, qui trans Caucaſum montem & Mæotidem paludem, & prope Caſpium mare ad Indiam vſque tendantur: quas gẽtes ex Magog filio Iapheth, qui eas terras primus habitauerit, eodem nomine dictas eſſe putauerũt. Habuit hæc opinio multos ex noſtris etiam maximis auctoribus ſectatores Theodoretum in Comment. Dorotheum in Synopſi, Eucherium lib. 2. in Gen. & lib. 1. de qq. in vet. & no. Teſt. c. 4. Bedam in Gen. c. 10. & recentiores plures, qui omnes Ioſephum lib. 1. Antiq. Iudaïc. c. 6. ducem ſecuti ſunt. Iuuat hác opinionẽ locus: dicitur enim Gog à lateribus Aquilonis venturus eſſe: Scythæ autẽ ad Aquilo-

Digitized by Google

nem ſunt. Iuuat, quòd Gog tanquam gens immanis & fera hoc loco deſcribitur: quales Scythæ deſcribi ſolent, 2. Machab. 4. 47. & ad Coloſſ. 3. 11. Iuuat, quòd Propheta dicit ver. 17. alios Prophetas de aduẽtu Gog vaticinatos fuiſſe, & non legimus Prophetas de aliarum gentium quàm Septentrionalium aduentu vaticinatos. *Ab Aquilone* enim *pandetur omne malum*, Ierem. 1. 14. Iuuat euentus. Omnes enim Gentium eruptiones ab Aquilone ferè factas legimus. Iuuat auctorum numerus, & nomen. Alij malos angelos, vt Hieronymus ait, interpretati ſunt, qui cum bonis in cœlo pugnaturi eſſent. Quod etſi apud Origenem non lego, tamen Origenicum eſſe ſuſpicor. Nam & eius olet ingenium, & neſcio quid non prorſus abſimile aliis locis dicit. Alij Gothos putauerunt, qui ex Septentrionibus in totam Europam effuſi ſunt, cuius ſentẽtiæ auctor fuit Ambroſius lib. 2. de fide c. 4. adiutor Aretas in c. 20. Apocal. Qua de re Hieronymus Ambroſium, in proœmio libri vndecimi commentariorum in hunc Prophetam tacito nomine reprehendit. Alij Getas, & Maſſagetas̃, vt ſcribit Auguſt lib. 20. de Ciuit. c. 11. Alij ex noſtris præſertim recentioribus interpretibus Turcas eſſe volunt, quòd videant in Ieruſalem, id eſt, in Eccleſiam immanes irruptiones facere. Alij Antichriſtum, & eius ſectatores intelligunt. Alij nullam gentem, nullúmque certum hominem his nominibus ſignificari, ſed omnes Eccleſiæ perſecutores Gog, & Magog generaliter appellari; quibus auctor eſt Auguſt. lib. 20. de Ciuit. cap. 11. Recentiores Hebræi, vt Rab. Salomon, & Rab. Dauid ſcribunt in commentariis, Gog putant nomen eſſe regis, qui alicuius gentis caput ſit. Magog autem nomen regionis, in qua ille regnet: quod Rab. Dauid ex nota demonſtratiua ה docet, quæ cum nominibus propriis iungi non poteſt. Atque hoc nunc argumento Iudæi vti ſolent, vt probent Chriſtum nondum veniſſe, quia eius tempore Gog ad expugnandam Ieruſalem venturum eſſe fabulantur, ab eòque iuxta vrbem occidendum, & celebri loco ſepeliendum; tantamque ex eius exercitu multitudinem trucidandam, vt per ſeptem annos non alia ligna quàm haſtæ comburantur, vt dicitur cap. ſequenti ver. 9. 10. 11. Quæ quia nondum facta eſſe vident, nondum Chriſtum veniſſe putant. Ego in re incerta dicam quod mihi plus videtur habere probabilitatis. Primùm quidem Gog nomen regis ſiue certi, ſiue incerti eſſe arbitror. Nam Propheta de illo tanquam de rege aliquo loquitur, vt cùm hoc loco ver. 3. vocat *principem capitis Moſoch*, & cùm ver. 15. dicit venturum à lateribus Aquilonis ipſum, & populum eius cum eo; & cùm ait cap. ſequenti ver. 11. fore vt ſepeliatur ipſe, & omnis eius multitudo in valle viatorum ad orientem, vocandámque vallem multitudinis Gog. Deinde Magog non gentem, ſed terram ſignificare puto. Nam hoc ipſo loco Propheta v. 2. *terra Magog* vocat, & c. ſequẽti v. 6. ait, *Immittam ignem in Magog*. Præterea non videtur mihi eſſe negandum aliquam fuiſſe regionem ſeptentrionalem, quæ Magog appellaretur, cùm v. 15. dicat Propheta Gog ab Aquilone venturum; & Ioannes in Apocalypſi c. 20. v. 7. Gog & Magog in angulis terræ eſſe ſcribat: & profani quoque auctores Magog ciuitatis Aſiæ mentionem faciant, vt Plinius lib. 5. c. 24. & Appianus. Illud etiam mihi videtur veriſimile Gog non eſſe nomen vnius certi hominis, ſed regis terræ Magog eſſe nomen, quemadmodum omnes reges Ægypti, Pharaones; Syriæ Antiochi; Perſiæ Arſacides, Romani imperatores Cæſares vocabantur: cùm & Ezechiel & Ioannes eodem nomine illum vocent. Adhæc non videtur mihi nomen Magog idem apud Ezechielem & apud Ioannem ſignificare. Nam apud Ezechielem, vt diximus, regionem ſignificat: apud

Hom. 17. in Num.

Hebræorum fabula.

Sententia auctoris de Gog & Magog.

An idẽ apud Ezech. & D. Ioan. ſignificet nomen Magog.

apud Ioānem verò regem aliquem,ſicut Gog aut certè nationem,vt ex articulo Græco conſtat, ϗ ἐξελεύσεται πλανῆσαι τὰ ἔθνη τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς, τὸν Γὼγ ϗ τὸν Μαγώγ. Quæ res multos videtur interpretes fefelliſſe: Nā Gog pro rege, Magog pro populo videtur Ioannes accepiſſe. Nec exiſtimandum eſt futurum regem aliquem, qui Gog appelletur, de quo D. Ioannes vaticinetur; non enim vocauit Gog,quòd ita vocandus ſit,ſed quòd ita olim vocaretur:quemadmodum ſi nunc Turcam,quia in Ægypto dominatur, Pharaonem vocaremus. Præterea probabilius eſſe iudico, eandem eſſe Ezechielis & Ioannis prophetiam,quàm diuerſam,cùm Ioannes ad Ezechielem alluſiſſe videatur;quare non eſt quærendum quo tempore hæc Ezechielis prophetia completa fuerit: nondum enim completa eſt.Quod multi non conſiderantes in varias minùs probabiles ſententias diſtracti ſunt, dum quærit vnuſquiſque in ſuperiorum temporum hiſtoriis in quem maximè, quæ ab Ezechiele dicuntur,conuenire videantur:& alij Antiochum regem,de quo in Machabæorum libris multa narrantur; alij Gothos;alij alios eſſe putant. Quærentes enim tanquam præteritum, quod præteritum non erat;neceſſe fuit aut nihil, aut falſa pro veris inuenire. Tenendum igitur eſt memoria,quod ſæpe monuimus,prophetias,quamuis de ſola Ieruſalem, deque ſolo populo Iudæorum agere videantur; longius tamen ad Eccleſiam Catholicam ſpectare; & ad finem vſque mundi pertinere; quod in hac præſertim accidit prophetia. Cùm enim Ezechiel ſuperiori capite ſub figura liberationis Iudæorum à Babylonica captiuitate, liberationem à captiuitate Diaboli,&Eccleſiæ Catholicæ conſtitutionem prædixiſſet,vaticinatur nunc de futuris Eccleſiæ calamitatibus ſub diuerſis tyrannis,præſertim ſub Antichriſto, quos omnes vocat Gog, eorumque terram Magog, non quòd ita vocandi ſint, aut ex regione Magog erupturi;ſed quòd barbari,immanes,crudeles,ſicut Gog futuri eſſent. Quòd autem argumentantur Iudæi Chriſtum non veniſſe, quia nondum Gog ab illo occiſus eſt, inane eſt ac futile. Nam & Chriſtus venit, & ad finem mundi Antichriſtum *interficiet ſpiritu oris ſui*,vt ait D.Paulus 2. ad Theſſ. cap. 2. verſ. 8. *Principem capitis*, id eſt,principem capitalem, principem primum, primarium ſummum. Hebraïſmus; aut intellecta coniunctione, principem & caput. Septuaginta, &, vt Hieronymus ait, Symmachus, & Theodotio nomen ipſum Hebraïcum ראש. tanquam loci proprium reliquerunt. ſed ex Ioſepho conſtat non eſſe nomen loci, *Moſoch & Thubal*, Moſoch Cappadoces, Thubal Iberos Ioſephus interpretatur, vt ſuprà cap. 27. verſ. 13. Alij Italos ex duobus filiis Iapheth Moſoch & Thubal ſic appellatos. Quamquam alij fortaſſe non ſine magna ratione Iberos nec Hiſpanos, nec Italos,ſed eos, qui Scythis vicini ſunt, intelligunt. Vtcumque ſe res habeat, illum certum eſt, non eſſe ſenſum, Gog eſſe principem Moſoch, & Thubal; erat enim princeps Magog, & erant tria regna, longeque diſſita ſicut Magog, Moſoch, & Thubal tres fratres erant, Geneſ. cap. 10. verſu ſecundo. Sed ſenſus eſt, *Pone faciem tuam contra Gog*. (ſub. נשיא ארץ המגוג principem) terræ Magog, (& contra principem capitis Moſoch, & contra principem) Thubal. quamquam de tribus, tanquam de vno tantùm loquitur,eumque Gog appellat nomine communi.

Nota pro intelligentia Prophetarum.

lib. 1. Antiq. Iudaic. ca. 6.

3. *Ecce ego ad te.*] Venio,vt ſuprà cap. 36. 9. & cap. 35. 3.

4. *Et circumagam te.*] H. שובבתיך. R. Dauid interpretatur, Conteram te, R. Salom.& Ionathas, decipiam te.Melius Septuag. & noſter interpres, *Circumagam te* Nam & verbum id ſignificat,& ſenſus eſt melior.eſt enim ὕστερον πρότερον, pro, ponam frænum in maxillis tuis,& circumagam te, tanquam equum, id eſt, ducam

ducam te quocumque voluero, faciam de te, quidquid mihi libuerit. *Ponam frænum.* חחים alij vertunt hamos, vt de eo tanquam de magno aliquo piſce loquatur. vt ſuprà cap. 29. ver. 4. de Pharaone, & de Leuiathan apud Iob. cap. 40. v. 20. & 21. Atque ita Hebræi interpretantur. Septuag. autem, ſicut Hieronymus, *Ponam frænum in maxillis tuis.* Metaphora diuerſa; ſed idem ſenſus. *Educam te.* ex terra tua tanquam piſcem ex fluuio iniecto hamo; aut, tanquam equum de ſtabulo iniecto fræno, vt extra terram tuam perdam te. Dicit Deus ſe Antichriſtum educturũ, vt Eccleſiam perſequatur, id eſt, permiſſurum, vt exeat, vt poſtquam Eccleſiam fuerit perſecutus; pœnas de illo ſumat. Sicut dicitur in hoc ipſum Pharaonem excitaſſe, vt oſtenderet in illo virtutem ſuam, Exod. 9. 16. & ad Rom. 9. 17. *Et omnem exercitum tuum.* Sicut de Pharaone dixit cap. 29. 4. *Agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis tuis, & extraham te de medio fluminum tuorum, & vniuerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt.*

6. *Gomer.*] Galatæ ex Gomer filio Iapheth appellati, Geneſ. 10. 2. vt Ioſephus interpretatur lib. 1. Antiq. cap. 6. & Theodor. in Commentariis in hunc locum. *Thogormah* verò, Phryges, vt ſuprà cap. 27. 14. Ionathas Germanos eſſe putat.

7. *Præpara te*] Irriſio eſt. quaſi dicat, *præpara te*, & exercitum tuum ad bellum, vt ſimul pereatis. *Eſto illis in præceptum.* duc illos, eſto illis dux. & imperator. H. למשמר in cuſtodiam, vt Septuag. verterunt. irriſio etiam eſt. quaſi dicat, non poteris illos cuſtodire, ac defendere, quin eos interficiam.

8. *Poſt dies multos.*] ad finem mundi, quod D. Ioannes dixit poſt mille annos, poſito numero certo pro incerto, Apocal. 20. 7. R. Dauid ex Hebræorum ſententia, ſcribit tempore Alexandri filios. Magog poſt montes ab eo concluſos ita vt nulla mentio eſſet eorum: extremis autem diebus, id eſt, tempore Meſſiæ viſitandos, id eſt, in memoriam reuocandos, vt ex eo loco educantur, & in Ieru-

Rabbinorum commentum. ſalem veniant. Rabbinorum commenta ſunt. *Quæ reuerſa eſt à gladio.* ad Ieruſalem, cuius ciues ex Babylonica redierint captiuitate, vbi gladio trucidabantur, vt Chal. intepretatur: משובבת מחרב. Hebræi exponunt, ad terram contritam & vaſtatam gladio. Meliùs Septuaginta & noſter interpres, vt verſu 4. *Et congregata eſt de populis multis.* apud quos diſperſa & captiua erat. *Ad montes Iſraël.* Declarat per appoſitionem, quæ ſit ea terra: ponit enim montes pro tota regione per Synecdochen, vt cap. præcedenti ver. 22. *Qui fuerunt deſerti iugiter.* longo tempore; ſeptuaginta annos, quibus Iudæi captiui fuerunt, Ieremias cap. 25. verſu 12. *Hæc.* terra, id eſt, homines, qui in ea habitant, educti ſunt ex captiuitate: educti erunt tunc, ita vt in terra ſua confidenter ac ſecurè habitare poſſint.

9. *Quaſi tempeſtas, & quaſi nubes.*] duabus metaphoris duo ſignificat; impetum, & multitudinem militum, vt Dan. 11. 40. *Quaſi tempeſtas veniet contra illum rex Aquilonis, in curribus, & in equitibus, & in claſſe magna.* & Ierem. 4. 13. *Ecce, quaſi tempeſtas aſcendet, & quaſi nubes currus eius.*

Hebraïſmus. 10. *Aſcendent ſermones.*] Hebraïſmus, id eſt, in animum induces, cogitabis, vt ſtatim declarat: Cogitatio autem eius peſſima eſt, quæ ſequitur.

Terra abſque muro Eccleſia, & cur. 11. *Ad terram abſque muro.*] Ad Eccleſiam, vt eam oppugnem, quæ ſine muro, ſine portis, ſine vectibus eſſe dicitur, quia *arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia*, 2. Cor. 10. 4.

12. *Vt inferas manum.*] להשיב ידך. vt reducas manum tuam, id eſt, vt eos, qui iam antè à Babyloniis ſpoliati fuerant, iterum ſpolies; aut myſticè, vt eos qui

ſub

Digitized by Google

ſub Diaboli captiuitate fuerant, ab eáque liberati, in eandem iterum trahas: aut, vt eos non ſemel tantùm, ſed iterum, atque iterum ſpolies. *Qui poſſidere fecit.* עשה מקנה וקנין. qui facit pecudem, & opes, id eſt, qui pecudibus & opibus negotiatur. Per pecudes, & opes omne diuitiarum genus intelligit; quia olim maximæ diuitiæ pecudes erant. Myſticè vero per opes virtutes, & dona Sancti Spiritus intelliguntur, quæ Antichriſtus, & eius miniſtri ex Chriſtianorum animis eripere conantur. *Vmbilici terræ.* Putant Hebræi terram Iuda vmbilicum terræ vocari, quod altiſſima totius terræ regio ſit: quod ſine ratione dictum eſt. Vmbilicus igitur dicitur, aut propter fertilitatem, aut quia in medio omnium terrarum, quæ tunc habitabantur, eſſe videbatur; ſicut Cicero Ennam Siciliæ vrbē, quòd in media inſula ſita eſſet, Siciliæ vmbilicum appellauit.

Vmbilicus terra Iuda cur dicta.

Orat. 6. in Verrem.

13. *Saba & Dedan.*] Sabæi & Idumæi. Nam Dedan ciuitas Idumææ erat, vt conſtat ex cap. 25. 13. & 27. 15. *Negotiatoris Tharſis*, maris, aut Carthaginis, aut Tarſi; vt ſæpe declarauimus. *Et omnes leones eius.* omnes principes, quos per metaphoram leones vocat. Sept. non videntur legiſſe כפיריה. ſed כפריה. verterunt enim, *καὶ πᾶσαι αἱ κῶμαι αὐτῶν. & omnes villæ eius*: ſenſúſque valde cohæret. Significat fore, vt omnes hæretici qui antiquas cum Eccleſia inimicitias gerebant, Antichriſto adhæreant, eúmque ad ſpoliandam Eccleſiam cohortentur. Nam iſti quos nominat, inimici Iudæorum erant, vt apparet cap. 25. & 27.

Haretici omnes Antichriſto adhæſuri.

16. *Cùm ſanctificatus fuero.*] Cùm me ſanctum iuſtúmque oſtendero te occidendo, omnes gentes intelligent me eſſe Deum, vt c. 28. 22. & 36. 23.

17. *Tu ergo ille eſt.*] האתה. nonne tu es? *In manu ſeruorum.* Notus Hebraiſmus, per ſeruos meos Prophetas. *In diebus illorum temporum.* בימים ההם שנים. in diebus illis annis, id eſt, temporibus illis antiquis ante multos annos; aut, ante aliquot annos; aut multi iam ſunt anni, aut aliquot ſunt anni. Non eſt neceſſe nimis anxiè quærere, qui ſint iſti Prophetæ, qui olim de Antichriſto dicuntur vaticinati; cùm non dicantur ſcripſiſſe; ſed locuti eſſe. Nec enim omnes Prophetæ ſcripſerunt ſua vaticinia. Putat tamen Hieronymus ex ſententia Septuaginta alludi ad vaticinium Balaam, quod eſt in lib. Num. c. 24. v. 7. vbi illi verterunt, Et eleuabitur Gog regnum eius, & creſcet regnum illius. Sed & nos, & Hebræi aliter legimus. Sunt qui putent Iſaiam cap. 17. ver. 12. & cap. 26. ver. 19. & cap. 56. ver. 9. de Antichriſto loqui. Hieronmyus Ioëlem eadem de re vaticinari exiſtimat cap. 2. 2. R. Salomon, & R. Dauid ipſum Ezechielem & Zachariam hoc loco ſignificari dicunt. Zacharias enim cap. 14. 1. 2. ita ſcribit. *Ecce venient dies Domini, & diuidentur ſpolia tua in medio tui, & congregabo omnes gentes ad Ieruſalem in prælium.* Quod mihi non probant. Nam præterquam quòd hoc de Antichriſto, & Eccleſia, vt oportebat, non interpretantur: repugnat quod hîc dicitur, *In diebus antiquis*, & ante multos annos eas prophetias editas fuiſſe. Meum conſilium eſt, vt quod inueniri non poteſt, non fruſtra quæramus.

Quinam Prophetæ antiqui de Antichriſto vaticinati dicantur.

18. *Indignatio mea in furore meo.*] Hebraiſmus, id eſt, vehementer, & vſque ad furorem indignabor. Dicit Deus ſe contra Eccleſiam vehementer indignaturum, quia permittet eam ab Antichriſto valde vexari.

19. *Commotio magna.*] Deſcribit finem mundi ſub Antichriſto, vt Matth. 24. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſq; modò, neq; fiet.*

20. *A facie mea.*] propter me, metu mei, vt Pſal. 113. 7. *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. Cadent ſepes.* מדרגות. Hebræi gradus interpretantur: quòd

NNn mihi

Digitized by Google

mihi non placet, Quis enim ſenſus eſt, cadent gradus? Meliùs Hieronymus in Commentariis, Cadent munitiones: & Ionathas Chaldæus מִגדליא. cadent turres.

21. *Gladium vniuſcuiuſque.*] faciam, vt ipſi ſeſe propriis armis conficiant, ſicut feci olim vt ſeſe Philiſthæi interficerent, 1. Reg. c. 14. 20. Conuenit hoc in hæreticos ſub Antichriſto militantes, qui ſeſe alij alios confutare ſolent.

22. *Et iudicabo eum.*] puniam eum peſte, & gladio. H. ונשפטתי. & iudicabor cum eo id eſt, iudicio cum eo contendam ea lege, vt ſi eum vicero, peſte & gladio eum puniam. Hebraiſmus, qualis ſup c. 17. 20. & c. 20. 35. 36. & Iere. 2. 35. *Lapidibus immenſis.* אבני אלגביש lapidibus grandinis, vt Sept. vertterunt, vt ſup. c. 13. 11. 13. *Ignem & ſulphur.* Quæ damnatorum pœna eſt, vt Pſal. 10. 6. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorũ.*

CAPVT XXXIX.

TV autem fili hominis vaticinare aduerſum Gog, & dices, Hæc dicit Dominus
Deus, Ecce ego ſuper te Gog principem capitis Moſoch & Thubal: 2 *Et circumagam te, & ſeducam te, & aſcendere te faciam de lateribus Aquilonis: &*
adducam te ſuper montes Iſraël. 3 *Et percutiam arcum tuum in manu ſiniſtra tua,*
& ſagittas tuas de manu dextera tua deiiciam. 4 *Super montes Iſraël cades tu, &*
omnia agmina tua & populi tui qui ſunt tecum: feris, auibus, omnique volatili, & beſtiis
terræ dedi te ad deuorandum. 5 *Super faciem agri cades: quia ego locutus ſum, ait*
Dominus Deus. 6 *Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitant in inſulis*
confidenter: & ſcient quia ego Dominus. 7 *Et meum nomen ſanctum notum faciam in*
medio populi mei Iſrael, & non polluam nomen ſanctum meum ampliùs: & ſcient Gentes
quia ego Dominus ſanctus Iſraël. 8 *Ecce venit, & factum eſt, ait Dominus Deus, hæc*
eſt dies de qua locutus ſum. 9 *Et egredientur habitatores de ciuitatibus Iſraël, & ſuc-*
cendent & comburent arma, clypeum & haſtas, arcum & ſagittas, & baculos, manus, &
contos: & ſuccendent ea igni ſeptem annis. 10 *Et non portabunt ligna de regionibus, neq;*
ſuccident de ſaltibus, quoniam arma ſuccendent igni, & deprædabuntur eos quibus prædæ
fuerant, & diripient vaſtatores ſuos, ait Dominus Deus. 11 *Et erit in die illa: dabo Gog*
locum nominatum ſepulchrum in Iſraël: vallem viatorum ad orientem maris, quæ obſtu-
peſcere faciet prætereuntes & ſepelient ibi Gog & omnem multitudinem eius, & vocabitur
Vallis multitudinis Gog. 12 *Et ſepelient eos domus Iſraël, vt mundent terram ſeptem*
menſibus. 13 *Sepeliet autem eum omnis populus terræ, & erit eis nominata dies, in qua*
glorificatus ſum, ait Dominus Deus. 14 *Et viros iugiter conſtituent luſtrantes terram*
qui ſepeliant & requirant eos, qui remanſerant ſuper faciem terræ, vt emundent eam, poſt
menſes autem ſeptem quærere incipient. 15 *Et circuibunt peragrantes terram: cumq; vi-*
derint os hominis, ſtatuent iuxta illud titulum, donec ſepeliant illud pollinctores in Valle
multitudinis Gog. 16 *Nomen autem ciuitatis Amona, & mundabunt terram.* 17 *Tu*
ergo fili hominis, hæc dicit Dominus Deus, Dic omni volucri & vniuerſis auibus, cunctiſq;
beſtiis agri Conuenite, properate, concurrite vndiq; ad victimam meam quam ego immolo
vobis, victimam grandem ſuper montes Iſraël. vt comedatis carnem & bibatis ſanguinem.
18 *Carnes fortium comedetis, & ſanguinem principum terræ bibetis arietum, agnorum,*
& hircorum taurorumq; & altilium, & pinguium omnium. 19. *Et comedetis adipem in*
ſaturitatem, & bibetis ſanguinem in ebrietatem, de victima quam ego immolabo vobis:
20 *& ſaturabimini ſuper menſam meam de equo, & equite forti, & de vniuerſis viris*
bella-

Digitized by Google

bellatoribus, ait Dominus Deus. 21 *Et ponam gloriam meam in Gentibus, & vi-*
debunt omnes Gentes iudicium meum quod fecerim, & manum meam quam poſuerim
ſuper eos. 22 *Et ſcient domus Iſraël quia ego Dominus Deus eorum à die illa &*
deinceps. 23 *Et ſcient Gentes quia in iniquitate ſua capta ſit domus Iſraël: eo quòd*
dereliquerint me, & abſconderim faciem meam ab eis, & tradiderim eos in manus hoſtiū,
& ceciderint in gladio vniuerſi. 24 *Iuxta immunditiam eorum & ſcelus feci eis, & ab-*
ſcondi faciem meam ab illis. 25 *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Nunc reducam*
captiuitatem Iacob, & miſerebor omnis domus Iſraël: & aſſumam zelum pro nomine
ſancto meo. 26 *Et portabunt confuſionem ſuam, & omnem præuaricationem qua præ-*
uaricati ſunt in me, cùm habitauerint in terra ſua confidenter neminem formidantes.
27 *Et reduxero eos de populis, & congregauero de terris inimicorum ſuorum, & ſanctifi-*
catus fuero in eis in oculis gentium plurimarum. 28 *Et ſcient quia ego Dominus Deus*
eorum, eo quòd tranſtulerim eos in nationes, & congregauerim eos ſuper terram ſuam, &
non dereliquerim quemquam ex eis ibi. 29 *Et non abſcondam vltrà faciem meam ab*
eis, eo quòd effuderim ſpiritum meum ſuper omnem domum Iſraël, ait Dominus Deus.

PERSEQVITVR idem argumentum, deſcribítque interitum Gog.

1. *Tu autem.*] ואתה. & tu, tu ergo: & hæc verba cum ſuperiori capite nectantur. *Ecce ego.* vide cap. præcedente ver. 3.

2. *Et circumagam te.*] vt cap. ſuperiori v. 4. *Et educam te.* H. ושִׁשֵּׁאתִיךָ. ad verbum, Et ſextabo te. Quod aliqui interpretantur, Occidam ſextam partem exercitus tui. Alij, vt R. Dauid, relinquam ſextam tantùm partem exercitus tui. Vtrumque mihi videtur menti Prophetæ repugnare. Vult enim ſignificare, Gog non ex parte, ſed omnino perdendum atque delendum eſſe, vt apparet ex toto capite. Melius R. Ioſeph Quimchi, vt recitat eius filius R. Dauid, exponebat, Sextabo te, id eſt, ſex iudiciis iudicabo te, peſte, gladio, pluuia vehementi, lapidibus grandinis, igne, ſulphure, vt dixit c. præcedenti v. 22. Ionathas & R. Salom. exponunt, ſeducam te, vt c. præcedenti ver. 4. expoſuerunt verbum שובבתיך. Alij, vt refert R. Dauid, interpretantur, Succidere faciam te. Hieron. & Sept. *educam*, aut deducam te, meliore prorſus ſenſu. Sequitur enim, *Et aſcendere faciam te de lateribus Aquilonis*, vt ſuperiore cap. v. 6. & 15.

3. *Et percutiam.*] excutiam arcum ex manu tua ſiniſtra, qua arcus teneri ſolet, & ſagittas tuas de dextera, qua in arcu ponuntur. Vnam ſpeciem pro toto armorum genere poſuit. quaſi dicat, exarmabo te, efficiam, vt arma tibi præ metu è manibus decidant.

4. *Super montes Iſraël.*] in loco conſpicuo toti Eccleſiæ, vt ſanctificer in te, vt dixit ſuperiori cap. ver. 16. Solent enim rei in loco edito prope viam publicam ſuſpendi, vt ab omnibus conſpiciantur, & terrori ſint, *Feris, auibus. omniq; volatili.* לעיט צפור כל כנף. volucri volatili omnis alæ, id eſt, omni generi volucrum.

6. *In Magog.*] in regionem, & terram regis Gog, & in omnes inſulas illi ſubiectas. Nam Plinius in mari Scythico multas inſulas eſſe tradit. Magog autem terra erat Gog, vt conſtat ex ipſo loco, & ex ſuperiori cap. ver. 2. Significat ergo myſticè fore vt totum Antichriſti regnum aboleatur.

7. *Non polluam.*] non patiar pollui: polluebatur autem cùm homines videntes populum Dei miſerabiliter affligi, exiſtimabant eum non eſſe verum Deum, vt declarauit ſuprà c. 36. 20. 21. Id fiet tempore Antichriſti, *cùm in errorem inducentur, ſi fieri poteſt, etiam electi*, Matth. 24. 24.

Digitized by Google

8. *Ecce venit, & factum eſt.*] id eſt, propè eſt vt fiat quod prædixi. Dicit autem propè eſſe, quia mille anni apud Deum ſicur dies vna, vt D. Petrus interpretatur 2. epiſt. c. 3. 8. Quemadmodum Ioan. dicit nouiſſimam horam eſſe, 1. epiſt. c. 2. 18.

T‹..›s armis id eſt, haſtis, ſagittis, &c. exercitus Gog. an 7. annis comburenda ſint.

9. *Et egredientur habitatores.*] Hebræi recentiores hæc verba nimis hiſtoricè intelligunt, quaſi re vera fururum ſit, vt Iudæi non aliis lignis per ſeptem annos, quàm haſtis, & ſagittis hoſtium ad ignem vtantur; itaque donec id fieri videant ſuum Meſſiam expectant. Nos nihil aliud his verbis ſignificari exiſtimamus, quàm inſignem victoriam de Antichriſto & eius exercitu. Quòd verò dicit per ſeptem annos non alia eſſe ligna comburenda, partim hyperbole eſt, partim ſynecdoche, qua numerus certus pro incerto ponitur; quod in numero præſertim ſeptenario apud Hebræos fieri conſueuit, vt Prouerb. 24. 16. *Septies in die cadet iuſtus.* Iſa. 4. 1. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum*, id eſt, multæ: multíſque aliis locis, quos in Commentariis adnotauimus.

10. *Neque ſuccident de ſaltibus.*] Quædam exemplaria correptè legunt, ſuccendent. Nam & verbum חטב. ſuccidere ſignificat, & ſic Hieron. & Sept. verterunt, ſenſúſque magis eſt conſentaneus. *Et deprædabuntur*, vt Iſai. 33. 1. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? cum conſummaueris deprædationem deprædaberis.*

11. *Dabo locum nominatum.*] qui ex eius ſepulchro, & ex multitudine hominum, qui cum illo ſepelientur, nominatus & celebris erit, *vocabitur* enim *vallis multitudinis Gog*, vt paulò pòſt dicit. Hebræi nunc legunt, מקום שם קבר. locum ibi ſepulchri ibi per tranſpoſitionem verborum, vt ait R. Dauid. Noſter verò interpres, & Septuaginta alio puncto legerunt, מקום שם. locum nominis, id eſt, nobilem ac celebrem. Ac ſenſus quidem eſt melior. Nam ſi legamus, Ibi, nugatoria repetitio erit, cùm dicat, *In Iſraël.* Accedit, quòd nomen מקום. eſt in regimine, vt Grammatici vocant, genitiui: quòd meliùs cum nomine, quàm cum aduerbio cohæret. Atque eodem modo videtur legiſſe Chaldæus Paraphraſtes; vertit enim אתר כשר. locum rectum, aut idoneum.

De ſepulchro Gog.

Vallem viatorum. גי העברים. vallem tranſeuntium, id eſt vallem celebrem, qua multi tranſire ſolent, vt à quamplurimis eius ſepulchrum videatur. ſepulchrum vocat, non Mauſolæum aliquod, ſed totam ipſam vallem, qua Gog & eius exercitus ſepelietur non honoris cauſa; ſed ne fœtore ſuo aërem inficiant. *Ad orientem maris.* Ad orientem verſus mare; vel per metatheſim, ad mare orientale, id eſt, ad mare mortuum; quod Hieroſolymis orientale eſt, qui in ſcripturis vocatur lacus Geneſareth, vt Chaldæus interpretatur. Hebraicè verò כנרת. *Cenereth*, vt ait R. Dauid. *Quæ obſtupeſcere faciet.* præ multitudine ſepulchrorum. H. חוסמת. quæ vallis obturare faciet (nares) prætereuntes propter ingentem fœtorem vt R. Manahem, & R. Dauid exponunt. *Et vocabitur.* Non eſt neceſſe fore vt ita vocetur, ſed vt eiuſmodi ſit. Nam vt ſæpe diximus, Vocari apud Hebræos aliquando ſignificat, Eſſe; vt Iſai. 7. 14. *Vocabitur nomen eius Emmanuel.* & Ierem. 3. 17. *Vocabunt Ieruſalem ſolium Domini.* Quæ autem de ſepulchro Gog hoc loco dicuntur myſticè, ſicut cætera intelligenda eſſe arbitror, fore vt Antichriſtus, & eius ſectatores non ſolùm in media Eccleſia occidantur; ſed etiam ſepeliantur, id eſt, deleatur prorſus eorum memoria. ſcripſit enim ac poſuit medium locum Iudææ, pro media Eccleſia.

Vocari apud Hebræos idem quod eſſe interdum.

Quæ de ſepulchro Gog hic dicuntur, quo ſenſu intelligenda.

12. *Septem menſibus.*] Multis menſibus, vt ſuprà adnotauimus ver. 9. hoc eſt laborabunt longo tempore Catholici in opprimenda Antichriſti & hæreticorum doctrina, vt Eccleſiam repurgent.

14. *Viros*

Digitized by Google

14. *Viros iugiter.*] אנשי תמיד. viros perpetuitatis, id eſt, aſſiduos, qui nihil aliud faciant, quàm inquirere, & ſepelire cadauera. quaſi dicat, poſtquam totus populus Catholicus maximam hæreticorum multitudinem oppreſſerit, conſtituentur certi homines, qui reliquos inquirant ac deleant, quod in regnis bene conſtitutis inquiſitores fidei hodie faciunt. *Poſt menſes ſeptem.* poſtquam longo tempore totus populus maiorem eorum multitudinem ſepelierit, vt dixit ver. 12. *Quærere incipient.* יחקורו. quærent, ad verbum, quod Hebræi in contrariam ſententiam interpretantur, quærere deſinent. Meliùs noſter interpres & Chaldæus Paraphraſtes. *Inquiſitores fidei.*

15. *Statuent iuxta illud titulum.*] vt cognoſcatur eſſe os humanum, & ſepeliatur, id eſt, notabunt hæreticos vbicumque repererint, donec comprehendantur, & aut corrigantur, aut puniantur.

16. *Nomen autem ciuitatis.*] quæ in valle, vbi Gog, & eius exercitus ſepeliendus eſt, aut, vt alij interpretantur, Ieruſalem, id eſt, Eccleſia erit hæreticorum ſepultura. Amona. המונה. *Hamonah*, id eſt, multitudo vocabitur à multitudine hominum ſepultorum. πολυάνδριον, vt Sept. verterunt, ſicut dixit vallem vocandam eſſe vallem multitudinis Gog.

17. *Omni volucri & vniuerſis auibus.*] צפור כל כנף. aui omnis alæ, id eſt, omni generi volucrum, vt ſuprà ver. 4. *Ad victimam meam.* Victimam ſuam per metaphoram appellare ſolet Deus magnam hoſtium ſuorum cædem vt apud Iſa. c. 36. 6. *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, de ſanguine agnorum & hircorum, de ſanguine medulatorum arietum: victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom.* & apud Ierem. c. 46. 10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum dies vltionis, vt ſumat vindictam de inimicis ſuis. Deuorabit gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum. Victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.* & ſuprà c. 21. 9. 10. *Gladius, gladius exacutus eſt & limatus; vt cadat victimas exacutus eſt, vt ſplendeat limatus eſt.*

18. *Altilium, & pinguium omnium.*] פרים מריאי בשן כלם. taurorum, & boum Baſan omnium, id eſt, qui omnes in Baſan ſaginati ſunt. Erat enim Baſan regio paſtu celeberrima, vt ex multis ſcripturæ locis perſpicuum eſt. *Erat Baſan regio paſtu celeberrima.*

20. *Super menſam meam.*] *Menſam meam.* vocat Deus vallem illam multitudinis Gog plenam cadaueribus, de qua ver. 11.

21. *Et ponam.*] Oſtentabo gloriam meam inter Gentes. *Et manum meam*, ſtragem, quam in hoſtibus meis fecerim. Hebraiſmus.

23. *Et ſcient.*] intelligent omnes gentes domum Iſraël, non infirmitate, & impotentia mea, vt antè putabant, ſed propter peccata ſua in captiuitatem ductam fuiſſe; cùm viderint me poſtquam eam caſtigaui, eius hoſtes penitus deleuiſſe.

25. *Reducam captiuitatem Iacob.*] in libertatem aſſeram filios Iacob, & Iſraël, qui captiui tenentur; Congregabo Eccleſiam meam, & ab hoſtium tyrannide liberabo. *Et aſſumam zelum*, id eſt, vindicabo ab iniuriis Gentium nomen ſanctum meum, ne dicant ampliùs, *Vbi eſt Deus eorum?* Pſal. 113. 10. Non patiar deinceps pollui nomen meum, vt dixit v. 7. Non faciam propter eorum merita, ſed propter nomen meũ, ne ampliùs inter Gentes polluatur, vt dixit c. 36. 22.

26. *Et portabunt.*] id eſt, veniet illis in mentem ſuorum peccatorum, eorúmque illos pœnitebit; & pœnitentiam quam afflicti in captiuitate non egerant, agent liberationis beneficio prouocati. Sic interpretor ex aliorũ locorum collatione. Eodem enim ſenſu eadem de re loquens dixit ſuprà cap. 36. 30. 31. *Et*

multiplicabo fructum ligni & genimina agri: vt non portetis vltrà opprobrium famis in Gentibus. Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorúmque non bonorum: & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra. & c. 20. v. 42. & 43. *Et ſcietis quia ego Dominus; cùm induxero vos ad terram Iſraël in terram pro qua leuaui manum meam, vt darem illam patribus veſtris. Et recordabimini ibi viarum veſtrarum, & omnium ſcelerum veſtrorum, quibus polluti eſtis in eis; & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro in omnibus malitiis veſtris, quas feciſtis.* & c. 16. v. 60. 61. *& ſuſcitabo tibi pactum ſempiternum. Et recordaberis viarum tuarum & confunderis.* & v. 63. *Vt recorderis & confundaris; & non ſit tibi vltrà aperire os præ confuſione tua; cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ feciſti.* Hic eſt verus ſenſus. Hebræorum autem interpretationes mihi hoc loco non placent.

Deus abſolutè dicitur Sanctus. 27. *Sanctificatus fuero.*] Cùm oſtendero me Deum eſſe. Nam Sanctus abſolutè dicitur Deus, itaque Sanctificari eſt oſtendere ſe Deum eſſe, vt c. præcedenti ver. 16. *In oculis Gentium.* inſpectantibus omnibus gentibus, vt ſuperiore c. ver. 16. & 27.

28. *Et non reliquerim.*] De prædeſtinatis loquitur. Quia *ſi fuerit populus tuus Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ, conuertentur ex eo.* Iſai. 10.22. & Rom 9.27. Hoc eſt, quod Chriſtus dicebat, *Pater quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Ioan. 17. 12. & 18. 9.

29. *Non abſcondam.*] Non deſeram Eccleſiam. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Matth. 28. 20. *Eo quòd effuderim ſpiritum meum.* Eo quòd toto animo amauerim Eccleſiam, eo quòd effuſiſſimè Eccleſiam dilexerim. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Et quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Ioann. 3. 16. & Rom. 8. 32. Poteſt etiam de Spiritu ſancto verè, aptéque intelligi, *quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum*, ad Titum 3. 6 *Charitas* enim *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* ad Rom. 5. 5. Eadem ſententia apud Ioelem cap. 2. ver. 28. & Iſai. cap. 44. 3. quæ explicata eſt Act. 2. ver. 17.

CAPVT XL.

IN vigeſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ, in exordio anni, decima menſis quatuordecimo anno poſtquam percuſſa eſt ciuitas, in ipſa hac die facta eſt
ſuper me manus Domini, & adduxit me illuc. 2 *In viſionibus Dei ad-*
duxit me in terram Iſraël, & dimiſit me ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat
ædificium ciuitatis vergentis ad Auſtrum. 3 *Et introduxit me illuc: & ecce vir*
cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus menſu-
ræ in manu eius: ſtabat autem in porta. 4 *Et locutus eſt ad me idem vir, Fili ho-*
minis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ oſtendam
tibi: quia vt oſtendantur tibi adductus es huc: annuntia omnia quæ tu vides domui Iſ-
raël. 5 *Et ecce murus forinſecus in circuitu domus vndique & in manu viri calamus*
menſuræ ſex cubitorum & palmo: & menſus eſt latitudinem ædificij calamo vno, altitu-
dinem quoque calamo vno. 6 *Et venit ad portam, quæ reſpiciebat viam orientalem:*
& aſcendit per gradus eius: & menſus eſt limen portæ calamo vno latitudinem, id eſt li-
men vnum calamo vno in latitudine. 7 *Et thalamum vno calamo in longum & vno ca-*
lamo

lamo in latum: & inter thalamos quinque cubitos: 7 & limen portæ iuxta veſtibulum portæ intrinſecus, calamo vno. 9 Et menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis: veſtibulum autem portæ erat intrinſecus. 10 Porrò thalami portæ ad viam orientalem, tres hinc & tres inde: menſura vna trium, & menſura vna frontium ex vtraque parte. 11 Et menſus eſt latitudinem liminis portæ decem cubitorum: & longitudinem portæ tredecim cubitorum. 12 Et marginem ante thalamos cubiti vnius: & cubitus vnus finis vtrinque: thalami autem ſex cubitorum erant hinc & inde. 13 Et menſus eſt portam à tecto thalami, vſque ad tectum eius, latitudinem viginti quinq; cubitorum: oſtium contra oſtium. 14 Et fecit frontes per ſexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ vndique per circuitum: 15 Et ante faciem portæ quæ pertingebat vſq; ad faciem veſtibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos. 16 Et feneſtras obliquas in thalamis & in frontibus eorum quæ erant intra portam vndiq; per circuitum: ſimiliter autem erant, & in veſtibulis feneſtræ per gyrum intrinſecus; & ante frontes picturæ palmarum. 17. Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimentum ſtratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pauimenti. 18. Et pauimentum in fronte portarum ſecundum longitudinem portarum erat inferius. 19. Et menſus eſt latitudinem à facie portæ inferioris vſque ad frontem atrij interioris extrinſecus, centum cubitos ad Orientem & ad Aquilonem. 20. Portam quoque quæ reſpiciebat viam Aquilonis atrij exterioris, menſus eſt tam in longitudine quàm in latitudine. 21. Et thalamos eius tres hinc & tres inde: & frontem eius, & veſtibulum eius ſecundum menſuram portæ prioris: quinquaginta cubitorum longitudinem eius, & latitudinem viginti quinque cubitorum. 22. Feneſtræ autem eius, & veſtibulum, & ſculpturæ ſecundum menſuram portæ quæ reſpiciebat ad Orientem: & ſeptem graduum erat aſcenſus eius: & veſtibulum ante eam. 23. Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem: & menſus eſt à porta vſq; ad portam centum cubitos. 24 Et eduxit me ad viam Auſtralem, & ecce porta quæ reſpiciebat ad Auſtrum: & menſus eſt frontem eius, & veſtibulum eius iuxta menſuras ſuperiores. 25 Et feneſtras eius & veſtibula in circuitu, ſicut feneſtras ceteras: quinquaginta cubitorum longitudine & latitudine viginti quinque cubitorum. 26 Et in gradibus ſeptem aſcendebatur ad eam: & veſtibulum ante fores eius: & cælatæ palmæ erant, vna hinc, & altera inde in fronte eius. 27 Et porta atrij interioris in via Auſtrali: & menſus eſt à porta vſque ad portam in via Auſtrali, centum cubitos. 28 Et introduxit me in atrium interius ad portam Auſtralem: & menſus eſt portam iuxta menſuras ſuperiores. 29 Thalamum eius, & frontem eius, & veſtibulum eius eiſdem menſuris: & feneſtras eius, & veſtibulum eius in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis viginti quinque cubitos. 30 Et veſtibulum per gyrum, longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum. 31 Et veſtibulum eius ad atrium exterius, & palmas eius in fronte: & octo gradus erant quibus aſcendebatur per eam. 32 Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem: & menſus eſt portam ſecundum menſuras ſuperiores. 33 Thalamum eius, & frontem eius, & veſtibulum eius, ſicut ſuprà: & feneſtras eius, & veſtibula eius in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum. 34 Et veſtibulum eius, id eſt, atrij exterioris: & palmæ cælatæ in fronte eius hinc & inde & in octo gradibus aſcenſus eius. 35 Et introduxit me ad portam, quæ reſpiciebat ad Aquilonem: & menſus eſt ſecundum menſuras ſuperiores. 36 Thalamum eius, & frontem eius, & veſtibulum eius, & feneſtras eius per circuitum longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinq; cubitorum. 38 Et veſtibulum eius reſpiciebat ad atrium exterius: & cælatura palmarũ in fronte eius hinc & inde: & in octo gradibus aſcenſus eius. 38 Et per ſingula gazophylacia oſtium in fron-

frontibus portarum: ibi lauabant holocauſtum. 39 *Et in veſtibulo porta duæ menſæ*
hinc, & duæ menſæ inde, vt immolaretur ſuper eas holocauſtum, & pro peccato, & pro
delicto. 40 *Et ad latus exterius quod aſcendit ad oſtium portæ quæ pergit ad Aqui-*
lonem, duæ menſæ: & ad latus alterum ante veſtibulum portæ duæ menſæ. 41 *Quat-*
tuor menſæ hinc, & quatuor menſæ inde per latera portæ, octo menſæ erant ſuper
quas immolabant. 42 *Quatuor autem menſæ ad holocauſtum, de lapidibus qua-*
dris extructæ longitudine cubiti vnius & dimidij, & latitudine cubiti vnius, & dimi-
dij, & altitudine cubiti vnius ſuper quas ponent vaſa in quibus immolatur holocauſtum
& victima. 43 *Et labia earum palmi vnius, reflexa intrinſecus per circuitum: ſu-*
per menſas autem, carnes oblationis. 44 *Et extra portam interiorem gazophylacia*
cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ reſpicientis ad Aquilonem: & facies
eorum contra viam auſtralem, vna ex latere portæ orientalis quæ reſpiciebat ad viam
Aquilonis. 45 *Et dixit ad me, Hoc eſt gazophylacium quod reſpicit viam meridia-*
nam, ſacerdotum erit qui excubant in cuſtodijs templi. 46 *Porrò gazophylacium quod*
reſpicit ad viam Aquilonis, ſacerdotum erit qui excubant ad miniſterium altaris: iſti
ſunt filij Sadoch, qui accedunt de filijs Leui ad Dominum vt miniſtrent ei. 47 *Et*
menſus eſt atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per
quadrum: & altare ante faciem templi. 48 *Et introduxit me in veſtibulum templi*
& menſus eſt veſtibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & latitudinem
portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde. 49 *Longitudinem autem veſti-*
buli, viginti cubitorum: & latitudinem vndecim cubitorum, & octo gradibus aſcende-
batur ad eum. Et columnæ erant in frontibus: vna hinc & altera inde.

Vltima prophetia Ezechielis obſcuriſſima.

OSTENDITVR Prophetæ per ſpiritum futura ciuitatis, & templi reſtauratio. Hæc eſt vltima Ezechielis prophetia, ſed adeo difficilis & obſcura, vt vix intelligi poſſe videatur. Itaque ſimilis eſt principio finis. Eadémque apud Hebræos traditione cauebatur, ne quis ante trigeſimum ætatis annum principium, & finem Ezechielis legeret. Quod in primo capite fecimus, id hoc loco faciendum puto; vt quoniam duplex obſcuritas eſt; altera ſingulorum verborum, & figuræ, quæ Prophetæ demonſtrata eſt: altera, ſignificationis: primùm ſingula verba totius prophetiæ, quæ nouem ſequentibus capitibus continetur, explanemus, figuramque templi & vrbis, Prophetæ per viſionem demonſtratam deſcribemus. Deinde quid per eam ſignificetur, poſt finem vltimi capitis exponemus.

De tempore huius vltimæ prophetiæ.

1. *Vigeſimo quinto anno.*] Anno quinto menſe quarto, die quinto aperti fuerant Prophetæ cæli, cap. 1. 1. 2. itaque viginti pòſt annis, aut, vt minutiùs Hieronymus colligit, decem & nouem, nouem menſibus, quinque diebus oſtenſa eſt illi noui templi figura. Decem autem & nouem annis poſtquam vidit gloriam Dei è templo diſcedentem. Nam anno ſexto gloriam è templo, & è ciuitate diſcedentem viderat, cap. 8. 1. & cap. 11. 23. Ex quo colligunt Hebræi hanc noui templi reſtaurationem initio anni iubilæi Ezechieli fuiſſe patefactam. Putant enim, vt initio capitis primi diximus, Ezechielem anno trigeſimo poſt vltimum iubilæum cœlos apertos vidiſſe, qui idem fuit quintus tranſmigrationis annus, cap. 1. ver. 2. Hanc autem templi reſtaurationem vidit anno eiuſdem tranſmigrationis vigeſimo quinto: ex quibus ſi quinque demas, qui, cùm cœlos apertos vidit, iam effluxerant, reliqui erunt viginti: Qui additi ad triginta, qui vt illi probarit ex סדר עולם. iam præterierant ab vltimo iubilæo, efficiunt quinquaginta ànnos. Anno autem quinquageſimo erat

erat iubilæus Leuit. 25. 10. Res incerta & ſcitu non admodum neceſſaria, ſed probabilis. *Tranſmigrationis noſtræ.* Indicat ſe cum Iechonia in Chaldæam tranſmigraſſe. Vocat autem tranſmigrationem, non captiuitatem, quia Iechonias non fuit captus vt Sedecias; ſed ſponte dedidit ſe, 4. Reg. 24. 12. vt cap. 1. v. 1. notauimus. Quamuis ſæpe captiuitatis & tranſmigrationis nomen in vnum confundatur. *Exordio anni.* Qui hunc annum iubilæum fuiſſe putant, exordium anni ſeptimum anni menſem interpretantur; Quo menſe iubilæus inchoabatur. Leuit. 25. 9. 10. Ego primum anni vigeſimi quinti tranſmigrationis menſem intelligo. Cùm enim ſoleat Propheta & annum, & menſem, & diem nominare: hic autem annum quidem & diem notauerit: quo verò loco menſis notandus erat, ibi exordium anni dixerit, credendum eſt voluiſſe illum certum aliquem menſem more deſignare. Nullum autem menſem exordij nomine niſi primum deſignare potuit. *Quarto decimo anno.* Vndecimo tranſmigrationis Iechoniæ anno capta fuit Ieruſalem, qui idem fuit vndecimus regni Sedeciæ annus, 4. Reg. 25. 2. & Ierem. 39. 2. & 52. 5. Nam idem fuit primus tranſmigrationis Iechoniæ, & regni Sedeciæ annus 4. Reg. 24. 17. Vndecim autem, & quatuordecim ſunt viginti quinque. Itaque ſi vigeſimo quinto anno tranſmigrationis nouam templi formam vidit: decimo quarto captæ vrbis anno vidit. Quo numero Hieronymus quatuordecim à Dauid vſque ad Chriſtum, qui templum, id eſt, Eccleſiam ædificauit, generationes myſticè ſignificari putat. *In ipſa hac die.* Gregorius, & nonnulli alij in ipſa die, qua percuſſa eſt ciuitas interpretantur; myſteriumque in ea re latere putant. Ego myſterium non negarem, ſi hiſtoriam viderem conuenire: ſed non conuenit. Nam ciuitas percuſſa eſt menſe quarto die nona, Ieremias 39. 2. & 52. 6. hæc autem figura oſtenſa eſt Ezechieli menſe primo die decima. Ego *In ipſa hac die* interpretor, eadem die decima. נעצם היום הזה. *Facta eſt ſuper me manus Domini.* Afflatus ſum ſpiritu prophetico; aut, oſtenſa mihi eſt gloria Domini, vt cap. 1. 3. & cap. 3. 22. 23. aut, miſſa eſt ad me ſimilitudo manus Domini, vt cap. 8. 3. *Et adduxit me illuc.* Sunt qui putent relatiuum eſſe ſine antecedente. Alij, anticipationem, qua relatiuum præcedat, antecedens ſequatur. Dicit enim ver. ſequenti, *Adduxit me in terram Iſraël.* Ego ad ciuitatem, quæ præceſſerat referri arbitror, vt & R. Salom. & R. Dauid adnotarunt.

Homil. 13. in Ezech.

2. *In viſionibus Dei*] ſpiritu prophetico; aut, magna quadam & admirabili viſione, vt cap. 1. 1. & cap. 8. 3. plurale pro ſingulari. *Adduxit me.* manus Domini quæ ſuper me facta fuerat. *Super montem excelſum nimis.* Putat R. Dauid montem Sion excelſum nimis, aut מאד. valde vocari, non quòd omnium altiſſimus eſſet: ſed propter ſitum, quia erat in terra Iſraël altiſſimus omnium montium; & terra Iſraël altiſſima erat omnium terrarum. Ideo apud Iſaiam dici cap. 2. 2. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Terram Iſraël eſſe omnium terrarum altiſſimam aliis locis monui Rabbinorum eſſe commentum. Itaque non poteſt ea de cauſa mons Sion altiſſimus appellari: ſed propter myſterium, ſicut apud Iſaiam dicitur futurus in capite montium, quaſi tunc non eſſet: ſed futurus eſſet omnium celeberrimus: quod idcirco obſeruandum eſt, quia hinc paulò poſt probabimus non eſſe ea, quæ hoc capite dicuntur, de templo Ieroſolymitano intelligenda. *Quaſi ædificium ciuitatis.* Ideo dicit, *quaſi* quia vrbs Ieroſolymitana, quæ eo loco fuerat, euerſa erat, vt non apparerent niſi ruinæ ac rudera, aut quia nondum noua vrbs, de qua agit, ædificata erat, ſed ſolùm apparebant prima eius lineamenta & iſchnographia.

Mons Sion cur excelſus nimis, ſeu valde dicatur.

Rabbinorum commentum de altitudine terræ Iudææ, cap. 5. v. 5. & c. 33. v. 12.

Vt gentis ad Auſtrum. verſus meridiem. Erat enim mons Sion ad occaſum Septentrionalem, vrbs verò ad latus montis verſus orientem & meridiem explicata.

3. *Species.*] Color. quaſi dicat, erat totus fulgidus, & ſplendidus. qui color diuinitatem ſignificare ſolet, vt cap. 1. verſu 27. & 8. 2. *Et funiculus lineus.* quo architecti vti ſolent. Deſcribit enim architecti figuram, *Et calamus menſura.* menſorius, Hebraïſmus ſimilis viſio apud Zachariam, c, 2. 1. & apud Ioan. in Apocal. c. 21. 15.

4. *Vide oculis tuis.*] Diligenter aſpice, & attentè audi omnia, animóque obſerua, quæ oſtendam tibi.

5. *Et ecce murus.*] Viſus ſum mihi videre murum, citra domum in circuitu: aut clariùs ſic reſoluetur Hebraïſmus, Viſus mihi ſum videre domum, & murum extra illam per circuitum. Exiſtimat R. Dauid, quem multi ſequuntur, domum hoc loco montem ipſum appellari, qui muro cinctus erat. Ego per anticipationem domum vocari arbitror templum, quod paulò pòſt Propheta deſcribit: aut, ſpatium, vbi paulò pòſt templum idem architectus deſignat. *Sex cubitorum & palmo*, id eſt, ſex cubitorum, & ſex inſuper palmorum; Sex cubitorum, & vno ampliùs palmo addito, ad ſingulos cubitos. quaſi dicat, ſex cubitorum ſacrorum. Nam cubitus communis continebat quinque palmos, ſacer ſex, vt tradunt Hebræi, qui ita hunc locum interpretantur, Quem ſenſum Hebraïca verba præ ſe ferunt. שש אמות באמה וטפח. ſex cubitorum in cubito & palmo, id eſt, ex cubitis, quorum vnuſquiſque continet cubitum communem, & palmum. Eodem ſenſu vertit Chaldæus; & Septuag. τὸ μέτρον πηχῶν ἓξ ἐν πήχει ϗ παλαιστῆς. Confirmatur hæc interpretatio ex ſimilis eiuſdem Prophetæ loco c. 43. ver. 13. *Iſta autem menſuræ altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum & palmum.* Cubitum enim veriſſimum, ſacrum cubitum intelligit, qui communes cubitos vno excedebat palmo. Itaque canna illa menſoria, quam iſte diuinus architectus manu tenebat ſex cubitos habebat ſacros, ſeptem verò communes, & vnum præterea palmum. *latitudinem ædificij.* muri, id eſt, poſuit ſignum ad altitudinem vnius cannæ, vt eò vſque muri altitudo tolleretur: & alterum ſignum latitudinis eiuſdem cannæ. Itaque latitudo, & altitudo muri erat æqualis, ſex nimirum ſacrorum cubitorum, id eſt, triginta ſex palmorum.

Cubitus communis, & ſacer quid continerent.

Menſura cubitorum ſex in cubito & palmo.

6. *Et venit ad portam.*] templi, quod incipit deſcribere. Alij ad portam muri exponunt. Quod ideo non videtur conuenire, quia paulò antè ver. 3. dictum fuerat eum eſſe in porta, quæ non poteſt intelligi niſi muri. Non ergo venit ad portam muri, in qua iam erat; ſed ad portam templi ad quam nondum venerat. *Et aſcendit per gradus.* Quia templum erat in monte Sion in loco arduo, & accliui, ſeptem ad illud gradibus aſcendebatur, vt dicitur ver. 22. *Et menſus eſt limen.* סף. ambiguum nomen eſt. Nam & limen inferius, & ſuperius portæ ſignificat, & duos poſtes, qui ex duobus lateribus portam efficiunt; atque ita hoc loco interpretatur R. Dauid. quamquam magis videtur conuenire, vt limen inferius & ſuperius interpretemur propter ea, quæ ver. 8. dicentur. *Id eſt, limen vnum.* Hebr. ואתסף אחד. & limen vnum; id eſt, vnumquodque limen canna vna in latum. Itaque vterque poſtis latus erat triginta ſex palmos.

7. *Et thalamum.*] vnumquemq; thalamũ, ſex enim erant, tres ex vna parte portæ, totidem ex altera, vt dicit infrà ver. 12. Erant autem thalami parua cubicula, vbi templi cuſtodes habitabant, qualia nunc in portis vrbium videmus. *Et inter thalamos, quinque cubitos.* Inter vnum & alterum cubiculũ erat murus quin-

que

quę cubitorum, vt Paraphraſtes Chaldæus interpretatur. *Et limen portæ.* סף. aut limen inferius portæ poſſumus intelligere, ita vt longitudo & latitudo portæ eſſet æqualis; nam paulò antè dixerat poſtes eſſe latos calamo vno ver. 6. Aut vocat סף. poſtem eiuſdem portæ, ſed interiorem verſus veſtibulum, vt Hebræi volunt. *Iuxta veſtibulum intrinſecus*, id eſt, iuxta veſtibulum, quod non erat extrinſecus, ſicut cætera eſſe ſolent, ſed intrinſecus verſus adytum templi; aut verſus alteram portam interiorem. Duabus enim portis veſtibulum intercipiebatur.

8. *Veſtibulum portæ.*] *veſtibulum portæ* vocat, quod inter exteriorem, & interiorem portam erat: propterea Hebraïcè dicit מהבית. intrinſecus, quod noſter interpres non tranſtulit. *Octo cubitorum.* Heb. קנה אחד. vna canna, id eſt, ſex cubitis. quaſi dicat, veſtibulum erat latum ſex cubitis. Hieronymus propterea, vt opinor, vertit, *octo cubitorum*, quia exiſtimauit vnam cannam ſeptem cubitos habere, deinde vnum: & quia verſu ſequenti dicit menſum fuiſſe veſtibulum octo cubitis. Sed hîc loquitur de veſtibuli latitudine, quæ tanta erat quanta erat latitudo portæ. Latitudo autem portæ erat vnius cannæ, vt ver. 6. dictum eſt: illic autem loquitur de longitudine.

In Hebræo, quod tamen noſter interpres nō reddidit Latinè.

9. *Et frontem eius.*] frontem putant aliqui vocari appendicem, quæ ex porta supernè extabat ad pluuiam prohibendam, quam dicit duorum cubitorum fuiſſe, aut, vt alij interpretantur, ſingulas appendices ſingulos cubitos habuiſſe, vtramque autem ſimul (duæ enim erant, altera intrinſecus, altera extrinſecus) duos cubitos. Meliùs, alij poſtes, id eſt, turres interpretantur, in quibus coclea erat, qua gradatim aſcendebatur, & feneſtellæ, vt dicit ver. 16. murus ergo turris cocleam circumcingens habebat duos cubitos ſpiſſitudinis. Hebraïcè ante hæc verba ſunt hæc, וימד את אלם השער שמונה אמות. & menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitis, id eſt, longitudinem veſtibuli.

10. *Ad viam orientalem*] id eſt, cubicula, quæ erant iuxta portam orientalem quam deſcribit, vt dixit ver. 6. erant ſex, tria vna ex parte portæ, & totidem ex altera. Quorum eadem erat menſura, ſcilicet vnius cannæ in longum, & alterius in latum, vt dixit ver. 7.

11. *Latitudinem liminis.*] H. פתח השער. oſtij portæ. oſtium autem vocat introitum, quem dicit decem cubitos in latum habuiſſe. Cui videtur eſſe contrarium, quod dixit ver. 6. menſum fuiſſe latitudinem liminis *calamo vno*, id eſt, ſex cubitis: ſed non eſt. Nam aut eo loco limen סף. poſtem vocauit, vt interpretantur Hebræi; aut agit de latitudine ipſius liminis ab ortu ad occaſum, cùm hîc agat de latitudine non liminis, ſed portæ; non סף. ſed פתח. *Et longitudinem portæ.* longitudinem appellat altitudinem.

12. *Et marginem.*] גבול. terminum. Alij putant ſic vocari ſedile, quod ante thalamos erat; alij ſpatium ad ambulandum. Ego terminum appellari arbitror ſpatium, quod erat inter portam, & vnum ordinem cubiculorum vna ex parte muro adhærentium, & alterum ex altera, quod vnius cubiti fuiſſe dicit. *Et cubitus vnus finis vtrinque.* גבול מפה. terminus inde. ad verbum. Intelligitur autem altera pars, ſic, Terminus ante calamos cubiti vnius (hinc) & terminus inde cubiti vnius. *Thalami autem ſex cubitorum.* vnuſquiſque thalamus ſex cubitos in longum, & totidem in latum habebat, vt dixit ver. 7.

13. *Et menſus eſt portam.*] *Portam* nunc vocat, non ſolùm introitum, vt ver. 11. ſed introitum, & totum ædificium, quod porta ornabat, in quo & ipſa porta, & thalamorum latitudo continebatur: quod totum ædificium & tecto vnius

thalami, id eſt, ab extremitate tecti vnius thalami vſque ad vltimam extremitatem alterius thalami è regione reſpondentis viginti quinque cubitorum fuiſſe dicit. Nam vnuſquiſque thalamus habebat ſex cubitos. Itaque vterque thalamus alter ex vna, alter ex altera parte portæ habebant duodecim. Porta verò habebat decem, & margines ac terminus vtrinque duos ſimul, vt dixit ver. 11. & 12. ſunt viginti quattuor. Credibile autem eſt tectum thalamorum eminuiſſe tribus palmis, id eſt, dimidio cubito; itaque in duobus thalamis eſt vnus cubitus, fiuntque viginti quinque. *Oſtium contra oſtium* id eſt, oſtium vnius cubiculi, ſiue thalami erat è regione oſtij alterius, quemadmodum videmus monachorum cubicula eſſe diſpoſita.

14. *Et fecit.*] metiendo deſignauit. *Frontes.* אילם alij poſtes, alij columnas, alij cubicula eſſe dicunt, de quibus agitur cap. ſequenti ver. 1. Erant enim circum templum cubicula eiuſdem atque templum longitudinis: longitudo autem templi erat ſexaginta cubitorum. Chaldæus aliter Hebraica verba coniungens, alio ſenſu conuertit. Fecit frontes ſexaginta: altitudo earum vnius cubiti erat, atque ita omnes ſimul ſexaginta erant cubitorum. *Et ad frontem.* iuxta poſtem, aut columnam, aut cubiculum. H. ואל איל השער סביב סביב. Quod quidam ex commentariis Rab. Dauid, & vniquique poſti atrij & portæ per circuitum (ſub eadem erat menſura) erant enim per circuitum muri quinque portæ.

15. *Ante faciem.*] Ab ante faciem, vt ita dicam על־פני. id eſt, à facie anteriori portæ vſque ad faciem interiorem alterius portæ veſtibuli totum interiectum ſpatium quinquaginta cubitorum erat: quem numerum variè interpretes colligunt. Ego ex iis, quæ dicta ſunt ſuprà ita computo. Inter vnam & alteram portam erant terni hinc inde thalami: quorum vnuſquiſque ſex cubitorum erat, vt ver. 7. dictum eſt, ter ſex ſunt decem & octo. Inter thalamum & thalamum erat ſpatium quinque cubitorum, & erant quattuor huiuſmodi ſpatia, vt ibidem declarauimus: quater quinq; ſunt viginti, quos ſi addas prioribus decem & octo efficies triginta octo. Rurſus vtraque porta habebat limen latum ſex cubitos, vt dixit ver. 6. ſunt duodecim, qui ſi addantur triginta octo efficient quinquaginta.

16. *Et feneſtras obliquas.*] חלונות אטומות. feneſtras clauſas, non omnino, quia non eſſent feneſtræ, ſed aliqua ex parte, quia extrinſecus latæ erant, intrinſecus anguſtæ, vt Rab. Dauid interpretatur, aut extrinſecus anguſtæ, & intrinſecus latæ, vt alij volunt, magíſque veriſimile eſt. Sic enim ad diffundendum intrinſecus lumen fieri ſolent, vt in templo Salomonis erant, 3. Reg. 6. 4. & infrà c. 41. 16. *Et in frontibus eorum,* In poſtibus, in cochleis, quibus aſcendebatur. *Similiter autem erant & in veſtibulis.* veſtibula vocat numero plurali duo illa ſpatia, quæ intra duas portas erant, quæ erant veluti duo termini magni veſtibuli. *Et ante frontes pictura palmarum.* ואל איל תמרים. & poſti palmæ, id eſt, vnicuique poſti, aut columnæ inſculptæ erant palmarum figuræ.

17. *Ad atrium exterius.*] Ad primum atrium, quod ingredientibus occurrebat; id autem erat atrium mulierum, quod exterius appellabatur comparatione atrij virorum, quod erat interius. *Et ecce gazophylacia.* H. לשכות. cubicula, in quibus templi miniſtri habitabant, Ierem. cap. 36. ver. 10. 12. *Per circuitum.* Hoc verbum ad gazophylacia, non ad pauimentum referendum eſt. Non enim eſt ſenſus pauimentum fuiſſe ſtratum per circuitum: ſed gazophylacia fuiſſe per circuitum atrij, vt ſtatim declaratur.

18. *In*

Digitized by Google

18. *In fronte portarum.*] אל כתף השערים. ad latus portarum. Portas autem intelligit non cubiculorum, ſed ipſius atrij: duæ enim erant portæ, quibus ex atrio exteriori in atrium interius introitus erat; ad quas portas per gradus aſcendebatur; quia cùm templum in monte eſſet, ad omnes portas & veſtibuli, & atrij per gradus aſcendendum erat, vt ver. 6. ductum eſt. Hoc eſt quod dicit, *ſecundum longitudinem portarum erat inferius*, id eſt, tanta erat pauimenti inferioris porta, quanta erat altitudo graduum, quibus ad portam aſcendebatur. Hanc enim altitudinem, longitudinem portarum vocat, vt ſuprà ver. 11.

19 *Latitudinem.*] atrij exterioris, quod deſcribit. *A facie portæ inferioris*, id eſt, à principio portæ orientalis, quod extrinſecus proſpiciebat; hanc enim vocat faciem portæ. Inferiorem autem appellat, quia inferior erat quàm porta ſecundi atrij. Nam à primo atrio ad portam ſecundi per octo gradus aſcendebatur. *Vſque ad frontem atrij interius*, interioris, id eſt, vſque ad frontem ſiue initium atrij virorum. *Extrinſecus*. menſus, inquam, eſt *extrinſecus*, id eſt, extra atrium interius ſpatium, quod erat inter illud, & primam portam orientalem. Habebat autem centum cubitos. *Ad Orientem & Aquilonem*, id eſt, ſimiliter menſus eſt latus orientale, & Aquilonare totidem cubitis. Eſt enim verbum metiendi iterum repetendum. Significat autem longitudinem, & latitudinem atrij æqualem fuiſſe, atriúmque quadratum.

20. *Portam quoque.*] Deſcripſit hactenus Propheta primùm portam orientalem, qua diuinum illum architectum ingreſſum fuiſſe dixit: deinde atrium exterius. Nunc deſcribit portam, & veſtibulum Aquilonare eiuſdem atrij, quod per omnia orientali æquale ac ſimile erat, vt tribus ſequentibus verſibus declarat. Portam autem vocat hoc loco non ſolam portam, ſed portam vnà cum toto veſtibulo, & thalamis adiunctis.

23. *Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis & Orientalem.*] id eſt, his duabus portis atrij exterioris Orientali, & Aquilonari, quas deſcripſimus, reſpondebant è regione aliæ duæ portæ in atrio interiori. Idémque de aliis portis intelligendum eſt.

24. *Ad viam auſtralem.*] Ad Meridiem. Deſcribit nunc portam meridionalem, eodem prorſus modo, quo cæteras.

28. *Et introduxit me in atrium interius.*] Quæret aliquis, quomodo ingrediatur ad metiendum atrium interius, cùm non deſcripſerit niſi tres portas atrij exterioris. Nimirum quia in atrium exterius tribus tantùm portis extrinſecus introitus erat. Nam quarta porta, quæ ad occaſum ſolis erat, communis erat atrij exterioris & interioris, qua ab vno in aliud tranſibatur. Depingit ergo nunc atrium interius eadem figura atque menſura, qua exterius vſque ad v. 32.

29. *Thalamon eius.*] ותאו. & thalamos eius, vt & Septuag. verterunt, & ſententia ipſa requirit; multi enim thalami in vna quaque porta erant, ſicut in exteriori atrio, ver. 10.

30. *Et veſtibulum per gyrum.*] ואילמות סביב סביב. & veſtibula per gyrum, *longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum*. Miror interpretes hoc loco non hærere. Cùm enim eandem omnium veſtibulorum menſuram eſſe dixerit, & cæteris veſtibulis quinquaginta cubitos longitudinis, & viginti quinque latitudinis attribuerit, ver. 21. 25. 29. nunc viginti quinque cubitos longitudinis, & quinque tantùm latitudinis habuiſſe dicit. Ego igitur hoc loco אילמות. veſtibula vocari arbitror illa quattuor ſpatia vacua, quæ inter thalamos magni veſtibuli erant, quorum vnúquodque quinque habebat

cubitos latitudinis, vt dixit ver. 7. longitudinis autem habebat cubitos viginti quinque: hæc enim erat latitudo magni veſtibuli. Vocat autem hîc veſtibulum ſpatium, quod conſtabat ex duobus oppoſitis collibus, qui inter thalamos erãt, alter ex vna, alter ex altera parte: & præterea ex ſpatio vacuo magni veſtibuli.

32. *Et introduxit me in atrium interius.*] Non in aliud, ſed in idem atrium virorum, quod interius appellatur: ſed per aliam portam.

33. *Thalamum eius.*] ותאו ואילו. thalamos eius, & frontes eius, vt ver. 29.

35. *Et introduxit me ad portam.*] eiuſdem atrij, ſed aquilonarem.

36. *Thalamum eius.*] ותאו ואילו. & thalamos eius, & frontes eius, vt ver. 29. & 33.

38. *Et per ſingula gazophylacia.*] id eſt, ſingulorum gazophylaciorum, quæ iuxta portas erant, oſtia erant iuxta frontes portarum: ita vt iuxta ſingulas portas ſingula gazophylacia ſiue cubicula eſſent, vbi holocauſta lauarentur. H. ולשכה ופתחה באילום השערים. Et cubiculum (vnum) erat, & oſtium eius iuxta frontes portarum: id eſt, iuxta ſingulas portas, vnum cubiculum erat, cuius oſtium reſpiciebat ad frontes portæ; atque in eo cubiculo lauabantur inteſtina eorum animalium, quæ in holocauſtum offerebantur.

39. *Et in veſtibulo portæ.*] interiori. Vocat veſtibulum portæ, quod portæ eminentia tegitur, quod duplex erat, alterum interius, alterum exterius. In vtroque ergo Aquilonaris portæ veſtibulo quattuor menſas fuiſſe dicit, duas ex vno latere portæ, & alias duas ex altero. Itaque octo erant menſæ, quattuor intra, & aliæ quattuor extra portam. Hoc eſt quod dicit ver. 41. *Quattuor menſæ hinc, & quattuor menſæ inde*, id eſt, quattuor intra, & quattuor extra portam.

42. *Quattuor autem menſæ.*] Non aliæ, ſed eædem. Repetit enim eas, vt earum magnitudinem & menſuram deſcribat. Nominat autem quattuor & intelligit octo; quia cùm omnes ſimiles eſſent, quod de quattuor exterioribus dicit, idem de quattuor etiam interioribus dicere putandum eſt.

43. *Et labia earum.*] Eodem modo Septuag. verterunt, quaſi legerint שפתים. cum puncto in ſiniſtro cornu *Schin*, pro שפתים. cum puncto in dextro cornu, quod non differunt niſi puncto. Hebræi autem alij dicunt שפתים. tripodes ſignificare, quibus ollæ ſuperponuntur, vt Rab. Dauid. Alij vncinos ferreos, quibus ſuſpendi ſolent carnes, vt Chaldæus Paraphraſtes, & eum ſecutus Rab. Salomon: qui ſenſus videtur magis huic loco conuenire.

44. *Extra portam interiorem.*] id eſt, atrij interioris. *Gazophylacia cantorum.* לשכות. cubicula. In ſingulis veſtibulis aut portis erant decem cubicula, quinque ad vnum latus, & totidem ad alterum. Erant autem tres portæ in vno quoque atrio præter occidentalem, qua ingreſſus erat in ſactarium, in qua nihil huiuſmodi erat, quale in aliis Propheta deſcripſit. Erant igitur triginta cubicula, vt dixit ver. 17. In iis cubiculis miniſtri templi habitabant, alij in aliis pro cuiuſque officio ac dignitate. In iis igitur, quæ erant ad portam Aquilonarem cantores habitaſſe dicit. *Vna ex latere portæ:* אחר, vnum, ſub. latus, aut vnus ordo cubiculorum erat verſus illud latus portæ orientalis, quod ad Aquilonem proſpiciebat: alter autem cubiculorum ordo erat verſus occidentem: hic reſpiciebat orientalem portam, ille occidentalem.

45. *Hoc eſt gazophylacium.* Hebraïſmus hoc modo clariùs reſoluetur. Hoc gazophylacium, quod reſpicit viam meridianam, ſacerdotum eſt, qui cuſtodiunt cuſtodiam templi, id eſt, quorum eſt officium templum cuſtodire. Gazophylacium autem vocat numero ſingulari vnum cubiculorũ ordinem ſicut

veſtibu-

veſtibulum appellat aliquando totum illud ſpatium quod multa parua veſtibula continebat.

46. *Porrò gazophylacium.*] alter cubiculorum ordo, quæ ſpectabant ad Aquilonem, erat eorum ſacerdotum, qui cuſtodiebant altare, id eſt, qui ſacrificia offerunt. *Iſti ſunt filij Sadoch.* ex genere Sadoch, qui inter ſacerdotes adeo nobilis fuit, vt ex eo omnes poſteri nominarentur: primus enim in templo Salomonis ſummi ſacerdotis officio functus eſt. *Qui accedunt de filiis Leui*. id eſt, Leuitæ, quibus ſolis licet Domino miniſtrare. Hoc eſt accedere ad Dominum, vt Leuit. 21. 23. *Non accedet ad altare, qui maculam habet.* Quem Hebraïſmum D. Paulus ſic Græcè loquens imitatus eſt in epiſtola ad Heb. cap. 7. v. 13. ἐφ᾽ ὃν γὰρ λέγεται ταῦτα φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκεν, ἀφ᾽ ἧς οὐδεὶς προσέσχηκεν τῷ θυσιαστηρίῳ. *In quo enim hæc dicuntur, ex alia tribu eſt, de qua nullus operam dat altari*, quod noſter interpres dixit, *altari præſto fuit.*

47. *Et altare ante faciem templi.*] Templum vocat hoc loco non totum templi ambitum, vt antea: ſed ſolum adytum, aut ſacrarium. Sæpe enim monuimus templum tres potiſſimùm partes habuiſſe, ſacrarium, atria, & porticus, quæ aliquando cunctæ, aliquando ſingulæ templum appellantur. Eodem modo verſu ſequenti.

48. *In veſtibulum templi.*] Veſtibulum templi vocat veſtibulum ſacerdotum ſacrario coniunctum, in quod nemo laïcus ingrediebatur. *Et menſus eſt veſtibulum quinque cubitis.* Nunc vocat veſtibulum, vt plerique putant, murum, quo veſtibulum claudebatur, quem dicit fuiſſe latum quinque cubitos. Poſſumus etiam fortaſſis interpretari de veſtibulo, quod ſub porta, & duabus eius frontibus erat, altera interiori, altera exteriori: quod totum tredecim cubitos habuiſſe ſignificet, quinque extrinſecus, & quinque intrinſecus, tres autem latitudinis portæ. Quod autem dicit. *Trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde*, intelligit. menſum fuiſſe vtrumq; poſtem portæ ternis cubitis, quæ eadem erat latitudo portæ.

49. *Et octo gradibus aſcendebatur.*] Septuag. καὶ ἐπὶ δέκα ἀναβαθμῶν ἀνέβαινον ἐπ᾽ αὐτόν. *& per decem gradus aſcendebant ad eum.* Hebr. nec legitur, Octo, nec Decem, ſed ובמעלות אשר יעלו אליו. & per gradus, quibus aſcendunt ad eam (portam) ſub. introduxit me: aut, vt R. Dauid interpretatur, Vidi illum ambulantem per gradus, quibus aſcendebatur ad portam. R. Salom. Via erat per gradus, quibus ad portam aſcendebatur. Numerum graduum non exprimit. Hebræi autem in מסכת מדות. in tractatu menſurarum, tradunt duodecim fuiſſe gradus, vt R. Salomon, & R. Dauid hoc loco recitant. Figuram autem columnarum non deſcribit: quapropter veriſimile eſt, eiuſdem fuiſſe magnitudinis, & formæ, atque illas, quæ in templo Salomonis erant, 3. Reg. cap. 7. ver. 15.

CAPVT XLI.

ET introduxit me in templum, & menſus eſt frontes ſex cubitos latitudinis hinc, & ſex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi. 2 *Et latitudo portæ, decem cubitorum erat: & latera portæ quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & menſus eſt longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.* 3 *Et introgreſſus intrinſecus, menſus eſt in fronte portæ, duos cubitos: & portam ſex cubitorum: & latitudinem portæ ſeptem cubitorum.*

cubitorum. 4 *Et menſus eſt longitudinem eius viginti cubitorum, & latitudinem eius*
viginti cubitorum ante faciem templi:& dixit ad me, Hoc eſt ſanctum ſanctorum. 5 *Et*
menſus eſt parietem domus ſex cubitorum: & latitudinem lateris quattuor cubitorum
vndique per circuitum domus. 6 *Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: &*
erant eminentia quæ ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum vt con-
tinerent, & non attingerent parietem templi. 7 *Et platea erat in rotundum, aſcen-*
dens ſurſum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius
erat templum in ſuperioribus: & ſic de inferioribus aſcendebantur ad ſuperiora in me-
dium. 8 *Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad menſuram*
thalami ſex cubitorum ſpatio: 9 *& latitudinem per parietem lateris forinſecus quin-*
que cubitorum: & erat interior domus in lateribus domus. 10 *Et inter gazophyla-*
cia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus vndique. 11 *Et oſtium lateris*
ad orationem: oſtium vnum ad viam Aquilonis, & oſtium vnum ad viam Auſtralem,
& latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu. 12 *Et ædificium quod*
erat ſeparatum, verſúmque ad viam reſpicientem ad mare latitudinis ſeptuaginta cubito-
rum, paries autem ædificij, quinque cubitorum latitudinis per circuitum: & longitudo e-
ius, nonaginta cubitorum. 13 *Et menſus eſt domus longitudinem centum cubitorum:*
& quod ſeparatum erat ædificium, & parietes eius longitudinis centum cubitorum.
14 *Latitudo autem ante faciem domus: & eius quod erat ſeparatum contra Orientem,*
centum, cubitorum. 15 *Et menſus eſt longitudinem ædificij contra faciem eius quod*
erat ſeparatum ad dorſum: ethecas ex vtraque parte centum cubitorum, & templum in-
terius, & veſtibula atrij. 16 *Limina & feneſtras obliquas: & ethecas in circuitu*
per tres partes, contra vniuſcuiuſque limen, ſtratúmque ligno per gyrum in circuitu: ter-
ra autem vſque ad feneſtras, & feneſtræ clauſæ. 17 *Super oſtia, & vſque ad do-*
mum interiorem, & forinſecus; per omnem parietem in circuitu intrinſecus, & forinſecus
ad menſuram. 18 *Et fabrefacta Cherubim & palmæ: & palma inter Cherub &*
Cherub, duáſque facies habebat Cherub. 19 *Faciem hominis iuxta palmam ex hac*
parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte: expreſſam per omnem domum in
circuitu. 20 *De terra vſque ad ſuperiora portæ, Cherubim & palmæ cælata erant*
in pariete templi. 21 *Limen quadrangulum, & facies ſanctuarij, aſpectus contra a-*
ſpectum. 22 *Altaris lignei trium cubitorum altitudo: & longitudo eius, duorum cu-*
bitorum: & anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei. Et locutus eſt ad me,
Hæc eſt menſa coram Domino. 23 *Et duo oſtia erant in templo, & in ſanctuario.*
24 *Et in duobus oſtiis ex vtraque parte bina erant oſtiola, quæ in ſe inuicem plicaban-*
tur: bina enim oſtia erant ex vtraq; parte oſtiorum. 25 *Et cælata erant in ipſis oſtiis tem-*
pli Cherubim, & ſculptura palmarum, ſicut in parietibus quoq; expreſſa erant: quamob-
rem & groſſiora erant ligna in veſtibuli fronte forinſecus. 26 *Super quæ feneſtræ*
obliquæ, & ſimilitudo palmarum hinc atque inde, in humerulis veſtibuli: ſecundum latera
domus, latitudinémque parietum.

DESCRIBIT ſacratium, & quæ ad illud pertinebant.

1. *Introduxit me in templum.*] In adytum templi. Nam priùs in templo etiam erat, vide cap. præcedenti v. 47. *Et menſus eſt frontes. Frontes* appellat cubicula, quæ ſacrario extrinſecus adhærebant: dicuntur autem frontes, quia tres erant contignationes, quarum ſecunda extra primam, tertia extra ſecundam eminebat. Habebant autem *ſex cubitos latitudinis hinc, & ſex cubitos latitudinis inde*; id eſt, tam ea, quæ erant ex vna, quàm ea, quæ erant ex altera parte ſacrarij: quæ eadem erat latitudo tabernaculi. Cùm autem dicit frontes ſex cubitos latitudi-

titudinis habuiſſe, de ſupremo tecto intelligendum eſt. Nam interne quattuor cubitos habebant, vt indicat v. 5. Eminebat enim ſecunda contignatio extra primam cubito vno, & tertia extra ſecundam cubito altero.

2. *Et menſus eſt longitudinem eius.*] Sanctuarij, quod היכל. templum appellauit verſu 1. *Quadraginta cubitos*, ab ortu ad occaſum. *Et latitudinem viginti cubitorum.* Porta ſcilicet habebat decem cubitos latitudinis, vt dixit paulò antè: ſpatium autem, quod erat inter portam & murum dextrum, quinque cubitos: & alterum ſpatium, quod erat inter portam & murum ſiniſtrum, alios quinque. Qui erant cubiti viginti totius ſanctuarij latitudo.

3. *Et ingreſſus intrinſecus.*] In interiorem partem ſanctuarij, hoc eſt, in ſanctum ſanctorum. *Menſus eſt in fronte* frontem portæ. איל הפתח. id eſt, latitudinem liminis portæ, craſſitiem muri portæ duobus cubitis. *Et portam.* latitudinem portæ ſex cubitorum. *Et latitudinem portæ*, id eſt, duo latera portæ, ſpatia quæ erant à porta; alterum vſque ad murum Meridionalem, alterum vſque ad Aquilonarem; vnumquodque enim habebat ſeptem cubitos longitudinis. Tota enim latitudo ſanctuarij viginti cubitorum erat, vt dixit ver. præcedenti. Duo latera portæ habebant ſeptenos cubitos, ſunt quattuordecim; porta ſex ſunt viginti.

4 *Et latitudinem viginti cubitorum.*] Significat Sanctum Sanctorum fuiſſe quadrum. *Ante faciem templi*, verſus ſanctuarium. Declarat, quam vocauerit latitudinem ſancti ſanctorum. Cùm enim quadratum fuerit, non videtur latitudinem à longitudine diſtinctam habuiſſe: dicit ergo ſe latitudinem appellare eam partem, quæ verſus ſanctuarium erat, non quòd propriè eſſet latitudo Sancti Sanctorum, ſed quòd ea eſſet latitudo templi.

5. *Parietem domus.*] parietem templi, id eſt, ſanctuarij. *Sex cubitorum*, in latitudinem inferiori parte. Nam ſuperiori quatuor tantùm cubitos latitudinis habebat. Erant enim tres cubiculorum ordines, quorum ſecundus latior erat primo cubito vno, & tertius ſecundo cubito altero. Itaque duobus cubitis murus templi anguſtior erat ſupernè, quàm infernè. *Et latitudinem lateris.* צלע. tabulati, thalami, cubiculi, *quattuor cubitorum*, intelligitur de infimo cubiculo. Nam ſupremum ſex cubitos habebat, medium quinque: quia, vt antè diximus, ſecundum primo, tertium ſecundo vno cubito latius erat. Itaque eadem erat latitudo ſupremi cubiculi & infimæ partis muri: & infimi cubiculi & ſupremi muri; & medij cubiculi, & medij muri.

6. *Latera autem.*] tabulata, cubicula, thalami. *Latus ad latus.* צלע על צלע. cubiculum ſupra cubiculum, vt exponit R. Dauid, & Ionathas. *Bis*, quia ſupra primum erat ſecundam, & ſupra ſecundum tertium; itaq; bis erat vnum ſupra aliud. Ita expreſſit noſter interpres Hebraïcum verbum פעמים. duabus (vt ita dicam) vicibus, quaſi ſit numeri dualis. Idem nomen פעמים. pedes ſignificat. Quare R. Dauid, & Hebraïzantes qui eum ſequi ſolent, interpretantur, cubicula erant aliud ſupra aliud triginta tribus pedibus in altum. Quæ interpretatio nullo modo mihi placet. Non enim ſolet Propheta pedibus, ſed cubitis metiri. Chaldæus Paraphraſtes, & R. Salomon ſic exponunt: tabulata erant aliud ſupra aliud, triginta tria, vndena per ordinem, cùm enim quattuor eſſent latera ſanctuarij, ad latus orientale, non erant cubicula, quia porta ibi erat, in ſingulis tribus aliis lateribus vndena cubicula fuiſſe dicunt, itaque cuncta erant triginta tria. Mihi verba Hebraïca צלע אל צלע שליש ושלשים פעמים. hunc ſenſum videntur habere; Thalamus ſuper thalamum tres, & tri-

Digitized by Google

Auctoris ſententia de numero thalamorum templi, ſeu ſanctuarij. ginta vicibus,id eſt,tres erant thalami alius ſupra alium,idque triginta vicibus, Itaq; erant nonaginta thalami. Erant enim tria latera ſanctuarij, vbi erant thalami: quorum duo, quæ ſanctuarij longitudinem efficiebant, quadragenorum cubitorum erant,tertium,quod efficiebat latitudinem, erat viginti cubitorum, vt dictum eſt ver.2.cubicula verò, ſiue thalami minimùm habebant quaternos cubitos,ſi infimi erant; plurimùm ſenos, ſi ſupremi, vt dicitur ver. 5. quò fit vt non poſſint eſſe in ſingulis lateribus ſanctuarij vndeni thalami, vt Ionathas & R. Salomon exiſtimant. Quomodo enim in ſpatio viginti cubitorum poſſunt eſſe vndecim cubicula, quorum ſingula quaternos vt minimùm cubitos habeant? Erant igitur,vt ego quidem arbitror,in ſingulis duobus lateribus, quæ longitudinem ſanctuarij, efficiebant tredecim cubicula. Nam murus habebat quadraginta cubitos longitudinis,verſu 2. murus autem,qui efficiebat ſanctuarium, habebat ſex cubitos latitudinis: erat autem duplex murus orientalis, & occidentalis: itaque ambo habebant duodecim cubitos, quos ſi addas ad quadraginta,efficies quinquaginta duos. In quo ſpatio poterant eſſe tredecim thalami, quorum vnuſquiſque quattuor cubitos haberet; nam quater tredecim quinquaginta duo ſunt: totidemque erant in altero oppoſito latere;ita ſunt viginti ſex cubicula. In tertio verò quod viginti cubitos habebat,erant quattuor cubiculorum ordines: ſuperabántque duo cubiti. *Et erant eminentia quæ ingrederentur.* Dicebantur ingredi, quia ſecundum & tertium cubiculum ſingulos cubitos ex muro aſſumebant, vt muro niterentur: at non ingrediebantur propriè,quia murus vno cubito anguſtior fiebat. quod inſpectione figuræ faciliùs, quàm lectione intelligitur. *Vt continerent.* להיות אחוזים ולא יהיו אחוזים בקיר הבית. vt continerentur, & non continerentur in pariete templi, id eſt, ita vt pariete templi inniterentur, tamen non eſſent comprehenſa intra parietem;hoc eſt, nulla eſſet cauitas in pariete, quia quantum cubiculum ex pariete ſumebat,tantundem paries arctabatur.

7. *Et platea erat in rotundum.*] id eſt, latitudo quædam rotunda. Hebr. ורחבה ונסבה. dilatabat ſeſe (thalamus) ac circuibat. Significat fuiſſe cochleam primo cubiculo coniunctam,qua ad ſecundum cubiculum aſcendebatur,& aliam coniunctam ſecundo extrinſecus,qua aſcendebatur ad tertium. *De cochleis quibus ad thalamos aſcendebatur.* Ea cochlea tantum,vt opinor,latitudinis habebat,quantum ſuperius cubiculum extra inferius eminebat,id eſt,cubitum vnum ſex palmorum. Paries (vt ſuprà diximus,ca.40.) latus erat vnum palmum;interior cauitas,qua aſcendebatur, quatuor erat palmorum: ita ad ſecundum cubiculum aſcendebatur. Ex ſecundo rurſus cubiculo eminebat alia cochlea,qua extrinſecus aſcendebatur ad tertium. Ad eundem modum alia cochlea in templo Salomonis deſcripta eſt,c.6.ver.8. *Idcirco altius erat templum.* כי מוסב הבית למעלה. Quia latior erat domus ſuperiùs, id eſt, cubiculum ſecundum (quod domum appellat) latius erat vno cubito,quàm primum;& tertium,quàm ſecundum. Reddit rationem, cur potuerit cochlea eſſe, qua extrinſecus ex vno cubiculo in aliud aſcenderetur.

8. *Et vidi in domo altitudinem.*] Vidi altitudinem domus *per circuitum*, id eſt, ſuprema cubicula circum circa. Hæc enim vocat altitudinem domus, quia omnium erant altiſſima. *Fundata latera ad menſuram thalami.* מוסדות הצלעות. fundamenta thalamorum vnius cannæ. quaſi dicat, vidi fundamenta ſupremorum cubiculorum ſex cubitorum eſſe. Fundamenta autem ſupremorum cubiculorum non vocat ea quæ in terra erant, vt nonnulli finxerunt, ſed imam partem cubiculorum, quæ quamuis ſublimis eſſet, fundamentum meritò vocabatur,

Digitized by Google

Inducat ergo, quod ſæpe diximus, ſuprema cubicula ſenos latitudinis, totidémque longitudinis cubitos habuiſſe. Cùm autem dicit, *ſex cubitorum*, declarat menſuram cannæ.

9. *Et latitudinem.*] Dicit parietem thalamorum extrinſecus quinque cubitos latitudinis habuiſſe. *Et erat interior domus.* ואשר מונח בית צלעות אשר לבית. Et interuallum, quod erat domui thalamorum, qui erant in templo, ſub. quinque etiam cubitorum, id eſt, ſpatium interiectum inter thalamos, & murum, qui templum circuibat, quinque etiam cubitorum erat.

10. *Et inter gazophylacia.*] inter thalamos ſiue cubicula, quæ erant ex vna parte, & cubicula quæ erant ex altera parte oppoſita erant viginti cubiti, quæ erat latitudo templi; non enim numerat duos muros templi, qui infernè, vt diximus, ſenos, ſupernè quaternos cubitos habebant.

11. *Oſtium lateris.*] thalami, vt ver. 5. 6. 8. 9. ponit ſingulare pro plurali, Oſtia cubiculorum. *Ad orationem*, cubiculorum, quæ erant circum ſanctuarium in loco vbi orabatur. H. ופתח הצלע למונח & oſtium thalami ad locum relictúm, vt Sept. & Chald. verterunt, id eſt, oſtia cubiculorum erant verſus interuallum illud cubitorum, quod erat inter cubicula, & murum, qui templum circuibat. *Oſtium vnum.* ponit ſingulare pro plurali, id eſt, oſtia eorum cubiculorum, quæ ad latus Aquilonare templi ſita erant, Aquilonem reſpiciebant; oſtia verò cubiculorum, quæ erant ad latus meridianum, ſpectabant ad meridiem. *Et latitudinem loci ad orationem.* מונח. interualli, quod inter cubicula, & murum, qui templum circuibat, relictum erat, quinque erat cubitorum.

12. *Ædificium, quod erat ſeparatum.*] id eſt, totum ſpatium templi comprehendens, non ſolùm ſanctum ſanctorum, ſed & thalamos & reliqua omnia vſque ad murum ſanctuarij, quo ſanctum ſanctorum cingebatur, quod vocat ædificium ſeparatum quia non erat contiguum ſancto ſanctorum. *Verſúmque ad viam reſpicientem ad mare.* Verſus meridiem; exprimit vnum latus, & intelligit aliud quod erat verſus Aquilonem, quia eadem vtriuſque ratio, eadem figura, eadem menſura erat. Dicit ergo ſeptuaginta cubitos latitudinis habuiſſe: Quem numerum quidam nimis temerè correxerunt, pro ſeptuaginta ſexaginta legendum eſſe dicentes, non alia prorſus ratione, aut coniectura, quàm quòd iuſtum numerum ſeptuaginta reperire non potuiſſent. Nos eum hoc modo colligimus. Sanctum ſanctorum habebat viginti cubitos latitudinis ver. 2. murus ſex cubitos infernè; erat autem duplex, alter Meridionalis, alter Septentrionalis; ſunt duodecim, qui additi ad viginti efficiunt triginta duos. Cubicula inferiora quattuor cubitos. Erant autem duo cubiculorum ordines, vnus in vno latere, alter in altero, ſunt octo, & triginta duo, quadraginta. Murus cubiculorum forinſecus erat latus quinque cubitos, vnus ex vno, alter ex altero latere, ſunt quinquaginta. ſpatium quod relictum erat inter cubicula & murum, qui ſanctum ſanctorum circuibat quinos vtrinque cubitos habebat, ſunt ſexaginta. Murus ſanctum ſanctorum ambiens, quinos etiam vtrinque cubitos habebat, ſunt ſeptuaginta *Et longitudo eius, nonaginta cubitorum*. Nempe veſtibulum ſanctuarij vndecim cubitos habebat latitudinis, cap. 40. 49. murus autem erat latus quinque cubitos, cap. 40. 48. ſunt 16. Habebat autem ſanctuarium quadraginta cubitos longitudinis. ſuprà ver. 2. ſunt, 56. Sanctum ſanctorum viginti cubitos habebat longitudinis ver. 4. ſunt, 76. murus ſancti ſanctorum verſus occidentem latus quinque cubitos ſunt, 81. thalami infimi quattuor cubitorum, ſunt, 85. & ſpatiũ quod relictũ erat inter thalamos & alte-

Digitized by Google

rum murum quinque cubitorum ſunt, 90. Quibus ſi addas quinque cubitos, quos habebat murus templum circundans ex vna parte, & totidem ex altera, efficies centum cubitos, quos dicit ver. 13. 14. 15. totum templi circuitum in quadrum habuiſſe.

15. *Quod erat ſeparatum ad dorſum.*] id eſt, longitudinem הגזרה totius ædificij, quod è templo ſeiunctum, illud ambiat. *Ad dorſum.* אחריה. poſt illud, id eſt, quod erat pone latus Orientale, quod antè menſus fuerat: quaſi diceret vno verbo, Menſus eſt latus Occidentale. *Ethecas ex vtraque parte.* ואתוקיהא. cubicula, quæ antè vocabat gazophylacia, & thalamos vt Rab. Dauid interpretatur. quaſi dicat, menſum fuiſſe latus occidentale comprehendens etiam thalamos, quos antè deſcripſerat. Rab. Salom. dicit fuiſſe cubicula, in quibus ſacerdotes, cùm in ſanctum ſanctorum ingrediebantur, aut inde egrediebantur, veſtes mutabant. Septuag. τὰ ἀπόλοιπα τὰ ἔνθεν καὶ τὰ ἔνθεν. Interualla quæ relicta erant hinc inde. Noſter interpres verbum Chaldaïcum reliquit, ſicut Prophetam feciſſe animaduerti.

16. *Limina, & feneſtras.*] Repetit quæ dixit capite ſuperiori, vt ſignificet priùs ſigillatim, nunc communiter menſum eſſe omnia. *Per tres partes.* לשלשתם. ad tria latera eorum (thalamorum) Indicat tres tantùm fuiſſe, vt ſuprà diximus, thalamorum, vnum ad meridiem, alterum ad Aquilonem, tertium ad Occaſum. Nam ad Orientem, quà in ſanctum ſanctorum introitus erat, thalami eſſe non poterat. *Contra vniuſcuiuſque limen.* Menſus eſt, id eſt, è regione vniuſcuiuſque ordinis thalamorum. Quod limen, id eſt, facies thalamorum tecta erat aſſeribus, vt Chaldæus Paraphaſtes interpretatur, cedrinis. *Terra autem.* A terra vſque ad feneſtras, ſub. tabulis operti erant parietes thalamorum, vt Chaldæus, & Sept. verterunt, & Hebræi interpretantur. *Et feneſtræ clauſæ.* מכסות. coopertæ, ſub. tabulis.

17. *Super hoſtia.*] Partes thalamorum, quæ ſupra oſtia eorum erant, ſub. dimenſus eſt: idémque verbum cum cæteris repetēdum. Indicat enim nihil fuiſſe in toto ædificio tam paruum, quod non ratione, ac extra mēſura factum fuerit.

21. *Limen quadrangulum.*] ההיכל מזוזת רבעה. & templi poſtis (ſub. vterque) quadratus. *Aſpectus contra aſpectum.* המראה כמראה. aſpectus, ſicut aſpectus. Oratio conciſa; id eſt, omnes portæ erant ſimiles. Chaldæus, & Rab. Salom. interpretantur, aſpectus ſancti ſanctorum ſimilis erat aſpectui gloriæ Domini, quam videram iuxta fluuium Chobar, cap. 1. ver. 3. & 4. Prior interpretatio eſt melior.

22. *Altaris lignei.*] quod erat ante portam ſancti ſanctorum, quod altare incenſi vocabatur.

23. *Duo oſtia.*] שתים דלתות. geminæ fores erant tam in templo, quàm in ſanctuario, vt declarat verſu ſequenti.

24. *Et in duobus oſtiis.*] in ſingulis foribus rurſus erant aliæ binæ plicatiles fores. Itaque in vnoquoque oſtio erant quattuor fores, duæ ex vna parte plicatiles, & totidem ex altera, quales hodie in multis locis videmus.

25. *Et groſſiora erant ligna.*] id eſt, ligna, ex quibus fores factæ erant, eminebant extrinſecus, vt Cherubim & palmæ ſculperentur. Hic eſt ſenſus noſtræ verſionis, mihíque valde placet: Quamuis & Chaldæus, & omnes Hebræi trabem cedrinam interpretentur, quæ à pariete templi ad parietem veſtibuli traiecta erat, ad continendum vtrúque pariete, vt in amplis ædificiis fieri ſolet.

26. *Feneſtra obliqua.*] ſimiles feneſtris thalamorum veſtibulorum, c. ſuperiore

ver...

Digitized by Google

ver. 16. *In humerulis*, in lateribus veſtibuli. אל כתפות. *Secundum latera domus.* Erant Cherubim per latera etiam domus, & parietes. H. וצלעות הבית והעבים. Et (in) lateribus domus, & trabibus, (ſub.erant ſculpti Cherubim & palmæ.)

CAPVT XLII.

*ET eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, & intro-
duxit me in gazophylacium, quod erat contra ſeparatum ædificium, & contra
ædem vergentem ad Aquilonem. 2 In facie longitudinis, centum cubitos
oſtij Aquilonis: & latitudinis, quinquaginta cubitos: 3 Contra viginti cubitos
atrij interioris, & contra pauimentum ſtratum lapide atrij exterioris, vbi erat porticus
iuncta porticui triplici. 4 Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum lati-
tudinis, ad interiora reſpiciens via cubiti vnius. Et oſtia eorum ad Aquilonem.
5 Vbi erant gazophylacia in ſuperioribus humiliora: quia ſupportabant porticus quæ
ex illis eminebant de inferioribus, & de mediis ædificij. 6 Triſtega enim erant, &
non habebant columnas, ſicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferio-
ribus, & de mediis à terra cubitis quinquaginta. 7 Et peribolus exterior ſecundum
gazophylacia, quæ erant in via atrij exterioris ante gazophylacia, longitudo eius quin-
quaginta cubitorum. 8 Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris quin-
quaginta cubitorum: & longitudo ante faciem templi, centum cubitorum. 9 Et
erat ſubter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori:
10 In latitudine periboli atrij, quod erat contra viam Orientalem, in faciem ædificij
ſeparati, & erant ante ædificium gazophylacia. 11 Et via ante faciem eorum iuxta
ſimilitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis: ſecundum longitudinem
eorum, ſic & latitudo eorum: & omnis introitus eorum, & ſimilitudines, & oſtia eorum
12 ſecundum oſtia gazophylaciorum quæ erant in via reſpiciente ad Notum: oſtium in
capite viæ, quæ via erat ante veſtibulum ſeparatum per viam orientalem ingredientibus.
13 Et dixit ad me, Gazophylacia Aquilonis & gazophylacia Auſtri, quæ ſunt ante
ædificium ſeparatum: hæc ſunt gazophylacia ſancta, in quibus veſcuntur ſacerdotes qui
appropinquant ad Dominum in ſancta ſanctorum, ibi ponent ſancta ſanctorum & obla-
tionem pro peccato, & pro delicto: locus enim ſanctus eſt. 14 Cùm autem ingreſſi fuerint
ſacerdotes, non egredientur de ſanctis in atrium exterius: & ibi reponent veſtimenta ſua
in quibus miniſtrant, quia ſancta ſunt: veſtienturque veſtimentis aliis, & ſic procedent
ad populum. 15 Cúmque compleſſet menſuras domus interioris, eduxit me per viam
portæ quæ reſpiciebat ad viam orientalem: & menſus eſt eam vndique per circuitum.
16 Menſus eſt autem contra ventum orientalem calamo menſuræ: quingentos calamos
in calamo menſuræ per circuitum. 17 Et menſus eſt contra ventum Aquilonis quin-
gentos calamos, in calamo menſuræ per gyrum. 18 Et ad ventum Auſtralem men-
ſus eſt quingentos calamos, in calamo menſuræ per circuitum. 19 Et ad ventum occi-
dentalem menſus eſt quingentos calamos, in calamo menſuræ. 20 Per quattuor ven-
tos menſus eſt murum eius vndique per circuitum, longitudinem quingentorum cubito-
rum, & latitudinem quingentorum cubitorum, diuidentem inter ſanctuarium, & vulgi
locum.*

DESCRIBIT, & metitur ſigillatim atria templi, quæ cap. 40. generaliter tantùm menſus fuerat.

1. *In atrium exterius.*] In atrium virorum Aquilonare, quod ſimpliciter qui-

 dem

dem interius vocabatur, ſicut mulierum exterius: ſed appellat illud Propheta exterius hoc loco, quia loquitur de illo comparatione templi, vbi ipſe erat; alij, *in atrium exterius*, id eſt, fœminarum. *Quod erat contra ſeparatum ædificium*, id eſt, in eam partem atrij exterioris, quæ ædificium illud ſeparatum ſpectabat, de quo cap. ſuperiore ver. 12. 13. 14. 15. Nam altera eiuſdem atrij pars ad Orientem ſpectabat. *Et contra ædem.* Heb. ואשר נגד הבנין אל הצפון. & quæ erat è regione ædificij, quod reſpiciebat ad Aquilonem, repetitio eſt perſpicuitatis cauſa facta. quaſi dicat, ad illud, inquam, gazophylacium duxit mè, quod erat è regione ædificij ſeparati; non eius quod ad meridiem, ſed eius quod ad Aquilonem ſpectabat. Gazophylacium autem dicit ordinem gazophylaciorum pro plurali vt cap. 40. ver. 45. 46.

2. *In facie longitudinis.*] אל פני ארך. In faciem longitudinis centum cubitorum (adduxit me, hoc enim verbum neceſſariò repetendum,) id eſt, in eam partem atrij exterioris Aquilonaris, quæ reſpiciebat ædificium ſeparatum Aquilonare. Cuius longitudo erat centum cubitorum, latitudo quinquaginta. Nam totum atrium quadratum erat centum longitudinis & totidem latitudinis cubitos habens. Si autem quadratum, cuius ſingula latera centum cubitorum ſint, per medium diuidas, efficies duo parallelogramma, quorum vtrumque centum cubitos longitudinis, & quinquaginta latitudinis habeant. *Oſtij Aquilonis.* verſus oſtium atrij Aquilonaris. Declarant verſus quam partem eſſet longitudo.

3. *Contrà viginti cubitos atrij interioris.*] ſub. adduxit me in eam partem atrij exterioris, quæ reſpondebat ſpatio interioris atrij, quod erat inter veſtibulum & murum Occidentalem, quod habebat viginti cubitos latitudinis. Nam totum atrium habebat centum; totum ædificium veſtibuli ſexaginta, cap. 40. 14. ſpatium, quod erat inter veſtibulum & murum Occidentalem, de quo hic loquitur, viginti cubitos; alterum ſpatium, quod erat inter veſtibulum, & alterum murum Orientalem alios viginti cubitos. ſunt centum. *Vbi erat porticus.* Heb. אתיק אל פני אתיק בשלשים. thalamus ſuper thalamum in triplicibus, aut, thalamus è regione thalami in triplicibus, id eſt, ad eam partem vbi erant thalami atrij exterioris reſpondentes thalamis atrij interioris ter triplici ordine. Nam tres erant alius ſupra alium, & tres ordines; aut, vt clariùs dicam, tres thalami erant ex vno latere portæ, & totidem ex altero, quorum ſinguli tres habebant contignationes, & tres alios thalamos. Itaque nouem erant cubicula in vno latere, & totidem in alio. Nam qui ter quinque, aut quinquies ter ponunt ex vtraque parte, non video quomodo probare poſſint, fuiſſe quinque cubicula, quorum vnumquodque ſenos haberet cubitos, & ſex parietes ſingulos quinorum cubitorũ, qui ſunt ſexaginta cubiti, in dimidio ſpatio atrij, quod non habebat, niſi quinquaginta cubitos, ex quibus excipi debet latitudo portæ.

4. *Ad anteriora reſpiciens via cubiti vnius.*] Quæ deambulatio erat verſus interiorem partem atrij exterioris, vbi erat via ambulationi adhærens latitudinis vnius cubiti.

5. *Vbi erant gazophylacia.*] In quo ſpatio erant gazophylacia. H. והלשכות. & gazophylacia. ſub. ad hunc modum fabricata erant. העליונת קצרות. altiora (erant inferioribus) anguſtiora, contrà quàm erant cubicula tẽpli c. 41. 6. *Quia ſupportabant porticus.* H. כי יוכלו אתיקים מהנה מהתחתנות ומהתיכנות בנין. Quia ſuſtentabantur ab illis cubicula ab inferioribus & à medijs, id eſt, ideo ſuperiora inferioribus anguſtiora erant, quia alia ab aliis ſuſtentabantur,

ſuprema

ſuprema videlicet mediis, media ab infimis. Reddit vnam cauſam cur ſuperiora cubicula anguſtiora erant inferioribus, quòd inferiora quaſi fundamentum ſuperiorum eſſent, & ſolent fundamenta eſſe latiora, & parietes, qui ſuperædificantur ſurſum verſus arctari. Ideoq; nonnulli putant cubicula re quidem vera fuiſſe intus æqualia; ſed quia muro adhærebant, & murus supernè erat anguſtior, ipſa quoq, cubicula extrinſecus anguſtiora apparuiſſe. Non conſtat. Alteram eiuſdem rei cauſam reddit verſu ſequenti, quòd non niterentur columnis. Noſter interpres אתיקים. porticus vertit, quas c. ſuperiori ver. 15. vocauerat Ethecas. Chaldaïce cubicula ſignificat, vt Hebraïcè הלשכות.

6. *Triſtega enim erant.*] H. כי משלשות. quia triplicata erant ad verbum, id eſt, triplicia alia ſuper alia. propterea ſuperiora anguſtiora erant inferioribus, ne, cùm columnas non haberent, nimio pondere ædificium deſiliret. Noſter interpres triſtega Græco verbo vocauit tres cubiculorum contignationes, aut triplicem ordinem vt Geneſ. 6. v. 16. *Propterea eminebant.* anguſtiora erant, abuſus eſt enim verbo, quamquam etiam Sept. eodem modo verterũt ἐξεῖχον. H. נאצל. comprimebatur (ædificium) id eſt, anguſtius fiebat, vt R. Dauid, interpretatur. *A terra.* quò magis à terra ſurgebat. *Cubitis quinquaginta.* Hoc Hebraïcè non eſt, nec Chaldæus, & Septuaginta verterunt.

7. *Et peribolus.*] גדר paries, mũrus exterior, qui erat è regione gazophylaciorum, *Ante gazophylacia.* gazophylaciis ex aduerſo reſpõdens. murus, inquam, exterior, qui è regione gazophylaciorũ erat. *Longitudo eius quinquaginta cubitorum.* Hebraïſmus, pro, muri qui erat è regione gazophylaciorũ, longitudo quinquaginta cubitorum erat, quæ erat dimidia pars longitudinis atrij, c. 40. 23. Non ſignificat, vt quidam exiſtimant, cubicula occupaſſe ſpatium quinquaginta cubitorum, id enim fieri non poterat, cùm tota longitudo atrij nõ eſſet niſi centum cubitorum, & portæ, vt minimùm decem cubitos latitudinis occuparent. & eſſent duo æquales cubiculorum ordines, vnus ex vna parte portæ, alter ex altera: ſed vult dicere murum vni cubiculorum ordini oppoſitum, quinquaginta fuiſſe cubitorum, quia dimidia pars erat longitudinis totius atrij.

8. *Longitudo gazophylaciorum.*] ſpatij, vbi erant gazophylacia. Nam ipſa gazophylacia, vt ſuperiore verſu probauimus, non poterant quinquaginta longitudinis cubitos continere. *Et longitudo ante faciem templi*, id eſt, longitudo atrij, quod ante templum erat, centum erat cubitorum, cap. 40. 23.

9. *Subtus gazophylacia.*] Indicat cubicula non ſolùm ad latera fuiſſe portæ; ſed etiam ſupra portam ipſam, propterea dicit, *Subtus* loquitur autem de porta, qua ex atrio Orietali ingreſſus erat in Septentrionale, vt omnes ferè exponunt. Cui interpretationi non video, quemadmodum ea verba, quæ ſequuntur, conuenire poſſint, *ingredientium in ea.* (pro ingredientibus) de atrio exteriori: Quibus verbis indicatur gazophylacia ad murum potiùs occidentalem adhæſiſſe, atque ita oſtia verſus Orientem habuiſſe, quibus in ea ab atrio exteriori introibatur.

10. *In latitudine periboli.*] גדר muri, vt ver. 7. Deſcribit gazophylacia, ſiue cubicula, quæ erant in atrio Orientali, quorum eadem erat forma atque menſura, atque eorum, quæ in atrio Aquilonari deſcripſit. *In faciem ædificij ſeparati*, verſus ædificium illud quod ה ּגִ. ſeparatum vocare ſolet, vnus enim angulus atrij Orientalis vni angulo ædificij ſeparati coniunctus erat, & alter alteri. *Et erant ante ædificium.* Ante faciem, inquam, eius muri, qui verſus ædificium ſeparatum erat, ſita erant gazophylacia ante ipſum ſeparatum ædificium. Quòd coniunctio *Et*, redundat, Hebraïſmus eſt.

11. Se-

11. *Secundum longitudinem eorum, ſic & latitudo eorum.*] Non ſignificat latitudinem gazophylaciorum eorundem longitudinem æqualem fuiſſe: ſed quemadmodum Orientalia gazophylacia Septentrionalibus æqualia erant lõgitudine, ſic etiam æqualia illis latitudine fuiſſe. ſed Hebraïſmus facit vt verba aliũ ſenſum præ ſe ferre videantur. *Et ſimilitudines & oſtia,* וכל מוצאיהן וכמשפטיהן& omnes exitus horum iuxta formas illorum.

12. *Secundum oſtia gazophylaciorum.*] Docet Orientalia gazophylacia etiam fuiſſe ſimilia Meridianis, ac ſi omnia inter ſe eandem formam, menſuramque habuiſſe. Quod autem de tribus exterioribus atriis dixit, de tribus quoque interioribus intelligendum eſt. *Quæ via erat ante veſtibulum ſeparatum.* בפני הגדרה הגינה דרך הקדים. ante murum rectum qui eſt verſus Orientem, aut qui recta via ad Orientem ſpectabat, vt R. Ionath. exponit, vt ver. 10.

13 *Et dixit ad me.*] Diuinus ille architectus, quem videram, quiq; omnia dimetiebatur, meq́ue eo deduxerat. *Qui appropinquant ad Dominum.* id eſt, qui Domino miniſtrant, qui ingrediuntur in ſancta ſanctorum, vbi Dominus habitare dicebatur, vt ſtatim explicat. Idem ſuprà c. 40. 46. *Sancta ſanctorum,* id eſt, carnes victimarum pro peccato, & pro delicto ſacrificatarum, vt ibi eas comedant; non enim alibi edere licebat, itaque coniunctio *Et*, eſt exegetica, vt interpretatur R. Dauid.

14. *Non egredientur.*] Sacris veſtibus induti. *Et ibi reponent.* ſed ibi deponent. Nam ו. *Et*, hoc loco aduerſatiua eſt. Id explicat infrà c. 44. 17. 19.

15. *Domus interioris.*] Templi & omnia atriorum, & eorum, quæ ad templi miniſterium pertinebant, qualia erant gazophylacia, vocat domum interiorem hoc loco totum templum, atria etiam exteriora complectens, comparatione periboli, & muri extimi: quem nunc incipit deſcribere.

16. *Contra ventum orientalem.*] Murum illum, qui totum templum circundabat, cuius latitudinem calamo vno, altitudinem calamo altero menſus fuerat, c. 40. 5. nunc autem eius longitudinem declarat. Hic murus diuidebat locum ſanctum à profano, id eſt, ab vrbe, vt explicatur v. 20. faciebat enim peribolum circum templum, qui & ipſe ſacer erat, quemadmodum nunc cœmeteria, quæ templis adhærent. *Calamo menſura,* id eſt, maximo calamo, qui ſex cubitos habebat, cùm vulgaris non haberet, niſi quinque: calamo ſacro. *Quingentos calamos.* Ter mille cubitos. Itaque totus murus habebat in circuitum duodecim millia cubitorum.

20. *Longitudinem quingentorum cubitorum.*] חמש מאות. quingentorum (calamorum) vt conſtat ex ſuperioribus verſibus 17. 18. 19. *Et latitudinem quingentorum cubitorum.* Quingentorum (calamorum) Non erat propriè longitudo neque latitudo, quia peribolus quadratus erat, ſed vocat longitudinem duos muros, qui ab Oriente ad Occidentem parelleli tendebantur: latitudinem verò alios duos, qui à Meridie in Septentriones, Quia longitudo templi erat ab Ortu ad Occaſum; latitudo verò à Meridie in Septentrionem *Diuidentem inter Sanctuarium & vulgi locum.* להבדיל בין הקדש לחל. ad diuidendum inter ſanctum & prophanum, id eſt, vt murus diuideret inter locum ſanctum & vrbem. Declarat vſum muri, qui ideo circum circa templum cingebat, vt locum ſanctum à profanis diſtingueret. Nam quidquid infra murum illum erat, ſanctum erat, quare & templum aliquando vocabatur, vt cùm Chriſtus vendentes & ementes è templo eieciſſe dicitur, Ioan. 2. 15. non enim erant in ipſo templo; ſed in hoc exteriori peribolo.

CAPVT

CAPVT XLIII.

ET duxit me ad portam quæ reſpiciebat ad viam orientalem. 2 Et ecce gloria
Dei Iſraël ingrediebatur per viam orientalem: & vox erat ei quaſi vox aqua-
rum multarum, & terra ſplendebat à maieſtate eius. 3 Et vidi viſionem ſe-
cundum ſpeciem quam videram, quando venit vt diſperderet ciuitatem: & ſpecies ſecun-
dum aſpectum quem videram iuxta fluuium Chobar: & cecidi ſuper faciem meam.
4 Et maieſtas Domini ingreſſa eſt templum per viam portæ quæ reſpiciebat ad Orien-
tem. 5 Et eleuauit me ſpiritus, & introduxit me in atrium interius: & ecce repleta
erat gloria Domini domus. 6 Et audiui loquentem ad me de domo, & vir qui ſtabat iu-
xta me. 7 Et dixit ad me: Fili hominis, locus ſolij mei, & locus veſtigiorum pedum
meorum, vbi habito in medio filiorum Iſraël in æternum: & non polluent vltrà domus Iſ-
raël nomen ſanctum meum, ipſi & reges eorum in fornicationibus ſuis, & in ruinis re-
gum ſuorum, & in excelſis. 8 Qui fabricati ſunt limen ſuum iuxta limen meum, &
poſtes ſuos iuxta poſtes meos: & murus erat inter me & eos, & polluerunt nomen ſan-
ctum meum in abominationibus quas fecerunt: propter quod conſumpſi eos in ira mea.
9 Nunc ergo repellant procul fornicationem ſuam, & ruinas regum ſuorum à me: &
habitabo in medio eorum ſemper. 10 Tu autem fili hominis, oſtende domui Iſraël
templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis: & metiantur fabricam, 11 &
erubeſcant ex omnibus quæ fecerunt. Figuram domus, & fabricæ eius exitus, & introi-
tus, & omnem deſcriptionem eius, & vniuerſa præcepta eius, cunctúmque ordinem eius,
& omnes leges eius oſtende eis, & ſcribes in oculis eorum: vt cuſtodiant omnes deſcriptio-
nes eius, & præcepta illius, & faciant ea. 12 Iſta eſt lex domus in ſummitate mon-
tis, Omnis finis eius, in circuitu ſanctum ſanctorum eſt, hæc eſt ergo lex domus. 13 I-
ſtæ autem menſuræ altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum & palmum: in ſinu
eius erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio eius vſque ad labium eius, & in
circuitu, palmus vnus, hæc quoque erat foſſa altaris. 14 Et de ſinu terræ vſque ad
crepidinem nouiſſimam duo cubiti, & latitudo cubiti vnius: & à crepidine minore vſque
ad crepidinem maiorem quattuor cubiti, & latitudo cubiti vnius. 15 Ipſe autem
ariel quattuor cubitorum: & ab ariel vſque ad ſurſum cornua quattuor. 16 Et ariel
duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum
æquis lateribus 17 Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quattuorde-
cim cubitos latitudinis in quattuor angulis eius: & corona in circuitu eius dimidij cubiti,
& ſinus eius vnius cubiti per circuitum: gradus autem eius verſi ad orientem. 18 Et
dixit ad me, Fili hominis hæc dicit Dominus Deus: Hi ſunt ritus altaris, in quacumque
die fuerit fabricatum: vt offeratur ſuper illud holocauſtum, & effundatur ſanguis.
19 Et dabis ſacerdotibus & Leuitis, qui ſunt de ſemine Sadoc, qui accedunt ad me, ait
Dominus Deus, vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato. 20 Et aſſumens
de ſanguine eius, pones ſuper quattuor cornua eius, & ſuper quattuor angulos crepidinis,
& ſuper coronam in circuitu, & mundabis illud, & expiabis. 21 Et tolles vitulum
qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum in ſeparato loco domus extra ſanctuarium.
22 Et in die ſecunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt
altare, ſicut expiauerunt in vitulo. 23 Cúmque compleueris expians illud, offeres vitu-
lum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum. 24 Et offeres eos
in conſpectu Domini: & mittent ſacerdotes ſuper eos ſal, & offerent eos holocauſtum Do-
mino. 25 Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento &
arietem de pecoribus immaculatos offerent 26 Septem diebus expiabunt altare, &

taminabatur locus ſanctus attractu cadauerum. Noſter interpres בג״יב cadauera, ruinas vertit, vt ſuprà c. 21. 14. *Corde tabeſcere, & multiplicat ruinas.* & Pſal. 109.6. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* eodem modo ver. ſequenti.

8. *Fabricati ſunt.*] Reddit cauſam cur templum polluerint, quia cùm iuxta templum domos ſuas haberent, ſcelera quæ domui ſuæ perpetrabant, in templo perpetrare putabantur. Alij auctorem Hieronymum ſecuti, Cùm iuxta templum meum habitarent, non fuerunt aliis meliores; ſed potiùs polluerunt nomen ſanctum meum, ideóque *conſumpſi eos in ira mea.*

9. *A me.*] à templo meo, vbi ego habito.

10. *Oſtende domui Iſraël templum.*] annuntia illis templi reſtaurationem, eiúſque magnitudinem & figuram declara, & fac eos ſuis manibus illud metiri, vt cùm eius amplitudinem perſpexerint, pudeat eos ſuarum iniquitatum, qui pro tot peccatis, tot tantáque à Deo acceperint beneficia.

11. *Et erubeſcant.*] ואם נכלמו. etſi puduerit eos eorum, quæ fecerunt, id eſt, ſi oſtenſa templi amplitudine, ſpéq; eius reſtaurandi reſipiſcere voluerint, explica illis ſigillatim ſingulas partes, earúmque menſuras, vt cùm tempus aduenerit, ad eam formam illud ædificent. *Præcepta eius*, ritus, legéſque ſacrificiorum.

12. *Iſta eſt lex domus.*] hæc eſt templi deſcriptio, ac deſignatio. *Omnes fines eius in circuitu.* Totus ille peribolus, quem ſuperiore cap. v. 16. 17. 18. deſcripſit, qui ſummum montem circumcingebat.

13. *In cubito veriſſimo.*] ואלה מדות המזבח באמות אמה וטפח. & hæ menſuræ altaris in cubitis; cubitus cubitus & palmus, id eſt, in cubitis non communibus, ſed ſacris, addito nimirum ſingulis palmis in ſingulos cubitos, vt dixit cap. 40. 5. atque hæc eſt vis Hebraiſmi. *In ſinu eius erat cubitus*, id eſt, in medio eius eminebat pars vna ſupra cæteras altitudine cubiti vnius, qui ab Hebræis מק״ג מעד כה. locus diſpoſitionis vocabatur, vt ait R. Dauid, quia in eo ligna ad cremandas victimas ſtruebantur. Alij ferè omnes Chaldæum Paraphraſtem ſecuti חיק. ſinum, fundamentum interpretantur. Itaq; ſenſum eſſe putant baſim altaris vnum cubitum altitudinis habuiſſe: quod idcirco mihi magis probatur, quod veriſimile videtur Prophetam ex baſe ac fundamento altare deſcribere cœpiſſe.. Cur fundamentum ſinus appelletur, multa multi ſubtiliter *Fundamentum cur ſinus vocetur.* philoſophantur, ego ſimpliciùs ideo vocari ſinum dico, quòd ſicut ſinus latiſſima pars hominis eſt, ita fundamentum latiſſimum in ædificio. *Et cubitus in latitudine*, murus erat latus cubitum vnum. Non quòd non eſſet multò latior, ſed quòd crepido eius vnius eſſet cubiti: ſtringebatur enim magis ac magis altare, quò magis ac magis aſſurgebat. *Et definitio eius vſq; ad labium eius.* וגבולה אל שפתה. & terminus eius in labio eius vnius palmi, id eſt, baſis altaris præter latitudinem (vt opinor) vnius cubiti, habebat labium vnius palmi circum circa, elegantiæ cauſa, vt exiſtimo, quale in multis etiam hodie ædificiis videmus. *Hæc quoque erat foſſa altaris.* וזה גב המזבח. atque hæc erat altitudo altaris, quemadmodum & Sept. verterunt. Vocat autem altare, altaris fundamentum per ſynecdochen, ſi hæc verba ad ſuperiora referantur; ſin autem ad ea, quæ ſequuntur, quod verò videtur eſſe ſimilius, altare vocat quidquid ſuper fundamentum ſuperſtructum erat, cuius altitudinem ſequentibus verſibus deſcribit.

14. *De ſinu terræ vſque ad crepidinem nouiſſimam.*] מחיק הא״צ עד העזרה התחתונה à ſinu terræ vſque ad atrium inferius. Quæ verba multos Hebræorum interpretes, & ex Latinis eos, qui nimio ſtudio Hebræos ſectari ſolent,

QQq 2 feſel-

feſellerunt. Putauerunt enim agi hîc de atrio ſacerdotum, quia עזרה. propriè atrium ſignificat, quod tres partes habuiſſe dicunt, atrium inferius verſus Orientem, (quod inferius dicebatur, quia cùm templum in accliui loco eſſet ab Oriente verſus Occidentem aſcendebatur) atrium ſuperius verſus Occidentem; & medium, vbi erat altare. Vtrum autem duorum atriorum maius vtrum minus appelletur Hebræi ſe, vt ſcribit R. Dauid, ignorare confitentur. Cæterum quis non videt non hîc de atriis, ſed de altari Prophetam agere? Significat ergo in altari ſupra fundamentum duas fuiſſe contractiones, quas עזרות. atria vocat, quia erant duo ſpatia, in quibus ſacerdotes obambulare poterant, altaréque circumire. Hieronymus rectiſſimè crepidines appellauit. *Nouiſſimam* autem, aut תחתונה. inferiorem crepidinem vocat, quæ propior erat fundamento: eandémq; minorem appellat, non quòd anguſtior eſſet, vt quidaminterpretes depinxerunt;erat enim latior quatuor cubitis ſuperiore,cũ quatuor haberet latera, quorum ſingula vno cubito è ſuperiore crepidine eminerent:ſed minor appellatur ob eã cauſam,quæ hic à Propheta tacitè redditur, quòd non haberet niſi duos cubitos altitudiniscùm ſuperior haberet quatuor.

Ariel cur dicatur altare.

15. *Ipſe autem Ariel.*] Quidam Ariel fundamentum interpretantur, alij ſuperiorem partem altaris. Ex menſura perſpicuum eſt Ariel ſuperiorem crepidinem appellari, quæ propè altare erat. Dicebatur autem הראיל. Hariel, vt putat R. Dauid,quaſi mons Dei ex idololatrarum conſuetudine,qui in montibus idolis ſacrificabant; vel, vt alij Hebræi ſentiunt, הר יאל. id eſt, leo Deo, quia in eum locum ignis de cœlo à Deo mitti ſolebat, qui impoſitas victimas quaſi leo abſumebat.Alij ex figura הריאל.leonem Dei vocatum fuiſſe dicunt, quòd ſuperiore parte latior eſſet,quàm inferiore. Sed ipſi ſibi leonis figurã fingunt.Nam Propheta anguſtius ſuperiore parte,quàm inferiore fuiſſe docet. *Et ad Ariel vſque ad ſurſum.* & ab Ariel ולמעלה.& ſurſum verſus quatuor cornua.

16. *Et Ariel duodecim cubitorum.*] Significat altare habuiſſe quadraginta octo cubitos in quadrum, duodenos per ſingula latera.

17. *Et crepido quatuordecim cubitorum.*] Crepidinem vocat hîc inferiorem illam, quam ver. decimo quarto *nouiſſimam* appellauit, quia ſuperiorem vocauit Ariel. Hanc ergo dicit per ſingula latera quatuordecim cubitos habuiſſe; cùm enim è ſuperiore crepidine ſeu Ariel cubito vno latitudinis emineret, neceſſe erat per ſingula latera duos ampliùs longitudinis cubitos habere; habebat autem Ariel,vt ſuperiore verſu dixit, duodecim cubitos. Itaque inferior crepido quinquaginta ſex in quadrum cubitos habebat, nam ſuperior habebat quadraginta octo. Eadémq; ratione colligitur, quamuis Propheta non dicat, baſim altaris ſexdenos habuiſſe cubitos per ſingula latera, omnino autem in quadrum ſexaginta quatuor. Nam & ipſa cubito vno ab inferiore crepidine extabat. Colligitur etiam totum altare ſeptem altitudinis cubitos habuiſſe. Nam baſis habebat cubitum vnum,ver.13.crepido inferior duos,ver.14.Ariel autem quattuor,ver. 15. *Et corona in circuitu.* והגבול סביב. & terminus per circuitum *dimidij cubiti*, id eſt, labium eius, vt de baſi dixit ver. 13. *Definitio eius vſque ad labium eius in circuitu palmus vnus. Et ſinus eius.* חיק. R. Dauid ſcribit ignorare Hebræos,quid hoc loco ſignificet.Alij neſcio quid in medio fuiſſe fingũt,quod in vnius cubiti altitudinem ſurgeret. Ego repetitionem eius quod verſu 13. dixit,eſſe arbitror. Dixit enim ſinum,id eſt, baſim ac fundamentum altaris vnum latitudinis cubitum habiſſe,quod nunc repetit. *Gradus autem eius.* gradibus ab Oriente verſus Occidentem ad altare aſcendebatur.

18. *H: ſunt ritus.*] אלה חקות. hæc ſunt ſtatuta, id eſt, hæ ſunt menſuræ, hæc eſt forma, qua facient altare, vt ver. 11.

19. *Et dabis.*] Trades eos ritus, aut eas menſuras, quas vidiſti, ſacerdotibus & Leuitis; aut, Dabis vitulum, vt doceas quomodo ſacrificare debeant longa nimirum oblitos captiuitate, vt verſu ſequenti declaratur. *Qui ſunt de ſemine Sadoch*, Nominat Sadoch tanquam principem ſacerdotum, quia primus fuit qui ſummi ſacerdoris officio in templo Salomonis functus eſt; quare ex illo omnes poſteri ſacerdotes cognomentum acceperunt, vt ſuprà vidimus c. 40. 46. *Qui accedunt ad me.* Qui in ſancta ingrediuntur vt mihi offerant vitulum filium bouis, vnam ſpeciem pro omni ſacrificiorum genere poſuit. Accedere ad Dominum, eſt miniſtrare, & in ſancta ingredi, quod ſolis licebat ſacerdotibus, cap. 42. 13. & 40. 6.

Accedere ad Dominum eſt miniſtrare & in ſancta ingredi.

20. *Super quattuor cornua eius.*] Altaris. Is enim vituli ſacrificandi ritus lege præſcriptus erat, Exod 29. 12. & Leuit. 4. 7. 17. & cap. 16. 18.

21. *Et combures.*] שרפו. comburent, (ſacerdotes, aut qui eam curam habuerint.) *In ſeparato loco. Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra*, ad Heb. 13. 11. & Leuit. 4. 12. & 6. 30. & 16. 27.

23. *Cùmque compleueris.*] Cùm expiationem eius abſolueris.

25. *Facies hircum*] עשית. dixit Hebraicè, id eſt, facere, pro ſacrificare, vt ſæpe apud Latinos. Sic etiam in fine verſus vbi noſter interpres vertit, *Offerent*, Hebraicè eſt ועשו. facient. & ver. 27. יעשו. *facient holocauſta*. & c. 45. 22. & 46. 2. & 5. & Exod. 10. 25.

Facere idem quod ſacrificare.

26. *Et implebunt manum eius.*] ידו. pro ידיו. manus eius, vt adnotat R. Dauid. Quod, vt idem refert, quidam interpretantur, Implebunt manus, id eſt, latera eius (altaris.) Nam יד. & manum, & latus ſignificat. quaſi dicat, per ſeptem dies replebunt altare victimis, id eſt, offerent omnia, quæ offerenda ſunt: quo etiam ſenſu videtur Chaldæus reddidiſſe. Et offerent oblationem eius. Alij, *Implebunt manus eius*, ſacerdotis, ſacrificantis, id eſt, dabunt illi tot victimas, quot per ſeptem dies ſacrificare poterit. Ego & ex adiunctis ad altare refero; de expiatione enim altaris agebatur; & ex linguæ Hebraicæ proprietate, aliorúmque locorum obſeruatione, Implere manus idem eſſe arbitror. quod conſecrare, vt Exod. 28. 41. vbi noſter interpres vertit, *Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos.* Hebraicè eſt ומלאת את ידם. & implebis eorum manus, id eſt, initiabis eos, & cap. 29. 9. vbi eſt, *Poſtquam initiaueris manus eorum.* Hebraicè eſt, ומלאת יד. & implebis manum Aaron, & filiorum eius; & ver. 35. vbi latinè legimus, *Septem diebus conſecrabis manus eorum.* Hebraicè legitur, תמלא ידם. implebis manus eorum, qui locus huic, de quo agimus, ſimillimus eſt, eúmq; penitus illuſtrat; & 3. Reg. 13. 33. *Quicumque* (inquit) *volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos*, id eſt, quicumque volebat initiabatur.

Implere manus idē quod conſecrare.

27. *Facient.*] id eſt. offerent, vt ſuprà ver. 25.

CAPVT XLIIII.

ET conuertit me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem: & erat clauſa. 2. *Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſiet per eam: quoniam Dominus Deus Iſraël*

Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa principi. 3 Princeps ipſe ſedebit in ea,
vt comedat panem coram Domino: per viam portæ veſtibuli ingredietur, & per viam
eius egredietur. 4 Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conſpectu domus: &
vidi: & ecce impleuit gloria Domini domum Domini: & cecidi in faciem meam.
5 Et dixit ad me Dominus: Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis: & au-
ribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de vniuerſis ceremoniis domus Domini, &
de cunctis legibus eius: & pones cor tuum in viis templi, per omnes exitus ſanctuarij.
6 Et dices ad exaſperantem me domum Iſraël, Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiant
vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſraël: 7 Eo quòd inducitis filios alienos incircumci-
ſos corde, & incircumciſos carne, vt ſint in ſanctuario meo, & polluant domum meam: &
offertis panes meos adipem & ſanguinem: & diſſoluitis pactum meum in omnibus ſceleri-
bus veſtris. 8 Et non ſeruaſtis præcepta ſanctuarij mei, & poſuiſtis cuſtodes obſeruatio-
num mearum in ſanctuario meo vobiſmetipſis. 9 Hæc dicit Dominus Deus: Omnis
alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne, non ingredietur ſanctuarium meũ,
omnis filius alienus qui eſt in medio filiorum Iſraël. 10 Sed & Leuitæ qui longè receſſe-
runt à me in errore filiorum Iſraël, & errauerunt à me poſt idola ſua, & portauerunt ini-
quitatem ſuam. 11 Erunt in ſanctuario meo æditui, & ianitores portarum domus: ipſi
mactabunt holocauſta, & victimas populi, & ipſi ſtabunt in conſpectu eorum, vt miniſtrent
eis. 12 Pro eo quòd miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorum ſuorum, & facti ſunt do-
mui Iſraël in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam ſuper eos, ait Domi-
nus Deus, & portabunt iniquitatem ſuam: 13 & non appropinquabunt ad me, vt ſa-
cerdotio fungantur mihi, neq; accedent ad omne ſanctuarium meum iuxta ſancta ſancto-
rum: ſed portabunt confuſionem ſuam, & ſcelera ſua quæ fecerunt. 14 Et dabo eos ia-
nitores domus, in omni miniſterio eius, & in vniuerſis quæ fient in ea. 15 Sacerdotes au-
tem & Leuitæ filij Sadoc, qui cuſtodierunt ceremonias ſanctuarij mei, cùm errarent filij
Iſraël à me: ipſi accedent ad me, vt miniſtrent mihi: & ſtabunt in conſpectu meo, vt offe-
rant mihi adipem & ſanguinem, ait Dominus Deus. 16 Ipſi ingredientur ſanctuarium
meum, & ipſi accedent ad menſam meam, vt miniſtrent mihi, & cuſtodiant ceremonias
meas. 17 Cúmque ingredientur portas atrij interioris veſtibus lineis induentur: nec
aſcendet ſuper eos quidquam laneum, quando miniſtrant in portis atrij interioris & in-
trinſecus. 18 Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis
eorum, & non accingentur in ſudore. 19 Cumq; egredientur atrium exterius ad popu-
lum, exuent ſe veſtimentis ſuis in quibus miniſtrauerant, & reponent ea in gazophylacio
ſanctuarij, & veſtient ſe veſtimentis aliis: & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.
20 Caput autem ſuum non radent, neq; comam nutrient: ſed tondentes attondent capita
ſua. 21 Et vinum non bibet omnis ſacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius.
22 Et viduam & repudiatam non accipient vxores; ſed virgines de ſemine domus Iſ-
raël: ſed & viduam, quæ fuerit vidua à ſacerdote, accipient. 23 Et populum meum do-
cebunt quid ſit inter pollutum & ſanctum: & inter mundum & immundum oſtendent eis.
24 Et cùm fuerit controuerſia, ſtabunt in iudiciis meis: & iudicabunt leges meas, &
præcepta mea in omnibus ſolennitatibus meis cuſtodient, & ſabbatha mea ſanctificabunt.
25 Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur: niſi ad patrem & ma-
trem, & filium & filiam, & fratrem & ſororem quæ alterum virum non habuerit: in qui-
bus contaminabuntur. 26 Et poſtquam fuerit emendatus, ſeptem dies numerabuntur ei.
27 Et in die introitus ſui in ſanctuarium ad atrium interius, vt miniſtret mihi in ſan-
ctuario, offeret pro peccato ſuo, ait Dominus Deus. 28 Non erit autem eis hæreditas, ego
hæreditas eorum, & poſſeſſionem non dabitis eis in Iſraël, ego enim poſſeſſio eorum.
29 Victimam & pro peccato, & pro delicto ipſi comedent: & omne votum in Iſraël,

ipſorum

ipſorum erit. 30 *Et primitiua omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex*
omnibus quæ offeruntur, ſacerdotum erunt, & primitiua ciborum veſtrorum dabitis ſa-
cerdoti vt reponat benedictionem domui ſuæ. 31 *Omne morticinum: & captum à*
beſtia de auibus, & de pecoribus non comedent ſacerdotes.

VIDET iterum Propheta gloriam Dei in templo, docetúrque ea, quæ ad ſacerdotes pertinent.

1. *Et conuertit me.*] Architectus ille quem videram, cap. 40. 3. aut, vir ille qui ſtabat iuxta me, cap. 43. ver. 6. *Ad viam portæ ſanctuarij exterioris* Templi. quod comparatione ſancti ſanctorum, exterius appellatur, vt interpretatur R. Dauid. Alij atrium ſacerdotis, vbi erat altare. *Et erat clauſa.* poſtquam per eam gloria Domini ingreſſa fuerat. Nam antè apertam viderat, & gloriam Domini per eam ingredientem, c. 43. 2.

2. *Clauſa erit.*] populo. Nam ſacerdotes, qui Dei perſonam gerebant, per eam ingrediebantur. Cauſam autem reddit, cur nemini liceret per eam ingredi quia gloria Domini per eam fuerat ingreſſa. Rectè veteres auctores elegantíque allegoria hunc locum ad ſacroſanctam virginem Mariam accommodauerunt; rideant licet Iudæi. Nam quod obiiciunt ſtatim ſequi, *Princeps ipſe ſedebit*, de Chriſto interpretari poſſumus, qui ſolus nouit Patrem, & ad dexteram maieſtatis eius ſedet, quemadmodum & R. Dauid hoc loco exponit. *Eritque clauſa principi.* Hebræi nomen principis in ſequenti verſu ponunt, quanquam mihi quidem meliùs videtur in hoc hærere, propter articulum, aut præpoſitionem את. ſenſus autem erit, *Erit clauſa principi*, id eſt, in vſum principis, ſicut ſtatim declarat. *B. Virgo porta clauſa.*

3. *Princeps ipſe ſedebit in ea.*] Non ingredietur, ſed in primo limine inſiſtet, ibíque victimarum partes edet, quas extra templum edere non licebat, vt Hebræi interpretantur, cap. 46. ver. 12. declaratur, portam illam principi, cùm ſacrificium oblaturus eſſet, aperiendam, vt per eam ingrederetur, atque egrederetur. Sed in ipſo limine conſiſtebat interim dum eius ſacrificium offerebatur, ibidem ver. 2. *Per viam portæ veſtibuli.* atrij, virorum Orientalis, vt offerat ſacrificia ſua, per eandémque egredietur; non tamen ingredietur nec egredietur per portam Orientalem ſanctuarij, per quam Domini gloria ingreſſa fuerat. Alij ad eam ipſam portam hoc referunt, de qua antè loquebatur, ſenſu prorſus contrario.

4. *In conſpectu.*] אל פני הבית. in conſpectum domus, id eſt, ſanctuarij, quod per excellentiam domus templúmque vocari ſolet. Porta igitur ſanctuarij, quæ ad Aquilonem ſpectabat, non erat clauſa, quemadmodum Orientalis, ſed aperta, ideóq; per eam introſpicere potuit gloriam Domini, quæ ſanctuarium & ſanctum ſanctorum implebat.

5. *Et pones cor tuum in viis templi.*] ושמת לבך למבוא הבית בכל מוצאי המקדש. & pones cor tuum ad ingreſſum domus, & in omnibus exitibus ſanctuarij, id eſt, obſeruabis diligenter omnes templi introitus, atque exitus, vt doceas alios quà princeps, quà populus, quà ſacerdotes ingredi, egredíque debeant, vt paulò antè declarauit.

6. *Ad exaſperantem me.*] אל מרי. ad rebellem domum Iſraël; ad immorigeram & non obedientem, vt c. 5. 2. 6. & 3. 9. 26. 27. & 12. 2. 3. 9. 25. & 17. 12. *Sufficiat vobis omnia ſcelera veſtra.* Satis enim vobis eſſe debet, vt vos ipſi veſtris idolis, honi-

nem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem. 20 *Et dixit ad me, Iſte eſt locus vbi coquent ſacerdotes pro peccato, & pro delicto: vbi coquent ſacrificium, vt non efferant in atrium exterius, & ſanctificetur populus.* 21 *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quattuor angulos atrij, & ecce atriolum erat in angulo atrij, atriola ſingula per angulos atrij.* 22 *In quattuor angulis atrij atriola diſpoſita quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: menſura vnius quattuor erant.* 23 *Et paries per circuitum ambiens quattuor atriola: & culinæ fabricatæ erant ſubter porticus per gyrum.* 24 *Et dixit ad me, Hæc eſt domus culinarum in qua coquent miniſtri domus Domini victimas populi.*

PERGIT alia ſacrificiorum genera explicare.

1. *Atrij interioris.*] Templi aut ſanctuarij, quod ad atrium interius virorum, & exterius fœminarum, interius dicebatur. vide ſup. c. 44. 2. 3.

2. *Intrabit princeps.*] Rex, id eſt, Chriſtus, vt etiam R. Dauid interpretatur, ſuprà cap. 44. 2. Nam poſt hanc prophetiam non fuerunt Reges in Iuda, ſed duces, vt ex Machabæorum libris perſpicuum eſt. Hinc conſtat ſuperioribus etiam capitibus nomine Principis, non ſummum ſacerdotem, ſed regem intelligendum. *Et facient*, offerent, vt ſuperiore cap. verſu 22. & cap. 43. 25. 27. & infrà verſ. 12.

Ad oſtium portæ.] foris, princeps autem in ipſo limine, vt ex hoc loco, & ex c. 44. v. 2. & 3. colligitur.

5. *Et ſacrificium.*] ומנחה איפה לאיל. & oblatio (eius erit hæc) Ephi in ſingulos arietes. Diſtinguit מנחה, oblationē ſimilæ à זבח. ſacrificio, & עולה holocauſto: docetque quantum ſimilæ cum ſingulis arietibus offerri debeat; vt capite ſuperiore verſu 24. *In agnis autem ſacrificium quod dederit manus eius.* ולכבשים מנחה מתת ידו. & in agnos oblatio (erit) munus manus eius, id eſt, quantum autem ſimilæ cum ſingulis agnis offerri debeat, nihil cuiquam præſcribitur, ſed in eius relinquitur arbitrio; aut, offeret quod potuerit. Vtroque enim modo Hebraïſmum ipſi Hebræi explicant: ſed poſteriore ſenſu R. Dauid, & Chaldæus Paraphraſtes. Simile illud Leuit. 5. 11. *Quod ſi non quiuerit manus eius offerre turtures, aut duos pullos columbarū, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem Ephi decimam.* & cap. 12. 8. *Quod ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures vel duos pullos columbarum.* hic ſenſus explicatur verſu 7. *Et olei Hin.* ſimilæ quidem quantum voluerit, aut potuerit, offeret, ea tamen lege, vt cum vnoquoque Ephi miſceat vnum Hin olei. Quid autem eſſet Ephi & Hin cap. præcedenti ver. 11. & 24. declarauimus.

6. *Vitulum de armento.*] פרבן בקר vitulum filium bouis, aut vaccæ. *Immaculatum.* תמימים. immaculatos. Iungit enim adiectiuum plurale cum ſubſtantiuo ſingulari. Quod aliquid Hebræi ideo factum putans, vt ſcribit Quimchi, vt ſignificaretur & vitulum & eius matrem immaculatos eſſe debuiſſe. Alij verò, quia in lege præceptum fuerat, vt in Calendis duo vituli & ſeptem agni offerrentur, Num. 28. 11. voluiſſe Prophetam hoc loco indicare, vt duos vitulos offerret immaculatos, ſi autem duos non inueniret, ſaltem vnum. Itemque ſeptem agnos, ſi ſeptem non inueniret, ſaltem ſex, ſi ſex non inueniret, ſaltem quinque, & eodem modo vſque ad vnum.

7. *Faciet ſacrificium.*] ועשה מנחה. faciet oblationem (ſimilæ) vt ſeruetur differentia inter מנחה. oblationem aridorum, & זבח & עולה. ſacrificium & holocauſtum victimarum. *De agnis autem, ſicut inuenerit manus*

 eius.

eius. לכבשים כאשר תשיג ידו. & in agnos, prout apprehenderit manus eius, id eſt, cum agnis autem tantum ſimilæ offeret, quantum eius patientur facultates, modò cum ſingulis Ephi ſimilæ ſingulos Hin olei miſceat, vt dixit v. 5. vbi ſimilem Hebraïſmum expoſuimus.

8. *Cùm que ingreſſurus eſt.*] ובבוא cumq; ingredietur princeps, *per viam veſtibuli portæ.* Orientalis, vt dixit ver. 1. & 2. & cap. 44. 2. 3. Hebræi hunc locum ſic interpretantur, vt non loquatur Propheta niſi de die Sabbathi, & de Calendis, quibus diebus non ſolùm princeps, ſed etiam totus populus per eandem viam ingredietur ac egredietur, cum cæteris temporibus & populus & princeps per aliam viam ingredi, per aliam egredi deberet, vt ver. 9. & 10. declarari putant. Ego Hieronymo, noſtriſque interpretibus magis aſſentior, qui duplicem hîc differentiam inter principem & populum notari volunt; alteram, quòd princeps ſolus per portam Orientalem, populus aut per Meridionalem, aut per Aquilonarem ingrederetur, vt dicitur verſu ſequenti; alteram, quòd princeps per eandem portam ingrederetur, atque egrederetur, populus per diuerſam, vt dicit verſu 10.

9. *Cùm introibit populus.*] Tradunt aliqui Hebræi, propterea præceptum eſſe, vt populus per aliam portam egrederetur, quàm ingreſſus eſſet, ne terga obuerterent ſanctuario.

10. *Princeps autem in medio eorum.*] R. Sal. & Quimchi exponunt, princeps vnà cum illis per aliam portam ingredietur, per aliam egredietur. Sic interpretantur, quod ſequitur, *Cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur,* quaſi *cum* coniunctionem, ſocietatémque ſignificet, & idem quod, *In medio eorum.* Meliùs noſtri, *In medio eorum*; id eſt, per portam Orientalem ingredietur, quæ media eſt inter Meridionalem & Septentrionalem. *Cum ingredientibus ingredietur,* id eſt, eodem tempore quo alij ingrediuntur, ipſe ingredietur, & eodem tempore quo alij egredientur, ipſe egredietur. Alij, *Princeps autem in medio eorum,* id eſt, princeps qui inter eos fuerit, quicunque regnabit, cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur, ſanè non abſurdè, neque longè ab Hebraïſmo.

11. *Et in nundinis.*] בחגים. in feſtis. *Sicut inuenerit manus eius.* מתת ידו. munus manus eius, id eſt, pro ſua facultate, ſicut dixit ver. 5. & explicauit ver. 7.

12. *Cùm autem fecerit.*] cùm obtulerit, vt ver. 2. & cap. 45. ver. 22. & c. 43. ver. 25. 27. *Spontaneum holocauſtum.* aut, pacifica voluntaria Domino. id eſt, cùm præter ſacrificia illa & holocauſta, quæ princeps in feſtis iuſſus eſt offerre, voluerit aliis diebus ſponte ſua holocauſtum vel ſacrificium offerre, aperietur illi porta Orientalis, ſicut in feſtis. Ita R. Salomon, & R. Dauid.

14. *Cata manè manè.*] ſingulis manè, aut ſingulis diebus manè. Quis hoc loco & verſu ſequenti Græcam præpoſitionem cum Latina verſione miſcuerit, haud equidem ſcio. Nam nec Hieronymus ita vertit, nec ipſi Septuaginta, cùm Græcè loquerentur. Aliquis fortaſſis Hiſpanus. Nam Hiſpani Græca phraſi & præpoſitione vtuntur, *Cada mananna.*

16. *Hæreditas eius.*] Eius filij, cui eam dedit, eritque hæreditas filiorum eius, cui dono data eſt. Heb. Si dederit princeps donum alicui de filiis ſuis. נחלתו. de hæreditate ſua, de bonis regalibus, vt explicatur verſu ſequenti.

17. *Legatum.*] מתנה. donum, vt verſu præcedenti. *Vſque ad annum remiſſionis.* Iubilæi, quo tempore poſſeſſiones ad priſtinos dominos reuoluebantur, Leuit. 25. 13. Conſtituit diſcrimen inter poſſeſſiones à rege ſeruis ſuis datas, & in-

ter.

ter datas filiis. Seruos autem vocat omnes regi ſubditos regiæ reuerentiæ cauſa. *Hæreditas autem eius.* hæreditas autem regis (intelligendum ἀπὸ κοινοῦ, quam filiis ſuis dederit) *filiis eius erit*, id eſt, non reuertetur ad regem anno Iubilæi. Id clariùs dicitur H. אך נחלתו בניו להם תהיה. verumtamen hæreditas eius filiorum eius (id eſt, filiis eius data) ipſorum erit.

15. *Per violentiam.*] להונותם מאחוזתם. ad opprimendos eos ab hæreditate ipſorum, ad verbum, id eſt, ne per oppreſſionem de ipſorum eos poſſeſſione deturbet.

19. *Et latere portæ*] ex latere Septentrionali portæ templi aut ſanctuarij. *Ad ſacerdotes.* אשר לכהנים. quæ erant ſacerdotum, vt Chald. & Sept. verterunt, & Rab. Dauid interpretatur. *Qui reſpiciebant.* quæ gazophylacia reſpiciebant ad Aquilonem, vt Heb. conſtat ex genere fœminino, & vt Sept. verterunt, & ſenſus ipſe requirit quod Chald. interpretatur, quæ aperta erant verſus Aquilonem, vt de aliis gazophylaciis dixi, cap. 42. 5. *Vergens ad Occidentem.* בירכתם ימה. in lateribus eorum verſus mare, id eſt, verſus Occidentem, vbi erat mare Mediterraneum.

20. *Et ſanctificetur populus.*] contactu, aut præſentia ſanctificatarum carnium, vt ſuprà dixit de veſtibus loquens cap. 44. 19. *Et non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis*; quidquid enim ſanctum tangebat, ſanctum putabatur, vt illic diximus. Rab. Dauid interpretatur, ne ſanctificetur populus, id eſt, ne populus videns carnes, arbitretur ſibi etiam licere illis veſci; quod violentius eſt.

21. *In atrium exterius*] in idem atrium, ſed extra gazophylacia, explicat enim particulatim. quod antè generatim, & vniuersè dixerat.

23. *Subter porticus.*] מתחת הטירות. ſubter parietes illos, qui quattuor atriola per circuitum ambiebant.

CAPVT XLVII.

ET conuertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur ſubter limen do-
mus ad Orientem: facies enim domus reſpiciebat ad Orientem: aquæ autem
deſcendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. 2 *Et eduxit*
me per viam portæ Aquilonis, & conuertit me ad viam foras portam exteriorem, viam
quæ reſpiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes à latere dextro. 3 *Cùm*
egrederetur vir ad Orientem, qui hebebat funiculum in manu ſua, & menſus eſt mille
cubitos, & traduxit me per aquam vſque ad talos. 4 *Rurſúmque menſus eſt mille;*
& traduxit me per aquam vſque ad genua: 5 *Et menſus eſt mille, & traduxit me*
per aquam, vſque ad renes. Et menſus eſt mille, torrentem quem non potui pertranſire:
quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſuadari. 6 *Et dixit*
ad me, Certè vidiſti fili hominis. Et eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis. 7 *Cúm-*
que me conuertiſſem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraque parte. 8 *Et ait*
ad me, Aquæ iſtæ quæ egrediuntur ad tumulos ſabuli orientalis, & deſcendunt ad plana
deſerti, intrabunt mare, & exibunt, & ſanabuntur aquæ. 9 *Et omnis anima viuens quæ*
ſerpit, quocunque venerit torrens, viuet: & erunt piſces multi ſatis poſtquam venerint
illuc aquæ iſtæ, & ſanabuntur: & viuent omnia ad quæ venerit torrens. 10 *Et ſta-*
bunt ſuper illa piſcatores: ab Engaddi vſque ad Engallim ſiccatio ſagenarum erit: plu-
rima ſpecies erunt piſcium eius, ſicut piſces maris magni, multitudinis nimiæ. 11 *In*
littoribus autem eius, & in paluſtribus non ſanabuntur, quia in ſalinas dabuntur. 12 *Et*

 ſuper

ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum, non defluet
folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferet primitiua, quia aquæ
eius de ſanctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.
13 *Hæc dicit Dominus Deus, Hic eſt terminus in quo poſſidebitis terrã in duodecim tribu-*
bus Iſraël: quia Ioſeph duplicem funiculum habet. 14 *Poſſidebitis autẽ eam ſinguli æquè*
vt frater ſuus: ſuper quam leuaui manum meam vt darem patribus veſtris: & cadet terra
hæc vobis in poſſeſſionem. 15 *Hic eſt autem terminus terræ: ad plagam ſeptentrionalem,*
à mari magno via Hethalon venientibus Sedáda, 16 *Emath, Berotha, Sabarim,*
quæ eſt inter terminum Damaſci & confinium Emath, domus Tichon quæ eſt iuxta ter-
minum Auran. 17 *Et erit terminus à mari vſque ad atrium Enom terminus Da-*
maſci, & ab Aquilone ad Aquilonem, terminus Emath: plaga ſeptentrionalis. 18 *Porrò*
plaga orientalis de medio Auran & de medio Damaſci, & de medio Galaad, & de me-
dio terræ Iſraël Iordanis diſterminans ad mare orientale, metiemini etiam plagam orien-
talem. 19 *Plaga autem auſtralis meridiana, à Thamar vſque ad aquas contradictionis*
Cades: & torrens vſque ad mare magnum: & hæc eſt plaga ad meridiem auſtralis. 20 *Et*
plaga maris, mare magnum à confinio per directum, donec venias Emath: hæc eſt plaga
maris. 21 *Et diuidetis terram iſtam vobis per tribus Iſraël:* 22 *& mittetis eam in hæ-*
reditatem vobis & aduenis qui acceſſerint ad vos, qui genuerint filios in medio veſtrum: &
erunt vobis ſicut indigenæ inter filios Iſraël, vobiſcum diuident poſſeſſionem in medio tri-
buum Iſraël. 23 *In tribu autem quacunque fuerit aduena, ibi dabitis poſſeſſionem illi,*
ait Dominus Deus.

VIDET Propheta aquas baptiſmi ex templo manantes, vſque ad ver. 13. Deinde diuiditur terra inter duodecim tribus.

1. *Ad portam domus.*] Templi, id eſt, ſanctuarij, quæ vna tantùm erat Orientalis, propterea non dicit, qualis porta fuerit. *Subter limen domus.* מתחת מפתן הבית de ſub limine domus, id eſt, de loco, qui erat ſub limine domus, fluebántque verſus Orientem, aut de loco, qui erat ſub limine domus, quod reſpiciebat ad Orientem, vt ſtatim explicat, domum autem vocat hoc loco ſanctum ſanctorum, vt opinor. *In latus templi.* מכתף הבית. de ſub latere, ad verbum, id eſt, de loco, qui erat ſub latere dextro domus à Meridie altaris. Dextrum latus vocat, quod ingredientibus in ſanctum ſanctorum ſiniſtrum erat, id eſt, Meridianum, quia totum templum ad Orientem reſpiciebat. Significabant hæ aquæ futuras aquas baptiſmi, quæ ex Chriſti latere profluxerunt, omniaque gratiarum genera, quæ ex illo nobis emanarunt; &, vt Hieronymus ait, Euangelicam doctrinam, vt dixit ſup. cap. 36. 25. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mũdabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos.* & Zachar. c. 14. 8. *Et erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum, in æſtate & in hyeme erunt. De Sion enim exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, Iſai. 2. 3.

Figura aquarum baptiſmi.

2. *Per viam portæ Aquilonaris.*] per portam Aquilonarem atrij interioris & exterioris, vt totum templum circumambularem. Nam ſanctum ſanctorum non habebat Aquilonarem, nec Meridianam portam. Eduxit autem illum per portam Aquilonarem, longiori ſcilicet via, quia porta Orientalis clauſa erat, vt dixit cap. 44. 2. *Per viam portæ.* Hebraïſmus eſt, id eſt, per portam, via redundante; ſicut ſtatim ſequitur, *Et conuertit me ad viam foras portam.* H. ויסבני דרך חוץ אלשער. & circumduxit me per viam foras ad portam exteriorem via reſpiciente ad Orientem, id eſt, circumduxit me per foras (vt explicandi Hebraïſmi

Hebraïſmus.

braïſmi cauſa ita loquar) ad portam exteriorem Orientalem totius templi, ad quam primùm Propheta ductus fuerat cap. 40. 6. *Et ecce aquæ redundantes*, illæ ipſæ, quas viderat ver. 1. per dextrum templi latus defluentes, templum circumambientes, ad portam Orientalem redibant. Nec enim 4. erant riuuli qui ante portam Orientalem coniungerentur, vt nonnulli finxerunt, cùm Propheta de vno tantùm, qui ad dextrum latus fluebat, mentionem faciat.

3. *Cùm egrederetur.*] בצאת האיש וקו בידו. cùm egrederetur vir ille (architectus quem videram c. 40. 3.) & linea erat in manu eius. Redundat coniunctio ו. &, vt apud Hebræos ſæpè fit: alioqui oratio eſt ſuſpenſa. R. Dauid קו interpretatur filum lineum, ſicut cap. 40. 3. dixerat, *& funiculus lineus in manu eius*.

5. *Aquæ profundi torrentis.*] H. מי שחו. aquæ natationis, id eſt, quæ non poterant traiici niſi natando. Hoc aquarum incremento ſignificat res Iudæorum poſt templi reſtaurationem ex paruis initiis incredibilem acceſſionem accepturas. Vſitatum enim eſt in ſacris literis, vt per aquarum affluentiam omnium rerum copia ſignificetur, quemadmodum Propheta declarat ver. 8. 9. & Iſai. cap. 66. 12. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam Gentium quam ſugetis.* Quod quia hiſtoricè non poteſt in Iudæos conuenire, quorum res numquam poſtea fuerunt; myſticè interpretari cogimur. Significat ergo Eccleſiam, & Euangelicam doctrinam paruo ſumpto initio ab Ieruſalem per totum terrarum orbem longè, latéque propagandam donec dominetur Chriſtus *à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum* Pſalm. 71. 8. Omnéſque gentes, ad quas ea doctrina peruenerit, à corruptione morum errorúmque prauitate curandas. aut, primi mille cubiti infimum Chriſtianorum ordinem denotant, qui incipientium appellatur, qui, minore gratiarum copia perfunditur, nempe *vſque ad talos*, id eſt, donec in mandatis Dei ambulent, vt ſcriptura loqui ſolet, conſilia verò non ſeruent. Alij mille proficientes ſignificant, qui ad præcepta conſilia etiam Euangelica adiungere conantur; ſed nondum ad perfectionem peruenerunt. Alij mille perfectos, quibus vſque ad lumbos aquæ circumfluit, id eſt, tantùm gratiæ accipiunt à Deo, vt perfectam caſtitatem ſeruare poſſint ac velint, qua homines angelorum vitam imitantur. Poſtremi beatorum ſtatum, qui tranſuadari non poteſt, quia *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum*, Iſai. 64. 4. & 1. Cor. 2. 9.

Aquarum affluentia in Scriptura quid denotet.

Myſtica huius loci interpretatio pulcherrima.

6. *Certè vidiſti.*] הראית. an vidiſti, id eſt, an diligenter obſeruaſti torrentem hunc, vt eius ſignificationem, quam tibi explicaturus ſum, intelligas? Si non bene obſeruaſti. obſerua; ſi obſeruaſti audi miſterium, quod his aquis ſignificatur. Eadem phraſis vſus eſt ſuprà cap. 8. 12. 15. 17.

7. *Ligna multa.*] Vidi ſcilicet fructum aquarum, quæ aquæ produxerant: Myſticè ligna Chriſtiani ſunt aquis baptiſmi regènerati, plantatíque ſecus decurſus aquarum, vt fructum ſuum dent in tempore ſuo. *Pſalm. 1. 3.*

8. *Ad tumulos ſabuli Orientalis.*] אל הגלילה הקדמונה. ad Galilæam Orientalem, vt Septuag. verterunt, & Hebræi interpretantur. Quamquam Hieronymus in commentar. Ad tumulos Orientis vertendum eſſe contendit. Tradunt Hebræi, quemadmodum ſcribunt Rab. Salom. & Rab. Dauid, torrentem illum, de quo Propheta loquitur, in duos riuos fuiſſe diuiſum, quorum alter in mare Tiberiadis, aut in mare mortuum, ſiue Sodomorum. quod Orientale erat, alter in mare Mediterraneum, quod erat Occidentale, defluxerit; quemadmodum Zacharias videtur explicaſſe c. 14. 8. *Et erit in die illa, exibunt aquæ*

viua de Ieruſalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum. Quæ omnia bene conueniunt, niſi quòd fortaſſe mare Orientale potiùs ſinum Perſicum, quàm mare Tiberiadis interpretari poſſumus. *Intrabunt mare, & exibunt.* המוצאים ונרפאו המים Aliqui ſic exponunt, In mare (inquam, eductarum aquarum) id eſt, ab orbe ſciunctarum, hoc eſt, in Oceanum, qui totum orbem circundat, vt R. Dauid interpretatur. Sed huic interpretationi illud repugnat, quòd phraſis eſt nimis dura ac inuſitata. Itaque malo interpretari, vt noſter vertit interpres, *Intrabunt. & exibunt*, id eſt, fluent in mare. & inde refluent, *& ſanabuntur aquæ.* id eſt, dulceſcent, quæ priùs ſalſæ erant, Nempe hoc eſt, quod veteres noſtri auctores dixerunt Chriſtum tactu ſuæ mundiſſimæ carnis, baptiſmi aquas mundaſſe.

9. *Et omnis anima viuens, quæ ſerpit.*] אשר ישרוץ. Verbum Hebraïcum & reptare in terra ſignificat, & natare in mare, vt hoc loco, nam de piſcibus agit. *Viuet, & erunt piſces multi.* Accepit enim aqua baptiſmi ex latere Chriſti fluens vim homines viuificandi, Corpus enim tangit, vt ait Auguſt. Tract. 80. in Ioan. & cor abluit. Piſces autem Chriſtiani ſunt, qui ex aqua & Spiritu S. renaſcuntur, quemadmodum ſubtiliter diſputat. Nam & Chriſtus piſcis dictus eſt, vt Tertull. lib. de baptiſmo, & Auguſt. lib. 18. de Ciuit. cap. 13. ſcribunt, quod nomen Græcum ἰχθὺς, piſcis, ſi per anagrammatiſmum reſoluatur facit, Ieſus Chriſtus Dei filius ſeruator.

Chriſtus piſcis dictus & Chriſtiani piſciculi.

10. *Super illa.*] עליו ſuper illum (torrentem in duos riuulos diuiſum) id eſt, poterunt piſcatores per illum, tanquam per mare nauigare tantamque in eo piſcium multitudinem & varietatem quantam in mari capere poterunt, adeo magnus & fertilis erit. Piſcatores autem Apoſtoli ſunt, quibus Chriſtus dixit, *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Torrens Eccleſia, mare mundus, Apoſtoli in ſagenas ſuas bonos & malos capiunt, donec veniant angeli, qui bonos ſeligant, vt Euangelica parabola declaratur Matt. 13. 47. 48. 49. *Ab Engaddi.* Certum eſt Prophetam duos contrarios longè à ſe diſtantes terminos ſignificare voluiſſe. Illud etiam conſtat Engaddi vrbem fuiſſe iuxta mare mortuum, quare non eſt veroſimile, quod quidam aiant, Engallim locum iuxta idem mare ſitum fuiſſe: ſed potiùs in extrema parte terræ Iuda verſus Occaſum fuiſſe credendum, cum mare mortuum ad Orientem fuerit. *Plurimæ ſpecies.* למינה תהיה דגתם כדגת הים הגדול. ſpecies erit piſcium eorum, ſicut piſces maris magni, id eſt, tot erunt genera piſcium in illis duobus riuis, quod ſunt in mari magno, id eſt, Mediterraneo, quod ad mare mortuum magnum dicitur, vt Hebræi exponunt.

Matth. 4. 19.

11. *In littoribus autem eius, & in paluſtribus.*] Non dulceſcent aquæ, quæ extra torrentes & mare fuerint, quò aquæ templi peruenient, quia extra Eccleſiã non eſt ſalus, omniſque philoſophorum & hæreticorum doctrina amara eſt; hi ergo *non ſanabuntur*, quia *oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* 1. Corin. 11. 19. Dum autem hæretici puniuntur ſal cæteris fiunt, quia *peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit.* Prou. 19. 25. & 21. 11. H. בצאתיו וגבאיו cœnoſa loca & paluſtria, vt Quimchi exponit. Hieronymus hunc locum etiam hiſtoricè interpretatur, quia, vt dicit, verè ita eſt in mari illo Sodomorum & eius paludibus nullum animal naſci, & alibi natum, ibi viuere non poſſe, vnde nomẽ illi mare mortuũ.

12. *Et ſuper torrentem.*] Apud hæreticos & philoſophos omnia mortua ſunt, quia quamuis eloquentes ſint, tamen aquis de ſanctuario egredientibus non irrigantur, id eſt, ſcripturis ex Eccleſiæ ſenſu expoſitis non vtuntur, ideo verba habent,

In mari mortuo, ſeu Sodomorum nullũ animal naſcitur, nec viuit.

habent, ſpiritum autem non habent, *ſpiritus verò eſt qui viuificat.* nec *in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute*, Ioan. 6. 63. & 1. Corin. 4. 20. Qui autem in ipſo torrente plantati ſunt, id eſt, qui ſcripturarum intelligentiam ex Eccleſia tanquam aquas è ſanctuario egredientes hauriunt, ij ſemper virides & fructiferi ſunt. Cùm dicit *non defluet folium ex eo*, alludit ad Pſalm. 1. ver. 3. *Per ſingulos menſes*, id eſt, ſingulis menſibus nouos fructus afferet. *Ibunt enim de virtute in virtutem.* Pſalm. 83. 8. *Et erunt fructus eius in cibum.* Piè & ingenioſè Hieronymus hoc ad ſcripturã ſacram accõmodauit, cuius hiſtoricus ſenſus in cibũ eſt, quia eo fides nutritur; allegoricus & myſticus in medicinam, quia eo mores corriguntur. H. לתרופה in contritionẽ, id eſt, in curationẽ contritionis, vt nonnulli exponunt. *Scriptura ſacra ſenſus hiſtoricus in cibum allegoricus in medicinam.*

13. *Hic eſt terminus.*] hæc eſt menſura, & ratio diuidendi terram, quæ ſequitur. Primùm quidem duodecim partes fient, ſicut ſunt duodecim tribus. Poſſet aliquis dicere non oportuiſſe niſi vndecim partes facere, cùm tribus Leui non eſſet partem habitura, reſpondet ideo duodecim partes eſſe diuidendas, quia tribus Ioſeph duas partes propter ipſius magnitudinem acceptura erat. Erat enim bipartita tribus illa, quia Manaſſes & Ephraim filij Ioſeph duo fuerunt familiarum capita. Manaſſes vt primogenitus natura, Ephraim vt Iacob benedictione Geneſ. 48. 13. quare in prima etiam ſub Ioſue terræ diuiſione duas partes acceperunt. Ioſue 17. 17. 18. in locum enim tribus Leui ſucceſſerunt, vt dicitur Ioſue 14. 4. Quod dicit, *Duplicem funiculum habet*, nota eſt phraſis, pro, duplicem ſortem aut hæreditatem. Solent enim agrorum menſores fune pro menſura vti. Inde illud ſcitum, *funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Pſalm. 15. 6. *Menſura, & ratio diuiſionis terræ.*

14. *Poſſidebitis autem.*] Hæc eſt ſecunda ratio, quam tradit diſtribuendæ terræ, vt æqualiter eam inter duodecim tribus diuidant, & ſingulæ deinde tribus inter ſe. Aliter ſub Ioſue factum fuerat. Nam maiori tribui plus terræ datum fuerat, minori minus, vt legimus in libro Ioſue. *Super quam leuaui manum meam.* Quam iuraui me patribus veſtris daturum. Solemus enim iurantes manum in cælum tollere, quaſi Deum teſtantes vera eſſe, quæ dicimus. Eadem phraſis ſuprà cap. 20. 5. 6. 15. 18. 42. & c. 44. 12. *Et cadet* ſortitione, non cuiuſquam electione, hæc eſt vis verbi נפל. vt ſuprà cap. 45. 1.

15. *Hic eſt autem terminus.*] Hæc eſt magnitudo, aut; hi ſunt termini, & fines terræ diuidendæ. Deſcribit prius & definit vniuerſam terram, vt poſtea in æquales partes diuidatur, vt fecit Ioſue cap. 13. 3. *A mari magno.* ab ea parte maris Mediterranei, quæ ad Septentriones vergebat; eam enim plagam nunc deſcribit. *Via Hethalon*, Veniendo ab Hethalon in Sedada; aut, veniendo à mari magno per Hethalon in Sedada: vtraque enim vrbs erat in finibus tribus Iuda. Num. 34. 8. & c. ſequenti 1.

16. *Emath, Berotha.*] R. Salom. repetendum putat ex ſuperiori verſu verbum. *Venientibus*, vt ſit ſenſus, Venientibus Sedada & Emath & Berotha, &c. Alij intelligunt, In illa plaga erant hæ vrbes, Emath, Berotha &c. vt Quimchi. Emath terminus erat plagæ Septentrionalis & Orientalis, vt intelligitur ex Ioſue cap. 13. 5. *Quæ eſt inter terminum Damaſci.* Inter Damaſcum, quæ eſt terminus terræ Iſraël, vt explicat R. Dauid ex loco Zachar. 9. 1. *Onus verbi Domini in terra Hadrach & Damaſci requies eius Domus Thicon* חצר התיכון. Vnum nomen eſt loci. Haſſer Thicon, quod atrium Thichon ſignificat, vt Septuag. tranſtulerunt Chaldæus verò piſcinam Agba vertit.

17. *Et erit terminus.*] Atque ita terminus, id eſt, menſura plagæ Septentrionalis erit

Digitized by Google

erit à mari Mediterraneo vſque ad חצר עינן. Haſſer Ænon quod atrium Enon ſignificat, vt Septua. verterunt, ſicut verſu præcedente חצר התיכון atrium Thicon qui Haſſer Ænon eſt iuxta Damaſcum quæ erat alter terminus terræ Iſraël ex altera parte iuxta montem Antilibanum ducta linea recta à mari Mediterraneo ad radices Antilibani verſus Orientem, vt ex Geographia perſpicitur. *Ab Aquilone ad Aquilonem.* R. Dauid interpretatur ab Aquilone terræ Iſraël vſque ad Aquilonem mundi. Quod quia non ſatis intelligi poteſt, cum terra Iſraël ad Meridiem eſſet, malo interprętari à parte Aquilonari maris Mediterranei vſque ad partem Aquilonarem Syriæ, quæ eſt terminus Damaſci, vt paulò antè dixit.

18. *De medio Auran.*] Hebraïſmus, id eſt, plaga Orientalis erit ea, quæ continetur inter Auram. Damaſcum, Galaad & terram Iſraël. *Ad mare Orientale*, ad mare mortuum, aut ad lacum Geneſareth, vt ait Quimchi. Vtrumque enim Orientale erat, & mare propter magnitudinem vocabatur. Iordanis ab vno in alterum fluens Orientalem plagam terminabat.

19. *Australis Meridiana.*] נגבה. Meridiem verſus. *A Thamar.* id eſt, à Iericho, quæ, עיר התמרים id eſt, vrbs palmarum appellabatur, vt Chaldæus vertit, & Hieronymus, Hebræique omnes exponunt, *Vſque ad aquas contradictionis Cades.* Vſque ad deſertum Sin, vbi erat locus, qui vocabatur Cades, quiſque Iudæis ob aquæ inopiam murmurantibus, aquæ contradictionis dictus eſt. Numer. 20. 1. 13. 24. & c. 27. 14. Sept. nomen Hebraïcum quaſi proprium integrum reliquerunt, ἕως ὕδατος Μαριμώθ. *vſque ad aquam Mariboth. Et torrens.* ſub. terminus erit, vt ver. 17. aut vſque ad torrentem, qui influit in mare magnum, vt nonnulli exponunt. Hunc torrentem Ægypti intelligit, vt Numer. 34. 5. & 2. Paral. 7. 8. qui, vt ait Hieronymus, iuxta vrbem Rhinocoturam in mare influit. Hæc plaga clatiùs deſcribitur in Numer. cap. 34. Chaldæus Paraphraſtes poſſeſſionem vertit, quia id etiam nomen נחלה. ſignificat, ſed ſenſus minùs congruit.

20. *Plaga maris.*] id eſt, *Occidentalis*, ſic enim loquuntur Hebræi, quia mare Mediterraneum ad Occidentem illis erat. *A confinio per directum.* ab hoc ipſo mari, quod confinium & terminus Occidentalis eſt verſus Emath recta via, id eſt, vſque ad angulum Septentrionalem Occidentalem, aut ad Occidentem vergentem, vt ait R. Salom.

22. *Et mittetis eam in hereditatem.*] id eſt miſſis fortibus diuidetis. Hebr. תפילו. cadere facietis, id eſt, ſortitò diuidetis, vt ſuprà cap. 45. 1. Eodem modo intelligendum, quod ſtatim dicit, *Vobiſcum diuident poſſeſſionem* quod Hebraïcè ad verbum dicitur, אתכם יפלו בנחלה. vobiſcum cadent in poſſeſſionem, id eſt, ſuam vobiſcum ſortem habebunt, ſua illis ſors cadet, quemadmodum vobis. *Qui genuerint filios.* Quimchi de illis tãtum alienigenis hoc intelligendum putat, qui in captiuitate cum Iudæis mixti filios genuerunt, aut qui ſuam tribum non potuerunt oſtendere, vt dicitur lib. 1. Eſdræ c. 2. ver. 59. & 62. probabile eſt ſed non conſtat.

CAPVT XLVIII.

Et hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis iuxta viam Hethalon pergentibus Emath atrium Enan terminus Damaſci ad Aquilonem iuxta viam Emath. Et erit ei plaga orientalis Mare, Dan vna. 2 *Et ad terminum Dan, à plaga*

plaga orientali vſque ad plagam Maris, Aſer vna. 3 Et ſuper terminum Aſer, à
plaga orientali vſque ad plagam Maris, Nephtali vna. 4 Et ſuper terminum Ne-
phtali, à plaga orientali vſque ad plagam Maris, Manaſſe vna. 5 Et ſuper ter-
minum Manaſſe, à plaga orientali vſque ad plagam Maris, Ephraim vna. 6 Et
ſuper terminum Ephraim, à plaga orientali vſque ad plagam Maris, Ruben vna.
7 Et ſuper terminum Ruben, à plaga orientali vſque ad plagam Maris, Iuda vna.
8 Et ſuper terminum Iuda, à plaga orientali vſque ad plagam Maris, erunt primitiæ
quas ſeparabitis viginti quinque millibus latitudinis & longitudinis, ſicuti ſingulæ partes
à plaga orientali vſque ad plagam Maris: & erit ſanctuarium in medio eius. 9 Pri-
mitiæ quas ſeparabitis Domino longitudo viginti quinque millibus, & latitudo decem
millibus. 10 Hæ autem erunt primitiæ ſanctuarij ſacerdotum: ad Aquilonem lon-
gitudinis viginti quinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, ſed & ad Orien-
tem latitudinis decem millia, & ad meridiem longitudinis viginti quinque millia: &
erit ſanctuarium Domini in medio eius. 11 Sacerdotibus ſanctuarium erit de filijs
Sadoc, qui cuſtodierunt ceremonias meas, & non errauerunt cùm errarent filij Iſraël, ſi-
cut errauerunt & Leuitæ. 12 Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ ſanctum ſan-
ctorum, iuxta terminum Leuitarum. 13 Sed & Leuitis ſimiliter iuxta fines ſacer-
dotum viginti quinque millia longitudinis & latitudinis decem millia. Omnis longitudo,
viginti & quinque millium, & latitudo decem millium. 14 Et non venundabunt ex
eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia ſanctificatæ ſunt Domino.
15 Quinque autem millia quæ ſuperſunt in latitudine per viginti quinque millia pro-
phana erunt vrbis in habitaculum, & in ſuburbana: & erit ciuitas in medio eius.
16 Et hæ menſuræ eius: Ad plagam ſeptentrionalem, quingenta & quattuor millia:
& ad plagam meridianam, quingenta & quatuor millia; & ad plagam orientalem,
quingenta & quattuor millia: & ad plagam occidentalem, quingenta & quatuor mil-
lia. 17 Erunt autem ſuburbana ciuitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, &
ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta, & ad
Mare ducenta quinquaginta. 18 Quod autem reliquum fuerit in longitudine ſe-
cundum primitias ſanctuarij, decem millia in orientem, & decem millia in occidentem,
erunt ſicut primitiæ ſanctuarij: & erunt fruges eius in panes his qui ſeruiunt ciuitati.
19 Seruientes autem ciuitati operabuntur, ex omnibus tribubus Iſraël. 20 Om-
nes primitiæ viginti quinque millium, per viginti quinque millia in quadrum, ſeparabun-
tur in primitias ſanctuarij, & in poſſeſſionem ciuitatis. 21 Quod autem reliquum
fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum ſanctuarij, & poſſeſſionis ciuitatis è regio-
ne viginti quinque millium primitiarum vſque ad terminum orientalem: ſed & ad Ma-
re è regione viginti quinque millium vſque ad terminum Maris, ſimiliter in partibus
principis erit: & erunt primitiæ ſanctuarij, & ſanctuarium templi in medio eius. 22 De
poſſeſſione autem Leuitarum, & de poſſeſſione ciuitatis in medio partium principis erit in-
ter terminum Iuda & inter terminum Beniamin, & ad principem pertinebit. 23 Et
reliquis tribubus, à plaga orientali vſque ad plagam occidentalem, Beniamin vna.
24 Et contra terminum Beniamin à plaga orientali, vſque ad plagam occidentalem,
Simeon vna. 25 Et ſuper terminum Simeonis à plaga orientali vſque ad plagam oc-
cidentalem Iſſachar vna. 26 Et ſuper terminum Iſſachar à plaga orientali vſque ad
plagam occidentalem, Zabulon vna. 27 Et ſuper terminum Zabulon, à plaga
orientali vſque ad plagam Maris, Gad vna. 28 Et ſuper terminum Gad, ad pla-
gam Auſtri in Meridiem: & erit finis de Thamar, vſque ad aquas contradictionis Ca-
des, hereditas contra mare magnum. 29 Hæc eſt terra quam mittetis in ſortem tri-
bubus Iſraël: & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus. 30 Et hi egreſſus ciui-

tatis: A plaga ſeptentrionali quingentos, & quatuor millia menſurabis. 31 *Et porta ciuitatis in nominibus tribuum Iſraël, portæ tres à Septentrione, porta Ruben vna, porta Iudà vna, porta Leui vna.* 32 *Et ad plagam orientalem, quingentos & quatuor millia: & portæ tres, porta Ioſeph vna, porta Beniamin vna, porta Dan vna,* 33 *Et ad plagam meridianam, quingentos & quatuor millia metieris: & portæ tres, porta Simeonis vna, porta Iſſachar vna, & porta Zabulon vna.* 34 *Et ad plagam occidentalem quingentos & quatuor millia: & portæ eorum tres, porta Gad vna, porta Aſer vna, porta Nephtali vna.* 35 *Per circuitum decem & octo millia, & nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem.*

ASSIGNAT ſuam cuique tribui partem, iterúmque ſacerdotum, Leuitarum, & principis portiones deſcribit.

1. *Et hæc nomina tribuum.*] nomina poſſeſſionum ſingularum tribuum: vſurpat enim poſſeſſorum nomina pro ipſis poſſeſſoribus. Metitúrque ſeptem partes verſus Septentriones, & quinque verſus Meridiem: in medio autem collocat templum, partémque ſacerdotum Leuitarum, & principis. Primam à ſeptentrione incipiens ſortem tribuit Dan; ſecundam Aſer: tertiam Nephtalim: quartam Manaſſe: quintam Ephraim: ſextam Ruben: ſeptimam Iuda. Ad Meridiem verò primam partem incipiens à parte principis Leuitarum & ſacerdotum aſſignat Beniamin: ſecundam Simeon: tertiam Iſſachar: quartam Zabulon: quintam Gad. *A finibus Aquilonis.* מקצה צפונה. à fine verſus Aquilonem, id eſt, vltimam partem verſus Aquilonem. Eodem modo interpretandum quod ſequitur, *Ad Aquilonem iuxta viam Emath*, צפונה. verſus Aquilonem. *Et erit ei plaga Orientalis mare.* והיו לו פאת קדים הים. Quimchi exponit, Et erunt illi (termini iſti) plaga Orientalis & mare, id eſt, longitudo eius erit ab Oriente in Occidentem. *Dan vna.* Dan erit prima tribus, aut prima ſors. frequens Hebraiſmus, vt Gen. 1. 5. *factumq́; eſt veſpere & manè dies vnus*, id eſt primus, Et, *vna Sabbathorum.* id eſt, prima die hebdomadis, Marc. 16. 2. & Luc. 24. 1.

2. *Et à termino Dan.*] על גבול דן. iuxta terminum Dan, proximè poſt partem Dan. *Aſer vna.* ſecunda pars erit Aſer.

3. *Et ſuper.*] על גבול iuxta terminum Aſer, vt verſu præcedenti; eodémque modo explicandum, cùm repetitur ſequentibus verſibus.

8. *Primitiæ, quas ſeparabitis.*] התרומה אשר תרימו. oblatio quam offeretis, id eſt, portio illa, quam primitiarum ritu Deo conſecrabitis, vt ſuprà c. 45. 1. *Viginti quinque millibus latitudinis.* Comprehendit hoc loco nomine תרומה. oblationis, aut, vt noſter interpres vertit, primitiarum, tres partes, vnam ſacerdotum, alteram Leuitarum, tertiam ciuitatis, quæ inter locum ſacrum & profanum diuidebat. Pars ſacerdotum habebat decem millia calamorum latitudinis, vt dictum eſt c. 45. v. 3. totidémque pars Leuitarum, vt ibidem dicitur ver. 5. Pars autem ciuitatis habebat quinque millia latitudinis; vt eodem c. v. 6. vidimus, quæ omnia coniuncta faciunt viginti quinque millia calamorum latitudinis, de quibus hîc loquitur. Ex quo intelligitur has tres portiones ſimul iunctas, quæ ſacræ erant, quadratam figuram effeciſſe. Habebat enim vnaquæque viginti quinque millia calamorum longitudinis, cap. 45. ver. 3. 5. 6. *Et longitudinis ſicut ſingulæ partes.* id eſt, longitudo harum trium partium ſimul iunctarum, erit viginti quinque millium calamorum, ſicut longitudo ſingularum per ſe ſumptarum, vt dictum eſt cap. 45. ver. 3. 5. 6. eáque ab Oriente in Occidentem.

9. Primi-

9. *Primitiæ quas ſeparabitis Domino.*] התרומה אשר תרימו. oblatio quam offeretis Domino, vt verſu præcedenti; ſed illic nomine oblationis, aut primitiarum tres partes, ſacerdotum, Leuitarum, & ciuitatis intelligebat: hîc ſolam partem ſacerdotum: Quod enim antè generatim dixerat, nunc ſigillatim explicat.

10. *Ad Aquilonem viginti quinque millia.*] Deſcribit ac metitur quatuor latera portionis, duo longitudinis ab Oriente in Occidentem, quorum alterum erat verſus Aquilonem, alterum verſus Meridiem, vtrumque autem habebat viginti quinque millia calamorum longitudinis, vt dixerat cap. 45. 3. alia verò duo latera latitudinis, quorum alterum erat ad Orientem, alterum ad Occidentem, vtrumque autem habebat decem millia calamorum.

11. *Sacerdotibus ſanctuarium erit.*] לכהנים המקדש. Septuaginta & Chaldæus Paraphraſtes vertunt. Sacerdotibus ſanctificatis erit de filiis Sadoch, eodémque modo R. Dauid, & eum ſecuti multi interpretantur. Meliùs noſter interpres, & propiùs ad Hebraicam proprietatem, *ſacerdotibus ſanctuarium erit*, id eſt, ſanctificatum (totum hoc ſpatium, quod ſuperiori verſu deſcriptum eſt) Hoc enim ſignificat participium מקדש. atque ita exponit R. Salom. *Qui cuſtodierunt.* vide eandem ſententiam explicatam ſuprà c. 44. 15.

12. *Et erunt eis primitiæ.*] והיתה להם תרומיה. & erit eis oblatio de oblatione terræ ſancta ſanctorum, id eſt, dabitur illis pars totius terræ ſanctiſſima, vbi templum erit. *Iuxta terminum Leuitarum.* ante Leuitarum partem. Nam poſt partem ſacerdotum pars Leuitarum erat, cap. 45. 5.

13. *Omnis longitudo.*] id eſt, vtraque longitudo, & lateris Aquilonaris, & Meridiani viginti quinque millium calamorum erit; & vtraque latitudo & lateris Orientalis, & Occidentalis decem millium calamorum. deſcribit enim hoc vno verbo כל. *omnis*, quatuor latera partis Leuitarum, quemadmodum ver. 10. menſus fuerat quatuor latera partis ſacerdotum, vt exponit R. Salom. Itaque perperam quidam vertunt, כל. tota longitudo.

15. *Quæ ſuperſunt in latitudine per viginti quinque millia.*] ex viginti quinque millibus calamorum, quos totum ſpatium trium portionum Sacerdotum Leuitarum, & vrbis habere dixit v. 8. Hoc ſignificat Hebraiſmus על פני חמישה ועשרים אלף. ſuper faciem quinque & viginti millium. *Profana erunt vrbi.* profana vocat comparatione partis Leuitarum, & ſacerdotum, quæ ſanctior erat. Cæteroqui, ver. 8. etiam hæc quinque millia calamorum vrbis ſancta eſſe ſignificauit. appellauit enim תרומה. oblationem, quia etiam vrbs ipſa Ieruſalem, vt R. Dauid adnotauit, comparatione reliquæ terræ Iſraël ſancta erat. *In habitaculum & ſuburbana*, vt declaratur v. 17. *Et erit ciuitas in medio eius.* In medio huius ſpatij viginti quinque millium calamorum longitudinis, & quinque millium latitudinis.

16. *Quingenta & quatuor millia.*] Calamorum; hac enim menſura vtitur. Habebat igitur vrbs per ſingula quatuor latera (quadratæ enim & æquilateræ figuræ erat) quater mille quingentos calamos. Ad quatuor autem vrbis latera quatuor erant ſuburbana, quorum ſingula habebant ducentos quinquaginta calamos latitudinis, vt dicit verſu ſequenti. longitudinis autem quater mille quingentos, ſicut vrbs ipſa. Itaque ſuburbanum Aquilonare, quod erat vltra vrbem, & Meridionale, quod erat inter vrbem, & templum ſimul iuncta habebant quingentos calamos latitudinis, quos ſi addere velis ad quater mille quingentos, quos vrbem habere dixit, efficies quinque millia calamorum, quod erat ſpatium profanum poſt portionem ſacerdotum,

ac Leuitarum, vt dixit verſu præcedente. Suburbana autem erant loca vacua, in quibus neque ædificabatur, nec ſerebatur, neque plantabatur, vt tradunt Hebræi: hoc enim nomen מגרש. ſignificare docent. quæ loca Hiſpani vocāt *exidos*, quaſi exitus vrbis, vbi ciues obambulare ſolent. Cuiuſmodi erat illud alterum ſuburbanum, quod erat inter templum & ſacerdotum habitationem, cap. 45. 2. Simile quoddam ſpatium, Romani cùm vrbem ædificarent intra extràque muros reliquerunt, quod ſacrum ducebant, ararique, aut habitari nefas putabant, id pomœrium appellabant, auctor Liuius lib. 1. dec. 1.

18. *Quod autem reliquum fuerit.*] Habebat ſpatium illud profanum, in quo vrbs collocanda erat, viginti quinque millia calamorum longitudinis, vt dixit cap. 45. 6. vrbs autem non habebat niſi quinque millia calamorum in quadrum computatis etiam ſuburbanis, itaque ſupererant viginti millia calamorum, decem ex vna parte verſus Orientem, & decem ex altera verſus Occidentem. Nam vt dixit cap. 45. 7. ab Oriente in Occidentem longitudo ſumebatur. *Secundum primitias ſanctuarii.* לעמת תרומת הקדש. iuxta oblationem ſanctam id eſt, iuxta Leuitarum portionem, quæ ad partem vrbis ſancta erat. Eodem modo intelligendum quod ſequitur, *ſicut primitiæ ſanctuarii.* eodem enim modo Hebraicè eſt לעמת תרומת הקדש. iuxta oblationem ſanctam. *Et erunt fruges eius in panes.* Alentur inde miniſtri vrbis. Miniſtros autem vrbis vocat, qui publicis officiis fungebantur. R. Dauid dicit miniſtros vrbis vocari, qui agros, & vineas, hortóſque vrbis colebant, quod mihi non placet. Habebant enim illi mercedem ſuam; & verſu ſequenti dicit eos ex omnibus tribubus eſſe debere; quod magis publicis officiis, quàm agriculturæ conuenit.

20. *Omnes primitiæ.*] כל תרומה vniuerſam ſeparationem, aut vniuerſam oblationem offeretis vt ver. 9. 10. 12. Dicit iterum vniuersè, quod ante dixerat ſigillatim, ſicut dixerat ver. 8. Totum illud ſpatium, quod portionem ſacerdotum, Leuitarum & vrbis continebat, quadratum fuiſſe, habuiſſéque per ſingula latera viginti quinque millia calamorum. Nam ſingularum partium eadem erat longitudo viginti quinque millia calamorum. Pars ſacerdotum habebat decem millia calamorum latitudinis, totidémq; pars Leuitarum, pars autem vrbis quinque quæ ſimul alia viginti quinque millia latitudinis, vt apparet ſuprà verſu 28. & cap. 45. ver. 3. 5. 6. Vocat autem totum ſpatium תרומה קדש. oblationem ſanctam, aut, vt vertit noſter interpres, primitias ſanctuarij, quia etiam ipſa vrbs comparatione reliquæ terræ Iſraël, ſancta erat, vt diximus ver. 15. ex R. Dauid.

21. *Quod autem reliquum fuerit.*] Longitudo partis ſacerdotum, Leuitarum, & vrbis non perueniebat vſque ad Iordanem, & terminum Orientalem terræ Iſraël ex vna parte, nec ad mare Mediterraneum, qui erat terminus Occidentalis ex altera; quod igitur reliquum erat, dicit fuiſſe principis. Itaque ſeparatio illa ſancta ſacerdotum, Leuitarum, & vrbis, erat in medio poſſeſſionis Principis. Debet enim Princeps Eccleſiam defendere, & quaſi muro cingere.

22. *De poſſeſſione autem Leuitarum.*] מאחזת. à poſſeſſione autem Leuitarum, & à poſſeſſione ciuitatis. Quod verſu præcedenti dixit de longitudine poſſeſſionis Principis, eius eſſe quidquid reliquum eſſet à poſſeſſione ſacerdotum, Leuitarum, & ciuitatis vſque ad Orientem ex vna parte, & vſque ad mare Mediterraneum ex altera: dicit nunc de latitudine, vt interpretatur R. Salom. nimirum à poſſeſſione Leuitarum (per Leuitas autem ſacerdotes etiam intelligit, quia ex tribu Leui erant) & à poſſeſſione ciuitatis, quæ vtraque erat in medio partium Principis (duæ enim erant principis partes, Orientales & Occidenta-

les) quidquid erat inter Iudam ad Septentriones, & inter Beniamin ad Meridiem principis futurum erat. Ea autem erat latitudo viginti quinque millium calamorum, quanta videlicet erat latitudo partium ſacerdotum, Leuitarum, & vrbis ſimul iunctarum, vt dixit ver 20. & 8. Nam ad ſpatium illud ſacerdotum, Leuitarum, & vrbis adhærebat poſſeſſio tribus Iudæ ad Septentriones vt ver. 7. & 8. dictum eſt: ad Meridiem autem tribus Beniamin, vt dicit ver. ſeq.

23. *A plaga Orientali.*] erit longitudo. Idémque in aliis omnibus intelligendum eſt vſque ad ver. 28. latitudinem verò non deſcribit. Quod Hebræi fauſtum omen putant, quaſi ea re ſignificatur Iudæorum regnum nullis certis terminis concludendum. Rectè ſi intelligerent, non omnes qui ex Iſraël ſunt, Rom 9. 6.
eos eſſe Iſraëlitas; nec qui ex ſemine Abrahæ, eos filios: ſed in Iſaac vocan- 7 8.
dum eſſe ſemen: Chriſtúmque dominaturum *à mari vſque ad mare: & à flumi-* Pſalm. 71 8.
ne vſque ad terminos orbis terrarum: venturóſque ab Oriente & Occidente qui Math. 8. 11.
recumbant cum Abraham, & Iſaac & Iacob in regno Dei.

24. *Et contra terminum.*] על גבול. iuxta terminum. Eodem modo quod ſequitur ver. 25. 26. 27. 28. *ſuper terminum*, vt ſuprà ver. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

28. *Et erit finis de Thamar.*] Terminus autem non poſſeſſionis Gad, quæ multò minor erat, neque totius terræ Iſraël, quæ multò maior; ſed Auſtralis plagæ, quæ à Thamar, id eſt, ab vrbe Ierico vſque ad aquas contradictionis Cades tendebatur, vt cap præcedenti ver. 19. explicatum eſt. In qua plaga vltimum locum verſus Meridiem tenebat tribus Gad.

29. *Hæc eſt terra.*] ἀνακεφαλαίωσις ſuperiorum.

30. *Et hi egreſſus ciuitatis.*] portæ, vt R. Salom. & Quimchi exponunt; aut, vt ego, hæc ſunt quatuor latera vrbis, in quibus ſunt portæ, quibus exitur; laterum enim non portarum menſuram ſtatim explicat. *Quingentos quattuor millia.* quater mille quingenti calami, vt declarauit ver. 16. repetit enim colligens in epilogum, quæ antè dixerat.

35. *Decem & octo millia.*] quater enim quatuor millia quingenta, ſunt decem & octo millia. *Et nomen ciuitatis* erit, *ex illa die*, quæ ædificata fuerit. *Dominus ibidem*, id eſt, ciuitas Domini, ciuitas in qua perpetuò Dominus habitabit, nec ab eo diſcedet, ſicut à priore Ieruſalem, quemadmodum Hieronymus interpretatur. Dicit enim Chriſtus Eccleſiæ, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, Matth. 28. 20. & patrem rogauit, aliúmque paracletum dedit nobis, qui maneat nobiſcum in æternum, Ioan. 14. 16.

Egreſſi ſumus ductore Deo, Prophetáque ipſo, quem ſumus ab initio precati, ex illo inextricabili templi & vrbis labyrintho. Reliquum eſt, de quo templo, ac de qua vrbe hæc intelligenda ſint; quemadmodum principio quadrageſimi capitis polliciti ſumus explicemus. Quatuor omnino ſunt de huius prophetiæ ſenſu nobiles opiniones. Prima veterum Hebræorum, qui hæc de vrbe & templo per Zorobabel & Nehemiam reſtaurandis pérque nonnullos Perſarum reges, vt Ioſephus tradit lib. 11. antiq. Iud. primis cap. amplificandis intelligenda putauerunt. Ea re in eam ſententiam adducti, quòd Ezechiel non aliam ob cauſam iſta deſcribat niſi vt Iudæos captiuitate afflictos veteris vrbis, antiquíque templi reſtauratione ſoletur. Tum quòd conſultò Propheta cap. 40. ver. 1. de veteris vrbis euerſione mentionem fecerit, ab eáque huius prophetiæ exordium ſumpſerit, quaſi ſignificare volens, ſe de eius reſtauratione agere. Denique quòd eodem loco, id eſt, in monte Sion templum ponat, quòd vrbem ita depingat, vt non aliam, quàm Ieruſalem recognoſcere poſſimus. Fuit facilis propter has probabiles rationes error, tamen error.

IOANNIS MALDONATI, SOCIETATIS IESV THEOLOGI, COMMENTARII IN DANIELEM.

PROOEMIVM.

DANIEL ſiue caſu, vt plerumque, ſiue diuino conſilio, vt aliquando fieri ſolet, ſic appellatus, rectè nominis ſui ſignificationi reſpondit. Daniel enim apud Hebræos iudicium Dei ſignificat, fuit autem Daniel in occultis, abditiſque Dei iudiciis explicandis, vt ex eius libro perſpicuum eſt, admodum ſingularis. Nomen illi cum conditione in captiuitate mutatum eſt, ſiue à rege Nabuchodonoſore, vt Ioſephus decimo antiquit. Iud. libro cap. 11. videtur velle, ſiue ab Aſphenez eunuchorum principe, vt ipſe Daniel cap. 1. ver. 7. indicat. vtercunque noui nominis auctor fuerit, Balthaſar, vt Græci, aut Balthaſar vt Hebræi Chaldæique pronuntiant, eum appellauit nomine, vt ait Ioſephus, ipſeque Nabuchodonoſor cap. 4. v. 5. Dei ſui. Celeberrimum erat Bel Chaldæorum idolum, ex quo aut pietatis, ſi idololatria pietas vocari poteſt, aut boni ominis cauſa, ſicut nunc Chriſtiani à ſanctis viris nomen accipiebant. Ex quo intelligitur nomen Balthaſar non ſignificare occultè theſaurum recondentem, aut non portantem anguſtiam, aut occultè portantem anguſtiam, vt in Hebraicorum vocabulorum interpretationibus plerique tradunt: ſed Belis occultum theſaurum, aut aliquid certè Belis ſignificare. Angelus eum cap. 9. ver. 23. virum deſideriorum vocat, id eſt, publicæ gentis ſuæ vtilitatis ſtudioſum, & vt Galli dicunt, *homme zelé*, quo eum egregio cognomento veteres auctores nominare ſolent. Ex tribu Iuda fuit, & vt tradunt Hebræi genere regio, quod non obſcurè ex cap. 1. colligitur. Nam ver. 3. iubet rex ex ſemine regio ac principum elegantes forma & ingenio pueros deligi, & ver. 6. Daniel, Ananias, Miſaël, & Azarias ex tribu Iuda delecti fuiſſe dicuntur. Quis eius pater fuerit, auctores noſtri non docent: quare quod Sept. interpretes initio hiſtoriæ Belis poſuerunt, *ἄνθρωπός τις ἦν ἱερεὺς ὀνόματι Δανιὴλ υἱὸς τοῦ Ἀβδᾶ*, *Vir quidem erat ſacerdos nomine Daniel filius Abda*. vel ab ipſis Sept. quorum in hoc libro verſionem Eccleſia, vt ait Hieron. meritò repudiat, additum eſt, vel de alio quopiam Daniele intelligendum, quemadmodum Euſebius & Apollinarius voluerunt. Nam Daniel Propheta nec ſacerdos eſſe potuit, cùm non ex tribu Leui, ſed ex tribu Iuda eſſet. nec certum eſt quis pater eius fuerit. Betheberum oppidum non longè ab Ieroſolymis ſitum patriam illi fuiſſe Epiphanius ſcribit. Puer Babylonem cum Iechonia rege & aliis principibus captiuus ductus eſt, vt ex principio libri eius apparet. Cœpit in illo ſtatim initio & adhuc puero admirabile obſeruādæ diuinæ legis ſtudium, & ſingularis

gularis quædam ſanctitas elucere. Nam neq; dura ſeruitute, nec impiorum cõſuetudine, quæ maximam vim ad morum perniciem habere ſolet, nec potentiſſimi regis gratia flecti potuit, vt cibis diuina lege vetitis vteretur, neq; principum inſidiis, neq; crudeliſſimo regis edicto, nec ambitioſo metu ſummi in quo erat honoris amittendi ab orando quotidie Deo, cæteriſq; religionis ſuæ ceremoniis exercendis reuocatus eſt. Adeóq; nota eius in Deum pietas, in regem, fides, in rebus omnibus integritas, ipſis quoque hoſtibus erat, vt verè dixerint, *Non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionem niſi forte in lege Dei ſui.* Hier. eum ſpadonem fuiſſe putat. Epiphanius non re quidem vera ſpadonem fuiſſe ſed ea caſtitate atq; modeſtia, vt à Chaldæis ſpado eſſe putaretur. Res veriſimilitudine non caret. Nam eius cura Eunuchorum principi data eſt, vt c. 1. dicitur. Et Iſaias prædixerat fore, vt ex poſteris Ezechiæ regis tollerentur, & in domo regis Babylonis eunuchi fierent. Certè ſi quod naturæ, aut caſus aut artis eſt, non cõſtat eunuchum fuiſſe, quod virtutis eſt, conſtat eum fuiſſe caſtiſſimum. Credendúmq; eſt cùm non legamus eum aut vxorem, aut liberos habuiſſe, virginitatem angelicam illam virtutem perpetuò conſeruaſſe. Eius ſanctimonia in primis ſacris litteris celebratur. Nam apud Ezechielem cùm Noë & Iob connumeratur, quorum Deus precibus, ſi precibus placari poteſt, placari debuiſſet. *Si fuerint* inquit, *tres viri iſti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Scio nonnullos de alio quodam Daniele hoc dictum putare, ſed eorum errorem paulò poſt refutaturi ſumus. Somniorum interpretatione, tantum ſibi ſapientiæ nomen comparauit, vt Danielis ſapientia in prouerbium abiret, quemadmodum ex Ezech colligimus, *Ecce ſapientior es tu Daniele, omne ſecretum non eſt abſconditum à te.* Scribit Ioſephus à Dario Medorum rege in Mediam honoris cauſa deductum, & Hehbatanis Medorum vrbe turrim admirandæ pulchritudinis ædificaſſe, quam ad ſua vſque tempora nulla vetuſtate labefactam extitiſſe dicit, in eáq; ſolitos eſſe Medorum, Perſarum & Parthorum reges ſepeliri. Atque eius ſemper curam ſacerdoti Iudaïci generis demandari. Epiphanius verò Babyloni mortuum fuiſſe dicit, & in cauerna ſepultum, quæ ſua adhuc ætate viſeretur. Conſtat eum ſuprà 70. vixiſſe annos. Iſidorus verò ad centeſimum decimum perueniſſe tradit. Ductus enim eſt Babylonem, vt ex libri eius exordio perſpicitur, ſtatim initio captiuitatis. Durauit autem captiuitas annos 70. quemadmodũ vaticinatus fuerat Ieremias, viditq; 70. annorum finem, vt idem ipſe c. 9. teſtatur. De ſcriptis illius magna fuit olim non Iudæorum modò, ſed eorum qui ſe Chriſtianos eſſe profitebantur, magniſq; argumentis agitata diſſentio. Nonnulli enim nihil eorum quæ nunc habemus ab eo ſcriptum fuiſſe putauerunt, quod Manichæi quondam, vt quidam tradunt, & vt ait Hieron. Porphyrius Tyrius genere Saducæus. Quin etiam Iſidorus vir ſanctus & doctiſſimus ætatis ſuæ hanc prophetiam non ab ipſo Daniele, ſed ab aliis Hebræis ſcriptam fuiſſe dicit; nunc verò Anabaptiſtæ homines inſani docent argumento eſſe quod toto ferè libro de Daniele tanquam de alio quopiã loquatur, vt cùm dicit c. 1. v. 6. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda Daniel, Ananias, Miſaël, & Azarias.* & v. 8. *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo ne pollueretur de menſa regis.* totis denique ſex primis capitibus ita loquitur. Deinde quod Daniel ille Propheta puer eſſet, cùm Ezechiel dixit: *Si fuerint tres viri iſti in medio eius Noë, Daniel & Iob ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Edita enim eſt ea prophetia ab Ezechiele anno ſexto captiuitatis, vt ipſe cap. 8. ver. 1. teſtatur quo tempore puer Daniel in regis Babylonis aula verſabatur, vt ex initio eius libri intel-

intelligitur. Non igitur idem erat Daniel, & ille Propheta ſomniorum interpres, & hic qui ab Ezechiele inter priſcos illos viros, & vxorem & liberos habentes numeratur. Atqui hunc Danielem, qui hunc librum ſcripſit, & illum de quo Ezechiel mentionem facit, eundem fuiſſe neceſſe eſt, cùm non legamus fuiſſe alium, ergo ille Propheta, & hic qui hanc eius prophetiam ſcripſit, non idem fuit. Priùs quàm hæc refellimus, monendus nobis lector eſt ne idem eſſe exiſtimet, quæ longè diuerſa ſunt, hunc librum à Daniele ſcriptum non eſſe, & iuſtam prophetiæ auctoritatem non habere. Non enim quoties de libri alicuius auctore dubitatur, de eius auctoritate dubitatur. Nam de auctore libri Baruch, Iob, Regum, & Paralipomenon Eccleſia dubitat, de auctoritate verò non dubitat. Nec hæc idcirco dicimus quòd nos ipſi de huius libri auctore dubitemus, aut, quòd alios dubios reddere velimus, (certi enim perſuaſique ſumus Danielis eſſe, idémque omnibus perſuaſum eſſe volumus: ſed quod nunc non de auctoritate, ſed de auctore diſputemus: paulò pòſt ſuo loco de auctoritate quoque dicemus. Eccleſia igitur non dubitat, nec nobis ea non dubitante, dubitare licet, hunc librum non ſolùm de Daniele, ſed à Daniele etiam conſcriptùm eſſe, ídque præter Eccleſiæ iudicium & auctoritatem, quæ ſola ſatis eſt, ex ipſo libro demonſtrari poteſt, ſic enim ſcribit cap. 8. ver. 1. *Anno tertio regni Balthaſar regis viſio apparuit mihi.* atque eodem modo toto reliquo cap. de ſe loquitur. Rurſus cap. 9. ver. 2. *Anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam.* Eodémque modo toto cap. 9. 10. 11. & 12. de ſe loquitur. Neque verò Ezechiel de alio quàm de Propheta Daniele loqui poteſt. Loquitur enim de eo, qui auctoritate & ſapientia propter ſomniorum interpretationem apud Chaldæos maxime florebat. *Ecce* inquit, *tu ſapientior es Daniele & omne ſecretum non eſt abſconditum à te.* Nemo autem Daniel alius apud Chaldæos ſapientia & auctoritate floruit, niſi ille Propheta, qui ſomniis explicandis, rebúſque futuris prædicendis adhuc puer inclaruit. Quod igitur aliquando de ſe quaſi de alio quopiam loqui videtur, mirum videri non debet. Solent enim alij quoque Prophetæ idem facere. Nam & Iſaias cap. 1. ver. 1. de ſe tertia perſona loquitur. *Viſio Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem.* & cap. 2. v. 1. *Verbum quod vidit Iſaias filius Amos ſuper Iudam & Ieruſalem.* & Ieremias cap. 1. ver. 1. *Verba Ieremiæ Prophetæ filij Helciæ de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth.* & rurſum, *Quod factum eſt verbum Domini ad eum in diebus Ioſiæ filij Amon.* Eodem modo cap. 7. 18. 21. 25. & cap. 26. & 27. & 32. hiſtoriam carceris ſui tanquam de alio commemorat. Pleni denique ſunt ſimilium exemplorum Prophetarum libri. Quin ipſe Daniel, poſtquam de alio aliquo loqui viſus eſſet, explicauit de ſe ipſo locutum fuiſſe, vt c. 10. v. 1. *Anno* (inquit) *tertio regni Cyri regis Perſarum verbum reuelatum eſt Danieli,* & ſtatim ver. 2. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.* Illud igitur obſeruamus Danielem & cæteros Prophetas cùm hiſtoriam aliquam narrant, de ſe per tertiam; cùm autem prophetiam enuntiant per primam perſonam vt maiorem fidem faciãt loqui ſolere. Quod autem de Danielis ætate obiectum eſt puerum illum fuiſſe cùm Ezechiel ſcriberet, non difficile diluitur. Nec enim ſacrarum litterarum Hebraica phraſis ignota eſt, qua etiam viri adulta iam ætate pueri vocantur, quemadmodum Dauid ſe & cõmilitones ſuos pueros appellauit, *Et quidem* inquit, *ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, & fuerunt vaſa puerorũ ſancta.* Eſt enim aliquando puer apud Hebræos conditionis nomen, non

ætatis

ætatis, ſicut apud Latinos famuli etiam viri pueri dicuntur. Hoc ſenſu Danielem puerum vocatum eſſe ex Daniele ipſo colligimus: legimus enim cap. 1. ver. 3. & 4. præcepiſſe Nabuchodonoſorem Aſphenez eunuchorum principi, vt introduceret de filiis Iſraël & de ſemine regio & tyrannorum, pueros in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, introductos autem fuiſſe Danielem, Ananiam, Miſaëlem, & Azariam. Atqui non poterant puerili ætate omni ſapientia præditi eſſe, qua vix præditi ſunt viri qui totum vitæ ſuæ tempus in ſapientiæ ſtudio poſuerunt. Erat igitur Daniel cùm in regis aulam introductus eſt viginti, vt minimum dicam annorum: etſi Iſidori ſententia vera eſt, circiter quadraginta. Nec enim deliciarum cauſa pueros ad ſe introduci iubebat Nabuchodonoſor, quemadmodum nunc barbarum Turcarum imperatorem facere videmus, quod nonnullos fortaſſe fallit, ſed vt miniſtros haberet elegantes, ingenioſos, prudentes, eruditos, qui variis de rebus coram ſe diſputare poſſent, & Chaldaïca, Hebraïcaque lingua loquerentur. Nam qui adduci non potuerunt, vt cibis à Deo prohibitis vterentur, quomodo regis deliciis ſeruire voluiſſent? Cùm igitur Daniel initio captiuitatis, cùm ad regem adductus eſt, viginti minimùm annos haberet, & Ezechiel anno captiuitatis ſexto prophetiam illam ſcripſerit, relinquitur eum viginti ſex vt minimum annos habuiſſe, cùm illum Ezechiel cum Iob & Noë connumerauit. Qua quidem ætate quidni poterat illis adiungi, cùm iam tunc ſapientiæ ſanctitatiſque opinione maximè floreret. Certè ea ferè Ioſeph erat ætate cùm Pharaonis ſomniũ interpretatus totius Ægypti adminiſtrationem conſecutus eſt. Sedecim enim annorum fuiſſe legimus cùm ductus eſt in Ægyptum. Neque Daniel idcircò cum Noë & Iob vxores & liberos habentibus numeratur, quòd ipſe quoque vxorem & liberos haberet. Sed ſyllepſis eſt, qua quòd quibuſdam tantùm conuenit, de omnibus dicitur quaſi omnibus conuenerit. Qua figura dicuntur diſcipuli effuſo vnguento murmuraſſe vt apud Matthæum & Marcum legimus, cùm Ioannes ſolum Iudam murmuraſſe teſtetur. Eadem phraſi Matthæus dicit latrones qui cum Chriſto ſuffixi cruci erant blaſphemaſſe, cùm Lucas vnum tantùm blaſphemaſſe dicat, idemq́; de Daniele iam ſine obiici poſſit; cùm nec puer, nec vir, nec ſenex vxorem aut liberos habuerit. Atque hæc opinio ſatis; vt arbitror, refutata eſt, ad aliam tranſeamus. Alij igitur contra Danielem non ea ſolum quæ eius nomine nunc habemus, ſed multa etiam alia quæ non habemus, ſcripſiſſe putauerunt. Nam & Athanaſius cuiuſdam eius libri inter apocryphos mentionem facit: cùm nec hiſtoriam Suſannæ, nec trium puerorum carmen, nec Belis hiſtoriam intelligat, quia nec libri ſunt, & ab eo non apocryphi, ſed legitimi, & vt vocant canonici putantur. Et Gratianus Danielis ſomnialia recenſet inter ea, quæ tanquam ſuperſtitioſa legi prohibentur: vnde intelligimus fuiſſe aliquos, qui alios præter hunc, quem habemus librum, Danieli tribuerent, quos Eccleſia aut Danielis non eſſe, aut non legendos iudicauerit: alii ea quæ extant præter hiſtoriam Suſannæ, & canticum trium puerorum, & narrationem Belis Danielis eſſe dicunt. In qua ſententia ſunt omnes Hebræi, qui nec hiſtoriam Suſannæ & Belis, nec trium puerorum carmen Hebraïcè legunt, & tanquam ab aliquo Græculo addita videre ſolent: Hieronymus illis fortaſſe plus ſatis aſſentitur, nimis enim ſæpe, ac nimis liberè fabulas vocat. Scio nonnullos pio quodam ſtudio hanc verborum aſperitatem, benigna interpretatione lenire voluiſſe, quaſi nomen fabulæ, non vſitato more pro falſa fictaque narratione, ſed pro ve-

 ra hiſto-

ra hiſtoria vſurpauerit. Quod magis equidem opto verum eſſe, quàm video; ſic enim appellat fabulas, vt eas canonicis libris opponere, Hebræorumque ſententiam probare videatur. Itaque quamquam minùs culpæ in illo fuerit, quàm illi Ruffinus obiecit, tamen fortaſſe fuit aliquid. Quod non ideo dico, vt Hieronymum virum tantum reprehendam, quem ego ſingulari quodam ſtudio proſequor, & omnibus Latinis & Græcis auctoribus antefero: ſed ne quis tanti doctoris auctoritate fractus, ab Eccleſiæ ſenſu diſcedat. Nam vt illi tunc licuerit ita loqui atque ſentire; cùm Euſebius & Apollinarius, vt ipſe dicit, ita ſentiebant; nobis nunc certè non licet, cùm & vetuſtas ipſa, & multorum ſcriptorum conſenſus, & Eccleſiæ aut approbatio, aut lectio & non reprobatio auctoritatem dedit: exiſtimat Hieronymus Euſebium & Apollinarium ſecutus, hæc ab Habacuc de alio quodam Daniele filio Abdæ ſacerdote ac regis Babylonis conuiua ſcripta eſſe, quod Belis hiſtoria apud Septuaginta interpretes hunc titulum habeat, προφητεία τοῦ Ἀββακοὺμ υἱοῦ τοῦ Ἰησοῦ ἐκ φυλῆς Λευί. *Prophetia Habacuc filij Iesu de tribu Leui*: ſtatim autem libri exordium ad hunc modum ſequatur, ἄνθρωπός τις ἦν ἱερεὺς ὀνόματι Δανιὴλ, υἱὸς τοῦ Ἀβδᾶ, συμβιώτης τοῦ βασιλέως τῆς Βαβυλῶνος. *Vir quidem erat ſacerdos nomine Daniel filius Abdæ conuiua regis Babylonis.* Poſſumus breuiter expediteque reſpondere, quod ipſe Hieronymus docet, Eccleſiam meritò Septuaginta verſionem in hoc Propheta repudiaſſe, & Theodotionis editionem recepiſſe. Obiiciunt Hebræi, vt Hieronymus ſe à quodam eorum magiſtro audiuiſſe narrat, idemque Iulius Africanus feciſſe dicitur, non poſſe hiſtoriam Suſannæ Danielis eſſe, quod etymologiæ illæ aut paranomaſiæ quibus illic luditur σχίσαι ἀπὸ τοῦ σχίνου, & πρίσαι ἀπὸ τοῦ πρίνου, Græcæ ſint non Hebraïcæ; quod negare non poſſumus. Cæterùm non contendimus hæc à Daniele Hebraïcè ſcripta eſſe, ſed à quocunque tandem ſcripta ſint, non de alio quàm de Daniele Propheta ſcripta eſſe, nec ideo tanquam fabuloſa reiicienda. Quamquam illud etiam probabiliùs eſt, & tacito Eccleſiæ iudicio magis conſentaneum Danielem ſcripſiſſe omnia, ſed hæc Hebræis excidiſſe, aut eos ipſos malo animo, vt Origenes putat, de libris Hebraïcis deleuiſſe: vnde enim quæſo, & Septuaginta, & Theodotion, & Symmachus, & Aquila, niſi ex Hebraïco ſermone tranſtuliſſent? Mirum enim profectò eſſet, ſi omnes in idem commentum diuerſis temporibus conſpiraſſent. Sed fortaſſe Græcus interpres videns quod Hebraïcè ſine etymologia & paranomaſia dictum erat, id Græcè eleganti admonitione dici poſſe, figuram & nominum alluſionem abhibuit. Certè alij veteres auctores aut diſertè, ac ſine vlla dubitatione Danielis eſſe dixerunt, vt magnus Athanaſius, aut ex illis teſtimonia tanquam Danielis produxerunt. Nam hiſtoriam Suſannæ Ignatius in epiſtola ad Magneſianos, & Cyprianus in epiſtola 40. ad plebem vniuerſam, & lib. de bono pudicitiæ, & lib. de ſingularitate clericorum; & Origenes homilia prima in Leuiticum, integraque & bene longa ad Africanum epiſtola, qua huius hiſtoriæ auctoritatem defendit: & Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 18. & lib. 3. cap. 14. & lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 7. & lib. epiſt. 2. epiſt. 7. & libro 8. epiſt. 64. & libro de fuga ſæculi cap. 9. & libro 2. de Abraham Patriarcha cap. 6. & in commentariis in Pſalm. 37. & ſermone 49. & 50. & Auguſtinus libro 2. de ſermone Domini in monte cap. 14. & ſermone 13. de verbis Apoſtoli, & ſermone 242. de tempore, & Chryſoſtomus integra de Suſanna homilia tanquam Danielis citant. Canticum verò trium puerorum idem Cyprianus profert in ſermone de lapſis, & lib. de oratione Dominica. Ambroſius autem in præfatione in Pſalmos aſſeueranter à Daniele ſcriptum eſſe.

eſſe dicit, & libro 6. in Lucam capite 2. his verbis illius meminit, *Cantauerunt Hebræi cùm veſtigia eorum tactu flammæ rorantis humeſcerent, & intus extráque ardentibus omnibus, ſolos ignis innoxius lamberet nec adureret.* Chryſoſtomus quoque homilia 12. in Geneſim, & rurſus homilia 51. & homilia in Pſalmum 96. multíſque aliis locis, & patres quarti Toletani Concilij, & quiſquis auctor fuit librorum de mirabilibus ſacræ Scripturæ, qui inter Auguſtini opera circunferuntur, libro ſecundo capite 32. trium puerorum canticum tanquam Danielis proferunt, totáque Eccleſia vbique decantat. Belis etiam hiſtoriam recitat Cyprianus epiſtola quinquageſima prima de exhortatione martyrij, & libro de exhortatione ad martyrium, & lib. de ieiunio & tentationibus, & lib. de opere & eleemoſynis, & libro de oratione Dominica, & Ambroſius, aut quiſquis auctor eſt, in Commentariis in 1. cap. epiſt. ad Roman. hinc alterum caput de huius libri auctoritate aliqua ex parte perſpicuum eſt: hæc enim omnia quamuis non eodem fortaſſe modo probat Eccleſia, ipſáque Scriptura ſacra dum huius libri teſtimoniis & exemplis vtitur eius auctoritatem commendat. libro primo Machabæorum cap. 2. Mathathias Danielis & trium puerorum exemplis filios ſuos ad conſtantiam exhortatur. Chriſtus apud Matthæum cap. 24. ver. 15. *Cùm videritis*, inquit, *abominationem deſolationis quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat.* D. autem Paulus cùm in epiſtola ad Hebræos cap. 11. ver. 33. & 34. dicit, *Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis:* haud dubium eſt quin ad hiſtoriam Danielis & trium puerorum alludat. Tantùm opus eſt argumenta diſſoluere, quibus nonnulli huius prophetiæ auctoritatem eleuare conati ſunt. Porphyrius quemadmodum Hieronymus in Prologo in Danielem ſcribit, quia non ab ipſo Daniele, ſed ab aliquo qui tempore Antiochi illuſtris vixiſſet, hunc librum ſcriptum putabat, quæ vſque ad Antiochum narraret, vera eſſe dicebat, cætera falſa quæ neque tum cùm auctor ſcriberet, accidiſſent, nec poſtea vnquam accidetent. Porphyrio, vt idem Hieronymus ait, Methodius Apollinarius, & Euſebius Cæſarienſis multis voluminibus reſponderunt: ipſe autem idem Hieronymus breuiter ſubtilitérque reſpondet. Porphyrij impugnationem teſtimonium eſſe veritatis, tantam enim dictorum fidem eſſe, vt Propheta incredulis hominibus non fictum prædixiſſe, ſed præterita narraſſe videretur. Alij Danielis ætatem obiiciunt quaſi minimè hiſtoriæ conueniat, ſed iam ſuprà reſpondimus, cùm de eius libri auctore diſputaremus. Alij non eſſe veriſimile Danielem virum ſanctum paſſum eſſe ſe à rege Babylonis adorari, ſibíque victimas cædi, cap. 2. ver. 46. quem honorem nec D. Paulus à Lycaonibus, Actor. cap. 14. nec angelus à D. Ioanne, Apocal. 19. recipere voluerit. At ſcriptura non dicit Danielem paſſum eſſe adorari ſe, victimaſque ſibi mactari, ſed regem illud feciſſe, hoc præcepiſſe: quod vtrumque credendum eſt Danielem recuſaſſe. Mitto quod multi auctores obſeruarunt, non ſine myſterio in veteri teſtamento angelos & viros ſanctos paſſos fuiſſe adorari ſeſe, in nouo non item. Alij huius prophetiæ auctoritatem minui putant, quòd Hebræi Danielem non inter נבאים. Prophetas, ſed inter כתובים. hagiographos ponant, quod idem quia Hieronymus dixit, accuſatus à Ruffino eſt. quaſi Danielem Prophetam eſſe negauiſſet: ſed neque Hieronymus Prophetam eſſe negauit, ſed ab Hebræis dixit inter Prophetas non poni: neque Hebræi cùm eum non inter Prophetas, ſed inter hagiographos ponunt, Prophetam eſſe negant. Cæterùm cùm vndecim prophetiæ gradus faciant, non ponunt in-

ter Prophetas, niſi qui ſaltem ad tertium peruenerunt. Is autem eſt cùm dicitur verbum Domini ad aliquem factum eſſe, quemadmodum Iſaias. Ieremias, Ezechiel, cæterique minores Prophetæ ſolent dicere: quod quia Daniel non dicit, non collocant inter Prophetas primi generis, ſed in ſecundo Prophetarum ponunt, in quo Dauidem, Salomonem, multóſque alios eſſe dicunt, quos non ſingulari illo, quo Iſaiam, & Ieremiam, ſed generali quodam modo, Prophetas appellant. quod autem attinet ad auctoritatem, non minorem illis, quàm cæteris primi generis Prophetis attribuunt. Ita ſcribit Rab. Moſes Ægyptius libro 2. מורה. cap. 45. quare Danielem ſimpliciter etiam Prophetam vocare ſolent, vt in lib. מג לה נקראת. videre licet Quod Theodoretus non animaduertens longa oratione in Iudæos inuehitur, quaſi Danielem de numero Prophetarum demant. hiſtoriam verò Suſannæ his rationibus multi refellunt. Primùm credibile non eſſe dicunt Iudæos in media captiuitate tribunal iudicéſque habuiſſe, quemadmodùm in ea hiſtoria narratur: Reſpondere poſſumus multò magis credibile eſſe, quamuis id hiſtoria non narraret, Iudæos in Chaldæa omnem Reipublicæ ſuæ formam retinuiſſe: cùm Ieremias nihil illis magis perſuadere conaretur, quàm vt ſeſe regi babylonis dederent, fore vt qui ſe illi darent, melioris conditionis eſſent, deberéque omnes vt ait Baruch, pro vita regis Babylonis Deo ſupplicare. Aliquod in hiſtoria Suſannæ dicitur populum Iudæorum duos illos ſenes qui falſo crimine Suſannam accuſauerant, lapidaſſe, Ieremiæ Prophetæ verbis repugnare dicunt. Scribit enim cap. 29. ver. 22. fuiſſe regem Babylonis Sedeciam & Achab. Hebræi autem exiſtimant Sedeciam & Achab fuiſſe eos duos ſenes, qui Suſannam accuſauerunt, vt Hieronymus in cap. 13. Danielis refert. Verumenimuero potiùs credendum eſt, quòd hiſtoria tantæ vetuſtatis, quamuis ſacra non eſſet, commemorat, quàm quod Hebræi ſine hiſtoria, ſine teſtimonio, ſine ratione ſomniant. Illud maioris ponderis eſt, quod alij afferunt, Daniele puero hiſtoriam accidiſſe, vt c. 13. ver. 45. ſignificatur, rurſum verò in extremo cap. ver. 65. addantur hæc verba: *Et rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos, & ſuſcepit Cyrus Perſes regnum eius*. Quæ res duæ minimè inter ſe conuenire poſſe videantur. Nam tempore Aſtyagis & Cyri Daniel non iam puer, ſed ſeptuagenarius, & ſi Iſidoro credimus nonagenario maior erat. At illa verba quæ extremo cap. de Aſtyage, & Cyro ponuntur, non ad hiſtoriam Suſannæ, ſed ad narrationem Belis pertinent, vt plerique putant. Eſt enim tranſitio vnius rei ad aliam non eodem, ſed diuerſo tempore geſtam, quod ſæpe in Prophetis fieri animaduertimus. Et verò Septuag. tanto interuallo hæc duo diiunxerunt, vt hiſtoriam Suſannæ primo huius libri capite: hiſtoriam Belis poſtremo collocauerint, & vt pertineant, quemadmodum ego quidem exiſtimo, tamen non ſignificant eam hiſtoriam ſub Aſtyage contigiſſe, ſed Danielem vſque ad eius mortem magum habitum vt illic interpretabimur. Trium puerorum canticum hac ratione inquit Hieronymus Hebræos ridere conſueuiſſe, tantum ſcilicet illis in mediis flammis otij fuiſſe vt hexametris verſibus luderent. Primum quidem neque hexametri, neque alterius generis verſus ſunt: ſed oratio ſponte fuſa, quam res omnes in quas animum cogitationémque conuertebant iiſdem repetitis verbis ſuppeditabat. Quod minoris profectò quàm in communibus ſermonibus aptè loqui, artis eſt Et vt eſſent carmina an difficilius Deo erat poëticum quàm Propheticum illis ſpiritum afflare aut carmina illis ſuggerere, quàm à flammis eoſdem incolumes liberare? Sibyllas ſubito furore percitas

carmina

carmina fudiſſe, quæ ſanè componere non potuiſſent, priſci ſcriptores non ſolùm profani ſed etiam ſacri teſtantur & non credemus tres pueros diuino ſpiritu inflammatos idem facere potuiſſe? Contra Belis hiſtoriam, vt ait Hieronymus, obiiciunt Hebræi non extare vllum in ſacris litteris exemplum, quo probetur aliquem ex vno loco in alium quaſi celeri per aëra volatu fuiſſe tranſlatum. Quod quamuis verum eſſe concederemus nihil de huius hiſtoriæ fide decederet. Nec enim neceſſe eſt omnium quæ in vno ſcripturæ libro dicuntur in aliis ſcripturæ libris exempla reperiri. vbi enim quemquam famelicis leonibus obiectum ſaluum exiſſe, aut in mediis flammis ſine vllo detrimento ambulaſſe, niſi in Daniele legimus? Quod ſi in veteri teſtamento iſtiuſmodi per aëra raptus exempla non habemus, in nouo tamen habemus. Nam & Philippus ſubitò ab Angelo ſublatus inuentus eſt in Azoto: & Chriſtus ipſe à ſatana in templi faſtigium ſubleuatus eſt. Addunt nō fuiſſe diuinæ poteſtatis, ſed humanæ induſtriæ ſacerdotum dolum ex veſtigiis ſparſo cinere impreſſis deprehendere & iniecta picea offa draconem interimere: quaſiverò Prophetæ ſtolidi homines eſſe debeant nihilq; ad res agendas habere induſtriæ: aut quaſi non idem de Iſaia poſſint dicere humana cum ſolertia Ezechiam regem adhibita maſſa ficuum curauiſſe. Atq; de ſcriptorum Danielis auctoritate ſatis, vt opinor, dictum eſt quo autem tempore ſcripſerit nemo dubitat, ex ipſa enim libri eius lectione manifeſtum eſt, cum eodem atque Ieremiam & Ezechielem ſcripſiſſe, ſed conſilio diſſimili. Nam illi contra Iudæos hic contra Chaldæos Medorum, Perſarum & Græcorum regna déq; futura Iudæorum per Chriſtum liberatione. Quare factum eſt vt nullus Propheta minùs quàm Ieremias & Ezechiel, nullus magis gratus quàm Daniel Iudæis fuerit. Scribendi genus duas ob cauſas difficillimum eſt. Altera eſt quòd non ſolùm Hebraicè, ſed Chaldaicè magna etiam ex parte loquatur. Nam primum quidem caput & ſecundi initium Hebraicè cætera vſque ad finem ſeptimi capitis Chaldaicè, reliqua vſq; ad finē Hebraicè rurſum ſcripta ſunt. Itaq; Hieronymus poſtquam multos annos in diſcenda Hebraica lingua laboraſſet, cùm ad Danielem perueniſſet coactus eſt Chaldaicam etiam addiſcere, & vt ipſe ait anhelantia ſtridentiaq; verba reſonare. Altera difficultatis cauſa eſt, quòd non de vno tantùm regno, vt alij ferè Prophetæ faciunt, ſed de omnium regnorum exordiis, incrementis, conuerſionibus, de ipſo denique mundi fine, ſupremóq; Dei iudicio vaticinatur. Quamobrem πολυίστορα, id eſt, variæ eruditionis plenum Hieronymus appellat, affirmátque ad eum intelligendum omnium hiſtoriarum & Latinorum & Græcorum & Chaldæorum cognitionem eſſe neceſſariam. Argumenti totius libri caput eſt regnum Chriſti deſcribere quod capite ſeptimo facere incipit. Nam & hiſtoriæ regum Babylonis & Medorum atque Perſarum, quæ ſex primis capitibus præponuntur, & reliqua quæ ſeptimo octauo & vndecimo capite de quatuor regnorum viciſſitudine dicuntur, eò pertinent, vt omnia alia regna peritura, ſolum regnum Chriſti perpetuum futurum eſſe intelligimus. Hinc operis partitio cognoſcitur. Tres enim potiſſimùm totius libri partes ſunt. Prima ſex primis capitibus continetur, quibus res geſtæ Danielis & trium puerorum enarrantur. Secunda ſex alia capita ſequentia comprehendit quibus de regno Chriſti & Antichriſti agitur de vno regno Dei, & multis regnis mundi aliis in alia transferendis. Tertia eſt duobus extremis capitibus, vbi Suſannæ & Belis traditur hiſtoria. Precamur Danielem ſingularem myſteriorum interpretem vt ad eius ipſius myſteria enucleanda nobis adſit, Plus enim eius auxilio, quàm noſtro ingenio confiſi tantum opus aggredimur.

Digitized by Google

PROPHETIA DANIELIS.

CAPVT PRIMVM.

ANNO tertio regni Ioacim regis Iuda, venit Nabuchodonoſor rex Babylo-
nis in Ieruſalem, & obſedit eam: 2 *& tradidit Dominus in manu eius*
Ioacim regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei: & aſportauit ea in ter-
ram Sennaar, in domũ Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui. 3 *Et ait*
rex Aſphenez præpoſito eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio
& tyrannorum, 4 *Pueros in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos*
omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio regis:
vt doceret eos literas & linguam Chaldæorum. 5 *Et conſtituit eis rex annonam per*
ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vnde bibebat ipſe: vt enutriti tribus annis, poſtea
ſtarent in conſpectu regis. 6 *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ana-*
nias, Miſaël, & Azarias. 7 *Et impoſuit eis præpoſitus eunuchorum, nomina,*
Danieli: Baltaſſar: Ananiæ, Sidrach: Miſaeli, Miſach: & Azariæ, Abdena-
go. 8 *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de*
vino potus eius: & rogauit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur. 9 *Dedit*
autem Deus Danieli gratiam, & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum.
10 *Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego Dominum meum regem, qui*
conſtituit vobis cibum & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris
adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meum regi. 11 *Et dixit Daniel*
ad Malaſar, quem conſtituerat princeps eunuchorum ſuper Danielem, Ananiam, Mi-
ſaelem, & Azariam: 12 *Tenta nos obſecro ſeruos tuos diebus decem, & dentur*
nobis legumina ad veſcendum: & aqua ad bibendum: 13 *& contemplare vultus*
noſtros, & vultus puerorum qui veſcuntur cibo regio: & ſicut videris, facies cum ſeruis
tuis. 14 *Qui audito ſermone huiuſcemodi, tentauit eos diebus decem.* 15 *Poſt*
dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pue-
ris qui veſcebantur cibo regio. 16 *Porro Malaſar tollebat cibaria, & vinum potus*
eorum: dabátque eis legumina. 17 *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſci-*
plinam in omni libro & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum &
ſomniorum: 18 *Completis itaque diebus, poſt quos dixerat rex vt introducerentur:*
introduxit eos præpoſitus eunuchorum in conſpectu Nabuchodonoſor. 19 *Cúmque eis*
locutus fuiſſet rex, non ſunt inuenti tales de vniuerſis, vt Daniel, Ananias, Miſael, &
Azarias, & ſteterunt in conſpectu Regis. 20 *Et omne verbum ſapientiæ & intelle-*
ctus quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex, inuenit in eis decuplum ſuper cunctos ariolos & magos
qui erant in vniuerſo regno eius. 21 *Fuit autem Daniel vſque ad annum primum*
Cyri regis.

HOc capite ſolùm traditur quomodo Daniel & tres eius ſocij à regio genere delecti fuerint, vt regi Babylonis adſtarent, ſeque à cibis lege prohibitis abſtinuerint.

1. *Anno tertio regni Ioacim.*] In primis ſtatim verbis quaſi in limine difficilis nobis ingredientibus occurrit quæſtio quomodo Nabuchodonoſor anno tertio Ioacim potuerit Ieroſolimam obſidere, cùm quarto anno regni Ioacim regna-

regnare cœperit? vt ex Ieremia cap. 25. 1. & cap. 52. 12. perſpicuum eſt. Auget difficultatem quod 4. lib. reg. cap. 23. 36. Ioacim vndecim annis regnaſſe conſtet. quo ergo modo potuit tertio regni ſui anno aut interimi aut in ſeruitutem redigi, quorum alterutrum neceſſe eſt hoc loco ſignificari. Magna interpretum diſſenſio eſt: nobiliores verò opiniones quatuor. Alij, quibus quidam noſtri temporis Hæreſiarcha auctor fuit ita ſentiendi, interpretantur hoc non de illo Nabuchodonoſore, qui quarto lib. reg. & apud Ieremiam & Ezechielem magnopere celebratur, quique ob res magnas fortiter geſtas magni cognomentum inuenit; is enim quarto regni Ioacimi anno, vt Ieremias docet, regnare cœpit, ſed de eius patre, qui aut ipſe per ſe, aut per filium nondum regem, ſed regni hæredem eiuſdemq; cum patre nominis Ieroſolymam obſederit & partem vaſorum templi Babylonem deportauerit: quaſi non ſatis illis eſſet in religione hæreticos eſſe, niſi etiam ex hiſtoriis fabulas facerent. Nam iſtum Nabuchodonoſorem Nabuchodonoſoris magni patrem ſcriptura non nouit. Primus enim de quo mentionem facit, eſt ille ipſe magnus, qui Ioacimum tributarium feciſſe, 4. Reg. 24. 1. & Iudam ac Ieruſalem Babylonem tranſtuliſſe dicitur 1. Paral. 6. 15. Quod ſi de patre mentionem alicubi faceret, tamen certum eſt Danielem hoc loco de eo loqui, qui ſe cæteros principes Babylonem duxit. Primus autem qui Iudæos ex Ieruſalem duxit Babylonem, non fuit pater, ſed filius anno ſeptimo regni ſui. vt cõſtat ex Ieremia cap. 25. 28. 29. 30. vbi idem fuiſſe dicitur qui primùm ſub Ioacim anno ſcilicet ſeptimo regni ſui, ter mille viginti tres homines captiuos obduxit, & qui ſecundo ſub Sedecia anno decimo octauo regni ſui octingentos triginta duos, & qui tertio anno vigeſimo tertio ſeptingentos quadraginta quinque. Quis autem ignorat eum qui ſub Sedecia octingentos triginta duos captiuos tranſtulit Nabuchodonoſorem magnum fuiſſe? Denique ſi pater anno tertio Ioacimi Ieroſolymam venit, & filius anno quarto regnare cœpit, quomodo tribus annis factus eſt illi (id eſt, primi vt illi coguntur interpretari) tributarius, vt dicitur 4. Reg. c. 24. 1. cùm non potuerit poſtquam Ieroſolymam venit, plus vno anno viuere: anno enim ſequenti, id eſt, quarto Ioacim eius filius regnare cœpit. Ierem. 25. 1. Scio reſponderi poſſe quod 4. Reg. cap. 24. dicitur Ioacim factum eſſe illi tributarium tribus annis, intelligendum eſſe, illi & eius hæredi ac ſucceſſori, ſed hoc ipſum habet neſcio quid durum ac violentum. Alij de filio intelligendum putant, ſed dicant finem tertij anni regni Ioacim, & initium quarti incidiſſe in initium primi anni regni Nabuchodonoſoris magni, ideoque aliquando dici Nabuchodonoſorem anno quarto, aliquando anno tertio regni Ioacim regnum ſuſcepiſſe, quod multis ſimilibus exemplis R. Abraham, qui huius ſententię auctor eſt, fieri poſſe docet. Sed duo mihi videntur huic interpretationi repugnare. Alterum quod vt aliquando 3. aliquando 4. anno regni Ioacimi dici poſſet Nabuchodonoſor regnum ſuſcepiſſe propter concurſum finis vnius anni & principij alterius, tamen quod vno loco dicatur quarto anno Ioacimi regnare cœpiſſe, alio verò loco, tertio anno illum debellaſſe, non video quomodo eadem ratione dici poſſet. Nam vt nihil aliud dicam bellicus apparatus, conſilium, expeditio, profectio, aliquid temporis requirebat. Alterum eſt quod Daniel loquatur de ea Nabuchodonoſoris contra Iudæos expeditione, qua & ſe & alios filios principum captiuos duxit, ante annum autem ſeptimum regni ſui, vt ex Ieremia cap. 52. 28. manifeſtum eſt, neminem captiuum duxit. Alij in quibus Lyranus eſt, interpretantur anno tertio, non quo primum regnare cœpit, id enim fieri non

poſſe.

poſſe putant, ſed anno tertio quo Nabuchodonoſori factus eſt tributarius. qui vndecimus eius fuit, vt illi quidem exiſtimant. Dici autem tertium annum regni illius cùm vndecimus fuerit, quia tertius fuit ab eo tempore quo illum Nabuchodonoſor de regno deturbatum, in regnum reſtituit: Danielem verò, vt qui Babyloni eſſet, & Nabuchodonoſori familiaris, non numeraſſe annos Ioacim niſi ex eo tempore quo per Nabuchodonoſorem regnare cœpit. Similem quendam locum apud Ieremiam c. 28. 1 & c. 51. 59. de regno Sedeciæ R. Dauid, & R. Salomon ex auctore סדרעולם. eadem ratione explicare diximus: tamen inſolens mihi videtur eſſe, vt Daniel Hebræus Propheta, ac regio vt creditur genere, eo ſolùm tempore Ioacimum regnaſſe dicat, quo Babylonico tyranno ſeruiuit. Alij ergo melius vt R. Saadias intelligunt annum tertium, ex quo aduerſus regem Babylonis rebellionem fecit. Quam ego interpretationem ex quatuor perſpicuis ſcripturæ inter ſe collatis locis veram eſſe doceo. Primus eſt ille 4. Reg. 23. 36. Ioacim vndecim annos regnum tenuiſſe. Secundus eſt ille alter Ierem. c. 25. 1. Nabuchodonoſorem quarto anno regni Ioacimi regnare cœpiſſe. Tertius hic in quo verſamur vbi manifeſtum eſt Danielem agere de ea expeditione Nabuchodonoſoris, qua & ſe & alios principes Ieroſolymitanæ ciuitatis viros Babylonem traduxit. Quartus Ierem. 52. 28. Nabuchodonoſorem neminem captiuum ante annum ſeptimum regni ſui Babylonem traduxiſſe. Hinc enim ſequitur primos captiuos ductos Babylonem anno vndecimo regni Ioacim. Nam cùm Nabuchodonoſor anno eius quarto regnare cœperit, an non neceſſe eſt vt annus ſeptimus Nabuchodonoſoris fuerit vndecimus Ioacimi? Hæc cùm ita eſſe conſtet videndum nunc eſt cur vndecimus annus regni Ioacim vocetur tertius: in promptu eſt ratio, Ioacimus Ioſia patre bello interempto à Nechao rege Ægypti imperato tributo rex conſtitutus eſt, 4. Reg. 23. 34. qua conditione quinque regnauit annos. Nam anno eius quarto Nabuchodonoſor de mortui patris ſuſcepto regno primum regem Ægypti vicit, omnemque eius regionem quæ inter riuum Ægypti & Euphratem erat, occupauit 4. Reg. 24. 7. Deinde Ioacimum ipſum Ægyptiis rebus ſtudentem ſibi vectigalem fecit, 4. Reg. 24. 1. regnauitque vt ibidem dicitur ſub rege Babylonis tributarius annos tres, id eſt, vſque ad octauum regni ſui: anno autem octauo vt ait R. Saadias rebellauit, regnauitque liber ac ſine tributo annos tres, id eſt, vſque ad annum vndecimum & poſtremum regni ſui, quo anno venit Nabuchodonoſor, eoque interfecto & cadauere ad portas vrbis eiecto, quemadmodum prædixerat Ieremias, Iechoniam eius filium regem conſtituit, ductiſque ſecum Daniele, & aliis primariis viris, parteque vaſorum templi comportata Babylonem rediit, vt Ioſephus lib. antiqu. 10. c. 8. tradit. Alij, Ioacimum non interfectum, ſed cùm captiuus Babylonem duceretur, in via mortuum fuiſſe volunt, ſed ad id, de quo agimus, nihil refert. Summa eſt, Ioacimum octo annos ſub tributo, tres tantùm liberum regnauiſſe: ideoque Danielem ita locutum, quaſi tres tantùm annos regnauiſſet: nam tributarium eſſe, non regnare, ſed ſeruire eſſe iudicauit. vnus adhuc ſuper eſt nodus. Si prima Iudæorum captiuitas ſub Ioacimo rege accidit, cur eam vbique ſcriptura Iechoniæ tribuit, vt Ierem. 24. 1. & cap. 27. 20. & 28. 4. hîc etiam facilè ſoluitur. Iechonias trib. tantum regnauit menſibus, 4. Reg. 24. 8. Eum enim vt ait Ioſephus occiſo patre Nabuchodonoſor regem conſtituit, cúmque vereretur ne patris interfecti memor rebellionem, vltionemque cogitaret, exercitum adhuc, vt veriſimile eſt, in Iudæa conſiſtentem, Ieroſolymam reduxit. Iechonias conſilio Ieremiæ cum principibus ciuitatis ſe illi dedit.

dedit.quia ergo & Ioacimi mors & Iechoniæ principumque captiuitas eodem bello, interuallo tantum trium menſium acciderunt, captiuitas nunc Ioacimo, nunc Iechoniæ tribuitur.Non diſputo hoc loco vnde ſeptuaginta illi anni,quibus captiuitas duratura erat,numerandi ſint,de ea re cap.9.dicam.

2. *Et tradidit Dominus.*] Significat vt rectè Hieronymus adnotauit,Nabuchodonoſorem non ſuis viribus & induſtria, ſed diuino conſilio regem Ioacimum deuiciſſe,factum eſt enim hoc propter verbum Domini contra Iudam, vt auferret eum corã ſe propter peccata Manaſſe vniuerſa,quæ fecit,4.Reg.24.3. *Et partem vaſorum.*Non enim templum penitus ſpoliauit ſed aliquã tantum pretioſorum,vt credibile eſt,vaſorum partem ſecũ comportauit. Reliquã partem vndecim poſt annos Nabuzardam eius dux vſque ad columnas æreas compilauit, 4.Reg.25.13.& Ierem. 52. 17. tum etiam ea, quæ Sedecias pro aureis à Nabuchodonoſore ablatis,argentea fecerat,vt ſcribit Baruch cap.1.8.*Et aſportauit ea.* ויביאם. & ad captiuos qui cum rege capti, quamuis id non dicatur, intelliguntur, & ad vaſa, & vtrumque referri poteſt.alij ergo ad ſolos captiuos referunt, putantq́; relatiuum eſſe ſine antecedente.Iuuat eorum oponionem,quodſtatim dicat ואת־הכלים. vaſa autem intulit in domum theſauri. videtur enim ו. aduerſatiua eſſe particula,ſignificateque homines quidem in templum adductos, vt eos victor Diis ſuis quaſi triumphum offerret , vaſa autem in theſaurum recondita.Alij,ad ſola vaſa nullam intelligentes eſſe cauſam cur homines captiui in templum ducerentur ; Aben Eſra vtrumque quod videtur magis eſſe probabile.Dicit enim & homini ſpolia primùm in templo oblata fuiſſe , deinde vaſa in theſauris Deorum repoſita.Quare poſtquam dixit ויביאם.induxit ea,addidit ואת־הכלים vaſa autem intulit in domum theſauri.Sennaar autem Babylonis regio eſt , vbi primus Nemrod regnaſſe dicitur , Gen. 10. 10.

3. *Præpoſito eunuchorum.*] Qui præerat pueris regis , quemadmodum nunc in aulis regum præfectus quidam eſt qui regit nobiles pueros,qui in aula educantur;vocat autem eunuchos,non quod eunuchi eſſent,vix enim credi poteſt omnes eunuchos fuiſſe qui in aula regis verſarentur ; quamquam & Aben Eſra in commentariis, & Ioſephus lib. 10. antiq. cap. 11.& vt Hieronymus ait,omnes Hebræi ita ſentiunt;ſed quia ſolebant reges Chaldæorum, Medorum, Perſarum,& Ægyptiorum propter multitudinem fœminarum quas habebant, eunuchorum vti miniſterio,quod nunc Turcarum Imperatorem facere videmus, factum eſt, vt omnes qui regibus miniſtrabant omneſq; principes eunuchi vocarentur. Nam Phutiphar eunuchum Pharaonis vxorem habuiſſe legimus, Gen.39.1.7. Ita Iſaiæ vaticinium,c.39.7.intelligendum, quo Hebræi ſuam ſententiam probare ſolent. *De filiis tuis,qui exibunt de te, quos genueris tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. De filiis Iſraël.* Iſraël hoc loco non ponitur pro decem tribubus ſed generale omnium Hebræorum nomen eſt.Nam Daniel & eius ſocij ex tribu Iuda erant vt dicitur verſu ſexto.*De ſemine regio.* Hinc conſtat Danielem regio fuiſſe genere,& vt tradunt Hebræi ex progenie Dauidis, quod *Parthemim* ex ſuperiore Iſaiæ teſtimonio confirmatur, cap. 39.7. *Et tyrannorum.* R. Dauid παρθῖνος. magnos principes,R.Abraham duces ſignificare dicit,Theodoretus Græcæ linguæ ſimilitudine deceptus eſſe ait.

4. *In quibus nulla eſſet macula.*] Depingit iuuenes & corpore. & animo elegantes,macula enim ad corpus ſpectat,cúmque dicit, in quibus nulla eſſet macula, omne corporis vitium & turpitudinem excludit , omnémque pulchritudinem requirit,vt ſtatim declarat,decoros forma. *Eruditos omni ſapientia.*D[illegible] ani-

Google

mi elegantiam atque virtutes. Hæc autem tria aut per repetitionem pro eodem accipiuntur aut vt ait Aben Eſra,primum ſignificat eruditionem,ſecundum ingenij ad res,antequam penitus explicentur, præcipiendas celeritatem: tertium facultatem res animo perceptas eloquendi. Paulò aliter R.Saadias:ſed res non eſt tanti. Hoc tenendum, regem poſtulaſſe iuuenes non ſolùm genere nobiles, ſed & corpore elegantes, ingenio verò excellentes, & pro ea ætate bene diligenterque litteris inſtitutos. *Qui poſſent ſtare.* Sine dedecore & ignominia, qui digni eſſent regio conſpectu. quo vno verbo omnes,quas paulò antè deſcripſit, proprietates includit.Aut qui animo eſſent nobili & excelſo,non humili ac degenere, vt cum rege ſine ruſtico timore agerent; hoc enim videtur nomen כח ſignificare. Alij referunt ad robur corporis, quod ideo mihi non probant, quod ſenſus minùs congruit, quodque de corpore iam paulo antè dictum erat. *Vt doceret eos litteras & linguam Chaldæorum.* fruſtra mihi videntur nonnulli diſputare, quomodo Daniel vir religioſus vanam & ſuperſtitioſam Chaldæorum ſcientiam didicerit,ſimplex enim & genuinus ſenſus eſt,vt doceret eos ſcribere ac loqui Chaldaïcè, vt cum rege loqui poſſent, rexque ab illis de Hebræorum eruditione, quæ toto terrarum orbe nobiliſſima erat, aliquid Chaldaïce audire poſſit. Hac enim potiſſimum de cauſa rex eos delegit vt ex eo colligitur, quod eos eruditos omni ſapientia,cautos ſcientia doctóſque diſciplina eſſe voluit,& quod tres tantùm annos antequã ad ſe ingrederentur doceri iuſſit.Nam triennium ad percipiendam Chaldæorum doctrinam minimum erat,ad diſcẽdum autem Chaldaïcam linguam Hebraïcæ affinem ſatis. Quare cùm hæc à Propheta cauſa ſignificetur, inani quidam ſtudio alias diuinando veſtigant. Quamquam non nego credibile eſſe Nabuchodonoſorem regni ſui rationem habuiſſe,voluiſſeque Iudæos linguæ communione honoréque deuincire, ne de rebellione cogitarent.

5. *Annonam.*] Diarium vt conueniat cum eo quod dicit. Per ſingulos dies trium annorum tempus ideo ſignatur, vt Chaldæorum lingua loqui diſcerent, cibi autem ex menſa regis tribuuntur,ne eorũ pulchritudo aut macie,aut morbis viliorum ciborum vſu contractis obſcuraretur.

6. *Fuerunt ergo inter eos qui introducti ſunt in aulam regis.*] Ex quo colligitur plures fuiſſe quàm quatuor,& ex fortaſſe diuerſis tribubus electos,ſed hos tantùm quatuor ideo nominari, quod de tribu Iuda regióque genere eſſent, quódque eorum hiſtoria deinceps narranda eſſet. Inſinuat enim ſe ſenſim Daniel in prophetiam per ſuam ſociorúmque ſuorum hiſtoriam. Nonnulli Hebræi exponũt inter eos,id eſt,inter captiuos, quod mihi non placet,non enim de captiuis, ſed de eligendis ex numero captiuorum agebatur.

7. *Et impoſuit*] Chaldaïca nimirum pro Hebraïcis,quod duabus de cauſis factum eſſe credibile eſt, & quod Hebraïca nomina difficilius à Chaldæis pronuntiari poſſent,&vt Hebræi pueri vnà cum nomine Chaldaïcum animum inducerent, nec Hebraïci nominis ſui pronuntiatione patriæ gentiſque ſuæ memoriam refricarent,Daniel autem ideo mihi videtur narrare mutata ipſis fuiſſe,quod minùs ad hiſtoriam neceſſarium videri poterat, quia ſæpe in hoc libro Chaldæorum de quatuor pueris ſermones recitaturus erat qui nõ eos Hebraïcè Danielem,Ananiam,Miſaëlem,Azariam: Sed Chaldaïcè Balthaſar, Sidrach, Miſach,Abdenago vocabant, quibus nominibus nemo quatuor pueros intellexiſſet,niſi Daniel mutata illis nomina monuiſſet. Quid autem ſignificent nihil attinet dicere, poteſt diſcere qui volet ex Hebraïcorum & Chaldaïcorum nominum interpretationibus.

8. Pro-

Digitized by Google

8. *Propoſuit autem.*] Decreuit ſe non polluere cibis regiis.vel quòd Iudæis non liceret communem cum aliis gentibus habere menſam,vt indicat D.Paulus ad Gal.2.12.vel quod ſi non omnes,multi tamen cibi ex iis,qui in regia menſa ponerentur, prohibiti lege eſſent, qualis Suilla & multarum auium & pecudum carnes,quæ in Leuit.cap.11.& in Deuter.cap.14.notantur. Vel quòd multa ſæpe in regis menſam, idolis immolata inferri ſolerent. Prima & poſtrema ratio mihi magis placet,quàm ſecunda, etſi ea ab omnibus affertur,quia vinum non erat Iudæis lege,aut traditione prohibitum,tamen Daniel non ſolùm cibis, ſed etiam vino regis pollutum iri exiſtimauit. Nouus hæreſiarcha Danielem non aliter à ſuperſtitione & puerili lenitate, & vt ipſe loquitur indiſcreto zelo liberari poſſe putat, quàm ſi dicamus, eum non vlla quidem religione, ſed prudenti prouiſione animi feciſſe id, ne regiis dapibus inefcaretur, quibus ſibi laqueos parari præſentiebat. Omnibus enim ſæculis hanc regulam valuiſſe. Omnia munda mundis. Quare Danielem poſtea virum factum, id eſt, prudentiorem, & penè dicat Caluinianum, omnibus ſine diſcrimine cibis vſum fuiſſe. Mirum quàm tranſuerſum hæreſis agat, quod ſemel occupauerit hominis ingenium. Quaſi Daniel minùs religioſus quàm Eleazarus, & ſeptem Machabæi fratres fuerit, qui crudeliſſimum potiùs mortis genus obire, quàm ſuilla veſci maluerunt. Quod ſi ea ſolùm re à cibis regiis abſtinebat ne illecebris caperetur: cur dixit ſe nolle pollui cibis & vino regis. Nam pollui non eſt deliciis contrarium, ſed religioni. At poſtea, inquit, virum factum non legimus iſtiuſmodi ciborum rationem habuiſſe. Sit ſanè, an propterea exiſtimandum eſt eum omni ciborum genere vſum fuiſſe? Ego verò contrà exiſtimo, propterea non quòd vir, ſed puer fecerit, commemoraſſe, quia maioris virtutis erat, puerum in regis aula nouo auctum honore, & ſub Chaldæi pædagogi poteſtate conſtitutum, quam virum non ſolùm iuris ſui,ſed multarum etiam prouinciarum Præfectum ſe à cibis vetitis continuiſſe: voluiſſeque Prophetam, vt omnes prudentes lectores, id eſt. qui Caluini erroribus infatuati non eſſent, ex puero virum, & vt dici ſolet, ex vngue leonem cognoſcerent. Illud lectorem monere poteſt. Cur ſibi hoc Daniel attribuat, quaſi alij non idem fecerint, quod videtur ſpeciem quandam arrogantiæ præ ſe ferre. Eſt veroſimile Danielem & nobilitate generis, & ætate, & prudentia, & pietate, & auctoritate cæteris ſine vlla controuerſia præſtitiſſe; ideóque ſe cùm de ſe ſuiſque ſociis mentionem facit,primo ſemper loco nominare. Igitur omnes quidem idem vitæ inſtitutum renuiſſe, ſed Danielem eius ſanctiſſimi conſilij auctorem fuiſſe,ideóque non arroganter, ſed verè ſimpliciterque narrauiſſe,quemadmodum ſe res habebat.

9. *Dedit autem Deus gratiam.*] Gratioſum illum apud principem eunuchorum fecit. frequens Hebraiſmus. Hoc autem ideo dicit, vt reddat tacitè cauſam,cur princeps eunuchorum indignatus nō fuerit aduerſus Danielem, quod regios cibos contemneret, ac pollutos duceret. Attribuit autem hoc diuino beneficio, quia nec principis comitate, nec Danielis induſtria factum eſt; ſimul etiam vt oſtendat Danielem iam inde ab initio, ſingulari à Deo prouidentia gubernatum. Simile quidpiam de puero Ioſepho in ſimili conditione legimus.Gen. 39. 4.

10. *Condemnabitis.*] Eritis in cauſa,vt me rex quaſi læſæ maieſtatis reum capitis damnet, exiſtimans me, vt mihi cibos reſeruarem, vobis ſubtraxiſſe. In eo ſuam ergaDanielem humanitatem oſtendit,quòd non aſperè petitionem repel-

XXx 2 lat

lar:ſed ſignificet ſe id eius cauſa libenter facturum fuiſſe, niſi regis præcepto, eiuſque offendendi metu prohiberetur.

11. *Ad Malaſſar.*] Qui ſub principe eunuchorum horum quattuor puerorum curam habebat. Is clam facit quod princeps eunuchorum non niſi publico mandaro facere poterat, ideóque mutato Daniel conſilio ad eum adit, quem ſe ſuoſque ſocios alendi curam habere vidit.

12. *Dentur nobis legumina*] Duas ob cauſas legumina & aqua... petũt, & propter religionem ieiunij quo à carnibus & vino abſtinebant, leguminibúſque & oleo vtebantur, vt ex eodem libro, cap. 10.3. & ex Pſalm. 108.24. & ne Malaſſar impenſas excuſare poſſet. Daniel fidem ſuam oſtendit: non enim ignórabat natura fieri non poſſe, vt leguminibus & aqua tam pingues quam cibis & vino regis eſſent; ſed confidebat Deum meliùs quàm regem aliturum eſſe, ſciebatque non in ſolo pane hominem viuere, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini, Deuter. 8. 3.

17. *Pueris autem his.*] ארבעתם. quattuor ipſis. Hebraïſmus ſic Latinè reſolui poteſt. Cùm omnibus illis quatruor ſcientiam ac diſciplinam Deus dedit, tum Danieli ſingulare ſomniorum atque viſorum interpretandorum donum, id eſt propheticum ſpiritum, incipit exponere, quibus ſibi rebus auctoritas accreuerit. Cùm dicit, Dedit ſcientiam & diſciplinam in omni libro, ſignificat eos ita linguam Chaldaïcam didiciſſe, vt omne genus characteris legere, & intelligere, atque ſcribere poſſent, vt R. Saadias interpretatur. Itaque Symmachus, vt auctor eſt Hieronymus, vertit. Dedit illis Deus artem grammaticam: & Theodotion, cuius verſionem habemus, reddit, ϗ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς σύνεσιν ϗ φρόνησιν ἐν πάσῃ γραμματικῇ ϗ σοφίᾳ. *Et dedit illis Deus intelligentiam ac prudentiam in omni re grammatica, & in omni ſapientia.* Alij liberales artes intelligunt, quibus minimè repugno; ſed illud iterum dico, quod ver. 4. monui regem eos linguam maximè Caldaïcam doceri voluiſſe.

18. *Completis itaque diebus.*] Tribus annis, quos illis rex ad diſcendam linguam præſcripſerat, ver. 5.

19. *Cúmque eis locutus fuiſſet rex.*] Nempe propoſitis interrogationibus acumen & eruditionem eorum tentans, nemo illis inuentus eſt æqualis: itaque ſteterunt in conſpectu regis id eſt, cooptati ſunt ad ſecretius regis miniſterium & magis familiare cuiuſmodi ſunt, quos vulgò principum cubicularios appellat. Hebraïſmus eſt qualis ſup. v. 5.

20. *Et omne verbum ſapientiæ.*] Oratio duta & olens Hebraïſmum. Latine ſic, quamcumque illis quæſtionem difficilem & arduam rex propoſuiſſet, in qua & ſcientia & acumine ingenij opus eſſet, decẽ partibus illos doctiores acutioréſque quàm cæteros reperiebat. *Super omnes ariolos & magos.* על־כל החרטמים ום. האשפים. Aben Eſra, חרטומים. genethliacos. אשפ. verò ſomniorum expulſu conicctorem ſignificare dicit, cap. ſequenti ver. 2.

21. *Fuit autem Daniel vſque ad annum primum.*] cap. 10. verſu 1. legimus eum anno 3. Cyri vaticinatum. Ex quo perſpicium eſt non eſſe ſenſum, eum tantùm vſque ad primum Cyri annum vixiſſe, neque vt nouus hæreſiarcha interpretatur, Prophetæ officio functum fuiſſe. Nam & anno 3. Cyri Prophetæ officio fungebatur: ſed quemadmodum in Comment. in cap. 10. Aben Eſra hoc loco ſcribit, ſenſus eſt, fuiſſe eum Babyloni vſque ad annum primi Cyri regis, in magna apud omnes reges gloria & auctoritate, quod regnum Chaldæorum in Perſiam per Cyrum tranſlatum eſt. quaſi dicat, Danielem quandiu Babylonicum

lonicum ſtetit regnum, Babyloni floruiſſe: hoc quidem aptè, ego verò alium hîc ſenſum latere arbitror, quem videtur obſcurè Theodoretus indicare. Prædixerat Iſaias cap. 44.28. & c. 45.1. Iudæos per Cyrum in libertatem aſſerendos. Significat ergo Daniel ſe tempus illud ab Iſaia prædictum vidiſſe, non quòd non plus vixerit, ſed quòd eò vſque vixerit, vt toto captiuitatis tempore Iudæos, & auctoritate iuuaret, & vaticiniis conſolaretur. Quidam Hebræus, quod hoc loco dicitur, de Cyro maiore, quod autem cap. 10. de minore intelligendum putat, ſed non probat.

CAPVT II.

IN anno ſecundo regni Nabuchodonoſor, vidit Nabuchodonoſor ſomnium,
& conterritus eſt ſpiritus eius, & ſomnium eius fugit ab eo. 2 *Præcepit*
autem rex, vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi:
vt indicarent regi ſomnia ſua: qui cùm veniſſent, ſteterunt coram rege. 3 *Et dixit*
ad eos rex, Vidi ſomnium: & mente confuſus ignoro quid viderim. 4 *Reſponderúntque Chaldæi regi Syriacè: Rex in ſempiternum viue: dic ſomnium ſeruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.* 5 *Et reſpondens rex ait Chaldæis, Sermo receſſit à*
me: niſi indicaueritis mihi ſomnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus veſtræ
publicabuntur. 6 *Si autem ſomnium, & coniecturam eius narraueritis: præmia, &*
dona, & honorem multum accipietis à me: ſomnium igitur & interpretationem eius indicate mihi. 7 *Reſponderunt ſecundò, atque dixerunt, Rex ſomnium dicat ſeruis ſuis:*
& interpretationem illius indicabimus. 8 *Reſpondit rex & ait, Certè noui quòd*
tempus redimitis, ſcientes quòd receſſerit à me ſermo. 9 *Si ergo ſomnium non indicaueritis mihi, vna eſt de vobis ſententia, quòd interpretationem quoque fallacem & deceptione plenam compoſueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranſeat. Somnium itaque dicite mihi, vt ſciam quòd interpretationem quoque eius veram loquamini.* 10 *Reſpondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt, Non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem*
tuum, rex, poſſit implere: ſed neque regum quiſquam magnus & potens, verbum huiuſmodi ſciſcitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo. 11 *Sermo enim quem tu*
quæris, rex, grauis eſt: nec reperietur quiſquam qui indicet illum in conſpectu regis:
exceptis Dijs, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio. 12 *Quo audito, rex in*
furore & in ira magna præcepit vt perirent omnes ſapientes Babylonis. 13 *Et egreſſa*
ſententia, ſapientes interficiebantur: quærebantúrque Daniel, & ſocij eius, vt perirent.
14 *Tunc Daniel requiſiuit de lege atque ſententia ab Arioch principe militiæ regis, qui*
egreſſus fuerat ad interficiendos ſapientes Babylonis. 15 *Et interrogauit eum qui à*
rege poteſtatem acceperat, quam ob cauſam tam crudelis ſententia à facie regis eſſet ingreſſa. Cùm ergo rem indicaſſet Arioch Danieli, 16 *Daniel ingreſſus rogauit regem vt*
tempus daret ſibi ad ſolutionem indicandam regi. 17 *Et ingreſſus eſt domum ſuam:*
Ananiæque, & Miſaëli, & Azariæ ſociis ſuis, indicauit negotium, 18 *vt quærerent*
miſericordiam à facie Dei cæli ſuper ſacramento iſto, & non perirent Daniel & ſocij eius
cum cæteris ſapientibus Babylonis. 19 *Tunc Danieli myſterium per viſionem noctè reuelatum eſt: & benedixit Daniel Deum cæli.* 20 *& loquutus ait, Sit nomen Domini benedictum à ſæculo & vſque in ſæculum: quia ſapientia & fortitudo eius ſunt.* 21 *Et ipſe*
mutat tempora & ætates: transfert regna atque conſtituit: dat ſapientiam ſapientibus, &
ſcientiam intelligentibus diſciplinam. 22 *Ipſe reuelat profunda & abſcondita, & nouit in*
tenebris conſtituta: & lux cum eo eſt. 23 *Tibi Deus patrum meorũ confiteor, téq; laudo: quia*

ſapientiam & fortitudinem dediſti mihi: & nunc oſtendiſti mihi quæ rogauimus te, quia
ſermonem regis aperuiſti nobis. 24 *Poſt hæc Daniel ingreſſus ad Arioch quem conſtitue-*
rat rex, vt perderet ſapientes Babylonis, ſic ei loquutus eſt: Sapientes Babylonis ne perdas:
introduc me in conſpectum regis, & ſolutionem regi narrabo. 25 *Tunc Arioch feſtinus*
introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inueni hominem de filiis tranſmigrationis Iu-
dæ, qui ſolutionem regi annuntiet. 26 *Reſpondit rex, & dixit Danieli, cuius nomen erat*
Baltaſar, Putaſne verè potes mihi indicare ſomnium quod vidi, & interpretationem eius?
28 *Et reſpondens Daniel coram rege, ait: Myſterium quod Rex interrogat, ſapientes,*
magi, & arioli, & aruſpices nequeunt indicare regi. 28 *Sed eſt Deus in cælo reuelans*
myſteria qui indicauit tibi rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in nouiſſimis tem-
poribus. Somnium tuum & viſiones capitis tui in cubili tuo huiuſcemodi ſunt: 29 *Tu rex*
cogitare cœpiſti in ſtratu tuo quid eſſet futurum poſt hæc: & qui reuelat myſteria, oſtendit
tibi quæ ventura ſunt. 30 *Mihi quoque non in ſapientia quæ eſt in me plus quàm in cun-*
ctis viuentibus, ſacramentum hoc reuelatum eſt: ſed vt interpretatio regi manifeſta fieret,
& cogitationes mentis tuæ ſcires. 31 *Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis:*
ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.
32 *Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò*
venter & femora ex ære: 33 *tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, pars*
autem fictilis. 34 *Videbas ita, donec abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus: & per-*
cuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. 35 *Tunc contrita*
ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ
areæ, quæ rapta ſunt vento: nulliſque locus inuentus eſt eis: lapis autem qui percuſſerat
ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. 36 *Hoc eſt ſomnium.*
Interpretationem quoque eius dicemus coram te rex. 37 *Tu rex regum es: & Deus*
cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi: 38 *& omnia in qui-*
bus habitant filij hominum & beſtiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & ſub
ditione tua vniuerſa conſtituit, tu es ergo caput aureum. 39 *Et poſt te conſurget regnum*
aliud minus te: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuerſæ terræ. 40 *Et*
regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit & domat omnia: ſic com-
minuet & conteret omnia hæc. 41 *Porrò quia vidiſti pedum & digitorum partem teſteam*
figuli, & partem ferream: regnum diuiſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, ſe-
cundum quod vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto. 42 *Et digitos pedum ex parte ferreos*
& ex parte fictiles: ex parte regnum erit ſolidum & ex parte contritum. 43 *Quod autem*
vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhæ-
rebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ. 44 *In diebus autem regnorum illorum*
ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnũ eius alteri populo
non tradetur, comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æter-
num. 45 *Secundùm quod vidiſti, quòd de monte abſciſus eſt lapis ſine manibus, &*
comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus oſtendit
regi quæ ventura ſunt poſtea. Et verum eſt ſomnium, & fidelis interpretatio eius.
46 *Tunc rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit, & ho-*
ſtias & incenſum præcepit, vt ſacrificarent ei. 47 *Loquens ergo rex ait Danieli, Verè*
Deus veſter Deus Deorum eſt, & dominus regum, & reuelans myſteria: quoniam tu po-
tuiſti aperire hoc ſacramentum. 48 *Tunc rex Danielem in ſublime extulit, & mune-*
ra multa & magna dedit ei, & conſtituit eum principem ſuper omnes prouincias Babylo-
nis: & præfectum magiſtratuum ſuper cunctos ſapientes Babylonis. 49 *Daniel autem*
poſtulauit à rege: & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, & Abde-
nago: ipſe autem Daniel erat in foribus regis.

SOMNIVM

Digitized by Google

SOMNIVM Nabuchodonoſoris ſolus Daniel interpretari potuit, quare ſummam ſibi apud regem, & apud omnes Chaldæos auctoritatem comparauit.

1. *In anno ſecundo.*] Duo ſunt quæ cum hoc loco videntur prima fronte pugnare. Alterum quòd Nabuchodonoſor ſeptimo regni ſui anno Danielem & eius ſocios captiuos duxerit, quemadmodum ſuperiore cap. ver. 5. demonſtrauimus. Alterum quod Daniel & eius ſocij iuſſu regis tres annos linguæ Chaldaïcæ operam dederint, priuſquam in regis conſpectum adducerentur, vt cap. præcedenti ver. 5. & 18. Hic etiam nouus hæreſiarcha delirat, & ex vno Nabuchodonoſore duos facit. Nobis ex Ierem. ca. 52. ver. 28. 29. 30. certum eſt vnum eundemque fuiſſe, qui anno regni ſui ſeptimo, ter mille viginti tres; anno decimo octauo octingentos triginta duos; anno vigeſimo tertio, ſeptingentos quadraginta quinque Iudæos Babylonem captiuos duxit, neque plures captiuitates fuiſſe legimus. Nonnulli Hebræi, vt R. Abraham refert de R. Moſe, exponunt anno ſecundo, ex quo in Iudæa ſublato Sedecia, nulloque alio conſtituto, ipſe per ſe regnare cœpit, quod factum eſt, vt ait Ierem. decimo octauo anno regni eius. Nam anno ſeptimo interfecto Ioacimo primos captiuos duxit. Sedecias autem regnauit vndecim annos, 4. Reg. 24. 18. & Ierem. 39. 2. & 52. 1. 5. ſeptem & vndecim, ſunt decem & octo: itaque hic ſecundus annus iſtorum auctorum ſententia fuit vigeſimus regni Nabuchodonoſoris. Alij, vt R. Saadias, intelligũt annum ſecundum, ex quo interempto Ioacimo Iudaïci regni potitus eſt, vt hic ſecundus annus ſit nonus regni eius. Si obiicias nondum Danielem & eius ſocios in conſpectum regis veniſſe, reſpondet Nabuchodonoſorem vno anno antequam Daniel & ſocij ad eum introducerentur, ſomnium habuiſſe, ideoque Chaldæos, non Danielem conſuluiſſe, quia ſcientia Danielis nondum illi fuerat explorata. Vtraque interpretatio probabilis, prior verò paulò probabilior, quia minùs violenta. Vera autem & expedita eſt illa, quam Hieronymus & auctores Latini adhibent, inter Hebræos verò Aben Eſra. Notari hîc annum ſecundum non regni Nabuchodonoſoris in Chaldæa, ſed monarchiæ, quam Iudæis, Ægyptiis, Aſſyriis, Moabitis ſuperatis obtinuit. Id ex Ioſepho Hieronymus confirmat, is enim lib. 10. Antiq. c. 11. ſcribit Nabuchodonoſorem duobus annis poſt Ægypti deuaſtationem hoc ſomnium habuiſſe. Sententia eò probabilior, quòd & Daniel de monarchiis, earúmq; aliarum in alias cõmutatione agere incipiat; & ſomnium ipſum monarchiarũ portenderet viciſſitudinem, & eſt exſtimandũ Danielem accommodatè ad ſomnium, & ad id de quo agebatur locutum fuiſſe. *Et ſomnium eius fugit ab eo.* Non eſt vltrà recordatus quid ſomniaſſet, tantùm ſciebat ſe aliquid triſte ſomniauiſſe, quod animum ſuum valde perturbaſſet, vt declarat ver. 3. & 8. ושנתו נהיתה עליו. & ſomnus eius factus eſt illi, aut ſuper eum, ad verbum, quod Hebræi exponunt. Interruptus illi eſt ſomnus, ita vt dormire præ animi anxietate non poſſet. Ineptè iuniores quidam hæretici, & ſomnus factus eſt ſuper eum, id eſt, cum animo turbatus eſſet iterum obdormiuit. Quaſi perturbatio & ſolicitudo animi dormire faciat, & non potiùs vigilare.

2. *Arioli & magi.*] לחרטמים ולאשפים. genethliacos, & ſomniorum coniectores, vt ait R. Abraham. vide cap. præced. ver. 20. *Et malefici.* ולמכשפים. & præſtigiatores qui incantationibus res naturales in varias figuras mutant, ad hominum aſpectum, vt Abraham exponit. Sic enim vocati ſunt, qui iuſſu Pharaonis virgas imitatione Moſis in colubros mutauerunt, Exod. 7. 11. *Et Chaldæi.* rerum futurarum diuinatores, vt Hebræi interpretantur, quia enim Chaldæi illi

parti

parti aſtrologiæ, quæ in diuinatione verſatur, omnium gentium deditiſſimi erant, factum eſt vt omnes rerum futurarum diuinatores Chaldæi vocarentur, vnde titulus de Chaldæis & Mathematicis inſcriptus eſt, quanquam hoc loco non ſpeciale, ſed generale nomen eſt, quod omne diuinatorum & coniectorum genus comprehendit, vt ex ver. 4. manifeſtum eſt, vbi omnes qui vocati fuerant ad regem, Chaldæi nominantur. *Somnia ſua.* pluraliter loquitur, cùm vnum tantùm fuerit ſomnium, ſicut & ver. præcedenti, quia multa in eo fuerunt, caput aureum, pectus & brachia argentea, venter æneus, tibiæ ferreæ, vt obſeruant Hebræorum interpretes, quemadmodum Ezechiel cap. 1. ver. 1. & cap. 40. 2. vnam viſionem, viſiones pluraliter appellauit, quia vna viſione multa viderat, vt ex R. Dauid illic adnotauimus.

3. *Et mente confuſus ignoro quid viderim.*] ותפעם רוחי לדעת את־החלום. & perturbatus eſt animus meus ad ſciendum ſomnium, id eſt, ita vt non poſſim ſomnij recordari; vel ſolicitus eſt animus meus vt ſciam ſomnium. Vtrumque enim ſenſum Hebraïca verba habere poſſunt. Sed prior magis congruit, quia ver. ſequenti reſpondent Chaldæi: *Dic ſomnium ſeruis tuis*, quaſi iam rex negauiſſet ſe ſomnij recordari: nam propterea ſtatim comminationem addidit, v. 5. *Niſi indicaueritis ſomnium & coniecturam eius, peribitis vos, & domus veſtra publicabuntur.* Exiſtimarunt nonnulli Hebræi Nabuchodonoſorem non fuiſſe reuera oblitum ſomnij, ſed obliuionem ſimulaſſe, vt ea ratione intelligeret, an Chaldæorum interpretatio vera eſſet, ſi enim diuinare potuiſſent quid ſomniaſſet, facilè illi ſuam interpretationem probauiſſent, ſin minùs fictioni commentiſq; locus eſſet, vt ver. 9. declarat. Quod ideo R. Abraham refellit, quia ver. 30. dicit Daniel, *vt interpretatio regi manifeſta fieret, & cogitationes cordis tui ſcires.* indicans eum neſcire quid ſomniando cogitaſſet. Eſt etiam veroſimilius eundem Deum qui illi ſomnium iniecerat, illius ſtatim memoriam deleuiſſe, tamen vmbram aliquam, vt ait Hieronymus, in eius animo reliquiſſe, qua recordaretur ſe aliquid monſtri portentique ſomniauiſſe, ſolicitúſque & anxius ad quærendam interpretationem redderetur, & cùm ipſi ab aliis ſomnium ſuum narraretur, recognoſceret, vt ea ratione ſignificaretur ſomnium non fuiſſe vulgare, ſed diuinitus immiſſum, & vt deficiente Chaldæorum ſapientia, diuinus in Daniele ſpiritus appareret. Quærunt nonnulli, cur Daniel, cùm iam eius ſupra omnes Chaldæos ſapientia regi perſpecta eſſet, vt ca. ſup. ver. 20. dictum eſt, non fuerit à rege vocatus ad hoc conſilium. Reſpondeo regem præclaram Danielis indolem, & maiorem quàm in ipſius æqualibus eruditionem cognitam habuiſſe, ſcientiam autem res futuras prædicendi, quam Hebræi non ſolùm non profitebantur, ſed etiam damnabant, non exiſtimaſſe in Daniele homine ſuarum legum obſeruātiſſimo eſſe poſſe: non enim ignorabat Moſaïca lege prohibitum, ne inter Iudæos magi, & arioli, & iſtiuſmodi hominum genus vllum eſſet, Leuit. 19. 31. & Deut. 18. 10. 11.

3. *Syriacè.*] Chaldaïcè, quæ ipſorum lingua erat, eadémque Syriaca. Daniel autem propterea monuit Syriacè eos locutos fuiſſe, ne quis miraretur ſi eorum ipſe verba recitaret Syriacè, quod facit vſque ad initium cap. 8. *Rex in æternum viue.* forma bene precandi, vt infrà capite 3. verſu 9. & cap. 5. verſu 10. & cap. 6. ver. 6.

5. *Sermo receſſit à me.*] res quam ſomniaui, id eſt, oblitus ſum quid ſomniauerim. Chaldaïſmus Hebraïſmo ſimilis, quo verbum pro omni re ponitur. *Peribitis vos.* הדמין תתעבדון. in fruſta concidemini, vt Saadias exponit. *Et domus*

mus veſtræ publicabuntur. ובתיכון נולי יתשמון. & domus veſtræ in ſterquilinium redigentur, vt interpretatur Elias: ita in lib. Iſaiæ cap. 6. 11. Minatur illis mortem non omnino temerè, ſed tanquam ſeductoribus re ipſa conuictis, ſi ſomnium non narrauerint, quòd in aliis rebus fictis ad ſuum arbitrium interpretationibus fallere ſoleant. Proptereà non eos ſolùm, qui conſulti fuiſſent, ſed omnes omnino magos ſe deleturum pollicetur tanquam fallax & perniciosum hominum genus, ſicut lege Moſis cautum erat, Exod. cap. 22. ver. 18. *Maleficos non patieris viuere.*

8. *Tempus redimitis.*] Extrahitis ac producitis verbis tempus vitæ veſtræ, cùm ſciatis non poſſe me ſomnium quod oblitus ſim dicere. Aliud eſt apud D. Paulum tempus redimere, ad Epheſios cap. 5. verſ. 16. & ad Coloſſenſ. cap. 4. verſ. 5.

9. *Vna eſt de vobis ſententia.*] Confirmabitis illam eandem opinionem quam de vobis concepi, quòd fallacem commenti ſitis interpretationem: Alij, vna eſt de vobis ſententia, id eſt, ſtat eadem firma de vobis perdendis ſententia quam antè pronuntiaui; vterque ſenſus congruit.

10. *Non eſt homo ſuper terram.*] Coguntur, vt ait Hieronymus, Chaldæi confiteri non eſſe humanæ ſcientiæ, quid alius ſomniauerit, diuinare. Atque hoc erat, quod ab illis extorquere Deus volebat, vt declararet Danielem non humano, ſed diuino ſpiritu id facere. Cùm autem dicunt Chaldæi non eſſe humanarum virium, quid quiſque ſomniauerit, diuinare, indicant homines narrato ſomnio eius interpretationem conſequi poſſe, quod ſe facturos eſſe profitebantur. Id quamuis illi malè intelligerent, arrogantérq; iactarent; aliqua tamen ex parte verum eſt. Quattuor enim ſomniorum genera, vt in ſcholis diſcimus, Theologi eſſe docent, alia naturalia, alia moralia, alia θεόπεμπτα, id eſt, à Deo iniecta, alia δαιμονικά, id eſt, à malis dæmonibus immiſſa. Naturalia igitur, quæ ex natura & conſtitutione corporis, & moralia, quæ ex hominum moribus naſcuntur, poſſunt homines coniecturis aſſequi, dæmoniaca Deus, & dæmones boni malique declarare poſſunt. Diuina cuiuſmodi hoc Nabuchodonoſoris, & illud olim Pharaonis fuit, Geneſ. 41. 1. ſolus Deus, vt Daniel dicit ver. 27. & 28.

13. *Sapientes interficiebantur.*] Hinc colligitur aliquos interfectos fuiſſe, Daniel autem & eius ſocij quærebantur ad necem, cùm à rege in conſilium vocati non fuiſſent, quia rex eos non exiſtimabat diuinationi deditos eſſe, vt ver. 3. docuimus. Sed vulgus eos propter opinionem excellentis doctrinæ cũ ſuperſtitioſis Chaldæorum diuinatoribus numerabat, qui ſoli ſapientes habebantur. Ideóque qui regis de interficiendis ſapientibus mandatum acceperant, in eadem eos cauſa cum cæteris inuoluebant.

15. *Tam crudelis ſententia à facie regis eſſet egreſſa.*] על מה דתא מהחצפה. Hebræi interpretantur, quare edictum à rege feſtinauerit, id eſt, cur rex cum temere ac feſtinanter, non conſultis omnibus, omnes iuſſerit interimi. Liberè Daniel regis temeritatem reprehendit.

18. *Vt quærerent miſericordiam.*] vt omnes precibus à Deo poſtularent, vti pro ſua miſericordia myſterium hoc ipſis patefaceret, ne & ipſi innocentes, ciúſque ſerui cum Chaldæis interficerentur. Miſericordiam vocat ſomnij patefactionem, & quia non pro ſuis meritis, ſed pro Dei liberalitate ſibi dari petebant, & quia ex eo Dei beneficio ipſorum vita pendebat. quaſi dicat, vt patefacto myſterio ipſorum in vitæ diſcrimine verſantium miſereretur.

19 *Tunc Danieli.*] Omnes poſtulauerant,non vt Danieli,aut cuiquam priuatim ipſorum ſomnium patefieret, ſed tantùm vt patefieret, nunc dicit non omnibus,nec cuiquam alij, ſed ſoli Danieli patefactum fuiſſe. Quod eò ſpectat, vt Danielis auctoritas commendetur; & quibus exordiis ad prophetiæ munus euectus fuerit, intelligamus. Patefactum autem eſt per viſionem noctè, id eſt, per ſomnium, vt noſter Hieronymus interpretatur. Quemadmodum Deus dixerat Numer. cap. 12. ver. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei,vel per ſomnium loquar ad illum.* & Iob.cap.15. ver.16. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo,tunc aperit aures virorum & erudiens eos inſtruit diſciplina.* Quo autem modo Daniel ſomnium regis ſomnio altero cognouerit, incertum eſt, & fortaſſe curioſum quærere. Sunt qui putant Danielem idem ſomniaſſe quod rex antè ſomniauerat. Magis eſt veriſimile ſomniaſſe Danielem regem vidiſſe ſtatuam qualem poſtea vidiſſe dicit ſimúlque quid ſingulæ eius ſomnij partes ſignificarent. Quod nobis etiam accidere ſolet aliquando.

20. *Quia ſapientia & fortitudo eius ſunt.*] Cur Deum collaudans dicat eius eſſe ſapientiam,in promptu cauſa eſt,agebatur nimirum de ea re,quam non poterat humana Chaldæorum conſequi ſapientia: cur autem cum ſapientia fortitudinem iungat,quæ nihil ad rem pertinere videbatur,ego eam hanc eſſe ſuſpicor,quòd regis ſomnio ſumma Dei potentia, in transferendis regnis ſignificaretur,vt Daniel indicat,ver.ſequenti,& 44.& in alio regis ſomnio cap.4.14.29. Laudat ergo Daniel Deum & propter ſomnium ſibi patefactum quod ad Dei ſapientiam,& propter ſomnij ſignificationem, quæ ad potentiam & fortitudinem ſpectabat, vtrumque ſequenti verſu declaratur.

21. *Mutat tempora & ætates.*] Res cum temporibus hominum atque ætatibus. καιρὸς πάντα τρέπει, vt Græcus quidam poëta dicit. *Dat ſapientiam*, id eſt, nemo eſt ſapiens, aut intelligens niſi eius conceſſu ac munere quemadmodum Iacobus docet,cap. 1. 5. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo qui dat omnibus affluenter & non improperat.* & Iob.cap.32.8. *Spiritus eſt in hominibus,& inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam.*

22. *Et lux cum eo eſt.*] Clarè perſpicuéq; omnia videt, nec illum vllæ tenebræ impedire poſſunt,& vt Dauid dicit, *tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur,ſicut tenebræ eius ita & lumen eius.* Pſal.138.12.

23. *Sapientiam ac fortitudinem dediſti mihi.*] Quomodo ſapientiam Deus Danieli dederit ſatis apparet, cur autem fortitudinem ſibi datam dicat, non apparet: nonnulli audaciam intelligunt qua ad regem adiret. Sed iam antè ad regem ingreſſus fuerat cúmq; eo locutus liberè,& videtur Daniel maius quiddam ſignificare velle,quódq; ſibi vnà cum ſomnij explicatione donatum ſit. Itaq; ſic interpretór. Sapientiam & fortitudinem dediſti mihi,id eſt,ſapientiam & potentiam tuam per explicationem ſomnij Nabuchodonoſoris mihi declaraſti: ſicut dixerat ver.20..quia ſapientia & fortitudo eius ſunt.

25. *Inueni hominem.*] Multa hîc paucis verbis obſcurè ſignificantur: primum Danielem cùm poſſet ſine auctoritate Arioch ad regem ingredi quemadmodum ver. 16. feciſſe legimus, tamen voluiſſe per Arioch introduci, cui cura occidendorum ſapientum mandata erat, vt interim à cæde deſiſteret. Alterum eſt Arioch neſcium fuiſſe Danielem prius tempus à rege de ſomnij ſignificatione cogitandi poſtulaſſe loquitur enim Arioch regi de Daniele tanquam de homine aliquo illi incognito, ſuæq; diligentiæ eius inuentionem attribuit,

cùm

cùm dicit; Inueni hominem de filiis transmigrationis Iudæ, qui ſolutionem regi annunciet.

28. *Sed eſt Deus in cælis.*] Superiore verſu regis animum à magorum, aruſpicumque & ſimilium hominum ſuperſtitione auertit notata breuiter eorum ignorantia ac vanitate nunc ad vnius veri Dei cognitionem conuertit, illi, non ſibi ſomnij explanationem acceptam referens. Cum autem dicit: *Qui indicauit tibi*, ſignificat ſomnium illi non caſu aut natura, ſed diuino conſilio accidiſſe, vt illi Deus per Danielem futuram regnorum commutationem præmonſtraret. Nouiſſima ergo tempora vocat, quæ vſque ad finem mundi conſecutura erant, nempe perpetuum regnum Chriſti, quemadmodum verſu 44. declarat.

29. *Tu rex cogitare cœpiſti.*] Duplex horum verborum ſenſus eſſe poteſt, vel regem antequam dormiret ſolicitum fuiſſe, cœpiſſe apud ſe animo voluere, quem exitum Chaldæorum regnum habiturum eſſet, Deumque illi varias regnorum conuerſiones per ſomnium demonſtraſſe. Vel regem cogitare cœpiſſe, id eſt, ſomniare. Nam & ver. ſequenti ſomnia vocat cogitationes.

30. *Mihi quoque non in ſapientia.*] Non propter ſapientiam qua cæteris mortalib. antecellam. Notus eſt Hebraïſmus à Chaldæis vſurpatus. Hoc autem Daniel non ſolùm modeſtiæ ſed etiam religionis cauſa dicit. Vult enim quacunque ratione poſſit, vt paulò antè monuimus, regis animum ad vnius veri Dei cognitionem tollere. Itaque negat ſibi hoc myſterium aut humana ſapientia, aut alia ratione quàm afflatu diuino, patefieri potuiſſe. Simile eſt illud Pauli ad Galat. 1. 11. *Notum vobis facio fratres euangelium quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Vult etiam Daniel hac ratione, vt Nabuchodonoſor maiore fide ſuam interpretationem, non tanquam humanam ſed tanquam diuinam exciipiat.

31. *Tu rex videbas.*] Somniabas, videre tibi videbatis, omnia vſque ad verſum 37. perſpicua ſunt, tantum aliqua verba obſeruabimus. *Et ecce quaſi ſtatua.* ואלו צלם & ecce ſtatua grandis. *Et ſtatura ſublimis.* יתיר חיזה. Hebræi interpretantur. Et ſplendor eius nimius, propter aurum, argentum, æs, & ferrum ex quibus conflata erat. *Contra te.* Ante oculos tuos eſſe videbatur.

33. *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.*] Clarius ſic, pedes autem partim ferrei fictiles, aut teſtacei. Non enim ſignificat vnum pedem fuiſſe ferreum, alterum fictilem, aut vnam partem ferream non fictilem, alteram fictilem non ferream: ſed pedes fuiſſe conflatos ex ferro non puro vt tibias, ſed mixto cum terra, vt explicatur ver. 43.

35. *Quaſi in fauillam æſtiuæ areæ.*] והוו כעור מן אדרי קיט. fuerunt quaſi palea æſtiuarum arearum quas ventus rapit. Ita vt nullus eis locus inueniatur. quaſi dicat, vno verbo, euanuerunt.

38. *Tu es ergo caput aureum.*] Incipit ſingularum ſtatuæ partium ſignificationem declarare, dicitque caput aureum ſtatuæ; ipſum Nabuchodonoſorem, id eſt, regnum eius ſignificare. Quo loco tres ſtatim quæſtiones occurrunt. Prima eſt, cur cùm de quattuor agatur regnis, vna tantum ac non potiùs quatuor regi ſtatuæ viſæ fuerint. Reſpondeo cauſam, vt opinor fuiſſe, vt illa ratione ſignificaretur, quatuor illa regna non eodem tempore diuerſiſque in locis, quaſi quatuor ſtatuas futura fuiſſe, ſed eodem loco diuerſis temporibus alia ex aliis naſcitura, aliaque ex aliis ſucceſſura quemadmodum in ſtatua. *Per caput aureum ſtatua quid intelligat.*

 Alia quo-

Acia quoque ratio afferri poteſt, quod Deus non de quibuſuis regnis Nabuchodonoſorem docere vellet, quæ multò plura quàm quatuor & tunc fuiſſe credendum eſt,& certè poſtea extitiſſe conſtat,ſed de illis tantùm, quæ propter ſummam amplitudinem monarchiæ eſſe viderentur. Accidit enim hoc ſomnium Nabuchodonoſori tum cùm Iudæis, Ægyptiis, Aſſyriis, Moabitis,vt ait Hieronym. ſuperatis,ſolus ſibi quaſi monarcha regnare videbatur. Itaque Deus vt eius ſuperbiam deiiceret, ſomnium illi accommodatum ad eius cogitationes iniecit Nam puerilem errorem Caluini,qui hoc illi ſomnium initio regni eius contigiſſe putat, perſpicuis Ierem. teſtimoniis ſuprà refutauimus. Et quod nouus quidam eiuſdem ſectæ aduocatus nuper ſcripſit errare eos, qui hunc Danielis locum de quatuor monarchiis interpretarentur, vereor ne malus patronus dum cauſam in alieno foro agit, ignominioſè perdiderit. Non ſolum quia omnium interpretum & recentiorum & veterum ſuffragiis, quaſi omnium iudicum ſententiis condemnatur: Sed quia ipſe Daniel & re & nomine diuinum iudicium præ ſe ferens, teſtatur ſe agere de monarchis. quid enim eſt aliud, quod verſu 37. dicit: Tu es rex regum, & Deus cœli, regnum & fortitudinem & imperium, & gloriam dedit tibi? Et rurſus. Omnia in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri, & volucres quoque cœli dedit in manu tua, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit. An hæc non eſt deſcriptio monarchiæ. At non eſt Nabuchodonoſor, neque quiſquam alius in vniuerſo terrarum orbe dominatus. Intendat Danieli litem homo forenſis, aut Deo potiùs qui per Danielem dixit, Et ſub ditione tua vniuerſa conſtituit. Non ergo hæc quatuor regna, quæcunque tandem ea fuerint, nam ea de re poſt dicemus. Ideo monarchias eſſe indicat ſcriptura, quod verè monarchiæ fuerint qualis ab iſto nulla eſſe dicitur, niſi quæ iiſdem quibus orbis terrarum finibus terminetur: Sed quòd tantæ magnitudinis eſſent, vt monarchiæ eſſe viderentur & qui eas haberent ſe monarchas putarent, quemadmodum nunc Turcarum imperatorem, Hiſpaniæ regem propter regnorum quibus dominantur multitudinem vulgò monarchas appellamus. Obiicit plures fuiſſe, qui latiùs quàm illi quatuor dominati ſint, & ante regnum Babylonicum & poſt, quod non negamus ita eſſe: verum de iis quæ regnum Nabuchodonoſoris anteceſſerant nihil cauſæ erat, cur Deus hoc loco loqueretur, non enim ſolicitus erat rex quid præceſſiſſet, ſed quid futurum eſſet, vt Daniel verſu 29. ſignificauit: Quod autem non de omnibus monarchiis, quæ poſt illam Babylonicam futuræ erant, mentionem non fecerit, ideo factum puto, quod conſilium Dei fuerit regis animum ab omni cupiditate terrenorum regnorum abducere, & ad Chriſti regnum erigere: quod illa omnia caduca, ſint & mortalia, hoc ſempiternum, vt docet verſu 44. propterea de illis tantùm monarchiis ſimilitudinem propoſuit quæ vſque ad initium futuræ Chriſti legis futuræ erant. Secunda hoc loco quæſtio eſt cur regnum Nabuchodonoſoris capiti comparauerit. Plerique putant id factum eſſe propter eius præ cæteris magnitudinem. Nam caput inter omnia corporis membra principatum tenet. Id ipſum Daniel videtur verſu 37. & 38. ſignificare, cùm dicit. Tu rex regum es, &c. Cæterum quia non conſtat illam Babylonicam monarchiam omnium fuiſſe maximam, ſed potiùs certum compertumque eſt ex hiſtoriis, & Perſarum, & Macedonum, & Romanorum imperium maius quàm Babylonicum fuiſſe, malo Theodoretum auctorem optimum ſecutus interpretari regnum Nabucho-

Nabuchodonoſoris non quia maximum aut potentiſſimum, ſed quia primum, capiti comparatum: volebat enim Deus, non tam magnitudinem, quàm ſucceſſionem quattuor regnorum declarare, & quemadmodum poſt caput, quæ prima hominis pars eſt pectus & brachia, poſt pectus venter, poſt ventrem tibiæ ſequuntur, ita poſt Babylonicum regnum quod tunc erat, Perſicum, poſt Perſicum Macedonicum poſt Macedonicum, Romanum ſecuturum. Cum autem Daniel dicit: Tu es rex regum, non comparat Nabuchodonoſorem cum futuris regibus; ſed cum iis, qui tunc erant. quaſi dicat: quamuis regnum tuum omnium quæ nunc ſunt, maximum ſit, tamen non erit perpetuum: quod autem dicit ver. 39. Et poſt te conſurget regnum aliud minus te, quod huic interpretationi videtur eſſe contrarium, illic explanabimus. Nunc tertiam huius loci quæſtionem explicemus. Cur regnum Babylonicum nó ſolum capiti, ſed aureo capiti conferatur. Pleriq; hoc ad mores referunt, quod vt homines ſunt ſuapte natura procliues ad malum, ſemper eorum mores in peius degenerent & vt Lyricus quidam poëta cecinit. *Ætas parentum peior auis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem.* Hinc poëtarum de quattuor ſæculis aureo, argenteo, æneo, & ferreo natas eſſe fabulas. Aurum enim argento, argentum ære, æs ferro melius eſſe. Alij, in quibus Theodoretus eſt, potentiæ diſcrimen ſignificari volunt auro enim argentum, argento æs ære ferrum ſolidius ac fortius eſſe, indicatíque priora infirmioráque regna per poſteriora atque potentiora commutāda. Sententia quidem vera eſt, benéque conuenit, & verſu 40. quomodo ferrum comminuit & domat omnia hæc: ſic comminuet & conteret omnia. Similitudo autem metallorum minùs conuenit. Non enim aurum & argentum ad ſignificādum robur, ſed potiùs ad deſignandum pretium adhiberi ſolet. Videmus ab auro ſimilitudinem inchoatam in teſtam deſinere, quæ res omnium & fragiliſſima & viliſſima eſt. Itáque aptior ſimilitudo eſſet, ſi ea ſignificari diceremus primum regnum ſecundo, ſecundum tertio, tertium quarto futurum opulentius: ſed quia euentus huic interpretationi non fauet, neque enim regnum Babylonicum Perſico, neque Perſicum Macedonico, neque Macedonicum Romano fuit opulentius, poſſumus dicere ſolum regnorum interitum ſignificari, vt quemadmodum quò longiùs ab auro receditur & ad teſtam acceditur, eo magis accedetur ad vltimum metallorum gradum, ſic quò magis à regno Babylonico diſcedetur, eò magis ad finem humanæ monarchiæ accedendum ſucceſſurámque ad extremum diuinam quandam monarchiam Chriſti, cuius regnum non ſit de hoc mundo, nec ſit finem vllum habiturum.

39. *Regnum aliud minus te.*] Minus tuo quod & Hebræi & noſtri ita interpretantur, vt ſonant verba, Perſarum regnum minùs quàm Babylonicum futurum eſſe, ſicut argentum minoris quàm aurum pretij eſt, ſed quia hoc videtur, & cum ſuperiore Theodoreti quam probauimus interpretatione cúmque hiſtoria ipſa & ratione pugnare, quæ minus regnum Babylonicum à maiore potentioréque Perſarum regno debellatum eſſe docet, interpretor minus, id eſt, inferius; inferius autem non opibus aut viribus, ſed tempore quod propius finem & interitum eſſet. quaſi dicat, ſecundum à te. Alij minus non propter potentiam aut opes ſed propter degeneres & deprauatos mores vocari putant, quod quibus rationibus probare poſſint, non intelligo. Quis enim Cyro ſine vera religione religioſior, aut quis in Dei populum beneficientior? Per hoc enim ſecundum regnum, Medorum atque Perſarum monarchiam intelligendam eſſe omnes auctores conſentire video. Quod autem multi ideo pectori &

Digitized by Google

duobus brachiis comparari putant, quòd duobus altero Medorum, altero Perſarum conſtaret regnis, aut quòd Cyrus vt Theodoretus ait ex vtraque gente genus duxerit, paternum quidem quaſi dextrum brachium ex Perſis, maternum quaſi ſiniſtrum ex Medis. Et quod quidam Hebræus dicit Perſas, quòd fortiſſimi eſſent, magis argutum quàm verum, magíſque ſpecioſum quàm ſolidum eſſe arbitror. Non enim in partibus ſtatuæ figuram ſed locum, ſpectari oportet. Nec enim Babylonicum regnum capiti quod rotundum, ſed quod primum eſſet, comparatum eſt: neque Perſicum pectori, & brachiis, quòd bipartitum, ſed quòd ſecundo loco ſequeretur. *Et regnum tertium aliud æreum.* Hoc etiam & noſtri & Hebræorum interpretes, Græcorum & quod idem eſt, Macedonum regnum eſſe dicunt. Hieronymus æri propter ſonitum, comparari putat, quòd Græci omnium gentium eloquentiſſimi fuerint, & vt poëta quidem dixit:

Illis ore rotundo muſa loqui dederit.

Quod etſi verum eſt, neſcio an Propheta cogitauerit, qui tantum videtur partium ſitum & metallorum gradus conſideraſſe. Cur autem dicat imperaſſe vniuerſæ terræ, quod de Perſarum regno non dixerat. partim cauſa eſt, quod multò maius, vt ex hiſtoria conſtat, Macedonum quàm Perſarum regnum fuerit; partim accommodatè ad futuram hominum opinionem loquitur, qui Alexandrum Macedonum regem totum terrarum orbem ſubiugaſſe crediderunt. Scitum eſt illum, cùm ex Democriti ſententia infinitos eſſe mundos audiuiſſet, ingemuiſſe dolenter quod nondum vnum ſubegiſſet.

40. *Et regnum quartum erit velut ferrum.*] forte ſicut Chaldaïcè eſt תקיפה. & Theodotion καὶ βασιλεία τετάρτη ἔσται ἰσχυροτέρα ὡς ὁ σίδηρος *& regnum quartum erit forte ſicut ferrum.* Hoc etiam omnes Romanorum imperium interpretantur, interpretationémque res ipſa confirmat, Græcorum enim imperio Romanum ſucceſſit, quod omnia ærea regna ferro perdomuit. Solus quod ſciam Aben Eſra Romanorum imperium cum Græcorum regno confundens, hoc quartum Turcarum eſſe dicit, quod nulla ratione probari poteſt: declarat hoc loco quod hactenus non fecerat, in ſimilitudine regnorum & ſtatua non tantùm ſucceſſionis & loci, ſed etiam qualitatis rationem habuiſſe.

41. *Porrò quod vidiſti ferrum.*] locus eſt multis difficultatibus impeditus, primùm, quia non conſtat vtrum ſtatua aliam tibiæ & pedum partem ferream, aliam teſtaceam habuerit: deinde quia non ſatis declaratur qualiſnam regni diuiſio ſignificetur. De partibus quidem ſtatuæ ver. 33. diximus quod probabilius eſſe iudicauimus, non fuiſſe vnam partem ferream, alteram teſtaceam; ſed eandem pedum partē aut totos potiùs pedes ex ferro cum luto malè coagmentato, fuiſſe conflatos. Quod hoc etiam loco confirmamus, & quia dicit: *de plantatione ferri erit*, id eſt, ferrum quoddam ſed mixtum erit: & quia ſequēti verſu declarat ferrum cum teſta fuiſſe permiſtum, & quia ver. 43. ea miſtione humani ſeminis miſtionem ſignificare dicit, & quia ſi alia pars ferrea, alia teſtacea fuiſſet, potius pes alter ferreus, alter verò teſtaceus fuiſſet, & quia ſi diuerſæ, altera ferrea, altera teſtacea fuiſſent, partes, non diuerſos eiuſdem regni ſtatus, ſed regna diuerſa ſignificaſſet; nec enim minùs à ferro teſta, quàm ab ære ferrum diſtat, maior altera de ſignificatione quæſtio eſt, eóque difficilior, quòd cum eam Propheta explicare cœperit, neque penitus explicauerit, variis vno verbo interpretationibus locum dedit. Dixit enim hac ferri & teſtæ differentia ſignificari fore, vt regnum quartum diuideretur, quo autem modo diuidendum eſſet non dixit. Quare nonnulli Hebræorum interpretes quintum quoddam regnum deſignari putant

Digitized by Google

putant quod nunc penes Turcas eſſe volunt. Sed ij ſiue impudenter, ſiue certo animi conſilio ne in Chriſti aduentum incurrere coguntur, certè tamen errant. Cùm enim Propheta dicit, Regnum diuiſum erit, de illo ipſo quarto regno loquitur, quod paulò antè ferro ſignificari dixerat, neque vſpiam quintum hic regnum nominatur. Et cum ver. 42. ait: Ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum, non diuerſa regna, ſed diuerſos vnius regni ſtatus indicat. Alij non tantùm quidem diuiſionem, vt regna diuerſa, ſed tantùm vt ciuiles in eodem regno factiones & bella faciat, ſignificari putant, cuiuſmodi Cæſaris & Pompeij temporibus fuiſſe legimus, hoc eſſe quod ait, Commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi, quòd Cæſar Iuliam filiam ſuam in matrimonium Pompeio collocarit, eaque mortua Octauiam ſororis ſuæ neptem retinendæ, vt ait Tranquillus, neceſſitudinis cauſa illi deſponderit, ſed non potuiſſe amicitiam his tantis neceſſitudinibus cohærere. Vetuſtiores Hebræi de Romanorum & Iudæorum regnis fœdere coniunctis interpretantur. Romanos enim ferro, Iudæos teſtæ comparari: quemadmodum & apud Iſai. cap. 45. 9. & apud Ierem. Thre. 4. 2. fœdus enim inter Iudæos & Romanos initum, 1. lib. Machab. cap. 8. & 12. legimus. Quod autem ſequitur. Commiſcebuntur quidem humano ſemine de Herode Aſcalonita intelligendum eſſe dicunt, cui Romani regnum Iudææ attribuerunt: quiq; vt iure regnare videretur Hircani regis & ſummi ſacerdotis filiam vxorem duxit, Eam ſe dolore ex præalta turri præcipitem dediſſe, Herodem mortuam balſamo condiuiſſe, pérque ſeptem annos interempta omni alia regum ſtirpe, reſeruaſſe, Thalmudiſtæ tradunt. Nonnulli etiam cum ea iam mortua rem habuiſſe, propterea ſemina vt hoc loco dicitur non cohæſiſſe. Alij, neque de diuerſis regnis, neque de ciuilibus bellis, ſed de diuerſo eiuſdem imperij Romanorum ſtatu intelligi volunt, nempe regnum diuiſum fuiſſe, quia initio quidem potens fuerit, ſub finem infirmum, ita vt quamuis ferreum eſſet, quia idem erat, tamen multum teſtæ mixtum haberet: in tanta obſcuritate rerum tantaque auctorum varietate eligat lector quod Prophetæ verbis, atque conſilio; quódque hiſtoriis Romanorum, de quibus agi certum eſt, magis conſentaneum iudicabit. Mea, quoad certius aliquid inuenero, hæc eſt opinio. Primùm quidem non de diuerſis, ſed de vno tantùm regno agi, Quòd ſi de diuerſis ageretur regnis, neque de Turcarum, neque de Iudæorum regnis ageretur. Non quidem de Turcarum quia manifeſtum eſt non agi hic niſi de illis regnis quæ antequam lapis ſine manibus decideretur, futura erant. Lapis autem erat Chriſtus, qui multis annis Turcarum imperium anteceſſit. Neque de Iudæorum, quia potiùs hic deſcribuntur regna Iudæis contraria, quàm confœderata. Certè nulla ratio erat teſtam potiùs Iudæos, quàm alia infirmiora regna Romanis, aut ſubiecta, aut confœderata vocari. Quod autem de imperio ciuilibus Cæſaris & Pompeij bellis lacerato dicitur, ideo non placet, quod hic tam inimicitiæ, & factiones quàm robur & infirmitas, per ferrum, & teſtam ſignificari videantur, vt ver. 42. dicitur. Ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum, Cæſar verò & Pompeius, etſi alter alterum vicit, tamen vterque potentiſſimus, vterque ferreus erat. Eorum opinioni qui diuerſos ſtatus imperij diuerſis temporibus deſignari putant, illud videtur repugnare quod ver. 43. dicitur, *Commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi*, hæc enim verba, teſta & ferrum, id eſt, partem infirmam & validam regni, eodem tempore fuiſſe indicant. Suſpicor ergo nihil aliud quàm duas Reip. formas in vnam confuſas ſignificari, quæ numquam bene cohærere

Digitized by Google

hærere potuerunt. Romanum enim imperium, quamdiu ariſtocratia dictatorum & conſulum adminiſtratum eſt, ferreum fuit, omnéſque paulatim gentes edomuit. Hoc eſt tibias ſine vlla teſtæ miſtione fuiſſe ferreas, ſub finem verò ex ariſtocratia, tyrannis nata eſt Iulio Cæſare imperium occupante. Quæ cum priſtinam Reip. formam delere non potuiſſet, cum ea commiſta eſt, cœptúmq; eſt imperium partim conſulibus vt antè, partim imperatoribus, id eſt, tyrannis gubernari, qui, quamuis multas inter ſe affinitates, & neceſſitudines ſæpe coniungerent, tamen numquam bene cohærere potuerunt; ſed ea ratione tanta illa moles imperij paulatim collapſa eſt. Hoc ergo pedes, id eſt, finem imperij, partim ferreos, partim teſtaceos fuiſſe. hoc eſt regnum diuiſum eſſe. hoc eſt ortam eſſe teſtam de planta ferri, ex ariſtocratia natam eſſe tyrannidem. & cum ea commiſtam. Dices non debuiſſe tyrannidem teſtæ comparari, cùm ariſtocratiam, id eſt, ferrum vicerit. Reſpondeo propterea comparari teſtæ quòd quamuis vincat aliquando, tamen ipſo genere infirmiſſima ſit, nec lõgo tempore durare poſſit: Nam hic etiam illa philoſophorum ſententia vera eſt, *Nihil violentum perpetuum eſſe.* Non ergo victoria, quæ caſu contigerit, ſed ipſa tyrannidis natura conſideranda eſt.

4 . *Secundùm quod vidiſti.*] Hoc ad ſuperiorem verſum Chaldaïcè pertinet; ſenſúſque eſt, regnum diuiſum erit, quemadmodum vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, igitur *Secundùm*, non eſt nomen ſed aduerbium. Neque enim diuerſam ſtatus partem, ſed tres eiuſdem partis ex ferro teſtáque miſtæ ſignificationes declarat, primam ver. 41. ſecundam 42. tertiam 43.

44. *In diebus autem regnorum illorum.*] ובִיוֹמֵיהוֹן. In diebus illorum: alij intelligunt, in diebus regum illorum, id eſt, Cæſaris & Pompeij, quod mihi minimè placet: neque enim de illis mentionem fecerat. Alij in diebus regum illorum Perſarum, Macedonum & Romanorum. ſic etiam Septuaginta interpr. verterunt. Meliùs noſter interpres, in diebus regnorum illorum, quia de regnis non de regibus, locutus fuerat. Sed oritur hinc ſtatim quæſtio. quomodo cùm tam diuerſis ſæculis quatuor illa regna fuerint, dicatur Deus eorum tempore quintum quoddam regnum ſuſcitaturus. Reſpondeo ſenſum eſſe in diebus illorum, id eſt, poſtquam illa quatuor regna regnata fuerunt. *Deum cœli.* Non eſt cõtentus Propheta Deum dicere, ſed dicit Deum cœli, vt & auctorem, & originem quinti regni ſimul indicet. Nam neque quiſquam mortalium eius auctor futurus erat, ſed ſolus Deus, nec eius origo terreſtris, ſed cœleſtis. Regnũ quod in æternum, non diſſipabitur, ſempiternum quod nec vnquam abolebitur, neque in aliam gentem transferetur, ſicut quatuor ſuperiora regna. Omnes non ſolum Chriſtiani, ſed etiam Hebræi mirificè cõſentiunt agi hic de regno Chriſti, ſed Hebræi ne ex quatuor iam præteritorum regnorum fine cogantur Chriſtum confiteri iam veniſſe, negant quartum regnum finitum eſſe. Quamquam de eo inter ſe diſſentiunt, quorum alij ſub Turcarum imperatore, quartum nunc regnum agi putant: Romanum autem imperium cum tertio Græcorum regno coniungant, quemadmodum ſuprà ex R. Abraham commemorauimus. Eorum ratio hæc eſt, quod Romani à Græcis originem duxerunt: quaſi verò eadem gentium ac regnorum origo ſit. Quod ſi verum eſſet vnum tantùm apud omnes gentes regnum eſſe, oporteret quod ab vno omnes Noë, aut ſi longius ire volumus, Adamo originem ducant. Certè iſta ratione Iudæi nunc regnant, Regnant enim Turcæ & vbique ferè dominantur, Turcæ autem Iſmaëlitæ ſunt atque ita ſemper in Hebræorum commentariis appellantur, atqui Iſmaëlitæ ex

Abra-

Abrahamo ſicut Iudæi genus ducunt. Alij obiiciunt manere etiã nunc ſub Turca Romanum imperium, qui Conſtantinopoli vbi imperij Romani ſedes erat dominatur: Alij adhuc Romanum imperium apud Germanos eſſe. Nos iſta vſque eò leuia eſſe dicimus, vt non putemus vllis eſſe rationibus refutanda. Neq; enim locus, ac nomen, ſed gens & Reip. forma facit imperiũ, quam antiqui Romani imperij formam quiſquis non videt penitus obliteratam eſſe, cœcus eſt. Qui hodie Romanos imperare putat inſanus eſt. Alia quæ à R. Barbinel aſſeruntur eiuſdẽ modi ſunt. Omnium fortiſſimũ illud eſt, quòd Chriſtus, vt ex 2. c. Lucæ perſpicuum eſt, ſub Cæſare Auguſto natus ſit, qui ſecundus Romæ imperauit, Itaque ſi huius aduentus Romanum Imperiũ aboleuit, idem fuit imperij principium & finis. At nos Cæſarem, prout cœpit tyrannidem, non imperium, ſed imperij perniciem ac finem appellamus, eámque per teſtam vt extremos pedum digitos ſignificatam fuiſſe diximus. Obiicit Chriſti regnum ſpiritale eſſe, quemadmodum nos docemus, non poſſe autem quæ diuerſi generis ſint, inter ſe comparari. Quid ſi negaremus regnum ſpiritale & temporale eſſe contraria? iure quidem faceremus, nec enim contraria, ſed analogica ſunt, quæ autem diuerſi generis ſunt, & analogiam inter ſe habent, comparari ſolent. Nam & Deus per analogicam comparationem rex regum dicitur, & dominus dominantium: & Chriſtus cùm dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, regnum ſuum cum cæteris per analogiam & anthitheſim comparauit. Alia obiectio eſt, quæ, quia cuiuis occurrere potuiſſet, non eſt prætermittenda. Si Chriſti regnum ſola æſtimetur religione, & Babylonicum, & Perſicum, & Macedonicum, adde Romanum, idem regnum fuiſſet: eadem enim illis multorum idolorum fuit ſuperſtitio. Reſpondeo in aliis regnis, quia temporalia & terrena ſunt, arma non religionem imperij genus mutare: at in regno Chriſti, quia ſpiritale & cœleſte eſt, non arma, ſed religio & Dei cognitio regnare facit. Addit religionem etiam Chriſtianam mutari, & in nonnullis locis aboleri. Sit ſanè, non enim diſputo an ita ſit: at ipſa religio Chriſtiana, ſi non vbique, tamen alicubi ſemper manet, ſempérque manebit; & quia ſpiritale non terrenum regnum eſt, non eſt addictum loco, nec certis gentium circunſcriptum finibus. Quare cùm hoc loco dicitur, *Et eius alteri populo non tradetur*, non ſignificat Chriſtianam religionem non eſſe ex vna gente in aliam emigraturam, quod & ſemper factum legimus, & hodie maximè fieri videmus: neque non futuras hæreſes, quemadmodum Hebræus ille argumentatur, quas & Chriſtus & Apoſtoli futuras prædixerunt. Sed ſenſus eſt, numquam Eccleſiam interituram, neque portas inferi, vt Chriſtus promiſit, aduerſus eam præualituras. Nullam futuram gentem, id eſt, hæreticorum aut aliorum aduerſariorum genus, qui Eccleſiam abolere poſſint, quemadmodum regnum Babylonicum Perſæ, Perſicum Macedones, Macedonicum Romani deleuerunt. *Comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc.* Multæ etiam in his paucis verbis difficultates ſunt. Prima illa quæ ſe ſtatim lectori offert, quomodo Chriſtus quattuor illa ſuperiora regna comminuerit, cùm Babylonicum, Perſicum & Macedonicum regnum multis ſæculis antequam Chriſtus veniret, comminutum eſſet: duobus modis reſponderi poteſt. Primùm Chriſtum illa omnia comminuiſſe, non factum iam hominem, ſed ſempiternum Deum: Diuina enim prouidentia illa omnia regna mutata ſunt, vt futuro Chriſti regno via præmuniretur, quemadmodum Daniel capite 4. verſ. 14. & 29. dicit, regna de gente in gentem Deum transferre. Deinde Chriſtum illa omnia regna comminuiſſe, quia

 Roma-

Romanum comminuit; Romanum autem Macedonicum, Macedonicum Perſicum, Perſicum Babylonicum comminuetat. Altera difficultas eſt, quomodo Chriſtus dicatur Romanum imperium comminuiſſe, cùm nihil in eo penitus immutauerit, nec ideo venit vt regna, aut eriperet, aut immutaret. Quidam hoc vaticinium de Romani Pontificis imperio interpretantur, quod mihi maiore pietate quàm ſcientia facere videntur. Ego accommodatè ad naturam regni Chriſti intelligendam puto, quia enim Chriſti regnum non terrenum & temporale, ſed ſpiritale eſt, non eſt exiſtimandum temporaliter Romanum imperium, ſed ſpiritaliter comminuiſſe, id eſt, non Romanum imperium, Eccleſiam ad idololatriam, ſed Eccleſia Romanum imperium ad Chriſtianam religionem pertraxiſſe, plúſque martyrum ſanguinem & patientiam ad propagandum regnum Chriſti quàm ferrum, quàm ignes, quàm beſtias, quámque omnem Romanorum imperatorum crudelitatem ſæuitiámque potuiſſe.

45. *Secundùm quod vidiſti.*] כָּל־קֳבֵל. quemadmodum vidiſti, vt ver. 42. Latinè diceremus, Quod autem vidiſti lapidem de monte ſine manibus exciſum, ſignificat Deum tibi, quæ extremis temporibus futura ſunt, oſtendere voluiſſe, non declarat quid lapis abſciſus ſignificaret, quia ex præcedenti verſu manifeſtum erat. Confitentur etiam omnes Hebræi hunc lapidem Chriſtum eſſe, ſed mundum abſciſum. Abſcindendum autem ſine manibus de monte, id eſt, ex Abraham, non humanis viribus, ſed diuina cœleſtíque virtute. Eorum errorem ſatis, vt opinor, paulò ſuprà refutauimus. Itaque videndum eſt, cur Chriſtus hoc loco lapis appelletur, deinde cur de monte excindendus dicatur, poſtremo cur ſine manibus. Chriſtum quidem ſolere in ſcripturis ſacris lapidem appellari nemo neſcit. Sed quæſtio eſt cur hoc loco cùm de regno ageretur, déque aliis regnis comminuendis lapis vocatus ſit. Quid enim lapidi cum regno? nec verò ſolet ferrum lapis, ſed lapidem ferrum comminuere. Huius ego rei multas cauſas fuiſſe arbitror. Primam quòd ageretur de aurea, argentea, ærea, ferreáque ſtatua comminuenda, quæ nullo alio metallo comminui poterat, niſi ex præalto aliquo monte magnum aliquod ſaxum decideret, non tam ſua duritie, quàm quòd altè caderet, eámque confringeret. Secundam quòd cùm diceret de monte deciſſum eſſe, vt cœleſtem eius originem ſignificaret, non poterat niſi lapidem appellare: quid enim ex montibus niſi lapides cadunt? Tertiam, quòd eleganti metaphora magnitudinem regni Chriſti declarare volens dicturus erat, in montem magnum Chriſtum creuiſſe, nihil autem niſi lapides in montes creſcere ſolent. Quartam, quòd voluerit regni Chriſti iacere quodammodo fundamenta, fundamenta autem lapides ſunt, quare vbicunque de Eccleſia, aut de regno Chriſti tanquam de aliquo fundamento ſermo eſt, Chriſtus lapis appellatur, vt Pſalm. 117. 22. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*, quemadmodum ipſe Chriſtus Matth. 21. 42. & D. Petrus Actor. 4. 11. & 1. epiſt. cap. 2. 7. interpretatus eſt, & apud Iſaiam cap. 28. 16. *Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum.* & apud D. Paulum ad Epheſ. cap. 2. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* De monte autem ſine manibus deciſum, quæ ſecunda & tertia erat difficultas, omnes ferè veteres auctores, ac in primis Hieronymus in Commentariis, & Auguſtinus tractatu 9. in Euangelium Ioannis, & tractatu primo in Ioannis epiſtola, natū de virgine interpretantur, montémque aut ipſam virginem omni virtutum genere conſpicuam, aut Iudaïcum genus:

genus:ſine manibus autem exciſum, quod ſine virili opera natus ſit. Alij ad diuinam generationẽ referunt, quòd filius ex patre ſine matre genitus ſit, vt Ambroſius ſer. 70. Hebræi Abrahamum montem vocari putant, ex quo tanquam ex altiſſimo monte, vnde omnes Iudæorum familiæ quaſi riuuli deriuantur, ſine manibus lapis exciſus ſit, quia Iſaac non humanis viribus, ſed diuina virtute effœta iam ętate genuerit, vnde Chriſti regnum propagandum eſſet. Quam interpretationem nonnullis etiam noſtrorum placere video, Alij ſecundum Chriſti de cœlo aduentum ſignificari dicunt, quo non humanam ſed diuinam poteſtatem oſtendat. Ego verum ſenſum eſſe arbitror, Chriſtum de cœlo, neq; humano more, neq; hominum meritis, ſed ſolo diuino conſilio deſcendiſſe creuiſſeq; in montem magnum, quia in cœlum radiis, & ad cœlum vſque Eccleſia pertingit.

46. *Tunc rex Nabuchodonoſor.*] Porphyrium Danielem accuſare ſolitum quòd hunc honorem vni Deo debitum non recuſauerit, ſcribit Hieronymus, qui etſi calumniatori quidem reſpondet, tamen non videtur Prophetam ab omni prorſus honoris conniuentia, vt loquitur Iuriſconſultus, liberare: noſtri verò temporis hæreſiarcha Danielem aulicis moribus corruptum fuiſſe dicit. Omnia enim hæreticis licent. Ego quemadmodum in proœmio dixi aſſeuerantes affirmo Prophetam oblatum honorem recuſaſſe: neque enim ſcriptura dicit quid ille acceperit; ſed quid illi rex obtulerit, ſcriptura autem non contradicente, ſanctitas viri aliis ſcripturæ locis tantopere commendata, mihi ſcripturæ loco eſt, vt credam eam non admiſiſſe illum honorem, quem ſcimus non ſolùm D. Paulum, ſed etiam angelum repudiaſſe.

47. *Verè Deus veſter Deus Deorum eſt.*] Videtur mihi Nabuchodonoſor ad Iudæorum conſuetudinem alludere. Solebant enim verum Deum Deum Deorum appellare, vt Pſalm. 49. 1. *Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram.* hoc eſt ergo quod dicit, Verè Deus veſter Deus Deorum à vobis dicitur. Cæterùm quia non legimus regem Iudæorum amplexum eſſe religionem, veroſimile eſt eum alio ſenſu hoc dixiſſe, quàm Iudæi dicere ſolebant. Nam Iudæi quidem cùm Deum ſuum Deum Deorum appellabant, ſignificabant eum ſolũ eſſe Deum: non enim ex veritate aut ſua ſententia, ſed ex hominum opinione loquebantur: Rex autem videtur Deum Iudæorum Deum Deorum dicere, non negans alios eſſe Deos, ſed concedens hunc omnium maximum, & quaſi principem. Quod etſi erat aliquis ad religionem gradus, non erat ſatis.

48. *Munera multa & magna dedit ei.*] cap. 5. v. 17. legimus Danielem, qui hoc loco munera non recuſat, munera à Baltaſſare rege promiſſa, recuſaſſe. *Munera*, inquit, *tua ſint tibi*, quod vtrumque, quamuis ratio nobis non appareret, non ſine ſumma ratione factum fuiſſe credere deberemus: oſtenditur autem ratio huius rei aliqua. Nam hîc poſt ſomnij interpretationem accepit munera, cùm ſuſpicio non erat, ea de cauſa ſomnium expoſuiſſe: illic munera antequam ſcripturam interpretaretur, contempſit, ne idcirco interpretari videretur, quare poſt interpretationem accepit: legimus enim v. 29. purpura indutum, aureaque torque ornatum; alia etiam de cauſa & hîc & illic magiſtratus honorem accepit, vt ſua nimirum auctoritate gentem ſuam miſerè afflictam ſubleuaret, quo eodem conſilio, ſimulque vt ſuam cum ſociis fœlicitatem communicaret, magiſtratus à rege illis impetraret.

49. *In foribus regis.*] Simpliciter interpretor, verſabatur familiariter in aula, frequentabat aulam regis. Alij, princeps erat in aula, ita vt nemo ſine eius auctoritate ad regem ingrederetur. Sunt apud Hebræos qui interpretantur

Digitized by Google

erat in porta, id eſt, erat iudex, vt R. Saadias: ſolebāt enim in portis iudices ſede-
re, quod ideo mihi non placet, quia eam conſuetudinem Iudæorum non Chal-
dæorum fuiſſe legimus, & quia apud Hebræos ipſos non in portis regis, ſed in
portis vrbis ſedebant, vt ex 2. Reg. cap. 15. ver. 2. manifeſtum eſt.

CAPVT III.

*NABVCHODONOSOR rex fecit ſtatuam auream altitudine cu-
bitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, & ſtatuit eam in campo Duræ
prouinciæ Babyloniæ, 2 Itaque Nabuchodonoſor rex miſit ad congre-
gando ſatrapas, magiſtratus, iudices, duces & tyrannos, & præfectos, omnéſque prin-
cipes regionum, vt conuenirent ad dedicationem ſtatuæ, quam erexerat Nabuchodo-
noſor rex. 3 Tunc congregati ſunt ſatrapæ, magiſtratus & iudices, duces & tyranni, &
optimates qui erant in poteſtatibus conſtituti, & vniuerſi principes regionum, vt conueni-
rent ad dedicationem ſtatuæ, quam erexerat Nabuchodonoſor rex. Stabant autem in con-
ſpectu ſtatuæ quam poſuerat Nabuchodonoſor rex, 4 & præco clamabat valenter:
Vobis dicitur populis, tribubus & linguis, 5 In hora qua audieritis ſonitum tubæ, &
fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, ca-
dentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor rex. 6 Si quis au-
tem non proſtratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. 7 Poſt
hæc igitur ſtatim vt audierunt omnes populi ſonitum tubæ, fiſtulæ & citharæ ſambucæ &
pſalterij, ſymphoniæ, & omnis generis muſicorum: cadentes omnes populi, tribus & linguæ
adorauerunt ſtatuam auream, quam conſtituerat Nabuchodonoſor rex. 8 Statimque
in ipſo tempore accedentes viri Chaldæi accuſauerunt Iudæos, 9 dixerúntque Nabu-
chodonoſor regi, Rex in æternum viue. 10 Tu rex poſuiſti decretum, vt omnis homo qui
audierit ſonitum tubæ, fiſtulæ & citharæ, ſambucæ & pſalterij, & ſymphoniæ, & vni-
uerſi generis muſicorum, proſternat ſe, & adoret ſtatuam auream: 11 ſi quis autem
non procidens adorauerit, mittatur in fornacem ignis ardentis. 12 Sunt ergo viri Iu-
dæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babyloniæ, Sidrach, Miſach & Abdenago: viri
iſti contempſerunt, rex, decretum tuum: Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream quam
erexiſti non adorant. 13 Tunc Nabuchodonoſor in furore & ira præcepit, vt adduce-
rentur Sidrach, Miſach, & Abdenago: qui confeſtim adducti ſunt in conſpectum regis.
14 Pronuntiánſque Nabuchodonoſor rex ait eis, Veréne Sidrach, Miſach, & Abdenago
Deos meos non colitis, & ſtatuam auream quam conſtitui non adoratis? 15 Nunc ergo
ſi eſtis parati, quacumque hora audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, citharæ, ſambucæ, &
pſalterij, & ſymphoniæ, omniſque generis muſicorum, proſternite vos, & adorate ſtatuam
quam feci: quòd ſi non adorauerítis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis, &
quis eſt Deus qui eripiet vos de manu mea? 16 Reſpondentes Sidrach, Miſach, & Ab-
denago, dixerunt regi Nabuchodonoſor: Non oportet nos de hac re reſpondere tibi 17 Ec-
ce enim Deus noſter quē colimus, poteſt nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus
tuis, ô rex, liberare. 18 Quod ſi nolueris, notum ſit tibi rex, quia Deos tuos non colimus:
& ſtatuam auream quam erexiſti non adoramus. 19 Tunc Nabuchodonoſor repletus
eſt furore: & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach & Abdenago, &
præcepit vt ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quàm ſuccendi conſueuerat, 20 Et viris
fortiſſimis de exercitu ſuo iuſſit, vt ligatis pedibus Sidrach, Miſach, & Abdenago, mitte-
rent eos in fornacem ignis ardentis. 21 Et confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis & tia-
ris, & calceamentis, & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis. 22 Nam*

iuſſio

iuſſio regis vrgebat: fornax autẽ ſuccenſa erat nimis. Porrò viros illos qui miſerant Sidrach,
Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. 23 Viri autem hi tres, id eſt, Sidrach,
Miſach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. 24 Et am-
bulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. 25 Stans autem
Azarias orauit ſic, aperiénſque os ſuum in medio ignis, ait, 26 Benedictus es Domine
Deus patrũ noſtrorum, & laudabile & glorioſum nomen tuum in ſæcula: 27 quia iuſtus
es in omnibus quæ feciſti nobis, & vniuerſa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudi-
cia tua vera. 28 Iudicia enim vera feciſti iuxta omnia quæ induxiſti ſuper nos, & ſuper
ciuitatem ſanctam patrum noſtrorum Ieruſalem: quia in veritate & in iudicio induxiſti
omnia hæc propter peccata noſtra. 29 Peccauimus enim, & iniquè egimus receden-
tes à te, & deliquimus in omnibus. 30 Et præcepta tua non audiuimus, nec obſeruaui-
mus, nec fecimus ſicut præceperas nobis vt bene nobis eſſet, 31 Omnia ergo quæ induxiſti
ſuper nos, & vniuerſa quæ feciſti nobis, vero iudicio feciſti: 32 & tradidiſti nos in
manibus inimicorum noſtrorum iniquorum & peſſimorum, præuaricatorúmque, & regi
iniuſto & peſſimo vltra omnem terram. 33 Et tunc non poſſumus aperire os: confuſio
& opprobrium facti ſumus ſeruis tuis, & his qui colunt te. 34 Ne quæſumus tradas
nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum. 35 neque aufe-
ras miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum,
& Iſraël ſanctum tuum: 36 quibus locutus es, pollicens quòd multiplicares ſemen eorum
ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris. 37 Quia Domine imminuti ſu-
mus plus quàm omnes gentes, ſumúſque humiles in vniuerſa terra hodie propter peccata
noſtra. 38 Et non eſt in tempore hoc princeps, & dux, & Propheta, neque holocauſtum,
neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neq; locus primitiarum coram te, 39 vt
poſſimus inuenire miſericordiam tuam ſed in animo contrito & ſpiritu humilitatis ſuſcipia-
mur. 40 Sicut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pin-
guium: ſic fiat ſacrificium in conſpectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam nõ eſt confuſio con-
fidentibus in te. 41 Et nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem
tuam. 42 Ne confundas nos: ſed fac nobiſcum iuxta manſuetudinem tuam, & ſecun-
dum multitudinem miſericordiæ tuæ. 43 Et erue nos in mirabilibus tuis, & da glo-
riam nomini tuo Domine: 44 & confundantur omnes qui oſtendunt ſeruis tuis ma-
la, confundantur in omni potentia: & robur eorum conteratur, 45 & ſciant quia tu
es Dominus Deus ſolus, & glorioſus ſuper orbem terrarum. 46 Et non ceſſabant qui
miſerant eos miniſtri regis ſuccendere fornacem, naphtha, & ſtupa, & pice, & malleolis,
47 & effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta nouem: 48 &
erupit: & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. 49 Angelus autem Do-
mini deſcẽdit cum Azaria & ſociis eius in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace,
50 & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino
ignis, neque contriſtauit, nec quidquam moleſtiæ intulit. 51 Tunc hi tres quaſi ex
vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes: 52 Be-
nedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis, & ſuperexaltatus in ſæcula:
& benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in omnibus
ſæculis. 53 Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ, & ſuperlaudabilis & ſupergło-
rioſus in ſæcula. 54 Benedictus es in throno regni tui, & ſuperlaudabilis & ſuperexal-
tatus in ſæcula. 55 Benedictus es qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim, &
laudabilis & ſuperexaltatus in ſæcula. 56 Benedictus es in firmamento cœli: & lau-
dabilis & glorioſus in ſæcula. 57 Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate &
ſuperexaltate eum in ſæcula. 58 Benedicite angeli Domini Domino, laudate & ſuper-
exaltate eum in ſæcula. 59 Benedicite cœli Domino laudate & ſuperexaltate eum in

regis immutauerunt, & tradiderunt corpora ſua ne ſeruirent, & ne adorarent omnem
Deum excepto Deo ſuo. 96 *A me ergo poſitum eſt hoc decretum, vt omnis populus,*
tribus & lingua quæcunque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach,
& Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur: neque enim eſt alius Deus qui poſſit ita
ſaluare. 97 *Tunc rex promouit Sidrach, Miſach & Abdenago in prouincia Babylo-*
nis. 98 NABVCHODONOSOR *rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui*
habitant in vniuerſa terra, pax vobis multiplicetur. 99 *Signa & mirabilia fecit apud*
me Deus excelſus. 100 *Placuit ergo mihi prædicare ſigna eius, quia magna ſunt: &*
mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in gene-
ratione & generationem.

NABVCHODONOSOR facit ac dedicat ingentem aurecam ſtatuam, quam cùm Sidrach, Miſach, & Abdenago adorare nollent, in fornacem coniiciuntur.

1. *Nabuchodonoſor rex fecit ſtatuam.*] Accidit hoc, quamuis Propheta non dicat poſt 11. captiuitatis annum. nam ver. 36. dicit Azarias iam non eſſe principem nec ducem, & conſtat Sedeciam vndecim annis poſt initium captiuitatis regnauiſſe, 4. Reg. 24. 18. Sed coniungit Propheta hanc hiſtoriam cum initio captiuitatis, quia nihil eo tempore acciderat, quod ad eius inſtitutum pertineret. Quæritur inter interpretes cui & qua de re rex ſomnij oblitus ſtatuam erexerit. Placet mihi eorum opinio, qui ſibiipſi regem ſtatuam feciſſe putant, & quia plures melioréſque auctores habet Hieronymum ac Theodoritum, & quia cùm loquitur, videtur illam Diis ſuis opponere, ver. 14. *Verène Sidrach, Miſach, & Abdenago Deos meos non colitis, & ſtatuam auream, quam conſtitui non adoratis?* & quia in ſtatuæ fabricatione videtur ad ſtatuam, quam per ſomnium viderat alluſiſſe, propterea non argenteam, non æneam, non ferream, ſed auream fabricaſſe, quemadmodum Theodoretus adnotauit, quia audiuerat ex Daniele, ſe per caput aureum ſtatuæ ſignificari, tamen ſi quis malit, aut Belo, aut alteri Deorum eam feciſſe, inueniet auctores, & ego non magnopere repugnabo. Cur autem fecerit, nemini conſtare poteſt, ſed ſi coniecturis locus eſt, ſuſpicor leuem regem & ſuperſtitioni deditum à Chaldæis perſuaſum, vt omen illud transferendorum regnorum, quod Daniel per ſtatuam, quam ſomniando viderat portendi dixiſſet, ſtatua alia contraria in contrariam partem auerteret, propterea non ex multis metallis qualem viderat, ſed ex auro eam ingentíſque magnitudinis fabricaſſe, vt ſignificaret ſe ſolum totius orbis monarcham futurum eſſe. Denique declarare voluiſſe pœnitere ſe habitæ Danieli fidei, vt Chaldæis fortaſſe murmurantibus, quòd Iudæus factus eſſe videretur, ſignificaret. Qui non ſibi, ſed alicui Deorum feciſſe volunt, ideo feciſſe putant, vt Deos ſuos eius in verum Deum religione propenſionéque offenſos, nouo honoris genere placaret. Vtracunque opinio vera ſit, illud certè ex hiſtoria colligi videtur, Chaldæos id regi, tum ob alias fortaſſe cauſas, tum ob eam maximè perſuaſiſſe, vt Sidrach, Miſach, & Abdenago, quos prouinciarum operibus Præfectos eſſe inuidebant, inſidias patrarent. Sciebant enim non poſſe eos in alio crimine, quàm in Chaldaïcæ ſuperſtitionis contemptu deprehendi. In hanc ſuſpicionem adducor, quod hæc hiſtoria alteri, qua cap. 6. Medi Danieli inſidias poſuerunt, ſimillima eſt, vbi principes & ſatrapæ, non alia de cauſa Dario perſuaſerunt vti publico edicto vitaret, ne quis quemquam, neque hominem, neque Deum præter vnum regem, precaretur, quàm

vt accuſandi Danielis occaſionem quærerent. Accuſatio hic & illic eiſdem penè verbis inſtruitur: illi dicunt Medi ver. 13. *Daniel de filiis captiuitatis Iuda non curauit de lege tua, & de edicto quod conſtituiſti, ſed tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua.* Hinc dicunt Chaldæi ver. 12. *Sunt ergo viri Iudæi quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago, viri iſti contempſerunt, rex, decretum tuum, Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream, quam erexiſti non adorant. Et ſtatuit eam in campo Dura.* Locus erat in regione Babylonis planus, propterea putant nonnulli ibi ſtatuam poſuiſſe, vt & tanta hominum multitudo commodè conueniret, & ſupra omnes eminentẽ conſpicaretur. Aben Eſra ſcribit Hebræorum traditionem eſſe, in eo campo magnam captiuorum Iudæorum multitudinem antè trucidatam fuiſſe, ideóque eo loco ſtatuam poſitam, vt Iudæis præteritæ recordatio cædis metum incuteret. R. Saadias idcirco ibi poſitam dicit, quòd in ea regione Sidrach, Miſach, & Abdenago, habitarent: quod ſuperiorem noſtram ſuſpicionem confirmat: ideo ſtatuam fuiſſe factam, vt illis tenderentur inſidiæ.

2. *Ad congregandos ſatrapas.*] Quodnam officium ſingula hæc nomina ſignificent, & quia Chaldaïca ſunt & quia res quoque ipſa inuſitata, Hebræi ſe fatentur ignorare, aliíque dignitatis, alij muſicorum nomina eſſe ſuſpicantur, ſed primum nomen אחשדרפניא ex aliis locis: dignitatis nomen eſſe conſtat, vt Eſther cap. 3. 12. & cap. 8. 9. & cap. 9. 3. & Eſdræ 8. 36. Hoc eſt credibilius cætera etiam nomina dignitatum gradus ſignificare, R. Dauid, & Aben Eſra, חשד פניא. eos eſſe dicunt qui ſecundum à rege locum tenent, quod eò probabilius eſt quod vbicunque diuerſi dignitatis gradus connumerantur. אחשדרפניא Primò loco ponuntur. Hieronymus ſemper Chaldaïcum verbum Perſico verbo reddit Satrapas. Inde enim eſſe creditur Theodotion ὑπάτους *conſules.* Cætera nomina pro ſuo quódque loco quo poſitum eſt, maiorem minorémq; credendum eſt dignitatem ſignificare, quamquam hoc ipſum credibile non certum eſt. Cur autem omnes principes & magiſtratus rex acciuerit duas cauſas fuiſſe arbitror, alterã, vt eorum exemplo cæteri & auctoritate, alterã vt Sidrach, Miſach, & Abdenago, quibus inſidiæ ſtruebantur, cùm ex præfectorum numero eſſent, venire cogerentur. Poteſt autem hoc loco duplex dubitatio lectoris animum ſubire, altera quare Sidrach, Miſach, & Abdenago, vocati venerint, cùm conſtituiſſent ſtatuam, cuius adorandæ cauſa vocabantur, non adorare; Altera cur Daniel, aut non venerit, aut ſi venit, cum cæteris accuſatus non ſit. Nam veniſſe eum & adoraſſe nefas eſt credere. Suſpicor tres illos collegas duas ob cauſas vocatos veniſſe, & vt quatenus illis licebat, oſtenderent ſe regi parere, & vt ſuam in vera religione conſtantiam demonſtrarent. De Daniele Aben Eſra putat veniſſe quidem eum, ſed propterea non accuſatum, quòd omnes ſcirent magnæ eum apud regem auctoritatis eſſe, aut quòd eum propter excellentem virtutem & probitatem omnes amarent. Quod de ſtatuæ dedicatione dicitur, facile eſt: ſolebant enim ſicut templa, ita & ſigna ſolenni ceremonia dicari, quod ſæpe factitatum apud Romanos legimus.

4. *Et præco clamabat valenter.*] Hoc eſt præconiũ tam inuſitatis adiectis pœnis non tã propter Chaldæos ſatis ſua ipſos ſponte ad idololatriam procliues, quã propter Sidrach, Miſach, & Abdenago, fieri videtur: fertur enim ante culpã ſæua ſententia, ne in perſonas, ſed in crimen ferri videatur. Eadem arte cõtra Danielem agitur, c. 6. 7. decretũ imperatorium extat & edictum, vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunq; Deo, & homine, vſque ad triginta dies, niſi à te rex, mittatur in lacum Leonum.

8. *Sta-*

8. *Statimque ipſo tempore.*] Hinc apparet verum eſſe, quod ſuprà nos ſuſpicari diximus, Sidrach, Miſach, & Abdenago, paratas à Chaldæis fuiſſe inſidias: cùm enim dicit ſtatim eos ad regem illos detuliſſe, indicat in excubiis fuiſſe, vt illos obſeruarent, quemadmodum Medi Danielem orantem obſeruarunt, cap. 6. 11. Inde etiam ſuſpicio confirmatur, quòd cùm veriſimile ſit plus in tanta multitudine Iudæos fuiſſe, nonniſi hos tres accuſauerint, quòd nimirum in eos inuidia odióque pleni coniectos haberent oculos.

9. *Rex in æternum viue.*] Vſitata Chaldæorum ſalutatio, & ad captandam regis gratiam accommodata, ita ſuperiore cap. ver. 4.

10. *Tu rex poſuiſti.*] Singula verba ſingularem ad augendum crimen efficacitatem habent. quaſi dicat, decretum, quod tu rex tantus poſuiſti, captiui homines & beneficiis à te multis ſummíſque honoribus cumulari contempſerant. huc ſpectat quod dicunt ver. 12.

12. *Sunt ergo viri Iudæi.*]& cùm Iudæos vocāt, id eſt, alienigenas, hoſtes, captiuos, & cùm à rege operibus prouinciæ præfectos fuiſſe dicunt, & à regis & ab illorum perſona crimen amplificant, quaſi homines alienigenæ in alieno regno captiui, aucti regalibus honoribus tanti regis, eiúſque ipſius à quo tantis beneficiis affecti ſint, leges deſpiciant, Cùm autem dicunt Deos tuos non colunt, opprimunt eos non ſolùm recenti, ſed etiam veteribus criminibus: Et quòd antè religionis cauſa auſi non erant obiicere, nunc violati edicti regis obiiciunt. Sciebant enim reges ſeueriùs in ſuarum quàm in diuinarum legum violatores animaduertere ſolere.

15. *Nunc ergo ſi eſtis parati.*] Vacua & abrupta apoſiopeſi oratio plena erit, ſi intelligatur viuetis, aut aliquid huiuſmodi.

16. *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi.*] id eſt, non opus eſt nobis ad reſpondendum tibi de hac re deliberatione. Non enim negant reſponſo opus eſſe, cùm continuò reſpondeant. Ecce enim Deus noſter quem colimus poteſt eripere nos; ſed quia rex videbatur illis optionem & ſpatium ad deliberandum dare, reſpondent in re facili & certa, non opus eſſe deliberatione.

17. *Ecce enim Deus noſter quem colimus.*] Alludunt ad regis verba, eiúſque in Deum contumeliam contrariis verbis diluunt, atque ſuum Deo honorem aſſerunt. Dixerat rex ver. 15. & quis eſt Deus qui eripiet vos de manu mea? reſpondent illi: Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.

18. *Quod ſi noluerit.*] Non dicunt, quòd ſi non potuerit, quod contrarium erat eius quod dixerant, poteſt nos liberare, quemadmodum Hieronymus obſeruauit, ſed dicunt, quod ſi noluerit quia non de Dei potentia, ſed de voluntate dubitabant. Quod dum dicunt proinde futuri erroris regis occaſionem præcidunt. Videbatur enim rex periculum diuinæ potentiæ velle facere: illi occurrunt, monéntque ne fallatur, non eſſe conſentaneum, vt ſi Deus eos non liberauerit, continuò iudicandus ſit non potuiſſe, poſſe enim multa quæ non item velit. Se verò certos eſſe mori potiùs, quàm aut eius Deos, aut auream ſtatuam adorare. Hoc loco Aug. vti ſolet, vt doceat non eſſe religionem in diſcrimen ſingularis certaminis adducendam, quòd ipſe aliquando à Pelagianis prouocatus, quamuis & cauſa & ingenio, & doctrina longè ſuperior, non tā timidè quàm prudenter recuſauit. Nos multò etiam aptius contra Caluinianos vti poſſumus, qui in eo ſunt errore, vt exiſtiment Deum non plura poſſe facere quàm velit.

19. *Repletus eſt furore.*] Videns ſe à Sidrach, Miſach, & Abdenago contemptum. Nihil enim eſt, vt philoſophus quidem docet, quod magis iram accendat.

21. *Vincti cum braccis ſuis.*] Tria hîc diligenter Propheta narrat, vt miraculum, quod ſtatim enarraturus eſt magis eluceat. Primùm eſt, quod vincti miſſi fuerint, quia ver. 24. dicturus erat. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* ex quo coniectura duci poteſt, non prorſus obſcura, Danielem carmen illud quod ſequitur ſcripſiſſe, ſed aut malitia, aut negligentia Hebræorum intercidiſſe. Alterum eſt quod veſtiti, quia ver. 94. dicet ne vitulatas quidem eorum fuiſſe veſtes. Tertium in medium fornacis ſeptuplo magis, quàm ſolebat accenſæ coniectos eſſe, quia ſequenti ver. dicturus erat regis miniſtros, qui foris erant, flammam abſumpſiſſe, vt ex antitheſi, non vnum ſed multiplex, maiúſque miraculum appareat. De genere veſtium de quibus loquitur, nihil compertum auctores habent. Nam סרבל quod Hieronymus brachas vertit, R. Saadias compedes eſſe dicit, quod idcirco mihi non placet, quia certum eſt hîc de veſtibus ſermonem eſſe, & quia de compedibus iam dixerat eos vinctos miſſos fuiſſe. Melius R. Abraham ſuperiorem veſtem interpretatur: videtur enim hoc exaggeratio qua Propheta vtitur, poſtulare, vt dicat eos, non ſolùm cum calceis, & pileis & femoralibus quibus inhoneſtæ corporis partes teguntur, ſed etiam cum ipſis togis, quia regis vrgebat imperium, in fornacem fuiſſe coniectos. Sunt etiam apud Hebræos qui femoralia interpretantur, eodémque ſenſu, & Symmachus, & Aquila, & Theodotion Græcè, & Hieronymus Latinè reddit. Sic enim in commentariis exponit. Quanquam bracharum nomen, quo vſus eſt, non ſolùm femoralia, ſed genus etiam quoddam ſuperioris veſtis variæ, & intonſæ ſignificat, ex qua Narbonenſis olim prouincia Gallia brachata olim dicta eſt. *Et Tiaris*, pileis, vt ipſe Hieronymus, qui ita vertit, exponit. Chaldaïcè, פטשיהון. R. Saadias interpretatur femoralia, aut tibialia. *Et calceis ſuis.* כרבלחהון. R. Saadias interpretatur pileos, in modum caſſidis, cuiuſmodi nunc Turcæ, & orientales gentes vtuntur. R. Abraham, & alij, vt Saadias refert, clamidem exponunt: vtcunque ſit, omne genus veſtium quibus induerant ſignificari manifeſtum eſt.

25. *Stans autem Azarias.*] Exordiens Abdenago, qui cap. 1. ver. 6. & 7. vocabatur Azarias, ſic orauit. Gallicè, *Prenant la parolle.* Hiſpanicè, *tomo la mano.* Hebraïſmus eſt, עחר ורון. vt 3. Reg. c. 8. 55. ſtetit & benedixit Eccleſiæ, id eſt, cœpit benedicere, & 4. Reg. 20. 9. Cúmque diluxiſſet, egreſſus eſt & ſtans dixit ad omnem populum: vnde illa mea magis confirmatur opinio, Danielem hoc carmen Hebraicè compoſuiſſe.

27. *Quia iuſtus es.*] Tantum abeſt, vt noui erga ſe miraculi magnitudine Azarias efferatur, vt nouo potius Dei beneficio prouocatus ſua ſuæque gentis peccata confiteatur, ſeque meritò à Deo punitus eſſe dicat: Quamquam vt ait Hieronymus, cùm ipſe puer Babylonem ductus eſſet, non poterat ſuis peccatis captiuitatem meruiſſe, ſed loquitur ſuſcepta perſona populi ſui. Hoc eſt quod Deus per Ezech. multis locis prædixerat fore, vt Iudæi beneficiorum magnitudine ad peccatorum cognitionem, & pœnitentiam reducerentur, cap. 16. ver. 63. & cap. 36. 32.

28. *Iudicia enim vera.*] *καὶ κρίματα ἀληθείας ἐποίησας, & iudicia veritatis feciſti*, id eſt, iuſta iudicia, duplex Hebraiſmus, alter quod dicat iudicia veritatis pro veris, vt H. חמלטורלחת. alter quod iuſtitiam veritatem vocat. quod meam de auctore huius carminis ſententiam magis probat. *Iuxta omnia.* In omnibus quæ feciſti. בכל אשר עשית.

30. *Non audiuimus.*] Hebraïſmus etiam eſt pro mandatis tuis non obediuimus. וצותיך לא שמענו.

31. *In vero iudicio.*] Hebraïſmus quod dicat, in ἐν, pro, κατὰ, & quod verum, pro iuſto, vt ver. 28.

32. *Vltra omnem terram.*] Peſſimo omnium, quos terra ſuſtinet. כל רעתין אשר על הארצ׳.

33. *Non poſſumus aperire os.*] adeo ex magnitudine pœnæ, peccatorum magnitudo manifeſta eſt, vt ne aperire quidem ad excuſandam, aut extenuandam culpam, os poſſimus. Prædixerat hoc Deus apud Ezechielem, cap. 16. 52. Ergo & tu porta confuſionem tuam, quæ viciſti ſorores tuas, ſceleratius agens ab eis, iuſtificatæ enim ſunt à te. *Confuſio & opprobrium facti ſumus ſeruis tuis.* populo tuo peculiari ac electo, cui exprobratur quòd verum Deum non colat, quandoquidem nos paſſus fuerit in manus hoſtium venire. Sicut apud Ezechielem c. 36. 22. Deus dicit ſe Iudæos à captiuitate liberatutum, non propter ipſos, ſed propter nomen ſanctum ſuum, quod inter gentes polluebatur.

34. *Ne diſſipes.*] Ne mutes, aut ne diſrumpas teſtamentum tuum, quo Iudæorum populum hæredem tuum conſtitueras. Sicut Moyſes orat, Deut. 9. 22. 29. alludit enim ad conſuetudinem eorum qui teſtamentũ, quo aliquem hæredem conſtituerant, propter aliquod admiſſum ab eo ſcelus antiquare ſolent.

36. *Quibus locutus es pollicens.*] ὡς ἐλάλησας πρὸς αὐτοὺς λέγων, *quibus locutus es ad ipſos dicens*, Hebraiſmus altero relatiuo redundante. Cùm autem dicit propter Abraham, Iſaac, & Iacob, non ſolùm ſignificat propter promiſſionem Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo factam, id enim dixiſſet. ſed propter merita, propter memoriam, propter preces, aut aliquid eiuſmodi.

38. *Princeps, & Dux, & Propheta.*] Hinc apparet hoc poſt Sedeciæ mortem accidiſſe; nam vſque ad illud tempus Iudæi reges, & Prophetas templúmque & ſacrificia habuerunt. Quod autem dixit non eſſe Prophetam intelligit in Iudæa, nam ipſe, & Ezechiel erant Babyloni.

41. *Et nunc ſequimur te.*] Captiuitate caſtigati conſtituimus te deinceps ſequi. Cùm enim occideret eos reuertebantur & diluculo veniebant ad eũ, Pſ. 77. 38.

43. *In mirabilibus tuis.*] κατὰ τὰ θαυμάσιά σου, *Iuxta mirabilia tua*, id eſt, editis miraculis, quæ ad liberandum populum tuum facere ſoles, ſicut populum olim ex Ægypto liberaſti. Exod. c. 9. 10. 11. 13. & 14 ad ea enim miracula hic alludit.

44. *Qui oſtendunt ſeruis tuis mala.*] qui affligunt ſeruos tuos. Hebraiſmus. דריאו. qualis ille, Pſalm. 59. 3. *Oſtendiſti populo tuo dum potaſti nos vino compunctionis.* & Eccleſiaſt. 24. *Nonne melius eſt comedere, & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis. Confundantur in omni potentia.* tua, tua potentia. Gr. ἀπὸ πάσης δυναστείας, *ab omni potentia*, id eſt, fruſtretur eos omnis ipſorum potentia, in qua confidunt, fiántq; per te impotentes atque imbecilles, ſicut ſtatim dicit, & robur eorum conteratur.

46. *Naphtha.*] νάφθαν, bituminis flos eſt, qui facillimè ignem concipit, Plin. lib. 2. cap. 105. ex quo ignis ille conficitur, quem vulgò Græcum vocant. Eius magna iuxta Babylonem copia fuiſſe dicitur. Alij, vt ait Hieronymus amurcum eſſe putant. Dioſcor. lib. 2. cap. 12. & Plutarchus in Alex.

49. *Deſcendit cum Azaria & ſociis eius.*] συγκατέβη ἅμα τοῖς περὶ τὸν Ἀζαρίαν εἰς τὴν κάμινον. *conſcendit vnà cum iis qui circa Azariam in fornacem*, id eſt, cum ſociis Azariæ. Dixerat antè quid Azarias in fornace feciſſet, dicit nunc quid acciderit interim eius ſociis, nempe non fuiſſe crematos, ſed conſeruatos ab Angelo.

50. *Quaſi ventum roris flantem.*] ὡς πνεῦμα δρόσου διασυρίζον. *ſicut aërem roſcidum leuiter ſibilantem*, quo in media æſtate maximè ſolemus recreari. quaſi dicat, nòn modò ſenſerunt ignis ardorem, ſed etiam refrigerationem roris ſimilem perceperunt, quod dicit, πνεῦμα δρόσου, *aërem roris*, pro, πνεῦμα δροσώδες, *aëre roſcido*. Hebraiſmus etiam eſt.

52. *Nomen gloriæ tuæ.*] Nomen tuum glorioſum, & hic Hebraiſmus, ſicut ver. 53. in templo ſancto gloriæ tuæ, & ver. 54. εὐλογημένος ἐν θρόνῳ δόξης τῆς βασιλείας σου. *Benedictus es in throno gloriæ regni tui.*

65. *Omnes ſpiritus.*] πάντα τὰ πνεύματα, *omnes ſpiritus* id eſt, omnes venti, vt Pſal. 148. 8. Ignis, grando, nix glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbũ eius, cætera plana ſunt, niſi quòd Græcè alio ordine quàm Latinè ponũtur.

83. *Benedicat Iſraël.*] εὐλογεῖτε Ισραήλ. *Benedicite Iſraël Domino.* noſter interpres legit fortaſſis, εὐλογείτω.

86. *Spiritus & animæ iuſtorum.*] Angeli & animi eorum qui in ſinu Abraham ſunt.

88. *Qui eruit nos de inferno.*] ὅτι ἐξείλετο ἡμᾶς ἐξ ᾅδου, *quia eruit nos ex Inferno*, id eſt, ex morte, vt ſtatim per repetitionem declarat.

90. *Omnes religioſi.*] πάντες οἱ σεβόμενοι τὸν κύριον. *Omnes Dei cultores.*

91. *Et ait optimatibus ſuis.*] Diuino conſilio factum eſt, vt optimates interrogaret, vt quorum accuſatione tres ſocios in fornacem miſerat, eorum confeſſione immunes extraheret: miratur autem illos non ſolùm, non conſumptos, ſed quodammodo multiplicatos, nam pro tribus quatuor videt.

92. *Et ſpecies quarti ſimilis filio Dei.*] Multi veteres auctores, vt Hieronymus indicat, hunc Chriſtum fuiſſe putarunt, qui iam tum ante ſumptam humanam naturam, eius ſimilitudinem induerat, & ſe quodammodo ad futurum redemptoris officium exerceret. Sic enim poſtea patriarchas ex inferno loco liberauit, & tunc tres illos ſocios liberauit à fornace. Opinio eſt valde probabilis, & Prophetæ verbis & Iuſtini, Tertulliani, Hilarij ac ferè omnium vetuſtiorum ſcriptorum ſententiæ conſentanea, qui Chriſtum fuiſſe dixerunt eum, quem ſæpe & ſpecie, & appellatione angeli Patriarchis apparuiſſe legimus. Repugnat tamen Hieronymus vultque angelum illum fuiſſe, qui v. 49. in fornacem deſcendiſſe dicitur: quem propterea Nabuchodonoſor filio Dei ſimilem vocat quod humanam pulchritudinem excederet. Eadem Hebræorum ſententia eſt: Nam homines & angelos forma præſtantes filios Dei appellari; quam R. Abraham, exemplo illo confirmat, Gen. 6. 2. *Videntes filij Dei filias hominum quod pulchræ eſſent acceperunt ſibi vxores.* Accidit quod paulò infrà ver. 95. dicitur, *Benedictus Deus qui miſit angelum ſuum & eruit ſeruos ſuos*, quamquam & Chriſtum angelum vocatum legimus.

94. *Et congregati Satrapæ.*] Hoc etiam diuino conſilio fit, vt publico totius regni decreto miraculum comprobetur, magíſque eorum qui damnauerant, confeſſione Dei gloria illuſtretur. quid ſingula nomina ſignificent explicatum eſt, ſuprà ver 3. *Et capillus capitis.* Tria commemorat iudicia quibus perſpectum eſt, nihil illis detrimenti ignem intuliſſe, primum quod eorum capillus aduſtus non fuerit, ſecundum quod ſaraballa (quam interpres, ver. 25. braccas appellauit,) id eſt. ſuprema veſtis quàm primum ignis attingeret, neceſſe erat, integra fuerit. Hæc enim duo facillimè aduruntur. Tertium quod ne odor quidem vllus ignis in illis perciperetur. Quod maximum integritatis argumentum erat. Solemus enim cùm vel minima ignis ſcintillula veſtem diſſilet,

prius

prius vſtionis odorem quàm vſtionem ipſam ſentire. Quod dicit odorem non tranſiiſſe per eos, Hebraiſmus eſt, perinde ac ſi diceret ne ex odore quidem apparuiſſe eos per ignem tranſiiſſe. Declaratum eſt in tribus his Dei cultoribus veram illam eſſe Chriſti ſententiam, Matth. 10. 30. *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Et illam Iſaiæ 43. 2. *Cùm ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te.* Illud etiam quamuis leue obiter indicabo, alludi fortaſſe hic ad vſitatum Hebræorum prouerbium. Solent enim cùm volunt ſignificare aliquem nihil prorſus accepturum detrimenti, dicere ne capillum quidem eius capitis periturum, 1. Reg. 44. 45 & 2. Reg. 14. 11. & 3. Reg. 1. 52.

95. *Benedictus Deus eorum.*] Deum eorum, vt opinor vocat, quem illi tres viri maiore quodam ſtudio colebant, ſicut Iudæi vocabant Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, quem illi religioſius, quàm cæteri coluiſſent: aut qui eos ex incendio liberauit. *Qui miſit angelum ſuum.* Sicut Dauid ait Pſal. 33. 7. Immittit angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quem ver. 92. quaſi neſciens quis eſſet, ſimilem filio Dei eſſe dixerat, nunc ſuo nomine angelum appellat. Credibile eſt eum, quamuis Propheta non dicat, ex illis ipſis tribus viris iam ex fornace egreſſis didiciſſe illum fuiſſe angelum à Deo ſibi miſſum. *Qui crediderunt in eum.* די התרחצו עלהי. R. Abraham exponit, qui confiſi ſunt in eo. *Et verbum regis immutauerunt.* שניו ad verbum. Secundauerunt, id eſt, poſtpoſuerunt Dei præcepto. Secundo loco à Deo præceptis habuerunt ſcientes oportere Deo potiùs, quàm hominibus obedire, Act. 5. 29.

96. *A me ergo poſitum eſt.*] ponitur. p. p. p. ex duobus verbis conſtat non fuiſſe Nabuchodonoſorem omnino, ſed ex parte tantùm aliqua in veri Dei cognitionem traductum, primum quòd non iubeat eos Deum colere, aut ſaltem liberè permittat: ſed tantùm edicat, ne quis in illum conuitia iactet, vt antè fieri ſolebat. Deinde quòd non confiteatur nullum omnino alium præter illum eſſe Deum, ſed tantùm quaſi miraculi magnitudine coactus dicat, non eſſe alium Deum qui ita ſaluare poſſit.

97. *Tunc rex promouit.*] reſtituit in priſtinam dignitatem, vt plerique interpretantur, aut vt alij auctore Hieronymo, quibus ego magis aſſentior, auxit illis honorem. Quia cùm antè non eſſent niſi præfecti operum, vt vidimus c. 2. v. 49. nunc ipſarum prouinciarum præfectos fecit. Argumentum quod illic non dicatur prouinciis, ſed operibus prouinciarum, hîc non operibus, ſed prouinciæ præfeciſſe.

98. *Nabuchodonoſor rex.*] quidam hæc verba ad quartum caput, quod hinc inchoant pertinere putant. Hebræi contra hoc tertium caput, vſque ad verſum 26. ſequentis capitis extendunt. Illinc autem quartum incipiunt. Ac mihi quidem verborum ſententiarumque ſequentiam intuenti probabilius videtur, Hæc verba ad ſuperiorem hiſtoriam non ſpectare. Et quia ſi Propheta regis edictum ob miraculum fornacis factum ſubiicere voluiſſet, ſtatim poſt v. 96. ſubieciſſet, vbi dixit: A me ergo poſitum eſt hoc decretum, neque interpoſuiſſet ver. 27. cuius ſententia nihil ad edictum pertinebat. Et quia ſi hæc verba cum ſuperiori miraculo copulentur, non ſatis aptè Propheta videbitur quartum caput exordiri, Ego Nabuchodonoſor. Ergo eos qui ita hæc duo capita ſeciuerunt, illud fortè fefellit, quod v. 96. de regis decreto mentio facta eſſet, ſtatim forma quædam decreti ſequeretur, neque animaduerterunt ſententiam, verbáque diſſidere. Duo igitur Nabuchodonoſor decreta poſuit. Alterum propter miraculum fornacis, cuius verba Propheta non recitat. Alterum ob

interpretationem ſomnij, quo ingentem arborem vidit. Cuius verba propter Daniel poſuit, quia tota in eo ſomnij, & interpretationis hiſtoria narratur.

99. *Placuit ergo mihi.*] Ergo redundat, Chald. שפר קדמי. rectum eſt coram me, id eſt, decet me prædicare. Theod. ἤρεσεν ἐναντίον ἐμοῦ ἀναγγεῖλαι, *placuit mihi commemorare.*

100. *Eius ſigna.*] Eius etiam redundat, Chald. אתוהי. Theod. ὡς μεγάλα τὰ σημεῖα αὐτοῦ, *quia magna ſunt ſigna eius.*

CAPVT IV.

EGO Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo,
2 ſomnium vidi quod perterruit me: & cogitationes meæ in ſtratu meo,
& viſiones capitis mei conturbauerunt me. 3 Et per me propoſitum eſt
decretum, vt introducerentur in conſpectu meo cuncti ſapientes Babylonis, & vt ſolutio-
nem ſomnij indicarent mihi. 4 Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, &
aruſpices & ſomnium narraui in conſpectu eorum, & ſolutionem eius non indicaue-
runt mihi: 5 donec collega ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Bal-
taſſar ſecundum nomen Dei mei, qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum in ſemetipſo:
& ſomnium coram ipſo locutus ſum. 6 Baltaſſar princeps ariolorum, quoniam ego
ſcio quod ſpiritum ſanctorum Deorum habeas in te, & omne ſacramentum non eſt im-
poſſibile tibi: viſiones ſomniorum meorum quas vidi, & ſolutionem eorum narra. 7 Vi-
ſio capitis mei in cubili meo, Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius ni-
mia. 8 Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius
erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. 9 Folia eius pulcherrima & fructus eius nimius:
& eſca vniuerſorum in ea: ſubter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis eius
conuerſabantur volucres cœli: & ex ea veſcebatur omnis caro. 10 Videbam in viſio-
ne capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit. 11 Cla-
mauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius,
& diſpergite fructus eius: fugiant beſtiæ quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius,
12 Veruntamen germen radicum eius in terra ſinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo
in herbis quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ.
13 Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei: & ſeptem tempora mutentur
ſuper eum. 14 In ſententia vigilum decretum eſt, & ſermo ſanctorum, & petitio: donec
cognoſcant viuentes quoniam dominatur. Excelſus in regno hominum, & cuicunque vo-
luerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper eum. 15 Hoc ſomnium
vidi ego Nabuchodonoſor rex: tu ergo Baltaſſar interpretationem narra feſtinus: quia
omnes ſapientes regni mei non queunt ſolutionem edicere mihi: tu autem potes, quia ſpi-
ritus Deorum ſanctorum in te eſt. 16 Tunc Daniel, cuius nomen Baltaſſar, cœpit
intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum.
Reſpondens autem Rex ait, Baltaſſar, ſomnium & interpretatio eius non conturbent te.
Reſpondit Baltaſſar, & dixit, Domine mi, ſomnium his qui te oderunt: & interpretatio
eius hoſtibus tuis ſit. 17 Arborem quam vidiſti ſublimem atque robuſtam, cuius altitu-
do pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnem terram: 18 & rami eius pulcherri-
mi, & fructus eius nimius, & eſca omnium in ea, ſubter eam habitantes beſtiæ agri, & in
ramis eius commorantes aues cœli. 19 Tu es rex, qui magnificatus es, & inualuiſti: &
magnitudo tua creuit, & peruenit vſque ad cœlum, & poteſtas tua in terminos vniuerſæ
terræ. 20 Quod autem vidit rex vigilem, & ſanctum deſcendere de cœlo, & dicere,
Succi-

Digitized by Google

Succidite arborem, & diſſipate illam, attamen germen radicum eius in terra dimittite, &
vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cœli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum
eius, donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum. 21 *Hæc eſt interpretatio ſententiæ Al-*
tiſſimi, quæ peruenit ſuper dominum meum regem, 22 *Eiicient te ab hominibus, & cum*
beſtiis feriſq; erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis: ſeptem
quoque tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur Excelſus ſuper regnum
hominum, & cuicunque voluerit det illud. 23 *Quod autem præcepit vt relinqueretur*
germen radicum eius, id eſt, arboris: regnum tuum tibi manebit poſtquam cognoueris pote-
ſtatem eſſe cœleſtem. 24 *Quamobrem rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua*
eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis
tuis. 25 *Omnia venerunt ſuper Nabuchodonoſor regem.* 26 *Poſt finem menſium duo-*
decim, in aula Babylonis deambulabat. 27 *Reſponditq; rex, & ait, Nónne hæc eſt Ba-*
bylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria
decôris mei? 28 *Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit, Tibi dicitur Na-*
buchodonoſor rex, Regnum tranſibit à te, 29 *& ab hominibus eiicient te, & cum beſtiis*
feris erit habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabũtur ſuper te:
donec ſcias quòd dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud.
30 *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt:*
& fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimili-
tudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium: Igitur poſt finem dierum ego
Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi: & Altiſ-
ſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui: quia poteſtas eius po-
teſtas ſempiterna, & regnum eius in generatione & generationem. 32 *Et omnes habita-*
tores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: iuxta voluntatem enim ſuam facit tam in
virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ: & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei,
Quare feciſti? 33 *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni*
mei, decoremq; perueni: & figura mea reuerſa eſt ad me, & optimates mei, & magiſtra-
tus mei requiſierunt me, & in regno meo conſtitutus ſum: & magnificentia amplior ad-
dita eſt mihi. 34 *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo & magnifico, & glorifico re-*
gem cœli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia
poteſt humiliare.

NARRATVR ſomnium alterum regis, quod ſolus Daniel interpretari potuit. Quare edictum ab eo promulgatum eſt, vnum eſſe Deum qui regna transferet.

1. *Ego Nabuchodonoſor.*] & pronomen ego, & nomen Nabuchodonoſoris, ad emphaſim faciendæ fidei cauſa poſita ſunt. Sicut nos ſcripta, quibus aliquid teſtari volumus, ita ſolemus exordiri, Ego Titius affirmo. *Quietus eram.* שלה. pacificus, id eſt, proſper, per enim omnium rerum abundantiam ſignificare ſolet, vt apud Iſaiam ſæpe adnotauimus, Antequam ſomnium narrat, multis de cauſis præfatur ſe domi ſuæ proſperum fuiſſe atque florentem, primùm vt ſignificet ſe non humanis viribus, ſed diuino conſilio, quo omnia regna conſtituuntur atque vertuntur, de ſuo regno deturbatum, eodémque reſtitutum. Deinde vt occaſionem & cauſam ſomnij oſtendat, indicat enim propterea hoc ſomnium à Deo ſibi miſſum, quo futurum regni ſui excidium videret quia cùm proſper eſſet ac florens, nimium in ſua fælicitate ac viribus confidebat. Quemadmodum Daniel c.2.v.29. cùm dixit, *Tu rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo quid eſſet futurum poſt hæc* ſomnij occaſionẽ materiámq; declarauit. Huc

ſpectat

Digitized by Google

ſpectat quod dicit ſe in domo & in palatio ſuo fuiſſe, id eſt, non militiæ: niſi domum & palatium: aut vt alij חנך interpretantur, pro toto regno poni, quod eodem tamē redit. Tertia cauſa eſt, vt ad ſomnij ſignificationem alludat. Vidit enim arborem, arboris autem eſt florere, & proſperam eſſe, id eſt fructum ferre.

2. *Et perterruit me.*] Hoc ideo dicit vt oſtendat ſomnium non fuiſſe vulgare, qualia omnes homines habere ſolent, & ipſum Nabuchodonoſorem, multa ſæpéque habuiſſe credendum eſt, ſed diuinitus miſſum, proptereaque terrorem animo incuſſiſſe. Hoc eſt quod ſtatim dicit, *Cogitationes meæ.* Cùm euigilaſſem multa ſolicitus de ſomnij mei portento cogitare cœpi: quæ me anxium reddebant. *Et viſiones capitis mei.* Somnia quæ videram conturbauerunt me. vocat viſiones plurali numero, cùm vnum tantùm ſomnium habuerit, quia multa vno ſomnio vidit, arborem, folia, beſtias volucres, angelum clamantem Succidite, vt cap. 2. v. 28. *Somnium tuum & viſiones capitis tui huiuſmodi ſunt.* Adnotauimus apud Ezechielem quiddam ſimile, vt ex R. Dauid & R. Salom. c. 1. viſiones autem capitis vocat, vel quòd oculi quibus videmus in capite ſint, vel quod ſomnium in cerebro fiat; vt ait Aben Eſra. Obſeruamus hanc phraſim apud ſolum Danielem reperiri, neque omnem viſionem, ſed ſomnium modò ſignificare, vt infrà v. 7. & 10. & c. 7. 15. & ſuprà c. 2. v. 28. nec Hebraïcam eſſe, ſed Chaldaïcam; non enim ea Daniel vtitur, niſi cùm Chaldaïcè loquitur.

4. *Arioli & magi.*] Quid ſingula hæc nomina ſignificent, vide ſuprà c. 1. 20 & c. 2. 8. Poteſt mirum videri Danielem prioris iam ſomnij explicatione nobilem aut accitum cum cæteris non veniſſe. Cauſa hæc fortaſſe fuit quòd Daniel homo peregrinus, quamuis in magna ſapientiæ opinione eſſet, tamen ex conſortio, & veluti academia ſapientum Chaldæorum non eſſet. Itaq; cùm ſapientes vocabantur, Chaldæi ſoli veniebant, quod & ſuprà factum videmus c. 2. 2. & infrà iterum videbimus, c. 5. 8. Altera quoq; cauſa eſſe potuit, illa ipſa ſumma Danielis opinio, quæ cùm ad explicandas res aliis inexplicabiles reſeruabat aut vt c. 1. diximus, quia Chaldæi non habebant Danielem in numero augurum, & cæterorum qui ſuperſtitioſo diuinandi genere vtebantur, ſciebant enim id Hebræis lege vetitum eſſe, ſed in numero Iudaïcorum Prophetarum, qui diuino ſpiritu res aliis incognitas interpretaretur, vt indicatur ver. ſeq. & c. 5. v. 11.

5. *Donec collega ingreſſus eſt.*] Collegæ nomen Chaldaïcè non eſt, neque Theodotion vertit, ſed Hieron. auctor verſionis noſtræ ita reddidit, quod Chaldaïcè eſt, אחרין. tandem. *Cui nomen Baltaſar ſecundum nomen Dei mei.* Hoc à nobis in prooemio, cùm de Danielis nominibus ageremus, explicatum eſt; nomen enim Baltaſſar, aut vt Hebræi Chaldæique pronuntiant, Balſaſſar, ex Bele nobiliſſimo Chaldæorum Deo ductum eſt, Beliſque occultum theſaurum, aut aliquid huiuſmodi Belis ſignificat. *Qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum.* Indicat ſe maiorem quàm de homine de Danielis ſapientia opinionem habere. Quod autem Deorum ſanctorum numero plurali dicit, ex Chaldæorum conſuetudine loquitur, qui multos eſſe credebant Deos, quam indicat ſe non penitus exuiſſe, aut vt nonnulli coniiciunt, Hebræorum malè intellecto more vtitur, qui Deum אלוהים. pluraliter vocare ſolent.

6. *Princeps ariolorum.*] Non quòd ipſe ariolus eſſet, ſed quod rex eum propter prioris ſomnij explicationem ariolis & magis præfeciſſet, c. 2. v. 48. appellat eum honorificè ariolorum principem, vt eius ſibi gratiam conciliet. *Et viſiones ſomniorum meorum.* Cur pluraliter loquatur, cùm vnum tantùm ſomnium habuerit, diximus ſuprà v. 2.

7. *Viſio*

7. *Viſio capitis mei.*] וחזוי. & viſiones capitis mei, id eſt, viſiones autem capitis mei quas habui, על משכבי. in lecto meo, huiuſmodi fuerunt. *Videbam, & ecce.* Hebraïſmus Latinus diceret, videbar mihi videre arborem in medio terræ admirandæ magnitudinis. Hoc ipſum quod dicit in medio terræ, ſuam in ſomnio emphaſim habet. Significat enim Nabuchodonoſorem in medio terræ, in toto quodammodo terrarum orbe dominari. Non erat oblitus rex huius, ſicut prioris ſomnij, quod eadem obliuionis cauſa non eſſet. Tunc enim oblitus eſt, quia volebat hac ratione Deus Danielis diuinum ſpiritum apparere: nunc non obliuiſcitur, quia iam Daniel ſatis cognitus erat.

8. *Magna arbor & fortis.*] qualis quercus aut robur, quod inde nomen habet. Significat Nabuchodonoſoris imperiū & gloria ſublime, & amplitudine longè lateque patens,& viribus robuſtum eſſe. *Aſpectus illius.* figura eius; non enim veram arborem, ſed effigiem arboris vidit: ea igitur effigies videbatur ad vltimos terræ fines peruenire.

9. *Et eſca vniuerſorum in ea.*] Iam copioſus fructus in ea erat, vt omnibus animantibus alendis ſatis eſſet,quòd indicabat omnes homines Nabuchodonoſoris opibus viuere potuiſſe.

10. *Videbam in viſione capitis mei.*] חזה הוית בחזוי ראשי. videns eram in viſionibus capitis mei,id eſt,videbar mihi per ſomnium videre. vide ſuprà ver.2. *Et ecce vigil.* Angelus excubitor. R. Moſes & Aben Eſra, ideo angelum vigilem vocari putant,quod cùm vacet corpore,numquam ſomno capiatur.Ego potiùs vigilem vocari arbitror, quòd diuinæ prouidentiæ; &, vt ita dicam, vigilantiæ miniſter ſit, &, vt Hieronymus ait, quia ſemper ad excipiẽdum exequendúmq; Dei imperium inuigilant. *Non enim dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël,* Pſal. 120.4. Alij Hebræi Echo interpretantur.

12. *Germen radicum eius.*] imam eius radicem, aut truncum radicibus nixum. *Et alligetur in herbis.* in pratis, aut in campis ſub dio inter herbas quæ rore tinguntur. *Et cum feris pars eius in herba terræ,*id eſt,portio cibi eius ſint herbæ, quibus feræ paſcuntur. aut, verſetur cum feris herbam paſcens. interpretationem vide inf.ver.23.

13. *Cor eius ab humano commutetur.*] Auferatur illi cor humanum, id eſt, fiat inſanus & ſimilis beſtiis,quia enim cùm in honore eſſet,non intellexit,comparabitur iumentis inſipientibus, & ſimilis illis fiet. Tribuit arbori ſenſus & cor humanum, reſpiciens ad rem ſignificatam; nam per arborem regem intelligit. *Et ſeptem tempora.* ſeptem anni,vt R. Saadias exponit, tempus pro anno, vt infr. cap.12.7. *in tempus & tempora, & dimidium temporis.*

14. *In ſententia vigilum.*] Angelorum, vt verſ. 10. Dei ſententiam angelorum vocat, quòd per angelos pronuntietur, & executioni mandetur, vt iuriſperiti loquuntur. *Et ſermo ſanctorum, & petitio*, videtur mihi verborum ordo eſſe præpoſterus, ſermonémque hoc loco reſponſum ſignificare. Hæc eſt petitio ſanctorum angelorum,& eius reſponſio, quia de decreto & ſententia mentionem fecerat,vt in eadem metaphora perſeuerat, vtitur petitionis & reſponſionis verbo; non enim ſolent niſi poſtulante aliquo decreta fieri, quemadmodũ apud Romanos omnem legem ac decretum rogatio præcedebat. Fingit ergo angelos qui Deo adſtant,poſtulaſſe quid futurũ eſſet Nabuchodonoſori,Deum autem quod dictũ eſt reſpondiſſe,vt fieret donec cognoſcerent viuentes, id eſt, omnes mortales.Contraria enim voce idem Latini Hebræiq; ſignificant,domi-

mari Deum in regnis hominum, & pro ſua voluntate huic aut illi ea conferre. Similis inter Deum & angelos deliberatio apud Iob.ca.1.v.6. & 3.Reg.cap.22. ver.20.21.& inter ſanctos martyres & Deum in Apocal.cap.6.ver.10. Alij angelos verè à Deo votis ſuis poſtulaſſe putant, vt ſuperbus rex deprimeretur, ne Dei gloriam quantum in ipſo eſſet, obſcuraret.

15. *Quia omnes ſapientes regni mei.*] Hîc etiam rex Danielis captat beneuolentiam, indicans ſe plus illi quàm cæteris omnibus ſapientibus attribuere. Cur in eo ſpiritum ſanctorum Deorum eſſe dicat, vide ſup.ver.6.

16. *Tacitus cogitare.*] Muſitare, aut אשתומם. obſtupefactus ſtetit, hæſit attonitus, ſicut Theodotio reddidit. Quod tribus de cauſis factũ eſſe intelligi poteſt, vel ipſo ſpiritu prophetico, qui cùm in Prophetas irruit, perturbare exanimaréque ſolet, quod eidem Danieli cap.10.ver.16.& Ezech.cap.2.1.& c.3.23.& 11.
17. accidiſſe legimus. Quod Hebræi imperfectum quiddam in Prophetis eſſe putant, vt R. Moſes in More, & in explicatione Decalogi notauit, vel triſti & infauſto ſomnio non audens regi infælicem euentum denuntiare, vt Hieronymus exiſtimat, ſicut mulier illa pytonem habens timebat quod viderat Saüli declarare, 1.Reg.c.28.v.12.13.vel non regis metu, ſed miſeratione, vt alij volũt, bene enim volebat regi, pro quo Ieremias omnes Iudæos Deo ſupplicare iuſſerat, cap.29.7. & à quo ipſe præ cæteris Daniel multis deuinctus eſſet beneficiis. Secundam & tertiam eam & rex videtur indicare, cùm dicit, *Somnium & interpretatio eius non conturbent te.* & Daniel cùm reſpondet, *Domine mi ſomnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit.*

19. *Tu es ipſe rex.*] Declarat ſomnij ſignificationem nullo prorſus impeditus affectu: dicit per magnam illam arborem regem ipſum ſignificatum. Per arborem ideo rex ſignificatur, quòd ſicut arbor, ramis & vmbra, ita rex homines ſua auctoritate protegat. Similis metaphora Iud. 9.8.15.

21. *Hæc eſt interpretatio.*] H. דכה פשרא מלכא. hæc eſt interpretatio, ô rex, nempe ſententiam altiſſimi ad te perueniſſe, hoc eſt appropinquaſſe ſuppliciũ, quod tibi iam olim à Deo decretum erat.

24. *Conſilium meum placeat tibi.*] Plus Daniel reſpondit quàm interrogatus erat, quod & beneuolentia & commiſeratione erga regem facit, & vt eum acerbitate ſententiæ mœſtum propoſito remedio conſoletur: *Peccata tua eleemoſynis redime.* Sic etiam Theodotion reddidit. Chaldaïcè בצדקה פרק. in iuſtitia redime. & Theodotion & eum ſecutus Hieronymus noſter interpres, ſententiam non verba tranſtulerant. Manifeſtum enim eſt iuſtitiam hoc loco largitionem in pauperes appellari, quod ea re maximè homines iuſtificentur, vt ſtatim reperita ſententia declaratur. Idem apud Matth.cap. 6.1. fecit, vbi cùm Græcè eſſet, προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν ἀνθρώπων. *Cauete ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus.* vertit, *Attendite ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus.* quia vt paulò pòſt apparet, de eleemoſyna ſermo erat. verbum פרק. non ſolùm Græcus; & Latinus noſter interpres, ſed omnes etiam Hebræi, redimere interpretantur, vt R. Saadias & Aben Eſra. Solus Caluinus, vt illuſtriſſimum ad refellendum eius errorem locum offuſis tenebris obſcuraret, vertit, Peccata tua iuſtitia ſepara vel abrumpe, id eſt, peccandi finem facito. Maluit nimirum nullum quàm verum ſententiæque ſuæ contrarium ſenſum elicere. Quis enim quæſo ſenſus eſt, peccata tua iuſtitia ſepara aut abrumpe? aut quis tam ineptè, tam durè, tam ſine mente niſi Caluinus aliquis loqueretur? Fingamus dixiſſe Danielem, non iam peccata tua rumpe, quod

tidi-

ridiculum eſt:ſed quod eſt perſpicuum, Peccatis tuis exercenda iuſtitia finem impone, locutus quidem fuiſſet, non beluino, vt Caluinus, ſed humano more, tamen neque verba bene cohærerent, & minùs dixiſſet quàm cauſa quamque eius voluntas poſtulabat. Si enim dicere voluiſſet, vt peccandi finem faceret, non adiunxiſſet iuſtitiæ verbum, quod neque ad eum ſenſum exprimēdum neceſſarium erat, & malè cum finiendi verbo cohærebat. Cauſa verò ipſa poſtulabat vt aliquid maius Propheta diceret, ſi enim rex ob futura peccata puniendus fuiſſet, facile remedium erat pœnæ vitandæ, non vltrà peccare. Cùm autem propter admiſſa iam peccata puniēdus eſſet, parum erat peccandi finem facere, niſi bene etiam faciendo præteritorum peccatorum veniam promereretur. Stat ergo Eccleſiaſtica vno Apoſtolica & Prophetica ſententia poſſe nos Deo vtquidem meritorum Chriſti, vnde quidquid gratiæ, quidquid iuſtitię, quidquid meritorum eſt proficiſcitur: ſed tamen poſſe nos Deo bonis operibus ſatisfacere, decretaſque pœnas ab eo declinare, quidquid hæretici delirent. Quorum varios commentarios cum hoc loco legerem, vt viderem quomodo ſe hinc euoluerent ac expedirent, equidem riſum tenere non potui. Qui acutiſſimi ſunt iuſtitiam & eleemoſynam fidem in Chriſtum ſignificare dicunt, quod alia præter Chriſtum iuſtitia nulla ſit, hoc ſcilicet iſtis hominibus eſt ſcripturam interpretari, pro iuſtitia fidem, pro eleemoſyna Chriſtum, id eſt, nigrum pro albo dicere. Quaſi verò Daniel qui iam antè capite ſecundo de regno Chriſti mentionem intulerat, quique tantopere cupiebat regi bene conſulere, vt audito ſomnio obſtupefactus præ dolore hæſerit, vno verbo dicere vnum remedium eſſe ad auertendum ſomnij portētum, ſi terreno regno pro nihilo habito ad illum ſe futurum regem Chriſtum, de quo antè locutus fuerat totum fide conuerteret. hoc Daniel non dicit, neque vllum de fide aut de Chriſto mentionem facit; ſed conſulit regi, vt peccata ſua eleemoſynis in pauperes redimat. Iſti verò belli interpretes, quod vnum Propheta diſertè dilucideque dicit, id negant; de quo vno nullam prorſus mentionem facit, id affirmant. Denique tam inepta hæc interpretatio eſt, vt ne Caluino quidem ipſorum magiſtro probata ſit. Quid igitur ille concedit poſſe verti, *Peccata eleemoſynis redime*. Sed dicit hanc redemptionem apud homines intelligendam eſſe, non apud eum. quaſi dicat, redde pauperibus quæ illis per vim & iniuriam eripuiſti, vt illis ſatisfacias. At hoc non eſt aptius ac verius ſcripturam exponere, ſed paulò ſubtilius quàm cæteros delirare. Oportebat enim hæreticorum principem etiam ab hæreticis diſſentire, & in ipſa hæreſi hæreticum eſſe. Dixerat Daniel vſque eò Nabuchodonoſorem à regno ſubmouendum, dum cognoſceret poteſtatem eſſe cœleſtem & Excelſum in regnis hominum dominari: Deo ergo non pauperibus ſatiſfaciendum erat. Quod ſi apertè iuſſiſſet vt pauperibus ſatisfaceret, de Deo verò nihil dixiſſet, tamen intelligendum eſſet vt in pauperibus Deo ſatisfaceret, quia ipſe affirmat, quod vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. Idemque nos admonet, vt faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula, non enim ipſi, ſed Deus noſtra erga illos beneficentia placatus in æterna tabernacula nos recipit. Quid verò cauſæ eſt, quamobrem hæretici hoc loco maximè trepident: Quaſi non alij æquè perſpicui, & ad refellendum ipſorum errorem æquè muniti loci ſint. Vtrum enim illuſtrius eſt, quod Daniel dicit, *Peccata tua eleemoſynis redime*: an quod Chriſtus dicit, *Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis?* Certè Chriſtus illic non iubet nos pauperibus, ſed Deo ſatisfacere,

BBBb 2 qui nos

Google

qui nos vnus mundare poteſt. Vtrum clarius eſt quod dicit Daniel, *Peccata tua eleemoſynis redime*, an quod dicit Petrus, *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Vtrum apertius quod Daniel ſcribit, *Peccata tua eleemoſynis redime*, quod ſcribit Eccleſiaſtes, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſynam extinguere peccatum, & quod ait Tobias, eleemoſynam à morte liberare; At iſti boni litigatores Eccleſ. & Tobiæ litem intendunt, facilis ſanè & expedita ratio quoslibet errores defendendi integros ſcripturæ libros delere. *Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* הין תהוה ארכא לשלותך. R. Saadias interpretatur, fortè erit ſanitas peccato tuo. quaſi dicat, ſi qua medicina tanto tuo peccato reperiri poterit, hæc vna erit, vt peccata tua eleemoſynis redimas. Sicut Chriſtus dixit: *quod ſupereſt date eleemoſynam.* Alij vt ſapiens Abraham, fortè differetur peccatum tuum, id eſt, pœna peccati tui, nomen enim & ſanitatem & dilationem, &, vt ita dicam prolongationem ſignificat.

26. *In aula Babylonis.*] ſupra palatium regni Babylonis, id eſt, ſupra tectum regiæ, quæ Babyloni erat, vt totam vrbem ſpectare poterat; ſæpe enim docuimus tecta apud Orientales gentes plana fuiſſe ſupernè, qualia nunc in Bœtica noſtra & in Africa ſunt.

27. *Reſpondi que rex & ait.*] Chaldaïſmus, pro cœpit rex dicere: nam quod quidem de his duobus verbis philoſophantur, nimis argutum eſt. *Nonne hæc eſt Babylon.* Certum eſt Babylonem non fuiſſe à Nabuchodonoſore, ſed à Nino aut à Semiramide, vt hiſtoriarum ſcriptores tradunt ædificatum: ſed dicit ſe eam ædificaſſe, quia cum omnium qui antè regnauerant potentiſſimus eſſet, multorumque regnorum ſpoliis nouum Beli templum, tres intra totidemque extra vrbem murorum ambitus aliam regiam, multaq; alia munimēta conſtruxit, vt auctor eſt Ioſephus lib. 10. c. 11. Ideoq; ſe eam ædificaſſe dicit, in hoc ipſo arrogantiam ſuam ebulliens.

28. *Cùmque ſermo adhuc eſſet ex ore regis.*] Deprehenditur à Deo in flagranti delicto, ne quam poſſit excuſationem prætexere, quod eò grauius eſt, quod erat iam per Prophetam admonitus, & vnius anni ſpatio & peccatorum ſuorum & admonitionis Prophetæ, & diuinarum comminationem oblitus. Denuntiatur igitur illi pœna non iam dormienti, ſed vigilanti, non præterita peccata corrigenti, ſed noua ea ſuperbia augenti, nō per ænigmata, ſed apertè, non prophetica, ſed diuina voce de cœleſti tribunali pronuntiata. Et ne quid ambiguitatis eſſe putet, vox ad eum nominatim appellatum dirigitur. Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex, repetiturque illi, atque iiſdem confirmatur ea ſententia, quam illi antè Propheta pronuntiauerat. Valde mihi probabilis videtur opinio Hieronymi Nabuchodonoſorem Danielis conſilio morem gerentem, eleemoſynis per vnius anni ſpatium iram Dei mitigaſſe, pœnamque diſtuliſſe; poſt verò ipſa pœnæ dilatione & culpæ, & pœnæ comminationis oblitum in eandem pœnam incurriſſe. Quamquam Theodoritus & alij non exiſtimant Nabuchodonoſorem Danielis conſilio paruiſſe, nec Deum eius pœnitentia, ſed ſua patientia & longanimitate ſupplicium prorogaſſe.

30. *Eadem hora ſermo completus eſt.*] Multa in hunc locum reiecimus, quia proprius & accommodatus eſt quæ aliis ſparſim diſputari ſolent. Primùm an verè Nabuchodonoſor de regno in ſyluas compulſus fuerit. Secundò quomodo pœnæ, quæ hîc nominantur intelligendæ ſint. Tertiò per quem eiectus fuerit. Quartò quandiu regno priuatus ſit. Quintò quomodo reſtitutus. De primo quidem capite Chriſtiani non dubitamus, ſed idcirco proponimus vt aliorum dubita-

dubitationes quaſi aliena vulnera ipſi ſani curemus. Origenem Hieronymus multis locis tacite vellicare ſolet, quod hanc non hiſtoriam ſed allegoriam ſuperbi regis perſona fictam eſſe dixerit, qualem nonnulli Iob eſſe voluerunt. Sed Daniel iam apertè loquitur, vt etiamſi ſalua religione liceret, tamen non allegoriam, ſed hiſtoriam eſſe intelligere poſſemus. Nam præterquam quod toto hoc capite hic narrat vt hiſtoriam, quale monſtrum eſſet, ſi humano capiti ceruicem iunxiſſet equinam, id eſt, cum cap. 1. 2. & 3. Nabuchodonoſoris hiſtoriam ſcripſiſſet, hiſtoriæ parabolam addidiſſet. Illud fortaſſe aliquē monere poteſt, quod nihil de re tanta tamque admirabili apud veteris hiſtoriæ auctores reperiamus. At ego huius rei duas cauſas eſſe arbitror, alteram, quòd Chaldæorum hiſtoriam minimè integram dilucidamque habeamus: alteram quod cum Nabuchodonoſor in regnum reſtitutus fuerit, nemoque regnauerit eius loco, illi ipſi qui ſcripſerunt, non meminerunt huius exilij, quia non res ſingulas ſingulis regnis geſtas, ſed regna ſingula perſequebantur. Secunda quæſtio in eo potiſſimùm vertitur, vt intelligatur num Nabuchodonóſor verè in beſtiam mutatus fuerit, vt Gregorius videtur dicere, & vt alii vulgò exiſtimauerunt. Si id Scriptura diceret, facile Chriſtiani crederemus, ſcimus enim quod in multis factum eſſe Poëtæ fabulantur, id a Deo fieri potuiſſe. Cæterum cùm ſcriptura non dicat, & natura fieri non poſſit, vt in beſtiam homo commutetur, id vanū eſt credere, atque hæc Hieronymi ſentētia eſt, quam ipſe ex verbis Danielis rectè confirmat, quod ver. 31. dicat rex ſenſum ſibi redditum eſſe, ex quo intelligitur ſenſum eum, non humanam formam mutauiſſe, & nos aliis etiam coniecturis comprobare poſſumus. Nam ex eo ipſo, quod verſu 3. dicit Daniel corpus eius ita rore infectum fuiſſe, vt eius capillus in ſimilitudinem aquilarum, eiuſque vngues ad modum vnguium volucrum creſcerent, neque de aliis corporis partibus loquitur, indicat reliquam figuram corporis non mutatam fuiſſe, præter capillum & vngues, qui niſi frequenter deſecentur, turpi ac ferina forma ſolent creſcere. Quod autem dicit verſu 33. *Et figura mea reuerſa eſt ad me*, non eſt de figura corporis, ſed de pulchritudine intelligendum hoc enim eſt. Non ergo alia in illo mutatio facta eſt, niſi quod humanus illi ſenſus ereptus eſt, id eſt, verſus eſt in inſaniam id enim ver. 13. apertè Propheta dicit. Siue exiſtimauerit ſe feram eſſe, vt aliqui putant, & vt nonnullis melancholicis hominibus accidere videmus, ideóque ad ſyluas ſe feraſque receperit; ſiue, quod ego magis credo, ita infatuatus fuerit, vt eum homines de ſuo conſortio eiectum ad beſtias relegauerint. Neque verò ita credendum eſt motum fuiſſe mente, vt non aliquem rationis, & priſtinæ dignitatis ſenſum retineret, dicitur enim ver. 31. oculos in cœlos ſuſtuliſſe, quod hominis eſt, non omnino rationis & religionis experti. Corpore non aliter mutatus, quàm dictum eſt, niſi quòd veriſimile ſit eum beſtiarum more nudum fuiſſe, quales multæ etiam nunc barbaræ ſunt gentes: dicitur enim ver. 12. 22. 30. eius corpus cœleſti rore fuiſſe perfuſum herbis, cum paſtum, non ſolùm perſpicuo Prophetæ teſtimonio, ſed multorum etiam veterum monachorum exemplo credibile eſt, qui quod ille neceſſitate diuinóque impulſu idem ipſi virtute ac ſanctitate fecerunt. Narrat Aben Eſra audiiſſe ſe de quodā, quod & ego audire aut legere memini, qui in inſula Sardinia in montes ſeceſſerit, ſeque ceruis aggregarit, longóque tempore cum illis herba victitarit. Multa quoque alia de agreſtibus hominibus, in hiſtoriis legimus, iis non diſſimilia, quæ de Nabuchodonoſore Propheta tradit, vt minus ea nobis incredibilia, admirabiliaque videantur. Quamquam

nihil incredibile, nihil admirabile, quod ſcriptura factum fuiſſe teſtetur, quæ & ad faciendam fidem, & ad tollendam admirationem vna ſatis eſt. De tertia quæſtione nihil certum affirmare poſſumus, quia per quos de regno pulſus fuerit, Propheta non indicat. vero ſimile eſt, aut ſuorum principum coniuratione diuino permiſſu eiectum fuiſſe, & ob animi mœrorem in inſaniam incidiſſe, & cum beſtiis habitaſſe, aut prius à Deo inſanum factum, ideóque aut à ſuis principibus, aut à filio ſuo Euilmerodach de regno deturbatum. Tradunt enim Hebræi Euilmerodach eo adhuc viuente regnum affectaſſe, ideóque in carcerem coniectum, vt apud Ieremiam cap. 52. ver. 31. ex Hebræorum hiſtoriis obſeruauimus. De tempore, quæ quarta quæſtio erat, magna inter interpretes diſſenſio. Alij enim nullum definitum tempus notari putant, ſed poni numerum certum pro incerto, quod cùm in aliis numeris ſæpe, tum in ſeptenario frequẽtiſſimè fieri videmus. Itaque ſeptem tempore iſtorum opinione nihil aliud eſt, quàm longum tempus apud homines incertum, apud Deum definitum. Alij ſeptem menſes alij ſeptem hebdomadas, vt ait R. Abrahã, alij ſeptem anni partes, id eſt, duos annos minus tribus menſibus: habet enim annus quatuor tempora, ver, æſtatem, autumnum, hyemem. Alij ſeptem annos quæ ſententia, & auctorum numero, & perſonis, & ratione cæteras vincit. Sic enim & Latini ferè omnes, & Hebræi exponunt. Et ſolet ſcriptura annos abſolutè tempora vocare, vt infrà 12. 7. Quinta quæſtio facilior eſt, ipſe enim Nabuchodonoſor exponit, qua ratione in regnum reſtitutus fuerit, primum ſe ad cœlum oculos ſuſtuliſſe, ideo pœna tandem caſtigatum cõuertiſſe animum ad Deum, cognouiſſe ex eius nutu omnia regna pẽdere, qui totius pœnæ finis erat. Deinde reditum ſibi ſenſum. Poſt Deum collaudaſſe, eiúſque poteſtatem prædicaſſe. Ad extremum ſe à principibus regni ſui viris requiſitũ, maioréque gloria, quàm ea, quàm antè habuerat, illuſtratum. Eſt non diſſimile vero, Deum qui principes permiſerat in illum conſpirare, eum emendatum ſuppliciis videret, in animum illis inieciſſe, vt requirerent ac reuocarent. Corrigere enim eum, non perdere volebat, ſicut illi Propheta, v. 22. ſignificauerat. Donec ſcias quod dominetur excelſus in regno hominum: quod ſe hic re ipſa expertum eſſe confitetur.

33. *In ipſo tempore ſenſus meus.*] Iam dixerat v. 31. ſenſum ſibi redditum fuiſſe, ſed quia volebat nunc omnia quæ ſibi reſtituta fuerant commemorare, repetit redditum ſibi ſenſum. *Et magnificentia amplior.* Idem videmus, Iob poſt grauiſſimam calamitatem accidiſſe, cap. 42. cui hæc hiſtoria ſimilis eſt. Maius enim gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.

34. *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor.*] Edicti clauſula eſt, propterea nomen ſuum ad faciendam fidem ponit, ſuamque ſuperbiam, ſimul & pœnitentiam, Deíque erga ſe beneficia confitetur.

CAPVT V.

*BALTASAR rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille: & vnuſ-
quiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem.* 2 *Præcepit ergo iam temulentus
vt afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor
pater eius de templo quod fuit in Ieruſalem: vt biberent in eis rex & optimates eius: vxo-
réſque eius & concubinæ.* 3 *Tunc allata ſunt vaſa aurea, quæ aſportauerat de templo*

quod

Digitized by Google

quod fuerat in Jeruſalem: & biberunt in eis rex & optimates eius, vxores & concubinæ
illius. 4 *Bibebant vinum & laudabant Deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos,*
ligneóſque & lapideos. 5 *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis*
ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: & rex aſpiciebat articulos
manus ſcribentis. 6 *Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturba-*
bant eum: & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collideban-
tur. 7 *Exclamauit itaque rex fortiter vt introducerent magos, Chaldæos, & aruſpi-*
ces. Et proloquens rex ait ſapientibus Babylonis: Quicunque legerit ſcripturam hanc, &
interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem auream
habebit in collo, & tertius in regno meo erit. 8 *Tunc ingreſſi omnes ſapientes regis*
non potuerunt nec ſcripturam legere, nec interpretationem indicare regi. 9 *Vnde rex*
Baltaſar ſatis conturbatus eſt, & vultus illius immutatus eſt: ſed & optimates eius tur-
babantur. 10 *Regina autem pro re quæ acciderat regi & optimatibus eius, domum*
conuiuij ingreſſa eſt, & proloquens ait, Rex in æternum viue: non te conturbent cogitatio-
nes tuæ, neque facies tua immutetur. 11 *Eſt vir in regno tuo, qui ſpiritum Deorum*
ſanctorum habet in ſe: & in diebus patris tui ſcientia & ſapientia inuenta ſunt in eo: nam
& rex Nabuchodonoſor pater tuus principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, &
aruſpicum conſtituit eum, pater, inquam, tuus ô rex: 12 *quia ſpiritus amplior, & pru-*
dentia, intelligentiáque, interpretatio ſomniorum, & oſtenſio ſecretorum, ac ſolutio ligato-
rum inuenta ſunt in eo, hoc eſt in Daniele: cui rex poſuit nomen Baltaſſar, nunc itaque
Daniel vocetur, & interpretationem narrabit. 13 *Igitur introductus eſt Daniel co-*
ram rege. Ad quem præfatus rex ait, Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iudæ, quem ad-
duxit pater meus rex de Iudæa? 14 *Audiui de te quoniam ſpiritum Deorum habeas:*
& ſcientia intelligentiáque ac ſapientia ampliores inuentæ ſunt in te. 15 *Et nunc in-*
trogreſſi ſunt in conſpectu meo ſapientes magi, vt ſcripturam hanc legerent, & interpreta-
tionem eius indicarent mihi: & nequiuerunt ſenſum huius ſermonis edicere. 16 *Por-*
rò ego audiui de te quòd poſſis obſcura interpretari, & ligata diſſoluere, ſi ergo voles ſcri-
pturam legere, & interpretationem eius indicare mihi, purpura veſtieris, & torquem au-
ream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris. 17 *Ad quæ*
reſpondens Daniel, ait coram rege, Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da:
ſcripturam autem legam tibi, Rex, & interpretationem eius oſtendam tibi. 18 *O Rex,*
Deus altiſſimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonoſor
patri tuo. 19 *Et propter magnificentiam quam dederat ei, vniuerſi populi, tribus &*
linguæ tremebant, & metuebant eum: quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percu-
tiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat. 20 *Quando au-*
tem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſo-
lio regni ſui, & gloria eius ablata eſt: 21 *& à filiis hominum eiectus eſt, ſed & cor*
eius cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio eius: fœnum quoque vt bos co-
medebat, & rore cœli corpus eius infectum eſt: donec cognoſceret quòd poteſtatem haberet
Altiſſimus in regno hominum, & quemcunque voluerit ſuſcitabit ſuper illud. 22 *Tu*
quoque filius eius Balſaſar, non humiliaſti cor tuum, cùm ſcires hæc omnia: 23 *ſed*
aduerſum dominatorem cœli eleuatus es: & vaſa domus eius allata ſunt coram te: & tu,
& optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibiſtis in eis: Deos quoque argen-
teos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneóſque, & lapideos, qui non vident neque audiunt,
neque ſentiunt, laudaſti: porrò Deum qui habet flatum tuum in manu ſua & omnes vias
tuas, non glorificaſti. 24 *Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, qui ſcripſit hoc quod*
exaratum eſt. 25 *Hæc eſt autem ſcriptura quæ digeſta eſt:* MANE, THECEL,
PHARES. 26 *Et hæc eſt interpretatio ſermonis:* MANE, *numerauit Deus*
regnum

Digitized by Google

regnum tuum,& compleuit illud. 27 THECEL, *appenſus es in ſtatera,& inuentus es minus habens.* 28 PHARES, *diuiſum eſt regnum tuum & datum eſt Medis & Perſis.* 29 *Tunc iubente rege indutus eſt Daniel purpura, & circundata eſt torques aurea collo eius: & prædicatum eſt de eo quòd haberet poteſtatem tertius in regno.* 30 *Eadem nocte interfectus eſt Balſaſar rex Chaldæus.* 31 *Et Darius Medus ſucceſſit in regnum, annos natus ſexaginta duos.*

BALTASSAR magno celebrato conuiuio ſacris Ieroſolymitani templi vaſis abutitur, apparent ſcribentis in pariete digiti, quam ſcripturam ſolus Daniel interpretari poteſt, cum regno priuandum. Subitus euentus interpretationem probat.

1. *Baltaſſar rex fecit grande conuiuium.*] Poſtulat à nobis hic locus, vt de Baltaſſare, deque eiuſque conuiuij cauſa diſſeramus. Quis hic Baltaſſar fuerit, magna inter ſummos etiam auctores diſſentio eſt. Nam Theodoretus, & ante eum alij, vt Hieronymus refert, filium Nabuchodonoſoris, fuiſſe putauerunt, quod cum Daniel, poſt hiſtoriam Nabuchodonoſoris ſtatim ponat, & quod verſu 2. Nabuchodonoſorem eius patrem appellet. Alij contra quintum eum à Nabuchodonoſore faciunt, vt Ioſephus libro 10. antiq. cap. 12. ſcribit enim poſt Nabuchodonoſorem regnaſſe Euilmerodach, poſt Euilmerodach Nigliſar, quem alij Regaſar vocare ſolent, eius filium, Poſt Nigliſar filium eius Laboſordach, Poſt Laboſordach, Balthaſatem eius. Alij inter Euilmerodach, & Baltaſſar, Negliſar, & Laboſordach regnaſſe volunt, ſed vtrumque filium Euilmerodach, fratrem verò Baltaſſaris fuiſſe. Alij, vt Hieronymus nepotem Nabuchodonoſoris, filium autem Euilmerodach fuiſſe dicunt, vocari tamen Nabuchodonoſorem eius patrem, Hebræorum more, qui omne progenitores ſiue auos, ſiue proauos patres appellant, Danielem verò ideo Euilmerodach præteriiſſe, quòd non Babyloniorum regum hiſtoriam, ſed prophetiam ſcribat. Quare ea narrare tantùm, quæ vel ad religionem, vel regnorum tranſlationem, vel ad ſuam auctoritatem ſanctè modeſteque commendandam, ex regum hiſtoria pertinere videantur. Neque verò quemquam inter Euilmerodach & Baltaſſar regnauiſſe, ſed Euilmerodach alio nomine Regaſar, Baltaſarem Laboſordach vocatum fuiſſe, camque nominum varietatem multis hiſtoriarum ſcriptoribus, erroris materiam præbuiſſe; In his tantis tenebris hiſtoriæ, malo plures, & meliores duces ſequi. Itaque vltimam opinionem amplector quæ multò plus quàm reliquæ, melioreſque auctores habet. Quo accidit, quod ſcriptura ſacra non niſi de Euilmerodach, 4. Reg. 25. 27. & Ierem. 52. 31. & de Baltaſſare hoc loco mentionem facit. Quamquam mirum videri poteſt, Baltaſſarem perpetuò filium Nabuchodonoſoris appellari; ver. 2. & 11. & 13. & 12. & Baruch 1. 11. De huius cauſa conuiuij ideo quærimus, quod ſtatim lectoris animo mirari ſubeat; quid cauſæ parandi inſoliti, atque immodici conuiuij obſeſſa, & penè iam expugnata ab hoſtibus vrbe eſſe potuerit. Eadem enim nocte, captam vrbem, regémq; interfectum ver. 30. teſtatur Daniel. Scribit R. Saadias, ſeptuaginta illos annos quos Ieremias prædixerat Iudæorum captiuitatem duraturam iam elapſos fuiſſe, putaſſeq; Baltaſſarem, fore, vt neque vrbs vnquam caperetur, neque Iudæi in antiquam libertatem aſſererentur, ideóq; gratulatorium conuiuium celebraſſe. eandem veterum Hebræorum opinionem fuiſſe ex Hieronymo diſcimus, qui hanc Iudæorum fabulam vocat. Alij ipſi etiam Hebræi, anniuerſarium, ac ſolennem diem illum fuiſſe tradunt, quem Babylonij ob

ob reportatam aliquando de Perſis victoriam feſtum agebant. Quod Xenophon lib. 7. & Herodotus lib. 1. confirmant. Alij ſummæ ſecuritati tribuunt, regem enim & munitione vrbis,& recondito in multos annos commeatu ſecurum fuiſſe. Scribit enim Strabo Babylonis muros in circuitum 385. ſtadia, in altum pedes 50.in latum 32.habuiſſe.Herodotus verò narrat Babylonios audita belli fama,multorum annorum cõmeatum in vrbem conueniſſe ; Alij hominis vecordiæ & voluptatis ſtudio attribuunt,qui ne in tanto quidẽ periculo à luxu deliciiſq; temperauerit. Ego vnam cauſam certam habeo diuinã prouidentiam, quæ regem natura ſua ad libidinem , & luxum procliuem, eadem via qua ſuas voluptates ſequebatur , imprudentem ad interitum duxit. Cæteras cauſas probabiles , ſed incertas eſſe video. Neque verò diſputo hoc loco , an ſeptuaginta iam captiuitatis anni finiti eſſent.De ea re c.9.Loco magis idoneo propria nobis diſputatio futura eſt. *Optimatibus ſuis mille.* לרברב נוחי אלף. Principibus ſuis mille , id eſt , cui conuiuio mille eius principes interfuerunt. Theodotion diuerſo ſenſu, τοῖς μεγιστᾶσι ἀνδράσι χιλιάρχοις, *magnatibus viris millenariis. Et vnus quiſque ſecundum ſuam bibat ætatem.* Ita Hieronymus , Chaldaïci aliam ſententiam præ ſe ferunt. Eius autem verſionis ſenſus non eſt,pro ſua quemq; ætate, plus aut minus aut melius , peiuſque vinum bibiſſe : Sed priori aut poſteriori loco accubuiſſe. Bibere enim hoc loco nihil aliud ſignificat quàm conuiuio intereſſe, ſicut etiã Chaldaïce ſtatim dicitur ולקבל אלפא חמרא שתה.& corã mille bibebat (Rex) id eſt , rex ipſo conuiuio intererat , vnuſque erat accumbentium. Quod ideo Propheta dicit quia præter conſuetudinem regum erat, cum aliis conuiuari , vt indicet ſingulare fuiſſe conuiuium , vt obſeruauit Aben Eſra , & vt viam muniret , quemadmodum ego quidem arbitror , ad id quod paulò poſt dicturus erat, manum in pariete ſcribentis è regione regis apparuiſſe.Theodotion & Septuag. Καὶ ἔναντι τῶν χιλίων ὁ οἶνος πίνων. *Et corã mille vinum erat,* & bibens, id eſt, tantum quiſquis vinum habebat, quantum bibere poſſet. Alij Chaldaïſmum interpretantur,& coram mille bibebat,id eſt, ſingulos mille ad bibendum inuitabat. Alij cum ſingulis bibendo certabat. Alij ex noſtris, vt opinor, regibus potiùs quàm verbis Prophetæ , coniecturam facientes,interpretantur regem ſeparata fuiſſe menſa,ſed in eadem aula vnde ſingulos ad bibendum inuitaret.

2. *Præcepit ergo iam temulentus.*] Noſter interpres ſenſum non verba reddidit, quæ ſic leguntur. בלשאצר אמר בטעם חמרא. Baltaſar dixit in guſtu aut in decreto vini , id eſt , vino id conſilij ſuggerente , vt R. Saadias interpretatur , aut vino iam exhilaratus,vt ait Aben Eſra. *Vt afferrentur vaſa aurea.*Nabuchodonoſor , quamuis impius , tamen vaſa templo Dei conſecrata vulgare , religioni duxit,itaque in theſauris ea Beli Dei ſui recondiderat,vt c.1.v.2.dictũ eſt:neque inde quiſquam auſus fuerat efferre. Hic obſeſſus ab hoſtibus iam vino ebrius apportari iubet,vt non ſolùm profani homines,ſed eius quoque concubinæ bibant , Deoſque ſuos aureos , argenteos,lapideos & ligneos , magna vnius veri Dei contumelia , collaudarent. Patiebatur hæc Deus,vt meliore occaſione, iureque ſuam in illum vindictam acceleraret.Quod Nabuchodonoſor pater Baltaſaris appellatur ſuperiore verſu , Hebræorum more factum eſſe diximus, qui omnes maiores,patres vocare ſolent.

5. *In eadem hora.*] Singula ſummo conſilio & à Deo facta, & à Propheta narrata ſunt. Quod ergo dicit, *eadem hora,* indicat , qua de cauſa pœna infligatur, nempe ob contumeliam irrogatam Deo,& ob ſacra vaſa fœdè, impieque profanata:

ſanata: Quemadmodum cap. ſuperiore v. 28. de Nabuchodonoſore dictum eſt. Cumque adhuc ſermo eſſet in ore regis vox de cœlo ruit. *Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex, regnum tuum tranſibit à te.* Vterque enim in flagranti delicto, à Deo deprehenditur. Quod autem ait digitos, quaſi manus hominis ſcribentis in pariete, apparuiſſe, multa ſignificat, primum non fuiſſe veram manum, ſed manus ſimilitudinem, vt etiam Hebræi adnotarunt, quamquam id Chaldaïcè non eſt. Aben Eſra nimis liberè manum hominis Gabrielis Archangelis, interpretatur, qui vir appellari ſolet, vt infra c. 9. 21. Sed neque Gabrielis, neque alterius angeli manum fuiſſe credendum eſt, qui ipſi etiam manibus carent, quamuis ea figura, opera fortaſſe alicuius angeli, formata eſt. Quod enim quidam dicunt non fuiſſe veram in pariete figuram manus, ſed ſolum regem viſum ſibi fuiſſe eam in pariete videre, præterea vidiſſe neminem mihi non probant. Nam præter id, quod Daniel dicit in pariete, apparuiſſe, ſcripturamque impreſſam manſiſſe, donec primùm multi ſapientes, deinde Daniel ipſe re deſperata vocaretur, vero etiam ſimilius, eos omnes qui aderant manus effigiem conſpexiſſe, quò plures diuinæ ſententiæ teſtes eſſent, neque ſe rex allucinatum fuiſſe crederet. Deinde illud etiam aliquid ſignificat, quod cùm Nabuchodonoſor primùm per ſomnium, deinde voce cœlitus miſſa monitus fuerit, Baltaſar neque ſomnio, neque voce; ſed manu, ſcripturaque moneatur, Nimirum vt homo magis impius certiori teſtimonio, diuinam contra ſe ſententiam audiret, quam ipſe quodammodo Deus ſua manu ſcripſiſſet, ac ſubſignaſſet. Solemus enim manu noſtra ſcribere, quibus maiorem fidem haberi volumus. voluit etiam fortaſſis ea ratione Deus, vt plures decreti ſui teſtes eſſent.

6. *Tunc facies regis.*] Declarat vehementis timoris ſigna, quæ in rege apparuerunt, pallorem vultus, ſolutionem renum, tremorem genuum. Quod dicit compages renum eius ſoluebantur, Hebraïca phraſis eſt, qua ingens ſignificatur metus: ſolent enim vehementer timentibus quodammodo renes ſolui, vrinaque defluere, vt Pſalm. 15. 7. *Inſuper vſque ad noctem increpuerunt me renes mei*, Et Pſal. 72. 21. *Inflammatum eſt cor meum & renes mei commutati ſunt.* Simili Phraſi Græci Latinique poëtæ vti ſolent, ſanguinem aut timorem frigidum per oſſa currere. Hunc autem tantum regis metum, vt ſuæ dignitatis oblitus in medio conuiuio exclamauerit, partim ex re ipſa natum fuiſſe arbitror quæ natura ſua terribilis erat, partim à Deo intrinſecùs iniectum, vt cùm omnes Chaldæos conſuluiſſet, neque inuenire potuiſſet qui ſibi ſcripturam interpretaretur, Danielem conſulere cogeretur, ex eóque diuinam contra ſe ſententiam audiret. Omnia enim prouidentia quadam Dei ſingulari agebantur.

7. *Purpura veſtietur.*] Hinc intelligimus regem valde fuiſſe animo perculſum, putaſſeque aliquid magni ea ſcriptura ſignificari, ſumma enim interpretanti præmia pollicetur. Purpuram & torquem aureum, quæ regis erant inſignia, vt ex Machabæorum libris diſcimus, & tertium in regno ſuo eſſe, poſt ſe ſcilicet, & reginam. Vel vnum ex tribus principibus, quos τριςάτας, quaſi triumuiros appellabant, quod magis Hieronymo, quàm mihi placet.

8. *Non potuerunt neque ſcripturam legere.*] Non abs re à multis hoc loco dubitatur, quid cauſæ fuerit, cur non Chaldæi homines ſapientia præſtantes, qui interpretari ſenſum non poterant, ſaltem ſcripturam legere potuerint. Qui putāt ideo eos legere nō potuiſſe, quia Hebraïca ſcriptura erat, etſi apud Hebræos R. Saadiam auctorem habent, monendi ſunt non Hebraïcam, ſed Chaldaïcam

apud

apud Danielem eſſe ver. 25. Etſi Hebraïcis caracterib us ſcripta fuiſſet, tamen mirum eſſet neminem Chaldæorum, qui tanta doctrinæ opinione florebant, Hebraïcè legere nouiſſe: cùm 4. Regum cap. 18. verſu 26. legamus Thartha Rabſarim, & Rabſacem Aſſyriorum duces Hebraïcè locutos. Sunt inter Hebræos qui litteras aut mutatas, aut tranſpoſitas fuiſſe dicant, vt R. Saadias. At hoc eſt velle ſine ratione diuinare. Mihi veroſimilius videtur, aut diuinitus impeditos Chaldæos, ne ſcripturam minimè obſcuram poſſent legere, aut Hebræorum conſuetudine ſcripta fuiſſe verba, per חאשי חבית. capita litterarum, ſic מכחף quæ coniuncta nihil ſignificabant. Sicut Iudas Machabæus in militari vexillo has litteras ſcripſiſſe fertur, מכבאי. quæ coniunctæ nihil ſignificant niſi Machabæi, vnde cognomentum illi Machabæorum datum eſt. At per ראשי חבירת. ſignificat, מי כמך באלהים יהוה. quis tibi ſimilis in Diis Domine, Qui verſus octauus eſt, Pſalm. 85. Daniel autem non dixit quot litteris ſcriptum eſſet, ſed quomodo ipſe legerit.

10. *Regina autem.*] Incertum eſt, quænam ea regina fuerit, vxor quidem regis, vt nonnulli putant, eſſe non potuit, quia verſu 2. vxores eius in conuiuio accubuiſſe legimus, quare antiquus de ea re Porphyrij error corrigitur. Ioſephus lib. 10. antiquit. cap. 12. & alij nonnulli Hebræi, vt refert Saadias, auiam Baltaſaris vxorem Nabuchodonoſoris eius aui fuiſſe dixerunt. Origenes apud Hieronymum, & Theodoretus in commentariis, matrem regis, quod mihi videtur probabilius eſſe, & quia vix credi poteſt vxorem Nabuchodonoſoris vixiſſe tunc, cùm Nabuchodonoſor, quadraginta quinque aut minimum quadraginta tres, Euilmerodach triginta, Baltaſar quinque, & vt alij volunt ante Baltaſarem, Regaſar tres, & Loboſordach ſex regnaſſet annos. Et quia ſcripſit Herodotus Baltaſarem quem Labynithum vocat, vt maxima pars auctorum, putant filium fuiſſe Nithocris ſapientiſſimæ mulieris, qualem hanc fuiſſe perſpicuum eſt: & quia ſimilius eſt vero, matrem regis, quàm auiam, reginam appellatam.

11. *Vt vir in regno tuo.*] Hinc apparet Danielem poſt mortem Nabuchodonoſoris familiarem non fuiſſe regibus, minúſque auctoritatis habuiſſe, ita enim regina de illo vt de homine ignoto regi loquitur. Quod ipſum ex oratione regis, v. 13. perſpici poteſt. Interrogat enim vt hominem incognitum, Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iuda? Nec mirum impiis regibus Prophetam familiarem & charum non fuiſſe, habet etiam ſanctorum virorum auctoritas ſuam apud reges viciſſitudinem. Atque hæc fortaſſe cauſa fuit, quare Daniel principio cum reliquis ſapientibus vocatus non fuit, aut illæ etiam quas in ſimili quæſtione ſuprà reddidimus cap. 2. ver. 3. & cap. 4. ver. 4. Quod Nabuchodonoſorem, patrem Baltaſaris appellat verſu 1. & 2. explicatum à nobis eſt.

12. *Cui rex poſuit nomen Baltaſſar.*] Eunuchorum præfectus nomen illi impoſuerat, cap. 1. 7. ſed dicitur feciſſe rex, quod eius miniſter fecit.

13. *Tu es Daniel de filiis captiuitatis.*] Non ſolùm tanquam hominem ignotum, ſed parum etiã honorificè eum alloquitur, cõtra quã fecerat Nabuchodonoſor ſuperiore c. v. 6. ex qua re licet, diuerſum vtriuſque regis ingenium cognoſcere.

17. *Et dona domus tua.*] Quæ domi tuæ habes, vt purpureas veſtes, & torques aureos. Hieronymus & Theodotion ita verterunt quaſi duas dictiones legerint, יובזביתך. munera domus tuæ: Hebræi vnam dictionem faciunt, quæ dona tua ſignificat, Non vult Daniel vendere donum prophetiæ, ſed quod gratis accepit, gratis dare.

18. *O Rex Deus altiſſimus.*] Altiſſimum ex Deo dicit exordium, domeſticúmque & paternum exemplum ante oculos regis ponit, vt ſenſim eius animum ad cognitionem diuinæ maieſtatis adducat, neque ſimpliciter illi ſcripturæ ſenſum interpretatur, ſententiamque perdendi regni denuntiat, ſed ſententiæ quoque cauſam, ſummam eius ſuperbiam declarat, quam comparatione & exemplo Nabuchodonoſoris patris eius exaggerat. Eò enim ſpectat Nabuchodonoſoris hiſtoria, quem re narrat, & verbis exornat, vt oſtendat Baltaſarem non imprudentia, ſed ſcienter peccauiſſe, patriſque peccata, non pœnitentiam imitatum.

20. *Et ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam*] eius animus, poſtquam per ſomnium admonitus fuiſſet, fore vt è regno pelleretur, adhuc in ſua ſuperbia obduratus eſt: Dixítque, Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui, cap. præcedenti ver. 27. ad eum enim locum alludere videtur.

21. *Et cor eius cum beſtiis poſitum eſt.*] Spoliatus humano ſenſu, & bellum indutus eſt, ſicut dixit, cap. 2. ſuperiore ver. 13. *Cor eius ab humano commutetur.*

23. *Qui habet flatum tuum in manu ſua.*] Qui habet vitam tuam in ſua poteſtate. Qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit, 1. Regum 2. 6.

24. *Idcirco ab eo miſſus eſt.*] בארין. tunc miſſus eſt articulus, aut palma manus. Hæc eſt concluſio atque huc tota ſuperior Danielis ſpectabat oratio, vt tria hæc doceret, quæ paucis verbis hoc loco indicat. Primum non fuiſſe errorem, ſed verè vidiſſe ſcribentis in pariete manum: Secundum, id à Deo factum eſſe, vindictámque ab eo profectam: Tertium ob eius non ſolùm peccata, ſed ob diuturnam in peccatis obſtinationem, Cùm Deus patienter longo tempore eius emendationem expectaſſet, tandem meritò eum puniri. Hanc vim habet illud בארין. tunc, id eſt, cum Diu patientérque expectauiſſet.

25. *Mane Thequel, Phares.*] Chaldaïcè, מנא מנא תקל יפרסים. Mene, Mene, Thequel & Phareſin. Diximus ver. 8. veriſimile eſſe non fuiſſe, hæc nomina omnibus litteris ſcripta, ſed per ראשי תבות id eſt, ſolis litteris capitularibus, ideóque Chaldæos legere non potuiſſe. Danielem verò quod abbreuiatione capitalium litterarum ſcriptum erat, integrè, explicatéque legiſſe. Primum verbum Chaldaïcè geminatum eſt. Quam geminationē nihil noui ſignificare argumēto eſt, quod Propheta, cum explicādi cauſa verba repetit, non niſi ſemel illud repetat, ſicut cætera. Aut ergo Hebraïca phraſis eſt, numerauit, numerauit, pro numerando numerauit, id eſt, diligentiſſimè, & ad minimos calculos numerauit Deus dies regni tui, iámque finiti ſunt. videtur numerandi verbo ad tempus ſeptuaginta annorum, quo Iudæi in captiuitate futuri erant, à Ierem. cap. 25. præſcriptum alludere, aut ad ſomnium quo Nabuchodonoſor ſtatuam viderat, qua regnum Babylonicum ad Medos & Perſas transferendum eſſe ſignificabatur, cap. 2. verſu 32. aut certe ad Iſaiæ cap. 13. & 14. & 21. & 47. & Ieremias cap. 50. de futura Babylonici regni euerſione vaticinia.

27. *Thequel, appenſus es, & inuentus es minus habens.*] Non explicat Propheta cuius rei minus habet, quod occaſionem præbuit interpretibus variè ſentiendi. Alij exponunt, inuentus eſt minus meritorum habere, quàm vt regno dignus ſit. Alij, inuentus eſt minus auctoritatis habere quàm antè, regno enim & vita iamiam priuabere. Optimè mihi videtur Hieronymus interpretari, inuentus es minus habens dierum, quàm ætas, naturáque tua poſtulabat, ante diem enim naturalis mortis, violenta nece præcipieris. Omnium hominum anni apud Deum numerati ſunt, vt ait Iob. cap. 14. 5. *Breues dies hominis ſunt, &*

numerus

Digitized by Google

numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt. Sed annos regum eò diligentiùs, vt noſtro loquamur more, Deus numeratos habet, quò maiorem regum, quàm cæterorum hominum curam habet. Inter reges autem huius maximè annos numeraſſe dicitur, quòd ex fine regni eius, Iudæorum liberatio pendebat, quorum præcipuam quandam gerebat prouidentiam, quia populus eius peculiaris erat, Deuter. cap. 7. ver. 6. & cap. 14. ver. 2. & cap. 26. ver. 18.

28. *Diuiſum eſt regnum tuum.*] פרים diuiſerunt regnum tuum, Medi & Perſæ inter ſe, vt ſtatim explicat. Gerebatur enim bellum nomine Darij Medorum regis per eius nepotem Cyrum regem Perſarum, quemadmodum Herodotus indicat, regnumque inter ſe partiti ſunt, donec mortuo ſine liberis Dario, tria regna Babyloniorum, Medorum atque Perſarum in vnum Cyrum coierunt.

29. *Tunc iubente rege.*] Duo hoc loco dubitare lector poteſt. Alterum cur rex Danielem tam infauſti nuntij interpretem muneribus ornauerit. Alterum cur Daniel, qui antè v. 17. dixerat, *Munera tua ſint tibi*, nunc repudiata priùs munera recipiat. Regem ego, etſi alias alij cauſas afferre ſolent, propterea dona dediſſe arbitror, quia antè promiſerat, & ſemper regum fides ſancta habita eſt, Danielem verò oblata priùs munera recuſaſſe, ne eorum cauſa ſcripturam interpretari videretur. Nunc verò adhibita iam interpretatione, ſublataque ſuſpicione ambitionis & lucri regis beneficentia & liberalitate moderatè vti, non tam priuata ſua cauſa, qui in ſuis ſordibus ſecutiùs, quam in purpura latere potuiſſet, hoſtiúmque furorem declinare: Sed Dei gloriam ea ratione magis illuſtraret, & vt illa purpura, & ille aureus torques diuinæ ſententiæ explicatæque ab eo ſcripturæ teſtis eſſet. Sic enim oportet nos de Prophetæ ſanctitate iudicare.

30. *Eadem nocte.*] Confirmant Danielis hiſtoriam profani etiam auctores. Nam & Herodotus lib. 1. & Xenophon lib. 7. de Cyri inſtitutione tradunt, Babylonem de nocte, neque opinantibus, & comparantibus, bacchantibuſque Chaldæis, à Cyro captam fuiſſe, qua induſtria non conſtat. R. Saadias ſcribit vnum è regis cuſtodibus, audita Danielis interpretatione, quem ſciebat ſemper certum fuiſſe vatem reputaſſe apud ſe actum eſſe de regno, occiſoque rege, eius caput ad hoſtes detuliſſe. Aliter Herodotus, & Xenophon, & vterque quidem ſcribit Cyrum deriuato Euphrate flumine, quod Nithocris prudentiſſima regina ita per anfractus circumduxerat, vt vrbem inexpugnabilem reddidiſſet, obſeruatoque die feſto, quo ſciebat Chaldæos tota nocte ebrios bacchari ſolere, qua flumen decurrebat, aditum in vrbem patefeciſſe. Addit Xenophon duos fuiſſe transfugas Babylonios apud Cyrum, Gadatam, & Gobriam, quorum iudicio Cyriani milites in regiam noctu ducti ſint, interfectis quicunque occurrebant, iis tantùm ſeruatis, qui Syriacè loquerentur, trucidatiſque primùm regis cuſtodibus, ipſum deinde regem interemiſſe. Ita Iſaiæ, & Ieremiæ de Babylone vaticinia euentu probata ſunt, quorum alter cap. 13. 12. ſignificauerat fore vt nemini pretij cauſa Medi parcerent, *Pretioſior*, inquit, *erit vir auro, & homo mundo obrizo*, & cap. 21. 5. futurum vt potantibus Babyloniis vrbs caperetur. *Pone menſam, contemplare in ſpecula, comedentes, ſurgite principes, arripite clypeum.* Alter cap. 51. 11. à Medis capiendam eſſe prædixerat. *Baltaſſar rex Chaldæus.* Non temerè Baltaſſarem hoc loco præter conſuetudinem regem Chaldæum appellauit, ſed vt vno verbo ſignificaret eundem & Baltaſſaris & regni Chaldæorum finem fuiſſe, ſicut ver. ſequenti declarat.

31. *Darius Medus.*] Darius Medus ſucceſſiſſe dicitur, qui Cyrus eius ex ſorore nepos, poſtea verò gener, vt hiſtorici tradunt, nepos regnum occupauerit, quia non ſuo tantùm, ſed Darij auunculi ſui nomine bellum conficiebat, & decebat, vt ait Hieronymus, ætati propinquitatíque deferre. Darius enim, vt Ioſephus ſcribit, cùm Babylon capta eſt, ſexagenario maior erat. Aliam ego huius rei cauſam eſſe arbitror, quod bellum initio, non inter Chaldæos & Perſas, ſed inter Chaldæos & Medos, vt ex Herodoto diſcimus, motum fuerit. Perſæ poſtea ductore Cyro propter coniunctionem generis, in Medorum auxilium venerint. Itaque meritò dicitur, Medus non Perſa in regnum ſucceſſiſſe. Theodoritus exiſtimat Darium nepotem fuiſſe ex filia Nabuchodonoſoris, & quaſi iure ſuo in regnum ſucceſſiſſe, ſed non ſatis probat. An hic fuerit Cyrus ille, qui Iudæis libertatem dedit, quod quidem Hebræi hoc loco diſputant, cap. 10. 1. commodiore occaſione dicemus.

CAPVT VI.

PLACVIT Dario, & conſtituit ſuper regnum ſatrapas centum viginti, vt
eſſent in toto regno ſuo. 2 *Et ſuper eos principes tres, ex quibus Daniel vnus*
erat, vt ſatrapæ illis redderent rationem, & rex non ſuſtineret moleſtiam.
3 *Igitur Daniel ſuperabat omnes principes & ſatrapas: quia ſpiritus Dei amplior*
erat in illo. Porrò rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum. 4 *Vnde prin-*
cipes & ſatrapæ quærebant occaſionem vt inuenirent Danieli ex latere regni: nullámque
cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt, eò quòd fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio
non inueniretur in eo. 5 *Dixerunt ergo viri illi: Non inueniemus Danieli huic ali-*
quam occaſionem niſi fortè in lege Dei ſui. 6 *Tunc principes & ſatrapæ ſurrepſerunt*
regi, & ſic locuti ſunt ei, Dari rex, in æternum viue. 7 *Conſilium inierunt omnes*
principes regni, magiſtratus & ſatrapæ, ſenatores & iudices, vt decretum imperatorium
exeat & edictum, Vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo & homine
vſque ad triginta dies, niſi à te, rex, mittatur in lacum leonum. 8 *Nunc itaque rex*
confirma ſententiam, & ſcribe decretum: vt non immutetur quod ſtatutum eſt à Medis
& Perſis, nec præuaricari cuiquam liceat. 9 *Porrò rex Darius propoſuit edictum &*
ſtatuit. 10 *Quod cùm Daniel compeiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt do-*
mum ſuam: & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo, contra Ieruſalem tribus temporibus in
die flectebat genua ſua & adorabat, confitebatúrque coram Deo ſuo ſicut & antè facere
conſueuerat. 11 *Viri ergo illi curioſius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem &*
obſecrantem Deum ſuum. 12 *Et accedentes locuti ſunt regi ſuper edicto, Rex, nunquid*
non conſtituiſti vt omnis homo qui rogaret quemquam de Dijs & hominibus vſque ad dies
triginta, niſi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos reſpondens rex, ait: Verus eſt
ſermo iuxta decretum Medorum atque Perſarum, quod præuaricari non licet. 13 *Tunc*
reſpondentes dixerunt coram rege, Daniel de filijs captiuitatis Iuda, non curauit de lege
tua & de edicto quod conſtituiſti: ſed tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua.
14 *Quod verbum cùm audiſſet rex, ſatis contriſtatus eſt, & pro Daniele poſuit cor vt*
liberaret eum, & vſque ad occaſum ſolis laborabat, vt erueret illum. 15 *Viri autem illi*
intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex, quia lex Medorum atque Perſarum eſt, vt
omne decretum quod conſtituerit rex, non liceat immutari. 16 *Tunc rex præcepit, &*
adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli, Deus
tuus quem colis ſemper, ipſe liberabit te. 17 *Allatúſque eſt lapis vnus, & poſitus eſt ſuper*
os laci:

Digitized by Google

oſ laci: quem obſignauit rex annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum, ne quid fieret con-
tra Danielem. 18 *Et abiit rex in domum ſuam, & dormiuit incœnatus, cibique*
non ſunt allati coram eo; inſuper & ſomnus receſſit ab eo. 19 *Tunc rex primo dilucu-*
lo conſurgens feſtinus ad lacum leonum perrexit: 20 *appropinquánſque lacui, Danielem*
voce lacrymabili inclamauit, & affatus eſt eum, Daniel ſerue Dei viuentis, Deus tuus
cui tu ſeruis ſemper, putaſne valuit te liberare à leonibus? 21 *Et Daniel regi reſpon-*
dens ait: Rex in æternum viue, 22 *Deus meus miſit angelum ſuum, & concluſit*
ora leonum, & non nocuerunt mihi quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me: ſed & coram
te rex, delictum non feci. 23 *Tunc vehementer rex gauiſus eſt ſuper eo, & Da-*
nielem præcepit educi de lacu: eductúſque eſt Daniel de lacu, & nulla læſio inuenta eſt in
eo, quia credidit Deo ſuo. 24 *Iubente autem rege adducti ſunt viri illi qui accuſa-*
uerunt Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt ipſi & filij, & vxores eorum: & non per-
uenerunt vſque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum com-
minuerunt. 25 *Tunc Darius rex ſcripſit vniuerſis populis, tribubus, & linguis ha-*
bitantibus in vniuerſa terra, P A X *vobis multiplicetur.* 26 *A me conſtitutum eſt*
decretum, vt in vniuerſo imperio & regno meo tremiſcant, & paueant Deum Danielis:
ipſe eſt enim Deus viuens & æternus in ſecula: & regnum eius non diſſipabitur, & poteſtas
eius vſque in æternum. 27 *Ipſe liberator atque ſaluator, faciens ſigna & mirabilia in*
cœlo & in terra: qui liberauit Danielem de lacu leonum. 28 *Porrò Daniel perſeue-*
rauit vſque ad regnum Darij, regnúmque Cyri Perſæ.

DANIEL à Dario Medorum rege, princeps vnus è tribus factus, in aliorum principum inuidiam incurrit, accuſatus quod contra regis edictum Deum precaretur, leonibus obiicitur.

1. *Placuit Dario.*] שפר קדם דריוש. rectum fuit coram Dario, id eſt, exiſtimauit centum viginti ſatrapas regno ſuo præficiendos. *Vt eſſent in toto regno ſuo,* id eſt, vt toti eius regno præeſſent. Satrapæ prouinciarum præfecti ſunt, vox creditur eſſe Perſica, ego Chaldaïcam puto אחשדרפניא. *Ex quibus Daniel vnus erat.* & ex hoc loco, & ex Ioſepho conſtat Darium regem, Danielem ſecum in Mediam, expugnata Babylone duxiſſe, cumq; in magno pretio habuiſſe multæ eius rei cauſæ eſſe potuerunt. Primam quidem ego fuiſſe arbitror diuinam prouidentiam, quæ Danielem gratioſum faciebat regibus, vt haberent Iudæi in miſerabili captiuitate aliquem ſui generis principem, qui ſe ab iniuriis protegeret. Alteram virtutem ipſam & ſapientiam illius vbique iam celebratam quam non poterat rex, licet barbarus, non reuereri. Nam & apud Plutarchum legimus Marcum Marcellum in Syracuſarum expugnatione Archimedem nobiliſſimum Mathematicum ſeruari præcepiſſe. Tertiam, quod veriſimile ſit, Darium non latuiſſe, Danielem, cùm ſcripturam interpretaretur, finem regni prædixiſſe: ſimili enim de cauſa Ieremiam cap. 40. à Nabuzardam principe militiæ Nabuchodonoſoris eius iuſſu ſeruatum, honoréque & muneribus auctum vidimus. Quartam, quòd Darius in eo ipſo honoris gradu à Baltaſare paulò antè collocatum inueniſſet, cap. præcedenti verſu 29. & noluit minus honoris fauſto ſibi interpreti tribuere, quàm eius hoſtis, infauſto tribuiſſet.

2. *Et rex non ſuſtineret moleſtiam.*] Eodem ſenſu vertit Theodotion, ὅπως ὁ βασιλεὺς μὴ ἐνοχλῆσαι. *ne rex fatigaretur:* quia & eius imperium regno Babylonicum auctum erat, & robur corporis ætate minutum. Chaldaïcè, לא להוא נזק. quod Heb. interpretantur, ne quid damni rex faceret, vt Eſther 7.4. & Eſdræ 4. 13. vt reddat rationem, non cur rex centum viginti ſatrapas prouinciis præfecerit, ſed

rit,ſed cur omnes iuſſerit,tribus ipſorum principibus rationem reddere,ne quid damni per fraudem eius fiſcus pateretur.

3. *Igitur Daniel.*] אריין דניאל. tunc Daniel ſuperabat, id eſt, tunc officio bene fungendo apparuit Danielem longo interuallo cæteros principes ſuperare, quia plus in eo diuinus ſpiritus quàm in reliquis abundabat, & quia magiſtratus virum oſtendebat. Hæc de ſe Daniel non ſua arroganter cauſa,ſed verè modeſteque narrat,quidquid in ſe boni eſſet,acceptum referens Deo. *Porrò.* וגלכא. & rex, &, cauſalis eſt, id eſt, propterea rex cogitabat eum toti regno præficere.

4. *Vt inuenirent Danieli ex parte regni.*] vt inuenirent aliquid quod de regno malè adminiſtrato Danieli poſſent obiicere. Ita Hieronymus, quam interpretationem,& ſequētia verba,& ratio ipſa,inuidiamque accuſatorum confirmat. Dicit enim ſtatim, nullam eius accuſandi occaſionem reperire potuiſſe, quia fidelis erat, quæ verba indicant eius accuſatores obſeruaſſe nunquid eum accuſare poſſent, quod mala fide regiam pecuniam tractauiſſet. Reddebantur enim illi rationes pecuniæ regiæ, vt verſu 2. dictum eſt. Et Hebræi tradunt tres illos principes, quorum vnus erat Daniel, regionem vectigalium exactores fuiſſe. Ratio quoque perſuadet, eius in primis in tractanda pecunia fidem obſeruatam fuiſſe, & quia in ea re à miniſtris regum facillimè peccatur, vixque centeſimus quiſque eſt eorum, ad quorum munus regiæ pecuniæ perueniunt, quin reus agi poſſit, & quia nihil gratius regibus eſſe ſolet, quàm ſuum cenſum augeri, neque in vllum genus hominum ſeueriùs animaduertunt,quàm in ærarij ſui depeculatores,& eſt credibile criminatores eius,quæſiuiſſe aliquod in Daniele crimen, quod & facilè rex crederet,& maxima ſeueritate puniret. Idipſum ex eorum inuidia probari poſſent,cùm enim propter ſummam officij dignitatem illi inuiderent, vellentque impedire, ne toti regno præficeretur, veriſimile eſt in ipſa, quam illi inuidebant, officij functione, & in adminiſtratione regni, occaſionem eius accuſandi quæſiuiſſe: Quare Hebræorum, quam Hieronymus recitat, interpretatio, quæſiuiſſe illi occaſionem ex latere regni, id eſt, accuſandi eum, quod regis vxore, quæ latus eius eſt, abuteretur, cumque eunuchus eſſet, non potuiſſe hoc illi crimen obiicere: & illa altera aliorum, quæſiuiſſe illi occaſionem ex latere regni, id eſt, quod regnum affectaret, alienæ ſunt. *Nullámque cauſam & ſuſpicionem.* עילה ושחיתה. nullam cauſam, & corruptionem, id eſt, non poterunt probare eum pecunia fuiſſe corruptum,aut ab officio deductum, quod ſuperiorem interpretationem confirmat.

5. *Niſi fortè in lege Dei ſui.*] Nullum aduerſus eum crimen reperiemus,niſi fortè,pro crimine virtutem,obſeruationémque diuinæ legis obiiciamus. Magnum eius ſanctitatis teſtimonium.

6. *Surripuerunt.*] vi extorſerunt à rege. hoc enim ſenſu Hieronymus ita vertit. Chald. הרגישו congregauerunt ſe ad regem,vt Hebræi exponunt,id eſt,omnes ſimul regem adierunt, vt ſummo omnium conſenſu, res decreta eſſe videretur, neque quod ab omnibus peteretur, negare poſſet. Solus Daniel omnium principes,vocatus non eſt,quia res impietatis plena agebatur,illique ipſi ſtruebantur inſidiæ.

7. *Conſilium inierunt.*] Illis conſultantibus, viſum eſt. Mirabile commentum inuidiæ. Quis enim præter inuidiam, quæ ſubtiliſſima calumniatrix eſt, hanc legem vnquam excogitare potuiſſe. Atque illi duabus, vt mihi videtur de, cauſis eam excogitarunt,altera quod nulla in re ſperabant ſe faciliùs Danielem poſſe

poſſe deprehendere, cùm ſcirent eum, vt credibile eſt ſingulis diebus ſolitum precari Deum: altera, quod hæc lex maximè videbatur regis auctoritatem commendare, eúmq; quodam modo Deum facere, quo faciliùs illi perſuadere poſſent.

8. *Vt non immutetur.*] immutabile, quod pro Medorum, & Perſarum conſuetudine violare non liceat, vt explicatur ver. 15.

9. *Propoſuit ſcripturam, & ſtatuit.*] ושם כתבא ואסרא. poſuit ſcriptum & decretum, id eſt, iuſſit, vt decretum ſcriberetur, vt Theodotion interpretatus eſt. Mirum videri poteſt regem, licet impium, tamen ab humanitate & ratione non penitus alienum, tam alienum à ratione & humanitate decretum approbaſſe. Sed tribus de cauſis credendum eſt eum in eam ſententiam adductum fuiſſe, ambitione ſummi honoris, qui per eam illi legem deferebatur: principum conſenſu & auctoritate: humana prudentia, vt hominum ſibi recens ſubditorum animos, an ſatis dicto audientes eſſent, experiretur. Nihil profectò facilius quàm regibus perſuadere ea, quibus creſcere eorũ auctoritas videatur.

10. *Quod cùm Daniel comperiſſet.*] Videntur hæc verba regis edicti contemptum præ ſe ferre, ſicut id quod ſtatim dicit, apertis ſe feneſtris orauiſſe, atque ita Theodoritus interpretatur. Sed monet nos ſanctitas Danielis, vt eius orationem religioſam quidem, & liberam, ac minimè temerariam, regiæque poteſtatis contemptricem fuiſſe exiſtimemus. Cautio ergo potiùs, quàm contemptus atque temeritas ſignificatur, quòd cùm cognouiſſet impium & crudele edictum factum eſſe, domum ſeſe receperit orandi cauſa, cùm antè in publico fortaſſis orare conſueuiſſet, aut quod magis Danielis virtute dignum videtur, eius libertas indicatur, vt ſit ſenſus, cùm intellexiſſet eiuſmodi edictum factum eſſe, tamen non deſtitit domum, orandi cauſa tribus quotidie horis, ire, ſicut antè facere ſolebat. Quod autem dicit ſe apertis feneſtris orauiſſe, non ſignificat propterea feneſtras aperuiſſe, vt à Chaldæis videretur, & vt eos ſatis ſua incitatos inuidia magis prouocaret, ſed ſignificat ſe nihil, neque de oratione ſua, neque de orandi ritu, quo antè vtebatur, metu regis prætermiſiſſe. Solebat autem antè, apertis iis feneſtris quæ Ieroſolymam ſpectabant, eò verſus orare. Quod Salomon ita præcepiſſet 3. Regum cap. 8. ver. 44. & 48. *Si in terra inimicorum ſuorũ, ad quam captiui ducti fuerint, orauerint te contra viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegiſti, & templi, quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo.* Porrò, quod dicit tribus quotidie temporibus orare ſolitum, quamuis non explicet quibus credibile eſt, matutinis, meridianis, & veſpertinis horis, & Hieronymus putat, orauiſſe. Quibus etiam temporibus bene inſtituti Chriſtiani, Eccleſiaſtica traditione orare ſolent. Nam & hora tertia Spiritum ſanctum, in Apoſtolos orationis cauſa congregatos, miſſum fuiſſe legimus, Actorum cap. 2. ver. 2. & Petrum & Ioannem hora nona in templum oraturos aſcendiſſe, Actorum cap. 3. ver. 1. & hora ſexta Petrum in cœnaculo precatum eſſe, Actorum cap. 10. ver. 9. Non quod oratiò, qua nullum tempus vacare debet, his tribus temporibus adſtricta ſit: ſed quod æquum ſit, vt ſi totum non poteſt, initium ſaltem, medium, & finem diei, oratio poſſideat.

12. *Verum eſt ſermo.*] Verum eſt quod dicitis, mittendum eſſe in ſpeluncam leonum, ſine vlla ſpe veniæ, eum qui contra fecerit, pro Medorum & Perſarum conſuetudine, quorum edicta mutari nefas eſt.

13. *Daniel vnus de filiis captiuitatis.*] vnus ex captiuis, frequens & notus He-

braiſmus. Conantur omnibus modis crimen exaggerare, primùm ex perſona rei, qui cùm non ſolùm alienigena, ſed etiam captiuus eſſet, diligentiùs debebat regis edicto parere. Deinde ex perſona regis Medi ac tanti, cuius edicta ſancta haberi debeant. Deinde ex facientis animo, quòd per contemptum, edictum regis violaſſe videatur. *Non curauit*, inquiunt, *de lege tua, & de edicto quod conſtituiſti*. Chaldaïcè, לא־שׂם עליך. non poſuit ſuper te, id eſt, non obſeruauit te, non poſuit cor ſuper te, non habuit rationem tui, non curauit te. Chaldaïca phraſis, qualis ſuprà cap. 3. 12. Poſtremò ex iteratione frequenti culpæ, quòd ter quotidie id faceret. Simili artificio contra Sidrach, Miſach, & Abdenago inſtructa fuerat accuſatio, cap. 3. 10. 14. *Orat obſecratione ſua.* pro ſua conſuetudine, quam tuo edicto anteponit, ac ritu ſuo, Iudæorum more flexis genibus, & verſus Ieruſalem, quaſi bos alienus, vt eſt in prouerbio, foras proſpectans.

14. *Pro Daniele poſuit cor vt liberaret eum.*] Adiecit animum ad liberandum Danielem, conatus eſt Danielem liberare. Chaldaica & Hebraica phraſis.

15. *Intelligentes regem.*] Chaldaicè, הרגשו על־מלכא. congregauerunt ſe ſupra regem id eſt, quaſi facta manu omnes ſimul regem aggreſſi ſunt, vt ſupra ver. 6. *Scito rex.* Recordare, quod tu ipſe paulò antè dixiſti, ver. 12. Medorum ac Perſarum edicta mutari non poſſe.

16. *Tunc rex præcepit.*] Hinc apparet, vt Theodoritus obſeruauit, aliquam in rege fuiſſe virtutem, ſed infirmam, & improbati hominum facilè cedentem, qualem in Pilato & in Herode fuiſſe conſtat. Nam & Pilatus Chriſtum videns per inuidiam accuſari, liberare voluit, ſed plus hominibus & gratiæ, quàm æquitati tribuens condemnauit, Ioan. cap. 19. ver 12. & Herodes Ioannem amabat, & multa eo audito faciebat, cúmque eius à puella caput petitum eſſet, contriſtatus fuiſſe dicitur, ſed eum, ne inconſtantiæ notam incurreret, ſecuri percutit, Matth cap. 6. ver. 26. Rectè dictum eſt, *Noli quærere iudex fieri, niſi valeas virtute rumpere iniquitatem.* Eccleſiaſtic. capite 7. verſu 6. videtur etiam rex non humano ſolùm metu Danielem condemnaſſe, ſed ſpe etiam aliqua fore, vt à Deo liberaretur, alioqui fortaſſe non condemnaſſet, hoc enim indicat quod dicit, *Deus tuus, quem tu colis ſemper, ipſe liberabit te.* Quod enim quidam optantis modo interpretantur, Deus tuus, quem tu colis, ipſe liberet te, nequaquam probo, non ſolùm quia malæ fidei auctores ſunt, ſed quia melius mihi Hieronymus, & Theodoritus priorem interpretationem probant. Quod enim & ſpeluncam lapide obſtrui, & lapidem ipſum ſuo annulo ſignari iuſſit, ſatis declarat eum & principum contra Danielem inſidias timuiſſe, & ſpem habuiſſe fore vt à Deo conſeruaretur, non enim ſpeluncam obſignaſſet, niſi non minus illi à principum inuidia, quàm à leonum feritate periculi impendere credidiſſet, nulla enim beſtia ferocior inuidia: quod autem ait regem id Danieli dixiſſe, non fruſtrà notatum eſt, potuit enim rex eam ſpem habere, eámque Danieli non declarare: ſed duas ob cauſas videtur illi dixiſſe, & vt illum conſolaretur, & vt ſe apud illum excuſaret. Illud mihi nunc in mentem venit dubitare. Quomodo Daniel non vocatus, indictáque cauſa à rege, neque prorſus iniquo, & amico damnatus ſit? cùm Sidrach, Miſach, & Abdenago non priùs condemnati fuerint, quàm à rege accerſiti, & admoniti eſſent. Suſpicor vocatum etiam Danielem, ſed ideo non eſſe dictum, quod cùm rex illi amicus eſſet, nihil illi aſperiùs dixerit, ideóque Danielem nihil memorabile reſpondiſſe, niſi verum eſſe ſe Deum ſuum, vt ſolebat, oraiſſe.

Digitized by Google

uiſſe. Argumentum eſt, quòd rex illi coram dixerit: *Deus tuus, quem tu colis ſemper, ipſe liberabit te.*

17. *Annulo ſuo & annulo optimatum ſuorum.*] annulo regis, ne principes eum extraherent, vt occiderent, quem leones non occidiſſent, annulo autem principum, ne rex eum liberandi cauſa poſſet extrahere. *Ne quid fieret contra Danielem.* די לא תשנא צבו בדניאל. ne mutaretur voluntas contra Danielem, aut in Daniele. Quod quidem recentiores interpretes, nimium Hebræorum amantes, ſic exponunt. Ne rex, qui nimis propenſus in Danielem videbatur, illum extraheret, quaſi hoc non regis conſilio, metu principum; ſed principum inſtigatione, ſuſpicione regis factum fuerit. Videtur fauere huic interpretationi regis erga Danielem beneuolentia, & quod v. 14. conatus eum fuerit liberare. Sed malo Hieronymum & Theodoritum auctores noſtros, & R. Saadiam Hebræum, qui id prudentiſſimo regis conſilio factum dicunt, ne voluntas aduerſus Danielem mutaretur, ne principes, ſi viderent à leonibus non interfici, mutata voluntate non iam leonibus occidendum obiicerent, ſed ipſi occiderent. Confirmat hunc ſenſum, quod non principes, ſed rex ipſe lapidem dicatur obſignaſſe. Quid ergo opus erat ſigilla etiam principum adhibere? idem ego illis obiiciam, ſi principes metu regis id faciebant, quid opus erat ipſius regis ſigillum apponere. Credo igitur regem ſumma prudentia, principum etiam ſigilla adiungere voluiſſe, ne ſpeluncam propter eos obſignare videretur, aut morem fortaſſe Medorum fuiſſe, vt quæ publicè fiebant, non ſolùm regis, ſed etiam principum annulis ſignarentur. Quod nunc apud nos in rebus grauioribus fieri videmus.

19. *Primo diluculo.*] Declaratur ſingulare regis erga Danielem ſtudium, & fides in Deum non minima: incœnatum enim tantum regem, & inſomnem totam noctem ducere magni amoris ſignum fuit: prima autem luce lacum viſere, & magni in Danielem amoris, & magnæ in Deum fidei, qua confidebat ſe eum incolumem inuenturum. Quam fidem eum, & ex perſpecta Danielis religione, & ex Sidrach, Miſach, & Abdenago audita hiſtoria, credibile eſt animo concepiſſe.

20. *Daniel ſerue Dei viuentis.*] Quod non ſuum, vt ait Theodoritus, ſed Dei ſeruum appellat, non minimæ religionis argumentum eſt: fatetur enim Danielis Deum verum, atque viuentem eſſe, quod idem eſt, quamquam ſi Darij in Deum fidem non aliunde cognitam haberemus, non ſatis hoc argumento probaretur. Solebant enim aliquando impij homines de Iudæorum Deo, Iudæorum conſuetudine & opinione loqui. Sed iam ſatis Darius oſtendebat, rectè ſe de Dei potentia ſentire, cùm dixit fore vti Danielem liberaret, verſu 16. Itaque magis mirari conuenit, quod ſtatim de potentia Dei, quem viuentem appellauit, dubitare videatur, quàm quod viuentem appellet. Deus, inquit, tuus, cui tu ſeruis ſemper, putaſ-ne valuit te liberare à leonibus? vna facilis, & prompta reſponſio eſt, mirum non eſſe hominem barbarum, & in religione nonniſi à natura, & fama miraculorum inſtitutum, inter fidem & infidelitatem fluctuare, atque nunc bene, nunc malè de diuina loqui maieſtate. Qui enim credere incipiunt, ſimiles eſſe ſolét iis qui ex ophthalmia conualeſcunt, qui initio quidem aliquid vident, ſed non ſatis inter viſa diſcernunt, & vt euangelicum docet exemplum, homines aliquando arbores eſſe putant. Nolunt tamen Hieronymus & Theodoritus vllam his verbis regis dubitationem, ſed prudentiam potius ſignificari, non enim ita locutum fuiſſe, quod

de diuina potentia dubitaret, ſed vt, quò rem veluti dubitando incredibiliorem eſſe iudicat, eò iuſtiorem poſtea contra principes indignationem ſuſcipiat, probabile & pium.

22. *Quia coram eo.*] Quia neque contra illum, neque contra te quidquam peccaui. Valde ſe hoc loco noui Hæretici torquent, vt probent Danielem fuiſſe mentitum, id eſt, non fuiſſe veram in illo iuſtitiam: tantum enim de cauſæ, quam defendebat æquitate loqui, & de ſua iuſtitia, non abſoluta, ac vera; ſed vt illi dicunt, particulari, quod in hac re, in qua accuſatus fuerat culpa vacaret. Nos verò non ignoramus multos eſſe in ſcripturis locos, qui de ſingulari iuſtitia intelligendi ſint, nec eſt, quod in iis accumulandis tantopere laborent. Vnus ille ſatis eſt. Si non veniſſem & locutus non fuiſſem, peccatum non haberent: non enim ſignificat nullum, ſed hoc infidelitatis peccatum, quod tunc habebant, habituros non fuiſſe: Sed non bene inde colligunt in nemine generalem veramque iuſtitiam reperiri, quod omnes aliqua in re peccauerint; nec enim iuſtitiam innocentiam appellamus, quam non ignoramus in nemine reperiri; ſed vocamus iuſtitiam inhærentem in nobis diuinam gratiam, quæ peccata non ſolùm tegit, non ſolùm radit, ſed penitus tollit, ac radicitus euellit: neque nos ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti iuſtos appellari, quod ex hoc loco contendimus rectiſſimè probari. Nam qualiſcunque tandem illa Danielis iuſtitia fuerit, ille certè teſtatur in ſe ipſo fuiſſe. Quòd autem non de particulari iuſtitia cauſaque æquitate tantùm loquatur, inde perſpicuum eſt, quòd dicat ſe & coram Deo, & coram rege iuſtum eſſe, quæ duo certè, non idẽ ſunt. Cùm autem dicit ſe coram rege iuſtum eſſe, de particulari in præſenti cauſa iuſtitia; accuſatus enim fuerat, quod grauiter contra regem deliquiſſet, cùm ergo ſe etiam coram Deo iuſtum eſſe dicit, non iam de particulari iuſtitia, ſed de generali loquitur. Quod enim quidam interpretantur inuenta eſt in me iuſtitia, non ſolùm Deo, ſed etiam te ipſo, rex, iudice, inconſideratè faciunt. Ipſa enim varietas nominum, quibus vtitur, ſatis oſtendit, non de eadem cauſa & iuſtitia loqui, cùm enim de Deo loquitur, dicit השתכחת. iuſtitiam in ſe inuentam eſſe, cùm de rege, חבולה לא־עבדת corruptelam non feci, vt ſuprà v. 4. id eſt, nihil defraudaui, ſumma fide & pecuniam, & negotia tua tractaui, non ergo ſignificat ſe, neque Deo, neque rege iudice peccauiſſe, ſed apud Deum iuſtum eſſe, & contra regem nihil deliquiſſe. Illud etiam animaduerſione dignũ eſt Danielem, cùm de rege loquitur, aſſeueranter dicere ſe nihil aduerſus illum peccauiſſe, cùm autem loquitur de Deo non dicere ſe nõ peccauiſſe, ſed iuſtum eſſe, quia non diffitebatur ſe aliquando aduerſus Deum peccauiſſe, quod nemo mortalium, vt ait Ioannes verè diffiteri poteſt, ſed credebat diuina ſibi gratia peccata remiſſa. Accedit, quod credendum eſt, Danielem his verbis, & ad regis verba, & ad accuſatorum criminationem alluſiſſe. Dixerat rex v. 16. *Deus tuus, quem tu colis, ſemper liberabit te*, duas futuræ liberationis cauſas indicans, diuinam potentiam, ac benignitatem, & Danielis religionem, iuſtitiam, ac merita. Obiecerant accuſatores crimen læſæ maieſtatis. Daniel regis opinionem confirmat, accuſatorum falſam criminationem refellit. Quid ergo, nonne regis edictum violauerat? violauerat quidem in ſpeciem, ſed indicat ſe non verè violaſſe, quia non contemptu, ſed neceſſaria religione violauerat. Denique cùm Deus apud Ezechielem cap. 14. 14. 20. dicit, *Si fuerit in medio eius Noë, Daniel & Iob ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas*, haud dubium eſt, quin ad hanc mirabilem liberationem alludat: propterea enim illos tres viros potiſſimum nomi-

nominauit, quòd illi ex magno mortis periculo, propter ſuam iuſtitiam liberati eſſent. Illic autem non agitur de iuſtitia particulari, non enim de vlla priuatim culpa, ſed de omni peccatorum genere ſermo erat, ergo neque hoc loco ad quem illic alluditur, de particulari, ſed de generali iuſtitia agitur. Non eſt mihi propoſitum in hoc opere hæreticos refutare, quos proprio volumine quaſi æquo loco iuſtóq; prælio me debellaturum confido; ſed non potui hunc locum iniquo ab illis occupatum præterire, niſi leui eos certamine fugarem.

23. *Quia credidit Deo ſuo.*] Fidei tribuit, quòd liberatus fuerit, non quòd ſola, ſed quòd prima ſalutis cauſa fuerit, ſicut D. Paulus Hebr. 11. 33. huc alludens ait ſanctos per fidem extinxiſſe impetum ignis, viciſſe regna, id eſt, reges, obturauiſſe ora leonũ quod Dauid non fidei tantùm, ſed iuſtitiæ tribuit, Pſal. 90. 13. *Super aſpidem & baſyliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

24. *Iubente rege.*] Exercet talionis pœnam, quæ adeo iuſta, & naturalis eſt vt in ea quidam, quemadmodum magiſter philoſophorum ait, omnem iuſtitiam collocarent, ideo rex etiam barbarus in animo inſcriptam eam habebat legem. Illud ſeuerius factum videri poteſt, quòd non accuſatores modò, ſed eorum etiam vxores ac liberos leonibus obiecerit: Sed idipſum neque à naturali, neque à diuinis & humanis legibus abhorret. Nam natura quidem docet, vt ob præcipua quædam ſcelera non ſcelerum tantùm auctores, verum etiam vxores & liberi, tanquam partes quædam ipſorum moriantur. Et Deus in diluuio, in Sodomorum euerſione, in terra Chananæorum, in Amalechitis in Beniaminitis, multos innocentes infantes ob parentum ſcelera necauit, & in ipſa lege comminatur ſe peccata patrum in filios, vſque in tertiam & quartam generationem viſitaturum, Exod. 20. 5. quamquam noluit id Iudæis liberum eſſe, ne prætextu legis ſuam crudelitatem nimium amplificarent, ideóq; legem tulit, Deut. 24. 16. ne patres pro filiis, aut pro patribus, filij occiderentur. Illud verò Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*, in commentariis eius loci declarauimus. Humanæ etiam leges, & ciuiles & Eccleſiaſticæ ob crimen læſæ maieſtatis, ſiue humanæ, ſiue diuinæ, non ſolum reos, ſed eorum etiam liberos puniunt. l. quiſquis Cod. ad l. Iuliam, 6. qu. 1. cap. ſi quis, & extra de Hæreticis c. vergentis. Daniel autem læſæ maieſtatis accuſatus fuerat, itaque ſi vxorem & liberos habuiſſet, omnes fortaſſe fuiſſent vnà cum illo, leonibus obiecti: quare meritò non ſolùm eius accuſatores, ſed vxores etiam eorum, atque liberi leonibus obiiciuntur. quamquam non eſt neceſſe, vt in defendendo barbari regis facto magnopere laboremus. *Et non peruenerunt vſque ad pauimentum donec.* Nec dum peruenerant vſque ad pauimentum, cùm leones ipſos diſcerpſerunt. Haud ſcio vnde Ioſephus acceperit quod lib. 10. cap. 11. ſcribit, Danielis accuſatores cauſatos leonum ſaturitate Danielem ſeruatum fuiſſe, regem verò cùm plurimum carnis leonibus datum eſſet, præcipiſſe, vt illi eis obiicerentur, vt non alieno, ſed ſuis corporibus experirentur, an leones ſaturitate retardati, an diuina impediti potentia ab hominibus abſtinerent, ſcriptura nihil eiuſmodi indicat, ſed credo hominem Iudæum ſuæ gentis hiſtoriam narratione ſi non vera, veroſimili exornare voluiſſe.

25. *Tribubus & linguis.*] Linguis Chaldaïca phraſi pro nationibus ponit, quia ſingulæ nationes ſingulis linguis vti ſolent, vt ſuprà c. 3. 4. 7. 96. 98. & c. 5. 19. *In vniuerſa terra.* Habent hæc verba aliquid inane, & ſuperbum, quale in regum titulis eſſe ſolet. Neque enim in vniuerſa terra dominabatur, ſed quia maximus tunc regum erat, magnámq; cognitę tunc terræ partem occupabat, indicat

ſe in vniuerſa terra dominari, id pòſt corrigit ver. 26. *Pax vobis multiplicetur.* Chaldaïca etiam phraſis, qua reges populum ſalutabant, ea etiam Nabuchodonoſor vſus eſt, cap. 3. 98. quin & D. Petrus Græcè loquens 1. epiſt. cap. 1. ver. 2.

26. *Vt in vniuerſo imperio, & regno meo contremiſcant & paueant Deum Danielis.*] Plus facit, quàm fecerat Nabuchodonoſor. Nam ille cap. 3. ver. 98. tantùm edicto publico vetuerat, ne quis de Deo Danielis contumelioſè loqueretur. Darius non ſolùm ne quis eum contumeliis afficiat, ſed etiam vt omnes eum timeant, id eſt, reuereantur, & pro vero Deo habeant. Vnde coniectura non obſcura ducitur, ex animo eum & verè ad Deum fuiſſe conuerſum. Nam etſi de ea re in vtramquè partem diſputatur, multíque diſſentiunt, tamen hoc malo credere, & quia id plures dicunt, & quia verbis Danielis magis eſt conſentaneum, & quia æquum eſt in re dubia in meliorem partem iudicare. Cur ergo non iuſſit idola tolli, quæ vna cum vero Deo coli non poterant; neſcimus an id fecit, Nec enim Daniel totum edictum recitauit: Sed ſi non fecit: credendum eſt eum repugnante infinita multitudine facere non potuiſſe, quamquam de ea re nolim equidem magnopere contendere. Quod Deum Danielis appellet, id eſt, quem Daniel ſingulariter colat, iam à nobis explicatum eſt, cap. 3. 96. vbi Nabuchodonoſor eadem ratione Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, eum appellauit. *Ipſe eſt enim Deus viuens.* Simile veri eſt, hæc honorifica Dei cognomenta ex Daniele regem didiciſſe.

27. *Faciens ſigna & mirabilia.*] Plus quàm viderat confitetur, neque enim in cœlo vllum ſignum viderat: ſed Danielem ſeruatū fuiſſe, tantum eſſe miraculum ducebat, vt nihil quidquam maximum minimum eſſe crederet, quod Deus facere non poſſet. Et credibile eſt auditione eum accepiſſe cætera miracula, quæ paulò antè Babyloni, etiam olim in Ægypto in terra, quæquè pugnante contra Gabaonitas Gedeone, & Ezechia ægrotante in ſole feciſſet.

28. *Perſeuerauit vſque ad regnum Darij.*] הצלח. proſperè egit, id eſt, in magno fuit honore, quandiu Darij, & Cyri regnum durauit, aut quandiu regnauit Darius, quoad Cyrus regnare cœpit, ſub quo iterum accuſatus & leonibus obiectus eſt, cap. 14. Quod propterea videtur dicere, vt hiſtoriæ finem faceret, prophetiamque aggrederetur. Nam quod ſex ſuperioribus ſcripſit, hiſtoriæ ſimilius eſt, quàm prophetiæ, capite verò ſequenti incipit, non ſolùm re ipſa, ſed etiam materia & ſcribendi ratione eſſe Propheta. Darius autem poſt victos Babylonios, vno tantùm anno regnaſſe traditur: Quare Daniel primi tantùm anni regni eius mentionem facit, cap. 9. 1. & cap 11. 1.

CAPVT VII.

ANNO primo Baltaſar regis Babylonis, Daniel ſomnium vidit: viſio autem capitis eius in cubili ſuo: & ſomnium ſcribens, breui ſermone comprehendit, ſummatímque perſtringens ait: 2 *Videbam in viſione mea nocte, &*
ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. 3 *Et quatuor beſtiæ grandes*
aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. 4 *Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ, aſpiciebam donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi*
homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei. 5 *Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte*
ſtetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & ſic, dicebant ei: Surge,

comede carnes plurimas. 6 Poſt hæc aſpiciebam, & ecce alia quaſi pardus, & alas
habebat quaſi auis quatuor ſuper ſe: & quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas da-
ta eſt ei. 7 Poſt hæc aſpiciebam in viſione noctis, & ecce beſtia quarta terribilis at-
que mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque commi-
nuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, diſſimilis autem erat cæteris beſtiis, quas
videram ante eam, & habebat cornua decem. 8 Conſiderabam cornua, & ecce
cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt
à facie eius, & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingen-
tia. 9 Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimen-
tum eius candidum quaſi nix, & capilli eius quaſi lana munda: thronus eius flamma
ignis: rotæ eius ignis accenſus. 10 Fluuius igneus, rapidúſque egrediebatur à facie
eius: millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: iu-
dicium ſedit, & libri aperti ſunt. 11 Aſpiciebam propter vocem ſermonum gran-
dium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta eſſet beſtia, & periſſet
corpus eius, & traditum eſſet ad comburendum igni: 12 aliarum quoque beſtiarum
ablata eſſet poteſtas: & tempora vitæ conſtituta eſſent eis vſque ad tempus & tempus.
13 Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis ve-
niebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit: & in conſpectu eius obtulerunt eum.
14 Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ
ipſi ſeruient: poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non
corrumpetur. 15 Horruit ſpiritus meus, ego Daniel territus ſum in his, & viſiones ca-
pitis mei conturbauerunt me. 16 Acceſſi ad vnum de aſſiſtentibus & veritatem quæ-
rebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem ſermonum, & docuit me.
17 Hæ quatuor beſtiæ magnæ: quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra. 18 Su-
ſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi: & obtinebunt regnum vſque in ſæculum &
ſæculum ſæculorum. 19 Poſt hoc volui diligenter diſcere de beſtia quarta quæ erat diſſi-
milis valde ab omnibus, & terribilis nimis: dentes & vngues eius ferrei: comedebat &
comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat. 20 Et de cornibus decem quæ ha-
bebat in capite: & de alio quod ortum fuerat: ante quod ceciderant tria cornua: & de
cornu illo quod habebat oculos, & os loquens grandia, & maius erat cæteris. 21 A-
ſpiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus ſanctos, & prævalebat eis: 22 do-
nec venit antiquus dierum, & iudicium dedit ſanctis excelſi, & tempus aduenit, & re-
gnum obtinuerunt ſancti. 23 Et ſic ait: Beſtia quarta, regnum quartum erit in terra,
quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit & com-
minuet eam. 24 Porrò cornua decem ipſius regni, decem reges erunt: & alius conſur-
get poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. 25 Et ſermones
contra Excelſum loquetur, & ſanctos Altiſſimi conteret: & putabit quòd poſſit mutare
tempora & leges, & tradentur in manu eius vſque ad tempus & tempora & dimidium
temporis. 26 Et iudicium ſedebit, vt offeratur potentia, & conteratur, & diſpereat vſq;
in finem. 27 Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni quæ eſt ſubter omne cœ-
lum, detur populo ſanctorum altiſſimi: cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes
reges ſeruient ei & obedient. 28 Hucuſq; finis verbi. Ego Daniel multũ cogitationibus
meis cõturbabar, & facies mea mutata eſt in me, verbum autem in corde meo conſeruaui.

VIDET Daniel quatuor beſtias, per quas quatuor futura regna ſignifi-
cantur, vaticinatúrq; de duobus contrariis regnis Chriſti, & Antichriſti.
1. *Anno primo Baltaſar regis.*] quicumque mediocriter in lectione Prophetarũ
verſatus erit, nequaquam mirabitur cùm præpoſterum narrationum ordinem
viderit.

Digitized by Google

viderit. Memini me in ſuperiorum Prophetarum commentariis ſæpe monuiſſe, ſolitos fuiſſe Prophetas ſingula vaticinia ſeparatim ſcribere, prout ſe quódq; offerebat, populóque proponere, poſtea ab aliquo, non ſemper ſeruato ordine temporum, in vnum volumen collecta fuiſſe, quemadmodum in Pſalmis factum fuiſſe non ſolùm legimus apud alios, ſed oculis etiam ipſi cernimus. Idem hoc loco factum eſt: Nam quæ hoc, & ſequenti capite narrantur, priùs acciderunt, quàm quæ capite quinto & ſexto narrata ſunt. Hoc enim capite narrantur, quæ anno primo regis Baltaſaris, capite ſequenti, quæ tertio acciderunt. Capite autem quinto, quæ ſuprema eius regni nocte, capite ſexto quæ poſt eius regnum ſub Dario facta ſunt. Poteſt mutati ordinis aliqua reddi ratio, quod hactenus Daniel, quaſi ad Prophetiam viam muniens hiſtoriam magis ſcripſerit, quàm prophetiam; & quæ alij, non quæ ipſe vidiſſet. nunc ſua vaticinia contexit. Maluit ergo rerum, quàm temporum, ſeruare ordinem, & quia nonnullis hiſtoriis, nonnulla vaticinia priora fuere, neceſſe fuit nonnulla priùs facta, poſterius, & nonnulla poſterius, prius commemorare. *Daniel ſomnium vidit.* Quod de tertia perſona loquatur, mirum non eſt, ſolent id alij Prophetæ facere frequentiſſimè, quemadmodum in proœmio notauimus. Illud magis mirum, quòd ſuam ipſe prophetiam, non quaſi Propheta ſed quaſi hiſtoricus narrare videatur, quod & modeſtiæ & fidei cauſa fortaſſe facit. Dum enim ſimpliciter ita narrat ſicut accidit, & moderationem ſeruat, & rebus, quas ſcribit fidem conciliat. *Daniel ſomnium vidit.* non vulgare, ſed Propheticum, & iniectum diuinitus. Somnium enim immiſſum à Deo vnum genus eſt Prophetiæ, Numer. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, aut per ſomnium loquar ad illum. Viſio autem capitis eius.* Sic ſe habebat, ſcripſit enim eam, aut viſio capitis eius hæc erat, quam breuiter in hunc modum ſcripſit. Chaldaïca phraſis, qua ſolum diuinitus immiſſum ſomnium ſignificatur, vt cap. 4. 2. 7. 10. & cap. 2. 28. *Et ſomnium ſcribens breui ſermone.* ראש מלין. caput ſermonum ſcribens, quidam interpretantur ſtatim eum de lecto ſurrexiſſe, & ne fortè obliuiſceretur capita rerum ſcripſiſſe, quas viderat. Alij ſcripſiſſe per notas quæ ראשי מלין. aut, ראשי תיבות. capita dictionum appellantur. Ego ſolam ſcripturæ breuitatem ſignificari arbitror.

2. *Summatimq; perſtringens.*] ענה דניאל ואמר. reſpōdit Daniel & dixit. Duplex Phraſis Chaldaïca, altera qua nomen perſonæ, pro relatiuo repetitum ponitur, vt ſuprà multis locis vidimus: Altera, reſpondere, pro incipere, vt cap. 2. 26. Latinè diceremus, Cuius hoc eſt exordium, videbam etiam. *In viſione mea nocte.* per ſomnium nocturnum.

3. *Quatuor venti pugnabant.*] מגיחן. Inter Hebræos. alij interpretantur, pugnabant, vt noſter interpres & Theodotion tranſtulerunt, alij exeuntes, id eſt, flantes, alij eductos in mare magnum, vt recitat R. Saadias. Mare autem magnum, Hebræorum conſuetudine Mediterraneum vocari arbitror: quod etſi cæteris ferè omnibus minus eſt, tamen à Iudæis alia propter longinquitatem ignorantibus, & illud cum mari mortuo, aliiſque vicinis lacubus comparantibus, magnum appellabatur, vt Ioſue 1. 4. & 5. 1. & 9. 1. & 15. 4. & 16. 3. Non exponit Daniel quid quattuor venti, ſicut quid quatuor beſtiæ ſignificarent, itaque relictus opinionibus locus eſt. Hieronymus quatuor ventos, quatuor angelicas poteſtates interpretatur, quæ quatuor, id eſt omnibus mundi regnis præpoſitæ ſunt, vt dicitur in Deut. c. 32. 8. *Conſtituit terminos populorum*

iuxta numerum angelorum Dei, ſic enim ille & omnes veteres auctores ſeptuaginta interpretes ſecuti legunt. Dicuntur autem quatuor angeli pugnare, quia pro ſuo quiſque regno, aut à Deo contraria poſtulant, & contra eius hoſtes decertant, aut quod alij, alios contrariorum regnorum curam gerentes, impediant, vt cap. 10. verſu 13. videbimus. Hieronymi auctoritas, omnes ferè poſteriores Latinos in eandem opinionem traxit, alij malos Angelos intelligunt, qui orbem terrarum bellis ſeditionibuſq; concutiunt. Theodoretus mare humanam vitam, quatuor ventos, rerum conuerſiones & varios caſus, qui in vitam noſtram incurrunt. Omnia probabilia; ſed ego ſilentium Danielis, expoſitionem interpretor. Nam ex eo ipſo quod quatuor ventos, & quatuor beſtias vidit, & quid quatuor beſtiæ, non quid quatuor venti portenderent, declarat, ex iis indicat idem per quatuor ventos, quod per quatuor beſtias ſignificari, alioqui non minus quatuor ventorum, quàm quatuor beſtiarum ſignificationem expoſuiſſet. Et videmus eandem rem cõfirmationis cauſa, diuerſis aliquando rebus per ſomnium demonſtrari, vt in ſeptenis vaccis, & ſeptenis ſpicis, quas Pharao vidit, vſu venit Geneſ. cap. 41. 32. Mare verò magnum, mundum eſſe rectè Hieronymus exponit, vt Matth. 13. 47. *Et quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari*. Non aſſentior iis qui eodem modo interpretantur ventos, & beſtias è mari prodiiſſe. Nam Chaldaicè, quaſi conſultò videtur, aliter de ventis, aliter de beſtiis locutus eſſe. De ventis dixit, לימא. in mare flantes, aut impetum facientes: de beſtiis dicit: aſcendentes מן ימא. ex mari, ſignificationem exponit verſu 17.

4. *Prima quaſi leæna.*] כאריה. quaſi leo Hieronymus, & Theodotion propter adiectiuum fœminini generis, prima leænam tranſtulerunt, putatque Hieronymus aliquid in eo myſterij eſſe, quod etſi non video, tanto auctori repugnare nolo. Porrò per quatuor beſtias, quatuor regna ſignificari verſu 17. Angelus Danieli explicat, ſed quod regnum ſingulæ ſignificent non exponit, tantùm de vltimæ beſtiæ ſignificatione obſcurè agit. Video tamen omnibus auctoribus conuenire, primam beſtiam Regem Babylonis eſſe. Memoria enim tenendum, quod verſu primo dictum eſt, hoc viſum primo anno Baltaſaris, cum adhuc Babylonicum floreret regnum, fuiſſe demonſtratum. Comparatur rex Babylonis leoni propter ferocitatem, vt Iſai. 5. 29. *Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum.* & Ierem. 4. 7. *Aſcendet leo de cubili ſuo & prædo gentium ſe leuabit.* & cap. 5. 6. *Percuſſit eos leo de Sylua.* quod quidam regem Babylonis comparatione regis Perſarum, Græcorum, & Romanorum futurorum monarcharum leonum vocari putant, quòd non ſolùm tempore, ſed etiam moribus illis antecelluerit, ſine ratione mihi videntur diuinare. Leonem ergo neque quia maximus, neque quia optimus, neque quia potentiſſimus, neque quia ferociſſimus, ſed ſimpliciter quia omnium monarcharum primus fuit vocari arbitror. Sicut in ſtatua quam vidit Nabuchodonoſor regem Babylonis, non quia cæteris melior, ſed quia prior, per caput aureum ſignificari diximus, cap. 2. 38. Viſum autem Danielis, & Nabuchodonoſoris etſi diuerſis rebus conſtat, idem ſignificat, eadémque ratione explicari debet. *Et alas habebat aquila.* Monſtrum fuiſſe regem Babylonis indicat partim leonem, partim aquilam, leonem propter fortiudinem & ferocitatem; aquilam ob celeritatem in bellis conficiendis, vt Ierem. 4. 13. ferociores aquilis equi illius, & cap. 48. 40. *Ecce quaſi Aquila volabit & extendet alas ſuas ad Moab.* & cap. 49. 22. *Ecce quaſi aquila aſcendet & auolabit, & extendet alas ſuas ſuper Boſram.*

& Thren. 4. 19. *velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis*: ergo, cùm per vnam beſtiam non poſſet, per duas regis Babylonis potentiam & celeritatem declarauit. Nam leo fortiſſimus eſt, ſed aquila velocior. Aquila velociſſima, ſed leo fortior: voluit etiam fortaſſis innuere regem Babylonis vnum, diuerſis in regnis, ſicut in terra leonem, in aëre aquilam dominari. *Aſpiciebam donec euulſæ ſunt alæ eius*, id eſt, vidi leonem regnare, donec alæ illi detractæ ſunt. Duas huius loci interpretationes Hieronymus affert, alteram quam recentiſſimo cuique auctori placere video, vt finis monarchiæ Babylonicæ ſignificetur, alaſque detractas, cùm occiſo Baltaſare, regnum ad Medos tranſlatum eſt. tunc datum illi cor hominis, id eſt, non iam leonem, & aquilam, ſed imbecillem, ac mortalem hominem cæteris ſimilem reputaſſe: & ſuper pedes quaſi hominem ſtetiſſe, hoc eſt, ſuam illam aquilinam in ſubiugandis regnis celeritatem amiſiſſe, factúmque fuiſſe tardum, more cæterorum hominum non alis volantium, ſed pedibus gradientium. Sic etiam Theodoretus. Alteram hæc ad Nabuchodonoſorem eſſe referendam, cui alæ detractæ ſunt, cùm ablata regia poteſtate ad beſtias relegatus eſt, cap. 4. verſu 30. ſtetit autem ſuper pedes quaſi homo, & cor illi humanum datum eſt, cùm recuperato ſenſu reſtitutus eſt regno, cap. 4. verſu 33. ita R. Saadias. Hanc interpretationem, vtriuſque ſomnij Danielis & Nabuchodonoſoris ſimilitudo, alluſio ad cor hominis quod Nabuchodonoſori primum ablatum, deinde reſtitutum eſt, auctoritas eorum, qui eam ſequuntur, probabilem faciunt. Tamen eam Aben Eſra hoc argumento refellit, quod cùm Daniel hoc ſomnium habuit, iam diu Nabuchodonoſor mortuus fuerat, neque erat cur Daniel de re iam præterita vaticinaretur, Itaque ipſe non de certo aliquo ſed vniuersè de rege Babylonis interpretatur, Nabuchodonoſorémque leonem fuiſſe, filium eius Euilmerodach, & nepotem Baltaſarem duas alas, quibus ſublatis rex Babylonis eſſe deſiit, & in ordinem redactus ſit. Magis etiam nunc ſecundam interpretationem probo: Nam prima ideo mihi minus placet, quod illi tria, quæ hic dicuntur alas fuiſſe ſublatas, cor redditum, & in pedes more hominum ſtetiſſe, difficile mihi in Baltaſarem conuenire poſſe videantur, cui non alæ, ſed vita cum regno ſublata; cui non cor redditum, ſed omnis ſpiritus ereptus eſt: quique non ſtetit in pedes, ſed penitus concidit. Et tertia in idem quod fugit incommodum incurrit, dum Nabuchodonoſorem iam mortuum leonem Euilmerodach, & ipſum ſimiliter mortuum alam alteram appellat. Vaticinatur ergo de futura regni tranſlatione ſub perſona Nabuchodonoſoris quamuis iam mortui, quia illi primùm regni tranſlatio per magnam ſtatuam, cap. 2. deinde per arborem, & ſuam ipſius ad beſtias relegationem, ſignificata fuerat.

5. *Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo.*] Conſentiunt omnes interpretes per hanc ſecundam beſtiam, regnum Perſarum ſignificari. Cæterùm qui anxiè minutéque conantur explicare, cur vrſo Perſæ comparentur, nihil aliud mihi conſequi videntur, quàm vt ſimilitudinem quærentes, diſſimilitudinem inueniant, & rem per ſe facilem, difficilem reddant. Quemadmodum ergo cap. 2. diximus non ideo regnum Babylonicum auro, Perſicum argento, Græcum ære, Romanum ferro comparatum fuiſſe, quod Babylonicum Perſico, Perſicum Græco, Græcum Romano, aut fortius, aut locupletius, aut melius fuerit, cùm dubium non ſit Romanum cæteris omnibus in rebus præſtitiſſe: ſed ſolùm ſignificari regna, quò poſteriora ſunt, eò magis ad finem & interitum appropinquare:

pinquare: ita hoc loco non ideo regnum Babylonicum leoni, Perſicum vrſo, Macedonicum pardo comparari puto, quod Babylonicum Perſico, Perſicum Macedonico fortius fuerit. Quis enim dubitet poſteriores prioribus, quos vicerunt, fuiſſe fortiores: ſed tantùm iudicari, poſteriora regna magis ad regni huius mundi finem, & ad regnum Chriſti æternum accedere, quàm priora, ſicut beſtiæ, & metalla quò poſteriora ſunt, eò magis à leone & auro degenerant, propioráque ſunt, vt neque illæ in beſtiarum, neque hæc in metallorum numero habeantur. *In parte ſtetit.* Veterum Hebræorum interpretatio, quam Hieronymus recitat, quamuis ab eo non refutetur, mihi non placet, regnum Perſarum in parte ſtetiſſe, quia non omni, vt Chaldæi; ſed aliqua tantum ex parte Iudæos vexarunt, nec enim hîc de Iudæorũ vexatione ſermo erat. Quare & recentiores Hebræi aliter exponunt. R. Saadias in parte ſtetiſſe, quia Cyrus non regnabat, niſi in vno angulo, id eſt, in Perſide, cùm Darius in vniuerſa terra dominari videretur, vt ipſe dixit c. ſuperiore v. 25. at hîc non de duobus, ſed de vno rege agitur, eóque non ſolùm in Perſide, ſed etiam in Media, vt ſtatim ſignificatur, Chaldæáque dominante, argumentum non duæ, ſed vna beſtia, R. Abraham ideo in parte ſtetiſſe dictũ putat, quod Darius tres tantùm Chaldæorum vrbes, Cyrus reliquam regni partem occupauerit, vt ſe in neſcio quibus Perſarum hiſtoriis legiſſe dicit. Eadem ratione qua prior hæc interpretatio refutatur. Theodoritus, quod Cyrus duabus regni partibus amiſſis vnam tantùm retinuerit, ac non de amittendo, ſed de acquirẽdo regno hîc agebatur. Alij in parte ſtetiſſe, id eſt, Perſas, homines barbaros, in ſuis ſe latebris velut vrſos continuiſſe, donec Cyrus emerſit. Peior hæc mihi videtur, non ſolùm quia minimè bonorum auctorum eſt, ſed etiam quia non agitur hîc de ſtatu Perſarum, ante Cyri monarchiam, ſed de florentiſſimo, ſuperatis iam Chaldæis, regno Cyri. Illi ergo propiùs ad mentem Prophetæ accedere videntur, qui in parte, aut לשטר חד. ad latus vnum ſtetiſſe, id eſt, inſurrexiſſe הקימת. interpretantur, Cyrum vno ex latere, id eſt, regno Babylonico monarchiam ſuam amplificaſſe. Alij tres coſtas, vt Thodotion vertit τρία πλευρά, alij tres bolos interpretantur. Alij, vt ait R. Saadias, tres molares dentes. Illud certum his verbis tria aliqua ſignificari, quæ beſtia illa inter dentes mandaret. Veteres Hebræi, vt ait Hieronymus, & inter recentiores R. Saadias, tres reges alium poſt alium ſuccedentes, ſignificari putauerũt. Quod rectè Hieronymus refellit, quòd non tantùm tres, ſed multò plures apud Perſas poſt Cyrum reges, ex hiſtoriis regnaſſe conſtet, ex quorum numero tres eligere non poſſumus, in quos iſta conueniant. Theodoritus tres orbis partes, Orientalem, Aquilonarem & Auſtralem intelligit, quibus Cyrus imperauerit. Alij numerum certum pro incerto eſſe putant, nihilque ſignificari aliud, quàm fore vt Perſarum rex multa ſibi regna ſubiugaret, ſicut ſtatim dicitur, *Surge comede carnes multas.* Cæterùm vt alias id fiat, tamen in deſcriptione beſtiæ, non eſt credendum numerum certum pro incerto poſitum eſſe. Itaque vulgaris illa Hieronymi interpretatio omnium probabiliſſima eſt, tres coſtas, aut tres bolos, quos beſtia inter dentes tenebat, tria regna Babylonicum, Perſicum, Medorum ſignificare, quæ in vnius regis poteſtate, quaſi tres boli inter vnius vrſi dentes erant, non quod non plura regna Cyrus habuerit, ſed quod illa tria fuerint illuſtriſſima. *Et ſic dicebant ei.* His verbis diuina permiſſio ſignificatur, ſine qua non potuiſſet Cyrus tot in ſuam poteſtatem regna redigere. Dicitur enim Deus dicere ac præcipere quod permittit, vt 2. Regum cap. 16. verſu 10. *Deus præcepit illi vt*

mihi malediceret. Hieronymus & Hieronymum ſecuti multi, ad hiſtoriam Naman alludi volunt, qui conſilium inierat de omnibus Iudæis abolendis, apud Eſther cap. 3. ideóque non dicere, beſtiam comediſſe multas carnes ſed dictum fuiſſe illi vt carnes multas comederet, quia conſilium de perdendis Iudæis datum fuit, ſed non perfectum. Ego generalem ſententiam eſſe arbitror. qua ſignificetur Cyrum, aut permittente, aut impellente Deo multas gentes ſubiugaturum, idémque per carnes multas, & per tres bolos quos beſtia in ore tenebat deſignari. Hoc enim explicatio illius eſt, neque hîc de Iudæorum oppreſſione, ſed de Perſici regni poteſtate agitur.

6. *Quaſi pardus.*] Per pardum, aut, vt alij volunt, pantheram, omnes Macedonicum regnum deſignari putant. Aben Eſra & alij nonnulli Hebræi etiam Romanum, vnum ex Græcorum & Romanorum regnum facientes, quod hîc per pardum, c. verò 2. per æs, & ventrem ſtatuæ ſignificatum fuerit. Quartam beſtiam incognitam Turcicum imperium eſſe volunt, quod illic per ferrum & pedes ſtatuæ notatum ſit. Sed hunc errorem illic euellimus, vbi primum natus eſt, cap. 2. ver. 4. Cur pardo Græcorum, aut quod idem eſt Macedonicum imperium, ſimile dicatur, omnes quærunt, celeritatémque & aſtutiam Græcorum notari putant: pardum enim animal eſſe velociſſimum & maculoſum. Ego vt ſuprà monui non exiſtimo iſtas minutas ſimilitudines exquirendas eſſe, ſed illud quod hîc agitur intuendum: Non enim regum mores, ſed regnorum natura, potentiaque deſcribitur. *Alas quaſi auis quattuor.* Omnes ferè interpretes aliud per quattuor alas quàm per quattuor capita deſignari putant, alij vnum & idem. Rurſus illi ipſi primi inter ſe de alarum ſignificatione diſſentiunt: nam alij duce Hieronymo, per quattuor alas, ſummam Alexandri Magni celeritatem notari dicunt, qui ſex annorum ſpatio totam Aſiam, magnámque Africæ & Europæ partem ſuo imperio ſubiecit. Ita ver. 4. rex Babylonis alas habebat aquilæ, propter bellorum conficiendorum celeritatem, ſed ille duas tantùm alas, hic quattuor habere dicitur: quia nimirum hic illo celerior, hæc omnia probabilia. Sed neque Theodoriti opinio mihi diſplicet, quattuor alas, quattuor partes orbis terrarum interpretantis. Nam & apud Ezechielem cap. 1. ver. 23. & cap. 10. ver. 21. ſingulos cherubinos quaternas alas habuiſſe legimus, quibus ſignificabatur in quattuor, id eſt, in omnes orbis terrarum partes celerrimè diſcurrere. Ala ergo celeritatem, alarum numerus numerum partium orbis terræ aptiſſimè declarat. Poſſumus, quamuis nullum auctorem habeamus per quattuor alas vni adhærentes beſtiæ, quattuor illa præcipua regna, Babylonicum, Medorum, Perſarum, Græcorum, in vno rege ſumma celeritate coniuncta intelligere, quemadmodum v. præcedenti tria prima regna per tres bolos ſignificata ſunt. *Et quattuor capita* Quattuor capita omnes interpretantur quattuor duces, qui poſt Alexandri mortem eius inter ſe regna diuiſerunt, Ptolomæum, Seleucum, Philippum, Antigonum, quorum primus Ægyptum, ſecundus Syriam, tertius Græciam & Macedoniam, quartus Aſiam minorem occupauit: huic interpretationi conſenſus hiſtoriæ, & euentus ſimilitudo auctoritatem dedit. *Et poteſtas data eſt ei.* Indicat Alexandrum non tam ſuis viribus & induſtria, quàm diuino conceſſu ac munere ſuam monarchiam conſtituturum. Et verò Ioſephus lib. Antiquitatum 11. cap. 6. ſcribit Iudæorum Pontificem, quem Alexander viſo quodam admonitus adorauerat, hanc Danielis prophetiam illi oſtendiſſe, eáque animatum, ſimúlque reſponſo quod à Deo acceperat prouocatũ, Perſas deuiciſſe. hæc diuinitus facta:

humanam

humanã verò cauſam tyrannidis illius Herodotus ad octaui libri finẽ expoſuit.
7. *In viſione noctis.*] per idem ſomnium nocturnum. Nam qui quærunt cur in hac beſtia potiùs quàm in aliis dixerit, in viſione noctis inanem mihi videntur laborem ſumere. Tantùm enim repetit, quod generatim ver. 2. dixerat, ne aliud ſomnium eſſe putaremus. *Et ecce quarta beſtia terribilis.* Incredibilem eſſe huius loci difficultatem, vel ex eo cognoſcere nobis licet, quod ipſe Daniel de ſola huius quartæ beſtiæ ſignificatione dubitauit, angelumque conſuluit, ver. 19. angelus autem ipſe ita expoſuerit, vt magis penè de eius explicatione, quàm de ipſa beſtiæ ſignificatione dubitemus. Principio illud nobis arctè tenendum eſt, quod angelus tradit per quartam hanc beſtiam, quartum quoddam regnum intelligendum, quod quamuis non dixiſſet, facilè ex aliarum beſtiarum ſignificatione cognoſcere poſſemus. Omnis autem difficultas huius loci tribus in rebus latet. Prima eſt, quodnam quartum illud regnum ſit, quod angelus per hanc quartam beſtiam intelligendum eſſe dixit. Secunda de quo tempore ea quæ hîc dicuntur intelligi debeant, de eóne quod primum Chriſti aduentum anteceſſit, an de eo quod eundem aduentum ſubſecutum eſt. Tertia quomodo ſingulæ huius beſtiæ proprietates in illud quodcunque tandem eſt regnum congruant. Atque quo quæque quæſtio poſterior eſt, eò eſt difficilior: creſcit enim contra quam fieri ſolet, progreſſione difficultas. Nonnulli, quibus auctor fuit Aben Eſra, Turcarum imperium intelligi volunt. Sed quis credat, cùm de futuris monarchiis ageretur Romanum imperium, quod vnum omnium, & amplitudine maximum, & viribus potentiſſimum, & gloria illuſtriſſimum, & tempore non vltimum erat, fuiſſe prætermiſſum? Non fuit, inquiunt, prætermiſſum, ſed cum Macedonico coniunctum, quòd Romani ex Græcis originem ducerent. At hoc ipſum quis credat, duo tam diuerſa omnibus rebus imperia tam leui remotáque cauſa fuiſſe coniuncta? Cæterum hoc delirium ſatis iam eſt à nobis capite ſecundo refutatum. Minus Saadias, & alij deſipiunt, qui Romanum imperium cum Turcico coniungunt, & vtrumque per quartam beſtiam indicari putant. Nam illud certè fixum eſſe debet Romanorum regnum, neque præteriti, neque cum eo, quo cum nulla re conueniat, confundi potuiſſe. Porphyrius, vt Hieronymus refert, vtramque beſtiam & tertiam & quartam regnum Macedonicum notare dixit, tertiam quidem Alexandrum Magnum eſſe, quartam quattuor illos quos diximus duces eius ſucceſſores, à quibus vſque ad Antiochum Epiphanem regem reges numerabat, quos decem beſtiæ cornua eſſe dicebat, ipſúmque Antiochũ paruum cornu, quod magna loquebatur. Quam opinionem tam abſurdam valde miror ab Hieronymo non fuiſſe maiore ſtudio confutatam. Sed exiſtimauit fortaſſe facilem eſſe ex hiſtoriis refutationem. Nam neque Antiochus Epiphanes in Macedonia, ſed in Syria regnauit, neque decimus ab Alexandro, ſed octauus, numeratur: etſi in Macedonia decimus ab Alexandro regnauiſſet, tamen quæ ratio erat, vnam eandémque monarchiam per duas beſtias ſignificare, præſertim cùm apertè dicatur quarta nihil ſimile cæteris habuiſſe? Maneat ergo verum eſſe, quod omnes Eccleſiaſtici auctores tradiderunt, per quartam beſtiam Romanum imperium intelligi debere. De ſecũda quæſtione duæ ſunt contrariæ opiniones interpretum. Altera eſt quorundam noſtri temporis hæreticorum, hanc prophetiam de tempore, quod primum Chriſti aduentum præceſſit, intelligendam, argumentum, quod idem hoc ſomnium, Danielis & illud Nabuchodonoſoris ſignificet, c. 2. illic autem, vt expoſuimus,

tantùm voluit Deus vt Iudæos conſolaretur monarchias præmonſtrare, quæ vſque ad initium regni Chriſti futuræ erant: idem ergo credendum eſt hoc loco facere voluiſſe. Poſſumus hanc opinionem aliis argumentis, adiuuare, primùm quod credibile non ſit Romanum imperium quod ante primũ Chriſti aduentum maximè floruit, fuiſſe prætermiſſum, illud verò quod poſt eundẽ aduentum maximè labefactari cœptum eſt, fuiſſe deſignatum. Deinde quod in ſomnio Nabuchodonoſoris, c. 2. v. 44. dictum ſit fore, vt regnum Chriſti quattuor præcedentia regna comminuat, quorum Romanum poſtremum erat: qua ergo modo hoc loco notaretur imperium, quod iam per Chriſti aduentum comminutum eſt, lapide ex monte ſine manibus decidente? Verum hæc ſententia quamuis pluribus à me, quàm à ſuis auctoribus, argumentis confirmata, mihi non placet, quia in imperio illo Romano, quod ante Chriſtum ex virgine natum floruit, neque decem illa cornua, quos angelus decem reges interpretatur, neque paruum illud quod ex decem prioribus tria conuulſit, magnaque loquebatur, videre poſſum. Nam quod auctores huius ſententiæ decem reges multos conſules, paruum autem cornu Iulium Cæſarem fuiſſe dicunt, mihi coactum videtur, mallémque nihil quàm hoc dicere. Altera igitur ſententia, per quartam beſtiam ſtatum Romani imperij, poſt primum, & ante ſecundum Chriſti aduentum deſignari, multò eſt meo quidem iudicio probabilior, & quia iam omnes, nemine quod ſciam excepto, Eccleſiaſtici ſcriptores antiqui, recentes, magni, parui, ſecuti ſunt, & quia decem cornua beſtiæ, in eo imperio Romano, quod Chriſti ex matre ortum præceſſit, vt diximus, non apparent, & quia ſimilitudo rerum facit, vt valde veriſimile ſit de eadem re Danielem hoc loco, & Ioannem in Apocalypſi, cap. 17. locutum eſſe: Nam & ille ſe beſtiam quandam decem habentem cornua vidiſſe dicit, Ioannem autem loqui de Romano imperio manifeſtum eſt, ipſam enim vrbem Romam digito ferè demonſtrat, ver. 9. *Septem*, inquit, *capita ſeptem montes ſunt ſuper, quos mulier ſedet.* Vaticinium autem D. Ioãnis non poteſt de Romano imperio, quod Chriſti anteceſſit aduentum, ſed de eo, quod poſt Chriſtum futurum erat, intelligi, & quia non eſt credibile cum de rebus iam tum præteritis vaticinatum, & quia angelus ita declarat ver. 12. *Decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperũt.* Credendum igitur eſt Danielem de futuro poſt natum Chriſtum imperij Romani ſtatu vaticinari. Huc accedit, quod cùm Daniel dicit v. 9. *Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit.* vltimum iudicium depingere videtur, & cùm rurſus v. 13. dicit, *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis*, ſecundum Chriſti aduẽtum deſcribit, quemadmodum Chriſtus ipſe ad hunc proculdubio locum alludens apud Matth. c. 24. v. 30. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute & maieſtate multa.* Hoc igitur teneamus. Sed vt illis argumentis, quibus prior altera ſententia probata eſt, ſimul ſatisfiat, vtramque opinionem coniungendam eſſe arbitror, dicendúmque Danielem vtrumque tempus proſpexiſſe, totúmque Romanum imperium, & quod ante, & quod poſt Chriſtum natum futurum erat, complexum eſſe. Quod autem ex ſecundo capite obiiciebatur, Chriſtum primo ſtatim aduentu Romanum imperiũ contriuiſſe facilè diluitur. Illic enim explicauimus victoriam illam Chriſti, qua quattuor regna ſuperaturus erat, nõ temporalem, ſed ſpiritalem fuiſſe. Daniel autem hoc loco loquitur de temporali imperio, quod per Chriſtum nequaquam ſublatum eſt, ſed adhuc quamuis valde debilitatum manet. Videamus nunc quod tertio loco propoſitũ erat, quo

modo

Digitized by Google

modo ea,quæ quartæ beſtiæ tribuuntur,Romano cõueniant imperio. Primùm cùm cæteris beſtiis certum nomen,primæ leonis, ſecundæ vrſi,tertiæ pardi datum ſit,hæc non nominatur , ſed diſſimilis cæteris fuiſſe dicitur , quod cætera imperia certam Reip. formam habuerint; monarchiæ enim fuerunt vbi rex vnus dominabatur; at Romanum imperium nó poteſt ad certam Reip. formam reuocari, veluti monſtrum enim fuit ex vatiis animantium formis cõſtitutum. Principio ſepté alij poſt alios ſuccedentes reges fuerunt: deinde regibus exactis creati conſules,pòſt ſublatis conſulibus decemuiri:rurſus conſules reuocati additusq; dictator:ad extremum Imperarores introducti conſulibus,tribunis, dictatoreque remanentibus,& vna monſtroſa Reſpub.ex monarchia,ariſtocratia & democratia conflata eſt. Ideo ergo non potuit certo beſtiarum generi comparari. Aliam huius rei cauſam Hieronymus affert:vt dum beſtiæ nomen tacet, quidquid ferocius cogitauerimus in beſtiis,hoc Romanos intelligamus. Aliam etiam Theodoretus non ineptam,quod Romanum imperium ex innumeris nationibus linguiſque conſtaret; itaque quod veteres Hebræi aprum fuiſſe dixerunt, qui ante Danielem à Dauide Pſal.79. 14. nominatus fuerit, *Exterminauit eam aper de ſylua & ſingularis ferus depaſtus eſt eam*, præter quàm quod aper notiſſima eſt beſtia,facileque à Daniele nominari potuiſſe, conuellit penitus ſenſum huius loci,qui in eo maximè conſiſtit,quod beſtia non nominetur. Secundo loco dicit beſtiam terribilem fuiſſe, quod ego per tacitam quãdam comparationem dictum accipio, & pardo, & vrſo, & leone terribiliorem,ideoque non nominatam, vt terribilior videretur. Solent enim incognitæ & inauditæ beſtiæ maiorem nobis terrorem incutere. Quid autem Romano imperio terribilius? Tertio vocat mirabilem,quod vel ad ſplendorem Romani imperij, vel ad monſtroſam illam,quam diximus formam pertinet,aut quod Chaldaïco verbo magis conſonat,mirabilem vertit noſter interpres,pro ſtupenda & formidabili: hoc enim ſignificat אמתני quemadmodum vertit Thodotion φοβερὸν ϗ ἔκθαμβον. Quarto loco valde fortem appellat: fuit enim Romanum imperium omnium potentiſſimum. Nam & hîc taciram comparationem latere arbitror, eo ipſo quod non alias, ſed hanc vnam terribilem & fortem appellat. Id clarius Chaldaïcè ותירה. plùs quàm cæteræ. Quinro dentes ferreos ac magnos illi tribuit, dentes Romanorum exercitus interpretor, quos dentes appellauit, quia de beſtia loquebatur, cuius arma ſunt dentes, ferreos verò propter potentiam, & quod Romani milites ferro omnia domuerint. Quemadmodum in ſtatua, quã Nabuchodonoſor vidit, imperium Romanum per ferrum ſignificatum eſt, quod ſicut ferrum comminuit omnia, ita Romanum imperium omnia alia regna diſſipaturum eſſet,cap.2.ver.40. Magnos autem dentes vocauit, quia copioſiſſimi futuri erant Romanorum exercitus. Sexto vocat beſtiam comedentem atque comminuentem,id eſt, diſcerpentem. Comedere & diſcerpere dicitur Romanum imperium, quod homines quodam modo vorare videretur. Septimo dicit reliqua,id eſt, quæ non comedit & diſcerpit, pedibus conculeare,vt ſolent aliquando beſtiæ facere,quæ homines non comedunt, neque occidunt, ſed conculcant; ſignificat fore vt Romani quos non occiderint, rributis ſubigant. Octauo dicit decem cornua habuiſſe. Hîc multò maior eſt difficultas. Angelus quidem verſu 24. interpretatur decem cornua decem eſſe reges: ſed cùm eos quærimus, non inuenimus; quæ res maximam partem Eccleſiaſticorum interpretum in eam ſententiam compulit,vt exiſtimarent nondum hos decem reges natos fuiſſe, ſed ante aduentum Antichriſti futuros eſſe: alios verò

recentiores,

recentiores, vt dicerent denarium numerum hoc loco, vt ſæpè aliàs pro incerto & indefinito numero poſitum eſſe. Sic enim Iacob dixiſſe, Gen. 31. 7. *Pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus*, id eſt, ſæpe. & Deum Leuit 26. 26. *Decem mulieres in vno clybano coquent panes*, id eſt, multæ. & Numer. 14. 22. *Tentauerunt me iam per decem vices*. & Iob. 19. 3. *En decies confunditis me.* Prior mihi ſententia valde probabilis eſſe videtur; poſterior quamuis faſtidio prioris innecta ſit, minimè probatur, quia præter quam quod eſt noua, nullo modo mihi perſuadere poſſunt in deſcriptione beſtiæ, vbi & ſingulæ partes & numerus ipſe myſterium aliquod indicat, numerum certum pro incerto poſitum eſſe. Deinde quia qui hoc dicunt, illud eadem ratione neceſſariò dicunt, cùm tres reges ab vno cornu deturbandi eſſe dicuntur, etiam ternarium numerum pro incerto numero poni, quod mihi videtur & ab Hebraicæ Chaldaïcæque linguæ, & ab ſcripturæ ſacræ conſuetudine vehementer abhorrere. Nam ſeptenarium atque denarium numerum pro incerto numero ſæpe poſitum legimus, ternarius autem numerus pro numero incerto poſitus, haud equidem ſcio an vſpiam legi poſſit. Multò autem magis teſtimonio D. Ioannis moneor, qui in illo 17. cap. Apocalyp. eodem modo de ſeptem, qui per ſeptem beſtiæ capita, & de decem, qui per decem cornua ſignificabantur, regibus loquitur. Numerum autem ſeptenarium non pro incerto, ſed pro certo definitoque numero ponit. Dicit enim ver. 10. *Quinque iam ceciderunt, & vnus eſt, & alius nondum venit:* ergo & numerum denarium regum pro certo numero ponit, & Daniel igitur eadem de re loquens. Decem igitur nobis reges in Romanorum imperio quærendi ſunt: ſed vt eos inuentos cognoſcere poſſimus, duplex prius explicanda quæſtio eſt, altera an per decem reges, decem regnaturi homines, an decem ſub vno comprehenſa regna intelligantur. Altera ſi decem homines intelliguntur, an eodem tempore diuerſis locis, an potiùs eodem loco diuerſis temporibus alius poſt alium regnaturi ſignificentur. Prioris quæſtionis vtraque pars probabilis eſt. Nam decem regna intelligenda eſſe ex eo probari poteſt, quod hoc loco & vbicumque de futuris monarchiis ſermo eſt, non tam de perſonis, quàm de rebus agi videatur. Quod autem decem regnaturi homines intelligendi ſint, eò etiam probabilius, quod ex ſimili prophetia D. Ioan. colligi videtur. Nam Apoc. 17. eodem modo de decem & de ſeptem regibus loquitur. Cùm autem loquitur de ſeptem, non dubium eſt eum ſeptem homines intelligere, ait enim, *Quinque iam ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit.* ergo per decem reges decem homines intelligit, eodē igitur modo hîc decem certi homines intelligendi ſunt. Secunda etiam quæſtio æquam ferè vtraque ex parte probabilitatem habet. Nam quod eodem tēpore diuerſis imperij Romani locis, decem illi homines regnaturi ſint, videtur angelus v. 24. ſignificare, cum dicit, *Et tres reges humiliabit*, quod autem diuerſo tempore regnaturos intelligat, probabilius, quia & Ioan. id indicat, cùm eodem modo de decem regibus loquitur, atque de ſeptem, quos alios poſt alios partim iam regnaſſe, partim regnaturos dicit; & ipſe Daniel, aut apud Danielem angelus cùm dicit v. 24. *Cornua decem, decem reges ipſius regni erunt:* quibus verbis videtur indicare in eodem regno eodémque loco decem alios poſt alios reges futuros eſſe. Neque ignoro reſponderi poſſe decem reges ipſius regni, id eſt, eiuſdem Romani imperij, diuerſis tamen locis eodem tempore regnaturos; ſed hoc magis quod diximus videtur ſignificare. Reliquum ergo eſt, vt decem hos reges, quales depinximus, quæramus in Romano imperio. Sed priùs videndum an iam fuerint, aut potiùs

potiùs

tiùs futuri ſint. Nam ſi nondum extiterunt, expectandi potiùs, quàm quærendi ſunt, cùm enim venerint, iis eos notis quas explicauimus, facilè cognoſcemus. Ego igitur nondum eos veniſſe arbitror, fruſtraque à nonnullis nondum natos quæri, atq; ea te fieri, vt cùm veros non inueniant, falſos ipſi ſibi comminiſcantur. In hac ſententia vt conquieſcam, multa faciunt, primùm quod angelus indicet eos ſub finem mundi futuros eſſe, v. 26. *Iudicium ſedebit, vt auferatur potentia.* & Daniel verſu 9. *Aſpiciebam, & ecce throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit.* & ver. 13. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis.* Deinde quia quæ D. Ioan. Apocal. c. 17. de illis dicit, quod vna hora regnum accepturi ſint, id eſt, breui tempore, quod cum agno pugnaturi, ab eóq; vincendi nondum mihi videntur accidiſſe; & quia omnes ferè Eccleſiaſtici ſcriptores ita ſentiunt, à quibus non eſt temerè diſcedendum. Denique quia præterito tempore diligentiſſimè quæſitos non inuenio, futuros credo.

8. *Conſiderabam cornua.*] Dum intentus cornua illa decem conſiderarem, vidi aliud paruum cornu inter illa ſuccreſcens. Maior penè de hoc vno paruo cornu quàm de decem illis magnis quæſtio. Hæretici Lutherani & Caluiniani, & ſi qua ſunt alia nomina monſtrorum quæ noſtra tempora, aut noſtra potiùs peccata tulerunt, & errore & odio Eccleſiaſticæ dignitatis cœci, hoc paruum cornu Romanum Pontificem interpretantur. Quam interpretationem ipſe quoque eorum magiſter Caluinus abſurdam indicauit. Et verò quomodo paruum appellaret, quem hæretici maximum eſſe diciq́ue dolent? Vbi ſunt illa tria cornua quæ vellit? Vt non dicam de vno aliquo certoq; homine, non de officio, aut dignitate agi. Credendũ enim eſt eodem modo hoc vnum, quo decem illa cornua, intelligendum eſſe, per decem autem cornua decem certos homines intelligi ſuperiore verſu demonſtrauimus: iſti verò per vnum cornu omnes Romanos Pontifices intelligunt, quid quod cùm Romani Pontifices plus mille iam annis regnent, nondum iſtud paruum cornu natum eſt. Prius enim decem cornua naſcitura, quæ v. præcedenti probauimus nondum eſſe nata. Sed pudet me tam multis verbis iſtorum ineptias refutare, & cum illis nimis manifeſta confirmando ineptire. Alij Turcam intelligunt, qui paruis ſubortus initiis paulatim creſcens tria cornua deiecerit, id eſt, tria regna, Aſiæ, Græciæ, & Ægypti occupeuerit, quod eadem ratione refelli poteſt. Nondum ergo hoc cornu natum eſt, cùm decem quæ priùs naſci oportet nondum nata ſint, credoq́ue per illud Antichriſtum ſignificari, quemadmodum veteres auctores interpretantur, & quia angelus indicat eum ad finem mundi futurum eſſe, verſu 26. & per Chriſtum occidendum, vt auferatur potentia & conteratur, & pereat vſque in finem, ſicut D. Paulus ait, fore vt eum Dominus interficiat ſpiritu oris ſui. Hinc dicuntur eſſe oculi hominis. Quare Hieronymus nihil aliud notari putat, quàm Antichriſtum non dæmonem, ſed purum hominem futurum eſſe, in quo tamen, totus Satanas corporaliter habitaturus ſit: Theodoretus humanam prudentiam, qua multos ſeducet. Alij humanitatis, virtutiſq́ue ſimulationem, qua homines alliciet. Ego ſuperbiam quæ in oculis potiſſimùm apparet, deſignari ſuſpicor, vt ſtatim videtur declarari. *Et os loquens ingentia.* quaſi dicat, ſuperbè ſentiet, atque loquetur, quemadmodum de illo ſcribit D. Paulus 2. ad Theſſal. 2.4. fore vt extollatur ſupra omne quod dicitur Deus aut colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Affinxit cornui oculos & os reſpiciens non ad figuram, ſed ad rem ſignificatam, id eſt, hominem, quem per cornu intelligebat, ſicut cap. 4. ver. 13. cor

humanum arbori tribuit, quia per eam Nabuchodonoſor homo ſignabatur.
9. *Aſpiciebam donec.*] Me adhuc aſpiciente throni poſiti ſunt. Deſcribit Daniel Diuinam maieſtatem de Antichriſto iudicantem, regnúmque Chriſto tradentem. Multa hic, vt penitus totus locus intelligatur, quærenda ſunt. Primum quis ſit hic iudex qui deſcribitur, paterne an filius? Secundum an agatur de vltimo iudicio. Tertium cur datur pater, quaſi antè non iudicaret, veluti in tribunal iudicaturus aſcendere? Quartum cur non vnus tantum, ſed multi throni poſiti dicantur? Quintum qua ratione Deo ſingulæ hoc loco poſitæ proprietates attribuantur. Etſi Hieronymus Chriſtum velit intelligere, patrem potiùs habitu iudicantis depingi arbitror argumento, quod antiquus dierum appelletur, quod quamuis de Chriſto qua Deus eſt, patrique æqualis verè dici poſſit, tamen patri potiùs quàm filio tribuitur, quod & natura ipſa & nomen patris ſenectutem præ ſe ferre videatur. Deinde quod v. 13. Propheta dicat. Aſpiciebã & ecce quaſi filius hominis cum nubibus cœli veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, vbi pater in tribunali ſedere, filius quaſi cauſam acturus ad eum adduci ſignificatur. Præterea quod Ioannes in Apoc. cap. 4. & 5. vbi ſimile quoddam ſe vidiſſe narrat, agnum, id eſt, Chriſtũ ab eo, qui in tribunali ſedebat, omnino diſtinguit. Introducitur autem hoc loco pater potiùs quàm filius, quaſi iudex, quia cauſa filij agebatur. Certabat enim cum Antichriſto de regno, & nemo ſolet in ſua cauſa iudex eſſe. Deinde quod agebatur de ſubiiciendis Chriſto hoſtibus, qui eius regno bellum inferebant, quod potentiæ eſt. Solet autem potentia patri per attributionem dari. Quemadmodum, Pſal. 109. dicitur pater filio hoſtes ſcabellum pedum ponere, eiuſque regnum amplificare, iudicare nationes, implere ruinas, conquaſſare capita in terra multorum. Hinc conſtat non agi de illo vltimo iudicio, quod Chriſtum viuorum ac mortuorum iudicem futurum credimus, ſed de alio, quo ſub idem tempus pater omnes hoſtes filio ſubiecturus eſt, Pſalm. 109. 2. Dicitur autem ad iudicandum ſedere, cùm ſemper iudex ſedeat, quia tum maximè in damnando ſubiiciendóque Antichriſto iudicis auctoritatem demonſtrabit. Atque huc pertinet omnis iſte iudicialis apparatus & ſplendor, quem ſe Propheta vidiſſe dicit, non quòd Deus non eandem ſemper maieſtatem habeat, ſed quod cauſæ grauitas poſtularet, vt eam magis oſtenderet. Solent enim iudices grauiores cauſas maiore apparatu iudicare. Eadem de cauſa non vnus tantum, ſed plures throni poſiti dicuntur: maior enim auctoritas ſanctiórque maieſtas repræſentatur, cùm iudex multos quaſi conſiliarios, aut rex plures principes circum ſedentes habet, quàm cùm ipſe ſolus ſedet. Ita D. Ioan. vidit in Apocal. cap. 4. 4. præter ſummum tribunal vbi ſedebat iudex, viginti quatuor circum circa ſedilia in quibus viginti quatuor ſeniores ipſi etiã ſedebant. Ita Chriſtus in ſupremo illo iudicio non ſolum ſe, ſed etiam duodecim Apoſtolos ſuper ſedes duodecim ſeſſuros dicit, Matt. 19. 28. Quare qui hoc loco vertunt throni ablati ſunt, id eſt, regna hominibus ſublata, ſenſum mihi peruertere videntur. Nam quamuis verbum id ſignificare poſſit, tamen nondum agebatur de ſententia iudicis, qua regna transfert, de qua poſtea dicet, verſu 11. 22. 26. ſed agebatur de iudicis maieſtate, apparatúque iudicij. Numerum thronorum Propheta non expoſuit, quare aut infinitum, & innumerabilem fuiſſe exiſtimare poſſumus, aut viginti quatuor, vt Ioannes vidit Apoc. 4. 4. quamquam cur Ioannes thronorum numerum expreſſerit, Daniel verò non expreſſerit, videor mihi aliquid videre cauſæ, ſed nolo in coniecturis liber eſſe.

Hireo-

Hieronymus hos thronos, angelorum genus eſſe putat, de quibus legimus, ſiue throni ſiue dominationes. Ego per ſedem, maieſtatem ſignificari arbitror. Qui autem cum Deo conſidebant, apud Ioannem quidem viginti quattuor ſeniores ſunt, duodecim, vt opinor, Apoſtoli, vt Chriſtus dixerat, totidémque Patriarchæ, vt vbi de iudicandis ex lege hominibus agebatur, vtriuſque legis periti eſſent; apud Danielem, quia non de iudicandis hominum actionibus, ſed de tollendis, dandíſque regnis quæſtio erat, angelos qui ſedebant fuiſſe ſuſpicor. Quemadmodum ſupra cap. 4. 14. angeli quaſi Dei conſiliarij, & vna cum illo iudicantes, de regno Nabuchodonoſori auferendo, introducti ſunt, *In ſententia vigilum decretum eſt. Veſtimentum eius candidum quaſi nix.* Omnia, quæ Deo hic attribuuntur, nihil aliud, quàm diuinæ maieſtatis ſplendorem ſignificant, quæ gloria vno nomine dici poteſt. Deus vbique lumine veſtitus dicitur, quia *ignis conſumens eſt.* Deuter. 4. 24. vt Pſal. 103. 2. 3. *Amictus lumine, ſicut veſtimento, qui tegis aquis ſuperiora eius.* Hoc etiam illud eſt *in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Pſalm. 109. 3. Ignis enim perpetuo lumine, àc ſplendore circundatur, & quia candor inter omnes colores lumen maximè refert, &, vt philoſophi tradunt, plurimum habet luminis, alba ſemper veſtis Deo tribuitur. quemadmodũ Chriſti in transfiguratione veſtimenta alba fuiſſe dicuntur ſicut nix, Matth. 17. 2. *Capilli capitis eius quaſi lana munda*, quaſi lana alba, nullo dum colore tincta, ſimilis veſti capillus, aut eandem gloriam, aut canitiem, ſenectutémque ſignificat, Non quòd Deus more hominum conſeneſcat, ſed quòd non aliter, magis ad mores hominum accommodatè, eius æternitas declarari poſſit. *Thronus eius flammæ ignis.* flammæ ſimilis, flammeus, vt apud Ezechielem deſcribitur, cap. 1. & 10. quare non tam puniendi, vt Hieronymus putat, poteſtatem, quàm eandem gloriam, quæ per veſtem, & cappillum ſignificabatur, ſignificari arbitror. *Rotæ eius ignis accenſus.* Non ſolùm thronus, ſed ipſæ quoque throni rotæ igneæ erant, eandem maieſtatem ſignificabant. Quod nonnulli dicunt, ideo throno rotas tribui, quod olim regum ſolia verſarilia eſſent, & ſuppoſitis rotis huc illuc vectarentur, vereor ne non ſit. Itaque malo exiſtimare proprium hoc eſſe Dei, vt ſolio curru ſuperpoſito inſideat. quemadmodum apud Ezechielem pingitur, eáque re tum eius gloriam, tum eius prouidentiam declarari, quæ quaſi curru vecta per omnia diſcurret, qua de re multa apud Ezechielem diximus. Confirmatur hoc loco, Eccleſiaſticus vſus pingendi Deum, quamquam in ſecunda ſynodo Nicæna, re nondum ſatis diſputata, prohiberi videatur. Neque enim video, cur quem ſcriptura verbis pingit, non poſſimus eodem ſenſu, eadémque de cauſa coloribus pingere: Non vt eius naturam, quæ neque coloribus, neque verbis, néque cogitatione pingi poteſt, ſed vt eius effecta, proprietatéſque, qua vna ratione poſſumus, exprimamus, quemadmodum angelos, iuſtitiam, prudentiam, cæteraſque virtutes, pingere ſolemus.

10. *Fluuius igneus rapidúſque.*] Quaſi ex igneo fõte Deo, fluuius igneus emanat, quo non ſolũ iam gloria, ſed etiã pœnæ celeritás, & quaſi impetus ſignificatur, vt Pſal. 96. 3. vbi Deus etiam tanquam rex, iudéxque deſcribitur. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ, Ignis ante ipſum præcedit, & inflammauit in circuitu inimicos eius. *Millia millium, millies mill: angeli. & decies centena millia.* ורבו רבון. Hebræi exponunt, decies millies centena millia, quo vtroque numero finito quidem, ſed minimè vſitato, innumerabilem quendam angelorum numerum Deo aſtantium, miniſtrantiúmque ſignificare voluit.

FFFf 2 Multa

Multa occaſione huius loci, paulò fortaſſe liberiùs ab ſcholaſticis theologis de numero & officiis angelorum diſputantur, nóſque ſexdecim eorum opiniones cum illo docẽdi munere fungeremur, recitauimus. Duo me, quod ad hunc locũ ſpectat, dixiſſe memini, quæ mihi etiam nunc placent. Alterum eſt, nihil aliud ex hoc, & ex aliis ſimilibus ſcripturæ locis colligi poſſe, quam angelorum multitudinem finitam quidem, ſed innumerabilem eſſe. Alterum, non eſſe diuerſa angelorum officia, ſed vnum & idem aſſiſtere, & miniſtrare. Eſt enim poſteriùs prioris repetitio, & ſolent, qui miniſtrant, adſtare domino, intentóſque in illum oculos habere. Quamuis omnino neganda non ſit aſſiſtentiũ, atque miniſtrantiũm angelorum, diſtinctio. Sed illud, vt opinor, nonnullos in ſcripturis minus exercitatos fallit, quod maiorem aſſiſtentium, quàm miniſtrantium numerum facere videatur. Cæterùm id ipſum ad declarandam innumerabilitatem pertinet, ſolent enim Hebræi, cùm numero finito, infinitum ſignificant, ſi ſententiam repetant, maiorem numerũ confirmationis, augendæque orationis cauſa, ſecundo loco ponere, vt Mat. 18. 21. 22. Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vſque ſepties? Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Cum enim ſepties pro incerto infinitóque numero ponatur, idem eſt ſepties, & ſeptuagies ſepties quod pro infinito etiam numero ponitur, ſed confirmandi cauſa numerum auget. *Iudicium ſedit.* Iudices ſederunt, Deus, & qui illi quaſi conſiliarij aſſiſtebant. *Et libri aperti ſunt.* qui apertos eſſe libros, Euangelium promulgatum eſſe interpretantur, non videntur mihi conſiderare quid hic agatur: Non enim de docendis, ſed de puniendis hominibus, regníſque aut dandis, aut auferendis agebatur, Hieronymus duos libros intelligit, librum vitæ, quem in ſcripturis ſæpe legimus, quamquam non ſemper eodem ſenſu. Nam aliquando liber vitæ, catalogus viuorum dicitur, vt Pſal. 68. 29. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Aliquando prædeſtinatio, & ſcientia Diuina, qua qui vita æterna digni ſunt, veluti inſcripti notatíque ſunt, vt ad Philip. 4. 3. & Apoc. 3. 5. & 17. 8. & 20. 2. 15. & 21. 27. 22. 19. Alterum putat librum eſſe mortis. Ego ſæpe obſeruaui, cùm liber vitæ frequẽtiſſimè legatur, librum mortis in ſcripturis nuſquam reperiri, vt ea re declaret Deus hominum merita, ſempiterna ſe memoria inſcripta conſeruare, peccata non ſcribere quia vellet, ſi poſſet obliuiſci. Quare libros hoc loco, neque hominum conſcientias, vt Theodoretus, neque librũ vitæ & mortis, vt Hieronymus, neque vetus, & nouum teſtamentum, vt alij, ſed accuſatorum obiectiones, & defendẽtium patronorum reſponſiones interpretor. Tria enim librorũ genera in diuino iudicio, ſũpta ex humanis iudiciis metaphora, ſignificari ſolent. Vnus angelorum aut dæmonum accuſantium, alter angelorum defendentiũ, tertius liber vitæ ex quo iudex proferr quodammodo ſententiã: id colligitur, ex Ioan. Apoc. c. 20. 12. libri inquit aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vita. Indicat ergo in diuino iudicio adſtantibus angelis, de quarta beſtia, déque eius vndecimo cornu, hoc eſt de Romano imperio, & Antichriſto diſputatum eſſe, libróſque & accuſantiũ, & defendentiũ apertos fuiſſe, id eſt, expoſitas in vtráque partem rationes. Denique adhibita omni diligentia, formáque iudicij pronunciatam eſſe ſententiam, quartã beſtiã de medio tollendã, regnúmque ſempiternum Chriſto tradendũ. Similis enim iudicij forma ſuprà deſcripta eſt, c. 4. 14.

11. *Aſpiciebam propter vocem*] Spectabam quem tandem exitum verba illa ſuperbiæ, & contumeliæ in Deum plena, quæ quarta beſtia loquebatur, habitura eſſent, & vidi eam paulo pòſt interfectam. Aut, vt alij exponunt, aſpiciebam

hp

Digitized by Google

מִן־קָל. à voce ſermonum grandium, id eſt, poſtquam tam ſuperbos ſermones audire cœpi, vt viderem quem exitum haberent. *Et vidi quoniam interfecta eſſet beſtia.* Hæc eſt concluſio ſuperioris iudicij, & executio ſententiæ, de qua apertis vtrinque libris deliberabatur. *Et traditum eſſet ad comburendum igni.* Plerique de igne inferni hoc interpretantur, ego ſimplicius nihil aliud ſignificari arbitror, quàm quartam beſtiam penitus periiſſe, & in cinerem redactam eſſe, id eſt, Romanum imperium prorſus abolitum fuiſſe. Idem enim eſt periiſſe corpus eius, & traditum fuiſſe ad comburendum igni.

12. *Aliarum quoque beſtiarum ablata eſſet poteſtas.*] Nonne reliquæ beſtiæ, ante quartam occiſæ fuerant? Sanè quidem, ſed ideo Propheta prius narrauit occiſam quartam, quia de ea potiſſimùm agebatur, inque eam totus, propter verba plena ſuperbiæ, admiratione defixus erat. *Et tempora vitæ*, id eſt, vidi cæteras beſtias conſtituto etiam à Deo tempore periiſſe: neque à Deo poſitos exceſſiſſe terminos. Chaldaïcè. וארכהבחיין יהבת להון. & longitudo vitæ data eſt eis, id eſt, quòd quamuis Deus patientes eas diu viuere permiſiſſet, conſtituto tandem tempore occidiſſet. Putant quidem dici hoc de tribus primis beſtiis, potiùs quàm de quarta, quia tempus, quod quartæ conſtitutum fuerat, propter electos abbreuiabitur, vt ait Chriſtus, Matth. 24. 22. Quod ait vſque ad tempus, & tempus, Chaldaïſmus eſt, pro vſque ad præfinitum tempus, Hanc enim vim & vtrumque per ſe nomen, & multò maiorem, geminatum habent. עד־זמן ועדן.

13. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis.*] Quod repetit in viſione noctis, aut, בחזוי. in viſionibus, multi myſterium eſſe putant, ego non alia de cauſa repetiuiſſe arbitror, quàm quod poſtquam dixerat, verſu 2. ſe quatuor beſtias, per ſomnium vidiſſe, & poſtquam ver. 7. dixerat eadem ratione, vidiſſe quartam quandam beſtiam, cæteris inſigniorem; multa interpoſuerat, ideóque ne obliuiſcatur, lectorem monet, volens ad aliam viſionem tranſire, ſe quod ſequitur, per ſomnium etiam vidiſſe. *Et ecce in nubibus cœli, quaſi filius hominis.* Dubium non eſt, ipſis etiam conſentientibus Hebræis, hunc locum de Chriſto intelligendum eſſe, quamquam illi de terreno eius regno multa delirant. Quod autem, non filium hominis, ſed quaſi filium hominis, Propheta vocat, quidam ideo factum volunt, quod nondum Chriſtus, cum Daniel iſta videbat homo factus eſſet. Itaque non potuit ſub vera hominis natura, ſed tantùm ſub ſimilitudine, & quaſi perſona hominis à Propheta videri, quemadmodum Tertullianus, & Hiberius & nonnulli alij veteres auctores dixerunt, à patriarchis viſum fuiſſe. Alij notam ſimilitudinis non ſimilitudinem, ſed veritatem ſignificare dicunt, vt apud Ioannem cap. 1. 14. *& vidimus gloriam eius gloriam, quaſi vnigeniti à patre.* Ego neutram interpretationem genuinam eſſe arbitror, nam quamuis cum Daniel iſta videbat, nondum Chriſtus natus eſſet, tamen ita videbat, quaſi ipſe illo tempore eſſet, quo iſta ventura erant. Nam neque quarta beſtia, neque cornu erat, tamen & cornu, & quartam beſtiam ſe vidiſſe dicit, & ſemper particula ſimilitudinis, ſimilitudinem exiſtimo ſignificari: ſed propterea adhiberi, vt præter id quod nominatur, aliquid aliud oſtendatur. Cùm enim dicitur Chriſtus quaſi filius hominis, non ſignificatur eum non eſſe hominem, ſed eſſe plus quàm hominem: itaque demiſſam fuiſſe diuinitatem in illo, vt cùm verus Deus eſſet, ſic appareret, quaſi tantum eſſet homo, quemadmodum Theodoretus videtur obſeruaſſe, ſic Diuus Paulus ad Philip. 2. 7. dixit, *exinanuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus,*

& habitu inuentus vt homo: non enim indicat non fuiſſe verum hominem: ſed verum Deum, puro homini ſimilem factum eſſe, & ita viſum quaſi homo non Deus eſſet. Contra verò cùm Ioannes dicit, vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, quaſi ſimilitudinem ſignificat, ſed non propterea indicat non fuiſſe verè primogenitum, ſed indicat fuiſſe etiam hominem, & in illo ipſo homine, non ita naturam Dei & primogeniti latuiſſe, quin aliqua eius ſimilitudo, & veluti occulti ignis ſplendor emicaret. At quare hoc loco Chriſtus filius hominis appellatur, cùm angelus in fornace dictus ſit ſimilis filio Dei? capite 3. 92. quia hic agebatur de regno Chriſti, quod illi tanquam homini datum eſt, illic natura angeli exprimebatur, quæ adeo pulchra erat, vt diuinum quiddam eſſe videretur. Quærunt nonnulli, de quo Chriſti aduentu, hæc intelligantur: quidam non de aduentu, ſed de aſcenſu in cœlum Chriſti intelligi volunt, quibus ego minimè conſentio, nam vt ſuprà demonſtraui, nondum perfecta ſunt, quæ hoc loco Daniel vaticinatur. Significatur igitur ſecundus Chriſti ad iudicium aduentus, quod & nubes indicant, quibus vehitur: ſic enim ipſe ſecundum ſuum aduentum deſcripſit, Matth. 24. 64. ſed antequam proficiſcatur, ducitur ad patrem vt ponat illi inimicos eius, ſcabellum pedum eius: illíque omnem poteſtatem iudicandi, regnandique tradat: Non quod ante non haberet, ſed quòd illi tunc ad iudicandum venturo à patre confirmetur, aut quod Deus accommodatè ad homines loquatur. Quod autem dicit, Obtulerunt eum, aut, הקרביוהי. adduxerunt eum, non vim ſignificat, ſed honorem. Indicat enim Chriſtum iam ad profectionem ſuam accinctum, multis angelis comitantibus, ac deducentibus ad patrem adiiſſe, quo apparatu ſe venturum dixit, Matth. 16. 27. filius enim hominis venturus eſt, cum angelis ſuis in gloria patris ſui. Hanc igitur gloriam nunc, vt veniat, à patre accipit. Qui dicunt perueniſſe eum ad antiquum dierum, id eſt, patri æqualem fuiſſe, verum mihi videntur dicere, ſed malè interpretari.

14. *Et dedit ei.*] Iam antè Chriſtus omnem poteſtatem habebat, vt ipſe dicit, Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas à patre meo.* Et Lucæ 10. 22. omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Iam regnabat, vt ait D. Paulus, 1. Corinth. 15. 25. oportet autem eum regnare, donec ponat omnes inimicos eius ſub pedibus eius, ſed dicitur pater nunc illi poteſtatem, & regnum tradere, vel quia illi ad iudicium venturo confirmat, vel quia antè regnabat quidem, ſed repugnantibus, ac rebellantibus multis, nolentibus eum ſuper ſe regnare, vt apud Luc. cap. 19. 14. Euangelica parabola ſignificatur. Nunc autem pacificam, vt ita dicam, regni poſſeſſionem adipiſcitur, ponente illi patre omnes inimicos eius, ſcabellum pedum eius. Dicimus enim aliquem incipere regnare, cùm deuictis omnibus hoſtibus pacificam regni poſſeſſionem conſequitur, quamuis antè vtique regnaret.

15. *Horruit ſpiritus meus.*] tam portentoſo viſo, ſicut ſuprà cap. 4. 16. & infrà cap. 10. 16. & Ezech. 2. 1. & 3. 23. & 11. 17. Chaldaïcè, אתכרית. exciſus eſt ſpiritus meus Danielis in medio vaginæ eius, ad verbum, id eſt, exanimatus ſum. Animus meus in medio corporis deficit. Corpus enim vaginam animi vocat.

17. *Quatuor ſunt regna.*] ארבעה מלכין. quatuor reges: Sed quatuor reges, pro quatuor regnis ponit, non enim, vt ſuprà monuimus, de perſonis, ſed de rebus, & regnis agitur. Itaque rectè noſter interpres ſenſū expreſſit, eodémque modo

Theo

Theodotiō reddidit, *τέσσαρες βασιλεῖαι*. Quatuor autē regna ſuprà explicauimus: illud tantùm notandum Danielem dicere, quatuor regna è terra exoritura eſſe, cùm Babylonicum, quod erat primum, non ſolum iam exortum, ſed penè finitum eſſet, quia rationem habet maioris partis.

18. *Sancti Dei altiſſimi.*] קדישי עליונין. ſancti altiſſimi; in nominatiuo, aut, ſancti altiſſimorum, eſt enim regimen genitiui. alii interpretantur, ſuſcipient regnū ſanctorum altiſſimorum, id eſt, quatuor illæ beſtiæ occupabunt, ac retinebunt regnum filiorum Dei, id eſt, ſanctorum, qui iure ſuo ſoli deberent poſſidere terram; dicuntur autem ſancti altiſſimorum, quia eorum conuerſatio in cœlis eſt. hæc interpretatio tam mihi diſplicet, quàm auctori ſuo Caluino placet. Nam neque ſancti in terris regnum ſuum habent, neque vt ait D. Paulus, ciuitatem permanentem, ſed ita vtuntur hoc mundo quaſi non vtantur. Et quatuor beſtiæ non obtinuerunt regnum in ſæculum, & in ſæculum ſæculorum. Nam quod dicit per ſæculū ſæculorum, plenitudinem, vt vocat Paulus, temporis ſignificari, & ad afflictorum hominum opinionem alludi, durum mihi, & inſolens videtur. Sanctos ergo altiſſimorum vocari exiſtimo homines beatos, qui iam nunc altiſſimarum ſedium in cœlo habitatores ſunt, quiq; cum Chriſto ad iudicium venient, vt & ipſi, cum illo plenam regni ſui poſſeſſionem capeſſant. Nunc enim media tantùm ex parte regnant, id eſt, animo, non corpore, clamántque ad Deum ſub altari, *vſquequo Domine (Sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut illi.* Apocal. 6. 10. Poſſunt etiam ſancti altiſſimorum appellari, qui adhuc in hac vita ſunt, expectantes beatum ſpiritum, & aduentum gloriæ magni Dei, ad Tit. 2. 13. non quòd in altiſſimis habitent; ſed quòd altiſſimorum hæredes ſint, vt ver. 27. Hieronymus, & Theodotion verterunt ſancti altiſſimi in genitiuo, & Hieronymus ambiguitatis tollendæ cauſa, nomen Dei addidit. Videntur exiſtimaſſe nomen plurale, עליונין. pro ſingulari, עליון. poſitum eſſe, ſicut אלוהים, pro, אלוה quod mihi etiam valde probabile videtur, ſenſuſque erit idem, ſed dilucidior. Certè illud compertum habeo, ſignificari, fore, vt ſancti cum Chriſto regnēt, vt explicatur v. 22. & 28. vbi eadem verba, ſententiaque repetuntur, & Caluini interpretatio prorſus refutatur.

19. *Poſt hoc volui.*] Quæ ſequuntur de quarta beſtia, & vndecimo cornu v. 7. explicata ſunt.

21. *Cornu illud.*] Regnum Antichriſti, Deo ad tempus permittente, Sanctos vincebat dùm ab angelo interpretatione viſi petit, alia quadam de vndecimo cornu commemorat, quæ antè non dixerat.

22. *Donec venit antiquus dierum.*] Donec Deus tribunal ſuum conſcendit, vt maiore cū auctoritate iudicaret. Dicit eum veniſſe, non quòd venerit, ſed quòd ſe per ſuam potentiam præſentem oſtenderit, cùm antè per diuturnam patientiam longe abeſſe videretur. *Et iudicium dedit ſanctis.* קדשי עליונין. ſanctis excelſorum, vt verſ. 18. & 14. Chriſto dicitur poteſtatem dediſſe, nunc ſanctis iudicium dare: quia ſancti cum Chriſto iudicaturi ſunt, ſicut D. Paulus ait, 1. Corinth. 6. 3. neſcitis, quoniam angelos iudicabimus, & Chriſtus apud Matth. capite 19. 28. ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſraël, quod non ſolùm de Apoſtolis, quemadmodum D. Auguſt. adnotauit, ſed de omnibus qui apoſtolicam vitam imitati fuerint, intelli-

telligendum eſt. poſſumus etiam ſic interpretari, Iudicium dedit ſanctis, id eſt, ſententiam protulit ſecundum ſanctos, aut in fauorem ſanctorum, adiudicauit ſanctis regnum cæleſte, ſicut ſcriptura ſolet dicere, iudicare pupillo & viduæ, id eſt, in fauorem pupilli & viduæ, Deut. 27. 19. & Pſal. 81. 3. & Iſai. 1. 23.

25. *Et putabit quod poſſit mutare.*] Eo ſuperbiæ arrogātiæq; progredietur, vt exiſtimet, ſe omnem euangelicā legem poſſe peruertere; aut vt alij Chaldaïſmum exponunt, vt conetur mutare tempora & leges. Quidā per tempora ceremonias veteris legis, aut ſolennitatis quæ ſtatis, certiſq; temporibus celebrabantur, per legem autem, Euangelium intelligunt, quod ego non probo, quorſum enim diceret fore, vt Antichriſtus veterem legem aboleret, quæ iam abolita eſt, etſi non eſſet, tamen non eſſet vitio, ſed laudi vertendum. Magis probabile eſt quod omnes ferè veteres auctores tradiderunt, futurum, vt ex Iudæis natus, Iudæorum conetur legem enouare. Alij tempora, conſuetudines, & mores temporum diuturnitate firmatos, leges verò, leges ſcriptas interpretantur: Haud repugno: Sed ego tempora vocari arbitror præſcriptos à Deo ſingulis regnis, temporis terminos, leges autem diuina decreta, quibus conſtitutum eſt, vt hoc regnum, tantum, illud, tantum temporis duret. Adducor vt ſic exponam, primùm quòd de regnis, & de diuinis iudiciis agatur. Dein quod ſtatim huc alludere videatur, cùm dicit. Tradentur in manu eius vſq; ad tempus, & tempora: ſenſus ergo eſt fore, vt Antichriſtus putet ſe regnorum terminos à Deo conſtitutos mutare poſſe. *Vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Rectè Hieronymus, & Theodoretus hunc locum interpretantur, vt per tempus, annus, per tempora duo anni, per dimidium temporis, dimidium anni intelligatur. Sed hæc interpretatio quia bona erat, Hæreticorum patriarchæ non placuit, Mauult enim hac periphraſi incertum tempus ſignificari. Quem ego ſenſum minimi iudicij hominis eſſe puto. Primum quia ipſe Daniel, cap. 12. verſu 7. cùm hæc eadem verba in eandem ſententiam repetiuiſſet, verſu 11. explicat dicens, *A tempore, cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Qui tres annos, & dimidium efficiunt quindecim ampliùs dies, vt Theodoretus argumentatur. Deinde quia Ioannes, quaſi Danielis interpres, cap. 12. 6. dicit mulierem, id eſt, Eccleſiam fugiſſe in ſolitudinem, per dies mille ducentos ſexaginta, quæ dierum ſumma tres annos & dimidium facit. Et rurſus verſu 14. Datas eſſe mulieri alas aquilæ magnæ, vt volaret in ſolitúdinem, vſque ad tempus, & tempora & dimidium temporis, quod cap. 13. 5. Datum eſſe ei (Antichriſto) os loquens magna, & blaſphemias, & datam illi poteſtatem faciendi, (quidquid vellet regnandi) menſes quadraginta duos, qui tres etiam annos & dimidium faciunt, Ac mirum profectò eſt, ſi figurata locutio erat, tempúſque certum pro incerto ponebatur, ſemper tamen idem notari tempus, & cùm nunc in annos, nunc in menſes, nunc in dies reſoluatur, eandem ſemper conſtare ſummam, neque in tanta orationis conuerſione iſtam Caluini figuram euolui. Præterea qui tempus certum pro incerto poni putat, is vim orationis non intelligit, nec enim ratione carere putandum eſt, quod & Daniel, & Ioannes hac ſemper periphraſi vtantur, ſed vt dimidiam annorum hebdomada ſignificarent, de qua Daniel capite 9. 27. & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium. Cur ergo non dixit, tres annos cum dimidio, aut dimidiam hebdomadam vno verbo, puto, vt aliquid inſigne poſt vnum, & poſt duos, & poſt dimidium annum euenturum indicare. quemadmodum c. 9. 15. non dixit vſque ad Chriſtum hebdomadas ſeptuaginta futu-

futuras, ſed hebdomadas ſeptem, & hebdomadas ſexaginta duas, & vnam in cuius medio Chriſtus occideretur. Denique ex hoc loco,& ex illis D. Ioannis omnes veteres auctores collegerunt Antichriſtum tres annos,& dimidium regnaturum, quam opinionem credibile eſt Eccleſiaſtica traditione ab ipſis Apoſtolis emanaſſe.

26. *Iudicium ſedebit.*] Iudices ſedebunt vt ſuprà ver. 10 illic dixit, ſedit, hîc dicit, ſedebit, quia illic referebat figuram, quam viderat, hîc quod illa figura futurum ſignificabat. *Et diſpereat vſque in finem.* ita vt quartum regnum numquam reparetur,aut vſque in finem, id eſt, prorſus omnino.

27. *Quæ eſt ſubter omne cœlum.*] Si dixiſſet ſupra omne cœlum,nihil obſcuritatis eſſet, facilè enim intelligeremus regnum cœlorum promitti ſanctis. Cùm autem dicat, *quæ eſt ſubter omne cœlum*, meritò dubitamus, quomodo terrenum regnum ſanctis promittatur. Et quidem nonnulli Hebræi hoc abutuntur teſtimonio, vt probent regnum Chriſti non ſpiritale, vt nos, ſed temporale, vt illi dicunt, futurum eſſe, quemadmodum R. Barbinel argumentatur. Sed facilè reſpondemus regnum ſpiritale ſanctis non ſolùm in cœlo, ſed etiam in terra promitti: Eccleſia enim ipſa quæ in terra eſt, ſpiritale non temporale regnum eſt,quod apud Prophetas ſub temporalium rerum imagine ſæpe deſcribitur, vt apud Iſai. cap. 11. & 32. & 49. & 60. & 65. & apud Ierem. cap. 25. & Ezech. 37.videre licet. Sancti enim regnare dicuntur, cùm Chriſtus regnat, regnum autem Chriſti Eccleſia eſt. Significat ergo fore vt poſt Chriſti regnũ euerſum, Eccleſia vbique terrarum regnet, & fiat vnum ouile, & vnus paſtor, vt Chriſtus ait apud Ioan. cap. 10. 16. vnde ille etiam Caluini error refelli poteſt, qui huius prophetiæ tempus elapſum putat: nondum enim videmus Euangelium vbique prædicatum. *Populo ſanctorum altiſſimi.* קר שי עליונין. ſanctorum altiſſimorum, vt ſuprà ver. 18. & 25. atque ex hoc loco perſpicuum eſt, ſanctos illic altiſſimorum appellari eos qui in hac vita ſancti ſunt, quod altiſſimarum, id eſt, cœleſtium ſedium hæredes ſint, aut ſanctos altiſſimorum, pro ſanctis altiſſimi (Dei) dictos eſſe,vt noſter vertit interpres. Nam de iis certè ſanctis hoc loco agitur qui in terris ſunt.

28. *Huc vſque finis verbi.*] Hactenus viſio, quæ me valde ſolicitum, & exercitum habuit, ita prorſus vt ex vultus mei mutatione appareret. *Verba autem.* Res ſingulas quas videram, diligenter obſeruaui,vt aliis declarare poſſem.

CAPVT VIII.

ANNO tertio regni Baltaſar regis, viſio apparuit mihi. Ego Daniel, poſt id
quod videram in principio. 2 *Vidi in viſione mea, cùm eſſem in Suſis ca-*
ſtro, quod eſt in Ælam: vidi autem in viſione eſſe me ſuper portam Vlai.
3 *Et leuaui oculos meos & vidi: & ecce aries vnus ſtabat ante paludem habens cornua*
excelſa, & vnum excelſius altero atque ſuccreſcens. 4 *Poſtea vidi arietem cornibus*
ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem: & om-
nes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque liberari de manu eius: fecitq́ voluntatem ſuam,
& magnificatus eſt. 5 *Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab*
Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram: porrò hircus habebat cor-
nu inſigne inter oculos ſuos. 6 *Et venit vſque ad arietem illum cornutum, quem vi-*
deram ſtantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis ſuæ. 7 *Cùm-*

 que

que appropinquaſſet prope arietem, efferatus eſt in eum, & percuſſit arietem: & commi-
nuit duo cornua eius, & non poterat aries reſiſtere ei: cúmque eum miſiſſet in terram,
conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius. 8 *Hircus autem capra-*
rum magnus factus eſt nimis: cúmque creuiſſet, fractum eſt cornu magnum, & orta ſunt
quatuor cornua ſubter illud per quattuor ventos cœli. 9 *De vno autem ex eis egreſſum*
eſt cornu vnum modicum: & factum eſt grande contra Meridiem & contra Orientem &
contra fortitudinem. 10 *Et magnificatum eſt vſque ad fortitudinem cœli: & deiecit de*
fortitudine & de ſtellis, & conculcauit eas. 11 *Et vſque ad principem fortitudinis ma-*
gnificatum eſt: & ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius.
12 *Robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium propter peccata, & proſternetur*
veritas in terra, & faciet & proſperabitur. 13 *Et audiui vnum de ſanctis loquentem: &*
dixit vnus ſanctus alteri neſcio cui loquenti, Vſquequo viſio, & iuge ſacrificium, & peccatũ
deſolationis quæ facta eſt: & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur? 14 *Et dixit ei:*
vſque ad veſperã, & manè, duo millia trecenti: & mundabitur ſanctuarium. 15 *Fa-*
ctum eſt autem cùm viderem ego Daniel viſionem, & quærerem intelligentiam: ecce ſte-
tit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri. 16 *Et audiui vocem viri inter Vlai, & cla-*
mauit, & ait: Gabriel fac intelligere iſtam viſionem. 17 *Et venit & ſtetit iuxta*
vbi ego ſtabam, cúmque veniſſet, pauens corrui in faciem meam: & ait ad me: intellige
fili hominis, quoniam in eo tempore finis complebitur viſio. 18 *Cúmque loqueretur ad*
me, collapſus ſum pronus in terram: & tetigit me, & ſtatuit me in gradu meo, 19 *di-*
xitq́; mihi: Ego oſtendam tibi quæ futura ſunt in nouiſſimo maledictionis: quoniam habet
tempus finem ſuum. 20 *Aries quem vidiſti habere cornua, rex Medorum eſt atq; Per-*
ſarum. 21 *Porrò hircus caprarum, rex Græcorum eſt: & cornu grande quod erat in-*
ter oculos eius: ipſe eſt rex primus. 22 *Quòd autem fracto illo ſurrexerunt quattuor pro*
eo: quattuor reges de gente eius conſurgent, ſed non in fortitudine eius. 23 *Et poſt re-*
gnum eorum cùm creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens pro-
poſitiones, 24 *& roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis, & ſuprà quam cre-*
di poteſt vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur & faciet. Et interficiet robuſtos, & populum
ſanctorum, 25 *ſecundum volũtatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum*
magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum
conſurget & ſine manu conteretur. 26 *Et viſio veſpere & manè, quæ dicta eſt, vera eſt: tu*
ergo viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit. 27 *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per*
dies: cúmque ſurrexiſſem faciebam opera regis & ſtupebam ad viſionem, & non erat qui
interpretaretur.

SVPERIORE capite Daniel, quartæ tantùm beſtiæ interpretationem ab angelo petierat, eamque nobis tradiderat, quod decà, mirabilior erat, magis ſolicitus eſſet: nunc ſcribit, alia poſt duos annos viſione, aliarum beſtiarum ſignificationem ſibi demonſtratam. Itaque quamuis alia ſit viſio, tamen quod ad ſententiam attinet, pars eſt ſuperioris prophetiæ.

1. *Anno tertio.*] Qui idem regni eius vltimus fuit, tres enim annos Baltaſarem regnaſſe, magis conſentanea hiſtoriis opinio eſt, etſi Ioſephus ſeptemdecim annos regnaſſe dicit: vnde duo colliguntur, alterum propterea non dixiſſe Prophetam, anno vltimo Baltaſaris, cùm annus vltimus eſſet, quia nondum ſciebat eum vltimum annum futurum eſſe. Itaque cùm eodem anno Baltaſaris audiuiſſet, ſubito euentu prophetiæ ſuæ obſtupuiſſe. Alterum hinc prophetiæ fidem magnopere confirmari. Si enim poſt rem geſtam, vt Porphyrius dicebat, compoſita fuiſſet, & auctor, vt Propheta videretur, tempus mentiri voluiſſet, non dixiſſet ſe eodem anno quo res accidit, ſed multò antè prouidiſſe. Si enim

mentiri.

mentiri libebat gnauiter mentiendum erat. *Ego Daniel.* נראה אלי אני דניאל. viſa eſt mihi ego Daniel, ad verbum, id eſt, viſa eſt mihi Danieli. Chaldaiſmus eſt, quamuis Hebraicè ſcribat. Aſſuetus enim à pueritia Daniel linguæ Chaldaicæ, etiam cùm Hebraicè loquitur, Chaldaicum ſermonem ſapit. *Poſt id quod videram in principio.* poſt primam viſionem beſtiarum, quam ſuperiore capite narrauit. Indicat his verbis hanc viſionem additamentum eſſe, & interpretationem illius.

2. *Vidi in viſione mea.*] ואראה בחזון. & vidi in viſione, id eſt non oculis corporis, ſed animo, non verè, ſed propheticè. Non explicat vtrum dormiens ſuperiorem prophetiam, an vigilans viderit. Itaque magis probabile videtur eum per ſomnium ſicut præcedentem vidiſſe, quam etiã v. 1. viſionem appellauit, nam ſi alio modo vidiſſet, id quoque dixiſſet, præſertim cùm ad faciendam fidem pertinere videretur, atque ita Theodoretus ſentit. *Cùm eſſem in Suſis caſtro.* Principio monendus lector eſt, ne lapſu memoriæ Hieronymi fallatur, dicit enim Suſa caſtrum eſſe, vbi Ioſephus ſcribit turrim à Dauide ædificatam. Ioſephus autem non dicit turrim Danielis Suſis, ſed Ecbatanis ædificatam eſſe, quam in Media eſſe docet, cùm Suſa regiam vrbem Perſidis eſſe dicat, lib. 10. Antiq. cap. 14. & lib. 11. cap. 5. Illud hoc loco quæritur quomodo Propheta Suſis eſſet, ſi ea vrbs, vt omnes Geographi tradunt in Perſide erat. Cùm hoc eodem anno Babyloni fuiſſe conſtet, ſcripturamque in pariete diuinitus exaratam regi expoſuiſſe. Sunt qui putant eum certi negotij cauſa Suſa iuiſſe, eodémque anno Babylonem rediſſe. Meliùs Hebræi, vt Aben Eſra, putant Danielem non fuiſſe reuera Suſis, ſed viſum ſibi ibi eſſe: quemadmodum Ezechiel dicit ſe ſpiritu in Ieruſalem raptum fuiſſe, ibíque vidiſſe multa, cap. 11. hanc interpretationem Hebraica verba confirmant. ויהי בראתי ואני בשושן. & factum eſt in viſione mea, ego etiam Suſis, id eſt, viſus mihi ſum eſſe Suſis præterea cùm Perſæ Babyloniis hoſtes eſſent, iámque fortaſſe Babylonem obſiderent, non eſt credibile Danielem ad Perſas ire potuiſſe: Et ſi hoſtes non fuiſſent, quomodo licuiſſet homini captiuo exire regno? Senſus etiam eſt melior, ſi dicamus Prophetam viſum ſibi Suſis eſſe, quàm ſi dicamus Suſis fuiſſe, nam vbi eſſet cùm hæc videbat, nihil omnino referebat, vbi autem ſibi eſſe videretur, referebat: propterea enim viſus eſt ſibi eſſe Suſis, quia inde Cyrus, qui Babylonem caperet venturus erat, vt adnotauit Aben Eſra. *Quod eſt in Elam regione.* Eodem modo Theodotion vertit, ſenſúſque eſt conſentaneus. Elam regio in Perſide erat, vnde Elamitæ dicti ſunt. *Super portam Vlai.* Super portam vrbis Suſorum, quæ Vlai appellabatur, vt Hieronymus & vna pars Hebræorum exponunt: altera enim pars, vt ait R. Saadias, interpretantur על אובל אולי. ſuper fluuium Vlai, quem Latini Geographi Eulæum vocant. Ita R. Dauid, & Hieronymus ver. ſequenti idem nomen איבל. paludem vertit, vtrumque probabile. Nam ſuper portam poni potuit, vt in campo hircum cum ariete pugnantem videret, & iuxta fluuium, quia vt Hebræi dicunt, neſcio quomodo ſpiritus propheticus amat flumina, quemadmodum Ezechieli iuxta fluuium Chobar aperti ſunt cœli, vnde profani auctores veritatem in fabulam conuertentes, muſas ſuas finxerunt in fluminibus habitare.

3. *Ecce aries vnus.*] Rex Medorum atque Perſarum, vt angelus exponit v. 20. Videtur conſultò arietem vnum dixiſſe, vt indicaret vnum tantum eſſe regem, quamuis duo eſſent regna. Nam etſi tum cùm Babylon expugnata eſt, duo reges erant, Darius Medorum, Cyrus Perſarum, tamen paulò poſt vnus Cyrus

vtroque regno potitus eſt, ſolúſque vtriuſque regni viribus quaſi duobus cornibus Babylonios debellauit; vnum ergo arietem duobus cornibus opponit: Quamquam ver. 20. duo cornua duos reges angelus interpretatur, itaque aries vnus erit, vnus vtriuſque regis exercitus. Vtcunque ſe res habeat, arietem vnum duobus cornibus opponit: ver. enim 5. dicit ſe vidiſſe hircum, vnum tantùm habentem cornu. Regem Perſarum arieti, regem autem Græcorum paulò pòſt hirco comparat, quia hircus fortior eſt ariete, & rex Græcorum regem Perſarum vicit. *Stabat ante paludem.* לִפְנֵי הָאֻבָל. ante portam, aut ante fluuium, vbi Propheta ſe fuiſſe dixit ver. præcedenti. Idem enim nomen vtrobique nomen eſt, neque ſcio cur illic Hieronymus portam hîc paludem verterit, quemadmodum illic Symmachum vertiſſe refert, aut cur Theodotion illic portam tranſtulerit, hîc nomen ipſum Hebraicum *Vbal*, quaſi proprium reliquerit: niſi illa tranſlationis varietate, diuerſas interpretationes a que probare voluerunt. *Habens cornua excelſa.* וְלוֹ קְרָנַיִם. & illi cornua duo erant. והקרנים גבהורת. & duo cornua excelſa, Latinè, cui duo erant cornua, eáque excelſa, quemadmodum dixi conſultò arietem vnum nominaſſe, ita nunc moneo, conſultò nunc vti numero duali, vt ſignificet duo præalta fuiſſe cornua, eaq; arieti vni opponat. *Et vnum excelſium altero atq; ſuccreſcens.* עלה בחרונה. aſcendens ſub finem. Duo cornua ſunt duo reges, Darius Medorum, & Cyrus Perſarum, alterum excelſius altero ſignificabat Cyrum Dario non quidem initio, ſed ſub finem regni ſui maiorem fore, cùm vtrumque & Perſarum & Medorum regnum obtinuiſſet, quibus & Babylonicum a ſe expugnatum adiecit.

4. *Vidi arietem.*] eundem. *Ventilantem contra occidentem.* Omnes partes mundi excepto Oriente nominauit, quia Perſis, & Media, vbi Cyrus regnare cœpit, comparatione Babylonis, Ægypti, Aſiæ minoris, & Græciæ, vbi bellum geſſit, Orientales ſunt: vt ſignificet in omnibus orbis terrarum partibus extra ſuum regnum geſſiſſe bella. *Et omnes beſtiæ.* Omnes alios reges beſtias vocat, vt in metaphora perſiſtat: Cyrum enim arietem appellauerat. *Et magnificatus eſt.* Indicat Cyrum ex humili principio in maximum regem euaſiſſe, quod qui ita eſſe ignorat, Herodotum, Xenophontem & Iuſtinum legat. Melius hæc interpretatio congruere videtur loco, quàm quod Hieronymus tradit, hoc celſius cornu, Darium vltimum Perſarum regem fuiſſe, quem Alexander magnus interfecit.

5. *Et ego intelligebam.*] Cúmque intelligerem, id eſt, attentus conſiderarem. מֵבִין. vidi hircum caprarum. hircum caprarum vocat, non quemlibet, ſed eum, qui caprarum ſolet gregem anteire, cæteris & magnitudine & robore inſignior. Per hircum, Græcorum regem intelligit, ver. 21. angelus exponit. Cur autem rex Græcorum hirco comparetur, non eſt nimia ſedulitate quærendum, quemadmodum à nonnullis fieri animaduerto. Ego ſi qua eius rei cauſa eſt, hanc quam ver. 3. expoſui eſſe exiſtimo, quod rex Græcorum fortior fuerit Perſarum rege, ſicut hircus ariete. Veniebat ab occidente, quia Græcia Perſis Occidentalis erat, quemadmodum ver. 4. Perſidem Orientalem eſſe ſignificauit. *Super faciem totius terræ.* Non ſignificat regem Græcorum magnas militum copias habuiſſe, multò enim maiores habebant Perſæ. Nota eſt apud Iuſtinum, Curtium, & Oroſium hiſtoria, Alexandrum Græcorum regem cum triginta duobus millibus militum, contra Darium ſexcenta millia ducentem pugnaſſe, eúmque viciſſe. Sed dicitur venire ſuper faciem totius terræ, quia

quamuis

quamuis paruum exercitum haberet, totum pene terrarum orbem vincendo peragrauit. *Et non tangebat terram.* Notatur ſumma Alexandri in conficiendis bellis celeritas, ſex enim annorum ſpatio regnum Perſarum, Medorum, Babylonis, Ægypti, omnéſque vicinas gentes debellauit, ita prorſus vt ſi nihil aliud egiſſet, quàm regiones ſingulas obire, víxque tanta terrarum ſpatia peregrinando, quanta vincendo confecit, conficere potuiſſet. *Porrò hircus habebat cornu inſigne,* חזות. mirabile, inſigne, ſpectabile, miræ magnitudinis, quod R. Dauid exponit, multos habens ramos, mihi non placet, quia nec id nomen ſignificat, & non ſolent hircorum cornua, ſicut ceruorum, rami nominari. Cornu Alexandrum Macedonem ſignificat, qui primus Perſarum imperium, ad Græcos tranſtulit, vt ver. 21. explicatur. Quæret aliquis quomodo cùm per cornu ſignificetur Alexander, hoc ipſo verſu hircus vocatus eſſe videatur; nam qui terram non tangebat, hircus erat, Alexandrúmque vt diximus deſignabat. Reſpondeo per hircum non hunc vel illum regem, ſed generaliter Græcorum regem ſignificatum fuiſſe, ideóque celeritatem belli conficiendi quæ propria Alexandro fuit, hirco tribui, quia Alexander, non vt Alexander, ſed vt rex erat, conſiderabatur. Quod autem hircus cornu, inter oculos habere dicitur, duo indicat. Alterum eſt, primum Græcorum regem ſignificari, quod enim inter oculos eſt, ante eſt. Alterum, non eſſe niſi vnum regem: nam quæ animalia vnicum habent cornu, vt vnicornis, inter oculos habent. Opponit ergo tacitè vnicum cornu quatuor cornibus, quæ poſtea eo ſublato ſuccreuerunt, ver. 8. quemadmodum ver. 8. vnum arietem duobus cornibus oppoſuiſſe diximus.

6. *Et venit vſque ad arietem illum cornutum.*] H. בעל הקרנים qui duo habebat cornua. Opponit hircum arieti, & vnum cornu duobus, tacitéque inſinuat Alexandrum, cum vno cornu, id eſt, cum vno tantùm eóque modico exercitu contra duorum regnorum Perſarum atque Medorum maximos exercitus pugnauiſſe, Cùm autem dicit venit & cucurrit ſimul, Alexandri celeritatem indicat, quia dicitur Darium præueniſſe ſimul ad hircorum morem alludit, qui reuocato retro curſu in hoſtem inſiliunt. *In impetu fortitudinis ſuæ.* quanto maximo potuit impetu, eodem modo Theodotion vertit, ἐν ὁρμῇ τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. H. בחמת כחו in ira fortitudinis ſuæ, id eſt, forti ira ſua, ira fortitudinem augente, aut fortitudine ira incenſa.

7. *Cúmque appropinquaret.*] וראיתיו מגיע. & vidi eum peruenientem vſque ad arietem vt Theodotion vertit, id eſt, congredientem cum ariete. *Efferatus eſt in eum,* id eſt, ſimul atque peruenit, congreſſus eſt cum illo. Narrant enim hiſtoriæ Alexandrum ſimul vt hoſtes conſpexit, nulla interpoſita mora prælium commiſiſſe. H. ויתמרמר. quod alij interpretantur, leuauit ſe contra eum, vt R. Saadias, vt alluſio ad morem hircorum fiat, qui ſeſe cùm aduerſarium percutere volunt, in poſteriores pedes erigunt. Rectè mihi videtur Hieronymus reddidiſſe, efferatus eſt, id eſt, ſeipſum ad pugnam excitauit, expediuit ſe ad bellum ſignificat enim adhortationes, quibus ſolent duces ante pugnam militum animos accendere. idem verbum cap. 11. ver. 11. vbi Hieronymus vertit, prouocatus egreſſus eſt rex. *Et percuſſit arietem.* Occidit Alexander Darium, quamquam alij tradunt Darium à Beſſo Bactrianorum præfecto, poſt diſſipatum ab Alexandro exercitum, occiſum fuiſſe, vt Oroſius. *Et comminuit duo cornua.* duo regna Perſarum & Medorum. *Et conculcauit.* vectigalia fecit, vt cap. præcedenti ver. 7.

 8. *Magnus*

8. *Magnus factus eſt.*] Amplificato ad Perſas, Medos, & Babylonios imperio, videtur alludere ad cognomentum Alexandri, qui ob rerum geſtarum magnitudinem, Magnus dictus eſt. *Cùmque creuiſſet.* וכעצמו. & cum roboraſſet, id eſt, cùm ad ſummum perueniſſet, cùm in ſuo eſſet robore. ἐν τῇ ἀκμῇ. vt Græci dicunt, fractum eſt, alludit & ad figuram, & ad rem figura ſignificatam. Ad figuram quidem, quia hircorum cornua, cæterarúmque beſtiarum certo tempore creſcunt, atque indureſcunt, donec ad ſummum veniant. Narrat ergo tanquam rem admirabilem, quod tunc cornu fractum ſit, cùm maximum duriſſimúmque factum eſſet, minimèque frangi poſſe videretur, vt oſtendat id non natura, non caſu, non hominum induſtria, ſed diuina prouidentia factum eſſe. Ad rem autem ſignificatam alludit, quia hiſtoriæ trigeſimo ſecundo aut tertio ætatis ſuæ anno Alexandrum mortuum fuiſſe tradunt cùm & ad ſummũ ætatis robur, & ad maximã imperij amplitudinem perueniſſet, cùm neque vinci neque mori poſſe videretur. Scribit enim Trogus Pompeius eum paulò antè mortem pro Deo habitum; ſubornarat enim Iouis Hammonis antiſtites, vt conſulti cuius filius eſſet Alexander, (ex adulterio enim natus erat) reſponderent Iouis Hammonis. ita Iuſtinus lib. 11. *Et orta ſunt quatuor cornua ſubter illud.* חזות. inſignia, vt ver. 5. Theodotion etiam vertit ὑποκάτω αὐτοῦ. ſub illo; itaque videntur legiſſe תחתיו. literis ſimilibus, nam ex ח. cõtracto crure fit ת. & ex ו & ו coniunctis fit ח. Certè ſenſus eſt melior, nam cùm ver. 5. cornu illud חזות. inſigne appellauit, aliquid in illo ſingulare videtur ſignificare voluiſſe, quod cætera cornua non haberent. Orta autẽ eſſe quatuor cornua ſubter illo, ſignificat cætera cornua eius loco ſucceſſiſſe, minoraque illo fuiſſe. ij ſunt quatuor illi duces qui mortuo Alexandro eius inter ſe imperium diuiſerunt, Seleucus Nicanor Syriam, Babylonem, Perſidem, & omnia regna Orientis, Philippus Aridæus Macedoniam, quæ, vt ver. 5. Daniel indicauit, ad Occidentem ſolem ſita erat: Antigonus Aſiam quæ Septentrionalis, Ptolomæus Ægyptum quæ Meridionalis erat, occupauit. hoc eſt quod dicit, *per quatuor ventos cæli*, id eſt per quatuor mundi plagas, Orientem Occidentem Meridiem, Septentrionem.

9. *De vno autem ex eis.*] De Seleuco qui Septentrionale Syriæ regnum obtinuerat. *Cornu vnum modicum.* Antiochus Epiphanes Seleuci filius, qui cùm Romæ obſes fuiſſet, dolo ſe inde proripuit, Aſiæque regnum occupans contra Ægyptios, Perſas, & Iudæos multa geſſit bella. Qui putant ideo paruum cornu vocari, quod ſeruili eſſet ingenio nimis longè mihi videntur ſimilitudinem ducere. Ego aut comparatione Alexandri, prioris cornu aut comparatione finis & principij regni eiuſdem, paruum dici arbitror. Cùm enim neque rex, neque legitimus regni hæres eſſet (fratrem enim habebat Demetrium natu maiorem, quem de regno pepulit) ſed captiuus quodam modo Romæ teneretur, non ſolùm paternum regnum, ſed multas etiam alias regiones partim fraudibus, partim armis ſibi ſubiecit. Hiſtoria magna ex parte ex 1. Mac. lib. c. 5. & 9. nota eſt, & ſupplementum eorum, quæ illic deſiderantur, ex Ioſepho peti poteſt. *Et factum eſt grande contra Meridiem.* dilatauit Antiochus regnum ſuum verſus Meridiem, id eſt, verſus Ægyptum. *Et contra Orientem*, id eſt, contra Perſidem. *Et contra fortitudinem.* להצבי & contra eo gloriam aut deſiderium. Theodot. πρὸς τὴν δύσιν. ad occaſum vertit, quæ ad occaſum erat Quocumque tandem modo vertamus, illud conſtat hoc verbo Iudæam ſignificari, ego ſine præiudicio verſionis noſtræ exercitum vertiſſem, quia hoc ſenſu ver. ſeq. idem verbum repetitur, quæ; terra deſiderij quia optima erat, dicitur, vt interpretatur

tatur ſapiens Abraham aut terra fortitudinis, vt Hieronymus tranſtulit, quia diuino præſidio fortis erat, & nullis niſi peccatorum viribus expugnabilis.

10. *Vſque ad fortitudinem cœli.*] עד צבא השמים. vſque ad exercitum cœli. Iudæos vocat exercitum cœli, aut vt Hieronymus vertit, fortitudinem, quia Deo duce bella gerebant, & vt Claudianus de Theodoſio dixit, illis militabat æther: ſignificat ergo Antiochum non ſolùm hominum, ſed etiam Dei exercitum viciſſe non quod fortior Deo fuerit, ſed quod Deus exercitum ſuum eius offenſus peccatis defendere noluerit. *Et deiecit de fortitudine.* מן הצבא. de exercitu. vt paulò antè multos Iudæos proſtrauit. *Et de ſtellis.* Iudæos vocat ſtellæ alludens ad præcedentem metaphoram: vocauerat enim eos exercitum Dei, ſtellæ autem exercitus, aut militia Dei dici ſolent, Deut 17. 13. & 4. Reg. 17. 16. & 21. 3. 5. & 2. Paral. 33. 3. confundit igitur duas metaphoras in vnam.

11. *Et vſque ad principem fortitudinis.*] עד שר הצבא. vſque ad principem exercitus magnificauit ſe, id eſt, auſus eſt, non ſolum contra exercitum, hoc eſt, contra Iudæos, ſed etiam contra ipſum ducem exercitus, hoc eſt, contra Deum pugnare, eúmque quodam modo vicit, nolentem ſcilicet repugnare. Itaque Deum de loco ſuo deiecit, aliúmque Deum in eius poſſeſſionem induxit: idolum enim Iouis Olympij, in templo Ieroſolymitano collocauit, Deumque tanquam victum ſpoliauit, hoc eſt, abſtulit ab eo iuge ſacrificium, quod illi mane ac veſperi in templo ſemper offerebatur. Id autem paſſus eſt Deus, non ſua quidem infirmitate, ſed Iudæorum peccatis prouocatus, quemadmodum ſinit nunc templa igne cremari, & ſanctiſſimum filij ſui corpus, & ſanguinem ab hæreticis calcari pedibus, ſed veniet ſera vindicta grauior. Angelus ver. 25. principem fortitudinis, principem principum, id eſt, regem regum vocat.

12. *Robur autem datum eſt.*] Antiocho, id eſt, poteſtas illi à Deo auferendi iugis ſacrificij facta eſt, idq́; propter populi peccata, alioqui numquam illud auferre potuiſſet. hic noſtri interpretis ſenſus eſt multóque melior, quàm eorum, qui interpretantur, Exercitus illi traditus eſt, id eſt, Iudæi in manus eius venerunt, propter tranſgreſſiones quas admiſerant circa iuge ſacrificium. Meliùs alij, tempus dabitur illi contra iuge ſacrificium, propter peccata, id eſt, permittet Deus ad certum tempus iuge ſacrificium tollere, ſed neque hic ſenſus mihi placet, quia non de tempore, ſed de poteſtate Antiocho à Deo data agebatur, ne quis miraretur eum, ſacrificium à Deo inſtitutum tollere potuiſſe. *Et proſternetur veritas in terra.* Veritatem vocat diuinam legem, quam pene totam aboleuit, vt ex Machabæorum libris perſpici poteſt, ita Aben Eſra interpretatur. Meliùs nonnulli Latini veritatem verum Dei cultum vocari dicunt: de cultu enim, hoc eſt, de iugi ſacrificio ſublato agebatur. *Et faciet & proſperabitur.* Antiochus accepta à Deo poteſtate faciet, exequeturq́; quidquid à Deo permiſſum eſt, aut faciet pro ſuo arbitrio quidquid volet, benéque illi omnia ſuccedent. Miror neminè, quod ſciam, animaduertiſſe Hebraica verba alium habere ſenſum: ſunt enim generis fœminini, itaque non poſſunt ad Antiochum referri, ſed ad veritatem, vt ſenſus ſit fore, vt veritas in terram quaſi ſemen deiecta fructum faciat, magíſque multiplicetur. Semen enim piorum ſanguis, vt Tertullianus & Leo magnus de Chriſtianis dicere ſolebant, quamquam ver. 24. eadem verba maſculino genere poſita, de Antiocho dicuntur.

13. *Et audiui vnum de ſanctis.*] Angelum quendam ex illis, quos Deo tanquam conſiliarios aſſidere. cap. ſup. ver. 9. & 10. ſignificauerat. Eo enim alludere videtur, quia hæc viſio, pars quædam, & interpretatio illius eſt. *Neſcio cui loquenti.*

cuidam

cuidam, qui cum illo loquebatur cuius nomen ignoro. לפלמוני. ita Hebræi nominant, quem proprio nomine vocare neſciunt, vt Hiſpani, *fulano*, & Itali, *il tale*, & Galli, *vn quidam*, qui hunc Chriſtum fuiſſe dicunt, iniuriam illi facere videntur, redigunt enim illum in ſanctorum ordinem. Nam Daniel vnum aliquem è ſanctorum numero fuiſſe indicat. Præterquam quod Chriſtum non appellaſſet. פלמוני neſcio quem. Erat angelus aliquis ſuperioris ordinis. Nam inferiores à ſuperioribus diſcere, & Dionyſius tradit, & res eſt ſine cuiuſquam auctoritate credibilis. *Vſquequo viſio*, quandiu ſacrificium, quod Daniel ablatum vidit, ablatum erit? עד מתי החזון התמיד vſquequo viſio iugis, (ſacrificij durabit,) *Et peccatum deſolationis*, & deſolatio, quæ propter peccatum facta eſt. *Et ſanctuarium & fortitudo.* וצבא. & exercitus vt ver. 10. id eſt, vſquequo & templum, & populus conculcabitur.

14. *Vſque ad veſperam & mane dies.*] Hebraicè non eſt nomen dies, ſed quia neceſſario intelligendum eſt, Hieronymus & Theodotion expreſſerunt. Nam etſi alij annos, alij menſes intelligunt, neceſſe eſt & propter hiſtoriam, & huius loci circumſtantias dies intelligere. Manifeſtum enim eſt agi de tempore, quo templi contaminatio per Antiochum facta, duratura erat. Contaminauit autem templum Antiochus anno regni Græcorum 143. vt ex 1. lib. Mach. c. 1. v. 21. 22. 23. perſpicuum eſt. Iudas autem Machabæus mundauit illud recuperata vrbe anno 148. vt legimus eodem lib. c. 4. v. 43. & 52. quod ſi vtrumque annum numero includamus, ſex anni erunt, qui ſunt dies bis mille centum nonaginta, non enim dicitur lib. 1. Machab. c. 1. Si ſolares annos faciamus; ſi lunares, bis mille trecenti aut circiter: ponitur, numerus cardinalis, quem vocant, pro numero minori maiore. Quod autem dicit vſque ad veſperam & mane, perinde eſt ac ſi diceret, bis mille trecenti dies naturales erunt, quorum vnuſquiſque veſpere & mane, id eſt, nocte & die conſtat, ac viginti quatuor horis. Nominátque veſpere prius, quàm mane, quia Hebræi, vt in aliis locis admonuimus à veſpere diem inchoabant.

15. *Quaſi ſpecies viri.*] Angelus quidem ſpecie viri, quem Hebræi, vt Saadias, & Aben Eſra, Gabrielem fuiſſe dicunt, qui verſu ſeq. nominatur; illum verò alterum, qui illi acclamauit, vt Danieli viſionem exponeret veteres Hebræi, vt ait Hieronymus, Michaëlem fuiſſe exiſtimarunt, id incertum eſt, illud ego pro comperto habendo puto, illum qui iuxta Danielem ſtetit, angelum fuiſſe, nam qui Chriſtum fuiſſe dicunt, vt ver. 13. iniuriam illi facere videntur.

16. *Et audiui vocem viri.*] Angeli, quem verſu præcedenti, ſe ſpecie viri vidiſſe dixerat, ideóque virum illum appellat. *Inter Vlai.* Inter portas Vlai, vel inter ripas fluminis Vlai, vt ver. 2. *Fac intelligere iſtam viſionem.* הבין להלז את המראה. fac intelligere iſtum Danielem viſionem, vt Theodotion vertit.

17. *Pauens corrui.*] eius præſentia. *Intellige fili hominis.* Excitat eius attentionem, vt viſionis ſenſum intelligat: filium autem hominis appellat, quia ipſe qui loquebar homo non erat, vt à ſe & cæteris angelis, inter quos verſabatur ſi non ſpecie nomine diſtingueret, quia ſpecie non diſtinguebatur. *In tempore finis.* Hieronymus לעת קץ. tempore finis, id eſt, tempore definito, & conſtituto à Deo. Sic etiam nonnulli Hebræi interpretantur. Alij, vt Abraham tempus finis, longum tempus vocari putant, quemadmodum dicuntur אנשי מדות. viri menſurarum, id eſt, alti, proceræ ſtaturæ. Numer. 13. 33. quaſi dicat, longo poſt tempore complebitur viſio. Non placet mihi hæc interpretatio, non enim bene hæc duo cohærent: intellige, & quia longo poſt tempore, complebitur viſio.

Digitized by Google

viſio. Hac enim ratione, remiſſum potiùs, ac negligentem,quàm ſolicitum & attentum reddidiſſet. Itaque magis contrarius ſenſus conueniret, vt tempus finis,breue tempus diceretur: quem ego verum ſenſum eſſe arbitror, quia hoc modo, & Prophetæ attentionem excitat, & ſimul confirmat Prophetiam adeo veram eſſe,vt breui tempore complenda eſſet:Neque obſtat quod v.26.dicitur, Tu ergo viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit. Illic enim de Antiochi perſecutione, quadringentis ferè poſt Danielem annis accidit; hic autem de tota viſione agit. Et vt agat de eadem re non eſt abſurdum,breue tempus comparatione Dei, dies multos ad breuitatem humanæ vitæ dici. Quemadmodum D. Ioan. longum tempus nouiſſimam horam vocat,1.epiſt.c.2.18. quia mille anni apud Deum ſicut dies vnus, vt Petrus interpretatur,2.epiſt.c.3.8.Alij exponunt coniunctis aliter verbis, לעת קצ החזות. In tempore finis viſionis erit, (id eſt) ſuo enim tempore veniet, quod vidiſti:Non reprehendo,ſed non probo.

18. *Collapſus ſum.*] Quidam repetitionem eiuſdem caſus eſſe putant. Ego potiùs credo bis Danielem cecidiſſe, primùm ad præſentiam, deinde ad vocem angeli.

19. *In nouiſſimo maledictionis.*] באחרות הזעם. in extremo iræ, ad verbum, id eſt,cùm iraDei,quam patienter iamdiu ſuſtinet tandem erumpet.Tempus enim ab illo definitum,eſt quo res fiat,vt dixit ver.17.

20. *Aries quem vidiſti.*] Aries, rex, duo cornua, duo reges, Alter Medorum, Darius,alter Perſarum,Cyrus,hoc ver. 3. explicatum eſt, & quod ſequitur ver. 21.ver. 5.

22. *Quatuor reges.*] ארבע מלכות. quatuor regna. Senſus idem, vide verſ. 8. *Sed non in fortitudine eius.*Hebraïſmus,quem Latinè ſic explicare poſſumus.Quatuor reges eius gente exiſtent,ſed nequaquam viribus illi pares.De eadem gente orituros dicit, non quòd quatuor illi reges, qui Alexandro ſucceſſere, conſanguinei eius eſſent, ſed quòd Græci, ſicut ille, vt pleriq; volunt, ſed probabilius eſt conſanguineos fuiſſe,vt lib. 1. Mach. cap. 1. ver. 9. ſignificatur.

23. *Et poſt regnum eorum.*] באחרית מלכותם. in fine regni eorum.Non eſt ſenſus,poſt finem regni Græcorum. Nam poſt Antiochũ,duodecim reges fuerunt, neque ſtatim poſt regnum illorum quatuor,qui poſt Alexandrum regnauerunt. Nam inter illos, & Antiochum, ſex fuerunt alij, poſt alios reges, ſed ſenſus eſt, poſt regnum illorum quatuor,tempore non definito.Dixit autem poſt regnum illorum quatuor, cum multi, hoc eſt, centum quinque anni interceſſerint, quia illo medio tempore,nihil inſigne in eo regno accidit,quod ad hanc prophetiam ſpectare videretur. Quidam exponit,poſt regnum illorum,id eſt, poſtquam regnum illorum ad ſummum peruenerit. Non probo. *Cum creuerint iniquitates.* Cùm Iudæorum ſcelera ad ſummum venerint, ita vt Deus iram ſuam tenere quodammodo non poſſit, permittet Antiochum regem in illos crudeliſſimè ſeuire. Hoc ſenſu vertit Thodotion, πληρουμένων τῶν ἁμαρτιῶν, quanquam Hebræi.פשעים.iniqui legũt,ſed eodem redit.Indicat ſub tempus Antiochi,Iudæos ſceleratiſſimis moribus futuros eſſe,diuinamq́ue in ſe iram ſuis flagitiis prouocaturos,quòd re ipſa accidiſſe ex 1.Mac.lib.cap.1.v.12.13.14.15.16.facilè cognoſci poteſt,vbi legimus multos Iudæos iuſtitiam gentium ſecutos eſſe,gymnaſiaque eorum more Ieroſolymis ædificaſſe, & præputia ſibi feciſſe. *Rex impudens facie.* Antiochus homo impius,qui neque Deum neque homines reuereretur. *Et intelligens propoſitiones.* חידות. ænigmata, id eſt,aſtutus,callidus, ſagax,vt Prou. 1.6.animaduertet parabolam,& interpretationem, verba ſapientum, & ænigmata eorum.

24. *Et roborabitur.*] Creſcet eius potentia, ex homine enim priuato factus eſt rex, factus rex longè lateq; regni fines amplificauit, vt ver. 9. explicatum eſt. *Sed non in viribus ſuis.* Non ſuis viribus, ſed Dei permiſſu volentis Iudæos affligere, roborabitur. hic verus, geminus, facilis & conſentaneus ſenſus eſt, quãuis Caluino diſtorti iudicij homini contortus eſſe videatur. Idẽ enim ver. 12. aliis verbis dixit, Robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium propter peccata. *Interficiet robuſtos.* Iudęos fortiſſimam gentem, quam aliter quam irato Deo vincere non potuiſſet. Propterea hoc epitheto vſus eſt, vt confirmaret quod paulò ante dixerat, Antiochum non ſuis viribus iſta facturum.

25. *Secundum voluntatem ſuam*] Hæc verba Hieronymus ad ſuperiorem verſum refert, vt ſenſus ſit, interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundũ voluntatem ſuã, id eſt, pro ſuo arbitrio ac libidine. Hebræi ſic, ועל שכלו והצליח מרמה בידו: & iuxta intellectum eius & dirigitur dolus in manu eius, præpoſitio (&) ſecundo loco Hebræorum more redundat, Senſus eſt, quidquid ſceleris animo deſignauerit, proſperè perficiet, parem habebit manum ingenio. *Et in copia rerum omnium.* omnibus rebus potens, præ rerum omnium copia, cum rebus omnibus ad malè agendum abundet. H. ובשלוה ישחית רבים. & in pace multos interimet, quod quidem interpretantur multos innoxios, & pacificos occidet, ſubitò eos opprimens, vt ait R. Saadias, Ergo ſic, in pace, id eſt, impunè, ſine vllo ſuo detrimento, re ex animi ſententia ſuccedente, ſicut ſuperiore ver. dixit. *Proſperabitur, & faciet.* Hoc enim ſignificat. שלוה. *Et contra principem principum.* Contra Deum ipſum, & templum eius, contra regem regum, & dominum dominantium, ver. 21. dixit contra principem fortitudinis, vbi hic verſ. expoſitus eſt. *Et ſine manu conteretur*, id eſt, non occidetur ab hominibus, ſed à Deo, vt quemadmodum viuens non humanis viribus, ſed diuino permiſſu populum Dei vexauerat, ita moriens intelligat ſe non viribus hominum, ſed diuino iudicio puniri. Intelligitur hic locus ex 2. lib. Mach. cap. 9. ver. 5. vbi Antiochus inſanabili morbo à Deo correptus, diuturnáque tabe conſumptus fuiſſe dicitur.

26. *Et viſio veſpere & manè.*] Veſpere & manè genitiui ſunt. quaſi dicat, viſio illa bis mille trecentorum dierum naturalium, quæ dicta eſt ver. 14. vera erit. *Tu ergo viſionem ſigna*, id eſt, apud te reſerua, neque de ea dubites, quamuis longo tempore eius effectum differri videas, ſuo enim tempore veniet. non vetat viſionem aliis exponere, ſed de ea propter euentus dilationem dubitare, vt Habacuc 2. 3. Si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Vocat autem dies multos, quod ver. 17. breue tempus eſſe ſignificauerat, quia reſpectu humanæ vitæ loquitur, quaſi dicat, caue excidat tibi ex animo hæc viſio, quamuis vitæ tuæ tempore euentum eius non videas, non enim tam breui eueniet.

27. *Et ego Daniel langui & ægrotaui per dies.*] Per aliquot aut per multos dies, vtrumque enim intelligi poteſt, dicit ſe adeo conſternatum fuiſſe admiratione viſi, vt per multos dies ægrotauerit, partim quod cum angelis locutus fuiſſet, partim quod calamitatem genti ſuæ impendentem vidiſſet. *Cúmque ſurrexiſſem.* è lecto (indicat enim ſe in lecto affectum morbo decubuiſſe) faciebam opera regis, fungebar munere, cui à rege præfectus eram. Non explicat quod munus fuerit, ſed eſt veroſimile alicuius, aut omnium prouinciarum Babylonis præfectum fuiſſe. Nam cùm ad eum honorem Nabuchodonoſor illũ euexiſſet, ca. 2. ver. 48. non eſt credibile eo à cæteris regibus Euilmerodach,

& Bal-

Digitized by Google

& Baltaſſare, qui illi ſucceſſerunt ſine ſua culpa priuatum fuiſſe: Indicat autem ſe per multos dies morbo detentum officio ſuo fungi non potuiſſe. *Et ſtupebam.* Etiam poſtquam conualuiſſem, totus ſtupore defixus eram, non enim poteram tam admirabilium calamitoſarúmque rerum obliuiſci. *Et non erat, qui interpretaretur.* Quærit Hieronymus quod cuiuis poteſt occurrere quomodo dicat neminem fuiſſe qui interpretaretur, cùm iam angelus eſſet interpretatus, reſpondet, Danielem ab angelo tantùm regum futurorum bella didiciſſe nomina autem eorum nõ didiciſſe. Hebraïcè eſt, ואין מבין. & non erat qui intelligeret, quẽmadmodum Theodotion vertit: videtur autem ſenſus eſſe, nemo ſciebat cur obſtupeſcerem, aut quid in animo meo gererem, aut referendum eſt ad omnia, quæ hoc ver. dicta ſunt, nemo neque morbi, neque ſtuporis mei cauſam intelligebat.

CAPVT IX.

IN anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum, 2 *Anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris*
numerum annorum de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam,
vt complerentur deſolationes Ieruſalem ſeptuaginta annis. 3 *Et poſui faciem meam*
ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco & cinere. 4 *Et*
oraui Dominum Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi: Obſecro Domine Deus magne
& terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus mandata tua. 5 *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus: & declinauimus à mandatis tuis ac iudiciis.* 6 *Non obediuimus ſeruis tuis Prophetis qui locuti ſunt in nomine*
tuo, regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris, omníque populo terræ. 7 *Tibi*
Domine iuſtitia: nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie viro Iuda, & habitatoribus
Ieruſalem & omni Iſraël, his qui propè ſunt, & his qui procul in vniuerſis terris ad quas
eiecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te. 8 *Domine, nobis*
confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, & patribus noſtris qui peccauerunt.
9 *Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te,*
10 *& non audiuimus vocem Domini Dei noſtri vt ambularemus in lege eius quam*
poſuit nobis per ſeruos ſuos Prophetas. 11 *Et omnis Iſraël præuaricati ſunt legem*
tuam, & declinauerunt ne audirent vocem tuam: & ſtillauit ſuper nos maledictio &
deteſtatio quæ ſcripta eſt in libro Moyſi ſerui Dei, quia peccauimus ei. 12 *Et ſtatuit*
ſermones ſuos quos loquutus eſt ſuper nos & ſuper principes noſtros qui iudicauerunt nos,
vt ſuperinduceret in nos magnum malum quale numquam fuit ſub omni cœlo, ſecundum
quod factum eſt in Ieruſalem. 13 *Sicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, omne malum hoc*
venit ſuper nos: & non rogauimus faciem tuam Domine Deus noſter, vt reuerteremur
ab iniquitatibus noſtris, & cogitaremus veritatem tuam. 14 *Et vigilauit Dominus*
ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos: iuſtus Dominus Deus noſter in omnibus
operibus ſuis quæ fecit: non enim audiuimus vocem eius. 15 *Et nunc Domine Deus*
noſter qui eduxiſti populum tuum de Terra-Ægypti in manu forti, & feciſti tibi nomen
ſecundum diem hanc, peccauimus, iniquitatem fecimus. 16 *Domine in omnem iuſtitiam tuam auertatur obſecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Ieruſalem, & à monte*
ſancto tuo. Propter peccata enim noſtra, & iniquitates patrum noſtrorum, Ieruſalem, &
populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum. 17 *Nunc ergo exaudi*
Deus noſter orationem ſerui tui, & preces eius: & oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium

Digitized by Google

tuum, quod deſertum eſt propter temetipſum. 18 *Inclina Deus meus aurem tuam,*
& audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & ciuitatem ſuper quam inuo-
catum eſt nomen tuum, neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante fa-
ciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. 19 *Exaudi Domine, placare Domine:*
attende & fac, ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum
eſt ſuper ciuitatem & ſuper populum tuum. 20 *Cúmque adhuc loquerer, & orarem,*
& confiterer peccata populi mei Iſraël, & proſternerem preces meas in conſpectu Dei mei,
pro monte ſancto Dei mei, 21 *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel,*
quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini.
22 *Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixitque, Daniel, nunc egreſſus ſum vt docerem*
te, & intelligeres. 23 *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni*
vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: tu autem animaduerte ſermonem, & intellige
viſionem. 24 *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, &*
ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, &
deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia:
& vngatur Sanctus ſanctorum. 25 *Scito ergo & animaduerte: ab exitu ſermonis vt*
iterum ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem & hebdoma-
des ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum.
26 *Et poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui*
eum negaturus eſt. Et ciuitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: &
finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. 27 *Confirmabit autem pactum*
multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit
templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit de-
ſolatio.

ORAT Daniel Deum pro liberatione populi, miſſúſque ad eum angelus Gabriel docet, poſt ſeptuaginta annorum hebdomades venturum Chriſtum, qui populum verè liberet.

1. *Anno primo Darij filij Aſſueri*] Multos Medorum, ac Perſarum reges Darios fuiſſe legimus. Tres autem diuerſis rebus inſignes fuerunt, Darius Aſtyagis filius Babylonici regni expugnatione, Darius filius Hiſtaſpis Cyri nepos beneficio conceſſi Iudæis reditus templíque reſtauratione, Eſd. 1. 6. & qui vltimus in Perſide regno clarior amiſſo, quàm adepto regno, & quòd ab Alexandro victus, quàm quod in tribus maximis regnis dominatus ſit. De illo igitur primo Propheta loquitur, ideóque de ſemine cum Medorum fuiſſe dicit vt à cæteris diſtinguat, qui ex genere Perſarum fuerunt, cùm profani ſcriptores Aſtyagem eius patrem vocent, Daniel Aſſueri filium appellat. Nempe credendum eſt, aut vtroque nomine patrem Darij vocatum fuiſſe, aut Aſtyages commune fuiſſe regum Medorum cognomentum. Nam & hunc ipſum Darium Daniel, cap. 13. ver. 65. Aſtyagem appellat. Darium verò Xenophon, & cæteri Græci Cyaxarem vocare ſolent. Sunt qui putent hunc Aſſuerum Darij patrem, eum fuiſſe, qui Eſther vxorem duxit. Sed de ea re in cõmentariis in lib. Eſther diſſeruimus. Nunc illud quod ad hunc locum pertinet, teneamus. Voluiſſe Prophetam qui de tempore vaticinaturus fuerat, tempus ipſum quo vaticinium accepit, notatis ſingulis circunſtantiis diligentiſſimè ſignificare. Huc ſpectat quod dicit id ſibi anno primo accidiſſe, non quidem primo, quo Darius apud Medos tanquam vnus aliquis rex, ſed quo, adiuncto Babylonico regno, tanquam monarcha regnare cœpit. Huc ſpectat quod filium Aſſueri,
quod

Digitized by Google

quòd ex ſemine Medorum fuiſſe, quódque in regno Chaldæorum imperauiſſe dicit. Quæri autem poteſt, cur primum potiùs Darij, quàm Cyri, annum, cùm idem fuerit, deſignauerit, cumque Cyrus ſua virtute, atque ſolertia Babylonem ceperit, & Eſras lib. 1. cap. 1. 1. non annum primum Darij, ſed Cyri nominat. Iam ſuprà cap. 5. verſu 31. ex Hieronymi ſententia reſpondimus, id Darij ætati & cognationi datum eſſe. Erat enim, vt ait Ioſephus, cum Babylonem cepit, maior ſexagenario, Cyrus adhuc adoleſcens: & erat Cyri ſimul auunculus, & ſocer, & quod magis cauſam attingit, Cyrus eius nomine in auxilium vocatus Babylonicum bellum geſſerat, Eſras verò de regno ſolius Cyri agebat mortuo iam Dario.

2. *Anno vno.*] Anno inquam primo Darij. nota eſt phraſis Hebraïca, Anno vno pro anno primo, vt dies vna, pro prima Gen. 1. 5. & vna Sabbatorum, 1. prima dies hebdomadis Marc. 16. 2. *intellexi in libris.* Cognoui ex lectione Ieremiæ cap. 25. 11. 12. & cap. 29. 10. nec enim Propheta tantus, poſtea quàm colloquia cum angelis miſcuiſſet, Prophetam alterum dedignatus eſt legere: ſed eo maiore legit ſtudio, quòd ſciret eum de optatiſſimo illo Iudaïcæ captiuitatis fine vaticinatum. Credibile enim eſt eos, qui captiui tenebantur, ſolitos fuiſſe per minutiſſima momenta, tempus numerare. *De quo eſt ſermo Domini.* De quo fuit ſermo Domini. De quo locutus eſt Dominus per Ieremiam Prophetam, fore vt complerentur deſolationes Ieruſalem, id eſt, fore vt Ieruſalem reſtauraretur; numerum inquam ſeptuaginta annorum. Indicat cognouiſſe ſe, ex numeratione temporum ſeptuaginta iam annos fuiſſe tranſactos, exiſtimaſſeque Deum propter noua Iudæorum peccata, in captiuitate ipſa veteribus accumulata liberationis tempus prorogaſſe, ideóque ſe ad preces conuertiſſe. Putant omnes Hebræi Danielem in annorum numeratione allucinatum eſſe, neque Ieremiæ Prophetiam intellexiſſe antequam à Gabriele doceretur, quia quamuis & Propheta & ſuæ ætatis ſapientiſſimus eſſet, tamen in ea re, neque vt Propheta, neque vt ſapiens, ſed vt Ieremiæ lector ac diſcipulus loquebatur, & libertatis deſiderium perſuadebat annorum numerum eſſe completum. Errores autem duos in illo notant, vnum quod exiſtimauerit ſeptuaginta illos annos à prima captiuitate ſub Ioachim numerandos eſſe, cùm à captiuitate Sedeciæ numerandi eſſent, vt Thalmudici tradunt. Alterum quod exiſtimauerit Ieremiam dicere, cap. 25. 12. cùm impleti fuerint ſeptuaginta anni viſitabo vos, cùm dicat, viſitabo ſuper regem Babylonis, & ſuper gentem illam. Itaque tempus, quo regnum Babylonicum transferendum erat, iam erat exactum, tempus autem quo Iudæi in patriam redituri erant, nondum effluxerat, vt ait R. Abraham. Ego non dixero fas eſſe Prophetam & vt priuatum hominem, etiam vt diſcipulum deceptum exiſtimare, ſed ſi quis dixerit, non reprehendero, cùm ſciam Apoſtolos poſt multa edita miracula, poſt longam cum Chriſto conſuetudinem ab eo caſtigatos verbis, quod ſcripturas non intelligerent. Sed ad huius loci interpretationem ſuperuacaneum eſt de annorum ſeptuaginta numero diſputare, cùm Daniel non dicat ſe intellexiſſe numerum annorum fuiſſe perfectum, ſed tantùm indicet finem inſtare, ſi quis ſummo iure velit agere. Cæterum quod ſuperiori verſu dixi, mihi probabilius videtur eum exiſtimaſſe numerum annorum fuiſſe perfectum. Vnde autem numerandi initium ſumendum ſit, tot ferè opiniones, quot auctores eſſe video, quas neque refutare, neque numerare vtile eſſe arbitror mea contentus. Ego enim neque ab Hebræis, qui & ipſi inter ſe diſ-

Digitized by Google

ſentiunt, neque à noſtris auctoribus, ſed ex ſacris litteris numerum annorum repetendum eſſe iudico. Scripturæ verba ſunt apud Ieremiam cap. 25. ver. 11. & 12. Et *erit vniuerſa terra hæc in ſolitudinem, & in ſtuporem, & ſeruient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis, cùmque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Babylonis & ſuper gentem illam dicit Dominus, iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum, & ponam illam in ſolitudines ſempiternas* Et cap. 29. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum vt reducam, vos ad locum iſtum.* Hîc nobis & initium, & finis ſuptuaginta annorum à Deo ipſo deſignatur. Initium eſt. Er ſeruiant omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis. Vbi idem Babylonicæ ſeruitutis, & ſeptuaginta annorum principium eſſe ſignificatur. Sed quia Babylonica ſeruitus duplex fuit, altera, qua Iudæi Babyloniis antequam ab illis captiui ducerentur, tributarij facti ſunt, 4. Regum 24. 1. altera, qua ducti ſunt captiui Babylonem, idque ter primum ſub Ioacim, 4. Regum 24. 15. ſecundo ſub Sedecia, 4. Regum 25. 11. & Ieremiæ 39. 9. tertiò poſt paucos annos qui remanſerant etiam ducti ſunt, Ieremiæ 52. 30. quæ Iudaïcæ ſeruitutis varietas opinionem quoque varietatem fecit. Nam alij ab eo tempore quo Iudæi Babyloniis vectigales facti ſunt, alij à prima alij à ſecunda, alij à tertia captiuitate annorum initium ſumendum putant. Ego mediocritatem ſequor, tempúſque nec à tempore, quo Iudæi tributarij facti ſunt, nec à ſecunda aut tertia, ſed à prima captiuitate numerandum puto. Et quia non tributum, ſed captiuitas propriè ſeruitus appellatur, etſi tributa aliquando ſeruitus dicitur, vt 4. Regum 24. & quia Ieremias maius quiddam quàm vectigal comminatur, & quia iam tum cum ea Ieremias vaticinaretur, Iudæi tributarij Babylonis erant. Eſt enim ea prophetia anno quarto Ioacim, vt principio eiuſdem capitis notatur, quo anno tradunt Hebræi, quamquam id ex ſcriptura non conſtat, Iudæos ad conditionem ſoluendi Babyloniis tributi fuiſſe compulſos. Fuit autem Ioacim tributarius regis Babyloniis annos tres, deinde rebellionem fecit, 4. Regum 24. 1. rebellionem verò tres alios annos duraſſe Hebræi etiam docent, vt ſuprà expoſui. Sícque regni Ioacim iam ſunt anni decem, vndecimo autem prima captiuitas facta eſt. Certè iam antè Ægyptiis tributum pendebat, 4. Regum 23. 35. Ieremias autem non exprobrat præteritam aut præſentem calamitatem; ſed futuram comminatur, vt autem à ſecunda aut à tertia captiuitate potiùs, quàm à prima ſeruitutis initium ſumamus, nulla ratio perſuadet; cùm prima captiuitate multò plures, & maioris auctoritatis viri, quàm ſecunda & tertia Babylonem ducti ſunt. Prima enim ter mille viginti tres homines ducti fuerunt, in quibus rex, & omnes principes erant, 4. Reg. 24. 12. & Ierem. 52. 28. Secunda captiuitate octingenti tantùm triginta duo traducti ſunt, Ierem. 52. 29. Tertia verò ſeptingenti quadraginta quinque, Ierem. 52. 30. Tenemus igitur initium. Finis etiam apud Ieremiam perſpicuè notatur, cap. 25. 12. *Cùmque impleti fuerint ſeptuaginta anni viſitabo ſuper regem Babylonis*, nihil enim clariùs dici potuit. Itaque miror interpretes relicto eo, quod in ſcriptura perſpicuum erat, alios Cyri edictum, alios Iudæorum reditum, alios templi ædificationem, alios neſcio quos alios terminos, de quibus nullam ſcriptura mentionem facit, poſuiſſe, Cùm ergo principium & finem ſeptuaginta annorum in ſcriptura habeamus, videndũ eſt an inter primam captiuitatem & mortẽ Baltaſaris, quæ fuit vera viſitatio ſuper regem Babylonis, vt ſcriptura loquitur, ſeptuaginta ſint anni. Id quoque partim ex ſcri-

ex ſcriptura, partim ex hiſtoriis diſcendum nobis eſt. Scriptura docet primam captiuitatem incidiſſe in annum ſeptimum Nabuchodonoſoris, Ierem.52.28. eadem ſcriptura docet Ioachin, qui in prima captiuitate Babylonem ductus fuerat, trigeſimo ſeptimo captiuitatis ſuæ anno, ab Euilmerodach Nabuchodonoſoris ſucceſſore ſtatim initio regni, eductum ex carcere, 4.Reg.25.27. & Ierem.52.31. regnauit ergo Nabuchodonoſor ſeptem ante primam captiuitatem, annos, & triginta ſeptem poſt. ſunt quadraginta quatuor. Quod non animaduertentes Hebræi quadraginta quinque regnaſſe tradunt. Euilmerodach dicitur, ſi plures ac meliores ſequamur auctores, triginta regnaſſe annos, etſi Hebræi tantùm viginti duos, Ioſephus duodeuiginti illi tribuant. Quos ſi iungas cum triginta ſeptem, quos eius pater Nabuchodonoſor, poſt primam regnauerat captiuitatem, ſexaginta ſeptem efficies. Adde tres quos Baltaſar regnaſſe conſtat, Daniel 8. v.1. plures verò regnaſſe non creditur, quamuis Ioſephus, & in hac & in multis aliis rebus ad reges Babylonis pertinentibus fœdiſſimè deceptus, decem & ſeptem annos, reperies annos ſeptuaginta, Deumq; eodem momento quo ſeptuaginta anni expleti fuerunt, ſuper regem Babylonis, quemadmodum per Ierem. promiſerat viſitaſſe, cùm ergo Daniel ſciret ſeptuaginta iam annos effluxiſſe, non ſine cauſa, maiore ſtudio quàm antè pro populi ſui libertate precatur. Vnus tantùm in hac ſententia ſcrupulus reliquus eſt, quod Deus non ſolum promiſerit ſe ſuper regem Babylonis, ſed etiam Iudæos viſitaturum, Ierem.29.10. *Cùm cœperint impleri ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum iſtum.* Non eſt difficilis reſponſio Deum eodem tempore ratione diuerſa, regem Babylonis & Iudæos viſitaſſe, regem occidendo, Iudæos ab illius occiſi tyrannide liberando, & in Darij & Cyri poteſtatem transferendo. qui ſi non ſtatim, at non ita multò pòſt, libertatem illis daturus. Cùm enim Ieremias duobus illis locis eandem ſententiam reputat, & in vno dicat, *viſitabo ſuper regem Babylonis*, & in altero, *viſitabo vos*, argumentum eſt Deum, regem Babylonis viſitando, Iudæos quoque viſitaſſe, & illius mortem, Iudæorum fuiſſe libertatem; atque eodem modo intelligendum eſt, quod Daniel hoc loco dicit, *vt complerentur deſolationes Ieruſalem.* Non enim ſignificat tempus reſtaurandæ vrbis effluxiſſe, ſed inſtare, cùm ſeptuaginta iam anni circumacti eſſent, Deuſque regem Babylonis viſitaſſet. Nam quemadmodum ſcitè Theodoretus adnotauit, non omnis Iudæis libertas eodem tempore conceſſa eſt, ſed quemadmodum triplex fuit captiuitas, ita triplex liberatio, prima per Cyrum, ſecunda per Darium filium Hiſtaſpis, tertia per Artaxerxem facta eſt.

3. *Et poſui faciem meam ad Dominum.*] id eſt, conuerti me ad precandum Dominum, verti me verſus Ieruſalem, vt ſup. cap.6.20. *Rogare & deprecari.* vt rogarem ac deprecarer. H. לבקש תפילה ותחנונים. ad quærendum orationem & deprecationem, id eſt, vt Deum per preces, & orationes quærerem quaſi procul abeſſet, cumque placarem in ieiuniis, ſacco, & cinere, id eſt, maiore ſtudio quàm ſolebam. Nam etſi quotidie ſolebat ter orare, vt cap. 6. ver. 10. vidimus, non ſemper ad preces, arma ieiunij, ſacci & cineris adhibebat: nam pro cauſa grauiore armatas quodam modo Deo preces offert. Hæc vis, vt Tertullianus ait, Deo grata eſt.

4. *Oraui & confeſſus ſum.*] Duas orationis ſuæ partes exponit, petitionem & confeſſionem. Priùs enim confeſſus eſt, deinde libertatem populo poſtulauit. Confitendi verbum hoc loco duo complectitur, propriorum peccatorum accuſationem,

cuſationem,& diuinæ iuſtitiæ miſericordiæque laudem,vt ex ipſa quæ ſequitur confeſſione patet. *Obſecro Domine.* אנא. obſecrantis aduerbium eſt, vt Latinè amabò. *Deus magne & terribilis.* hoc ad alteram confeſſionis partem ſpectat, qua Deum laudat, laudat autem accommodatè ad id de quo agit,ideoque non omnibus epithetis eum ornat,ſed iis ſolùm quæ pertinent ad cauſam, quale eſt quod eum magnum & terribilem vocat. Solet enim Deus homines punire, vt eius magnitudinem ac potentiam cognoſcant, atque confiteantur, quod ſe in Pharaone feciſſe dicit, Exod. 9. 16. Confitetur ergo Daniel nomine populi, ſe ex ipſis ſuppliciis ſatis eius magnitudinem & potentiam cognoſcere, quare non eſſe quod ampliùs puniat. Simile eſt quod eum cuſtodientem pactum, & miſericordiã appellat, vt alludat ad illam promiſſionem, qua Deus pollicitus fuerat ſe Iudæos poſt annos ſeptuaginta à captiuitate liberaturum, Ierem. 29. 10. omnem enim promiſſionem pactum appellat. quaſi dicat,ſoles tu pacta tua promiſſaque ſeruare, da igitur nobis eam libertatem quam promiſiſti: tempus enim quod præſcripſiſti euolutum eſt. Habet etiam hæc ſimplicitas oratorium artificium, iubent enim rhetores nos eos à quibus aliquid petimus, in ea potiſſimùm re laudare, quam poſtulamus. Quòd autem miſericordiam cum pacto coniungit, perinde eſt, ac ſi dicat, cuſtodiens pactum miſericordiæ tuæ, id eſt, quo non noſtris meritis, ſed tua nos miſericordia liberaturum. promiſiſti,vt explicatur Ezech. 20. 9. & 36. 22. 26. Pactum ergo & miſericordiam pro eodem accipit, vt particula prima ſecundæ ſit exegetica. *Diligentibus te, cuſtodientibus mandata tua.* Adhibet conditionem, quæ in omnibus Dei promiſſis,aut exprimitur, aut intelligitur. Sic enim Deus apud Ieremiam dicit cap. 18. 9. *Subitò loquar de gente,& de regno vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat pœnitentiam meam, pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum vt facerem ei.* Hoc autem Daniel non ideo dicit,vt glorietur ſe ſuumque populum Deum diligere, & mandata eius ſeruare, ſed potiùs vt confiteatur credere ſe, non per Deum ſtare, quominus populum ex ſeruitute liberet, ſed populi peccata promiſſionis, diuinæque miſericordiæ effectum retardare. Quòd Hebraïcè in affixis perſona mutata eſt,nemo mirari debet. Noſter interpres non verba,ſed ſenſum expreſſit.

Hebr. eſt tertia perſona, diligentibus eum & cuſtodienti bus mandata eius.

5. *Peccauimus.*] Hæc eſt altera confeſſionis pars, qua poſtquam Deum laudauit,ſe & populum accuſat,iſta autem verborum idem ſignificantium copia,qua vtitur,ex magno animi affectu, pœnitentiaque proficiſcitur, confeſſionemque meliorem facit, & precibus ad impetrandum, quod petitur,pondus adiungit. Similis oratio apud Baruch cap. 2. 12. *Et receſſimus,* מרדנו. rebellauimus. Quod autem Daniel in tota hac oratione,ſe cum populo coniungit,cùm eximiæ ſanctitatis eſſet,modeſtè facit,& Chriſtianis doctoribus exemplum tradit.

6. *Non obediuimus ſeruis tuis Prophetis.*] Ipſi etiam Prophetæ exceptis paucis grauiter peccauerunt,cauſaque captiuitatis fuerant,Ierem. 6. 13. *A Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.* & cap. 8. 10. *A Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendacium.* & cap. 12. 10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meam.* Sed reuerentia dignitatis non vult Prophetas, ſed populum accuſare, quod & noſtri concionatores facere deberent. Iam enim ſciebat quod poſtea Chriſtus dixit, *Super cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi, quæ dicunt facite. ſecundum autem opera eorum nolite facere.* Populus verò contra faciebat,prauos Prophetarum mores imitabatur, diuinas autem comminationes per eos factas deſpiciebat, Ier. 7. 24. 25. *Et miſi ad eos omnes ſeruos meos Prophetas*

per

per diem conſurgens diluculo & mittens,& non audierunt me,neque inclinauerunt aurem ſuam. Simile Baruch 1. 21.

7. *Tibi Domine iuſtitia.*] Tibi conſtat iuſtitia, nobis peccatorum noſtrorum ignominia,compertum eſt te eſſe iuſtum,nos autem pudendis peccaris coopertos. Similis in eadem cauſa locutio Baruch 1. 15. & 2. 6. hoc verſu vtramque confeſſionis partem complectitur: nam & Deum laudat,& ſe, ac populum accuſat. *Sicut eſt hodie.* כיומהזה. iuxta diem hunc. vſitatus Hebraiſmus, Baruch 1.15. 20. & 2. 6. 11. 26. & Ierem.44.6.22.24. perinde ac ſi Latinè diceret,vt re ipſa conſtat,aut, vt ex præſenti rerum ſtatu perſpicuum eſt. *His qui prope ſunt, & his qui procul.* vniuerſis,qui vbique terrarum diſperſi ſunt.

8. *Domine nobis confuſio faciei.*] hæc etiam repetitio affectum indicat,& pondus orationi adhibet. *Qui peccauerunt.* אשר חטאנו לך. quia peccauimus tibi, vt Theodotio vertit.

9. *Tibi autem Domino Deo noſtro.*]H.לאדני אלהינו.Domino Deo noſtro noſter interpres datiuum לך.tibi,qui in fine ſuperioris verſus erat,inde ſuſtulit, & hîc poſuit: *Miſericordia & propitiatio.* הרחמים והסלחות miſerationes & propitiationes, id eſt, multi miſerandi ac parcendi modi ſunt, totus miſerationem plenus es. *Quia receſſimus à te.* מרדנו. rebellauimus, rebelles tibi fuimus, vt ver. 5.Non debent hæc verba ad proxima referri, ſed ad ea quæ ver. ſuperiore præceſſerunt:reddit enim cauſam cur ipſis ſit confuſio faciei.

10. *Non audiuimus.*] Non obediuimus voci Domini Dei noſtri, id eſt, tuæ, Domine Deus noſter,mutat perſonam Hebræorum more. Audire pro obedire notus etiam eſt Hebraïſmus,1. Reg.2.25.Iſai.1.19.& 28. 12. *Per ſeruos ſuos Prophetas.* per Moyſem Propheram ſeruum ſuum. Syllepſis, quia quod vni tantùm conuenit, de pluribus dicitur. Sicut dicuntur diſcipuli murmuraſſe effuſo vnguento,Matth.26.8.cùm ſolus Iudas murmurauit,Ioan. 12. 4. & ſicut dicuntur latrones Chriſtum blaſphemaſſe, Matth. 27. 44. cùm alter tantùm blaſphemauerit, Lucæ 23. 39. aut dicit legem per Prophetas datam, quia per eos populo proponebatur, atque explicabatur, & cùm proponitur & exponitur, quodammodo datur. hoc phraſis Hebraïca ſignificat אשר נתן לפנינו. quam poſuit ante faciem noſtram. ponere enim ante faciem, Hebræis eſt dilucidiſſimè exponere, & explanare: Latinis ponere ante oculos, aut ſub conſpectum. *Audire pro obedire.*

11. *Declinauerunt ne audirent.*] id eſt, noluerunt audire, auerterunt aures ne audirent, noluerunt intelligere ne bene agerent. *Et ſtillauit ſuper nos maledictio.* תתך. effuſa eſt. Alludit ad comminationes & execrationes, quæ legi Moyſis contra tranſgreſſores adiunctæ ſunt,Leui.26.16.& Deu.27.14.quemadmodum Baruch 2. 2.

12. *Et ſtatuit ſermones ſuos.*] ויקם דברו. & ſuſcitauit ſermones ſuos,id eſt, fecit vt eueniret,quod minatus fuerat, frequens Hebraïſmus. *ſuper nos.* עלינו contra nos,& contra iudices noſtros qui nos iudicauerunt. quaſi dicat, contra omnes maximos & minimos. Iudices vocat reges, alluditque ad mortem Sedeciæ, & captiuitatem Iechoniæ,vt Baruch 2. 2. & ad comminationes per Ieremiam factas,cap.42.18.& 44.12.

13. *Sicut ſcriptum eſt*] Leuit.26.& Deut.27.& 28.vbi legem ſeruantium benedictiones,non ſeruantium maledictiones,pœnęque ponuntur. *Neque rogauimus.* ולא חלינו את פני יהוה אלהינו. & non ſumus deprecati faciem Domini Dei noſtri, id eſt, non ſumus confeſſi peccata noſtra, & ad Deum quemadmodum

oportebat conuerſi, aut non placauimus iram Dei: vtrumque enim Hebraïca phraſis ſignificare poteſt, non præoccupauimus faciem eius in confeſſione, vt Dauid iuſſit Pſal. 94. 2. *Vt reuerteremur.* vno verbo agentes pœnitentiam, duas enim pœnitentiæ & conuerſionis partes complectitur, declinare à malo, & facere bonum. Pſal. 39 27. *Et cogitaremus veritatem tuam.* vt ſtuderemus iuſtitiæ tuæ, id eſt, præceptis tuis. Iuſtitia dicitur veritas, vt *Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas.* Pſal. 24. 10. &, *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi.* Pſ. 84. 16. Præcepta autem Dei dicuntur iuſtitia, & quia iuſta ſunt, & quia obſeruantes iuſtos faciunt, vt Pſal. 18. 9. *Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.*

14. *Et vigilauit Dominus ſuper malitiam.*] Elegans hîc inter Deum & Iudæos latet antitheſis, opponit enim Iudæis in ſuis peccatis dormientibus, Deum ad infligendam pœnam vigilantem. Significauerat paulò antè Iudæos adeo in ſuis peccatis obdormiuiſſe, vt ne de præceptis quidem Dei cogitarent. Dicit nunc Deum non dormiſſe, ſed vigilaſſe, id eſt, acceleraſſe pœnas, quas illis minatus fuerat, neque fuiſſe oblitum comminationis ſuæ. hoc enim ſignificat vigilare ſuper malitiam, neque malitia רעה. ſignificat culpam, vt noſtri quidem auctores, ſed pœnam, vt Hebræi interpretantur, vt Ierem. 1. 11. 12. *Quid tu vides? virgam vigilantem ego video, & dixit Dominus ad me, bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.* & cap. 13. 28. *Sicut vigilaui ſuper eos vt euellerem, & demolirer, & diſſiparem, & diſperderem, & affligerem: ſic vigilabo vt ædificem & plantem.* & cap. 44. 27. *Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum & non in bonũ.* & Thr. 1. 14. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum*, id eſt, citò venit captiuitas, quam iniquitatibus commerui. Quod nunc dicit, *Vigilauit Dominus*, dixerat v. 12. *Statuit ſermones ſuos.*

15. *Et nunc Domine.*] Hæc eſt tertia pars orationis, qua populo libertatem petit, quam vt faciliùs impetret, non propter eius merita, quem iterum peccaſſe confitetur, ſed propter miſericordiam Dei poſtulat, & ne immortale eius nomen vnà cum populo Iudaïco extingui videatur. Huc ſpectat quod dicit, *Qui eduxiſti populum tuum de terra Ægypti.* Commemorat enim antiquum beneficium, vt nouum eliciat. Quod ſæpe Iudæi cùm in ſimili calamitate verſabantur, facere ſolebant; vt Dauid Pſalm. 79. 9. poſtquam dixerat, *Excita potentiam tuam & veni, & ſaluos facias nos:* addit, *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes & plantaſti eam.* & Ierem. 32. 20. *Qui poſuiſti ſigna & portenta in terra Ægypti, vſque ad diem hanc, & feciſti tibi nomen ſicut eſt dies hæc.* & Baruch 2. 11. *Et nunc Domine Deus Iſraël, qui eduxiſti populum tuum de terra Ægypti in manu valida, & in ſignis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, & in brachio excelſo, & feciſti tibi nomen, ſicut eſt dies hæc. Peccauimus, impiè egimus.* Hac ratione Deum monebant, vt in ſimili cauſa ſimili vteretur erga ſe beneficio. Deinde tacitè fœderis admonebant: nam cùm Deus Iudæos eduxit ab Ægypto, non ſolùm hoc in illos contulit beneficium, vt de duriſſima eos ſeruitute liberaret, ſed fœdus cum illis iniit, vt eſſet illis in Deum, & ipſi ei in populum Deut. 7. 6. & 14. 2. 21. Itaque Deum ad ſeruandum fœdus ſuum talibus commemorationibus inuitabãt. Alia etiam propria de cauſa videtur Daniel hoc beneficium memorare. Promiſerat Deus ſe Iudæos ex Babylonica captiuitate tam mirabiliter liberaturum, vt non vltrà diceretur, *Viuit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti: ſed viuit Dominus qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſraël de terra Aquilonis.* Iere. 16. 14. & 23. 7. Promiſerat etiam per Iſaiam cap. 40. 4. & cap. 44. 16. ſimilia ſe prodigia in Chaldæa facturum iis, quæ olim in Ægypto feciſſet. *Et feciſti tibi nomen*

ſecundum

Digitized by Google

ſecundum diem hanc, id eſt, immortale, quale hodierno die habes, aut, quod hactenus apud omnes gentes glorioſum, & inclytum fuit, vt Ieremiæ 32. 20 & Baruch. 2. 11. Orat Deum vt ſaltem ad conſeruandam nominis ſui immortalitatem eum populum liberet, quo ſaluo, eius nomen perire non poterat, vt Dauid Pſalm. 113. 9. *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, propter veritatem tuam & miſericordiam tuam, nequando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum?* Hac enim de cauſa Deum ſe eos liberaturum dixerat Ezechiel 20. 44. *Et ſcietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non ſecundum vias veſtras malas, nec ſecundum ſcelera veſtra peſſima.* & cap. 36. 22. *Non propter vos ego faciam domus Iſraël, ſed propter nomen ſanctum meum quod polluiſtis inter gentes, ad quas intraſtis.*

16. *Domine in omnẽ iuſtitiã tuã*] Videtur noſter interpres legiſſe בכל־צדקותך. quemadmodum & Theodotion: Hebræi legunt בכל צדקתיך. ſecundum omnes iuſtitias tuas. Latinè diceremus, pro multiplici tua iuſtitia, non pro meritis noſtris exaudi orationem ſerui tui, vt dicit v. ſeq. inde enim hæc oratio pendet: nec aſſentior iis qui ſuſpenſam eſſe putant. Iuſtitiam autem hoc loco non vocat eam, qua Deus pro ſuis quemque meritis tractat, non enim Daniel populi merita, ſed ſcelera commemorat. Sed aut nomen iuſtitiæ pro miſericordia & benignitate ponitur, vt cùm Dauid dicit, *Exaudi me in tua iuſtitia*, Pſalm. 142. 1. quo etiam ſenſu Theodotion vertit, ἐν πάσῃ ἐλεημοσύνῃ σου. *in omni miſericordia tua.* aut iuſtitiam dicit, qua Deus iuſtus appellatur, dum facit, quod ſibi ipſe debet, id eſt, dum præſtat quod promiſit, quamuis homines minimè mereantur, vt Baruch cap. 5. 9. de eadem re agens: *Adducet enim Deus Iſraël cum iucunditate in lumine maieſtatis ſuæ, cum miſericordia & iuſtitia quæ eſt ex ipſo.*

17. *Oſtende faciem tuam.*] האר פניך. illumina, illuſtra faciem tuam, id eſt, benigno ac pacato vultu reſpice templum tuum. Nam quos odimus, obſcuro & obducto, quos amamus, ſereno & hilari intuemur vultu, vt Pſalm. 66. 2. *Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.* & Pſalm. 118. 135. *Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum.* Perſuadet Deo propoſita propria vtilitate.

18. *Deſolationem noſtram.*] שממתינו. deſolationes noſtras, id eſt, domos noſtras dirutas, atque vaſtatas. *Et ciuitatem ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum.* In qua erat templum, vbi nomen tuum inuocabatur, aut quæ de nomine tuo vocatur, ciuitas Dei, vt Ierem. 7. 11. 14. 30. & 25. 29. & 32. 34. & 34. 15. *Nec enim in iuſtificationibus noſtris.* nec enim meritis noſtris, ſed miſerationibus tuis confiſi. *Proſternimus preces noſtras*, ſupplices tibi preces offerimus, aut precabundi nos ante conſpectum tuum proiicimus. Hebraïſmus, vt Ierem. cap. 38. ver. 26. & cap. 42. ver. 9. & infrà ver. 20.

19. *Exaudi. placare.*] Copia orantis, erumpens affectu. *Ne moreris.* Ne proroges tempus captiuitatis noſtræ, quamuis id peccata noſtra mereantur. Indicat ſeptuaginta captiuitatis annos iam fuiſſe tranſactos, Deúmque quodammodo morari.

21. *Vir Gabriel.*] Angelus, quem quia & hîc & cap. præcedenti ver. 15. & 16. ſpecie viri viderat, virum vocat. *Quem videram in viſione à principio*, id eſt, in prima viſione, qua quatuor beſtias vidi, quas ille mihi expoſuit cap. 7. 15. 16. illic non dixerat quis ille fuerit, ſed hîc indicat fuiſſe Gabrielé, vt Hebræorum interpretes adnotarunt. *Citò volans.* מעף ביעף. volans volatu, id eſt, celeriter,

quem virum vocauit, nunc volauiſſe dicit: quare indicat illum in humana forma alas habuiſſe, quemadmodum ſolet Eccleſia angelos pingere, & Salomon in templo pinxit Cherubinos, Exód. 25. hac celeritate, tantam efficacitatem preces ſignificat habuiſſe, vt angelum volaſſe coëgerint. Quod ipſum indicauit initio huius verſus, & ver. 20. cùm dixit ſe adhuc loquente angelum veniſſe. *Tetigit me*, vt me ad attentionem excitaret. *In tempore ſacrificij veſpertini.* ſub veſpertinum offerri ſacrificium, cùm adhuc templum ſtaret. Punctim notauit tempus, quia de temporibus agebat, quod & nobis ad intelligendum quæ ſequuntur, diligenter notandum eſt.

22. *Vt docerem te & intelligeres.*] לה שכילך בינה. vt docerem te intelligentiam, id eſt, myſterium quod nemo intelligit, ſecretum Dei conſilium, exponit angelus cauſam legationis ſuæ, ſimúlque Danielem ad audiendas, percipiendaſque res maximas attentum, & docilem reddit.

23. *Egreſſus eſt ſermo.*] Decreta eſt à Deo legatio, vt docerere, vt Hieronymus & Theodoretus interpretantur, vt declarat cùm dicit, ego autem veni, idem enim eſt, veni, & egreſſus eſt ſermo: ſermo enim per angelum egreſſus eſt, & ad Danielem perlatus. Significat autem eius preces, ſimul atque orare cœpit, exauditas à Deo fuiſſe. *Quia vir deſideriorum tu es.* Quia Deo charus, vel actiuè, quia magno deſiderio, ac ſtudio ſalutis populi teneris, nam vterque ſenſus aptè conuenit, & vtrumque Hebraïca phraſis ſignificare poteſt, quidquid nonnulli dicant? vtroque enim ſenſu cauſa redditur, cur Danielis preces auditæ fuerint. *Tu autem animaduerte.* Iterum eius attentionem excitat.

CAPVT X.

ANNO tertio Cyri regis Perſarum, verbum reuelatum eſt Danieli cognomento Baltaſſar, & verbum verum, & fortitudo magna: intellexitque ſermonem, intelligentia enim opus eſt in viſione. 2 In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, 3 panem deſiderabilem non comedi, & caro &
vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum: donec complerentur
trium hebdomadarum dies. 4 Die autem vigeſima & quarta menſis primi eram
iuxta fluuium magnum, qui eſt Tigris. 5 Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir
vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo: 6 Et corpus eius quaſi chry-
ſolithus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia
eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis: & vox ſermonum
eius, vt vox multitudinis. 7 Vidi autem ego Daniel ſolus viſiónem: porrò viri qui
erant mecum non viderunt, ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſcondi-
tum. 8 Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc: & non remanſit in
me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui nec habui quidquam
virium. 9 Et audiui vocem ſermonum eius: & audiens iacebam conſternatus ſuper
faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. 10 Et ecce manus tetigit me, & erexit
me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum mearum. 11 Et dixit ad me, Da-
niel vir deſideriorum intellige verba quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim
ſum miſſus ad te. Cúmque dixiſſet mihi ſermonem iſtum, ſteti tremens. 12 Et ait
ad me: Noli metuere Daniel: quia ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligen-
dum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui: exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter
ſermones tuos. 13 Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus,

& ecce

& ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum & ego remanſi
ibi iuxta regem Perſarum. 14 *Veni autem vt docerem te quæ ventura ſunt populo*
tuo in nouiſſimis diebus: quoniam adhuc viſio in dies. 15 *Cúmque loqueretur mihi*
huiuſcemodi verbis, deieci vultum meum ad terram, & tacui. 16 *Et ecce quaſi ſi-*
militudo filij hominis tetigit labia mea, & aperiens os meum locutus ſum, & dixi ad
eum qui ſtabat contra me: Domine mi in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, &
nihil in me remanſit virium. 17 *Et quomodo poterit ſeruus Domini mei loqui cum*
Domino meo? nihil in me remanſit virium, ſed & halitus meus intercluditur. 18 *Rur-*
ſum ergo tetigit me quaſi viſio hominis: & confortauit me. 19 *Et dixit: Noli timere*
vir deſideriorum, pax tibi: confortare, & eſto robuſtus: cúmque loqueretur mecum con-
ualui, & dixi: Loquere Domine mi, quia confortaſti me. 20 *Et ait: Numquid*
ſcis quare venerim ad te? & nunc reuertar vt prælier aduerſum principem Perſarum:
cùm ergo egrederer apparuit princeps Græcorum veniens. 21 *Verumtamen annun-*
tiabo tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis: & nemo eſt adiutor meus in omnibus
his, niſi Michaël princeps veſter.

HOc caput duorum quæ ſequuntur capitum præfatio eſt: nihil enim aliud Propheta facit, quàm viſionem proponere, quam illi cap. 11. & 12. angelus exponit.

1. *Anno tertio.*] Fuerunt, vt Theodoretus ait, qui errore annum tertium pro primo poſitum eſſe dicerent, quod cap. 1. ver. 21. Propheta dixerit, *Fuit autem Daniel vſque ad annum primum Cyri regis*, dictũ audacter, ſed ipſa quoque Theodoreti reſponſio leuis eſt, quod cap. 1. non ſit dictum, *Fuit autem Daniel vſque ad annum primum*, ſed, *vſque ad annum vnum*. עד שנת אחת. Cyri regis, quod ſi Hebraïcis hæreamus verbis, verum eſt: ſed quis ignorat annum vnum & annum primum idem apud Hebræos eſſe; facilius alij, non dixiſſe, fuiſſe tantùm vſque ad annum primum; ſed vſque ad annum primum. Cur autem de primo tantùm anno mentionem fecerit, illic expoſuimus. vt alluderet ad Iſaiæ vaticinia, quibus cap. 44. ver. 28. & cap. 45. ver. 1. prædixerat Cyrum populi liberatorem fore, itaque ſignificauit tantùm ſe tempus illud vidiſſe, de quo antè Iſaias vaticinatus fuerat. Quod autem quidam Hebræorum dicunt illud de Cyro maiore, hoc de minore intelligi debere, puerilis error eſt; vnum enim non plures in Perſarum hiſtoriis, Cyrum legimus. Illud etiam mihi veroſimile videtur Danielem illic annum primum vocaſſe quo Cyrus ſolus in Medorum, ac Perſarum monarchia regnare cœpit, hîc eundem illum annum tertium apellare, quo partim ſolus, partim cum Dario regnauerit, cum Dario enim duos regnaſſe annos multi auctores ſunt. Sed quia huius interpretationis nullum auctorem habeo, quamuis nec abſurdam, & facilem eſſe video, nolo primus eſſe. Sunt qui putent propterea tertio anno. poſtquam Cyrus ſolus imperare cœperat, Danielem ieiunaſſe atque luxiſſe, quia templi & vrbis reſtauratio Cyri edicto, anno regni eius primo conceſſa, impedita fuerat. Hoc etiam probabile. Nam anno primo Cyri, Iudæi in patriam redierunt, Eſdræ 1. 1. anno ſecundo poſt reditum, templum cœperunt ædificare, c. 3. 8. ſtatim vicini populi impediuerunt, 1. 4. 4. Dubitabit aliquis cur Daniel cum cæteris in patriam non reuertiſſet. Rectè Theodoretus putat id diuina præſertim prouidentia factum fuiſſe, vt eos qui remanſerant conſolaretur, partim quod à Cyro cui charus, erat, retentus fuerit, vt Nehemias Eſdræ 2. *Verbum reuelatum eſt Danieli* Verbum vocat rem viſam, quam ſtatim viſionẽ appellat. *Cognomento Baltaſſar.* c. 1. 7.

Digitized by Google

expreſſit autem nomen & cognomen ſuum, vt cùm ab aliis Daniel, ab aliis Baltaſſar vocaretur, ab omnibus intelligeretur. *Et verbum verum.* Non fuit inane vaticinium, qualia pſeudoprophetarum eſſe ſolent. Aut, vt ego interpretor, verbum verum opponit ſomniis. Nam hactenus omnia quæ viderat, per ſomnium viderat, itaque non verè videbat, ſed videre videbatur, cap. 7. 1. & 8. 1. nunc autem indicat ſe verè ac vigilantem vidiſſe, vt indicat ver. 7. vbi dicit, ſe ſolum vidiſſe, eos autem qui cum eo erant non vidiſſe. *Et fortitudo magna.* וצבא גדול. R. Saadias interpretatur, & exercitus magnus angelorum, ſub. apparuit mihi. Alij quidem Hebræi, vt ille refert, interpretati ſunt. ורצון גדול לו. *& voluptas magna illi*, id eſt, vidi rem quæ me magnopere delectauit. Vtraque interpretatio caret iudicio, niſi ego ipſe careo. Nam etſi nomen צבא. & exercitum & voluptatem ſignificat, tamẽ neque Daniel, exercitum angelorum vidit, ſed vnum tantum angelum, v. 5. nec viſo delectatus eſt, ſed exterritus v. 8. Alij tempus exponunt, quia id etiam nomen ſignificat putantque hunc eſſe ſenſum, verbum verò eſt, quamuis non niſi longo poſt tempore ſit euenturũ, vt coniunctio ו. &, pro particula aduerſatiua ponatur. Hoc mihi quamquam omnibus ferè recentioribus interpretibus valde placuit auctorem ſecutis R. Dauid, violentum videtur. Nam nec Daniel tunc ſciebat, an tempus longum eſſet, antequam illi ab angelo diceretur, ver. 14. Quoniam adhuc viſio in dies, & hoc loco non narrat niſi quæ vidit, non quæ angelus expoſuit. Et mihi hi auctores non videntur Hebraïcorum verborum ſeriem, coniunctionémque animaduertere. Nam צבא. eſt in regimine, vt vocant genitiui, ſicut אמת. vt ſi dicat veritas & robur magnum eſt verbi. Senſus ergo eſt viſum fuiſſe verum, & forte, id eſt, vehemens, terribile, tremendum, vt v. 7. & 8. declarat. Quo ſenſu noſter interpres, & Theodotion tranſtulerunt, Nam exercitum צבא. à fortitudine dictum puto, ſicut & חיל. *Intellexitque ſermonem.* Rem viſam interprete angelo c. 11. v. 2. *Intelligentia enim eſt opus in viſione.* Non loquitur generaliter de omni viſione; ſed propriè de hac, quaſi dicat, adeo inuoluta erat viſio, vt intelligere niſi angelo interpretante, non potuiſſem. H. ובינה לו במראה. & intelligentia illi (verbo) in viſione, id eſt, eius interpretatio in ipſa mihi viſione ab angelo tradita eſt.

2. *Lugebam.*] ſtatim lectorem ſubit dubitatio, quæ huius tanti luctus cauſa Danieli fuerit, populo iam in patriam, libertatémque reſtituto? Hieronymus hac ipſa de cauſa Danielem luxiſſe, & ieiunaſſe putat, quod iam populus libertate donatus eſſet, non quod datam libertatem doleret, quam tam anxiis ipſe à Deo precibus petiuiſſet: ſed ea conceſſa, liberiùs quàm antè orare, ieiunare, lugere potuerit. Theodoretus & auctor eius hiſtoriæ, quæ ſcholaſtica vocatur, ideo luxiſſe dicunt, quod multi Iudæi ſeruitutem libertati præferentes, maluerint in Chaldæa manere, quàm in patriam redire. Melius, mea ſententia, coniiciunt qui propterea luxiſſe putant, quòd templi inſtauratio, à vicinis gentibus impedita fuiſſet, neque poſſet aliud à rege edictum ad continuandum opus impetrare, quia Cyrus ad bellum Scyticum profectus erat, & Cambyſes eius filius qui regni adminiſtrationem gerebat, Iudæos non amabat.

3. *Panem deſiderabilem.*] לחם חמדות panem deſideriorum, ad verbum, id eſt, delicatum, regium, candidum, ſed cibarium. *Caro & vinum.* Colligunt ex hoc loco Hæretici Danielem ſolitum fuiſſe aliàs carne & vino vti: ſit ſanè, ſed nos etiam colligimus illum cùm ieiunabat; ciborum delectum adhibuiſſe. quod cum nos eodem ſenſu, eadémque de cauſa facimus, non ſumus magis, quàm

quàm ille reprehendendi. Qui dicunt nomine carnis hoc loco omne genus carnis, & quidquid carni ſimile eſt, vt piſces & oua, intelligendum eſſe, probabiliter loquuntur. Nam & veteres Chriſtianos, cùm paulo ſeueriùs ſolito ieiunabant, ab iis etiam rebus abſtinuiſſe legimus; ſoliſque rebus aridis vſos fuiſſe vt Clemens, Tertullianus, Epiphanius, multique alij auctores ſunt. Qui autem carnem hîc omne genus obſonij vocari putant, vt nouus hæreſiarcha, errant vehementer. Nam præter quam quod proprio nomine vocare poterat, non minùs vinum pro omni potu, quàm caro pro omni obſonio poneretur. *Sed neque vnguento vnctus ſum.* Solebant ieiunantes ab omni deliciarum genere temperare, in quibus vnguenta & balnea erant Orientalibus populis viſitata. Propterea monet Iudæos Chriſtus, vt eum ieiunant caput ſuum vngant, ne hominibus ieiunare videantur, Matt.6. 16. Vetus etiam Eccleſiæ diſciplina fuit, vt à balneo pœnitentes abſtinerent, auctor Pacianus.

4. *Die autem vigeſima quarta.*] Poſtridie trium hebdomadum. Quo etiam die credibile eſt Danielem ieiunaſſe; ſed non numerauit in tribus hebdomadibus, quia eo die, quod ieiunio quærebat, conſecutus eſt. *Menſis primi.* Incertum eſt, vt ait Aben Eſra, vtrum menſem primum totius anni qui apud Hebræos Niſſan appellatur, an menſem primum anni tertij regni Cyri dicat. Ego quia abſolutè & ſine adiectione Propheta loquitur, potiùs primum anni menſem ſignificari credo. Is autem Martio noſtro reſpondet, Exod. 12. 2. quo menſe die quarta decima Paſcha celebrabatur, & in diem vigeſimam primam deſinebat. Itaque quo tempore alij Iudæi magna lætitia Ieroſolymis paſcha celebrabant, Daniel in Perſide lugebat. Non enim licebat extra Ieruſalem Paſcha agere, Deut.16.2. & Ioan.4.45. *Eram iuxta fluuium.* aut re ipſa, quod mihi probabilius videtur, aut vt alij volût, videbar mihi eſſe iuxta Tigrim, qui verſus occidentem ſolem, Perſidis, Mediæque regnum terminabat.

5. *Ecce vir vnus.*] Angelus vnus, quem quia ſpecie viri viderat, virum vocat, vt cap.9.11.& cap.8.15.16. *veſtitus lineis* Candida veſte, qui angelorum habitus eſſe ſolet, vt cœleſtem gloriam ſplendoremque præ ſe ferant, Matth.28.3.& Luc.24.4. *Accinctis auro.* Zona aurea.

6. *Et corpus eius quaſi Chr.*] Chryſolithus. תרשיש ſicut Tharſis noſter interpres & Aquila Chryſolithum ſolet vertere, Theodotio & Symmachus nomen ipſum, quaſi proprium reliquerunt. Septuag. verterunt, θάλασσαν, mare. Multæ etiam de ea re Hebræorum opiniones, quas Exod.28.& 39.13.& Ezec.1.16.& 10.9. recitauimus. Ego vt illic dixi cùm R. Salomon cryſtallum ſignificari arbitror, hocque ipſum interpretem intellexiſſe per Chryſolithum, quoniam ille Chryſolithus melior eſt qui in collatione aurum albicare quadam argenti faciem cogit, vt Plinius docet lib.37.cap.9. cryſtallus autem quæ cœleſti albicantique colore eſt. Eſt enim vero ſimile colorem angeli, ac veſtis ſimilem fuiſſe. Illud certum Prophetam hac deſcriptione ſignificare voluiſſe, illum, quem viderat, quamuis figura homo eſſe videretur, tamen & vultu, & colore, & voce aliquid ſupra hominem præ ſe tuliſſe. *Et quæ deorſum.* Tibiæ aut pedes, vt Abraham interpretatur. *vt vox multitudinis.* Magna, & confuſa, quale ſolet eſſe multitudinis & aquarum murmur, cui vox Dei, & angelorum comparati ſolet, Ezech.c.1.24.& c.43.2.& Apoc.1.15.& 14.2. & 19.1.

7. *Vidi autem ego Daniel.*] Hinc perſpicuum eſt quod ver.1. diximus, Danielem hoc viſum non dormientem, ſed vigilantem percepiſſe. Quod autem ille ſolus vidit, qui verò cum illo erant non viderunt, ſed aut ſplendore, aut ſonitu loquentis

Digitized by Google

quentis exterriti ſunt, voluit Deus ita eius rei plures eſſe teſtes, vt ſolus tamen Propheta, qui dignus erat, reuelationem acciperet. Simile quiddam in vocatione Pauli accidiſſe legimus, Act. 9. 7. & 22. 9.

8. *Et non remanſit in me.*] Quod ſe exanimatum fuiſſe dicit, ad faciendam fidem pertinet: perinde enim eſt, ac ſi diceret, adeo veram fuiſſe viſionem, vt conſternatus metu fuerit.

9. *Iacebam conſternatus.*] הייתי נרדם על פני. fui ſoporatus ſuper faciem meam, ad verbum, id eſt, cecidi ſemimortuus, & exanimatus in faciem.

10. *Et ecce manus.*] Eiuſdem angeli tetigit me, & erexit me ſuper genua mea, ſignificat etiam erigente angelo, non potuiſſe penitus ſurgere, ſed in genua, & manus incubuiſſe. H. הניעני. moueri fecit me, id eſt, erigi, Nam quod quidem interpretantur reptari fecit me mihi non placet.

11. *Vir deſideriorum.*] vt c. præcedenti ver. 23. vtitur eadem appellatione, & vt ſe aut eundem angelum, aut certè angelum eſſe oſtendat, & vt pauidum Danielem & exanimem honorifico recreet cognomento. *ſta in gradu tuo.* in pedes tuos, poſito timore, vt ſtare ſolebas antè. *ſteti tremens.* erectus quidem ſum in pedes eius voce aliquantulum recreatus, ſed adhuc tremebam metu.

12. *Noli metuere.*] Nulla tibi metuendi cauſa eſt, cum tam bonum ad te nuntium feram, ex primo enim die quo animum ad intelligendum & ieiunandum applicaſti, preces tuæ auditæ ſunt, & ego ad te miſſus ſum nuntius. Quod dicit, poſuiſti cor tuum ad intelligendum Hebraïſmus eſt. Latini dicunt animum adiicere, animum adiungere, animum applicare, & Terentius appellere. Indicat autem angelus his verbis Danielem ad impetrandam alicuius rei intelligentiam precibus, ieiunioque vſum fuiſſe, quam autem rem intelligere voluerit, non declarat: ſunt qui putent anxium fuiſſe, vt viſionem, quam octauo capite habuerat, intelligeret, quibus nequaquam aſſentior, illius enim viſionis intelligentiam ab angelo iam acceperat. Probabilius id ipſum Danielem intelligere voluiſſe, quod illi angelus explicat cap. ſequenti. Ea enim de cauſa miſſus eſt, vt eius votis precibuſque ſatisfaceret. Cum audiſſet templi reſtaurationem impeditam eſſe, ſolicitus cogitare cœpit, quid tandem Iudæis futurum eſſet, quod illi capite ſequenti angelus exponit. *Propter ſermones tuos.* propter preces tuas, ſicut paulò antè preces verba vocauit.

13. *Princeps autem regni Perſarum.*] Excuſat angelus tarditatem ſuam, quod prima die menſis ad Danielem miſſus, vigeſima quarta veniret. Iactatur hic locus in Theologorum ſcholis: qui cùm multa minimè fortaſſe neceſſaria quærant, illud tamen, quod totius diſputationis caput erat, & in quo huius loci conſiſtebat intelligentia, ſilentio prætererunt, Quis hic regni Perſarum princeps appelletur. Hebræi enim angelum quidem vllum, aut bonum, aut malum principem vocari non putant: Sed aut ipſum Perſarum regem, vt R. Saadias, aut principes qui apud illum erant, cum quibus templi reſtaurationem impedientibus angelus pugnauerit. Hanc hodie interpretationem Hæreticorum magiſtri ſequuntur, vt Hebræi eſſe videantur. Melius auctores Eccleſiaſtici, niſi fallor, omnes angelum prouinciæ Perſarum cuſtodem interpertantur, vt Theodoretus Gregorius lib. 17. Moral. c. 7. & Hieronymus in commentariis, nec enim Hieronymus & Gregorius de ea re diſſentiunt, vt D. Thomas exiſtimauit, Argumenta: quod ſtatim dicat, *Ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*, vbi cùm Michaëlem archangelum vnum de principibus appellet, indicat ſe aliquem alium angelum, principem regni Perſarum appellaſſe.

Eodem

Digitized by Google

Eodem modo ver. 21. *Nemo* (inquit) *adiutor meus eſt in omnibus his niſi Michaël princeps veſter.* Vbi vidémus principem Iudæorum, principi Perſarum opponi, principémque Iudæorum angelum appellari, Illud etiam, quod non ſatis appareat, quomodo rex Perſarum angelo reſiſtere potuerit. Reliquum eſt, vt exponamus quomodo angelus angelo bonuſque bono reſtiterit, aut qua ratione ipſi inter ſe angeli pugnare ſoleant. Veteres illi auctores, quos nominaui, contrariis votis pugnaſſe dicunt: dum pro perſona, aut prouincia à Deo ſibi commiſſa curam quiſque gerit. At ſi hoc tantùm modo pugnant, quid opus fuit hunc angelum, tam diu apud regem Perſarum commorari? poterat enim eadem vbique vota, eandémque curam habere. Veroſimile igitur eſt, hos duos angelorum principes, apud regem Perſarum inter ſe pugnaſſe, dum contraria illi pro ſua quiſque prouincia perſuadere nitebantur. Ideóque angelum ad Danielem miſſum tres ibi hebdomadas ſubſtitiſſe, quod ibi rem ageret, quam à Deo Daniel precibus ieiuniiſque poſtulabat. Itaque cùm ſuam tarditatem excuſat, indicat ſe eius ipſius cauſa moratum fuiſſe. Qua de re hi duo principes pugnarint, neque hoc loco ſignificatur, neque debemus plus velle ſapere quàm oportet. Sed licet coniecturarum veſtigia ſequentes exiſtimare de ea re ipſa pugnaſſe, pro qua Daniel Deo ſupplicabat. Diximus autem ſimile vero eſſe Danielem pro templi, vrbíſque raſtauratione, quam interruptam audierat ſupplicaſſe, pro ea igitur angeli pugnabant, dum alter vt perficiatur, alter vt impediatur regi ſuader. Quid ergo an angelus bonus templi reſtaurationem impedire vellet? Non quidem ipſam reſtaurationem templi, ſed vt Theodoretus ait Iudæorum libertatem impediebat, quod nondum eos pro meritis ſatis pœnarum luiſſe exiſtimaret. *Viginti & vno diebus.* à primo die menſis, toto tempore, quo Daniel ieiunauit, ver. 2. Diſcimus Deum aliquando noſtra de cauſa, dum res noſtras occultè agit, noſtras morari preces. *Et ecce Michaël.* Michaëlem ver. 21. Iudæorum principem vocat. Itaque auctore Daniele creditum eſt eum Iudæorum Eccleſiæ præfuiſſe, cúmq; eadem nunc apud nos Eccleſia ſit, non temerè creditur noſtræ quoq; Eccleſiæ præſidem eſſe. Venit ergo Michaël in auxilium, vt pluribus rationibus, maioréque vi regis Perſarum animum expugnarent. Poterat hoc idem Deus & per vnum, & per nullum, ſi vellet, angelum facere: ſed decet eius maieſtatem pluribus vti miniſtris: & non dubiũ quin plus multi angeli quàm vnus poſſint. *Et ego remanſi* ו, (&) hoc loco cauſalis eſt, quaſi dicat, propterea ego remanſi, reddit autem cauſam non proximorum, ſed ſuperiorum verborum. Non enim eſt ſenſus, quia ille venit in auxilium meum, ego remanſi. Nam propterea debebat citiùs venire, ſed quia princeps regni Perſarũ reſtitit mihi; ego tandiu remanſi, ac necdũ me expediuiſſem, niſi Michaël princeps veſter opem mihi tuliſſet. Regem autem Perſarum Hieronymus, & plerique Latini angelum vocari putant, qui paulò antè princeps regni Perſarum dictus eſt. Eodémque modo Aben Eſra interpretatur, quam interpretationem illud iuuat, quod Hebraicè. מלכי. reges plurali numero legatur. Non enim plures tunc Perſarum reges, ſed plures angeli erant.

14. *In nouiſſimis diebus.*] Poſt aduentum Chriſti quando nouiſſima hora erit, 1. Ioan. 2. 18 *Quoniam adhuc viſio in dies,* id eſt. viſio quam habuiſti, in longum tempus extenditur. Ineptè Hæreticus quidam interpretatur. adhuc erunt Prophetæ vſque ad Chriſti aduentum, & alius quidam, adhuc viſiones erunt de iis quæ nouiſſimis diebus futura ſunt. At quis non videt de viſione Danielis agi, redditque cauſam cur angelus dixerit, veni vt docerem te quæ ventura ſunt

populo tuo nouiſſimis diebus? Populum autem Danielis vocat, quod ſtudioſiſſimus eſſet eius, vt cap. 9. ver. 24. propterea enim vir deſideriorum dictus eſt, ſuprà ver. 11. & cap. 9. ver. 23.

15. *Deieci vultum.*] prius in terram præ metu toto corpore procidetat, ver. 9. nunc quia iam ab angelo erectus fuerat, metúque liberatus, reuerentia oculos demittit. *Et tacui.* ונאלמתי, & obmutui; ſignificat enim ſe loqui non potuiſſe, donec angelus labia eius tetigit, vt ſeq. ver. dicit.

16. *Quaſi ſimilitudo filij hominis.*] בני אדם. filiorum hominis, id eſt, quidam ſimilis hominibus: credibile eſt eundem angelum fuiſſe quem viderat, quíque cum ipſo loquebatur, dicit enim illi ſtatim, *Domine mi in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ.* & ver. 9. *Loquere Domine, quia confortaſti me.* Quotieſcumque autem ab eo tangitur, vocat eum quaſi ſimilitudinem hominis, vt hîc & ver. 18. quia ex tactu qui certior eſt ſenſus, cognouit exploratè ac diſtinctè eum, quem hominis forma videbat, hominem non eſſe. *Tetigit labia mea.* non quod in ipſo tactu vanæ imaginis, vlla vis eſſet, ſed quod ea re ſignificaretur labia Prophetæ à Deo aperiri, vt Dauid petit Pſalm. 50. v. 17. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Sic Iſaiæ labia à Seraphino carbone ardente tacta ſunt, vt promptè expeditéque loqueretur. Iſai. 6. 6. 7. *Domine mi.* Dominum, non quaſi Deum, ſed quaſi angelum, ſe ſuperiorem vocat, & quia angelus & quia Dei legatus erat. *In viſione tua.* Simulátque vidi te, opponit viſionem voci. quaſi dicat, ſi ad tuum conſpectum, antequam loqui inciperes, toto corpore diſſoluto, in terram concidi, quomodo te loquentem ſuſtinere potero, aut ipſe loqui, vt ſtatim exponit ver. ſeq. *Diſſolutæ ſunt compages meæ.* נהפכו צירי. meliùs mihi videtur noſter interpres reddidiſſe, quàm qui vertunt, dolores mei commutati ſunt, Quis enim ſenſus hic eſt. Theodotion. Ἐςράφη τὰ ἐντός μου ἐν ἐμοί. *Turbata ſunt inteſtina mea in me.*

17. *Seruus Domini mei.*] Hebraïcè poſt nomen Domini additum eſt vtroque loco pronomen quomodo poterit ſeruus Domini mei loqui cum Domino meo hoc, id eſt, quomodo ego ſeruus tanti Domini, cum tanto Domino loqui potero.

18. *Rurſum ergo tetigit me.*] Videmus Deum (quamuis poſſit) non ſubitò, ſed paulatim agere, vt ſeſe ad naturam rerum accommodet. Primum Danielem in genua tantùm, & manus erexit v. 10. deinde in pedes, v. 11. Poſtea mutum loqui fecit, ſed trementem, ac trepidantem, v. 16. Nunc timorem ipſum excutit. Sic legimus Chriſtum curaſſe cœcum, vt principio homines ſibi tanquã arbores videre videretur, Marc. 8. 24. Quod gradatim fit in corpore, id in animo eo magis gradatim fieri credendũ eſt, quò plures in animo, quàm in corpore gradus ſunt.

19. *Pax tibi.*] Nihil tibi periculi eſt, nihil eſt quod timeas: erant Hebræi hac opinione imbuti, vt exiſtimarent ſe, ſi Deum aut angelum viderent, morituros, vt colligitur ex lib. Iudic. cap. 13. ver. 21. & 22. ad eam opinionem videtur hic angelus reſpicere.

20. *Nunquid ſcis.*] Hac interrogatione deſiderium Prophetæ, & attentionem ad audiendam interpretationem excitat. *Et nunc reuertar.* Quaſi dicat, non veni huc niſi vt tibi quæ futura ſunt interpretarer, ſatis enim quod agerem apud regem Perſarum habebam, relictóque adhuc infecto maximo negotio, tua de cauſa huc veni, ac ſtatim illuc ad prælium rediturus ſum: grauius enim mihi certamẽ futurum [illegible] quia ſicut Michaël princeps veſter in auxilium meum venit, ita princeps Græcorum, id eſt, angelus qui Græcorum curam gerit, cum ego

illinc

Digitized by Google

illinc diſcederem, in auxilium principis Perſarum aduentare dicebatur. Ita Theodoretus, ſenſúſq; eſt melior, quàm quem alij per futurum reddunt. Cùm egreſſus fuero, apparebit princeps Græcorum. Hieronymus contra veniſſe principem Græcorum putat, vt cum Perſarum principe pugnaret, vt regnum ad Græcos transferretur. Sed vt rectè Theodoretus adnotauit, angelus indicat non ſolùm cum Perſarum, vt antè, ſed etiam cum Græcorum principe certandū eſſe, ideo citò ſibi reuertendum. Quod ver. ſequenti magis declarat, cùm dicit, *Nemo eſt adiutor meus in omnibus his niſi Michaël princeps veſter.* quaſi dicat, cum omnibus mihi angelis pro vobis pugna eſt, vno excepto principe veſtro Michaële, qui veſtram cauſam, non tam iure, quàm officio defendit. Omnes alij libertatem veſtram impediunt, quod veſtra peccata nondum ſatis expiata eſſe videantur. Maximè verò poſt principem Perſarum, Græcorum princeps qui cùm ſciat Perſarum regnum in Græcorum poteſtatem venturum eſſe, nollet Iudæos inde in patriam remigrare, quò maior Græcorum præda ſit, ideo in auxilium principis Perſarum venit.

21. *Verumtamen.*] Quamuis mihi ob ea quæ dixi feſtinandum ſit, tamen prius tibi exponam, quid expreſſum ſit in ſcriptura veritatis, id eſt, vera, qua fallere non poteſt, notus Hebraïſmus. Scripturam autem veram vocat diuinum decretum, quod admodum ſcripturæ fixum, ac firmum eſt, nec aut obliuione deletur, aut tempore mutatur.

CAPVT XI.

EGO autem ab anno primo Darij Medi ſtabam vt confortaretur & robora-
retur 2 *Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges ſtabunt*
in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes: & cùm inualuerit
diuitiis ſuis, concitabit omnes aduerſum regnum Græciæ. 3 *Surget vero rex fortis, &*
dominabitur poteſtate multa: & faciet quod placuerit ei. 4 *Et cùm ſteterit contere-*
tur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli: ſed non in poſteros eius, neque ſecun-
dum potentiam illius qua dominatus eſt; lacerabitur enim regnum eius etiam in externos,
exceptis his. 5 *Et confortabitur rex Auſtri, & de principibus eius præualebit ſuper*
eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio eius. 6 *Et poſt finem annorum*
fœderabuntur: filiáque regis Auſtri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non
obtinebit fortitudinem brachij, nec ſtabit ſemen eius, & tradetur ipſa, & qui adduxe-
runt eam, adoleſcentes eius & qui confortabant eam in temporibus. 7 *Et ſtabit de*
germine radicum eius plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam re-
gis Aquilonis: & abutetur eis, & obtinebit. 8 *Inſuper & Deos eorum, & ſculptilia,*
vaſa quoque pretioſa argenti & auri, captiua ducet in Ægyptum: ipſe præualebit ad-
uerſus regem Aquilonis. 9 *Et intrabit in regnum Rex Auſtri, & reuertetur ad ter-*
ram ſuam. 10 *Filij autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exer-*
cituum plurimorum: & veniet properans & inundans: & reuertetur & concitabitur, &
congredietur cum robore eius: 11 *Et prouocatus rex Auſtri egredietur, & pugnabit*
aduerſus regem Aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo
in manus eius. 12 *Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deiiciet multa*
millia, ſed non præualebit. 13 *Conuertetur enim rex Aquilonis, & præparabit mul-*
titudinem multò maiorem quàm prius: & in fine temporum, annorúmque veniet prope-
rans cum exercitu magno & opibus nimiis. 14 *Et in temporibus illis multi conſurgent*

aduerſus regem Auſtri: filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur vt impleat vi-
ſionem, & corruent. 15 Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & ca-
piet vrbes munitiſſimas: & brachia Auſtri non ſuſtinebunt, & conſurgent electi eius
ad reſiſtendum, & non erit fortitudo. 16 Et faciet veniens ſuper eum iuxta placi-
tum ſuum, & non erit qui ſtet contra faciem eius: & ſtabit in terra inclyta, & conſume-
tur in manu eius. 17 Et ponet faciem ſuam vt veniat ad tenendum vniuerſum re-
gnum eius, & recta faciet cum eo: & filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illud: &
non ſtabit, nec illius erit. 18 Et conuertet faciem ſuam ad inſulas, & capiet multas;
& ceſſare faciet principem opprobrij ſui, & opprobrium eius conuertetur in eum. 19 Et
conuertet faciem ſuam ad imperium terræ ſuæ, & impinget, & corruet: & non inuenie-
tur. 20 Et ſtabit in loco eius viliſſimus, & indignus decore regio: & in paucis die-
bus conteretur, non in furore nec in prælio. 21 Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non
tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia. 22 Et
brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius, & conterentur: inſuper & dux fœderis:
23 Et poſt amicitias, cum eo faciet dolum, & aſcendet, & ſuperabit in modico populo.
24 Et abundantes & vberes vrbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres eius,
& patres patrum eius: & rapinas & prædam & diuitias eorum diſſipabit, & contra fir-
miſſimas cogitationes inibit: & hoc vſque ad tempus. 25 Et concitabitur fortitudo
eius & cor eius aduerſum regem Auſtri in exercitu magno, & rex Auſtri prouocabitur
ad bellum multis auxiliis & fortibus nimis, & non ſtabunt, quia inibunt aduerſus eum
conſilia. 26 Et comedentes panem cum eo conterent illum, exercitúſque eius oppri-
metur, & cadent interfecti plurimi. 27 Duorum quoque regum cor erit vt malefa-
ciant, & ad menſam vnam mendacium loquentur, & non proficient: quia adhuc finis in
aliud tempus. 28 Et reuertetur in terram ſuam cum opibus multis: & cor eius ad-
uerſum teſtamentum ſanctum & faciet & reuertetur in terram ſuam. 29 Statuto
tempore reuertetur, & veniet ad Auſtrum, & non erit priori ſimile nouiſſimum. 30 Et
venient ſuper eum trieres & Romani & percutietur, & reuertetur & indignabitur con-
tra teſtamentum ſanctuarij, & faciet, reuertetúrque, & cogitabit aduerſus eos, qui dere-
liquerunt teſtamentum ſanctuarij. 31 Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſan-
ctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſola-
tionem. 32 Et impij in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter: populus autem ſciens
Deum ſuum obtinebit & faciet. 33 Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent
in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. 34 Cúmque cor-
ruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulenter.
35 Et de eruditis ruent, vt conflentur: & eligantur & dealbentur vſque ad tempus
præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. 36 Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex,
& eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum
loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia perpetrata quippe eſt defi-
nitio. 37 Et Deum patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcentiis fœmi-
narum, nec quenquam Deorum curabit, quia aduerſum vniuerſa conſurget. 38 Deum
autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & Deum quem ignorauerunt patres eius, colet
auro & argento, & lapide pretioſo, rebúſque pretioſis. 39 Et faciet vt muniat Mao-
zim cum Deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in
multis, & terram diuidet gratuitò. 40 Et in tempore præfinito prælíabitur aduer-
ſus eum rex Auſtri, & quaſi tempeſtas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus &
in equitibus, & in claſſe magna: & ingredietur terras, & conteret & pertranſiet. 41 Et
introibit in terram glorioſam, & multi corruent: hæ autem ſolæ ſaluabuntur de manu
eius Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon. 42 Et mittet manum ſuam

in terras

in terras : & terra Ægypti non effugiet. 43 *Et dominabitur theſaurorum auri, &*
argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti : per Lybiam quoque & Æthiopiam tranſibit.
44 *Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone : & veniet in multitudine ma-*
gna, vt conterat & interficiat plurimos : 45 *Et figet tabernaculum ſuum Apadno*
inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum : & veniet vſque ad ſummitatem eius,
& nemo auxiliabitur ei.

ENARRAT angelus Danieli, quæ populo Iudæorum ſub Perſarum, Ægypti, & Syriæ regibus euentura erant, vt ſuperiore capite ver. 14. promiſerat.

1. *Ego autem.*] Hieronymus Danielem loqui putat, moréque Prophetarum perſonam ſubitò mutari, Danielem enim dicere, ſe à primo Darij anno, pro eius regni ſtabilitate Deũ orauiſſe, à quo contra inuidorum principum inſidias defenſus fuerat, angelum autem ver. 2. reſpondere, *& nunc veritatem annuntiabo tibi.* Dura interpretatio. Itaque Theodoreto & Hebræis magis aſſentior, qui angeli eſſe dicunt verba : nam & poſtremo verſu ſuperioris capitis angelus loquebatur, cùm quo hoc caput continuata oratione copulatur, & ver. quoque ſecundo eadem orationis ſerie angelus loquitur : pro qua autem re angelus ſe oraſſe dicat, non ſatis conſtat. Hæreticorum magiſter pro rege Perſarum orauiſſe dicit, à maiorique ad minus, vt ille loquitur, argumentari : Cùm ego meis precibus Chaldæorum regnum ad Perſarum regem deuoluerim, quantò faciliùs illum potero, ne quid crudelius in Iudæos agat, cohibere. Senſus planè peruerſus, & auctori ſimilis. Si enim pro illo orabat, quomodo ſe cum eodem ita pugnaſſe dicit, vt neceſſe fuerit Michaëlem ſuppetias ſibi ferre, capite præcedente ver. 13. Melius aliqui Hebræi pro Iudæorum populo Michaëli commiſſo oraſſe docent, vt confirmaretur, ac roboraretur. quaſi dicat, non mirum, ſi mihi Michaël opem ferat : nam & ego illi, cùm de regno Babylonis ad Medos, Perſaſque transferendo agebatur, opem tuli. tamen neque hæc interpretatio bene loco hæret : ſi enim angelus id dicere voluiſſet, non dixiſſet ſe à primo anno Darij, ſed multò antè pro regno transferendo precatum eſſe : nam primus Darij annus ſemper apud Danielem à tranſlato iam Babylonis regno numeratur. Videntur igitur mihi hæc verba ad diuinum decretum referenda, de quo extremo verſu ſuperioris capitis dixerat, *Annuntiabo tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis*, pro cuius ſcripturæ confirmatione, effectúque, quia Iudæis fauorabilis erat, ſe oraſſe dicit ; iam enim monuimus hoc caput cum præcedenti continenti ſententia, orationéque nexum eſſe. Ideo autem à primo Darij anno precatum dicit, quia eo anno decretum à Deo de rebus vſque ad finem mundi futuris editum fuerat, cap. 9. 1.

2. *Veritatem annuntiabo.*] Exponam tibi ſcripturam veritatis, vt cap. præcedenti ver. 21. vocauit. *Ecce adhuc tres reges.* Non conuenit inter interpretes qui tres iſti reges fuerint. Ac Hebræi quidem hoc loco pueriliter admodum errant : quidam enim intelligunt quatuor tantùm Perſarum reges ſupereſſe ; alij nonniſi quatuor, vt Saadias, alij ſex, vt R. Moſes. alij quinque, vt R. Abraham, Perſarum reges fuiſſe dicunt. Hic error omnium hiſtoriarum teſtimonio refutatur : quæ etſi in aſſignando Perſarum regum numero minimè conueniant, tamen omnes octo vt minimùm reges ponunt, alij plures vſque ad quindecim numerant. Alij eo Hebræorum errore animaduerſo quatuor reges non qui ſoli in Perſide regnauerint, ſed de quibus ſolis loquatur angelus, intelligunt.

 Cæte-

Cæterùm inter ſe quoque diſſentiunt, nam alij Cyrum numerant, cuius tertio anno angelus hac legatione functus eſt, vt apparet ex ſuperiore cap. ver. 1. alij prætermittunt; Rurſum alij ex hoc numero Smerdem ponunt, vt Hieronymus & Theodoretus, alij non ponunt, vt recentiores multi. Ego ex eo quod certum eſt, id quod eſt incertum cognoſcendum eſſe cenſeo. Certum autem eſt quartum regem Xerxem illum opibus & copiis potentiſſimum eſſe, qui innumerabili exercitu traiecto mari Græcis bellum intulit. Nam quorundam id negantium errorem paulò poſt refutabimus. Inde igitur verſus Cyrum aſcendendo quatuor numerandi ſunt reges, primus Xerxes, ſecundus eius pater Darius Hyſtaſpis, tertius Smerdes, quartus Cambyſes Cyri filius. Nonnulli Smerdem quod neque iure, neque vltra ſeptem menſes regnauit, neque à multis hiſtoricis inter Perſarum reges ponitur, numerandum eſſe non putant, itaque Cyrum ipſum iſto quatuor regum numero comprehendunt. Magis Hieronymi & Theodoreti Smerdem numerantium opinionem probo, & quia non intererat de regum iure, ſed numero angelum loqui, & quia, vt Aben Eſra obſeruauit, dictio illa עוד. *adhuc*, ſi rectè vis eius intelligatur Cyrum excludit. quaſi dicat angelus, adhuc præter Cyrum, qui nunc regnat, tres reges erunt, dein quartus quidem opibus potens. Nunc videndum cur angelus de quatuor tantùm Perſarum regibus mentionem faciat, cùm conſtet multò plures fuiſſe. Generalis quædam ratio in promptu eſt, propria verò non item. Illud enim certum cauſam eius rei eſſe, quod angelo non fuerit propoſitum regum Perſarum hiſtoriam contexere, ſed de iis tantùm loqui regibus, quorum mentio ad ſuam legationem pertineret. Cur autem iſti potiſſimum quatuor pertinerent incertum. Sunt qui putent ideo de his tantùm quatuor egiſſe, quod poſt Xerxem turpi è Græcia elapſum fuga, cœptum ſit inclinari Perſarum imperium, atque hanc vim habere verbum *ſtabunt*. Nimis hoc argutum mihi videtur, & iam hoc erat agere ſine legationis reſpectu de Perſarum regno. Melius coniiciunt, qui idcirco de iis quatuor regibus angelum egiſſe putant, quòd ſub iis potiſſimùm Iudæorum res aliquam viciſſitudinem ſenſuræ eſſent. Nam ſub Cambyſe & Smerde interrupta templi reſtauratione afflictæ fuerunt: Sub Dario Hyſtaſpis conceſſa ædificandi facultate, erectæ ſunt, ſub Xerxe ſumma iam pace floruerunt. *Quartus dabitur opibus.* Quiſquis legerit hiſtorias, dubitare non poterit hunc eſſe Xerxem hunc locum alter Iuſtini hiſtorici ita prorſus illuſtrat, vt pro interpretatione nihil aliud quàm eius verba ſcribenda putauerim. Iam Xerxes, Inquit lib. 2. ſeptuaginta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis parauerat, vt non immeritò proditum ſit, flumina ab eius exercitu ſiccata, Græciámque omnem vix capere eius exercitum potuiſſe. Naues quoque decies centum millia numero habuiſſe dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. Cæterùm, ſi regem ſpectes, diuitias non ducem laudes; quorum tanta copia in regno eius fuit, vt cùm flumina multitudine conſumerentur, opes tamen regiæ ſupereſſent.

3. *Rex fortis.*] Alexandrum Magnum intelligi ex quadripartita regni eius diuiſione, quem ſequenti verſu deſcribit, perſpicuum eſt, & ex ſimilitudine huius prophetiæ, & eius, quæ de eodem Alexandro explicata ſunt, ſuprà cap 8. v. 5.6.7.8. Cur autem multis & Perſarum & Græcorum prætermiſſis regibus, de Alexandro mentionem inferat, eandem quam in ſimili quæſtione ſuperiore ver. reddidimus, cauſam eſſe arbitror. Cùm enim Alexander totum terrarum concuſſiſſet orbem, res quoque Iudæorum, eo regnante in magnum diſcrimen

adductæ

Digitized by Google

adductæ ſunt. Narrat Ioſephus 11. Antiq. lib. cap. 8. eum Iudæis, quod ipſius imperium recuſaſſent, iratum fuiſſe, eóque animo in Ieroſolymitanam vrbem iter tetendiſſe, vt de illis pœnas ſumeret: ſed diuinus per quietem, quominus id faceret, prohibitum fuiſſe.

4. *Et cùm ſteterit*] Cùm ad ſummum peruenerit, ita vt non ampliùs creſcere poſſe videatur. Hanc vim habet ſtandi verbum, quo etiam medici eadem ſignificatione morbis vtuntur, quos incrementum, ſtatum, & declinationem habere dicunt. *Conteretur.* hoc etiam verbum emphaſim habet. Non enim dicit, peribit; ſed conteretur, quia regnum Alexandri quaſi vas confringendum, & in quatuor minora regna comminuendum erat. *Et diuidetur in quatuor ventos.* in quatuor regna Ægypti: Meridionale, cui Ptolemæus Lagi filius Syriæ & Babylonis: Septentrionale, vt ver. 11. 13. 16 & 40. ſignificatur, cui Seleucus Aſiæ & Ponti: Orientale, cui Antigonus Macedoniæ: Occidentale, cui Philippus cognomento Aridæus ſucceſſit, vt cap. 8. ver. 8. explicatum à nobis eſt. *Sed non in poſteros eius.* Non enim eius poſteri poſt eum regnauerunt, quamuis duos haberet filios, ſed duodecim primùm duces, filiorum nomine imperium adminiſtrarunt: deinde quatuor illi, quos nominauimus, cæteris potentiores, ad ſe traxerunt, narrátque Iuſtinus eum morti propinquum eſſe interrogatum, quem vellet ſibi ſuccedere, digniſſimum reſpondiſſe; huic prophetiæ Machabæorum hiſtoria videtur eſſe contraria, dicitur enim lib. 1. cap. 1. ver. 7. Alexandrum lecto decumbentem, cùm ſe ex eo morbo moriturum cognouiſſet, pueros ſuos vocaſſe, eíſque regnum ſuum diuiſiſſe, atque eos omnes ipſorúmque poſteros regnauiſſe: ſed pueros, illic non filios, ſed miniſtros, Hebræorum conſuetudine vocari arbitor. Argumentum quod dicat, qui ſecum nutriti erant à iuuentute ſua, itaque aut illos duodecim duces, quos Iuſtinus ait, regnum poſt Alexandri mortem gubernaſſe; aut illos quatuor, qui poſtea regnauerunt: & ſi quid inter auctorem illorum librorum, & Iuſtinum, alióſue profanos hiſtoriarum ſcriptores diſcordiæ eſt, plus illi fidei ab Eccleſia probato habendum eſt, cùm ne ipſi quidem profani inter ſe auctores conſentiant. *Neque ſecundum potentiam illius.* Significat quatuor illos poſt Alexandrum futuros reges, minus potentes quàm illum futuros eſſe: neceſſe enim fuit diuiſi regni vires minui. *Lacerabatur enim.* hoc etiam verbum emphaſim habet; ſignificat enim regnum, ſuam quoque partem trahente, diſrumpendum, quanquam Hebraicum verbum תנתש. propriè ſignificat, *extirpabitur*, id eſt, ab eius ſtirpe in alienos deuoluetur. Hoc eſt quod ſequitur, *Exceptis his*, filiis & cognatis Alexandri. quaſi dicat, regnum eius alienabitur in externos, qui ex eius genere non erunt.

5. *Rex Auſtri.*] Regem Ægypti intelligi, ex ipſo regionis ſitu perſpicuum eſt, idque inter omnes conuenit, quem autem è multis Ægypti regibus intelligat, incertum. Hieronymus Ptolemæum Lagi filium, qui primus in Ægypto poſt Alexandrum regnauit, virum prudentiſſimum atque fortiſſimum intelligit qui Phœnicem, Cyprum, Cariam, multáſque alias inſulas, regionéſque regno ſuo adiunxerit. Theodoretus verò Ptolemæum Philopatorem regem quartum. Hieronymi opinio probabilior: nam & Trogus Ptolemæum Lagi filium regnum ſuum multis victoriis amplificaſſe, tradit; & Ioſephus alterum Ptolemæum Philopatorem ab Antiocho rege Syriæ victum dicit. *Et de principibus eius.* Hieronymus Ptolemæum Philadelphum Ptolemæi primi filium interpretatur, qui de principibus eius prodiit, quia ex Ptolemæo Lagi vno ex

Alexan-

Digitized by Google

Alexandri principibus progenitus eſt. Theodoretus minus probabiliter Scopam Ptolemæi Philopatoris ducem intelligit: nam nec Scopas rex fuit, qualem hunc Daniel futurum dicit: neque regis ſui amplificauit, ſed potiùs ab Antiocho, vt ſcribit Ioſephus, ſuperatus, minuit imperium. Magis recentiorum quorundam interpretationem approbo, qui Antiochum Epiphanem ſignificari putant, & regi Ægypti per antitheſim opponi: nam & ſtatim de illo incipit vaticinari, dicitque fore vt inter ſe confœderentur, quibus verbis indicat prius ſe de inimicis regibus locutum fuiſſe, & quemadmodum hîc dominationem eius magnam, ita cap. 8. ver. 9. ex quatuor cornibus, id eſt, ex quatuor Alexandri principibus, qui in eius regnum ſucceſſerunt, vnum modicum cornu Antiochum egreſſum eſſe dixit, quod valde magnum factum ſit. Loquitur autem de regibus Ægypti & Syriæ, regibus Aſiæ, & Macedoniæ prætermiſſis, quia, vt ait Hieronymus, in medio Iudæa poſita, nunc ab illis, nunc ab iſtis regibus tenebatur, & ſcripturæ ſanctæ propoſitum eſt, non externam abſque Iudæis hiſtoriam texere; ſed eam, quæ Iſraëli populo copulata eſt.

6. *Et finem annorum.*] horum temporum, de quibus hactenus diximus, quaſi dicat, poſt hæc. *Filiáque regis Auſtri*, filia regis Ægypti nubet regi Syriæ, vt fœdus amicitiáque inter eos contrahatur. Neſcio quid cuidam hæretico venerit in mentem, vt interpretaretur fore vt Antiochus magnus filiam ſuam Cleopatram Ptolemæo Epiphani nuptum locaret, quod perinde eſt ac ſi diceret, fore vt filia regis Aquilonis veniat in regem Auſtri. Sed hæreticis licet, cùm Scriptura album dicit, nigrum interpretari. Theodoretus de Cleopatra filia Ptolemæi Epiphanis Antiocho magno nuptui data interpretatur, adductus vt opinor, Ioſephi hiſtoria lib. Antiquit. 12. cap. 13. Cæteros omnes interpretes Hieronymum ſequi video, cuius ego ſententiam probabiliorem cenſeo. Qui hoc de Beronice Ptolemæi Philadelphi ſecundi regis Ægypti filia interpretatur, quam tradunt hiſtorici Antiocho tertio Syriæ regi cognomento Deo, nuptam à patre: aut coniungendæ amicitiæ: aut, vt alij putant, auertendi ad ſe per filiam regni cauſa, datam eſſe, illud neminem animaduertiſſe video, cur cùm iam de Antiocho Epiphane loqui cœpiſſet, qui multò pòſt fuit, ad Antiochum Magnum tertium regem longo interuallo reuertatur. Poſſet reſponderi, non tam de regibus, quàm de regnis agi, quæ, aliis atque aliis regibus ſuccedentibus, eadem manent: ſed fortaſſe melius hoc de Cleopatra Ptolemæi Philometoris filia interpretabimur, quam Alexander Antiochi Epiphanis filius, vt cum Ptolemæo amicitiam iniret, vxorem duxit: poſtea pater, Alexandro ablatam, Demetrio dedit. Hiſtoria eſt lib. 1. Mach. cap. 11. ver. 12. & apud Ioſephum lib. 13. cap. 7. ſic nullus quæſtioni locus relinquitur. *Et non obtinebit fortitudinem brachij.* Non erit ſatis forte vinculum ad conſeruandam amicitiam Beronice aut Cleopatra, aut quæ alia fuit regis Ægypti filia, quaſi brachium ab vno regno in aliud porrectum fuit, quo dexteræ duorum regum ad firmandam amicitiam quodammodo darentur. Sed dicit non fuiſſe brachium ſatis forte, quia ſi Beronice fuit, ea vno cum filio ex Antiocho Magno ſuſcepto, ab Antiocho Hierace Antiochi Magni filio, trucidata eſt, vt Iuſtinus & alij tradunt: ſi Cleopatra, ea quoque rupto fœdere Demetrio data eſt, 1. Mach. 11. 12. *Nec ſtabit ſemen eius.* Non habebit filia regis Ægypti liberos, qui in regnum Syriæ ſuccedant, ſicut c. 2. v. 43. de regno Romanorum loquens dixit, *Commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi. Et tradetur ipſa*, ad mortem, ſi de Beronice interpretemur, aut tradetur ipſa cum omni eius comitatu Demetrio. *Adoleſcentes*

eius

eius. pueri, pediſequi. ילדה. filij eius, alij, genitrix eius, id eſt, nutrix, alij ſine ſenſu, geniter eius. *Et qui confortabant eam.* qui longo tempore familiares illi erant, qui cum illa ab ineunte ætate educati fuerant, ſuaque eam præſentia & conſuetudine recreabant.

7. *Et ſtabit.*] Exſurget in regnum, euadet rex. *De germine radicum eius.* Ptolomæus Euergetes Ptolomæi Philadelphi filius, paterque Berenices, qui prætextu ſororis à Seleuco Antiochi filio interfectæ vlciſcendæ, bellum contra illum mouit, Syriamque vniuerſam, & partem Aſiæ, & Ciliciam, ſuperioreſque partes trans Euphratem caperet. Ita Hieronymus. Si autem de Cleopatra in ſuperiorem verſum interpretemur, hoc de eius patre intelligendum erit, qui omnes Syriæ vrbes occupauit innumerabili ingreſſus exercitu, vt dicit libro primo Machabæorum capite vndecimo, qui dicitur germen radicum eius (Cleopatræ) quia eam genuerat. *Plantatio.* Hebraïcè כנו. præparatio eius, vt vertit Theodotio, id eſt, germinus, Ptolomæi aut Philadelphi ſi de Beronice: aut Euergetis ſi de Cleopatra interpretemur: eſt enim affixum, vt vocant, generis maſculini, quod ad filiam referri non poteſt. Senſus autem eſt, germen radicum eius filiæ regis Auſtri veniet cum magno apparatu, & exercitu, ingredieturque prouinciam. במעוז. in præſidium regis Aquilonis, id eſt, Syriæ. *Et abutetur eis.* ועשה בהם. & facient in eis, vel cum eis, id eſt, cum Aſſyriis. relatium more Hebræorum ſine antecedente, pro ſuo arbitrio, id eſt, vincet eos.

8. *Deos eorum & ſculptilia.*] וגם אלהיהם עם נסיכיהם quod R. Saadias, & quidam recentiores Latini malum ducem temere ſecuti, ſic interpretantur, Deos eorum, & principes eorum, nec animaduertunt non de hominibus, ſed de ſpoliis agi. *Ipſe præualebit.* והוא שנים יעמד ממלך הצפון. & ipſe annos ſtabit à rege Ægypti, ad verbum. Quod Saadias exponit, Et ipſe plures annos quàm rex Ægypti, quod, ſiue de Ptolomæo Euergete, ſiue de Philometore interpretemur, verum eſt. Nam Euergetes quadraginta regnauit annos, Seleucus tantùm viginti, vt hiſtoriis proditum eſt, & Philometorem plus vixiſſe, quàm Alexandrum Antiochi filiũ; teſtis eſt auctor librorum Machabæorum libro primo capite vndecimo verſu 17. Alij interpretantur, ſecurus erit multos annos à rege Aquilonis, quod quia ſine hiſtoria & ratione dicitur, mihi non placet.

9. *Et intrabit, & reuertetur.*] id eſt, ſine vllo ſuo detrimento, aut periculo veniet in Syriam, & in patriam ſuam reuertetur.

10. *Filij autem eius.*] Relatiuum eius non refert proximum antecedens, id eſt, regem Auſtri, de quo ſuperiore verſu locutus erat, ſed regem Aquilonis, de quo verſu 7. id apparet ex verſu 11. *Et prouocatus rex Auſtri egredietur & pugnabit aduerſus regem Aquilonis.* Omnes igitur hoc loco Hieronymum ſequuntur, cuius interpretationem hiſtoriæ confirmant. Narrant Polybius & Pauſanias vterque lib. 5. & auctor lib. 3. Machabæorum cap. 1. & aliqua ex parte Ioſephus lib. 12. Antiquitatum cap. 3. & Iuſtinus lib. 29. cap. 30. Poſt mortem Seleuci Calinici. duos eius filios Seleucum & Antiochum Magnum incitatos paternæ mortis vlciſcendæ cupiditate, magno exercitu conſcripto contra Ptolomæum Philopatorem regem Ægypti bellum mouiſſe. hoc eſt, quod dicit, *Filij eius prouocabuntur.* ויתגרו. incitabuntur, quem locum Iuſtinus hiſtoriam narrans ita explanauit, vt ſi data opera commentarium illum ſcribere voluiſſet. Philippo (inquit initio lib. 30.) in Macedonia magnis rebus intento

LLLl Ptolomæi

Ptolomæi in Ægypto diuerſi mores erant. Nam regno patricidio obtento, & ad necem vtriuſque parentis cæde etiam fratris adiuncta (inde Philopatorem ex contrario lib. 29. cognominatum fuiſſe dicerat) veluti rebus feliciter geſtis, luxuriæ ſeſe tradiderat, regiſque mores omnis ſecuta regio erat; itaque non amici tantum, Præfectique, verùm etiam omnis exercitus depoſitis militiæ ſtudiis, otio ac deſidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis Antiochus rex Syriæ veteri inter ſe regnorum odio ſtimulante, repentino bello multas vrbes eius oppreſſit, ipſamque Ægyptum aggreſſus eſt. Inchoauerant bellum ambo fratres Seleucus, & Antiochus, ſed Seleuco in ipſa belli expeditione mortuo, Antiochus continuauit, vt alij ſcriptores tradunt. Propterea cum plurali numero dixiſſet, *Filij eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorũ*: poſtea dicit numero vnius, *Et veniet properans & inundans*, id eſt, quaſi fluuius terram operiens multitudine copiarum. *Et reuertetur.* ו שב. Theodotio vertit, *καθίσεται, ſedebit*, id eſt, obſidebit, quaſi legerit à ישב. non à שוב. ſenſuſque eſt congruus. *Et concitabitur, & congredietur cum robore eius.* יתגר עד מעוזה. perueniétque vſque ad præſidium eius (regis Ægypti) vt ver. 7.

11. *Et prouocatus rex Auſtri egredietur.*] dicit prouocatus egredietur, quia non priùs obuiam hoſti proceſſit, quàm totam primum Syriam Antiochus recuperaſſet, multaſque eius vrbes repentino bello, vt Iuſtinus ait, oppreſſiſſet, & vſque ad Raphiam vrbem perueniſſet, quæ in finibus, vt ait Hieronymus, Ægypti erat, adeoque ſuperiore ver. מעוז. præſidium regis Ægypti vocatam fuiſſe arbitror. *Et dabitur multitudo.* tradetur multitudo exercitus Antiochi in manus Ptolomæi, vicit enim conducto magno ex Græcis exercitu Ptolomæus Antiochum, regnoque, vt ait Iuſtinus, ſpoliaſſet, ſi fortunam virtute iuuiſſet.

12. *Et deiciet multa millia.*] רבאות. propriè, viginti millia, ſed ponitur fortaſſe numerus certus pro incerto. *Sed non præualebit.* id eſt, non peruincet Antiochum, fuga enim elapſus eſt. Ptolomæus verò, vt Iuſtinus ſcribit, contentus recuperatione vrbium quas amiſerat, factaque pace auidè materiam quietis arripuit.

13. *Conuertetúrque.*] Iterum Antiochus contra regnum Ægypti bellum mouebit, quod poſt mortem Ptolomæi Philopatoris factum eſt. Cùm enim filium quinquennem regni hæredem reliquiſſet, cui Ptolomæus nomen Epiphanes cognomen fuit, Antiochus datam ſibi ratus occaſionem quæ amiſerat recuperandi, fœdus cum Philippo Macedonum rege iniit, vt Ægyptum regnum inter ſe diuiſuri occuparent. Hiſtoria apud Iuſtinum libro 30. & 31. eſt, Ioſephus etiam libro Antiquitatum duodecimo, capite tertio ſcribit, Scopam Ptolomæi Epiphanis ducem ad fontes Iordanis ab Antiocho victum fuiſſe, totamque Iudæam, Samariam, & Cœleſyriam in eius veniſſe poteſtatem, hoc ergo eſt quod angelus hoc loco prædicit: *Et in fine temporum annorúmque.* id eſt, reuoluto aliquot annorum tempore, poſt Ptolemæi Philopatoris mortem.

14. *Multi conſurgunt.*] Antiochus rex Syriæ, & Philippus Macedonum. Hunc etiam locum Iuſtini verbis illuſtrabo, qui initio 31. libri ab hunc modum ſcribit. Mortuo Ptolemæo Philopatore rege Ægypti, contemptaque paruuli filij eius ætate, qui in ſpem regni relictus præda domeſticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Ægyptum ſtatuit. *Filij quoque præuaricatorum.* Scripſerat Iſaias cap. 19. ver. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini*

Domini iuxta terminum eius. Huius prophetiæ complendæ prætextu Onias ſummus ſacerdos, Oniæ ſummi ſacerdotis filius, cùm videret Iudæam nunc à Syriæ, nunc à Macedoniæ, nunc ab Ægyti regibus deuaſtari, cum magno peritiorum Iudæorum agmine in Ægyptum aufugit, & in Heliopolis vrbe, conceſſa à Ptolemæo Epiphane facultate, altare templúmque conſtruxit, & Leuitas, ac ſacrificia, vt in Ieroſolymitano templo conſtituit. Auctor Ioſephus lib. Antiquitatum 13. cap. 6. ſed non intelligebat indignus ſua dignitate pontifex, Iſaiæ vaticinium non de templo illo veteris ritus, quod non niſi vnum, ídque Ieroſolymis eſſe poterat: ſed de Chriſtianorum Eccleſiis, accipiendum eſſe, quibus eiecta omni illa Ægyptiorum idololatria, vnicum corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium erat offerendum.

15. *Et veniet rex Aquilonis.*] Antiochus, prædicit enim Antiochi de Scopa victoriam, de qua diximus ver. 13. Hieronymus hunc locum multis verbis narrata exponit hiſtoria, nos contenti erimus auctores indicaſſe. Legat qui volet Polybium, & Ioſephum lib. 12. cap. 3. *Et brachia Auſtri non ſuſtinebunt.* vires Ægypti reſiſtere non poterunt. *Et conſurgent electi eius.* ועם בבחריו. & populus electionum eius, id eſt, electa militum multitudo reſiſtere non poterit. Noſter interpres, & Theodotio pro עם populo, videntur legiſſe עמדו. ſtabunt, id eſt, ſurgent electi eius.

16. *Et ſtabit in terra inclyta.*] in terra deſiderabili, ſic ſolet Iudæa vocari, vt ſuprà cap. 8. vers 9. & lib. 2. Regum cap. 1. ver. 19. Nam Antiochum Scopa ſuperato Iudæam, auctore Ioſepho, obtinuiſſe diximus. *Et conſumet in manu eius.* ſua, potentia ſua Iudæam vaſtabit.

17. *Ponet faciem ſuam.*] animum adiiciet Antiochus, ad Ægypti regnum occupandum. Hebraïſmus. Narrat Ioſephus lib. 12. Antiquitatum capite tertio Antiochum poſt deuictum Scopam amicitiam cum Ptolomæo Epiphane adoleſcente, ſocietatem ſponſa illi filia ſua Cleopatra pepigiſſe, quod ſperaret fore, vt filia incautum adoleſcentem, aut falleret, aut occideret, regnúmque ad ſe perueniret. Sed cùm videret filiam mariti potiùs quàm ſuis rebus ſtudere, deſperata regni Ægypti poſſeſſione, ad capiendas vicinas inſulas ſeſe conuertit. Itaque Rhodum, Samum, Collophonam, & Phocæam, aliáſque inſulas cepit, vt Hieronymus, nullo auctore nominato, ait. hoc eſt, quod angelus hoc verſu & ſequenti prædicit. *Et recta faciet cum eo.* fœdera cum illo iunget. וישרים עשה: recta facere. Hebraïſmus eſt idem ſignificans, quod æquis conditionibus pacem, aut fœdus inire, vt Aben Eſra exponit hoc loco, neque aliæ interpretationes, quæ ab aliis adhibentur mihi placent: putat etiam Aben Eſra. ועשה poſitum eſſe pro, יעשה. *Et filiam fœminarum.* Hieronymus pleonaſmum eſſe putat; vt, ſic ore locuta eſt; vocémque his auribus hauſi. Alij magis congruenter conſuetudini Hebraïcæ linguæ filiam fœminarum, pulcherrimam mulierem interpretantur. Errant hîc Hebræi admodum imperitè. Exponunt enim filiam regis Auſtri regi Aquilonis dandam eſſe, cùm contrarium ſenſum verba præ ſe ferant. *Vt euertat illum.* vt per eam regem corrumpat. H. להשחיתה. vt corrumpat illam, vt Theodotio, id eſt, vt per cauſam paterno ſtudio corruptam regem corrumpat, & ad ſuam trahat voluntatem. Alij exiſtimant eſſe relatiuum ſine antecedente, referríque ad ממלוכה regnum quod Hebraïcè fœminini eſt generis, quod ego minus probo. *Et non ſtabit.* Non ſuccedet illi dolus, neque filia illius erit, ſed mariti, id eſt, ſequetur potiùs partes mariti quàm patris ſui.

18. *Et ceſſare faciet principem.*] Placabit oblatis pacis conditionibus R. Scipionem Naſicam Romanum conſulem principem opprobrii ſui, quia ab illo victus eſt, vt minore cum opprobrio regnare videatur. *Et opprobrium eius conuertetur in eum.* Sed non poterit efficere, quin opprobrium in ſe recidat. Nam cum prima congreſſione ſpreto prudentiſſimo Annibalis conſilio à Romanis victus eſſet, miſſum ad Scipionem Africanum filium, quem captiuum tenebat, pacem petiuit. Africanus poſtpoſito Reipublicæ priuato beneficio, has illi pacis leges dixit, vt Aſia Romanis cederet, ipſe verò contentus Syriæ regno eſſet, naues vniuerſas, captiuos & transfugas traderet, ſumptúmque omnem belli Romanis reſtitueret. Quæ cum nuntiata Antiocho eſſent, nondum ita victum ſe eſſe reſpondit, vt ſpoliari ſe regno pateretur. Itaque reparato iterum bello, iterum vincitur, cæſis ex eius exercitu quinquaginta millibus, captis vndecim millibus, tunc coactus eſt pacem, iis conditionibus quas antè recuſauerat poſtulare. Nihílque ad eas propter nouam victoriam à Romanis additum. Africano prædicante, neque Romanos, ſi vincantur, animis minui; nec ſi vincant ſecundis rebus inſoleſcere. Ita Iuſtinus lib. 31. & Liuius Dec. 4. lib. 7. quæ propterea poſui, vt aliquem congruum ex verſione noſtra ſenſum elicerem. Sic enim factum eſſe conſtat, vt opprobrium, quod Antiochus ſubornato ſingulari beneficio victore ſuo, in caput eius recideret. Poſſumus etiã principem opprobrij Africani filium interpretari, quem Antiochus remouendi opprobrij ſui cauſa ad patrẽ remiſit. Heb. alius poteſt eſſe ſenſus: השבית קצין חרפתו לו. Et ceſſare faciet princeps opprobrium ſuum in illo, id eſt, Africanus Romanorum dux reiiciet à ſe, conuertétque in Antiochum opprobrium, quo prius Romanos affecerat. Cum enim Romani ad Antiochum legatos miſiſſent, vt à regno Ptolomæi Epiphanis pupilli abſtineret cõtumelioſè legationem ſpreuerat, vt idem Iuſtinus initio lib. 31. auctor eſt. בלתי חרפתו ישיב לו. ne opprobrium eius illi reddat. Ne Antiochus Africanum vt ſperabat, probroſéque iactabat, poſſit vincere.

19. *Et conuertet faciem ſuam.*] Recipiet ſe in regnum Syriæ, quod vnum illi Romani reliquerunt, vbi dum Iouis templum ſpoliat, à turba oppreſſus interiit. Quod his verbis lib. 32. Iuſtinus ſcribit. Interea in Syria Rex Antiochus cum graui tributo pacis à Romanis premeretur & victus oneratuſque eſſet, ſiue inopia pecuniæ compulſus, ſeu auaritia ſollicitatus, quia ſperabat ſe ſub ſpecie tributariæ neceſſitatis excuſatus, ſacrilegia commiſſurum, adhibito exercitu nocte templum Dindymæi Iouis aggreditur, qua re prodita concurſu incolarum cum omni militia interficitur.

20. *Et ſtabit in loco eius.*] Omnes interpretes conſentiunt, agi hîc de Seleuco Antiochi Magni filio cognomento Philopatore; qui in patris regnum ſucceſſit, præter Theodoretum, qui Antiochum Epiphanem Seleuci filium intelligendum putat: cuius minus probabilis opinio eſt, & quia plures altera habet auctores, & quia de eo agitur, qui Antiocho proximè ſucceſſit. *viliſſimus.* Nihil enim Seleucum geſſiſſe præclarum & rege dignum legimus. Nam nonnulla, quæ eum Liuius ſcribit tentaſſe bella, minimè fælicem ſucceſſum habuere. H. מעביר נוגש הדר מלכות. tranſire faciens exactorem decoris regni, id eſt, qui toto regno exactores diſcurſare faciet, qui eius opes decorémque deprædentur. Is enim fuit, qui per Heliodorum ducem conatus eſt Ieroſolymitanum templum expilare, vt 3. cap. 2. lib. Mach. proditum eſt. Quidam malè mihi videntur interpretari. tranſire faciet exactorem, id eſt, tollet exactores & tributa:

nec

nec enim animaduertunt ſe laudare Seleucum, quem voluit angelus vituperare. *Et in paucis diebus conteretur.* Non ſignificat paucis eum diebus regnaturum, duodecim enim annos regnaſſe conſtat, ſed eum non diuturno bello more aliorum regum periturum, vt ſtatim declarat, non in furore neque in prælio, id eſt, non belli furore; quod genus mortis digniſſimum rege eſt. Tradunt enim nonnulli veneno ſublatum.

21. *Et ſtabit in loco eius viliſſimus.*] Quæ deinceps toto hoc capite ſequuntur alij de ſolo Antiocho Epiphane, qui Seleuco Philopatori ſucceſſit, intelligendum putarunt, vt, auctore Hieronymo, Porphyrius. Alij videntes dici quædam, quæ in Antiochum nullo modo conuenire poſſunt, in Antichriſtum autem aptè cadant, de ſolo Antichriſto intelligere maluerunt: In qua ſententia Hieronymus, omnes ante ſe Eccleſiaſticos ſcriptores fuiſſe indicat. Rem mihi videntur Hieronymus & Theodoretus attigiſſe omneſque poſteriores interpretes, qui hunc locum partim de Antiocho tanquam de figura, partim de Antichriſto tanquam de re ſignificata, intelligendum eſſe cenſuerunt. Nam vt de Antiocho quidem intelligatur, multa perſuadent. Primum ipſa hiſtoriæ & narrationis ſeries, egerat enim de Seleuco Philopatore, cui Antiochus ſucceſſit itaque ipſa rerum conſequentia, vt de Antiocho ageretur, poſtulabat. Deinde quod cum angelo propoſitum fuerit, ea prædicere, quæ ad res Iudæorum pertinere viderentur, non eſt ſimile veri Antiochum, qui maxime omnium res Iudæorum afflixit, præteriiſſe. Propterea quòd ea quæ hic angelus, vſque ad verſum 27. vaticinatur, in illo perfecta fuerint. Accedit prophetiæ huius, & eius, quæ cap. 8. de Antiocho poſita eſt, ſimilitudo. Illic vocauit illum Daniel cornu paruum, verſu 9. hic eum angelus vocat deſpectum, quia cum Romæ, ſine vlla ſpe regni obſes teneretur, malis artibus euaſit ad regnum. Illic dicit Daniel enim ſeſe contra templum, & contra Deum ipſum extuliſſe verſu 10. & 11. hic dicit angelus, verſu 28. & cor eius aduerſus teſtamentum ſanctum. Denique bella eius aduerſus regem Auſtri quæ verſu 25. & 29. deſcribuntur, Antiochum eſſe indicant. Multa etiam vt de Antichriſto interpretemur, cogunt, quòd quæ ſub finem capitis dicuntur, non in Antiochum, ſed in Antichriſtum conuenire poſſe videantur, deinde quod capite ſequenti perſequens idem argumentum angelus de fine mundi vaticinetur. Similitudo etiam Antiochi, & Antichriſti facit, vt credamus, angelum ſub Antiochi perſona Antichriſtum præmonſtrare voluiſſe. Primum nomen vtrique ſimile rebellionem alterius contra regem, alterius contra Chriſtum ſignificans. Inde ex humili vterque conditione ſubortus, Ad hæc Antiochus Iudaïcam, Antichriſtus Euangelicam Eccleſiam inſectans. Denique Antiochus paulò antè primum Chriſti aduentum venit. Antichriſtus paulò antè ſecundum Chriſti aduentum venturus eſt. Neque mirabitur quiſquam angelum ab Antiocho ad Antichriſtum tranſiiſſe, qui prophetarum conſuetudinem obſeruauerit. Solent enim vt ſæpe monui, & cùm de veteris teſtamenti perſonis & cum de tota veteris teſtamenti Eccleſia loquuntur, & ad priuatas noui teſtamenti perſonas, & ad totam noui teſtamenti Eccleſiam prophetico ſpiritu proſpicere. Sic Dauid, cum de Salomone Pſalm. 71. loqueretur, ad Chriſtum ſpectauit, quædam enim dixit, quæ non de Salomone, ſed de Chriſto intelligi poſſunt, quale illud verſu 8. & dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Sic Oſea cap. 11. 2. cum de populo Iudaïco diceret. *Ex Ægypto vocaui filium meum* ad Chriſtum

ex Ægypto reuocatum alluſit, vt Matth. cap. 2. verſu 15. interpretatur, ſic Iſaias cap. 49. & 54. & 60. cum de populi, ex Babylonica ſeruitute, liberatione vaticinaretur; de omnium gentium à Diaboli tyrannide liberatione Eccleſiæque Euangelicæ conſtitutione prædicit. Quin ipſe Chriſtus cùm apud Matth. cap. 24. 2. de Ieroſolymitano templo dixiſſet, *Non manebit lapis ſuper lapidem*: interrogatus ab Apoſtolis quando ea futura eſſent, de fine mundi vaticinari cœpit, quia ille templi finis, finem mundi ſignificabat. *Et non tribuetur ei honor regis.* ויתנו עלי׳ הדר מלכות. & non dabunt illi honorem regni; id eſt, quem homines non iudicabunt dignum regno. Declarat, quod dixerat deſpectus: vel, vt alij interpretantur, Non dabunt illi honorem regni, id eſt, non creabitur rex à populo, ſed ipſe regnum, fraudibus vſurpabit. Cùm enim Romæ obſes eſſet, fraterque eius Seleucus regnaret, Roma, vt quidam ſcriptores tradunt, furtim, vt alij conſcio ſenatu, euaſit: & in Syriam venit, vbi fratre, aut eius veneno, aut inſidiis, (vtriuſque enim rei, auctores ſunt) interempto, relictóque filio Seleuco legitimo regni hærede, regnum, pueri prætextu tutelæ, dicitur occupaſſe. hoc eſt, quod angelus dicit, Veniet clam & obtinebit regnum in fraudulentia, aut, בחלקלקות. blandimentis.

22. *Et brachia pugnantis expugnabuntur.*] Brachia vocat vires eorum, qui contra Antiochum pro Seleuco regni hærede pugnauerunt vt ſuprà ver. 15. *& brachia Auſtri non ſuſtinebunt*, & Ierem. 17. 5. *Maledictus homo qui ponit carnem brachium ſuum.* Cùm enim puer Seleucus legitimus regni hæres eſſet, multi eius aduerſus Antiochum cauſam ſuſceperunt, ſed oppreſſi ab eo ſunt. H. וזרעות השטף ישטפו. & brachia inundationis inundabuntur, id eſt, auxilia Seleuci quæ tanquam riuuli vndique confluent, ab Antiocho tanquam maiore quodam flumine obruentur. *Inſuper & dux fœderis.* Ducem fœderis Theodoretus Oniam ſummum ſacerdotem, quia veteris teſtamenti dux erat, interpretatur, qui ab Antiocho ſummi ſacerdotis honore Iaſonis fratris ambitione priuatus eſt, vt 2. Mach. liber narrat, cap. 4. 9. 10. Hieronymus Iudam Machabæum, populi Iudaïci diuino fœdere obſtructi ducem, quem fraudibus Antiochus ſuperauit. Magis altera eiuſdem Hieronymi, & aliorum interpretatio mihi probatur, vt Ptolomæus Philometor rex Ægypti adhuc adoleſcens dux fœderis appelletur, aut quod Antiochus cum illo, ſicut eius pater Antiochus magnus cum Ptolomæo Epiphane patre Ptolomæi Philometoris fœdus habebat, vt ver. 17. dictum eſt, aut vt alij volunt: quia Ptolemæus Philometor filius erat Cleopatræ ſororis, Antiochi, quam Antiochus Magnus Antiochi pater Ptolomæo Epiphani, Philometoris patri, iungendi fœderis cauſa, deſponderat vt vidimus v. 17. itaque Ptolomæus Philometor, & ex eo fœdere natus, veluti vinculum eiuſdem fœderis erat. Mouet me quòd ea, quæ ver. proximo ſequuntur, de illo ſine controuerſia intelligantur. Non dico quomodo Hebræi exponant, quia nec cœlum, vt dicitur, nec terram attingunt.

23. *Et poſt amicitias cum eo*] Poſt mortem Cleopatræ inquit Hieronymus cum Eulanis nutritius Philometoris & Leneus Ægyptum regerent, & repeterent Syriam, quam Antiochus fraude occupauerat, ortum eſt inter Antiochum auunculum, & puerum Ptolomæum prælium, cùmque inter Peluſium & montem Caſium, prælium commiſiſſent victi ſunt duces Ptolomæi. Porrò Antiochus parcens puero & amicitias ſimulans aſcendit. Memphim & ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus ſe prouidere dicens, cum modico populo omnem Ægyptum ſubiugauit ſibi, & abundãtes atque vberrimas ingreſ-

ingreſſus eſt ciuitates, fecitque, quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius; nullus enim regum Syriæ ita vaſtauit Ægyptum & omnes eorum diuitias diſſipauit. Quæ etſi ex Porphyrij ſententia Hieronymus dicit, hiſtoria tamen vera eſſe confirmat. Theodoretus priorem ſuam interpretationem ſequens de Onia ſacerdote vrbe Ieroſolymitana, hoc exponit, quam cùm per Iaſonem cœpiſſet ſimulata prius morte octoginta hominum millia trucidauit, li. 2. Mach. cap. 5. Sed iam Hieronymi interpretationem, probauimus meliorem eſſe.

24. *Et abundantes & vberes vrbes.*] Quales Ægypti erant. Heb. בשלוה ובמשמני מדינה יבוא. in pace & in pinguedinibus prouinciæ veniet, ad verbum, id eſt, occupabit Ægyptum otio & pace omniumque rerum copia ſecuram, nihilque minus quàm Antiochi fraudes timentem. Reddit cauſam, cur modico exercitu vt ſuperiore verſu dixerat, tantum potuerit regnum occupare. Alij exponunt ſimulatione pacis, & vtilitatis prouinciæ regnum occupaſſe, mihi videtur eſſe ſenſus, initio partes regni pacificas & abundantes occupaturum, deinde ad munitiones adiecturum animum, vt ſtatim declaratur. *Rapinam & prædam eorum.* paſſiuè hoc eſt quam de illis aget. *Et contra firmiſſimas.* ועל מבצרים יחשב מחשבותיו. & contra munitiones cogitabit, hoc eſt poſtquam pacificas & mercatorias vrbes ceperit, animum ad capienda regni præſidia & munitiones adiiciet. *Et hoc vſque ad tempus.* obſeruato idoneo capiendi eas tempore. Aut, vt ego potiùs interpretor. Cogitabit cogitationes ſuas & vſque ad tempus, id eſt, premet animo ſua conſilia neminique indicabit, quo ad opportunum tempus venerit, tunc enim aperto marte regnum inuadet, vt verſu ſequenti ſignificatur.

25. *Et concitabitur.*] Audebit iam aperto Marte pugnare, cum antè ſolis ageret fraudibus. Deſcribitur hoc bellum primo Machab. lib. cap. 1. ver. 19. & conſtituit Antiochus bellum aduerſus Ptolomæum regem Ægypti, & veritus eſt Ptolomæus à facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi & comprehendit ciuitates munitas in terra Ægypti: qui autem dicunt, hoc ſecunda Antiochi in Ægyptum profectione factum eſſe, non videntur mihi probare, nam angeli verba potiùs indicant eum, cum in Ægypto eſſet, primum mercatorias vrbes, & magis opibus quàm armis inſtructas, fraude cepiſſe, mox munitiones aggreſſum, ad extremum in apertum erupiſſe bellum. *Et rex Auſtri prouocabitur.* Laceſſitus coactuſque pugnabit, vt ſuprà v. 10. & 11. *Quia inibunt.* Quia prodetur à ſuis, vt verſu ſequenti explicatur.

26. *Comedentes panem cum eo.*] Principes, qui ad honorem regiæ menſæ admiſſi erant, regem prodent: vel ſimplicius, אוכלי פתבגו. *comedentes bucellam cibi eius*, id eſt, famuli eius, ſicut Danieli & ſociis eius conſtitutum eſt Diarium de bucella cibi regis, cap. 1. 5. vt Pſal. 40. 10. *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem.*

27. *Duorum quoque regum.*] Antiochi & Philometoris, quorum vterque alterum circumuenire tentabit, & in eadem menſa, id eſt, in loco amicitiæ, & fidei, inſidias alter alteri parabit: Quod quia in hiſtoriis, ita vt hic dicitur, factum non legimus, veteres, vt ait Hieronymus, auctores, ad Antichriſtum retulerunt. Quibus ego ſuam auctoritatem conſtare velim, ſed non video cur tam facilè ab hiſtoria diſcedamus, neque enim neceſſe eſt, vt aliquando duo illi reges eadem menſa vſi fuerint, vt prophetia de illis intelligatur, quia poteſt hac phraſi non ipſa menſa, ſed familiaritas ſignificari. quaſi dicat, cum maximè familiariter

riter loquentur,vt in menſa fieri ſolet, ſeſe viciſſim fallent. Videtur enim prouerbialis eſſe forma, ad menſam vnam loqui mendacium, aut aliquid ſimile,vt Luc.22.21. *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa:* & quamuis re ipſa acciderit aliquando,vt duo illi reges ad eandem ſederint menſam: tamen non mirandum eſt,ſi,vt rem minutam,ſcriptores prætermiſerint. Et eſt difficilius ad Antiochum hoc, quàm ad Antichriſtum accommodare, cùm ex Ioſepho ſciamus Antiochum cum Ptolomæo Philometore metu Romanorum pacem feciſſe. Nam quod veteres auctores dixerunt Antichriſtum regem Ægypti primum victurum eſſe, tantum probabilitatis habet, quantum ex eorum auctoritate ſine ſcriptura, & ſine ratione rei prorſus incertæ poteſt accedere. Certè Theodoretus æqualis fermè Hieronymo de Antiocho interpretatur. *Et non proficient.* ולא תצלח. & non proſperabitur.id eſt, neutri ſuus ſuccedet dolus,Nam neque Antiochus Ægypti,neque Ptolemæus Syriæ regno potietur,quia nondum venit finis temporis vtrique regno à Deo præſtituti.

28. *Et reuertetur in terram ſuam cum opibus.*] Cùm prætextu tutelæ pueri regis Ægyptum expilauerit, vt ſuprà ſignificauit ver. 21. & 24. *Et cor eius aduerſus teſtamentum ſanctum.* Extolletur eius animus, poſtquam ex Ægypto in Syriam præda onuſtus redierit, contra vrbem & templum Ieroſolymitanum, quod diuini teſtamenti ſacrarium eſt. Idem Daniel ſupra futurum prænuntiauerat, cap. 8. verſu 10. & 11. & primus Machab. liber cap. 1. verſu 22. & 25. re ipſa factum fuiſſe teſtatur. *Et faciet & reuertetur.* Latinè diceres. Atque compos voti factus,in patriam ſuam reuertetur.Hanc vim habet verbum facere apud Hebræos,cùm abſolutè ponitur,vt infrà verſu 30. & 32. Aliquando addito attributo aliquo eius vis explicatur,vt ſuprà verſu 16.faciet veniens ſuper eum iuxta placitum ſuum,& infrà verſu 36. Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex: ſenſus ergo eſt,ſpoliato templo reuertetur in Syriam.

29. *Et non erit priori ſimile nouiſſimum.*] Non ſuccedet Antiocho Secunda expeditio, (tertiam alij vocant) tam bene quàm prima. Nam prima quidem Ægypti opes compilauerat,vt ver.24.& 28.dixit: Secunda autem expeditione re infecta metu Romanorum reuertitur. Quem locum,non poſſum melius quam Iuſtini verbis explanare. Dum hæc aguntur (inquit lib. 34.) Rex Syriæ Antiochus Ptolomæo maioris ſororis ſuæ filio regi Ægypti bellum infert, ſegni admodum & quotidiana luxuria ita marcido, vt non ſolum regiæ maieſtatis officia intermitteret,verùm etiam ſenſu hominis nimia ſagina careret. Pulſus igitur regno ad fratrem minorem Ptolomæum Alexandriam confugit, participatoque cum eo regno,Romam legatos mittunt, auxilia petunt, fidem ſocietatis implorant.Mouere ſenatum preces fratrum,Mittitur igitur legatus P. Popilius ad Antiochum,qui abſtinere eum Ægypto aut ſi iam inceſſiſſet,excedere iuberet.Cùm in Ægypto eum inueniſſet oſculumque ei rex obtuliſſet,(Nam coluerat inter cæteros P.Popilium Antiochus,cùm Romæ obſes eſſet) tunc Popilius faceſſere interim priuatam amicitiam iubet, cùm mandata patriæ intercedant, prolatoque Senatus decreto & tradito, cùm cunctari regem videret, conſultationemque ad amicos referre, ibi Popilius virga,quam in manu gerebat,amplo circulo incluſum,vt animos caperet,conſulere iubet,nec prius inde exire,quàm reſponſum Senatui daret,aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque hæc aſperitas animum regis fregit, vt pariturum ſe Senatui reſponderet,Idem Florus ſcribit,ex Liuio lib.45.

30. *Et venient ſuper eum trieres & Romani.*] Venient contra eum legati Romanorum

Digitized by Google

norum vecti nauibus. vide quæ ſuperiore verſu dicta ſunt. *Et percutietur*; non ferro ſed metu, ideo alij vertunt, נכלאה. infirmabitur, vt verba rei geſtæ conueniant. *Et indignabitur contra teſtamentum ſanctum.* Iram, quam non potuerat in Ægyptios effundere, in templum & populum Iudæorum effundet, vt antè verſu 28. ſed illuc dictum eſt, quid Antiochus ex Ægypto poſt primam: hîc quid poſt ſecundam expeditionem Ieroſolymis fecerit. Illud narratur lib. 1. Mach. cap. 1. 22. hoc 2. lib. cap. 5. 11. Nam quoties Antiochus ex Ægypto in Syriam redibat, per Iudæam, quæ media erat, quaſi tempeſtas populabunda tranſibat, templumque diripiebat. *Et faciet reuertetúrque.* Compos voti factus in Syriam redibit, vt ver. 28. vide quid illic diximus. *Et cogitabit aduerſus eos*, poſtquam bonos perdiderit, conſilia de malis quoque & diuinæ legis deſertoribus perdendis capiet. Videtur hoc de Iaſone Oniæ ſummi ſacerdotis fratre prædici, qui cùm à lege defeciſſet, & apud Antiochum gratia valens, multoſq; ad ſe Iudæorum trahens, Gymnaſium Græcæ ſuperſtitionis Ieroſolymis erexiſſet, vt 1. Mach. lib. c. 1. v. 12. traditur: ad extremum coactus eſt primum in Ammanitidem, deinde in Ægyptum, & Antiocho & Iudæis inuiſus, fugere, vt 2. Mach. lib. cap. 5. ver. 8. legimus.

31. *Et brachia ex eo ſtabunt.*] Et veteres Hebræi vt Hieronymus tradit, & multi poſteriores eorum interpretes, vt Saadias & R. Leui, Antiochi brachia Romanos dici putauerunt, quorum beneficio Antiochus regnauerit. Quos auctores, minimè ſanè bonos, nonnulli noui hæreſis ſectatores, ante doctiſſimos & ſanctiſſimos poſuerunt. Alij Turcas interpretantur, vt Aben Eſra, & alij, quorum ille opinionem recitat. Multo meliùs Hieronymus, & Theodoretus cæterique auctores noſtri Antiochi brachia, duces eius appellari voluerunt. Quæ enim ratio eſt, aut Romanos, aut Turcas brachia, Antiochi vocari, & cùm Antiochi texatur hiſtoria, ad Romanos Turcaſ-ve tranſiri? Etenim Antiochus Romanorum beneficio regnabat. Primum in falſum, deinde ſi verum eſſet, non eius brachia Romani, ſed Romanorũ ille brachium vocaretur. Alij perfidorũ Iudæorũ auxilia, quibus Antiochus ad perdendos Iudæos vſus eſt, brachia illius dici putant. Quod quidem haud malè conuenit. Sed ego ſimplicius etiam nunc interpretor, fore vt Antiochi vires atq; conatus bene illi aduerſus Iudæos ſuccedant. Eodem enim modo dixit ſup. v. 6. & non obtinebit fortitudinem brachij, neque ſtabit ſemen eius: & v. 15. & brachia Auſtri non ſuſtinebunt. Et verſu 22. & brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius. *Et pollucnt ſanctuarium fortitudinis.* Sanctuarium fortitudinis vocat templum, quod Dei potentia protegeretur: quemadmodum cap. 8. verſu 10. & 11. de eodem Antiocho loquens dixit, *Et magnificatum eſt cornu*, id eſt, Antiochus, vſque ad fortitudinem cœli, & *deiecit de fortitudine*, *&* *de ſtellis*, *&* *conculcauit eas*, & *vſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt*, & ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius. Intelligitur hic locus ex euentu qui lib. 2. Machabæorum cap. 6. verſu 1. & 2. narratur. Sed non poſt multum temporis miſit rex ſenem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt ſe transferrent à patriis & Dei legibus, contaminare etiam, quod in Ieroſolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij. hoc eſt, quod dicit. Dabunt ונ · ונ. & ponent abominationem in deſolationem, ה׳קוצ משמם. abominationem deſolationis. Abominationem, idolum Iouis Olympij, dicit Hebræorum more, qui omne idolum abominationem vocant. Deſolationis verò, quòd deſolati, hoc eſt deſerti & debitis ſacrificiis deſtituti templi ſignum eſſet. Non enim

MMMm templum

templum euerſum eſt. Qua in re impudenter errant ij, qui ad euerſionem per Titum factam hoc referunt. Nec enim euerſionem templi, ſed ſacrificij ablationem ceſſationemque deſolationem vocat, vt ex 1. lib. Mach. c. 1. v. 57. perſpici poteſt. Neque Chriſtus ad hunc locum, apud Matth. c. 24. 15. ſed ad ſuperiorem cap. 9. ver. 27. alluſit.

32. *Et impij in teſtamentum.*] Hieronymus vt vertit, ita interpretatur. Et hoc in Machabæis legimus, quod quidem ſimulauerint ſe legis Dei eſſe cuſtodes, & poſtea cum gentibus pactum fecerint. Ita lib. 1. cap. 1. ver. 12. *In diebus illis exierunt ex Iſrael filij iniqui, & ſuaſerunt multis dicentes eamus & diſponamus teſtamentum noſtrum, cum gentibus, quæ circa nos ſunt, quia ex quo receſſimus ab eis inuenerunt nos multa mala.* H. vero. ומרשיעי ברית יחניף בחלקות. & præuaricatores teſtamenti blanditiis, Antiochus fallet, id eſt ad idololatriam trahet, populus autem, qui non verbis tantùm, ſed re ipſa colebat Deum, conſtans in regione permanebit. Cuiuſmodi fuit Mathathias & filij eius lib. 1. Mach. c. 2. & Eleaſarus lib. 2. c. 6. 18. & ſeptem illi Machabæi fratres vnà cum matre, c. 7. Populus ſciens Deum ſuum vocatur hoc loco, qui non ſolùm animo, aut verbis, ſed factis Deum cognoſcebant, fidemque cum operibus cõiunctam habebant, ſicut de aliis his oppoſitis dicit D. Paulus. Dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant, ad Tit. 1. 16. & Ioan. epiſt. 1. c. 2. 4. Qui dicit ſe noſſe eum & mandata eius non ſeruat, mendax eſt. *Obtinebit & faciet.* יחזיקו ועשו. confirmabuntur, aut, fortes erunt & facient, & vincent, conſtantes erunt: non quod armis, ſed quod moriendo tyrannum vicerint. Nam & ipſe Antiochus ſe, à ſeptem illis fratribus cùm iam morerentur irriſum eſſe ſenſit, lib. 2. Mach. c. 7. v. 24. & 39.

33. *Et docti in populo.*] Quos ſuperiore verſu vocauit populum ſcientem Deum ſuum, nũc doctos appellat. Deum enim qui bene nouit ſanctéq; colit, is meritò doctiſſimus haberi poteſt. *Docebunt plurimos*, non verbis ſed exemplis: quid autem eos docturi ſuo exẽplo ſint, ſtatim declarat. *Ruent in gladio & in captiuitate*, mori ergo pro religione conſtanter ipſi priùs moriendos docebunt plurimos. Ita Eleaſarus, cùm à quibuſdam minùs religioſis Iudæis ſuaderetur, vt fingeret ſe ſuilla veſci, vt mortem effugeret, reſpondiſſe fertur, 2. lib. Mach. c. 6. v. 24. Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere, vt multi adoleſcentes arbitrantes Eleaſarum nonaginta annorum tranſiiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur: & per hoc maculum atq; execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam et ſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar: ſed manus omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam: Quamobrem fortiter quidem vita excedendo ſenectute quidem dignus apparebo, adoleſcentibus autem exemplum fortè relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar. *Et in rapina dierum.* quæ per aliquot dies, id eſt, annos durabit. non enim perpetua erit, ſed vt dicitur ver. 35. *vſque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit.* prædam autem bonorum direptionem vocat, omnia calamitatis genera, gladios, ignes, captiuitates, rapinas, Iudæos ſubituros dicit.

34. *Cùmque corruerint ſubleuabuntur.*] Quidam hoc, vt Hieronymus ait, inter Hebræos de Seuero & Antonino imperatoribus intelligendum dixerunt, qui Iudæos plurimùm dilexerunt. Alij de Iuliano, qui Iudæos à Caio Cæſare vehementer oppreſſos, ſubleuare conatus eſt, & vt multi auctores tradunt, eorum templum à Tito dirutum reædificare. Alij noſtra memoria ad primos illos

ſub

ſub Apoſtolorum tempora Chriſtianos retulerunt, qui à multis imperatoribus grauiter afflicti ſub Marco Aurelio, quo æquiore ſunt vſi, quodammodo reſpirarunt. Quod autem angelus fore dicit, vt quidem illis fraudulenter adhæreant, de hæreticis exponunt vetuſtiores interpretes, & ad Antichriſti tempus accommodant, quo tempore futurum ſit, vt Chriſtiani ab Antichriſto valde vexati, modico aliquorum ſanctorum virorum auxilio iuuentur. Mihi perſuaſum eſt hoc de Antiochi perſecutione intelligendum eſſe. Tunc enim, cùm multi iam, ſiue peccando idoliſque ſacrificando, ſiue moriendo corruiſſent, Mathathias & quinque eius ordine filij extiterunt, qui populum modico auxilio ſubleuarunt, quia etſi res maximas & præclariſſimas geſſerunt, tamen quia eorum potentia non erat cum Antiochi viribus comparanda, nou potuerunt populum ab illa calamitate liberare. Hoc cùm Machabæorum lib. factum fuiſſe doceant, vt explicato loco, vbi de illis agebatur temporibus aptiſſimè conuenit, non eſt, ni fallor, prudentis interpretis relictis certis incerta ſectari. Neque verò nego de Antichriſto etiam hoc poſſe accipi; ſed tantùm dico illud, quia iam euenit, certum eſſe; hoc quia nondum euenit, neque ſcriptura apertè euenturum dicit, incertum. Neque hæc interpretatio, quia Porphyrij eſt, continuò reiicienda; interpretationem enim non auctorem ſequitur, quam & Hieronymus non reprobando videtur approbare. *Et applicabuntur eis plurimi fraudulenter.* hoc etiam Machab. libri docent, multos Iudæos Machabæis liberatoribus ſuis inſidias tetendiſſe.

35. *Et de eruditis.*] Quos ver. 32. ſcientes Deum ſuum, & ver. 33. doctos, eos nunc משכלים. intelligentes aut eruditos appellat. Eſt autem Hebraïcè inter nomen משכילים. doctos, & verbum יכשלו. corruent, elegans paranomaſia, quæ exprimi Latinè non poteſt. Docet igitur doctos, id eſt, qui piè & conſtanter Deum colent; caſuros non peccando, ſed moriendo, quod idem alia metaphora dixit Daniel ſup. cap. 8. ver. 10. *Et deiecit de fortitudine, & de ſtellis, & conculcauit eas.* quos enim Daniel ſtellas, quia cæteris hominibus ſua virtute prælucent, hoc angelus doctos, aut משכילים actiuè doctores appellat, quia ſuo exemplo cæteros docent, *Vt conflentur.* vt eorum virtus in infirmitate perficiatur, & vt qui electi ſunt, manifeſti fiant. Reddit cauſam cur Deus iuſtos interim patiatur, quia nimirum hoc illis lucro eſt, in paucis enim vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe, tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus eorum, Sapient. 3. 5. 6. *Vſque ad tempus præfinitum à Deo.* donec tranſeat tempeſtas. hoc eſt quod Tobias dicit c. 3. 22. *Non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum exultationem infundis. Quia adhuc aliud tempus erit.* poſt illud luctuoſum tempus, aliud lætiſſimum erit, quo quicumque volent, per Chriſtum liberari poterunt. Heb. כי עוד למועד. quia adhuc in tempus conſtitutum, (perſecutio durabit) id eſt, non priùs ceſſabit quàm tempus puniendis Iudæis à Deo præſcriptum præterierit; ſicut dixit v. 27. *Et non proficient, quia adhuc finis in aliud tempus.* Multa his verbis ſignificantur; primùm hæc Iudæis non temerè, ſed Dei iudicio euentura; deinde Deum non ſine modo & ſine homines in hac vita punire, ſed certum iræ ſuæ terminum ponere; tertiò homines dum à Deo iudicantur, vt ait D. Paulus, à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnetur; poſtremò homines non ſolùm in altera, ſed etiã in hac vita purgari.

36. *Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex.*] Miror quid cauſæ ſit, cur in huius loci

explicatione tantopere auctores diſcrepent: nec enim tantam difficultatem video, quantam ipſa varietas interpretationem peperit Hebræi vetuſtiores, vt Hieron. recitat, de neſcio quo ſuo Antichriſto, qui poſt Iulianum venturus eſſet, interpretabantur. Recentiores, vt Aben Eſra, de Conſtantino Magno. Noui hæretici nihilo meliore iudicio, alij de Mahomete & Turcarum regno, alij de Romano Pontifice: quos ego irriſione potius quàm interpretatione dignos dico; nec enim vereor, ne multos inueniant, quibus res tam abſurdas perſuadeāt. Alij denique non minùs quidem hæretici, ſed magis vt ſibi videntur prudentes, de Romanorum regno, quod vnius regis nomine putant intelligi. Catholici ferè omnes, & veteres, & recentiores de Antichriſtro; quibus omnibus variè ſentiendi vna fuit ratio, quod non viderent quomodo hæc, quæ deinceps dicuntur in Antiochum, de quo hactenus angelus loquutus eſt, conuenire poſſent. Ego non dubito totum hunc verſum de Antiocho intelligendum. Quis enim credat angelum cùm de Antiocho loqueretur, eodem orationis filo, nulla facta tranſitione, de alio rege agere cœpiſſe? Quod ſi hoc qui credat, repiriri poterit: ego certè non credo, nec audeo dicere, angelum ita locutum, quemadmodum ego, ne inſanus viderer, loqui nollem. Monet etiā me, quod eodem orationis contextu regem nominat, haud dubièad regem referens de quo antè loquebatur. Multò autem maximè mouet me huius prophetiæ, & eius, quam c.8. de Antiocho vidimus, ſimilitudo. Quis enim non videt, idem hîc atque illic, iiſdem penè verbis dici. Hîc dicit angelus, *& faciet iuxta voluntatem ſuam rex.* illic dicit v.24.& 25. *& faciet ſecundùm voluntatem ſuam.* hîc dicit, *eleuabitur.* illic dicit v.9.& 10. *& factum eſt grande cornu*, id eſt, Antiochus: hîc dicit, *& magnificabitur aduerſus omnem Deum*, illic dicit, *& vſque ad principem fortitudinis* (id eſt, contra Deum ipſum exercituum) *magnificatum eſt.* Neque huic interpretationi auctores deſunt. Chryſoſt. hom. 2. aduerſus Iudæos ſic exponit, cuius nomen plus ad huius opinionis auctoritatem, quàm Porphyrij nomen ad infamiam valere debet, vt alios prætercam minoris notæ: ſic igitur interpretor. *Magnificabitur aduerſus omnem Deum.* adeo ſuperbus erit Antiochus, vt contra Deum ipſum verum, aut על כל אל. contra omnem Deum pugnare audeat, vt c. 8.v.10 & 11. dictum eſt; cùm enim contra templum, & contra Dei legē pugnauit, contra Deum ipſum pugnauit. *Et contra Deum Deorum.* contra vnicū Deum Iſraël, loquetur magnifica iactabit ſe eius populum religionémque deleturum. Quanta in Deum cōuitia iactauerit Antiochus, ex multis librorum Mach. locis notum eſt. Sed quia ſimile quiddam ſup.c.7.v.8. de Antichriſto dictum eſt, non nego hoc ipſum de Antichriſto dici poſſe, tantùm nolim nos in ſcripturarum interpretatione, & in diuinatione rerum futurarum nimiùm eſſe liberos. *Et dirigetur.* ויצליח. & proſperabitur, vt dixit c.8.v.24. id eſt, Deum ipſum quodammodo vincet, non ſuis quidē viribus; ſed quia Deus ſe, propter peccata populi, vinci patietur, vt c.8.v.10.& 11.& 24. partim ab angelo dictum, partim à nobis explicatum eſt, quod & auctor ſecundi lib. Mach. c.6.12. & deinceps multis verbis admonuit. *Donec impleatur iracundia.* donec ira Dei puniendo ſuo populo ſatiata ſit, ſicut ver. præcedenti dixit, vſque ad tempus præfinitum, donec expleat Deus indignationem ſuam, vt apud Ezech. loquitur, cap. 5.13. & 6. 12. & 13.14. & 21.17. *Perpetrata eſt quippe definitio.* facta eſt apud Deum atque conſtituta certa præſcriptio tēporis, vltra quod ira eius non progredietur, ſicut ſuperiore ver. dixit, כי עד למועד. quia adhuc ad certum & conſtitutum tēpus.

37. *Et Deum patrum ſuorum non reputabit.*] Hic locus omnes auctores maximè com-

compulit, vt hæc omnia non de Antiocho, ſed aut de Romanis, aut de Turcis, aut de Antichriſto interpretarentur, quòd Antiochus neque Deos ſuorum patrum ſpreuerit, ſed idolis potiùs, & ſuperſtitionibus, non ſolùm Syriam, ſed ipſam etiam Iudæam, atque adeo Ieroſolymitanum templũ impleuerit, neque à libidine vt Hebraïca verba ſignificant, abſtinuerit; neque cõtra omnes Deos ſurrexerit, neque Deum Maozin ſuo loco poſuerit. Quid? an Romani Deos patrum ſuorum non coluerunt? Hæreticorum Ariſtarchus id nos pro ſua auctoritate iubet credere, nullúmque Romanos Deum præter Capitolium ſuum & imperium habuiſſe dicit. Scilicet illi quidquid libet licet fingere. Nos nullã magis ſuperſtitioſam gẽtem quàm Romanos fuiſſe credimus, quorum animos quidquid noui acciderent, implebat religione, atque ad inſpiciendos Sibyllinos libros, ad procuranda piacula, ad conſulendũ per legatos tanto terrarũ interuallo Delphicum oraculum, ad ædificanda immenſis pecuniis templa impellebat; quod non poteſt, qui Liuium legerit, ignorare. Quæ etſi non religio, ſed ſuperſtitio erat, tamen ea ipſa ſatis eſt, vt de illis hic locus intelligi non poſſit. De Turcis vero quomodo intelligetur, quod à mulierũ libidine abſtineant, qui innumeras alias ſuper alias vxores habent? Meliùs de Antichriſto accipi poteſt, qui ſimulatione caſtitatis multos ſit in errorem adducturus, vt Hieron. interpretatur; ſed id ipſum eſt incertum plúſque probabilitatis, quod Hieronymus & multi alij, quàm quod angelus id dicat, habet. Quod quidem Hebræi de Conſtantino, hæretici verò de Romano Pontifice dictum putant, non eſt alia ratione quàm riſu refutandum. Ego in mea ſemper, duce Chryſoſtomo, ſentẽtia perſeuero, de Antiocho primùm ac ſine dubitatione, deinde quis velit de Antichriſto ſermonem eſſe. Quod autem dicit, *Deum patrum ſuorum non reputabit*, rectè mihi videtur Hugo Cardinalis explicare, auctor, & propter antiquitatem, & propter ſacrarum literarum ſcientiam, dignus, qui meliore quàm eſt inter Theologos loco habeatur. Ac verò non video cur non eum Lyrano præferamus, niſi quia illi fortuna defuit. Is ſic exponit, Antiochum Deum patrum ſuorum non reputaſſe, non quod Deos patrios non coluerit, ſed quod Iudæorum Deum, quem maiores eius Syriæ reges ita venerati fuerant, quamuis ſua adhuc idola retinerent, vt & Ieroſolymitanum templum multis donis ornarent, & ſumptus ad ſacrificia ſuppeditarent, vt 2. Mach lib. c. 3. v. 2. & 3. ſcriptum legimus. Eodem modo Polychronius grauis auctor expoſuit. *Et erit in concupiſcentiis fœminarum.* Si ita vertamus, vt Hieronymus vertit, nihil difficultatis erit: nec enim dubium eſt, quin Antiochus omni libidini deditus fuerit. Si autem eum ſenſum ſequamur, quem & Hebraïca videntur verba præ ſe ferre, & Hieronymus in commentariis probat, & concupiſcentiam fœminarum non reputabit, non ſignificabitur illum mulieroſum non fore, ſed adeo crudelem futurum, vt ne fœminarum quidem, quibus in bello parci ſolet, rationem habeat: quod quàm aptiſſimè congruit cum Mach. hiſtoria; legimus enim lib. 2. c. 5. v. 13. Fiebant ergo cædes iuuenum, ac ſeniorum, & mulierum, & natorum exterminia, virginúmque & paruulorum neces. Similis quidem locus lib. 1. Reg. c. 15. v. 3. eſt. *Nec quemquam Deorum curabit.* Hæc verba, niſi ego ipſe fallor, fallunt multos: putant enim eſſe ſenſum, Antiochum, aut Antichriſtum, aut quiſquis eſt de quo hîc angelus loquitur, nullum prorſus Deum curaturũ: at non ita eſt, quomodo enim Deum nullum curabat, qui Maozin, vt v. ſequẽti dicitur, venerabatur? Ego igitur ſic interpretor, Antiochum nullum curaſſe Deum, quia illum qui vnus erat Deus, non curauit; ſed hoſtiliter perſecutus eſt:

 nam

nam ille ipſe Maozin, quem loco veri Dei poſuit, non erat Deus, ſed aurum, vel argentum, vt explicatur v. 38. Ex quo perſpicuum eſt angelum omnes falſos Deos ita vero opponere, vt qui verum Deum non curet, eum nullum Deum curare dicat. *Quia aduerſum vniuerſa conſurget.* & humana & diuina, ac ſi diceret, non ſolum contra homines, ſed contra Deum ipſum bellum geret. Dicitur autem contra Deum bellum gerere, qui eius cultum, religionémque perſequitur. Quemadmodum D. Paulus cum Chriſtianam perſequeretur religionem, Chriſtum perſequi dicebatur, Actor. 9. 4. 22. 27.

Quinam dicantur contra Deum bellum gerere.

38. *Deum autem Maozin in loco ſuo venerabitur.*] ולאלה מעזים על כנו יכבד. & Deum fortitudinum aut poteſtatum, loco illius venerabitur, quemadmodum Aquilam tráſtuliſſe, Hieronymus eſt auctor. Quamquam & ipſe & Theodotio nomen ipſum Hebraïcum, ne quid ſententiam variarét, reliquerunt. Ego prætermiſſis multis expoſitionibus, quæ niſi iudicio careo, alienæ ſunt, ſimpliciter & congruenter ad ſuperiorum v. explicationem interpretor, Deum fortitudinum ex falſa Græcorum opinione Iouem appellari, qui deorum princeps ac potentiſſimus habebatur, quemadmodum Deus noſter Deus virtutum & Deus exercituum in ſacris literis appellatur, dicit ergo angelus fore, vt Antiochus verò Deo de ſuo templo quodam modo deturbato, ſtatuam Iouis Olympij eius loco ponat, ſicut verſu 31. dixerat fore vt poneret abominationem deſolationis. Eadem enim hîc ſententia aliis verbis repetitur, quod 2. Mach. lib. cap. 6. 2. re ipſa factum fuiſſe conſtat. *Et Deum quem ignorauerunt patres eius.* Senſus eſt, vt ego quidem exiſtimo, (nam omiſſis aliis meam hîc interpretationem ſequor) Antiochum adeo peruerſè ſuperſtitioſum fore, vt quum verum Iudæorum Deum, quem maiores eius in magno honore habuiſſent, oppugnauerit, tamen alia ex parte, non ſolùm vetera patrum ſuorum idola culturus ſit; ſed noua etiam qui illi non nouerint, introducturus, quemadmodum Hugo alios ante ſe interpretatos fuiſſe dicit. Non legimus Antiochū nouos inueniſſe Deos; ſed cùm lib. 1. Mach. c. 1. v. 57. legamus eum omnes Iudææ vrbes idolis repleuiſſe, non eſt diſſimile vero aliquem illum nouum finxiſſe Deum, aut ex illa certè Deorum Ægypti colluuie aliquem, quem Syrij antè non coluerant, in Syriam adduxiſſe. Mihi alium etiam ſenſum verba Hebraïca videntur habere poſſe, vt relatiuum eius, non ad Antiochum, ſed ad vnumquemque colentium Iudæorum referatur, ſic & Deum, quem non cognouerunt patres eius (Iudæi) vnumquemque יכבה. colere faciet, id eſt, Iouem Olympicum. quem ſenſum etiam Hieronymus indicat. Quiduis denique mihi probabiliùs videtur, quàm quod dicunt, qui de Romano interpretantur imperio.

39. *Et faciet vt muniat Maozin.*] למבצרים מעזים. ad minutiones præſidiorum, non enim eſt nomen proprium Maozin, ſed appellatiuum, vt ſuperiore ver. Antiochus, vt mutata religione, præſidia Iudææ magis firmaret, in ſingulis vrbibus idola poſuit, vt Iudæi ſuſcepta idololatria minùs ſtuderent nouis rebus, 1. Mach. 1. 57. aut certè de Ioue Olympio in templo Ieroſolymitano collocato intelligendum, quo voluit Antiochus vrbem caput regni, ſicut Romam Ioue Capitolino muniri. *Cum Deo alieno quem cognouit*, præſentia & numine Iouis Olympij, quem יכיר. cognoſcere fecit Iudæos, quem Deum alienum vocat, non Anticho ſed Iudæis, qui Iouem antè non nouerant. Hic ſenſus etſi nouus eſt, tamen eſt facilis & Machabæorū hiſtoriæ conſentaneus, itaque malo certa & perſpicua, quàm dubia & obſcura ſectari. *Et multiplicabit gloriam.* honore eos Iudæos afficiet, qui Iouem ſuum colere voluerint, eíſque poteſtatem agróſque libera-

liberaliter dabit,vt conſtat lib.1.Mach.c.2.v.18.& lib.2.c.7.v.24. hoc eſt quod dicit, *Dabit eis poteſtatem*. Iudæis,qui Iouem adorare volẽt. Relatiuum ſine antecedẽte Hebræorum more. *Et terram diuidet gratuitò*. וארמה יחלק במחיר.& terram diuidet in pretium,id eſt,in mercedem iniquitatis & idololatriæ.

40. *Et tempore præfinito.*] à Deo prælíabitur. יתנגח. cornu petet, ad verbum, id eſt, irritabit illum rex Auſtri Ptolemæus Philometor. Qui verò de Antiocho hæc intelligunt, eum regem ſignificari putant, qui in Ægypto Antichriſti tempore regnabit, aduerſus quem veteres auctores tradiderunt, primùm bellum Antichriſtum ſuſcepturum; quod, vt dixi ſuprà, non aliam, quàm quod illi dixerunt, probabilitatem habet, quæ pro illorum auctoritate magna ſanè eſt. Qui autem ad Romanum imperium hanc prophetiam trahũt,cùm per Romanorum hiſtorias aberrãtes multa commemorauerint, nihil mihi,quod cum hoc loco cognationem habeat, dicere videntur. Magis etiam alij hæretici impij, ſimul & ridiculi ſunt, qui vt hoc in Romanum Pontificem quadrare doceant,dicunt regem Aquilonis, qui cum curribus & equitibus,& claſſe magna terras regis Ægypti ingreſſus fuerit, Gallos fuiſſe, qui ante annos quadringentos Turcarum imperatori bellum intulerint: pœnitet enim eos belli ſacri, pœnitet tot contra immaniſſimos Turcas victoriarum, pœnitet recuperatæ terræ illius,quæ Chriſti preſſa veſtigiis,meritò ſancta nominatur,Gaudent amiſſa ea, Turcámque in illa potiùs regnare,quàm Gallum:neque verò mirum eſt iis,quibus Romanus Pontifex,& Gallorũ rex Antichriſtus ſit,Turcam eſſe Chriſtum. Ego meum Polychronium & Hugonem ſequor, deq; Antiocho hæc interpretor; & quia non lego Antiochum, poſtquam Romanorum legatione ab Ægypto diſceſſit,eò rediiſſe,malo dicere repetitionem eſſe eorum,quæ v.25.angelus dixerat, atque de illa ipſa ſecunda Antiochi in Ægyptum expeditione, quàm hiſtorias de meo comminiſci. Neque qui Prophetas legerint rem nouam aut abſurdam iudicabunt, vt eadem prophetia aliis verbis alioque modo repetatur. Antiochus ergo quaſi tempeſtas contra illum, id eſt, regem Auſtri Ptolemæum Philometorem venturus dicitur, quod iiſdem verbis quibus hîc futurum prædicitur,lib.1.Mach.cap. 1. ver. 18. factum fuiſſe narratur, *Et intrauit in Ægyptum in multitudine graui,in curribus,& elephantis,& equitibus.*

41. *Et introibit in terram glorioſam.*] בארץ הצבי. in terram gloriæ aut deſiderij, id eſt,in Iudæam,quam ſæpè diximus ſic appellari,vt ſup.v.16. & c.8.9. repetit autem quæ dixerat v.28.& 30. *Hæ autem ſolæ ſaluabuntur.* Non poſſum hæc nec meliùs,nec breuiùs, quàm Hieronymi verbis interpretari, Antiochus, inquit, aiunt (indicans aliquos ante ſe ita expoſuiſſe) feſtinans contra Ptolemæum regem Auſtri Idumæos, & Moabitas, & Ammonitas, qui ex latere Iudææ erant, non tetigit, nec occupatus alio prælio Ptolemæum redderet fortiorem. Antichriſtus quoque Idumæam,& Moabitas,& filios Ammon,id eſt, Arabiam relinquet intactam, quia illuc ſancti ad deſerta confugient. Poſſumus etiam dicere propterea Idumæos, Moabitas, & Ammonitas, ab Antiocho oppreſſos non fuiſſe, quia cùm priùs idololatræ eſſent, non difficilè illius idola receperunt.

42. *Et mittet manum ſuam*] iniiciet manus ſuas,id eſt,inuadet varias terras. Antiochum non ſolùm regnum Syriæ,ſed multas etiam longè lateq; regiones occupaſſe,& in Mach.libris legimus, & Daniel ſup. prædixerat cap.8. v.9. *Et factum eſt grande* (cornu,id eſt,Antiochus) *contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.* Idem igitur hoc loco angelus dicit, neq; debemus, cùm interpretationem domi natam habeamus, peregrinam quærere. *Et terra Ægypti*

non

non effugiet. Tyrannidem Antiochi:ſignificauit enim ſup.v.24.Antiochum multas Ægypti vrbes capturum eſſe.Auctor etiam 1.lib.Mach.ca.1.v.17.ſic ſcribit, *Et paratum eſt regnum in conſpectu Antiochi,cœpit regnare in terra Ægypti,vt regnaret ſuper duo regna.*

43. *Et dominabitur theſaurorum.*] Antiochus enim Ægyptum ſpoliauit,vt ver. 24.angelus dixit, & 1. Mach. 1. 20. factum traditur. *Per Libyam quoque & Æthiopiam tranſibit.*Hoc multos monet,vt Hieronymus indicauit,quominus de Antiocho interpretantur,quòd non legamus eum Libyam,Æthiopiamq́; tenuiſſe: at angelus non tenturum,ſed eas peruagaturum dicit,& eſt conſentaneum vero,eum,poſtquam Ægyptum ſpoliauit,in Libyam & Æthiopiam Ægypto vicinas prædandi cauſa excurriſſe.

44. *Et fama turbabit eum ab Oriente.*] Iudæa ſi cum Ægypto compararetur ad Orientem Meridionalem ſita eſt.2.autem Mach.lib.cap.5. ſcribitur Antiochus ſuſpicione Iudaïcæ ab eo defectionis Ægypto diſceſſiſſe.His itaq; geſtis(ait auctor ille)ſuſpicatus eſt rex ſocietatem deſerturos Iudæos,& ob profectus eſt ex Ægypto efferatis animis, ciuitatem quidem armis cepit, iuſſit autem militibus interficere, nec parcere occurſantibus, & per domos aſcendentes trucidare. Hoc ergo eſt quod hoc ver.prædicitur.In hac interpretatione,cuius Polychronium grauiſſimum auctorem habui, penitus acquieſco. Sed ſi ab ea diſcedendum eſt, nullam potiùs, quàm illam veterum auctorum de Antichriſto, quam Hieronymus refert,ſequendam cenſeo,qui cum Ægyptias, Libyaſq; & Æthiopas expugnauerit, audiens in Oriente, & Aquilone contra ſe bella conſurgere, eò ſe conuerſurus ſit. Nam hæretici qui hoc de Romanis Craſſo & Pompeio interpretantur , prorſus mihi videntur ſine vllo iudicio delirare.

45. *Et figet tabernaculum ſuum Apadno.*]Apadno non eſt nomen loci proprium, ſed appellatiuum, vt ipſe Hieron. qui Theodotionem imitatus , integrum reliquerit , vt ſolet plerumque facere in rebus dubiis , in commentariis interpretatur. Senſus autẽ eſt, ויטע אהלי אפדנו & plantabit tabernacula palatij ſui, vt exponit R.Dauid, aut tentorij ſui,ſiue papilionis,vt R.Ioſeph,Kimhi,& Saadias interpretantur. Quod mihi magis placet,non enim ſignificat Antiochum(nam de illo etiam hoc intelligo)palatium in vrbe Ieroſolymitana ædificaturum, ſed vrbem capturum. Ponere enim tabernaculum ſuum in aliqua vrbe,eſt bello eam capere,nomẽ enim tabernaculum militare eſt.Quod autem nomen אפדנו. Apadno non proprium ſit,ſed appellatiuũ,primùm ex eo conſtat,quod nullum locum reperiamus ita vocari,quamuis Porphyrius nimia licentia, neſcio quem eius nominis locum finxerit; deinde quod ex verbis ſequentibus , vt ſtatim docebimus, perſpicuum ſit, eum locum in Iudæa, & in ipſa Ieroſolymitana vrbe, de qua hîc agitur,eſſe debere,in qua certum eſt nullum locum Apadno vocari. *Inter duo maria.* Alij mare Perſicum , & Pontum Euxinum, inter quæ Romani imperitauerint , alij & ipſi de Romanis interpretantes, mare ſuperum & inferum , inter quæ imperij Romani ſedes fuerit , intelligunt, Porphyrius duo flumina Euphratem & Tygrim , quæ & claudunt & nominant Meſopotamiam. Ego non dubito , valdeque miror , alios dubitare , duo maria vocari mare Mediterraneum,& mare Mortuum, inter quæ Iudæa ſita erat. Agitur enim ſine vlla dubitatione de Iudæa , vt ex verbis, quæ ſequuntur , manifeſtum erit.Vſus eſt autem angelus hac phraſi , vt ſignificaret Antiochum tota Iudæa ab vno mari vſque ad alterum dominaturum. *Super montem inclytum & ſanctum.* Non dubium, montem Sion,aut montem vbi erat templum Ieroſolymitanum, ſignificari;

Digitized by Google

ſignificari; quia & eodem modo quæ Ieruſalem appellatur, vt ſup.v.41. & 16. & c.8. v. 9. & quia nullus alius mos ſanctus vocaretur. Qui de Antiocho hunc locum interpretantur, montem oliuarum intelligunt. Chriſti aſcenſu conſecratum, vbi Antichriſtum ſpiritu oris Domini interimendum eſſe dicunt. Alij qui de Romanis exponunt, nihil ad rem. quod dicant, inuenire poſſunt. *Et nemo auxiliabitur ei.* Hoc & qui de Antiocho, & qui de Antichriſto intelligunt, ſic exponunt, illic eſſe eum moriturum, propterea angelum dicere, neminem illi auxilio futurum. Ego relatiuum לו. ei, ad montem refero, ſenſúmque eſſe arbitror fore, vt Antiochus montem Sion, neque Deo, neque hominibus defendentibus capiat: quemadmodum ex Machabæorum libris factum eſſe conſtat.

CAPVT XII.

IN tempore autem illo conſurget Michaël princeps magnus, qui ſtat pro filiis
populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt vſ-
que ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis qui in-
uentus fuerit ſcriptus in libro. 2 *Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigi-*
labunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant ſemper. 3 *Qui autem*
docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi
ſtellæ in perpetuas æternitates. 4 *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſ-*
que ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia. 5 *Et vidi*
ego Daniel. & ecce quaſi duo alij ſtabant: vnus hinc ſuper ripam fluminis, & alius inde
ex altera parte fluminis. 6 *Et dixit viro qui erat indutus lineis, qui ſtabat ſuper aquas*
fluminis, Vſquequo finis horum mirabilium? 7 *Et audiui virum qui indutus erat lineis,*
qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cùm eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cœlum & iu-
raſſet per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et cùm
completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc. 8 *Et ego au-*
diui, & non intellexi, & dixi, Domine mi, quid erit poſt hæc? 9 *Et ait: Vade Daniel: quia*
clauſi ſunt, ſignatiq́; ſermones vſque ad præfinitum tempus. 10 *Eligentur, & dealbabun-*
tur, & quaſi ignis probabuntur multi: & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij,
porrò docti intelligent. 11 *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita*
fuerit abominatio in deſolationem, dies mille, ducenti nonaginta. 12 *Beatus qui expectat*
& peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque. 13 *Tu autem Daniel vade*
ad præfinitum & requieſces, & ſtabis in ſorte tua in finem dierum.

DESCRIBIT Angelus Eccleſiæ, ſub Antichriſto perſecutionem, cuius perſecutio ſub Antiocho figura erat.

1. *In tempore autem illo.*] Coniungit tempus omne poſt Chriſtum cum tempore, quod ſub Antiocho ante Chriſtum præceſſit: quia non perſequitur perpetuam rerum ac temporum ſeriem: ſed tantùm notat inſignes Eccleſiæ ſtatus conuerſiones. Quemadmodum D. Ioan. totum poſt Chriſtum tempus, vſque ad finem mundi, nouiſſimam horam vocat, non propter temporis breuitatem, ſed propter ſtatum: quia cùm Chriſtus iam veniſſet, non iam Chriſtus tamquam redemptor expectandus; ſed Antichriſtus tanquam perſecutor timendus erat. Eodem ergo modo angelus dicit in tempore illo, cùm de Antiochi perſecutione locutus fuiſſet, duo diſiunctiſſima tempora in vnum propter ſimilitudinem

Digitized by Google

coniungens. Sicut Chriſtus apud Matth.c.24.2.5. cùm de templi euerſione loqueretur, finem euerſionémq; mundi, cuius ea euerſio figura futura erat in vnũ idémq; tempus confundit. Hæc ideò adnotaui vt radicem quorundam errori, præciderem qui propter hoc vnum verbum in tempore illo, etiam hoc caput de Antiocho interpretantur, quos ea, quæ v.2. dicuntur, facilè coarguunt. *Michaël princeps magnus*. Maior pars nouorum Hæreticorum Chriſtum putant hoc loco Michaëlem appellari. Qui & in Apoc.c. 19 v.16. in equum ad defendendam Eccleſiam hoſtéſque obterendos conſcendiſſe dicitur. Quod ego ſine iudicio dictum exiſtimo, eóſque omnia Chriſto tribuere volentes, verentéſque ne ſanctorum interceſſioni locus aliquis patere videatur, magnam Chriſto iniuriam facere, in angelorum eum ordinem redigentes. Nec in dubium eſt Angelum de illo ipſo Michaële loqui, de quo cap. 10. v. 13. dixerat. *Et ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*, & ver. 21. *& nemo adiutor meus in omnibus his niſi Michaël princeps veſter*. Illic autem manifeſtum eſt non Chriſtum, ſed vnum ex principibus angelis Michaëlem vocari. Dicitur autem ſurrecturus, non quod ipſe ſuis viribus Eccleſiam defenſurus, Antichriſtúmque interempturus ſit. Hic enim honos vni debetur Chriſto, qui Antichriſtum, vt ait D. Paulus, occidet ſpiritu oris ſui: ſed quod eorum angelorum, qui cum Chriſto venturi ſunt, Matth. 25. 31. dux & anteſignanus futurus ſit: ac fortaſſe Archangelus ille, de quo D. Paulus dicit 1. epiſt. ad Theſſal. c. 4. v. 16. Chriſtum in tuba, & in voce Archangeli venturum eſſe. In omnibus enim prælíis, quæ pro Deo committuntur, Michaël dux eſſe ſolet, vt apud Iudam, ver. 9. & in Apocal. c. 12. 7. legimus. Propterea hoc loco vocatur, Magnus, quia vt ait D. Ioannes cæterorum Angelorum dux futurus eſt. Ille enim locus, hunc, & hic illuſtrat. *Qui ſtat pro filiis populi tui*. Qui Eccleſiæ cuſtodiendæ præfectus eſt, vt ſuprà c. 10. v. 13. & 21. expoſuimus. Rectè ex hoc loco veteres auctores collegerunt Michaëlem etiam nunc Eccleſiæ noſtræ præeſſe, nec enim angelus hic de veteri ſynagoga, ſed de populo Chriſtiano loquitur, cùm hæc ad Antichriſti tempora referantur. Vocatur autem populus Chriſtianus, populus Danielis, quia non omnes qui ex Iſraël ſunt, ij ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij: Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen Rom. 9.6.7.8. Eadem enim vetus illa & hæc noua Eccleſia eſt, ſtatus autem mutatus fuit. Eam vocat populum Danielis, quia vir deſideriorum erat, id eſt, Eccleſiæ Dei ſtudioſiſſimus, cap. 9. 23. & cap. 10.11. 19. ſicut cap. 9.19.24. & c. 10. 14. & 11. 14. *& veniet tempus*. H. עתצרה. tempus anguſtiæ, vt Theodotio vertit; eodem modo Chriſtus ad hunc locum alludens, apud Matt.c.24.21. erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò; neque fiet. *Omnis qui inuentus fuerit in libro*, qui prædeſtinatus fuerit, ipſa enim prædeſtinatio liber vitæ vocari ſolet, vt in Apoc. 20. 15. & 21. 27. Refutatur hoc loco nouorum Hæreticorum error, ſolos prædeſtinatos Eccleſiam appellantium, non enim angelus omnem Danielis populum, hoc eſt, omnem Eccleſiam liberatum iri dicit; ſed eos tantùm qui prædeſtinati fuerint, non ergo omnes qui in Eccleſia ſunt, prædeſtinati ſunt.

2. *Et multi.*] Non ſolùm Porphyrius, qui reſurrectionem irridebat, ſed etiam inter Hebræos R. Ioſue vt refert Aben Eſra, & inter Catholicos Polychronius & inter Hæreticos Germanus quidam noſtro tempore, negarunt hunc locum de reſurrectione intelligendum: ſed Iudæos ab Antiocho oppreſſos mortuis comparari, eorum autem liberationem reſurrectioni, vt apud Iſaiam c. 26. 19.

Viuent

Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent. Et apud Ezechielem cap. 37. 12. Hæc dicit Dominus Deus, *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus, & inducam vos in terram Iſraël.* At hic error facilè ex proximis verbis refutatur, *alij in vitam æternam, alij in opprobrium*; Nam ſi populi liberatio reſurrectio vocaretur, nemo diceretur in opprobrium reſurgere. Nam qui ad opprobrium addicitur, non liberatur, ſed damnatur, vt rectè Theodoretus obſeruauit: Deinde ſi non ageretur de vera vltimaque reſurrectione, quo modo ad vitam æternam reſurgere dicerentur? Nec huic errori faciet, quod angelus non omnes, ſed multos reſurrecturos dicit: Multos enim pro omnibus poſuit: quod ſæpe in ſacris libris fieri videmus. Sic enim dicit Chriſtus, Multi ſunt vocati, pauci verò electi, cùm ex eodem loco omnes vocatos fuiſſe conſtet. Sic D. Paulus per vnius hominis inobedientiam multos peccatores conſtitutos fuiſſe ait, ad Rom. 5. v. 19. cùm v. 12. & 18. peccatum dixiſſet in omnes homines peruaſiſſe, ſed quia quoties multi pro omnibus ponuntur aliquid eius rei cauſæ eſſe animaduertimus, quemadmodum apud Matth. multi vocati, paucis electis, apud Paulum, multi peccatores, vni peccati auctori opponuntur. Æquũ eſt vt hoc etiam loco, vt cauſam quæramus, cur angelus multos pro omnibus dixerit. R. Saadias exiſtimat multos dici, quia non omnes, ſed boni reſurrecturi ſint. Quod cum ipſis verbis appareт eſſe falſum, Inter Hæreticos quidam putant multos vni opponi, vt apud D. Paulum: At hîc illum vnum, cui multi opponantur, non videmus. Alij multos dictum eſſe, non omnes, quia omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, 1. Cor. 15. 51. ij ſe ipſi refellunt, nam ſi omnes reſurgemus, quamuis non omnes immutandi ſimus, omnes debuit dicere angelus reſurrecturos eſſe. Adde quod ex illis ipſis multis, alij in vitam, alij in opprobrium reſurrecturi dicuntur, non ergo propterea multos & non omnes angelus dixit, quod de illis tantùm, qui immutandi erant, loquéretur. Nam qui ad opprobrium reſurgent non immutabuntur. Alij paulò meliùs idem valere multorum nomen exiſtimant, ac ſi angelus dixiſſet vniuerſa mortuorum multitudo reſurget, rectè ſi angelus dixiſſet, multi qui dormiunt in terræ puluere reſurgent. Cùm autem dixerit multi ex iis qui dormiunt reſurgent nullum hæc interpretatio locum habet. Illud enim, ex, aliquos, qui reſurrecturi non ſint, ab iis, qui reſurrecturi ſunt, ſecernere videtur. mihi igitur propter ſequentem diſtributionem videtur multos dixiſſe, quemadmodum ſi clariùs dixiſſet, Omnes reſurgent, multi ex illis ad vitam æternam, multi ad opprobrium. Aut multi ex mortuis reſurgent ad vitam, multi ad opprobrium ſempiternum. *In terræ puluere.* Hæc duo verba, ad declarandam diuinam, in ſuſcitandis mortuis, potentiam, adhibita ſunt. Vt ſi diceret angelus mortui quamuis in terram atque adeo in minutiſſimum puluerem reſoluti ſint, Dei tamen potentia ſuſcitabuntur. Simile illud eſt apud Ioan. in Apoc. c. 20. 13. *Dedit mare mortuos ſuos, qui in eo erant. & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant.* Nam illa maris, & mortis, id eſt, ſepulchri, inferníque diſtributio eò ſpectat, vt Dei potentia commendetur quaſi diceret, nullus locus, neq; aqua, neque terra neque infernus Deum mortuos ſuſcitantem impediet, ſed illi omnia ad nutum obedient. *In opprobrium.* In ſupplicium æternum, vt Chriſtus ait hunc locum explicans, apud Matth. cap. 25. 46. & apud Ioan. 5. 29. opprobrium mortem ignominioſam dixit, vitæ enim opponit. *Et videant ſemper.* Opprobrium ſuum, vt ſemper mortem experiantur, vt perpetuò moriantur. Hoc ſenſu Hieronymus vertit, Chaldæum Paraphraſtem ſecutus, qui dictionem דראון. ex די. ſatis & ראה.

videre compoſitam putat,eodémque modo R. Saadias exponit. Cæterùm Hebraicè alius ſenſus eſſe poteſt, לדראן עולם. in contemptum ſempiternum. Eſt enim præcedentis verbi repetitio. Aut in vermem ſempiternum vt videtur R. Dauid interpretari. *Vermis enim eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur,* Iſai. cap. 66. 24. & Matth. 9. 44.

3. *Qui docti fuerint.*] משכילים. actiuè ſumendum arbitror doctores, vt cap. 11. ver. 33. & 35. quia & verbum actiuè ſignificat & ſenſus eſt melior, non enim doctis ſed docentibus præmia dari conuenit. Doctores autem dicit, non qui varias artes verbis; ſed qui fidem, qui pietatem, qui bonos mores exemplo ſuo docent, præſertim verò martyres, vt cap. 11. ver. 33. & 35. cùm duo reſurgentium genera futura eſſe dixiſſet, alterum eorum, qui ad vitam, alterum, qui ad mortem ſempiternam ſurrecturi ſunt; exponit nunc, qualis eorum, qui ad vitam reſurgent, conditio futura ſit. doctores ergo, aut omnes iuſtos intelligere poſſumus, quia omnes exemplo vitæ docent, quos ſplendori cœli comparat, vt Chriſtus videtur apud Matth. c. 13. v. 43. explicare. *Tunc iuſti fulgebunt, ſicut ſol in regno patris eorum.* & D. Paulus 1. ad Corinth. 15. 41. & 42. alia claritas ſolis, & alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Aut, vt Hieronymo, & omnibus ferè placet, doctores non omnes iuſtos, ſed eos tantùm, qui alios ad ſalutis viam deducunt, appellat. qui enim conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius, & operis multitudinem peccatorum, Iacob. 5. 20. Hæc interpretatio bona eſt, ſed prior mihi videtur Danielis phraſi magis conſentanea. *Et qui ad iuſtitiam erudiunt multos.* ומצדיקי הרבים. ad verbum, & iuſtificantes multos. Ita vocat eos, qui cauſa aut doctrina, aut exemplo ſunt ſalutis aliorum. ij enim non ſolùm iuſtificare: ſed etiam ſaluare eos dicuntur, vt apud Iacobum cap. 5. 20. & apud Paulum 1. ad Tim. 4. 16 Itaque noui Hæretici ridiculi ſunt, qui nolunt homines pro hominibus interceſſores apud Deum eſſe, cùm ſcriptura non interceſſores modò, ſed iuſtificatores, & ſaluatores appellet. *In perpetuas æternitates.* לעולם ועד. in æternũ & vltrà. id eſt, ſemper, vt Mich. 4. 5. Quos antea משכילים. doctores, nunc מצדיקים. iuſtificatores, & quem antè ſplendorem firmamenti, nunc clariùs ſtellas appellat: eiuſdem quippe ſententiæ repetitio eſt.

4. *Tu autem Daniel claude ſermones.*] Variæ ſunt in hunc locum recentiorum interpretum explicationes. Quidam aliud nihil, quàm perfectam & abſolutam eſſe prophetiam ſignificari putant, quòd quæ abſoluta ſunt obſignare ſoleamus. Quod mihi neſcio cur non arridet. Alij auditorum incredulitatem notari quaſi angelus dicat, quamuis pauci credituri modo ſint, tu tamen non propterea prophetiam abiicias, ſed ſerua eam apud te diligenter, veniet enim tempus, quo tempore multi eius ſenſum inueſtigaturi credituríque ſint. Alij obſcuritatem prophetiæ deſignari, quaſi dicat angelus, vt ſignata apud ſe habeat, ita vt nemo poſſit intelligere, quoad tempus venerit, vt multi legentes eam intelligant, Horum opinio eò probabilior, quòd plures & meliores auctores, Hieronymum & Theodoretum habeat. Ego tria notari arbitror, primum temporis quo prophetia euentura eſt, longinquitatem. quaſi dicat, quamuis ea quæ prædixi nonniſi longo pòſt tempore euentura ſint, ne propterea de euentu eorum dubites, ſed ſigna apud te & quaſi depoſitum quoddam ſerua prophetiam. Eueniant enim quæ prædicta ſunt aliquando. Eodem enim ſenſu dixit angelus cap. 8. 26. *Tu ergo viſionem ſigna, quia in dies multos erit.* Hoc etiam loco ſignificatur, cùm dicitur, *Vſque ad tempus ſtatutum*, & ver. 7. *in tempus & tempora & dimidium.*

Digitized by Google

dium temporis. Secundò exiſtimo prophetiæ obſcuritatem ſignificari, vt explicatur ver. 8. & 9. *Et ego vidi & non intellexi. Et ait, vade Daniel, quia clauſi ſunt obſignatique ſermones.* Hic etiam ſenſus cap. 8. ver. 26. indicatur, ſic Iſaias cap. 29. 11. *Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti litteras dicent, lege iſtum, & reſpondebit non poſſum, ſignatus eſt enim.* Hic denique liber ille eſt, quem Ioan. in Apocal. cap. 5. 1. ſeptem ſigillis, id eſt, omnibus modis ſignatum vidit, quémque nemo præter agnum aperire potuit, quia donec Chriſtus ad iudicium veniat, & ea, quæ hîc dicuntur, compleat, nemo poterit intelligere. Tertio loco prophetiæ veritatem firmitatémque, notari puto, certa enim habentur, quæ obſignata ſunt. Hunc etiam ſenſum, ex cap. 8. ver. 26. colligimus. *Et viſio* (inquit) *veſpere & manè, quæ dicta eſt, vera eſt, tu ergo ſigna viſionem. Vſque ad tempus ſtatutum.* vſque ad tempus, quod à Deo præſcriptum eſt, vt ea quæ prædicta ſunt, eueniant, tunc enim euentus ipſe homines docebit. Nam his fieri incipientibus reſpicient, & leuabunt capita ſua, videbúntque redemptionem ſuam appropinquare, vt Chriſtus ait, Luc. 21. 28. *Plurimi pertranſibunt.* ישטטו. inueſtigabunt, id eſt, ex euentu excitabuntur ad inquirendum, num id ſit, quod per hanc prophetiam ſignificabatur, ſcientiàque euenientibus in dies rebus multiplicabitur; Nam initio quidem, cùm hæc à Daniele ſunt ſcripta, nemo intelligebat, poſt Antiochi tempus intelligi cœpta ſunt. quæ ad Antiochi perſecutionem pertinebant, ea autem, quæ de Antichriſto dicta fuerant, non intelligebantur. Incipient autem homines intelligere cùm ea ſigna aduentus eius venerint, quæ à Chriſto apud Lucam cap. 21. 25.

5. *Duo alij ſtabant.*] Probabile eſt quod Hieronymus dicit, alterum Græcorum, alterum Perſarum angelum fuiſſe, de quibus ſuprà mentio facta fuerat c. 10. v. 20. Quod autẽ quidam Hæreticorum magiſter ſcribit fuiſſe animas illas, quæ in Apoc. c. 6. v. 9. & 10. ſub altari dicuntur clamare. *Vſquequo Domine non vindicas ſanguinem ſeruorum tuorum?* prorſus ridiculum. *Super ripam.* על שפת. iuxta ripam fluminis Tigris vbi iſthæc omnia viderat. cap. 10. ver. 4.

6. *Et dixit viro.*] Angelo, qui mecum loquebatur, viri formam habenti, lineíſque induto cap. 10. 5. Dixit (inquam) illi alter eorum duorum angelorum, quem poſtremo loco nominaui, quod ſequitur. *Vſquequo finis.* Quando hæ res mirabiles fient, quas prædixiſti. Similis apud Matt. c. 24. v. 3. interrogatio. dic nobis quando hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui, & conſumationis ſæculi: ſic enim eſt natura comparatum, vt ſimul atquè aliquid mirabile futurum eſſe audimus, cupiditas nobis, quò id magis celatur. magis excitetur quærendi ſciendíque temporis, quo id ſit euenturum. Quæ cupiditas multas de tempore iudicij vanas opiniones peperit, cùm enim id naturali deſiderio multi magno labore veſtigarent, nolléntq; videri tantam in ea operam fruſtrà poſuiſſe maluerunt aliquid fingere, quàm fateri ſe, quod quærebant, inuenire non potuiſſe. Illic Chriſtum diſcipuli, hîc autem angelum angelus interrogat. Quod ideo factum diuino conſilio eſſe ſuſpicor, ne Daniel curioſiùs id inueſtigare vellet, quòd videret, ne angelis quidem rogantibus reuelari. Eadem enim ratione Chriſtus diſcipulorum idem ſcire volentium curioſitatem repreſſit: dicens id ne angelos quidem, imò neque filiũ hominis ſcire, Matt. 24. 35. & Marc. 13. 31.

7. *Et audiui virum.*] Angelum illum lineis indutum ſpeciem viri habentem, vt ver. præcedente & cap. 10. ver. 5. Quod Hæreticus quidam dicit hunc eſſe angelum illum, quem Ioan. in Apoc. c. 10. 5. ſuper mare & ſuper terram ſtantem, manúq; in cœlum tollentem ſe vidiſſe dicit, ſine iudicio dictum eſt. Quis enim

non videt hîc narrari, quid angelus tum, cum loquebatur cum Daniele, fecerit; illic quid inſtante fine mundi facturus ſit. *Et cùm leuaſſet dexteram & ſiniſtram.* Simili iudicio idem ille auctor ſcribit leuationem manuum, non iuramenti, ſed potentiæ ſignum eſſe, quaſi verò Daniel non ſatis explicauerit ideo manus leuaſſe angelum, vt iuraret per viuentem in ſæcula ſæculorum, aut non ſatis ex aliis ſcripturæ locis perſpicuum eſſe, leuare manum, aut percutientis eſſe, vt Ezech. 20. 23. aut iurantis, vt ibidem, ver. 5. 6. 15. 28. 42. Illud quoque exemplum ſcitum eſt, leuabo in cœlum manum meam, dixi, *Viuo ego in æternum*, Deut. 32. 40. cur autem hic angelus vtramq; dicatur leuaſſe manum, meritò quæri poteſt, cum iurantes ſolam dexteram, quæ ſymbolum fidei eſt, leuare ſoleant. Quidam id ad iuramenti confirmationem factum exiſtimant, quod mihi haud omnino diſplicet, ſed alia mihi coniectura eſt, ideo angelum vtranque ſuſtuliſſe manum quòd non ſolùm iurare, ſed Deum etiam obteſtari precaríque voluerit. Nam qui orant, iunctas tollunt, vt ille dicit ad ſydera palmas. *Per viuentem.* Et ſuprà Hæreticorum errorem ſæpe refutauimus, qui hunc Angelum Chriſtum fuiſſe putant, & ex hoc loco apertiùs refutare poſſumus. Si enim Chriſtus eſſet, non per viuentem in ſæcula ſæculorum, ſed per ſemetipſum, non habens maiorem, per quem iuraret, iurauiſſet, vt ait D. Paulus Deum iurare ſolitum ad Hebræos 6. 13. Quemadmodum rectè Theodoretus argumentatur. *Tempus & tempora & dimidium temporis.* Hunc locum ſuprà c. 7. v. 28. vbi de eadem re dicitur, explicauimus, eorúmque refellimus errorem, quíque dies, quíque menſes, quíque hebdomadas, quiq; tempus incertum ſignificari putauerunt. Senſus igitur eſt hanc Eccleſiæ ſub Antichriſto cladem annos tres ac dimidium duraturam: quæ eadem veterum auctorum traditio eſt. Tantundem enim temporis templi ſub Antiocho pollutio ſæuiórque illa calamitas Iudæorum quæ huius ſub Antiocho futuræ calamitatis figura erat, ferè durauit, vt Hieronymus ex Ioſepho & Machab. libris oſtendit. Plura, qui deſiderat, ex cap. 7. ver. 25. poteſt petere. *Et cùm completa fuerit diſperſio manus.* exercitus populi ſancti, hoc eſt, Eccleſiæ, quia enim de bello agebat, militari vſus eſt verbo. Eccleſiam enim tunc fore diſpergendam, & in ſolitudines fugituram, Ioan. ſcribit in Apoc. c. 12. 6. Non ergo hæc priùs complenda ſunt, id eſt, non antè finis mundi venturus eſt, quàm Eccleſiæ perſecutio completa fuerit, quemadmodum D. Paulus ait Chriſtum ad iudicium venturum non eſſe, niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelata fuerit homini peccanti, 2. ad Theſſ. 2. 3. & martyribus illis, qui ſub altari clamantes vindictam ſanguinis ſui poſtulabant, reſponſum eſt, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi erant ſicut illi, Apocal. cap. 6. 11.

8. *Et ego audiui.*] Videbatur angelus poſtquam ab altero angelo rogatus fuerat; quoquomodo finem mundi expoſuiſſe, ſed id fecerat obſcurè & inuolutè. Dixit ergo Daniel ſe cùm explicationem attentè audiuiſſet, non potuiſſe tamen intelligere. Hanc vim habent hæc verba. Et ego audiui, & non intellexi. Simul etiam indicat non debere nos, qui non audiuimus, aut mirari, aut ægrè ferre, ſi non intelligamus; neque curioſiùs inquirere, quæ à tanto Propheta ex ore angeli explicationem audiente, intelligi non potuerunt. Dicit autem ſe non intellexiſſe, non quidem omnia; illud tantùm quod v. 6. alter angelus interrogauerat, quódque ipſe ſtatim interrogat, quando harum rerum finis futurus eſſet. Cætera enim, quæ futura prædicta fuerant, ſatis ſe non interrogando intellexiſſe indicat. *Quid erit poſt hæc?* מה אחרית אלה. quis harum rerum finis erit, vt Theo-

Digitized by Google

Theodotio vertit, πῶτα ἔσχατα τούτων. & ſicut angelus ver. 6. rogauit, quis finis horum mirabilium?

9. *Vade Daniel.*] Hoc verbum tacitam reprehenſionem continet, intelligendíque antè conſtitutum tempus deſperationem iniicit. Quemadmodum Chriſtus ſimilem quæſtionem interrogantibus aſperiùs reſpondet: Non eſt veſtrũ noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, Act. 1. 7. Noluit enim Deus ſciri diem illum, ne dicentes moram facit Dominus noſter venire, incipiemus percutere conſeruos noſtros, & manducare & bibere cum ebrioſis, vt ſeruus ille Matth. 24. 48. 49. ſed vigilaremus paratiq; eſſemus neſcientes diem neque horam: ne nobis dormientibus, ſicut fur in nocte, veniret. *Clauſi ſunt ſignatiq;.* Hoc eſt pater poſuit in ſua poteſtate, & de die illa nemo ſcit, neque angeli cœlorum. Matth. 24. 42. vt ſuprà dixit ver. 4. Nam noſter Ariſtarchus, qui aliud hic atque illic per ſermones clauſos ſignificari putat, pueriliter fallitur. *Vſque ad tempus præfinitum.* Donec tempus à Deo præſcriptum veniet, quo hæc fient. Tunc enim euentus ipſe ſermones aperiet, vt verſu quarto dixit.

10. *Eligentur.*] aſſumentur à Deo in cœlum; eliguntur enim à Deo, qui in Domino moriuntur, יתבררו ויתלבנו mundabuntur & dealbabuntur, ויצרפו. & fundentur multi ad modũ metallorum. Reddit cauſam cur Deus paſſurus ſit illam Eccleſiæ calamitatem non ſolùm euenire: ſed etiam per tempus & tempora & dimidium temporis ingraueſcere, quia id bonis lucro cedet, vt in Apoc. c. 6. 11. ſignificatur, vt bonorum iuſtitia, & malorum iniquitas matureſcat & quodammodo ad cumulum veniat. Hoc enim eſt, quod in Apoc. dicitur c. 22. 11. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* & quod hoc ipſo ſequitur. *Impiè agent impij. Neque intelligent omnes impij.* Etiam videntes res ipſas euenire, prophetiam hanc non intelligent, quia omnia in cauſas naturales, aut in hominum conſilia reiicient. Quibus Dauid dicit, Pſal. 77. 67. *Nolite extollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem, quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque deſertis montibus, quoniam Deus Iudex eſt. Porrò Docti intelligent.* משכילים. doctores, aut docentes, vt ſuprà ver. 3. & cap. 11. ver. 33. & doctos autem, ſiue doctores vocat pios iuſtos, qui alios exemplo vitæ ſuæ ad pietatem, & bonos mores mouent, vt illis. Opponit enim doctos impiis: ij ergo intelligent, quia omnia in diuinam referentes prouidentiam, cùm res euenire viderint, reſpicient, & leuabunt capita ſua, & cognoſcent redemptionem ſuam appropinquare. Danieliſque prophetiam impleri, quemadmodum à Chriſto moniti fuerant, Luc 12. 28. & Matt. 24. 15. Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat. Tunc, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua, & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam.

11. *A tempore cùm ablatum fuerit.*] Multas huius loci interpretationes, obſcuritas eius peperit. Porphyrius, vt Hieronymus eſt auctor, de tempore quo templum Ieroſolymitanum ſub Antiocho ſine ſacrificio fuit interpretabatur, quem nonnulli quoque noſtro tempore ſcriptores imprudenter ſecuti ſunt. Quæ enim ver. 2. de reſurrectione Angelus dixit, non patiuntur, vt de alio tempore, quàm de mundi fine intelligamus. Inter Hebræos quidam, tempus, quo eorum nimium iamdiu expectatus Meſſias, venturus ſit, indicari putant, dieſque pro annis ſumi, vt apud Ezech. cap. 4. 4. 6. poſt templi enim ſecundi vaſtationem,

ſacrificio-

Digitized by Google

ſacrificiorúmq; abolitionem, mille ducentos nonaginta annos vſque ad Meſſiæ aduentum futuros eſſe, vt R. Saadias interpretatur. quos exactum iam tempus redarguit: Nam à quacumque ſacrificij ſublatione numeres, ſiue ab ea, quæ ſub Nabuchodonoſore, ſiue ab ea, qua ſub Antiocho, ſiue ab ea, quæ ſub Tiro contigit, plures iam anni prærierunt. Alij exponunt poſt ablationem ſacrificij Iudæos per tres annos cum dimidio, tantumdem enim mille ducenti nonaginta dies faciunt, magnam calamitatem ſubituros quemadmodum ſub Antiocho per tres annos cum dimidio aut circiter ſacrificio caruerunt, miſerandúmq; in modum vexati ſunt. In hanc ferè ſententiam explicat R. Abraham Hæreticorũ quidam tempus certum pro incerto poni dicunt, & nihil aliud ſignificari quàm quamtuncumq; tempus longum tempus eſſe videatur, etiamſi vnum valde longum, deinde duplo longiùs, deinde dimidium, vſq; & vſq; retinendam eſſe fidem quia, qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Hanc interpretationem c 7.25. in loco ſimili multis argumentis refutauimus, quæ quia illinc peti poſſunt, non eſt neceſſe hîc iterum ponere. Alius quidam nouam cõmentus eſt explicationem, deſignari tempus, quo Romanorum contra Iudæos durauit bellum, quouſque vrbs capta euerſaq; eſt. ſi enim à decimo tertio Neronis anno, quo cœprum eſt bellum, vſq; ad ſecundum Titi, quo debellatum eſt, numeremus, tres annos ſupra dimidium reperiri. Quæ ſententia & quia ſuo auctore infamis eſt, & quia locũ non habet, mihi non placet. Cũ enim angelus à ſublato ſacrificio tẽpus numeret, bellus iſte interpres à ſuſcepto bello, vſq; ad auferendũ ſacrificiũ numerandũ putat. Adde quòd non habemus ab eo, quod certũ eſt, ad incerta diſcedere. Certũ autẽ eſt ex tota angeli oratione, agi hîc de fine mundi. Itaq; aut illa vna veterum auctorum interpretatio tenenda eſt, quam c. 7.v.25. explicauimus, Antichriſti perſecutionẽ, poſtquã ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti ſuſtulerit, ſeq; in tẽplo Dei, vt ait D. Paulus, quaſi Deũ oſtentauerit, quod eſt abominationẽ deſolationis in eo ponere, tres annos ac dimidium duraturam. Deinde per quadraginta quinq; dies futuram Eccleſiæ quietẽ, vt Elias & Moſes, &, vt alij dicunt, Ioannes, Eccleſiã colligant. Atq; hoc eſſe, quod ver. ſeq. dicit. Beatus, qui expectat & peruenit vſq; ad dies mille trecentos trigintaquinq; Aut ſi ab hac tam multis confirmata ſæculis ſententia diſcedẽdum eſt; malim dicere, quod diu, multumq; cogitaui, vſq; ad Chriſtum ſexaginta annorum hebdomadas futuras fuiſſe, per dimidium hebdomadis Chriſtum confirmaturum pactum multis in medio hebdomadis tollendum ſacrificium, vt c.9. dixit, à ſublato autẽ ſacrificio vſq; ad finem mundi reliquã eſſe dimidiã annorũ hebdomadã, id eſt, annos tres & dimidiũ. Videtur enim angelus voluiſſe tempus ſeptuaginta hebdomadũ explere, quod c.9. imperfectum reliquerat, non enim dixerat, quid euenturum eſſet niſi vſq; ad ſexageſimam nonã hebdomadam cum dimidia. Itaq; nunc exponit quid Eccleſiæ altera dimidia euenturum ſit. Sed quia ab euerſione templi Ieroſolymitani, quam hîc abominationem deſolationis vocari arbitror, vſque ad finem mundi, multò plures quàm tres anni & dimidius futuri ſunt. Exiſtimo iſtam dimidiam hebdomadam vltimam totum tempus Euangelicæ legis, vſq, ad finem mundi complecti: quod totum tempus quamuis longiſſimum ſit, ideo tamen dies mille ducentos nonaginta, id eſt, dimidiam hebdomadã vocari, quia totum Euangelicæ legis tempus, non eſt integrum tempus, id eſt, integra hebdomas, ſed dimidiata: *Nouiſſima* enim, vt ait Ioan. *hora eſt*, cùm iam venerit plenitudo temporum, nec ſit iam nobis alia lex, alia Eccleſia, alius Chriſtus expectandus. Quare omnis ſcriptura

ſacra,

ſacra, omneſque priſci doctores ita de iudicij die loquuntur, quaſi momentis ſingulis expectaretur, quia nihil aliud expectatur, niſi vt compleantur, qui pro Chriſto occidendi ſunt, vt in Apoc. cap. 6.11. martyribus à Deo reſpondetur. Quod vt fiat nouiſſima hæc hora D. Ioan. & vltima illa dimidia hebdomas Danielis producitur, & in multos annos extenditur. Scio poſſe obijci abſurdum videri, ſi non omnes hebdomadæ & earum partes eodem modo ſumantur, ego verò abſurdum non duco, vt pars hebdomadarum, quæ ſub lege Euangelica explenda eſt, aliter accipiatur, quàm cæteræ partes, quæ ſub lege veteri complendæ erant, ſicut lex, & tempus aliud eſt. Quod ſi eodem modo ſumerentur, non eſſent clauſi obſignatique ſermones, non enim difficile ex præterito hebdomadum tempore futurum colligeremus: quamquam meam magis indicare volui, quàm defenſare ſententiam, auctoremq; ſuum aliis communiorem, vt ſequantur, & qua poſſunt ratione, melius quàm ego, tueantur.

12. *Beatus qui expectat.*] Quid hoc loco angelus velit dicere perſpicuum eſt, cur autem his verbis ex hoc modo dicat, obſcurum, certum eſt eum dicere voluiſſe, beatus qui perſeuerauerit vſque in finem, is enim ſaluus erit, vt Chriſtus videtur explicaſſe, Matt. 10.21. etſi non deſunt, qui neſcio quas prorſus violentas interpretationes comminiſcantur. Cur autem vltimũ finem per quadraginta quinque, quæ prioris mille ducentis nonaginta addit, ſignificet, pauci rectè dubitaſſe, nemo aptè explicaſſe mihi videtur: nam quod quidam dixerunt numerum quadraginta quinque, & ſex ſeptenariis ac dimidio conſtare, quod rectè ad finem accõmodetur, vereor ne minùs argutum & futile ſit. Ego nihil præter meam coniecturam afferre poſſum, quæ ipſa ſi probabilis eſt, nihil eſt, quod in re dubia ampliùs deſideremus, veriſimilitudine contenti. Suſpicor ergo, per tres numeros tria diuerſa tempora indicare angelum voluiſſe, per mille trecentos dies, totum tempus à Chriſto vſque ad Antichriſtum. Addidit enim decem ſupra mille ducentos nonaginta, vt perfectum, &, vt vocant, cardinalem numerum faceret. Per triginta verò, qui & ipſe perfectus numerus eſt, totum tempus, quo regnaturus eſt Antichriſtus, ſignificaſſe. Per quinque vitæ beatæ poſſeſſionem, & quidquid poſt finem temporis futurum eſt, vt indicat ver. ſequenti, *Et requieſces, & ſtabis in ſorte tua in fine dierum.* Poſſumus & per mille ducentos nonaginta dies, totum vſque ad Antichriſtum tempus, per quadraginta ſuper additos tempus, perſecutionis eius, quia hic numerus in diuinis literis pœnitentiæ tempus ſignificare ſolet, per quinque principium beatitudinis intelligere.

13. *Tu autem Daniel vade.*] Noli ampliùs quærere, quæ ſciri non poſſunt, vt dixit ver. 9. qui clauſi ſunt ſignatique ſermones, id enim hoc loco iterum intelligendum eſt. Alij interpretantur לך. *vades*, id eſt, morieris, quod mihi non placet. *Et requieſces.* Quidam exponunt, morieris, quemadmodum & Theodoretus interpretatur: ſed magis R. Saadiæ interpretationem probo, requieſces, id eſt, particeps vitæ beatæ eris, cum iuſtis, quaſi dicat, vade, & vſque ad præfinitum tempus æquo patientiq; animo tuam fer ignorationem, cùm enim tempus finitum erit, tu vnus ex eorum numero eris, qui ad dies mille trecentos triginta quinque venturi ſunt, quos paulò antè beatos dixi fore. *Et ſtabis in ſorte tua.* Reſurges in tuo ordine, vt ait D. Paulus 1. ad Corinth. 15.21. ita Theodoretus, aut, quod magis mihi arridet, habebis tuum in regno cœlorum gradum, tuamque manſionem: manſiones enim multæ ſunt, & alia erit claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum, & ſicut ſtella differt ab ſtella in

claritate, ita erit reſurrectio mortuorum. Hoc enim ipſum voluit dicere D. Paulus, cùm vnumquemque in ſuo ordine reſurrecturum dixit. Vocat autem angelus cœleſtem patriam ſortem, vt alluderet ad terram promiſſionis, quæ cœleſtis patriæ figura erat, ſorteque Iudæis diſtributa eſt, Numer. cap. 26. ver. 55. loquitur enim de re ſignificata tanquam de figura, quod multis alijs locis animaduertimus ſcripturam facere ſolere.

CAPVT XIII.

ET erat vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioacim: 2 & accepit
vxorem nomine Suſannam filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem
Deum, 3 parentes enim illius quum eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam
ſecundum legem Moyſi. 4 Erat autem Ioakim diues valde, & erat ei pomarium
vicinum domui ſuæ: & ad ipſum confluebant Iudæi, eò quòd eſſet honorabilior om-
nium. 5 Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes iudices in illo anno, de quibus lo-
quutus eſt Dominus, quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus qui vi-
debantur regere populum. 6 Iſti frequentabant domum Ioakim, & veniebant ad eos
omnes qui habebant iudicia. 7 Cùm autem populus reuertiſſet per meridiem, ingredie-
batur Suſanna, & deambulabat in pomario viri ſui. 8 Et videbant eam ſenes quotidie
ingredientem & deambulantem: & exarſerunt in concupiſcentiam eius, 9 & euerterunt
ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur
iudiciorum iuſtorum. 10 Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicauerunt
ſibi viciſſim dolorem ſuum: 11 erubeſcebant enim indicare ſibi concupiſcentiam ſuam,
volentes concũbere cum ea. 12 Et obſeruabant quotidie ſolicitiùs videre eam. Dixitq́;
alter ad alterum: 13 Eamus domum, quia hora prandij eſt. Et egreſſi receſſerunt à ſe.
14 Cùmque reuertiſſent venerunt in vnum: & ſciſcitantes abinuicem cauſam confeſſi
ſunt concupiſcentiam ſuam: & tunc in communi ſtatuerunt tempus, quando eam poſſent
inuenire ſolam: 15 Factum eſt autem. cùm obſeruarent diem aptum, ingreſſa eſt ali-
quando ſicut heri & nudius tertius cum duabus ſolis puellis, voluítque lauari in pomario,
æſtus quippe erat: 16 & non erat ibi quiſquam præter duos ſenes abſconditos, &
contemplantes eam. 17 Dixit ergo puellis, afferte mihi oleum & ſmigmata, & oſtia
pomarij claudite, vt lauer. 18 Et fecerunt ſicut præceperat: clauſerúntque oſtia pomarij,
& egreſſæ ſunt per poſticum, vt afferrent quæ iuſſerat, neſciebántque ſenes intus eſſe abſcon-
ditos. 19 Cùm autem egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad
eam, & dixerunt. 20 Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in
concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. 21 Quod
ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob cauſam
emiſeris puellas à te. 22 Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi
enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. 23 Sed
melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.
24 Et exclamauit voce magna Suſanna: exclamauerunt autem & ſenes aduerſus
eam. 25 Et cucurrit vnus ad oſtia pomarij, & aperuit. 26 Cùm ergo audiſſent
clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per poſticum, vt viderent quidnam eſſet.
27 Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſerui vehementer: quia nunquam dictus
fuerat ſermo huiuſcemodi de Suſanna. Et facta eſt dies craſtina. 28 Cùmque veniſſet
populus ad Ioakim virum eius, venerunt & duo presbyteri plení iniqua cogitatione ad-
uerſus Suſannam, vt interficerent eam. 29 Et dixerunt coram populo, Mittite ad

Suſannam

Suſannam filiam Helciæ vxorem Ioakim. 30 Et ſtatim miſerunt. Et venit cum pa-
rentibus, & filiis, & vniuerſis cognatis ſuis. 31 Porrò Suſanna erat delicata nimis, &
pulchra ſpecie. 32 At iniqui illi iuſſerunt vt diſcoperiretur, (erat enim cooperta, vt
vel ſic ſatiarentur decore eius. 33 Flebant igitur ſui, & omnes qui nouerant eam.
34 Conſurgentes autem duo presbyteri in medio populi, poſuerunt manus ſuas ſuper ca-
put eius. 35 Quæ flens ſuſpexit ad cœlum, erat enim cor eius fiduciam habẽs in Domino.
36 Et dixerunt presbyteri, Cùm deambularemus in pomario ſoli, ingreſſa eſt hæc cum
duabus puellis, & clauſit oſtia pomarij, & dimiſit à ſe puellas. 37 Veni que adoleſcens
qui erat abſconditus, & concubuit cum ea. 38 Porrò nos cùm eſſemus in angulo po-
marij videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commiſceri. 39 Et
illum quidem non quiuimus comprehendere, quia fortior nobis erat, & apertis oſtiis exili-
uit: 40 Hanc autem cùm apprehendiſſemus, interrogauimus quiſnam eſſet adoleſ-
cens, & noluit indicare nobis, huius rei teſtes ſumus. 41 Credidit eis multitudo quaſi
ſenibus & iudicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem. 42 Exclamauit
autem voce magna Suſanna, & dixit: Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui
noſti omnia, antequam fiant. 43 Tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt con-
tra me; & ecce morior: quum nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſè compoſuerunt aduer-
ſum me. 44 Exaudiuit autem Dominus vocem eius. 45 Cúmque duceretur ad
mortem, ſuſcitauit Dominus ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. 46 Et
exclamauit voce magna, Mundus ego ſum à ſanguine huius. 47 Et conuerſus omnis
populus ad eum dixit: Quis eſt iſte ſermo quem tu locutus es? 48 Qui cùm ſtaret
in medio eorum, ait: Sic fatui filij Iſraël, non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſ-
centes, condemnaſtis filiam Iſraël? 49 Reuertimini ad iudicium, quia falſum teſti-
monium locuti ſunt aduerſus eam. 50 Reuerſus eſt ergo populus cum feſtinatione, &
dixerunt ei ſenes, Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit
honorem ſenectutis. 51 Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab inuicem procul, &
diiudicabo eos: 52 Cùm ergo diuiſi eſſent alter ab altero, vocauit vnum de eis, & dixit
ad eum: 53 Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris
prius, iudicans iudicia iniuſta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino:
innocentem & iuſtum non interficies. 54 Nunc ergo ſi vidiſti eam, dic ſub qua arbore
videris eos colloquentes ſibi. Qui ait, ſub ſchino. 55 Dixit autem Daniel, Rectè mentitus
es in caput tuum: Ecce enim angelus Dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium. 56 Et
amoto eo iuſſit venire alium, & dixi ei: Semen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te, &
concupiſcentia ſubuertit cor tuum: 57 ſic faciebatis filiabus Iſraël, & illæ timentes loque-
bantur vobis: ſed non filia Iuda ſuſtinuit iniquitatem veſtram. 58 Nunc ergo dic mihi
ſub qua arbore comprehenderis eos loquentes ſibi. Qui ait, ſub prino. 59 Dixit autem ei
Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim angelus Domini gladiũ habens,
60 vt ſecet te medium, & interficiat vos. 61 Exclamauit itaque omnis cœtus voce
magna, & benedixerunt Deum qui ſaluat ſperantes in ſe. 62 Et conſurrexerunt
aduerſus duos presbyteros (conuicerat enim eos Daniel ex ore ſuo falſum dixiſſe teſtimoniũ)
feceruntque eis ſicut malè egerant aduerſus proximum: 63 vt facerent ſecundùm le-
gem Moyſi: & interfecerunt eos, & ſaluatus eſt ſanguis innoxius in die illa. 64 Hel-
cias autem & vxor eius laudauerunt Deum pro filia ſua Suſanna cum Ioacim marito
eius, & cognatis omnibus, quia non eſſet inuenta in ea res turpis. 65 Daniel autem
factus eſt magnus in conſpectu populi à die illa & deinceps. 66 Et rex Aſtyages ap-
poſitus eſt ad patres ſuos, & ſuſcepit Cyrus Perſes regnum eius.

DE huius cap. & ſequentis auctoritate, quantum ad eam confirmandam, ſatis viſum eſt eſſe in prooemio à nobis dictum, neque opus eſt argumentum per ſe facile, & vſu omnibus notum, explicare. Illud tantum dicam videri mihi hoc caput ſtatim poſt primum Danielis caput collocandum, quia hæc Babylone acciderunt, & Daniele puero, ver. 45. & hoc facto Daniel cœpit eſt à populo haberi magnus, ver. 64. & quia denique videmus Danielem cæteras omnes hiſtorias ante prophetias, quaſi gradus quoſdam ad eas, poſuiſſe.

1. *Nomine Suſannam filiam Helciæ.*] Quod nomina vxoris, mariti parentúmque exponit, ad commendandam veritatem hiſtoriæ pertinet. Quod autem Suſannam ex duabus rebus, pulchritudine, & timore Dei laudat, ideo facit, vt tacitè eorum, quæ poſtea dicturus eſt, cauſam reddat. Nam quia pulchra erat, homines etiam ſenes in eius amorem accenſi ſunt, quia autem Deum timebat, mori maluit, quam eorum libidini morem gerere. Eodem ſpectat, quod dicit ver. 3. parentes eam à pueritia ſecundùm legem Moſis erudiuiſſe. Nihil enim ad piè ſancteque totum vitæ curſum traducendum æquè valet, ac recta ab incunabulis inſtitutio, & timor Dei puerilibus animis à parentibus impreſſus.

4. *Honorabilior omnium*] Græciſmus, ἐνδοξότερος πάντων. Latinè, *omnium honorabiliſſimus.*

5. *Et conſtituti ſunt duo ſenes iudices*] In prooemio quibuſdam obiicientibus, Iudæis in captiuitate iudicandi non fuiſſe poteſtatem, reſpondimus veroſimile eſſe, eas cauſas, quæ ad ipſorum legem pertinerent, per ipſos fuiſſe permiſſu regis iudicatas, quod & Romanis dominantibus factum legimus, Ioan. 18. 31. *Accipite eum vos,* (inquit Pilatus) *& ſecundum legem veſtram iudicate eum. De quibus locutus eſt Dominus.* hoc teſtimonium iiſdem in ſcriptura verbis non legimus. Scribit autem Hieronymus Hebræum quendam dicere ſolitum, hoc eſſe ad cap. 29. Ieremiæ referendum, hos enim eſſe ſenes, qui illic à Ieremia frixi à rege Babylonis commemorentur: at hi non frixi, ſed lapidati, nec à rege Babylonis, ſed à Iudæorum populo dicuntur, v. 62. neque quod quidam dicunt, ſimile vero eſt, Ieremiam frixos, qui lapidati fuiſſent, appellaſſe, quòd omnis pœna ignis dici ſoleat. Malim dicere non verba, ſed ſenſum alicuius ſcripturæ loci recitari, qualis ille eſt Ierem. 23. 14. *In Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem, adulterium & iter mendacij. Qui videbantur regere populum*, Non videtur mihi hoc verbum eam vim habere, quam Origenes & Hieronymus putant, quem poſteriores interpretes ſecuti ſunt, quod non verè regerent, cùm iniqui eſſent, ſed regere viderentur, verùm potiùs opinionem exiſtimationémque eorum apud populum ſignificare, quod tantæ eſſent apud omnes auctoritatis, vt populum regere, id eſt, ſuis humeris ſuſtinere viderentur: auget enim multis circunſtantiis eorum crimen, quod ſenes eſſent, quod iudices, quod magni nominis, quod Babylone, id eſt, in loco exilij, vbi veterum peccatorum pœnas luere, non noua peccata veteribus oportebat accumulare.

6. *Qui habebant iudicia.*] οἱ κρινόμενοι, litigantes.

8. *Et videbant.*] Cúmque ſolerent eam videre poſt digreſſum populum aliquantiſper conſultationis cauſa remanentes, ἐγένοντο ἐν ἐπιθυμίᾳ αὐτῆς, *facti ſunt in concupiſcentia eius*, id eſt, cœperunt eam concupiſcere: reddit cauſam libidinoſi amoris ſenum, quòd frequenter mulierem pulcherrimam viderent; Omnis enim mulieris intuitus, vt ait Salomon, periculoſus eſt: pulchræ autem, & aſſiduus, periculoſiſſimus.

9. *Euerterunt.*] infatuati ſunt eius amore. Solet enim amor peruertere rationis

nis ſenſum. *Et declinauerunt.* vſque adeo mente capti ſunt, vt non haberent vllam rationem timoris Dei. hoc eſt, *βλέπειν τὸν οὐρανόν, intueri cælum.* Cœlum enim pro Deo poſuit, continens pro contento. *Neque recordarentur iudiciorum iuſtorum* iudiciorum Dei, qui eos, qui eiuſmodi patrant ſcelera, neque deceptus, neque fauore aut pretio corruptus punire ſolet, quia de iudicibus agebat, vſus eſt nomine iudiciorum, tacitéque iuſta Dei iudicia iniquis ipſorum iudiciis opponit, quæ illis exprobrat Daniel ver. 53.

13. *Eamus domum.*] Volebat vterque alterum ab ſe dimittere, ſolúſque remanere, vt Suſannæ pudicitiæ inſidias poneret.

14. *Et egreſſi.*] Cùm finxiſſent ſe domum ire, à ſeque inuicem digreſſi eſſent, alia iterum via in eundem locum redierunt, *εἰς τὸ αὐτό*, in idem poſſumus intelligere, vel in eundem locum vnum, in quem alter redierat, rediiſſe, aut vtrumque alia atque alia via, in eundem illum locum, ex quo antè diſceſſerant, reuertiſſe. *In commune. κοινῇ.* communi conſenſu, aut conſilio.

15. *Sicut heri & nudius tertius.*] vt aliis diebus ſolebat. Hebraïſmus, כתמול שלשום. ſicut antè, vt Geneſ. 31. 2. & Exod. 4. 10.

17. *Oleum.*] non oliuarum, vt opinor, ſed aliud quodpiam ex variis rebus confectum, quo veteres in balneis vſos fuiſſe legimus. *Et ſmigmata.* Smigma eſt vnguentum abſtergendi vim habens, quo mulieres ad eluendas oris maculas vtebantur, hodiéque in nonnullis locis vti ſolent. Dioſcor. lib. 2. cap. 138. ſmegma potiùs dicendum σμῆγμα.

20. *Aſſentire nobis, commiſcere nobiſcum.*] συγκατάθου ἡμῖν. condeſcende, vt ita loquar, nobis, morem nobis gere.

22. *Mors mihi eſt.*] Non aſſentior Origeni & Hieronymo, ac cæteris ſecutis eos, qui mortem corporis interpretabantur, quaſi ad legem Moſis alludatur, qua adulteræ lapidari videbantur; ſed potiùs pro morte animæ accipio, quod peccatum eſt, quia ſtatim verſu ſequenti dicit, *Sed meliùs eſt mihi abſque opere incidere in manus hominum quàm peccare in conſpectu Domini.* quaſi dicat, meliùs eſt mihi corpore quàm animo mori. Senſus ergo eſt, anguſtiæ mihi ſunt vndique, quia neceſſe eſt me in vnam aut alteram mortem incidere, vos mihi minamini mortem corporis ſi non fecero, Deus mortem animæ ſi fecero.

24. *Exclamauit.*] auxilium implorans, illi verò exclamauerunt eam accuſantes, vt ſi quis ad clamatorem accurreret, putaret eos ibi non tanquam auctores ſceleris, ſed tanquam vindices eſſe.

25. *Et cucurrit vnus ad oſtia pomarij.*] vt illac ingreſſi fuiſſe viderentur, aut ea iuuenem, quem ibi fuiſſe mentituri erant, euaſiſſe dicerent, vt dicunt poſtea verſu 39.

27. *Poſtquam autẽ ſenes locuti ſunt.*] ἡνίκα δὲ εἶπον οἱ πρεσβύτεροι τοὺς λόγους αὐτῶν. *poſtquam autem ſenes rationes ſuas expoſuerunt*, id eſt, criminationes ſuas, erubuerũt ſerui cùm viderent dominam & adulterij, & à ſenibus & à iudicibus accuſari.

28. *Et facta eſt dies craſtina.*] καὶ ἐγένετο τῇ ἐπαύριον. *& factum eſt poſtero die.* Hebraïſmus, pro, cúmque poſtero die populus conueniſſet.

29. *Mittite.*] accerſite Suſannam.

34. *Poſuerunt manus ſuper caput eius.*] Qui aliquem capitalis criminis accuſabant, manibus ſuper caput eius poſitis iurabant, Leuit. cap. 24. ver. 14.

41. *Et condemnauerunt eam ad mortem.*] Non iuridica auctoritate, quam populus non habebat, ſed priuata quiſque tacitáque ſententia, cùm ſcirent adulteram capitis damnandam eſſe, Leuit. cap. 20. ver. 10. & Deuter. cap. 22.

 ver.

ver. 22. iuridicè autem à iudicibus fuiſſe damnatam credendum eſt.

42. *Antequam fiant*] quantò magis hoc poſtquam factum eſt.

45. *Suſcitauit Dominus ſpiritum*] ἐξήγειρεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παιδαρίου νεωτέρου. *Excitauit Dominus ſpiritum ſanctum adoleſcentis admodum iunioris paruì, cui nomen erat Daniel*. id eſt, Spiritum ſanctum qui erat in Daniele admodum iuuene. Hinc colligit Origenes apud Hieronymum non tunc primùm Spiritum Sanctum Danielis animum occupaſſe, ſed cùm antè in eo fuiſſet, tunc fuiſſe per occaſionem excitatum.

46. *Mundus ego ſum.*] id eſt, ego non conſentio in eius mortem, vt loquitur D. Paulus Actor. 18. 6. & 20. 6. *Mundus ſum a ſanguine omnium veſtrum*, id eſt, innocens ſum in cauſa veſtra.

48. *Neque quod verum eſt cognoſcentes.*] οὐδὲ τὸ σαφὲς ἐπιγνόντες. *neque cognita exploratáque cauſa.*

50. *Reuerſus eſt.*] Mirum videri poteſt totum populum pueri voce ad iudicium reuocatum, ſed exiſtimo, aut iam antè, aut nunc populum cognouiſſe Danielem ſpiritum propheticum habere. *Veni & ſede.* Hæc, aut per ironiam Danielem contemnentes dicunt iuuenem ſenes, aut per adulationem, volentes eum honore exhibito conciliare, ne eorum ſcelus proderet. *Honorem ſenectutis.* τὸ πρεσβυτέριον, *presbyterium*, ſenilem dignitatem, id eſt, vt ſis iudex ſicut ſenes.

51. *Et dicit ad eos.*] ad populum, Hebraïſmus, relatiuum ſine antecedente. *Diiudicabo eos.* examinabo, ἀνακρινῶ.

52. *Alter ab altero.*] εἷς ἀπὸ τοῦ ἑνὸς, *vnus ab vno.* Hebraïſmus, אחד אל אחד. Latinè, alter ab altero. *Inueterate dierum malorum.* plene dierum malorum. Hebraïſmus, id eſt, nequam & ſcelerate ſenex, qui malè vitæ tuæ tempus in peccatis conſumpſiſti, vt Iacob loquitur Gen. 47. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt parui & mali. Nunc venerunt peccata tua*, ad cumulum & maturitatem, dicuntur vetera peccata venire, cùm nouis accumulatis eorum occaſione puniuntur.

54. *Colloquentes ſimul.*] concumbentes. honeſto colloquendi verbo rem turpem ſignificat, vt infrà v. 58. Dixerant enim ſenes minùs honeſtè quàm Daniel, loquentes ſe vidiſſe eos pariter commiſceri, v. 36. *Sub ſchino.* ὑπὸ σχῖνον. *ſub lentiſco.*

55. *Rectè mentitus es.*] aptè, vt teipſum verbis tuis condemnares. *Ecce enim angelus accepta ab eo ſententia ſcindet te medium.* σχίσει σε μέσον. Nota eſt & elegans Græca inter arborem σχῖνος, & verbum σχίζειν, paranomaſia, qua ludit Daniel, ex qua, qui argumentātur hiſtoriam hanc Græcè non Hebraïcè fuiſſe ſcriptam, iis in prooemio reſpondimus. Illud inſuper hîc quæri poteſt, quomodo dicat Daniel præſto eſſe angelum, qui iniquum ſenem diſſecet, cùm non legamus ſenes ab angelo ſectos, ſed à populo lapidibus obrutos. Credo angelum paratum fuiſſe, vt ſenes ſi à populo non occiderentur, occideret; ſed quia populus Dei ſententiam executus fuit, à cæde abſtinuiſſe.

56. *Semen Chanaan.*] O homo Chananææ potiùs moribus, quàm Iudææ, vt Ezech. 16. 45. *Mater veſtra Cethæa. & pater veſter Amorrhæus.*

57. *Sic faciebatis filiabus Iſraël.*] Opponit filias Iſraël filiabus Iudæ, tanquam meliores peioribus. *Et illa timentes homines magis quàm Deum.* Non vt Suſanna, quæ dixit ver. 23. *Melius eſt mihi incidere in manus hominum, quàm peccare in conſpectu Domini. Loquebantur vobis.* concumbebant vobiſcum, vt ver. 54.

58. *Sub prino.*] ὑπὸ πρῖνον πρῖνος. Græcè genus eſt ilicis, ex quo naſcitur coccus, Hiſpani vocant *coſcoja.*

60. Vt

60. *Vt ſecet te medium.*] πρῖσαι σε μέσον. hîc eſt etiam inter arborem πρῖνος, & verbum πρίσει ſimilis paranomaſia, vt Latinè inter cedrum & cædere.

62. *Fecerúntque eis ſicut malè egerant.*] Talionis pœna damnarunt, quæ in lege Moſis ſcripta eſt, Deuter. 19.16.19. *Interfecerunt eos lapidibus.* ſicut adultera lapidanda erat, aut ex lege, aut ex conſuetudine Iudæorum, vt apud Ezch. c. 16. 40. ex R. Dauid ſignificari diximus. Nam opinionem eorum, qui & frixos, & à rege fuiſſe putant, ſuprà refutauimus ver. 5.

66. *Et rex Aſtyages.*] Darius Cyri auunculus, qui & Aſtyages ſicut multi alij Medorum reges cognominabatur. *Appoſitus eſt.* mortuus eſt. Hebraïſmus qualis Geneſ. 25.8.17. & 35.29. & 49.33. hinc refellitur eorum opinio, qui exiſtimant ſcripturam nonniſi de Iudæis, qui ſalui erant ita loqui. Hanc clauſulam plerique putant, non ad hoc caput, ſed ad initium ſequentis pertinere, quia non potuit hiſtoria Suſannæ ſub Dario contingere, quo tempore Daniel, non iam puer, vt hîc vocatur, ſed admodum ſenex erat, cùm ſub Nabuchodonoſore triginta octo, ſub Enilmerodach triginta, ſub Baltaſare tres annos, Babylonis fuiſſet. Theodoretus hanc periodum cum fine duodecimi capitis iungit: ſed tam malè illic quàm hic hæret, quæ enim duodecimo c. dicuntur, tribus annis poſt mortẽ Aſtyagis accederunt, nẽpe tertio anno Cyri, vt apparet c. 10. 1. Ego non exiſtimo hæc verba alio loco meliùs quàm hîc poni poſſe, ſed aliter tantùm quàm ſolent intelligenda: vt ſit ſenſus, *Daniel autem factus eſt magnus in conſpectu populi, & Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos*, id eſt, vſque ad mortem Aſtyagis, & regnum Cyri: ſicut dixit c. 1. v. 21. poſtquam aliam de ſeipſo narraſſet hiſtoria, *Fuit autem Daniel vſque ad annum primum Cyri regis.* & in fine c. 6. *Porrò autem Daniel perſeuerauit vſque ad annum Darij regnúmque Cyri Perſæ.* Eſt ergo Hebraïſmus, ו. pro עד. & pro vſque, atque hac ratione nihil difficultatis reliquum eſt.

CAPVT XIV.

ERAT autem, Daniel conuiua regis, & honoratus ſuper omnes amicos eius.
2 Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: & impendebantur
in eo per dies ſingulos, ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique
amphoræ ſex. 3 Rex quoque colebat eum, & ibat eum, & ibat per ſingulos dies ado-
rare eum, porrò Daniel adorabat Deum ſuum, Dixitque ei rex, Quare non adoras
Bel? 4 Qui reſpondens: ait ei: Quia non colo idola manufacta, ſed viuentem Deum
qui creauit cœlum & terram, & habet poteſtatem omnis carnis. 5 Et dixit rex
ad eum: Non videtur tibi eſſe Bel viuens Deus? An non vides quanta comedat &
bibat quotidie? · Et ait Daniel arridens, Ne erres rex, iſte eſt enim intrinſecus luteus, &
forinſecus æreus, neque comedit aliquando. 7 Et iratus rex vocauit ſacerdotes eius,
& ait eis: Niſi dixeritis mihi, quis eſt qui comedat impenſas has, moriemini. 8 Si
autem oſtenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blaſphemauit in Bel
Et dixit Daniel regi, Fiat iuxta verbum tuum. 9 Erant autem ſacerdotes Bel ſeptua-
ginta: exceptis vxoribus & paruulis & filiis. Et venit rex cum Daniele in templum Be-
lis. 10 Et dixerunt ſacerdotes Belis, Ecce nos egredimur foras: & tu rex pone eſcas,
& vinum miſce: & claude oſtium, & ſigna annulo tuo: 11 & Cùm ingreſſus fue-
ris manè, niſi inueneris omnia comeſta à Bel, morte moriemur, vel Daniel qui mentitus eſt
aduerſum nos: 12 Contemnebant autem, quia fecerant ſub menſa abſconditum
introitum,

Digitized by Google

introitum, & per illum ingrediebantur ſemper, & deuorabant ea. 13 Factum eſt
igitur poſtquam egreſſi ſunt illi, & rex poſuit cibos ante Bel, præcepit Daniel pueris ſuis,
& attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram rege: & egreſſi clauſerunt
oſtium: & ſignantes annulo regis, abierunt. 14 Sacerdotes autem ingreſſi ſunt nocte
iuxta conſuetudinem ſuam, & vxores & filij eorum: & comederunt omnia & biberunt.
15 Surrexit autem rex primo diluculo, & Daniel cum eo. 16 Et ait rex: Salua-ne ſunt
ſignacula, Daniel? Qui reſpondit: Salua, rex. 17 Statimque cùm aperuiſſet oſtium intui-
tus rex menſam: exclamauit voce magna, Magnus eſt Bel, & non eſt apud te dolus quiſ-
quam. 18 Et riſit Daniel, & tenuit regem, ne ingrederetur intrò: & dixit, Ecce pa-
uimentum, animaduerte cuius veſtigia ſunt hæc. 19 Et dixit rex, Video veſtigia viro-
rum & mulierum & infantium. Et iratus eſt rex. 20 Tunc apprehendit ſacerdotes, &
vxores, & filios eorũ & oſtenderunt ei abſcondita oſtiola per quæ ingrediebantur, & conſu-
mebant quæ erant ſuper menſam. 21 Occidit ergo illos rex, & tradidit Bel in poteſtatem
Danielis: qui ſubuertit eum, & templum eius. 22 Et erat draco magnus in loco illo, &
colebant eum Babylonij. 23 Et dixit rex Danieli, Ecce nunc non potes dicere, quia iſte
non ſit Deus viuens: adora ergo eum. 24 Dixitq; Daniel, Dominum Deum meum ado-
ro: quia ipſe eſt Deus viuens: 25 Tu autem rex da mihi poteſtatem, & interficiam draco-
nem abſque gladio & fuſte. Et ait rex, Do tibi. 26 Tulit ergo Daniel picem, & adipem,
& pilos & coxit pariter, fecitque maſſas & dedit in os draconis, & diruptus eſt draco. Et
dixit: Ecce quem colebatis. 27 Quod cùm audiſſent Babylonij, indignati ſunt vehemen-
ter: & congregati aduerſum regem, dixerunt, Iudæus factus eſt rex: Bel deſtruxit, draco-
nem interfecit, & ſacerdotes occidit. 28 Et dixerunt cùm veniſſent ad regem, Trade
nobis Danielem, alioquin interficiemus te & domum tuam. 29 Vidit ergo rex quòd irrue-
rent in eum vehementer, & neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem. 30 Qui miſe-
runt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex. 31 Porrò in lacu erant leones ſeptem,
& dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data ſunt eis, vt deuora-
rent Danielem. 32 Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipſe coxerat pulmen-
tum, & intriuerat panes in alueolo: & ibat in campum, vt ferret meſſoribus. 33 Dixit-
que angelus Domini ad Habacuc, Fer prãdium quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt
in lacu leonum. 34 Et dixit Habacuc, Domine, Babylonem non vidi, & lacum neſcio.
35 Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis
ſui, poſuitque eum in Babylonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui. 36 Et clamauit
Habacuc, dicens: Daniel, tolle prandium quod miſit tibi Deus. 37 Et ait Daniel, Re-
cordatus es enim mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. 38 Surgénſque Daniel
comedit. Porrò angelus Domini reſtituit Habacuc confeſtim in loco ſuo. 39 Venit ergo
rex die ſeptimo, vt lugeret Danielem: & venit ad lacum & introſpexit, & ecce Daniel ſe-
dens. 40 Et exclamauit voce magna rex, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis.
Et extraxit eum. 41 Porrò illos qui perditionis eius cauſa fuerant intromiſit in lacum,
& deuorati ſunt in momento coram eo.

HOc caput, meo quidem iudicio, debet eſſe tertium, aut certè, quartum ordine apud Danielem, Nam præcedens, vt dixi, debet eſſe ſecundum & hoc illi congruente ſententia copulatum eſt. Non ergo accidit hæc hiſtoria ſub Cyro, vt omnes, dum alter alterius errorem ſequitur, exiſtimare video: ſed ſub Nabuchodonoſore puero adhuc Daniele. Animaduertimus enim Danielem primò loco hiſtorias, quæ nihil habebant coniunctum prophetiæ, qualis eſt ea, quæ primo cap. narratur, ſecundo eas, quæ aliquid miſtum habebant prophetię, quales illæ ſunt, quæ ſomniorũ interpretationem continent, cap. 2. & 4. & 5.
poſtremo

Digitized by Google

poſtremo prophetias,quaſi conſultò poſuiſſe,niſi cùm ratio temporis repugnabat,ſicut c.3.& 6.nudas narrat hiſtorias, quia longè pòſt contigerunt. Hæc autem & quæ ſuperiore capite tradita eſt meræ ſunt hiſtoriæ, & Daniele puero contigerunt, quare poſt primum caput, ponendæ ſunt. Sic ergo interpretor, quod dicitur v.1.*Erat autem Daniel conuiua regis*, id eſt,viuebat ex menſa Nabuchodonoſoris,vt c.1.v.3.*Et honorabatur*.c.2.48.

2. *Arthaba.*] Arthaba frumentaria Perſarum menſura medimnum Atticum & tres chenicas capiens, Herodotus lib.1. *Amphora ſex.* μετρηταὶ ἕξ, *metretæ ſex*, vt Ioan. 2.6.8.

4. *Quia non colo.*] quia nolo colere. *Et habet poteſtatem omnis carnis.* Qui omnium viuentium,aut omniū hominum Dominus eſt.Hebraïſmus.בעל כלבשר. vt alludat ad nomen Baal falsò ita appellati, quaſi omnium rerum dominus eſſet.

10. *Annulo tuo.*] ἐν τῷ δακτυλίῳ σου,*in annulo tuo.* Hebraïſmus.בחתמך vt v.13.12. *Confidebant* κατεφρόνουν, *deſpiciebant*. (periculum.)

23. *Et dixit rex Danieli.*] μὴ καὶ τοῦτον ἐρεῖς ὅτι χαλκοῦς ἐστιν, *an & hunc dices æneum eſſe*. ἰδοὺ ζῇ καὶ ἐσθίει καὶ πίνει. *Ecce viuit & edit & bibit non potes dicere non eſſe Deum viuum.*

24. *Adoro.*] προσκυνήσω, *adorabo*. Iſte autem non eſt. *Deus viuus.* Hæc non leguntur Græcè.

26. *Ecce quem colebatis.*] ἴδε τὰ σεβάσματα ὑμῶν. *Ecce numina veſtra*, quæ colebatis,alludit & ad Draconem & ad Bel.

27. *Et congregati.*] καὶ συνεστράφησαν, *& conuerſi ſunt*, id eſt, conſpirarunt contra regem.

31. *Duo corpora & duæ oues.*] id eſt,duo integra corpora duarum ouium & eſt explicatiua,pro, id eſt.

32. *Intriuerat panes.*] ἔνθρυψεν, comminuerat panem (cum pulmento & poſuerat) in alueo.Gallicè, *Auoit faict vne ſoupe & l'auoit miſe en vn vaiſſeau.*

34. *Et lacum neſcio.*] ποῦ ἐστι,*vbi eſt.*

35. *In impetu ſpiritus ſui.*] angelica celeritate,momento temporis, quo ſpiritus qualis ipſe erat, moueri ſolent. vide quæ de hac re in proœmio diſputauimus.

36. *Serue Dei.*] Non eſt G.ſed Daniel Daniel.

37. *Recordatus es.*] ἐμνήσθης γάρ μου, *recordatus es mei. Diligentes te.* ἐκζητοῦντάς σε, *quærentes te.*

40. *Magnus es Domine Deus Danielis.*] quem Daniel ſingulariter colet,vt cap. 6. 26. Græcè additur, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν σοῦ. *Et non eſt alius præter te.* Hoc nondum dixerat,cap.3.Cum tres ſocij Danielis ex fornace liberati ſunt, ver. 95.

41. *Porrò illos.*] Lege Talionis eos damnauit, ſicut Darius eos,qui eundem poſtea Danielem accuſatos leonibus obiecerunt,cap.6.24. Ea enim lex adeo conſentanea naturæ eſt, vt eam barbari etiam reges vſurparent; eaque ſola, vt philoſophorum magiſter ſcribit, eam iuſtitiæ partem, quæ in infligendis pœnis verſatur,definirent.

Digitized by Google

IOANNIS MALDONATI, SOCIETATIS IESV THEOLOGI, COMMENTARII IN PSALMVM. CIX.

Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.

QVAMVIS in quibuſdã Latinis libris duo ſint verſus, tamen vnus tantum eſſe dicitur, quia Hebræi ſolẽt per verſus diſtinguere ſententias. Sẽtentia autem iſta non eſt perfecta, niſi omnia iſta ponantur. In hoc itaque verſu duo ſunt coniuncta, in quorũ priori videndum eſt, quis ſit Dominus, qui dixit, deinde cui dixit Domino. Tertio quomodo dixerit, ſeu quid ſignificet dixit, quarto quid dixerit, quinto quid ſit ſedere à dextris. Quod ſpectat ad primum, nempe ad perſonam ſeu Dominum, qui dicitur dixiſſe, primum explicabimus, quamuis ſecundo loco ponatur; nulla eſt inter nos Chriſtianos & Hebræos contentio: Ipſi enim concedunt per Dominum intelligi Deum quia Hebraïce legitur *geoua*, vnde quæri poteſt cum debuiſſet noſter interpres vertere Deum, quare verterit Dominum. Sed dicendum eſt olim apud Hebræos, & omnes gentes iſtud nomen *geoua*, in ſumma fuiſſe religione. Ita vt Septuaginta interpretes non verterunt θεὸν, ſed potius κύριον, & in margine ponebant iſtud nomen *geoua*, quod quidem nomen, qui Hebraïcis litteris erant inſtructi poterant legere à dextris in ſiniſtram, ſicut eſt in Hebræos, at qui non erant inſtructi legentes à ſiniſtra in dextram legebant Pipi, vt eſt apud Hieronymum in epiſt. ad Marcellam. quocirca quadam religione & reuerentia non verterunt interpretes Deum, ſed Dominum. Quod autem ad ſecundum attinet, nempe ad perſonam, cui dixit iſte Dominus, ſede à dextris meis, magna eſt contentio inter Hebræos & Chriſtianos: hi enim Rabini, qui dicunt hunc Pſalmum fuiſſe compoſitum à Melchiſedech in laudem Abrahami, vt Deo ageret gratias quod Abrahamus viciſſet tres reges, dicunt per (Domino meo) debere intelligi Abrahamum, vt ſit ſenſus dixit Dominus, id eſt; Deus, Domino meo; id eſt, Abrahamo. Sed hoc manifeſtè falſum eſt, quia cùm Melchiſedech eſſet rex, & ſacerdos, non vocauiſſet Abrahamum priuatum hominem Dominum ſuum: Adde quod iſte Pſalmus debeat intelligi de quodam qui ſit etiam rex, quia in eodem dicitur, virgam virtutis tuæ emittit Dominus ex Sion: quæ quidem verba nihil aliud ſignificant, quàm ſceptrum per periphraſim, atque etiam Sacerdos, quia dicitur, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quorcirca non poteſt intelligi de Abrahamo, qui neque fuit rex, neque Sacerdos; vnde refutatur eorũdem Rabinorũ ſentẽtia, qui dicunt iſtum Pſalmum fuiſſe compoſitum à quodam ſeruo Abrahami nomine Eliezer. Et poſt illud idem prælium

contra

contra tres reges; quia quamuis ipſum potuiſſet vocare Abrahamum, Dominum ſuum, non poterat vocare nec ſacerdotem, neque regem: alij autem Rabini dicunt, hunc Pſalmum fuiſſe compoſitum à Dauide: ſed alij per (Domino meo) intelligunt ipſum Dauidem, ita vt loquatur de ſeipſo: alij etiam Abrahamum, alij verò Ezechiam regē: ſed hoc quoque falſum eſt, quia Dauid potuiſſet vocare quidem Abrahamum patrem ſuum, Dominum autem numquā; neque etiam regem, neque ſacerdotem: Et quamuis potuiſſet vocare ſeipſum & Ezechiam reges, quia erant, tamen non ſeipſum vocaſſet Dominum, quia hoc eſſet abſurdum, neque etiam Ezechiam, quia ex ſe erat deſcenſurus, neque etiā Sacerdotem in æternum, quia neque Dauid, neque Ezechias fuerunt ſacerdotes. Quo circa per (Domino meo) debemus intelligere neceſſariò Chriſtum Dominum Saluatorem noſtrum, quem rectè Dauid potuit vocare & Dominū & regem, vt ſæpiſſimè vocat, atque etiam Sacerdotem in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech: tum quod iſta omnia in nullo alio reperiri poſſunt: tum quod etiam ipſe Ieſus Chriſtus nos docuerit, Matth. 22. iſtum Pſalmum debere intelligi de ſe, & de ſua diuinitate: iſta vt obmuteſcerent Iudæi quod etiam interpretatus eſt D. Paulus in epiſt. ad Hebræos 10. cap. & omnes Catholici doctores: ſed Arriani ex hoc Pſalmo, & præcipuè ex primis verbis, ex quibus maximè colligitur Chriſti diuinitas, volebant colligere non eſſe Deum, quia dicebant, Dauid cùm voluit ſignificare verum Deum vſus eſt hoc nomine *geoua*, quod quidem ſoli Deo attribui poteſt: quia vt Hebræi putant, ſignificat expreſſè ipſam Dei eſſentiam ſeu Deitatem, cùm autem voluit ſignificare Chriſtum, non vſus eſt nomine *geoua*, ſed Adonai, quod ſignificat Dominum meum. Vnde cùm certum ſit, non hoc feciſſe ſine aliqua cauſa, voluit ſignificare, vt illi dicebant, Chriſtum non eſſe verum Deum, quod etiam colligebant ex multis locis D. Pauli, vbi D. Paulus vocat quidem Deum patrem, Deum: Chriſtum autem Dominum. Vbi dicitur excludere Chriſtum à conſortio diuinitatis, & ſolùm illi tribuere quandam dominationem: ſed reſpondent doctores Cathol. vt Hilarius lib. 3. & 9. de Trinitate, & Cyrillus lib. 1. Theſauri c. 1. Ambroſius lib. 5. De fide, c. 2. & alij, quod ſicut Dauid & Paulus, in iis, & aliis ſcripturæ locis, attribuunt Chriſto dominationem vocando Dominū, non aufert patri dominationem, quia etiam verè eſt Dominus, ita etiam cùm vocat patrem Deum non aufert filio nempe Chriſto diuinitatem. Quocirca ſi quæratur, quarè D. Paulus vocet Chriſtum Dominum ſæpiſſimè & non Deum, quamuis alias etiam & ſæpe Deum vocet, dicendum eſt id facere, vt doceat eſſe Deum, & loqui more Hebræorum. Ipſe enim epiſt. 1. ad Cor. c. 2. vocat Chriſtū Dominum gloriæ, & tamen nuſpiam legimus in tota ſcriptura iſtam phraſim de Chriſto, niſi in Pſalmo 23. vbi habetur, *Attollite portas principes veſtras & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis, Dominus potens in prælio.* Vbi Hebraïce legitur *geoua*, ad quem quidem locum alludit D. Paulus, quod quidam doctores Eccleſiaſtici ſcripſerunt de Chriſto interpretantes, vt Dionyſius de cœleſti Hierarchia, cap. 7. & alij multi, ſed quæritur adhuc, quare Dauid hoc loco & D. Paulus ſæpiſſimè vocent patrem Deum, filium autem Dominum, cui quidem debemus reſpondere animaduertendo Chriſtum ſeu filium, in ſacris litteris ſæpiſſimè vocari Deum, cùm de eo ſolùm fit mentio, non autem de patre. Cùm autem fit mentio de vtroque, ſæpiùs vocatur Dominus: Pater autem, Deus, vt bene annotat D. Aug. cum diſputat contra Arrianum quendam, cuius rei duæ ſunt cauſæ, quarum prior eſt, ne cùm aliqui viderent nomen

Dei, ceu *geoua* tribui duabus perſonis, putarent duos eſſe Deos, ſaltem apud Iudæos, quibus occultatum fuit myſterium Trinitatis, non quidem omnibus; ſed indoctioribus, & quibus Deus non reuelauit, quia Prophetas cognouiſſe certum eſt. Secunda autem eſt quia D. Paulus vocauit patrem Deum, & filium Dominum, propter varias potentias quæ vnicuique tribuuntur, quemadmodũ cùm ait 1. ad Cor. 12. variæ ſunt diuiſiones gratiarum, vnus autẽ ſpiritus, variæ dominationes, vnus autem Dominus, variæ operationes, vnus autem Deus. quamuis etiam Deus pater ſit auctor, & largiatur & diuiſiones gratiarũ & dominationes, tamen ita tribuit ſpiritui ſancto & filio. Quocirca voluit accommodatè & appoſite loqui de vnaquaque perſona, pro vt vni alia tribuũtur, alia vero alteri, quemadmodum loquitur etiam Dauid hoc loco: ſed iſta quidem valerent contra Hæreticos: ſed contra Rabbinos & Iudæos nihil proſſus, quia illi neque admittunt Euangelium, neque nouum teſtamentum. Quocirca adferendi ſunt loci, vbi in veteri teſtamento Chriſtus vocatur Deus & *geoua*, vt Ierem. 23. vbi habetur, *Ecce dies veniunt*, &c. ponitur *geoua*, quem quidem locum Hebræi Rabbini interpretantur de Chriſto: ſed dicunt hoc nomen *geoua*, ſeu Deus, tribui etiam alteri, quàm Deo vero, vt Deut. 16. vbi nomẽ *geoua*, tribuitur altari, cum tamẽ altare non ſit Deus: ſed *geoua* ſed non videt altare non vocari *geoua* ſed altare dici locum in quo Deus ſeu *geoua*, exaltauit Moyſem. Quapropter vt Hebræis etiam ſatisfaciamus, quare Dauid vocauerit Chriſtum Dominum, non autem Deum, ſeu *geoua*, dicendum eſt quemadmodum Dei eſſentia nulla admittit accidentia, ita etiam iſtud nomen *geoua*, numquã in lingua Hebraica admittere vllum accidens, ſeu epithetum, quia ſignificat, vt ipſi dicunt, propriam Dei eſſentiam, quemadmodum non poſſumus dicere diuinitas ſeu deitas mea. Quare cùm vellet Dauid vocare Chriſtum Deum ſuum, neque potuerit dicere *geouam*. quia *geoua* non admittit pronomina, debuit neceſſariò dicere *adonai* quod ſignificat Dominus meus, ſed nouiſſimi Arriani, ſi qui ſint noſtris temporibus, qui non ſunt ita docti, neque ſubtiles, quemadmodum & alij fortaſſe, inſurgent & dicent, Dauid non exiſtimaſſe Chriſtum eſſe Deum, & eius etiam dominatum & poteſtatem minuere, quia magis eſt vocare aliquem regem ſeu Dominum ſimpliciter, quàm Dominũ meum & regem meum quod faciant etiam Caluiniſtæ, qui non Dominum ſuum, ſed Dominum vel non, *mon Seigneur*: ſed, *le Seigneur*. vocant Chriſtum. Quocirca vt cùm ſæpiſſimè legamus vtrumque in ſacris litteris, vt, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt*, &c. Dicendum eſt priorem quidem loquendi modum plus habere honoris, poſteriorem autem plus affectus, vt & in nobis experimur cùm pronuntiamus iſta pronomina. Quare cùm Dauid vellet oſtendere affectum in Chriſtum Dominum ſuum, tum quod ex eius ſtirpe debebat oriri & naſci: tum quod etiam illius eſſet figura, quia Chriſtus erat rex poſitus ſupra ſedem Dauid patris ſui ſecundum humanitatem, dixit Domino meo & non Domino ſimpliciter. Quod autem ſpectat ad tertiam nempe, quomodo Deus pater dixerit Chriſto Domino, atque etiam Deo, ſeu quid ſignificet iſtud verbum Dixit, Arriani hoc verbum interpretantur imperauit, & cùm maior ſit, qui imperat, quàm cui imperatur, volebant colligere Chriſtum Dominum non eſſe Deum verum æqualem patri: quia pater hic dicitur illi dixiſſe, id eſt, imperaſſe: ſed D. Ambroſius lib. 2. de fide, cap. 2. & D. Auguſt. in lib. contra ſermonem Arrianorum cap. non negarunt quidem iſtud verbum debere interpretari imperauit: ſed interpretati ſunt non de diuinitate: ſed de humani-

humanitate, itaut Deus pater, hoc eſt, Deus, dixerit humanitati Chriſti, ſede à dextris meis, donec ponam, &c. quia hominis eſt ſedere: ſed licet iſta interpretatio ſit bona & vera: tamen iſti tanti viri Catholici nimium conceſſerunt & nimis gratis iſtis hæreticis, potuiſſent enim dicere & bene, iſtud dixit, ſignificare generauit, quemadmodum Pſalm. 2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu,* &c. & Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum*, vbi illic (dixit) & iſthic poſſedit, poſſunt verè interpretari, generauit: ſed dicemus cum D. Paulo, qui in epiſt. ad Roman. cap. 1. interpretatur iſtud [dixit ad me,] prædeſtinauit, cùm dixit eum fuiſſe prædeſtinatum, vt ſuſcitaretur à mortuis, in Epiſt. autem ad Hebræos 1. cap. eodem modo interpretatur iſtud dixit Dominus Domino meo, quocirca per iſtud dixit debemus intelligere ex ſententia D. Pauli, quam negare non poſſumus, [prædeſtinauit.] Quod attinet ad quartum vocabulum huius primi commatis iſtius verſus, nempe [ſedere] duo ſunt nobis explicāda. Primum quoniam dictum eſt iſtud ſedere, debere intelligi de Chriſto Domino, cui Deus pater dixit, ſede, an ipſe Chriſtus ſedeat tanquam Deus, an verò tanquam homo. Secundò an iſtud ſedere debeat ſumi propriè, an metaphoricè, & quid ſignificet. quamuis autem circa primum poſſunt adferri multæ hæreſes, circa hoc, quas adfert D. Auguſt. lib. de hæreſibus, & D. Athanaſ. ſecunda orat. tamen ſunt prætermittendæ. Et ideo adferemus ſolùm ſententias doctorum & Chriſtianorum ipſorum. Itaque alij explicant iſtud verbum [ſede] de Chriſto vt Deus eſt. quemadmodum D. Athanaſ. lib. de communi eſſentia Trinitatis, qui dicit duplicem reperiri in ſacris litteris Chriſto datam poſſeſſionem, priorem hoc loco, vbi dicitur ſede à dextris meis, hoc eſt ſis & omnipotens & mihi æqualis, alteram autem, quæ dicitur poſſeſſio, vt Lucæ. 2. & *dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui.* Quocirca ex illius ſententia, ſedere, hoc loco, accommodatur Chriſto, vt Deus eſt, non vt homo. In eadem etiam ſententia fuerunt multi alij auctores Catholici, vt D. Baſilius, D. Auguſt. in lib. de agone Chriſtiano, D. Chryſoſt. D. Hieronymus in epiſt. ad Rom. & Diuus etiam Paulus ad Hebræos cap. 1. & poteſt probari his rationibus. Prima quia eodem modo Dauid dixit Chriſtum, Sedere, quomodo vocauit Dominum: ſed non vocauit Dominum vt eſt homo, ſed vt Deus eſt, quia ſuperiùs dictum eſt per illud verbum Dominum, intelligi Deum, ergo dixit, ſedere, non vt homo eſt: ſed vt Deus. Secunda quia D. Paulus, loco citato nempe ad Hebr. 1. ex hoc loco probat Diuinitatem Chriſti, ergo intellexit iſtud conuenire Chriſto, vt Deus eſt. Tertia quia omnium Catholicorum ſententia Doctorum, idem eſt ſedere, & eſſe æqualem patri, ſed Chriſtus quatenus homo non eſt æqualis patri, quia dicit, vado ad patrem, quia pater maior me eſt. quod debet intelligi ſecundum humanitatem, vt etiam dicitur in Symbolo Athanaſij. Quocirca quando dicitur hoc loco [ſede à dextris meis] debet intelligi quatenus Deus eſt, & non quatenus homo. Quarta D. Auguſt. in hunc Pſalmum dixit [Sede] hoc loco ſignificare, conſede, id eſt, inſtul ſede. Quare Deus etiam, vt pater dicitur ſedere, ergo debet intelligi de Chriſto, vt Deus eſt. Quinta, Si hoc non poſſet intelligi de Chriſto quatenus Deus eſt, maximè quia Deus non poteſt dici ſedere, at Deus in ſacris litteris dicitur ſedere, vt Iſaia 6. & Actorum 7. *Cœlum mihi ſedes eſt & terra ſcabellum pedum meorum.* Et Paulus ad Hebr. 12. alij autem doctores Catholici videntur intellexiſſe & accommodaſſe illud verbum [ſedere] Chriſto, tanquam homini, non tanquam Deo, vt D. Chryſoſt. in oratione de aſcenſione Chriſti, & Hieron.

in commentariis ſuper Pſalm. 160. (ſi tamen illius ſunt) & probant, primò quia quando confitemur in noſtro Symbolo, Chriſtum Dominum ſedere ad dexteram patris, eodem modo intelligi debet ſedere quomodo intelligitur aſcendere, quod proponitur, & aſcendit vt homo, non autem vt Deus, quia vt Deus neque poterat aſcendere, neque deſcendere. quare hoc loco [ſedere] illi conuenit vt homo eſt: adde quod ſcriptura numquam dicat eum ſedere, niſi poſtquam aſcendit, vnde ſignum eſt eodem modo debere intelligi ſedere, quo aſcendere. 2. D. Paulus ad Epheſios 2. dicit nos conſedere eum Chriſto: ſed nos non conſedemus vt Deus, ſed vt homines, quia non ſumus Deus, ſed homines, ergo hoc loco, cùm Chriſtus dicitur ſedere, debet intelligi vt homo eſt, non autem vt Deus. Alij autem auctores dicunt iſtud vtroque modo debere intelligi, nempe de Chriſto, vt Deus eſt & homo ſimul, vt Ignatius, Damaſcenus & alij: ſed vt iſtæ auctorum ſententiæ concilientur, animaduertendum eſt quaſdam ſententias reperiri in ſacris litteris, quæ ſunt neceſſario interpretandæ per communicationem idiomatũ, cùm ſcilicet aliqua proprietas dicitur de Chriſto, quæ non poteſt conuenire illi, vt Deus eſt ſimpliciter, neque vt homo: ſed vt natura diuina coniuncta eſt hypoſtaticè cum humana, vt D. Paulus 1. ad Cor. 2. dixit Dominum Gloriæ, crucifixum fuiſſe, & dicimus Deũ fuiſſe mortuum pro nobis, non quod reuera Deus ſit mortuus, quia non poteſt mori, neque quod Dominus gloriæ, qui eſt Chriſtus, vt Deus ſit crucifixus: ſed humanitas quæ erat hypoſtaticè coniuncta diuinitati fuit crucifixa, & Apocal. 1. dicit, *Ego ſum primus & nouiſſimus, qui fui mortuus*, vbi idem qui dicitur primus & nouiſſimus, dicitur mortuus, quamuis tamen Chriſtus quatenus primus & nouiſſimus dicitur, ſit Deus, homo verò quatenus dicitur fuiſſe mortuus, & ſic iſta debent intelligi per communicationem idiomatum, Ioannes 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo*, quod neque Chriſto conuenire poteſt, vt Deus eſt, quia non poteſt deſcendere, neque vt homo, quia humanitas Chriſti non deſcendit de cœlo; ſed tamen quia perſona diuina hypoſtaticè coniuncta eſt naturæ humanæ, & viſus eſt Chriſtus verus Deus & homo, quamuis non appareret diuinitas, propter iſtam coniunctionem Deum deſcendiſſe de cœlo, atque etiam aſcendiſſe. Eodem modo in ſymbolo fidei. Quocirca eodem modo iſte locus debet interpretari, cùm enim hic duo dicantur, nempe ſedere, & ſedere ad dextram patris, & ſic propter communicationem, quam vocant, idiomatum, totus Chriſtus, & vt Deus, & vt homo, dicitur ſedere ad dextram. Secundò dictum eſt, nos hoc loco debere quærere, an Chriſtus propriè & verè ſedeat, an verò metaphoricè & impropriè dicatur ſedere. Et quamuis occurrat D. Auguſtinus in quæſtione vtriuſque teſtamenti, quæſtione 48. cap. 7. dicens, vbi aut quomodo ſit in cœlo corpus Dominicum, ſuperuacaneum eſſe, & curioſum quærere: tamen cùm ſæpiſſimè in ſacris ſcripturis legatur, Chriſtum ſedere, & ſæpe etiam ſtare, non omnino ſuperuacaneum erit, hoc loco inueſtigare, an verè ſedeat & propriè, an verò metaphoricè dicatur ſedere. D. enim Stephanus cùm lapidaretur à Iudæis dixit, Actor. 2. *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei*. quod quidem verbum ſtantem Caluiniſtæ ſoliti ſunt interpretari, eſſe præſentem, & probant, quia apud Matthæum 16. dicitur, *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus*, hoc eſt præſentibus, & apud Lucam 18. *Phariſæus autem ſtans ſic orabat intra ſe*, vbi ſtans ſignificat præſens, non eſt enim veriſimile hominem maximam religionem & deuotionem profitentem, & ſummum hypocritam, cupien-

cupientem videri bonum & ſanctiſſimum, cuiuſmodi erat Phariſæus, oraſſe ſtantem, ſeu erecto corpore, & non flexis genibus. Sed licet hoc ſit verum his duobus in locis, tamen hoc loco non poteſt ſic intelligi; tum quia nullus eſſet ſenſus, tum etiam quia omnes Catholici doctores, cùm Græci tum Latini interpretati ſunt hoc loco ἑςάναι, ſtare, ſeu rectum eſſe, vt D. Ambroſ. epiſt. 32. Hieronymus in epiſt. Pammachium, Gregorius Magnus, Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophil. Quocirca, aut vtrumque ſtare ſcilicet, Actor. 7. & ſedere, hoc loco, accipitur propriè, aut vtrumque metaphoricè & impropriè, aut ſedere propriè & ſtare impropriè, aut ſtare propriè & ſedere impropriè, nec enim poteſt aliud elici: vtrumque non poteſt accipi propriè, quia aut deberet fieri ratione eiuſdem temporis, quod fieri non poteſt, quia Chriſtus non poteſt ſimul & ſemel propriè ſtare & ſedere, aut ratione diuerſi temporis, quod eſt abſurdum quia Stephanus non dixit ſe videre priùs Chriſtum ſedentem, & poſtea ſtantem. Aliqui ex doctoribus Catholicis dicunt, vtrumque accipiendum eſſe metaphoricè & impropriè. Alij ſedere propriè, & ſtare metaphoricè & impropriè. Nullus autem dixit propriè ſtare, ſed tres afferunt interpretationes. Prima D. Auguſt. propterea dicit D. Stephanum vidiſſe Chriſtum ſtantem, non quod ſtaret propriè, ſed quia eius cauſa agebatur, ac ſi fuiſſet reus, quia Stephanus qui erat membrum illius affligebatur, vnde etiam ipſe locum Iſaiæ ſuperiùs citatum cap. 6. interpretatur de Chriſto, quod ab aliis doctoribus haud ſcio an fuerit animaduerſum, & dicit Iſaias Chriſtum apparuiſſe tanquam regem ſedentem, vt corriperet populum, & iudicaret: Stephano verò ſtantem, quia iudicabatur in eo, & is qui iudicatur non ſedet: ſed ſtat. Gregorius magnus in commentariis in libro primo cap. 1. Regum ait Chriſtum apparuiſſe Stephano ſtantem & non ſedentem, vt cum eo compateretur, quia ſi aliquis verberaretur vt ſurgat, ſi ſedeat non videtur ſentire. Quocirca cùm Stephanus lapidaretur Chriſtus apparuit illi ſtans. D. autem Ambroſ. dicit Chriſtum viſum fuiſſe Stephano ſtantem, vt oſtenderet ſe eſſe paratum ad eum recipiendum, quaſi diceret, video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem, id eſt, porrigentem mihi manus: ſed hæc quæſtio ſolui poteſt duobus locis, primus eſt iſte vbi Stephanus dicit ſe videre Chriſtum ſtantem: quéadmodum enim cùm videmus aliquem à longè, & alij qui ſunt nobiſcum non poſſunt videre, non ſolùm dicimus nos illum videre; ſed dicimus videre eum, aut ambulantem, aut humi iacentem, aut ludentem, aut ſedentem, vt oſtendamus nos non decipi; ſed verè videre eum. Ita etiam D. Stephanus, vt oſtenderet Iudæis qui non poterant videre Chriſtum, ſe non decipi in viſu, non ſolùm dicit ſe videre Chriſtum; ſed etiam ſtantem. Quocirca Chriſtus in cœlo verè ſtat & propriè, dicitur ſedere metaphoricè, licet tamen nemo dicere poſſit certè, an ſedeat vel ſtet. Alter locus ad Epheſios, cap. 2. vbi Paulus dicit nos conſeſſuros cum Chriſto, quamuis non poſſimus certè dicere, an verè & propriè ſedeamus, vel ſtemus, tamen probabilius eſt. Nos propriè magis ſtare quàm ſedere, quia corpora noſtra poſt reſurrectionem habebunt omnes perfectiones, quæ illi ſunt naturales. Quare cùm naturalis hominis conditio ſit ſtare, & non ſedere, quia ſedemus propter neceſſitatem, vt requieſcamus, & ibi non erit opus requie, quia erit perpetua requies, & nullus labor, probabiliùs eſt nos ſtaturos, quàm ſeſſuros. Quocirca iuxta locũ D. Pauli idẽ dicetur de Chriſto, & ſic ſedere hoc loco; & in ſymbolo fidei impropriè & metaphoricè ſumitur, vt etiam aliis pluribus in locis. Si autem ſignificet per metaphoram, diſſentiunt

doctores:

doctores: Chaldæus enim interpres interpretatur, patienter ferre, quaſi Deus vellet dicere filio, Tu ne cures, ſed refert tantùm perſonam regis, & fer patienter. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Aliqui Rabbini, qui interpretantur hunc Pſalmum de Dauide, non de Chriſto dicunt, ſede hoc loco ſignificare conſide. Alij verò, mane domi; quaſi Deus dicat Dauidi iam volenti ire in bellum contra hoſtes, mane domi tuæ, & dic ibi preces tuas, *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* ſed quia iſti errant in perſona, quod eſt errare toto cœlo, non eſt recipienda eorum interpretatio. Quidam itaque doctores Catholici, vt D. Auguſt. in lib. de fide ad Catechumenos interpretatur, ſede, hoc eſt, habita, quia ſedes in ſacris literis frequenter ſignificat habitationem, vt Deut. cap. 1. *Sediſtis longo tempore*, id eſt, habitaſtis: ſed cùm videamus ſacram ſcripturam numquam dixiſſe Chriſtum habitare, ſed ſedere; per ſedere voluit ſignificare aliquid maius. Alij, itaque dicunt, ſede, id eſt, quieſce. quaſi Deus dicat Chriſto, tu paſſus es multos labores & mortem pro hominibus, nunc ſede à dextris meis, donec ponam &c. id eſt, quieſce, quomodo accipitur Apocalypſeos 14. vbi mortui qui in Domino mortui ſunt ſedere dicuntur, vt quieſcant à laboribus ſuis, & ſæpiſſimè D. Paulus coniungit ſeſſionem Chriſti, morti ipſius, ad Romanos 12. & ad Epheſios 5. vt etiam patet Lucæ 24. vbi ſic dicitur, *Nonne oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in regnum Dei*, vbi intrare ſit idem, ac hoc loco ſedere: ſed ſedere hoc loco maius quoddam ſignificat, quàm non pati ampliùs, vel quieſcere à morte, & ab aliis laboribus, quos pro nobis perpeſſus eſt. Quocirca dicemus cum Origene, tract. 24. in Ioanne, & multis aliis, ſedere hoc loco, ſignificare regnare, vt 1. Regum 2. & Pſalm. 100. & 1. ad Corinthios 15. & Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt.* & D. Paulus, oportet eum regnare donec ponat inimicos eius, quo loco, alludit ad hunc locum, & ſic quod dicitur hîc ſedere, vocat regnare, & 2. ad Timotheum 2. *Nam ſi commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Quocirca, cùm D. Paulus ad Epheſios 2. Deum conſedere nos facere in cœleſtibus cum Chriſto, & hîc dicat nos conſedere, per ſedere debet intelligi regnare: ſed quæri poteſt, cùm Chriſtus dicatur ſedere, & regnare, & nos cum eo conſedere, & conregnare, an eodem modo ſumus regnaturi, quo modo regnat; reſpondendum eſt Chriſtum dici regnare & ſedere actiuè, quia ipſe habet gubernationem regni, nos autem neque gubernabimus, neque habebimus eum honorem, qui Chriſto tribuitur, ſed dicitur regnare paſſiuè, quod ſcilicet fructus regni ad nos peruenit, quemadmodum mercatores dicuntur regnare in aliquo regno cùm poſſunt comparare maximas pecunias ſub bona gubernatione regis, ita etiam Chriſtus verus rex & non tyrannus, nihil ſibi vtilitatis comparauit ex acquiſitione regni, quia erat Deus, ſed ſolùm nobis. Quod attinet ad quintum quod declarandum eſt in hoc proximo commate huius primi verſus, quid ſit ſedere ad dextram Dei patris Chriſtum, Arriani maximè laborabant, & torquebantur circa hunc locum, quia Catholici ex eo probant Chriſti diuinitatē: Quocirca vt poſſent ſe liberare ab argumentis Catholicorum dicebant: quamuis Chriſtus hîc & in ſymbolo Apoſtolorum dicatur ſedere ad dextram patris, non tamen inde ſequi eſſe æqualē patri, ſed quemadmodū cùm aliquis rex vel imperator ſedet, & principes alij ſedent à dextris, alij à ſiniſtris, non tamen ſequitur eos eſſe illi æquales: ita etiam Chriſtus ſedere dicitur, vt illi aiebant, à dextris Dei, & alij hæretici dixerūt nomen dextræ ſignificare verè aliquam partem corporis, ita vt dixerint habere corpus,

corpus & eſſe corporeum. Alij eorum errorem fugientes, negarunt Chriſtum omnino ſedere à dextris patris. Alij præterea vt Caluiniani, dixerunt nomen dextræ ſignificare locum aliquem in paradiſo, in quo fortaſſe volunt Chriſtum Dominum & verè Deum, ita eſſe clauis vel catenis quibuſdam affixum & deuinctum, vt non poſſit venire ad ſacramentum altaris. Alij præterea Hæretici dixerunt nomen dextræ nullum ſignificare locum certum, ſed Chriſtum quatenus eſt homo, eſſe vbique, ſeu corpus Chriſti vbique eſſe: ex Catholicis autem alij dixerunt nomen dextræ ſignificare omnipotentiã, alij, vt D. Auguſt. in l. de fide & ſymbolo c. 7. nomen dextræ dixit ſignificare gloriam, alij denique, vt ferè omnes, idem eſſe Chriſtum ſedere à dextris, & eſſe æqualem patri, dixerunt: quæ quidem Catholicorum interpretationes, quamuis ſint bonæ, tamen aliquid maius per ſedere à dextris nobis ſignificatur. quocirca explicanda eſt vera ſententia, quibuſdam dictis ſeu propoſitionibus. Primò itaque certum eſt dextram non ſignificare aliquam corporis partem, quod dixerunt nonnulli hæretici, vt modò diximus, quia in hoc ipſo Pſalmo pater eſſe dicitur à dextris Chriſti, *Et Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges.* quod quidem fide Catholica tenere ac credere debemus: at fieri non poſſet, vt Chriſtus ſederet ad dextram patris, & pater ad dextram filij, ſi aliquam corporis partem ſignificaret ipſa dictio dextræ. Secundò fide Catholica credimus dextram non ſignificare vllum locum, vt corpus Chriſti ſit vbique, vt voluerunt alij hæretici, ſed ſignificari aliquem locum in cœlo: quia paſſim ſcriptura docet Chriſtum eſſe in cœlo, vt in ſymbolo noſtræ fidei, *Aſcendit in cœlum, ſedet ad dextram*, & Actorum 7. ait Diuus Stephanus, *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* & Diuus Paulus ad Epheſios 2. *Deus autem qui diues eſt in miſericordia propter nimiam ſuam charitatem, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia ſaluati eſtis, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu*: quocirca ex hoc loco conſtat Chriſtum eſſe in cœlo, & ad Hebræos 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius* (ſcilicet patris) *ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* & ad Coloſſenſes 3. *Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextris Dei ſedens.* quare ex hoc loco certum eſt Chriſtum eſſe in cœlo. & ad Hebræos cap. 1. vbi inter alios verſus Pſalmiſtæ affert hunc verſum quem modò interpretamur: ait enim D. Paulus, *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius*, ſcilicet patris, *portánſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* Quocirca ſcriptura docet Chriſtum ſedere in cœlo, quod idcirco fide Catholica credere debemus Chriſtum non ſedere in quocumque cœlo; ſed in ſupremo, vel potius ſuprà ſupremum cœlum, quia vt D. Paulus ad Hebræos 4. ait, *Habemus pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Ieſum Chriſtum filium Dei.* quod quidem verbum penetrauit, non ſolùm ſignificat cœlos non impediuiſſe eum ne aſcenderet, quod haberet corpus, & ipſi cœli ſunt etiam corpora propter penetrationem dimenſionum: ſed ſignificat eum penetraſſe & permeaſſe ſuper omnes cœlos, vt conſtat ex eodem D. Paulo ad Epheſ. 4. *Qui deſcendit*, inquit, *ipſe eſt, & qui aſcendit ſuprà omnes cœlos, vt impleret omnia.* Deinde non fide quidem Catholica; ſed opinione certè valde probabili tenemus Chriſtum ſedere in cœlo Empyreo, propter locum D. Pauli 2. ad Corinthios 12. vbi dicit ſe raptum fuiſſe vſque ad tertium cœlum, non quòd non ſint niſi tres cœli aut non fuerit raptus vſque ad cœlum Mercurij vel Solis, exempli gratia: ſed quia quamuis numero ſint plures cœli, tamen genere

ſunt tantùm tres, quorum primum conſtituit cœlum planetarum & ſtellarum, ſecundum verò cryſtallinum, tertium denique Empyreum, ad quod vſque fuit raptus D. Paulus, quia non eſt credibile beatos eſſe in orbibus ſeu cœlis qui voluuntur. At D. Paulus eodem loco dicit, ſe fuiſſe raptum in paradiſum, & audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Tertiò certum eſt etiam nomen dextræ non ſignificare vllum locum certum qui à nobis inquiri debeat, quia D. Aug quæſt. 88. dicit, *Vbi autem aut quomodo ſit in cœlo corpus Dominicum, ſuperuacaneum eſt quærere.* Quartò licet Chriſtus ſit in gloria patris, tamen ſedere ad dextram, hoc loco non ſignificat gloriam, quia nos numquam in ſacris literis ſedere dicimus à dextris Dei, ſed bene dicimus ſedere in gloria Dei, vt ad Epheſ. 2. *Et conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu*, vt ſuperiùs citauimus. Quocirca ſedere ad dextram non ſolum ſignificat Chriſtum eſſe æqualem patri, ſed etiam maiorem: non quidem re ipſa, quia æqualis pater, æqualis filius, & æqualis Spiritus ſanctus, vt habemus in ſymbolo Athanaſij: ſed quod attinet ad nos, & functione officii, & adminiſtratione Eccleſiæ quia etſi pater ſit Deus & rex, tamen regni adminiſtratio conceditur & tribuitur filio, quia regnum amiſſum recuperauit, & acquiſiuit patri ſuo proprio ſanguine, & verbo ſuo fidē in cordibus hominum plantauit. Quocirca cùm maius ſit quodammodo recuperare regnum amiſſum quam vel erigere, vel acquirere de nouo, per quandam excellentiam non quidem naturæ, ſed officij & adminiſtrationis, dicitur Chriſtus ſedere ad dextram patris, vnde etiam Chriſtus dicitur caput noſtrum, non autem Deus pater, 1. ad Cor. initio cap. 11. *Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris vir, caput verò Chriſti Deus*: quia ſcilicet caput debet eſſe eiuſdem naturæ cum reliquis membris, & quia noſtra natura, qui ſumus membra Chriſti, eſt humana, ideo Chriſtus, qui habet naturam humanam, eſt caput noſtrum. & quia etiam natura humana eſt hypoſtaticè coniuncta diuinæ naturæ: ideò Deus dicitur caput Chriſti. Quare ſedere ad dextram eſt eſſe quodammodo maiorem, quoad officium & adminiſtrationem Eccleſiæ ſuæ, quod etiam patet ex aliis ſcripturæ locis, vt Ioan. 5. vbi cùm Iudæi quærerent interficere Ieſum Chriſtum, quod non ſolùm ſoluebat Sabbathum, ſed etiam dicebat patrem ſuum eſſe Deum, ſe faciens æqualem Deo. Reſpondit Ieſus, *Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hoc & filius ſimiliter faciet: pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit opera, vt vos miremini. Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat: neque enim pater iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit filio.* Ex quo quidem loco ſatis eſt manifeſtum Chriſtum non ſolùm eſſe æqualem patri in natura, & re ipſa, & aliquibus operibus vt in viuificandis mortuis, ſed etiam quodammodo eſſe maiorem in adminiſtratione regni, atq; Eccleſiæ, quia omne iudicium fuit illi datum à patre: licet enim in extremo iudicio pater & filius & Spiritus ſanctus iudicent re ipſa & verè, ſiquidem opera ſunt indiuiſa toti Trinitati; tamen ſolus filius pronuntiabit ſententiam, qua bonos ſaluabit, & malos mittet in tenebras exteriores, quod quidem voluit etiam dicere D. Paulus ad Philip. cap. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium terreſtrium & infernorū.*

vbi

vbi non ſolùm videtur ſignificare D. Paulus Chriſtum exinaniuiſſe ſe, & ideo conſediſſe in æqualitate patris, quia antea & ab æterno fuit æqualis patri: ſed quemadmodum ipſe Chriſtus, qui antea erat in forma Dei, hoc eſt verus Deus, diuiſit ſe, non ſolùm vſque ad conditionem & miſerias hominum, ſed infra naturam humanam, quemadmodum dicitur, ego ſum vermis & nō homo, & opprobrium hominum, & abiectio plebis, & ſic Deus exaltauit illum, hoc eſt, fecit quodammodo ſe ſuperiorem adminiſtratione ſcilicet regni, non autem reipſa, & donauit illi nomen quod eſt ſuprà omne nomen, atque adeo etiam nomen Dei, quod etiam omnes Chriſtiani tacitè ſignificant, cùm audito nomine Ieſu, omnes detegunt caput, audito vero nomine Dei non item: vnde tantùm abeſt vt Arrianorum opinio vera ſit, qui dicebant ex hoc loco ſequi filium non eſſe æqualem patri, vt ipſe ſit etiam ſuperior patre, quemadmodum dictum eſt. Quocirca diuerſa ratione dicitur filius eſſe ad dextram patris, & pater ad dextram filij, vt hoc ipſo Pſalmo, *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges.* Quod cùm filius dicitur eſſe, ſeu ſedere ad dextram patris, denotatur comparatio virtutis filij & patris, quod virtus & potentia filij dicatur eſſe maior, non quidem reipſa, ſed ratione functionis officij & adminiſtrationis Eccleſiæ, vt dictum eſt: cùm autem pater dicitur eſſe à dextris filij, ſignificatur auxilium paſſiuè, vt ſcilicet pater adiuuet & opituletur filio ad accipiendum & gubernandum regnum ſeu Eccleſiam: & filio quidem quatenus homini, non quatenus Deo, ſicut cùm aliquem iuuare volumus, tenemus eius dexteram, propterea quod maior vis & roboris in dextra conſiſtit, vt habetur in Pſal. 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear*, quem quidē verſum & ſequentes iſtius Pſalmi, D. Petrus Act. 2. interpretatur de Chriſto, quem ſecundum humanitatem quidem, quia diuinitas non fuit mortua, ſuſcitauit Dominus. Quare hoc loco Deum eſſe à dextris Chriſti, idem eſt atque iuuare & opitulari illi quatenus ſcilicet homini: deinde idem conſtat ex eo quod dicitur Pſ. 72. *Tenuiſti manū dextram meā*, quod idem eſt ac adiuuiſti me. & Pſ. 18. *Qui aſtitit à dextris pauperis, vt ſaluum faceret à perſequentibus animam meam*, vbi Dauid per aſſiſtere à dextris, intelligit adiuuare, & ſaluam facere animam à perſequentibus, ſed alia etiam ratione dicimur ſedere à dextris Chriſti & Chriſtū ſedere à dextris Dei, quia cùm Chriſtus dicitur ſedere à dextris Dei, ſignificatur comparatio adminiſtrationis Eccleſiæ ſeu regni, quæ quidem tribuitur filio, vt ſuperiùs dictum eſt: nos autem dicimus eſſe à dextris Chriſti, vt in extremo iudicio, ſicut habetur Matth. 25. *Cùm autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem. ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis: & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Et mater filiorum Zebedæi, *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus à dextris, alter à ſiniſtris in regno tuo*, non quod ſimus æquales Chriſto, aut in adminiſtratione regni, aut alio modo, quia numquam poſſumus peruenire ad tantam perfectionem: ſed vt diſtinguamur ab iis qui erunt à ſiniſtris, hoc eſt, damnatis. Quocirca Chriſtus dicitur ſedere à dextris Dei patris, comparatione ad ipſum Deum patrem, nos autem dicimur eſſe à dextris Chriſti, non comparatione ad Ieſum Chriſtum; ſed ad damnatos, vt ab illis ſeparemur, vel etiam ad minùs glorioſos, quia hi erunt quodammodo à ſiniſtris, ratione eorum qui ſunt à dextris, & minorem habebunt beatitudinem, quia non erunt ita beati: & hæc de priori commate huius primi verſus.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

QVOD attinet ad ſecundum comma, quod eſt, Donec ponam &c. quinque nobis ſunt explicanda. Primò iſtud vocabulum Donec: eſt enim difficillimum in ſacris litteris. Secundò quid ſignificat inimicos Chriſti poni ſcabellum pedum eius. Tertiò qui ſint eiuſdem inimici. Quartò quare potius dicãtur inimici Chriſti, quã patris aut Dei. Quintò deniq; & poſtremò quare pater potius dicatur ponere huiuſmodi inimicos ſcabellum pedum Chriſti, cùm Chriſtus eſſet ſatis fortis, quod ipſe vicerit mundum. Quod igitur attinet ad primum, nempe Donec, quamuis donec, vſque, & ſi quæ ſint ſimiles dictiones, cùm ponuntur in oratione affirmatiua ſignificent affirmationem, ídque ad certum tempus, poſtea verò minimè: ſed negationem: quemadmodum ſi diceremus nos futuros auditores, donec attigerimus vigeſimum annum, ſignificaremus nos futuros eſſe auditores tantùm vſque ad hoc tempus, poſteà verò minimè: ſed vel præceptores, vel aliquid aliud acturos. Cùm autem ponuntur in oratione negatiua ſignificant negationem, vſque ad certum tempus, poſtea verò affirmationem, vt ſi diceremus nos nolle eſſe præceptores, aut nubere, donec attigiſſemus vigeſimum annum, ſignificaremus nos antea, aut nolle eſſe præceptores, aut nolle nubere, ſed poſtea velle: quamuis, inquam, hiuſmodi dictiones hoc propriè ſignificent, tamen doctores Catholici hoc adnotarunt, in ſacris litteris non ſignificare vllum certum tempus & definirum, vt Origenes tract. 3. in Matth. Chryſoſt. tract. 3. in Ioan. D. Hieron. in libello aduerſus Heluidium, Gregor. Nazianz. in orat. 4. de diuinitate filij, & ipſi doctores afferunt multa ſcripturæ loca, vt Iſai. 46. vbi dicitur, *Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos portabo, ego feci, & ego feram, & ego portabo, & ſaluabo*, vbi Deus non ſignificat portare, ferre & ſaluare vſque ad ſenectam, & poſtea non portare, ferre neque ſaluare; ſed adhuc magis portare, ferre, & ſaluare, vt Pſalm. 122. vbi habetur, *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*, vbi non ſignificat poſtquam miſertus fuerit noſtri, nos tunc debere auertere oculos ab ipſo, ſed adhuc magis in illum coniicere, vt Matt. vlt. cap. *Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*: vbi non ſignificat non eſſe nobiſcum poſt conſummationem ſæculi; ſed magis & perfectiùs eſſe nobiſcum, quàm ſit modò, quia erimus cum eo in paradiſo. Quod autem attinet ad orationes negatiuas, in quibus repetitur Donec, habemus Matt. 1. *Et non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum.* vbi nõ ſignificat Ioſephum poſtea cognouiſſe eam, ſcilicet virginem Mariam, vt voluerunt quidam hæretici: ſed neque etiam poſtea cognouiſſe. Quocirca, donec, in ſacris litteris in oratione affirmatiua, nõ ſignificat negationem poſt certum tempus, neque in oratione nagatiua affirmationem poſt certum tempus, de quo poſſet dubitari, & quia poterat dubitari, an Deus portaret & ferret populum ſuum vſque ad ſenectam: ideo dicit ſe portaturum vſque ad ſenectam, & an ad Dominum oculum coniiceremus, donec miſereatur noſtri, quia oportet, vt Deus præueniat hominem qui eſt in peccatis, antequam ad Deum ſe conuertere poſſit: idcirco dicuntur oculi noſtri ad Dominum donec miſereatur noſtri, & propterea, quia poterat dubitari an Chriſtus eſſet etiam nobiſcum in hoc mundo, dicit ſe eſſe nobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi. Ita etiam de beata Virgine, quia potuiſſet dubitari, an Ioſephus cognouiſſet donec peperiſſet;

ſet, quia peperit: idcirco vt ſciamus filium quem peperit non eſſe ex Ioſepho, ſed filium Dei, Dicitur Ioſephum non cognouiſſe eam, donec peperit filium primogenitum, non quòd poſtea eam cognouerit, quemadmodum ſi diceremus nos veniſſe Roma Lutetiam, & non interrogaſſe quidem viam donec Lutetiam perueniſſemus, ſignificaremus quidem negationem vſque ad hoc tempus, quo Lutetiam perueniſſemus, ſed non ſignificaremus affirmationem, nempe petiuiſſe viam cùm iam eſſemus Lutetiæ quia hoc ſtultum eſſet: ſic etiam hoc loco, quia poterat eſſe dubiũ, an Chriſtus ſederet dum ponerentur inimici eius ſcabellum pedũ ſuorum, quia rex qui habet inimicos non ſolet ſedere in ſolio ſuo: ſed potiùs bellum gerere. Idcirco dicitur hîc ſedere donec ponat inimicos tuos, &c. vbi donec, ſignificat quidem affirmationem eo tempore; ſed non ſignificat poſtea negationem hoc eſt non ceſſurum: ſed multò magis ſeſſurum quia nullos habebit ampliùs inimicos: ſed adhuc ſenſus huius loci eſt altiùs effodiendus atque explicandus per alium locum difficiliorem, atque obſcuriorem D. Paul. 1. Cor. 15. vbi habetur, *Et ſicut in Adam omnes moriũtur, ita etiam in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnuſquiſque autem in ſuo ordine. primitiæ Chriſtus: deinde ij qui ſunt Chriſti, qui in aduentum eius crediderunt. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo, & patri, cùm euacuauerit omnem principatum & poteſtatem & virtutem. Oportet autẽ illum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cùm autem dicat: Omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Quidam itaque interpretantur illud verbum, regnare, cùm dicitur oportet eum regnare, non quidem poſſeſſiuè, quòd poſſideat regnum; ſed acquiſitiuè, quia ſcilicet acquirat regnum, & ſemper bellum gerat, donec omnes debellauerit. Sed hæc ſententia eſt falſa, quia hîc non dixiſſet Dauid, donec ponam inimicos tuos, ſed donec ponas inimicos tuos. D. autem Auguſt. lib. 83. quæſt. 69. exiſtimat regnare, ſignificare tantùm regnum ſuum manifeſtare, vt inimici fateantur eum eſſe verum regem. Cùm itaque hic locus D. Pauli videretur ſignificare Chriſtum quidem regnare, & ſedere, donec vincerentur eius inimici, poſtea autem non regnare, ſed ſubiici patri. Idcirco Arriani nitebantur hoc loco maximè ſtabilire ſuam hæreſim, vt conſtat ex D. Hilario lib. 5. de Trinitate, & ex D. Auguſt. lib. contra ſermonem Arrianorum c. 61. & ex aliis qui diſputarunt contra Arrianos, & ſic illi doctores, Arrianos coarguebant. ſi Chriſtus regat mundum, vincuntur eius inimici, patrem nunc non regnare, quod cùm ſit abſurdum, etiam abſurdum erit Chriſtum non regnare poſtquam ſuperati erunt eius inimici. Secundò, ſi poſtea non regnaret Chriſtus, falſum eſſet, quod dixit angelus. Luc. 1. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* ſed hoc non eſt falſum, ergo non deſinet regnare contra Arrianos. Tertiò, quia ſi regnat dum ponuntur inimici ſui ſub pedibus ſuis, ergo ſaltem modò regnat: ſed hoc negabant Arriani, ergo eorum ſententia eſt falſa. Alij autem hæretici, quorum mentionem fecit Diuus Auguſtinus loco citato. nempe contra ſermonem Arrianorum, dixerunt fore, vt poſtquam inimici Chriſti erunt victi, natura humana eius conuertetur in diuinitatem. dicebant enim humanitatem eſſe ſolùm thoracem, ſeu, *vn corcelet*, ad debellandos inimicos, quæ ſententia ſine confutatione per ſe ſatis abſurda eſt. alij autem dixerunt fore, vt Chriſtus ſubiiceretur patri quatenus homo, vt Diuus Ambroſius lib. 5. de fide cap. 6. & D. Auguſt. lib. quæſtionum veteris & noui Teſtamenti: ſed

quamuis hoc ſit verum, non tamen eſt accommodatum, quia nihil noui diceretur, quia nunc etiam ſubiicitur patri quatenus homo. Dicitur enim in ſymbolo Athanaſij æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundùm humanitatem, & in Euangelio, *vado ad patrem, quia pater maior me eſt*: Alij dixerunt hunc locum D. Pauli intelligendum eſſe de myſtico Chriſti corpore, ſcilicet Eccleſiæ, vt Ambroſ. lib. epiſt. 25. Sed hic non poteſt eſſe ſenſus, quia D. Paulus diſtinguit vnum ab alio, ait enim, *cùm autem ſubiecta ei fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia*, vbi per *omnia* intelligit Eccleſiam, ſeu corpus Dei myſticum, per filium autem ipſum Chriſtum. Alij verò dicunt ſubiici, hoc loco, idem eſſe, quod adæquari in gloria, vt Hilarius lib. 11. de Trinitate, ſed potiùs ſignificaret contrarium. Quare cum Epiphanio, Hæreſi 69. dicimus D. Paul. hoc loco velle ſignificare Chriſtum, poſtquam poſuerit inimicos ſub pedibus ſuis, quodammodo deponi ab officio, hoc eſt non ampliùs adminiſtrare Eccleſiam, quia certum eſt ſi conſideretur Chriſtus, vt Deus eſt, non poteſt ſubiici cuiquam, quia Deus nulli vnquam ſubiici poteſt: ſi conſideretur autem vt homo eſt, tunc etiam eſt ſubiectus patri. Quocirca cùm diceret D. Paulus, Cùm autem ſubiecta fuerunt illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, quia nunc nõ adhuc ſunt illi omnia ſubiecta: non enim omnes agnoſcunt eum regem ſuum, & tamen eſt iam ſubiectus patri ſecundùm humanitatem. Quocirca debemus dicere neceſſariò, ſubiici, hoc in loco D. Pauli non ſignificare veram & propriam ſubiectionem ſed per apparentiam ſolùm, quia certum eſt apud D. Paulum, Sedere ad dextram patris, vt ſuperiùs dictum eſt, & hoc loco ſubiici patri, eſſe oppoſita. Quocirca quemadmodum ſuperiùs probauimus, ſedere ad dextram patris, nõ debere accipi propriè, ſed metaphoricè, & per metaphoram ſignificare Chriſtum Dominum non ſolùm eſſe æqualem patri, ſed etiam quodammodo maiorem, non quidem verè ac reipſa, ſed ratione noſtri, & per apparentiam, quod ſcilicet ipſe regnum adminiſtret & iudicet, vt ſuperiùs dictum eſt: ſic etiam hoc loco apud D. Paulum, ſubiici, non debet propriè & ſimpliciter ſumi, ſed metaphoricè, & per metaphoram ſignificat Chriſtum quodammodo deponi ab huiuſmodi adminiſtratione Eccleſiæ, & gubernatione regni, & poſt diem iudicij in quo omnes inimici Chriſti agnoſcent illius potentiam & maieſtatem, boni quidem in gloria, mali autem in pœnis Inferni, non erit ampliùs opus iſta adminiſtratione Eccleſiæ, propter quã ratione noſtri & per apparentiam, nunc quodãmodo dicitur maior patre, quemadmodum etiam multi Doct. antiqui, vt Athanaſius orat. 2. contra Arrianos, Epiphan. in hæreſi contra Arrian. Hilarius 2. de Trin. & alij interpretantur iſta verba Ioannis 14. *Pater maior me eſt*, de Chriſto, non ſolùm ſecundum humanitatem quod quidem prima facie verum videri poteſt: ſed ſecundum diuinitatem, non quidem reipſa, ſed metaphoricè, & impropriè & ſecundum apparentiam, quod nomen patris ſit magis quodammodo honorificum, & reuerendum. Quare hoc loco D. Paulus, cùm dicit Chriſtum fore ſubiiciendum patri, non dicit propriè, & reipſa ſed per apparentiam & ratione gubernationis regni quod ſanguine ſuo acquiſiuit quod vt melius intelligi poſſit, non eſt à ratione alienum animaduertere, quod dicit Chryſoſt. hom. 39. in Epiſt. ad Epheſios, & quidam alij, duplex eſſe regnum, aut dici poſſe, vnũ creationis, Deus enim dicitur rex, & moderator totius mundi quod cum creauerit, & præcipuè hominem, quem creauit ad imaginem ſuam, vt habetur Geneſ. 1. Alterum autem redemptionis, quia non ſolùm ille qui vel habet regnum

vel

vel primò conſtituit, dicitur rex, ſed, qui regnum amiſſum recuperat. Quocirca pater propriè dicitur rex creationis, quia licet pater, filius & ſpiritus ſanctus creauerint, tamen cùm ſit mētio in ſacris litteris de creatione, tribuitur ipſi patri, non autem filio, neq; ſpiritui ſancto quia eſt proprius actus omnipotentiæ, quæ patri attribuitur, ſicut ſapientia filio, & charitas, & amor ſpiritui ſancto: cùm autem regnum rebellaſſet, cùm homo peccauit, fecit Deus pater quemadmodum rex aliquis ſenex, qui nollet arma ſumere aduerſus rebelles regni ſui, ſed indueret filium ſuū habitu regis ad debellandos inimicos ſuos, quibus deuictis & dōmitis traderet regnū patri: ſic Deus, pater miſit filium ſuum verum Deum & hominem, vt pugnaret contra inimicos & vinceret, conſtituitq; eum regem, ſicut dicitur Pſ. 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans verbum & præceptum eius* & cum ipſe in prætorio eſſet ante Pilatū reſpondit ſe eſſe regem, ſed regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo. Quamobrē D. Paulus in eo loco vult dicere Chriſtum Dominum poſtquam penitus ſubiecerit omnes inimicos ſuos tradere regnum patri; & ſicut dicitur ſedere ad dextram patris, hoc eſt quodammodo eſſe maiorem patre, propter iſtud bellum & victoriam quam iam reportauit, & adhuc ſingulis diebus reportat in iudicio priuato cuiuſq; hominis, & perfectè reportabit in die iudicij non quidem reipſa, ſed per apparentiam & demonſtrationem virtutis & gubernationis: ita etiā ſubiici patri hoc loco eſt deuictis omnibus inimicis, deponere quodammodo iſtam gubernationē: quia ea non erit opus, vt ſit Deus omnia in omnibus, hoc eſt quēadmodū pater ante rebellionē dicebatur propriè regnare iure creationis, ſicut diximus domū aliquā eſſe noſtrā iure factionis & ædificationis: ita etiā poſt deuictos penitus inimicos regnet, & ſicut quamuis filius dicatur, nunc propriè regnare iure redēptionis, quēadmodū dicimus aliquā domum eſſe noſtrā iure emptionis: tamen non ſequitur quin pater etiā regnet reipſa & propriè & ſit æqualis filio, ſed tantū per apparentiā, vt ſup. dictū eſt: ita etiā quando D. Paulus dicit, *Cùm autē ſubiecta fuerint illa omnia tūc ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia*, nō debet intelligi, quod propriè ac verè filius ſubiiciatur, ſed ſolùm per apparentiā. Quocirca D. Paulus dicit, *oportet eum regnare donec ponat inimicos ſub pedibus eius*. Iſtud donec nō ſignificat affirmationē alicuius certi tēporis, & poſtea negationē, vt nō ampliùs regnet reipſa & verè, ſed ſolū per apparētiam, quia nulli erūt ampliùs qui nō agnoſcāt eū eſſe verū regē, ſiue boni in gloria cū Chriſto, ſiue mali in pœnis Inferni: in qua quidem re oſtenditur & nobis apparet eum regnare: quo etiam modo debet intelligi iſte locus quē interpretamur, vt ſcilicet ſede à dextris meis metaphoricè ſignificat regna, iudica, vince omnes inimicos regni tui, ita etiam donec ſignificet metaphoricè eum depoſiturum non quidem reipſa, ſed adminiſtratione iſta, iuſta iudicia & bella contra inimicos ſuos. quæ quidem interpretationes quamuis veræ & Catholicæ ſint, mallē tamen dicere ibi, donec, excludere omne tempus, quēadmodum excludit illud idē in Mat. 1. vbi dicitur Ioſephū non cognouiſſe virginē Mariam donec peperit filiū ſuū primogenitū: ſicut enim non cognouerat eā ante partū, ita etiā nec poſt partum. Itaq; ſicut ibi excludit omne tēpus, ita & hîc illud idem excludit. Quod ſpectat ad ſecundū quod vobis eſt explicandū in hoc poſteriori commate iſtius verſus, nēpe, quid ſit ponere inimicos Chriſti ſcabellum pedū ſuorum, aliqui ex antiquis doctoribus Catholicis dixerunt ſcabellum intelligi naturam humanam Chriſti, vt velit dicere Deus, donec ſubiiciam tibi non ſolùm vt Deo, ſed etiam vt homini omnes inimicos tuos, quoniam humanitas Chriſti vide-

Quid ſit ponere inimicos ſcabellum.

Digitized by Google

videbatur impedire multos ne crederent eum eſſe regem, & verum Deum, quemadmodum exponit D. Chryſ. hom. de Trin. exponens illum locum Pſ. 98. vbi dicitur: *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt.* Alij interpretantur de ſacra Euchariſtia, vt D. Ambr. lib. 5. de Spiritu ſancto c. 12. *Itaq; per ſcabellũ,* inquit, *terra intelligatur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu, vt ſupra diximus adorarunt.* quod idem dicit D. Hieron. in ſuis comment. in eundẽ Pſ. 98. licet aliqui putent illum non compoſuiſſe illa commentaria, ſed quia ipſe dixit eſſe ſua in apologia ad Ruffinum l. 5. circa medium, poſſumus etiam meritò illa ipſa illi tribuere: per ſcabellum, inquit hic Propheta corpus Dominicũ intelligit, in quo maieſtas diuinitatis tanquã per ſcabellum ſtat. quod autẽ adorari debeat Dominicũ corpus eo aſcendente Apoſtoli docuerunt cum adorantes egreſſi ſunt in Ieruſalem, vt habet Luc. vlt. quem etiam locũ eodem modo interpretatur Aug. in eundem Pſ. *Fluctuans,* inquit, *conuerto me ad Dominum quia ipſũ quæro hic & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius, ſuſcepit autem de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ matris carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit & ipſam carnẽ nobis ad manducandum in ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit: inuentum eſt quomodo adoratur tale ſcabellum pedum Domini, vt non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Et licet Caluiniſtæ dicant hunc Auguſtini locum intelligi debere, quod qui manducant Chriſti corpus debeant illud prius adorare, non in Euchariſtia, ſed in cœlo tantùm, iſti detorquent ſẽſum huius loci & illi imponunt, quia volunt D. Aug. aliud dicere, quàm quod dixit præceptor ſuus D. Ambroſ. qui vt ſup. attulimus, declarat manifeſtè nos carnem Chriſti in myſteriis adorare, hoc eſt in ſacramento, & non in cœlo tãtùm. Aſſerunt alij, vt Origenes tract. 23. in Matt. & Hieron. in Epitaphio Fabiolæ, & alij, per ſcabellum pedum Chriſti intelligi pœnitentes; tres enim diſtinguebant ordines in Eccleſia, quorum primus erat clericorum, ſecundus fidelium, qui laici dicuntur, tertius pœnitentium, qui erat omnium infimus, ſed quamuis iſtæ omnes interpretationes bonæ ſint, & accommodatæ concionibus, & interpretationi etiam iſtius loci Pſal. 98. tamen hoc loco non ſunt accommodatæ omnino ad id de quo agitur: cùm enim hic agitur de regno Chriſti, & de ſeparatione inimicorum eius, per ponere ſuper ſcabellum pedum eius, ſignificatur ita ſubiicere, vt nullo modo ampliùs ſint rebelles, quemadmodum cùm dicimus nos omnino aliquem domare velle, dicimus nos illum ita ſuperaturum vt pedibus eius ventrem conculcemus, vnde & D. Paulus loco 1. ad Corinth. 15. omiſit ſcabellum, cùm dixit, *oportet illum regnare donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus eius,* quod ſcilicet hoc loco, ſcabellum ponatur tantùm ad ſignificandam quandam emphaſim.

Quod attinet ad tertium explicandum in hoc ſecundo commate, huius primi verſus, qui ſcilicet inimici Chriſti ſunt, primus & capitalis inimicus Chriſti eſt diabolus, vt habetur Matth. 12. *quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem,* vbi per fortem, certum eſt intelligi diabolum, quia eo in loco reprehendit Iudæos, qui dicebant in principe dæmoniorum eum eiicere dæmonia, & Ioannes 14. *Venit enim princeps mundi huius & in me non habebit quidquam,* quod etiam D. Paulus intellexit loco ſuprà citato 1. ad Corinth. 15. ait, Deinde finis cùm tradiderit regnum Deo & patri cùm euacuauerit omnem poteſtatem, principatum & virtutem vbi

D. Pau-

D. Paulus non accepit iſta tria verba in bonam, ſed in malam partem, Itaut intelligat de malis principatibus, poteſtatibus & virtutibus; vnde ex hoc loco rectè quidam doctores colligunt varios eſſe ordines dæmonum, ſicut & bonorum angelorum, quos quidem omnes principatus, poteſtates virtuteſque dæmonum ſubiiciet ſibi Chriſtus in die iudicij: ſed poterit aliquis dicere, Chriſtum iam viciſſe diabolum & ſua morte iam illius caput contriuiſſe, quia dicitur Ioannes 12. *princeps huius mundi iam iudicatus eſt*: ſed dicendum eſt, quemadmodum cùm rex aliquis obtinet victoriam non tamen idcirco vincit omnes omnino ſuos inimicos, ſed ipſi ſoli diſperguntur, & tamen faciunt adhuc multa mala ſi poſſint, licet ſint iam multùm debilitati: ita etiam Chriſtum Dominum morte quidem ſua obtinuiſſe victoriam contra diabolum, ſed tamen non omnino viciſſe, itaut non rebellet ampliùs, ſed ſolùm valde minuiſſe eius poteſtatem, vt certum eſt, tum ex ſcriptura ſacra, tum ex hiſtoriis, in die autem iudicij, ita vincet eum, & ligabit, veluti quibuſdam catenis, vt non poſſit ampliùs moueri. Dicitur enim Apocal. 12. *Et proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatan, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terrã, & angeli eius cum illo miſſi ſunt, & audiui vocem magnam in cœlo dicentem, nunc facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti eius, & virtus, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabit illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* ex quo quidem loco colligimus fore, vt proiiciatur diabolus in Infernum in die iudicij, non enim poteſt intelligi antea, quia accuſabit ſemper fratres noſtros, ſeu nos homines, vſque ad diem iudicij, & dicitur non ampliùs accuſare poſtquam erit proiectus, quia ob id dicitur factam eſſe ſalutem, & virtutem, & regnum Dei, & poteſtatem Chriſti eius: deinde etiam colligimus apertè Chriſtum reipſa & propriè non ſubiiciendum patri poſtquam ſubiecerit ſibi omnia, ſed tantùm metaphoricè, per quandam apparentiam, quemadmodum diximus, cùm explicaremus locum D. Paul. 1. ad Corinth. 15. quia dicit, *Cùm draco ille, ſeu diabolus proiectus erit, factam eſſe poteſtatem Chriſti.* Præterea illud etiam colligitur ex eodem D. Ioanne, Apocal. cap. 20. *Et diabolus*, inquit, *qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulfuris, vbi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſæculorum*, vbi apertè docet diabolum, & iam quodammodo fuiſſe victum atque ligatum, & poſtea etiam in die iudicij vincendum adhuc eſſe & ligandum, vt colligitur ex toto illo cap. Quapropter & diabolus in ſacris ſcripturis dicitur inimicus Chriſti, & non adhuc omnino illum vicit, ſed vincet penitus in die iudicij. Secundus inimicus Chriſti, eſt mundus, qui etiam ſolet aduerſus eum maiores habere virtutes ſiue vires, quàm etiam diabolus, quod colligitur, tum ex eo, quod Ioannes 16. in fine ipſe dixerit, *confidite, vici ego mundum*, non autem vincuntur niſi inimici. Quocirca mundus eſt inimicus Chriſti, tum etiam quod per mundum intelligimus homines malos, & peccatores, quod ſi ipſi ſunt amici diaboli, & diabolus eſt inimicus Chriſti, vt dictum eſt, proculdubio illi omnes peccatores erunt etiam inimici Chriſti, quod etiam colligitur Ioan. 15. vbi dixit Chriſtus Dominus, *ſi mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et ſic etiam mundus inimicus Chriſti. Tertiò inimici Chriſti dicuntur omnes Hæretici, vt facile patet ex epiſtola Ioannis 2. cap. *filioli*, inquit, *nouiſſima hora eſt, & ſicut audiuiſtis, quia Antichriſtus venit, nunc Antichriſti multi ſunt, vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt*, vbi per Antichriſtus venit, certum eſt intelligere Hæreticos, quia ſubdit *ex nobis prodierunt, ſed non erãt*

ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed vt manifeſtum ſit, quòd non ſunt omnes ex nobis. ſed cùm aliud ſit quærere, quinam dicantur in ſacra ſcriptura inimici Ieſu Chriſti, qui verò hoc loco: Idcirco ex materia, de qua in principio noſtri Pſalmi agitur, debemus quærere, quinam dicantur hic inimici Chriſti. Quare cùm hic agatur de regno Chriſti, eius inimici hoc loco intelligi debent, de quibus fit mẽtio Luc. 19. qui noluerunt eũ regnare ſuper ſe. dicitur enim ſic. *Homo nobilis abiit in regionem longinquam, accipere ſibi regnum & reuerti, vocatis autem decem ſeruis, dedit eis decem minas, & ad illos ait, negotiamini dum venio: ciues autem eius oderant eum, & miſerunt legationem poſt illum dicentes, nolumus hunc regnare ſuper nos.* horum autem tria ſunt genera. Primum eſt omnium infidelium ſiue ſint Iudæi, qui quia expectabant regem & meſſiam opulentiſſimum & magnificentiſſimum, quoad mundum, dixerunt nolle, vt ſuper eos Chriſtus regnaret: ſiue ſint ethnici, & pagani, qui noluerunt admittere fidem Chriſtianam. Secundum genus eſt Hæreticorum, qui quamuis in baptiſmo iurauerint in fidem & regionem Catholicam, promiſerint per ſuſceptores ſe credituros in fidem & religionem Chriſtianam, tamen recedunt, & dicunt, nolumus hunc regnare ſuper nos. Tertium genus eſt malorum Chriſtianorum, qui quamuis ore profiteantur Chriſtum, tamen factis dicunt, nolumus eum regnare ſuper nos, qui omnes ponendi ſunt ſcabellum pedum Chriſti; alij autem ſubiiciuntur ſponte libera & conuerſione & per pœnitentiam, alij autem potentia, vt & poſt hoc tempus, qui manibus pedibuſque ligatis cõiiciantur in infernum, de quibus dicitur in fine iſtius parabolæ, Luc. 19. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite ante me.* ex quibus facilè colligi poteſt, quod quartò loco explicandum diceramus, Quare ſcilicet dicantur potiùs inimici Chriſti, quàm patris, quia hic agatur de regno Chriſti. Idcirco dicuntur hic inimici, qui nolunt eum regnare ſuper ſe, cuiuſmodi præcipuè ſunt Iudæi, & alij etiam, quos modò diximus. Quod attinet ad quintum, quare ſcilicet pater dicatur potiùs huiuſmodi inimicos Chriſti ponere ſcabellum pedum eius, quàm ipſe Chriſtus, quamuis doctores de eo nihil adferant & dicant, tamen quia verendum eſt ne conſurgant noui Arriani, qui ex hoc loco voluerunt intelligere Chriſtum non eſſe ſatis fortem, vt ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum, & ſic dicant non eſſe æqualem patri, quia pater hic videtur ſibi attribuere maiorem potentiam: idcirco debemus ex ſacris litteris colligere, quantũ poterimus, quare hoc pater potiùs ſibi vendicet quàm filius. primò igitur certiſſimum eſt patrem hic non dici ponere inimicos Chriſti ſcabellum pedum eius, potiùs quàm filius, quòd filius non ſit ſatis fortis & ita potens ac pater, quia in aliis ſcripturæ locis multis dicitur filius ſubiecisse & ſubiicere ſuos inimicos, vt 1. Cor. 15. *Cùm tradiderit regnum patri, cùm euacuauerit omnem principatum, poteſtatem & virtutem.* Et Ioannis 16. *Confidite, ego vici mundum*, quem quidem ſuperiùs diximus eſſe præcipuum inimicum Chriſti, alias ſæpiùs, imò D. Paulus 1. Corinth. 15. cùm citat hunc locum dicit filium non autem patrem, ponere inimicos ſcabellum pedũ eius, ait enim, *Oportet eum regnare donec ponat inimicos omnes ſub pedibus eius*, vbi iſtud verbum (ponat) debet referri ad filium, non autem ad patrem, vt facilè & apertè colligitur ex contextu. Quocirca alię cauſæ inueſtigandę ſunt, quare hic pater dicatur ſuperare inimicos eiuſmodi, & non filius. Prima igitur cauſa eſt prędeſtinatio, quę propriè tribuitur patri, quemadmodum apertè colligitur ex aliis ſcripturæ locis, vt Ioannis 6. in fine, *nemo poteſt venire ad*

me niſi

me niſi fuerit ei datum à patre meo, & alibi, *nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit illum*, quare pater dicitur trahere, & Ioannis 12. filius dixit, *ego ſi exaltatus fuero omnia à terra traham ad me*, ſed reſpondendum eſt diuerſo modo patrem & filium dici trahere homines, pater quidem trahi per prædeſtinationem, & ideo homines dicuntur dati Chriſto à patre, Ioannes 12. *Manifeſtaui*. Chriſtus inquit, *patri*, *nomen tuum omnibus hominibus quos dediſti mihi. De numero*, quod ſæpiùs repetitur in hoc capite, & cap. 18. *etiam quæ dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam*, & aliis multis in locis. filius autem attrahere homines dicitur, tum morte ſua, vt conſtat Ioannis 12. vt diximus, tum prædeſtinatione, vt colligitur ex oratione, qua ipſe Chriſtus deprecatur patrem ſuum, vt clarificet eum Ioann. 17. tum miraculis, vt videmus per totum Euangelium multos ſequi illum, & credere in eum propter miracula quæ faciebat, tum præterea aſcendendo in cœlum, vt dicitur, aſcendens in cœlum captiuam duxit captiuitatem, & aliis etiam modis. Sed quæret aliquis, quare numquã filius in ſacris litteris dicatur prædeſtinare, ſed ſolùm pater, ad quod reſpondendum eſt; quod prædeſtinatio eſt proprius actus prouidentiæ, quæ quidem propriè per attributionẽ patri tribuitur ſicut ſapientia filio, & charitas ſpiritui ſancto: ſecunda cauſa eſt declaratio perfecti officij filij, vt ſcilicet pater dicatur ponere inimicos Chriſti ſcabellum pedum eius, & non ipſe Chriſtus, vt iudicet & demonſtret iam Chriſtum perfeciſſe & abſoluiſſe, quod debeat facere, ſicut ipſe dixit in illa oratione ad patrem ſuum, Ioann. 12. *Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam*, & D. Paulus Hebr. 10. *Hic autem*, ſcilicet Chriſtus, inquit, *vnam pro peccatis offerensus hoſtiam, in ſempiternum ſedet ad dexteram Dei, de cætero expectemus donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius*, ac ſi diceret poſtquam Chriſtus adimpleuit omnia, & ſemel pro nobis mortuus eſt, *iam non moritur, mors illi vltrà dominabitur*, vt alibi ipſe ait, ſcilicet ad Rom. 6. ſed expectat vt pater, ſi adhuc ſuperſunt rebelles, vt ſanè ſuperſunt multi, trahat eos vt veniant, partim pœnitentia & reuerſione ad Deum, partim etiam vi & potẽtia, vt omnes agnoſcant Chriſtum eſſe regem verum & tradat regnũ patri, vt ſuprà dictum eſt, ex 1. ad Cor. cap. 15. tertia cauſa, cur pater dicatur potiùs ponere inimicos Chriſti ſcabellũ pedum eius, quia ipſe Chriſtus eſt attributio potentiæ: cùm enim Arriani, vt docet Epiphanius hæreſi 62. obiicerent filium non eſſe æqualem, & conſubſtantialem patri, quia ſæpiſſimè in ſacris litteris dicitur pater ſuſcitaſſe filium, non autem filius ſeipſum, & in act. Apoſtolorũ, c. 2. 3. 4. 5. & 10. & alias etiam, vt in epiſt. D. Pau. ſæpiſſimè reſpondebant Catholici doctores patrem non dici in ſacris litteris ſuſcitaſſe filium, quòd ipſe filius non potuiſſet ſuſcitare ſeipſum, quod dicitur etiam ſæpiſſimè ſuſcitaſſe, ſeu ſuſcitare poſſe, in ſacris litteris, vt Ioann. 2. vbi dicit Chriſtus Iudæis, quos expulerat ex templo, *ſoluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud*. Hoc autem dicebat, inquit Euangeliſta, de templo corporis ſui, quod quidem à falſis duobus teſtibus fuit allatum in teſtimonium aduerſus eum, ante Pilatum, vt patet Mat. 26. & Ioan. 10. *Propterea me diligit pater, quia ego pono animã meam, & iterum ſumo eam*: ſed quia reſurrectio eſt actus omnino potentiæ, quæ propriè attribuitur patri, ſicut ſapientia filio, & charitas S. ſancto, vnde ait D. Paulus 2. ad Cor. 13. *Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei*. & ad Rom. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quo modo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, quæ quidem omnia debent intelligi per attributionẽ potentiæ, non autem quòd non habuerit filius

RRRr 2 pote-

poteſtatem ſuſcitandi ſeipſum: cùm enim dicimus attributionem potẽtiæ, non eſt quòd velimus dicere maiorem eſſe reipſa potentiam patris, quàm filij; ſed quia nos attribuimus potentiam patri, & quia reſurrectio, eſt actus ipſius potentiæ, idcirco & reſurrectio Chriſti attribuitur patri. Quocirca etiã hoc loco pater dicitur ponere inimicos Chriſti ſcabellum pedum eius, non quòd filius non poſſit, quia aliàs dicitur ponere etiam vt dictum eſt, ſed quia eſt actus potentiæ quæ attribuitur patri.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

EXPLICATO primo verſu huius Pſalmi, conſequens eſt vt ad ſecundum veniamus, in quo duo præcipuè nobis explicanda ſunt. Alterum quiſnam ſit, qui loquatur, an ſcilicet Deus pater, an Dauid: alterum, quis ſit ſingulorum verborum ſenſus. Quod attinet ad primũ non magni intereſt an Dauid loquatur, an Deus pater. ſi enim dicamus Dauidem loqui, dicemus etiam eſſe apoſtrophen ad filium, cùm enim Dauid primùm dixiſſet, dixit Domino meo, & deinde poſuiſſet referre verba patris ad Chriſtum filium, ſede à dextris meis, deinde per apoſtrophen conuertit ſe ad filium, & dixit virgam virtutis tuæ: ſed quamuis hoc verè dici poſſit, tamen potiùs videtur dicendum Deum patrem, qui dixit filio ſuo, ſede à dextris, dicere etiam, virgam virtutis tuæ emittet Dominus: & nota, quod non dicat emittam, ſicut dixit, donec ponam, ſed emittet, verum frequentiſſima eſt in ſacris litteris heteroſis. quemadmodũ ſi rex quempiam alloqueretur poſſet dicere ſæpiſſimè rex facit vel faciet, hoc quod idem eſſet, ac ego facio vel faciam. Quod attinet ad ſecundum, tria ſunt explicanda: primò quid ſignificet virga virtutis tuæ; ſecũdo quid ſit emittere ex Sion: tertiò quid ſit Chriſtum dominari in medio inimicorum ſuorum. Quod attinet ad primum, tres ſunt Rabbinorum ſententiæ, & interpretationes: Rabi enim Salomon, & ij qui dicunt hunc Pſal. eſſe intelligendum de Abrahamo, dicunt, virgam virtutis tuæ, ſignificare baculum panis ſeu ſuſtentationem, ſicut enim qui ſunt infirmi & debiles, baculo & virga ſuſtentantur, ſic etiam corpus infirmum & debile pane confirmatur, ſæpiùs enim in ſacris literis inuenimus baculum panis, vt Leuitic. 16. *Poſtquam confregero baculum panis, ita vt decem mulieres in vno Clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis & non ſaturabimini.* Et Ezechiel c. 4. *Ecce ego conteram baculum panis in Ieruſalem, & comedent panem in pondere, & in ſolitudine, & aquam in menſura & in anguſtia bibent, vt deficientibus pane & aqua corruant.* & apud eundem in fine c. 5. *Et famem cõgregabo ſuper vos, & conteram in vobis baculum panis.* Iſai. c. 3. vocat robur panis & robur aquæ, vbi per baculum panis ſignificatur ſuſtentatio panis, & conterere, ſeu confringere baculum panis, ſignificat mittere famem. Quod autem ponitur ex Sion, dicunt ideò eſſe poſitum, quòd Melchiſedech eſſet rex Sion, quæ vocatur Salem, vnde exiſtimat R. Salomõ Hieruſalem dictum eſſe à Hieſu & Salem, mutando ſ, in r, vt ſit ſenſus, & ſeruus Abrahami dicat Abrahamo domino ſuo, Dominus idem rex Melchiſedech emittet ex Sion virgam virtutis tuæ, ex Sion mittet te, ſeu offeret tibi panem & vinum. Alij autem, vt R. Dauid dicunt, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, ſignificare regnum Dauid propagandum in alias partes regni Iſraël, quia Dauid poſtquam fuit conſtitutus rex à Domino, primò occupauit arcem Sion, vt dicitur 2. Regum c. 5. *Cepit autem Dauid arcem Sion*; hoc eſt ciuita-

Digitized by Google

ciuitatem Dauid, vt Dominus ſeu Deus emittat virgam virtutis Dauidis, hoc eſt, regnum ex Sion in omnes alias partes regni Iſraël. Alij tenent hunc Pſalm. debere intelligi de Dauide, non autem de Abrahamo. Alij autem denique, quia etiam interpretantur hunc Pſal. de Dauide, dicunt virgam ſignificare auxilium, vt Dominus ſeu Deus dicatur mittere virgam, id eſt, auxilium Dauidi, ex Sion, quia in Sion erat arca Domini. Sed hæ omnes interpretationes ſuperiùs refutatæ ſunt, quia dicimus hunc Pſalm. non poſſe intelligi, neque de Abrahamo, neque de Dauide; ſed de ſolo Ieſu Chriſto. Quamobrem doctores Catholici per virgam virtutis tuæ, intellexerunt ſceptrum, quemadmodum Pſal. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus*, quem locum citat D. Paulus ad Hebræos 1. & accommodat Chriſto, quamuis Hebraïcè aliud ſit nomen, quàm hoc loco: ſed nihil refert, quia ſunt eiuſdem ſignificationis: quo etiam modo loquutus eſt Iſaias c. 11. cùm ait, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* quamuis enim iſte locus alteri ſenſui accommodetur, tamen non videtur verus eſſe ſenſus litteralis: Ieſach enim Hebraïcè ſignificat radicem, quæ emanat ſub terra, ſeu ſub terram arbore amputata. Quocirca vt ſciamus quis ſit verus ſenſus huius loci, quæritur quare dicat Propheta, egredietur virga de radice Ieſſe, & non de radice Dauid, cùm Ieſſe numquam fuerit rex, ſed ſolùm pater Dauidis regis, vt habetur 1. Regum 16. ſed voluit ſignificare Propheta, quamuis regnum Iudæorum tantis, tamque variis modis fuerit afflictum ab exteris nationibus, vt videretur radix ſub arbore, occultata arbore radix, & ſub terra occultata amputata arbore, hoc eſt, maiore parte regni, neque vllus poſſet exiſtimare ex ea rurſus radice debere naſci virgam, ſeu ſceptrum, tamen fore tempus quo regnum iſtud magis florebit: quemadmodum ſi arbor naſcatur ex radice relicta in terra, & veteris cuiuſdam arboris, ſolet illa arbor eſſe viridior & ſuauior atque etiam robuſtior; vt quemadmodum domus Ieſſe ita erat humilis, vt nemo potuiſſet arbitrari Deum ex ea electurum eſſe regem, nempe Dauidem, & tamen Dauid adhuc minimus fratrum ſuorũ ex illa domo rex fuit, ita enim etiam quamuis regnum Iudæorum fuit maximis fluctibus perturbatum, & agitatum, tamen egredietur virga de radice Ieſſe, hoc eſt, ſceptrum, & dicit potiùs de radice Ieſſe, quàm Dauidis, vt ſignificaret iſtam virgam, ſeu ſceptrum debere naſci ex humilitate, & regno maximè perturbato, quamuis non adhuc omnino ſubuerſo: quemadmodum ait ipſe Iſaias cap. 10. *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ (inquam) Iacob ad Deum fortem.* virga autem, ſeu ſceptrum, quæ egredietur de radice Ieſſe, eſt ſceptrum Chriſti, vt dicitur eodem cap. paulò pòſt: *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum ipſum gentes deprecabuntur.* quem locum adfert D. Paulus ad Rom. 15. *Erit radix Ieſſe,* inquit, *& qui exurget regere gentes in eam ſperabunt gentes.* Quare per virgam virtutis tuæ, ſignificat ſceptrum Chriſti, per ſceptrum autem ipſius in regnando poteſtatem, vnde ſceptra, tum regia, tum etiam epiſcopalia dicuntur prouenìſſe à paſtoribus, qui habent baculos, Gallicè, *des houlettes*, quibus poſſunt coërcere oues, & ſuam auctoritatem in illas monſtrare & geſtare, quamuis Iuſtinus hiſtoricus dicat ſceptra regia olim fuiſſe haſtas. Per virgam autem, ſeu ſceptrum, duo poſſunt intelligi per allegoriam; quidam enim, vt D. Ambroſius in commentariis in hunc locum, dicunt ſceptrum Chriſti ſignificare eius humanitatem, quia ipſa fuit inſtrumentum quo exercuit ſuam auctoritatem, & vicit ſuos inimicos. Alij autem dicunt ſceptrum Chriſti allegoricè ſignificare crucem

Chriſti, quia quod in rege eſt ſceptrum, in Chriſto fuit crux: quod enim ipſe prædicatione & miraculis non potuit, quamuis tamen potuiſſet ſi voluiſſet, ſed tamen non fecit, in cruce potuit & perfecit: poſtquam enim exaltatus fuit, traxit ad ſe multò plures, quàm vel per prædicationem, vel per miracula, vnde nata eſt veterum Chriſtianorum conſuetudo, vt docet Euſebius, vt crucem Chriſti depingerent ad modum labari, quod olim deferebatur ante imperatores Rom. vel ad modum crucis S. Andreæ, vt alterum cornu in ſumma parte deflecteretur in modum X Græci, & ex vno latere eſſet quoddam vexillum, & hoc modo interpretatur D. Hieronymus hunc locum Matth. 21. cap. *Et tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo* in commentariis in eundem locum.

Quod attinet ad ſecundum, quare ſcilicet Dominus, ſeu Deus dicatur emittere virgam virtutis Chriſti, ſeu ſceptrum ex Sion, reſpondendum eſt, quia omnes Prophetæ prædixerūt regnum Chriſti primùm debere incipere in Sion, ſeu Ieruſalem, & deinde propagandum in omnes partes terræ, quemadmodum Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ſuper Sion ſanctum montem eius prædicans præceptum eius*, quod intelligitur de Chriſto, vt indicat verſus ſequens, in quo Deus *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, & vt demonſtret regnum Chriſti debere à Sion propagari in omnes nationes terræ, ſequitur, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, vbi fuſiùs explicat Dauid, quod hîc breuiter dixit, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, Pſalm. 102. *Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua*, hoc eſt primum ſtabiliuit Eccleſiam ſuam in Sion. Et Iſaias 28. *Idcirco hæc, inquit Dominus Deus, ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, triangularem, pretioſum in fundamento fundamentum*, ad quem quidem locum alluſit Diuus Paulus 1. Corinthiorum cap. 3. *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo ponere poteſt præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus*. Quocirca lapis iſte angularis eſt Chriſtus, qui fuit primùm poſitus in Sion. & Iſaiæ 4. *Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem, exalta, noli timere.* & cap. 46. *Dabo in Sion ſalutem, & in Iſraël gloriam meam.* & Ieremiæ cap. 50. *In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum venient, & apponentur ad Dominum fœdere ſempiterno, quod nulla obliuione delebitur*, vbi ſignificat omnes gentes conuenturas in Sion, vt fateantur Chriſtum eſſe regem, quod optimè expreſſit Abdias Propheta in fine ſuæ prophetiæ; *In monte Sion erit ſaluatio, & erit ſanctus, & poſſidebit domus Iacob; eos, qui ſe poſſidebant.* & hoc à Prophetis fuit dictum, quod in Sion primò deberet clangere tuba Euangelij, vt dicitur Lucæ cap. 24. in fine, *Quoniam ſic ſcriptum eſt*, vt ait Ieſus, *& ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientes à Ieroſolymis.* & Matth. 15. ait ipſe Chriſtus, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël*, non quòd ipſe non eſſet etiam miſſus ad omnes gentes; ſed quia præcipuè erat miſſus ad illas oues priuſquam ad gentes, vnde antequam aſcenderet in cœlum, vt c. 24. Lucæ habemus & in Actibus Apoſtolorum c. 1. *Præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem patris, quam audiuiſtis (inquit) per os meum*, Ioann. 14. quod ſcilicet inde incipiendum eſſet regnum Chriſti, & emittendum ex Sion in gentes & omnes nationes terræ.

Quod attinet ad tertium, quid ſit ſcilicet, dominare in medio inimicorum tuorum, primò notādum eſt, iſtud verbū [dominare] non eſſe infinitiui modi, ſed imperatiui, atque adeo Hebræorum more poſitum pro futuro indicatiui

[domi-

[dominaberis] & licet D. Hieronymus in epiſtola de correctione Pſalmorum, reprehendat Septuaginta interpretes, quòd propoſuerint coniunctionem, tamen fortaſſe malè reprehendit, quia quamuis non legeretur Hebraïcè, viderunt tamen eſſe neceſſariam, & ideo eam poſuerunt, & bene, quod reuera eſt neceſſaria: per dominare autem in medio, multi dicunt ſignificari perfectè, & ſine vlla contradictione dominari, ſicut dixit aliquis,

------- *hoſtes media dominantur in vrbe.*

hoc eſt, ſine vlla contradictione dominantur: ſed alius eſt huius loci ſenſus. Rabbi enim Salomon (quamuis enim Rabbini omnino ſint contra nos, nihil tamen eſt abſurdi ſi ſequamur eos, in iis quæ bene dicunt) dicit per dominari in medio, ſignificare dominari confidenter, Hebræi enim ſolent per iſtam phraſim, in medio eſſe, vel habitare, vel dominari, confidentiam ſignificare, quia cùm aliquis eſt, ſeu habitat in medio, ſeu in oculis omnium, argumento eſt nullos habere inimicos, & confidere, nihilque timere: quia, qui timent, ſeſe occultant quantum poſſunt, quemadmodum libro quarto Regum, capite quarto v. 13. habetur, cùm Eliſæus peteret à muliere Sunamitide, quæ illum cum ſeruo Gieſi exceperat hoſpitem, numquid haberet negotium, & vellet vt loqueretur regi, ſeu principi militiæ, ipſa reſpondit, in medio populi mei habito, potuiſſet enim iſta reſponſio videri quibuſdam ridicula, quòd Eliſæus petat, an hæc aliquod negotium, ſeu litem, vt alloquatur regem pro ea, & reſpondit, in medio populi mei habito, quod non videtur vllo modo conuenire cum quæſtione, ſed id hac phraſi ſignificauit, ac ſi dixiſſet nullum habere negotium, neque litem; ſed ſecurè ambulo, & ſine vllo timore, non opus eſt vt pro me alloquaris regem, quam etiam Hebraïcam phraſim Græcè imitatur S. Luc. 4. cap. cùm ait, *Ipſe autem* nempe Chriſtus, *tranſiens per medium illorum ibat*, non enim voluit ſignificare locum, vt ſcilicet Ieſus tranſiret medium illorum; ſed potiùs ſecuritatem, quod ſcilicet ſecurè cum illis ambularet, quamuis illum vellent præcipitare de monte. Quare, dominaberis in medio inimicorum tuorum, ſignificat, tu eris ſecurus ad omnibus inimicis tuis, vt nullus tibi poſſit nocere niſi velis, quemadmodum fuit etiam in hoc mundo, antequam pro nobis moreretur, vt habetur Ioan. 7. *Quærebant eum apprehendere, & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius*, poſt mortem deſcendit in infernum, tanquam in mediam inimicorum aciem, nec ab illis fuit comprehenſus, aut detentus iuxta illud, quod ait D. Petrus in Actibus cap. 2. *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.*

Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum genui te.

QVONIAM hic verſus vario modo interpretatur, quoad ſenſum, ſed etiam multis modis vertitur, quoad verba. Idcirco paulò aliter debemus eum explicare quàm cæteros, cùm enim interpres noſter, Septuaginta interpretes ſecutus, verterit, *tecum principium*, vel principatus, (poſtea enim diſputabitur an debeat eſſe principium, vel principatus) *in die virtutis*, ſeu potentiæ, *tuæ in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum genui te.* Hebræi nunc legunt, Populus tuus voluntarius ad te confluet, & in montibus ſanctis à vulua ſua, à tempore maturino tibi ros adoleſcentiæ tuæ, quod etiam ſequutus eſt

Chaldæus

Chaldæus Paraphraſtes, ſed paulò copioſiùs: & loco, *ex vtero ante luciferum genui te*, Aquila vertit, & vulua erumpente tibi ros pueritiæ tuæ. Symmachus verò vertit, ſicut diluculum roris iuuentutis tuæ, alius etiam cuius nomen excidit memoria, à vulua ſeu diluculo adoleſcentiæ tuæ. Auctor quintæ editionis, à vulua, & à diluculo in iuuentute tua. Auctor denique ſextæ editionis, ex ventre quæret ros iuuentutis tuæ. Sed noſtra & communis verſio debet primas partes obtinere, & multis de cauſis; primò quod non ſolùm fuerit ſemper in vſu in Eccleſia Dei, ſed etiam quia fuit decreto ſacro Concilij Tridentini approbata & confirmata; ſed hoc quidem valet, vt Chriſtiani non dubitent de noſtra verſione huius verſus: verùm non facit, vt Iudæi & hæretici eam accipiant, qui neque recipiunt vſum, neque Concilia Eccleſiæ. Quocirca aliis argumentis debemus docere contra eos nos retinere veram verſionem huius verſus. Primum itaque hoc argumentum contra eos valet, quia quod hîc dicitur, *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te*, dicitur etiam Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* & cùm Hebræi diſputarent de hoc loco ita ſunt interpretati, vt videre eſt apud Rabbi Samuel. Secundò veteres auctores Catholici, quotieſcunque contra Iudæos diſputarent, vt Epiphanius aduerſum Paulum Samozatenum, & Iuſtinus in dialogo aduerſus Tryphonem, vſi ſunt verſione Septuaginta interpretum, quam nos ſequimur, vno Epiphanius loco citato, poſtquam attulit ſex verſiones antiquas, vtitur verſione Septuaginta interpretum, & tamen nuſquam vllus dixit aliter legi in Hebræo, quàm legimus, quamobrem hoc tempore ſic legebatur: factum eſt autem, vt Hebraïcè nunc alio modo legatur, quia Hebræi olim non vtebantur punctis, ſed legebant ſine punctis, ſicut adhuc hodie leguntur libri Rabbinorum: legendo autem ſine punctis, verba Hebraïca huius verſus prorſus ſignificabant quod legimus, nempe, tecum principium, niſi quod etiam in vno vocabulo ר, fuit mutatum in ד, quod facilè fieri poteſt, quia hæ litteræ ſunt ſimillimæ: ſi autem legamus Hebraïcè cum punctis, quemadmodum nunc, verba aliud ſignificant, nempe, populus tuus voluntatum, &c. vt diximus. Adde quod etiam non eſt veriſimile Septuaginta interpretes non vertiſſe ſecundùm veritatem Hebraïcam, maximè cùm eſſent doctiſſimi, & iſtud fieret munere diuino, quod omnes ita ab inuicem ſeparati, in vna verſione conuenerint, & quamuis ipſi non verterint, tibi ros, quod Hebraïcè legitur, non ſunt ideo reprehendendi, quia Græcè non potuiſſe vertere, vt ſenſus eſſet bonus. Ideo potiùs reſpexerunt ſenſum, quàm verba, hoc loco, cùm non magni, aut potiùs nihil interſit, ſiue ponatur, ſiue non. Tertiò poteſt etiam confirmari interpretatio noſtra & verſio, quod doctores Catholici firmiſſimè contra Arrianos ex hoc loco probarent diuinitatem filij, vt Cyrillus lib. 2. de Trinitate, D. Athanaſius, D. Ambroſius, D. Auguſtinus, & alij, & tamen nuſquam legimus Arrianos reſpondiſſe alio modo Hebraïcè legi, quàm ferat noſtra verſio, quod ſecus feciſſent, ſi aliter lectum fuiſſet, quia & ipſi Arriani erant doctiſſimi, & maximè hoc loco impediebantur, ita vt reſpondere non poſſent. Quocirca neceſſariò debemus dicere nos retinere verã huius verſus verſionem, & Hebræum fuiſſe mutatum illis pũctis, vt diximus, quia addita ſunt puncta litteris Hebraïcis à mille annis; vt autem ad ſenſum huius verſus accedamus, quatuor ſunt in eo explicanda; primò quid ſignificet, tecum principium; ſecundò, quid ſit dies virtutis Chriſti; tertiò quid ſignificet, in ſplendoribus

ſplendoribus ſanctorum, quartò denique, quid ſignificet, ante luciferum genui te.

Tecum principium.] Quod attinet ad primum, quoniam Hebræi, vt diximus, nunc alio modo legunt quàm nos Chriſtiani, idcirco debemus verificare ſenſum huius verſus in Chriſto Domino, non ſolùm ſecundùm noſtram verſionem; ſed etiam ſecundùm verſionem Hebræorum, vt cogantur fateri hunc Pſalmum debere intelligi de Chriſto, & non de Abrahamo, aut Dauide, vt aiunt, vt autem primùm explicemus noſtram verſionem, ſecundùm verſionem Septuaginta interpretum, doctores Catholici diuiſi ſunt in duas partes: alij enim dicunt ἀρχὴ, ſignificare principium, vt omnes Latini, & Cyrillus Alexandrinus ſolus ex Græcis. Alij verò, vt omnes Græci, excepto Cyrillo, dicunt ſignificare principatum. Si itaque cum doctoribus Latinis legamus, principium, variæ ſunt interpretationes, & potiſſimùm duæ; prima eſt Hieronymi, ſecunda Auguſtini in hunc Pſalmum, & Cyrilli Alexandrini in 1. cap. Ioannis, qui dicunt per principium intelligi patrem, quemadmodum cùm dicitur Ioann. cap. 1. *In principio erat verbum. & verbum erat apud Deum*, ſignificatur verbum diuinum, nempe Chriſtum eſſe in patre, itaut ibi principium ſignificet patrem, quod dicunt etiam ſignificare hoc loco, vt ſit ſenſus, *Tecum principium in die virtutis tuæ*, id eſt, pater tecum erit, ô Chriſte, & ſemper tibi aderit in die virtutis tuæ. Alij autem, vt Gregorius Nazianzenus in oratione 3. de diuinitate filij aduerſus Arrianos, per principium dixerunt debere intelligi filium, quemadmodum Ioann. cap. 8. cùm Iudæi quærerent à Chriſto, quis eſſet; ipſe reſpondit, *principium, qui & loquor vobis*, quamuis alius poſſit eſſe huius loci ſenſus, vt ſcilicet velit dicere, ego ſum Chriſtus, qui vobis loquor principium, hoc eſt, quemadmodum dixi vobis antea, ſeu à principio, itaut principium ſit aduerbium hoc loco. Alij denique, vt omnes Græci; excepto Cyrillo, quemadmodum Theodoretus, dixerunt dictionem Græcam ſignificare principatum, quam quidem eſſe veram huius loci interpretationem, colligere poſſumus ex aliis locis ſacræ ſcripturæ, quæ quidem eſt ratio vera ſyncerè interpretandi ſcripturam ſacram: quod enim ſuperiùs dictum eſt, *Virgam virtutis emittet Dominus ex Sion*, hic dicitur, tecum principium, hoc eſt, principatum, in die virtutis tuæ, hoc eſt, tu dominaberis vniuerſo orbi terrarum, vt etiam docet Auguſtinus, & quod hîc dicitur, tecum principium virtutis tuæ, dicitur etiam Pſalmo ſecundo, *Ego autem conſtitutus ſum rex ſupra Sion montem ſanctum eius*. Quocirca, *tecum principium in die virtutis tuæ*, ſignificat, tecum principatus, ſeu tu es princeps ab omni æternitate. *In*, enim in ſacris literis, aliquando accipitur pro: *ab*, vt ex multis locis eſt manifeſtum. Quod autem attinet ad verſionem, ſeu lectionem Hebræorum, qui legunt, vt diximus, populus tuus voluntatum, ſeu voluntarius, ad te confluet, qui hunc Pſalmum interpretantur eſſe de Dauide, vt ſuperiùs dictum eſt, dicunt Deum alloqui ipſum Dauidem, & dicere illi, cùm voles prodire in bellum populus tuus voluntatum, ſeu voluntarius, ſponte ſua te ſequetur, & nullo modo dubitabit pro te mortem oppetere, nec opus erit, vt colligas milites: qui verò interpretantur hunc Pſalmum de Abrahamo, vt Rabbi Salomon, dicunt per iſta verba, populus tuus voluntarius ad te confluet, intelligi 318. vernaculos, ſeu ſeruos Abrahami, quorum ope ipſe debellauit regem Codorlahomor, & alios reges ſibi aſſociatos, vt habetur Geneſi cap. 14. ſed Hebræi, vt ſuprà dictum, toto cœlo errant in explicatione hu-

ius Pſalmi, quia errant in perſona, cùm enim malè legant, & ſiniſtrè, legant enim à ſiniſtris, Chriſtus autem non ſit à ſiniſtris, ſed à dextris patris, vt dictum eſt, idcirco illum non poſſunt inuenire. Si itaque cum Hebræis legamus, populus tuus voluntatum, ſeu voluntarius, ſponte ſua ad te confluet, cui melius poterant iſta verba accommodari, quam Chriſto, quem quidem homines tot ſequuti ſunt ſtatim atque natus fuit, quemadmodum fuit à Prophetis prædictum, vt Iſaiæ cap. 49. *Ecce ego, dixit Dominus, leuabo ad gentes manum meam, & ad populum exultabo ſignum meum, & adferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt, & erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* & hoc eſt, quod dixit Auguſtinus contra Pelagianos, non ſolùm potentes ſponte ſua venire ad Chriſtum; ſed etiam impotentes, vt claudos, cæcos, ægrotos, infantes, & alios eiuſmodi ad eum adferri, quemadmodum apertiſſimè teſtatur hiſtoria Euangelica, & Iſaiæ cap. 52. *Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuum, quia quibus non eſt narratum de eo viderunt, & qui non audierunt & contemplati ſunt.* quem locum ſolùm poſſe intelligi de Chriſto patet ex toto illo capite, quaſi dicat, gentes quæ numquam illum audierunt admirabuntur, & ad eum venient ſtupefacti, quemadmodum etiam dicitur Iſaiæ capite 55. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current*, quemadmodum habetur Oſeæ in fine capitis ſecundi, *Et ſeminabo eam mihi in terram, & miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu. Et ipſe dicet, Deus es tu.* quem locum citat D. Paulus epiſt. ad Romanos cap. 9. *Quos & vocauit nos*, inquit, *non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, ſicuti in Oſea dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non miſericordiam conſequutam, miſericordiam conſequutam. Et erit in loco, vbi dictum eſt eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.* quemadmodum habetur Oſeæ capite ſecundo quem etiam priorem Oſeæ locum citat D. Petrus 2. epiſt. capite ſecundo, *Qui aliquando non populus meus*, inquit, *nunc autem populus Dei, qui non conſequutus miſericordiam, nunc miſericordiam conſequutus.* & Iſaiæ capite 60. verſu quarto, *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ & de latere ſurgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, & Dromedarij Madiam, & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus*, &c. quod etiam prædixit Dauid Pſalm. 72. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei*: quemadmodum habemus exemplum in Matthæi capite ſecundo à Magis: illi enim ſponte ſua non coacti, nec vocati, ab Oriente venerunt Ieroſolymam: *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* quod etiam prædixit Dauid, Pſalm. 17. *Populus quem non cognoui*, inquit Chriſtus, *ſeruiuit mihi, & auditu auris obediuit.* Quapropter manifeſtum eſt, ſi cum Hebræis legamus, populus tuus voluntatum, ſeu voluntarius ad te confluet, non poſſe meliùs intelligi, quàm de Chriſto Domino, ad quem & omnes confluxerunt, & confluent, ij ſcilicet, qui in eum credunt, quamuis tamen ſemper tenere debemus noſtram verſionem approbatam ab Eccleſia, ab omni antiquitate, & ſacroſancti Concilij Tridentini decreto confirmatam.

In die

In die virtutis tuæ] Quod attinet ad ſecundum, quid ſit ſcilicet dies virtutis Chriſti, quamuis de hoc nihil ferè apud auctores reperiatur, tamen ex ſacris litteris dicere debemus, quid poſſit ſignificare. Tria autem hic dies virtutis poteſt ſignificare; primùm diem æternæ generationis à patre, à principio, quod eo die ſcilicet ab æterno, accepit à patre virtutem, veritatem, bonitatem, ſapientiam, & vno verbo, quidquid habet, quod quidem verum eſſe, & huic loco hanc eſſe accommodatam interpretationem, facilè intelligi poteſt ex ſacris literis, & primò ex hoc loco, cùm dicitur, *ex vtero ante luciferum genui te*, hoc eſt, ab omni æternitate, vt poſtea dicemus, atque etiam ex Pſalmo 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*: vbi hodie ſignificat æternitatem, quomodo omnes antiqui patres interpretati ſunt, vt habemus Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruula es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël, egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* quem quidem locum princeps ſacerdotum, & ſcribæ populi protulerunt Herodi, cùm ab illis ſciſcitaretur vbi Chriſtus naſceretur, vt patet Matth. cap. 2. quod itaque dicitur, tecum principium, hoc eſt, principatus, in die virtutis tuæ, dicitur Micheæ 2. *Mihi egredietur dominator, & egreſſus eius à diebus antiquis erit ab omni æternitate*, hoc eſt, tu es, vel eris princeps ab omni æternitate. Et apud Salomon. Prouerbiorum cap. octauo. Sapientia, id eſt, Chriſtus, qui eſt patris ſapientia, ait, *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio*, hoc eſt, ab omni æternitate, quia poſtea ſubdit, *Ab æterno ordinata ſum, ex antiquis antequam terra fieret*, vbi verbum hoc, ordinare, vt obiter dicam, non debet accipi communiter, ſed eſt verbum artis, quemadmodum cùm dicimus ordinare presbyterum, & regem, hoc eſt, conſtituere in maiori dignitate, quàm alios, vt hoc loco velit dicere, ſapientia diuina, id eſt, Chriſtus, ab æterno ordinata ſum, id eſt, conſtituta ſum regina, quemadmodum Pſalmo ſecundo dicit ipſa Sapientia, ſed in maſculino genere, *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius*, quod ex eo facilè probatur, quod Hebraïcè idem verbum legitur in iis duobus locis. Quocirca patet per diem virtutis, hoc loco, poſſe intelligi diem æternæ generationis, ſeu æternitatis. Secundò dies virtutis, hoc loco, poteſt ſignificare diem reſurrectionis Chriſti, ſeu in quo reſurrexit, quia eo die maximè oſtendit ſuam virtutem, & potentiam, quemadmodum dicit Diuus Paulus ſecundæ Epiſtolæ ad Corinthios, capite 13. *Nam etſi*, inquit, *Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitate; ſed viuit ex virtute Dei*, & initio epiſt. ad Rom. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti.* Hanc autem interpretationem, vt ſcilicet per diem virtutis Chriſti, intelligatur dies reſurrectionis eſſe huic loco accommodatam, facilè poteſt probari, vt patet ex Actis Apoſtolorum, cap. 13. vbi ait Diuus Petrus. *Deus autem ſuſcitauit eum à mortuis tertia die, qui viſus eſt per dies multos iis, qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilæa in Ieruſalem, & nos vobis nunciamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis noſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut Pſalmi 2. ſcriptum eſt filius meus es tu ego hodie genui te*, vbi quidem D. Petrus refert iſtud, hodie, ad diem reſurrectionis Chriſti, non autem ad æternitatem, non quòd non fuerit genitus à patre ab omni æternitate: ſed tantùm eo die, quo reſurrexerit hoc eſſet falſiſſimum, quia antea fuerat 33. annos in hoc mundo, & dixerat ipſe Petrus, cùm ab eo peteret Chriſtus, quid de ſe ſentiret, *tu es Chriſtus filius Dei viui*, atque etiam Martha. vt habetur Ioan. 11. ſed quia, ſicut cùm aliquis pater

Quid ſit ordinare presbyterum & regem.

Digitized by Google

liberat filium ſuum à morte, dicitur eum iterum generare, quia impedit ne amittat vitam, quam generando dedit illi, ita etiam, cùm Deus ſuſcitauit filium ſuum, dicitur pater, & non filius ipſe ſeipſum ſuſcitaſſe, non quod filius non potuerit; ſed quia reſurrectio eſt actus omnipotentiæ, quæ propriè tribuitur patri, vt dictum eſt, dicitur à D. Petro, eum quodammodo genuiſſe. Quare cùm D. Petrus acommodet, & interpretetur verſum iſtum Pſal. 2. de die reſurrectionis Chriſti, poteſt etiam hic locus de eodem die intelligi, quia idem hic dicitur, quod in Pſal. 2. in illo verſu: nec impedit quod hic ponatur ante luciferum, vt facilè poterit colligi ex iis, quæ poſtea dicuntur, in explicatione iſtius, *ante luciferum genui te*, vbi dicemus iſtud verbum, *ante*, non impedire, quin hoc intelligatur de generatione humana, quãuis non fuerit facta hominis generatio, ante luciferum. Tertiò per diem virtutis Chriſti intelligi poteſt dies iudicij, quoniã veniet iudicare viuos & mortuos, quòd eo die demonſtrabit virtutem, & potentiam ſuam, quemadmodum hic dies ſæpiſſimè in ſacris litteris vocatur, dies Domini, ſicut 1. ad Corinth. 3. *Dies enim*, inquit, *Domini declarabit, quia in igne reuelabitur & vniuſcuiuſque opus qualis ſit probabit ignis.* & Rom. 2. *Secundùm autem duritiam tuam ait, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & tribulationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius*, & aliâs ſæpiùs. Quocirca, quod in illis locis dicitur dies Domini, non quòd dies omnes non ſint dies Domini, phyſice & per creationem: ſed moraliter non videntur eſſe, quia nunc non videtur facere quod vellet, non quod non poſſet poteſtate abſoluta: ſed quia nobiſcum agit, vt plurimum, poteſtate ordinaria, nec cogit quendam, hoc loco, dicitur dies virtutis Chriſti, quia illa die oſtendit virtutem ſuam; hæ autem tres interpretationes ita ſunt huic loco accommodatæ, vt non facilè iudicari poſſit, vtra ſit aptior.

In ſplendoribus ſanctorum.] Quod attinet ad tertium, quid ſcilicet ſignificet *in ſplendoribus ſanctorum.* Primò notandum eſt poni pluralem pro ſingulari, videlicet pro ſplendore ſanctorum. Deinde ſciendum eſt iſta vocabula accommodata ad præcedentia, videlicet (in die virtutis tuæ) debere intelligi. ſi enim per diem virtutis, intelligamus æternitatem, vt diximus hic, per ſplendorem ſanctorum, ſeu ſplendorem ſanctorum. debemus intelligere habitum Chriſti, quo fuit veſtitus ab omni æternitate. de quo quidem habitu, loquitur Dauid Pſal. 103. *Benedic anima mea Domino, Deus meus magnificatus eſt vehementer, confeſſionem & decorem induiſti: amictus lumine, ſicut veſtimento.* De quo etiam ipſe Chriſtus loquitur Ioann. 17. cùm ait, *nunc clarifica me, tu, pater, apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet, apud te*; cùm enim homines putarent eſſe ſolum hominem, idcirco petebat à patre, vt clarificaret illum claritate, hoc eſt, vt oſtenderet eum eſſe Deum, ſicut verè oſtendit, cùm eſſet in cruce, cùm terra tremuit, tenebræ factæ ſunt, monumenta aperta, & alia eiuſmodi. Ideo per illam claritatem, intelligit illud, quod Dauid vocat lumen Diuinitatis, hoc eſt, lucem illam inacceſſibilem, quam habitat Deus, vt ait D. Paulus, 1. ad Timotheum 6. quod etiam optimè D. Paulus expreſſit ad Philippenſes 2. dum ait, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: Non enim formam & ſimilitudinem hic phyſicè & philoſophicè ſumit; ſed communiter hominis intelligit habitum humanum, quo quidem poteſt cognoſci eſſe verus homo, ita etiam per formam Dei, intelligit habitum diuinum vt diximus: ſi autem per diem virtutis Chriſti, in-

ſti, intelligatur dies, quo reſuſcitauit à mortuis, per ſplendores ſanctorum, vel ſplendorem ſanctum, intelligemus etiam gloriam & ſplendorem, quem habuit corpus Chriſti, in illa reſurrectione, vt amplius non eſſet corruptibile: *Chriſtus enim ſemel mortuus, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*. vt inquit, D. Paul. & D. Petrus in actibus cap. 13. *Quod autem ſuſcitauit eum a mortuis, amplius non reuerſurum in corruptionem*, vt eſſet corpus glorioſum, luminoſum, & cæt. huiuſmodi: ſi denique, per diem virtutis, intelligamus diem extremi iudicij, per ſplendorem ſanctorum, debemus intelligere illud agmen angelorum & ſanctorum, quo comitatus veniet iudicare viuos & mortuos, hoc enim intereſt inter primum aduentum Chriſti, & ſecundum, quòd in primo venerit in manſuetudine, humilitate, ſuauitate, paupertate, & omni abiectione, vt modò diximus ex Diuo Paulo formam, non regis, aut hominis, ſed ſerui accipiens, qua ſcilicet veniebat, vt ab hominibus pro nobis iudicaretur: in ſecundo vero aduentu, quia veniet non iudicari, ſed iudicare, cum potentia magna & ſeueritate, & quemadmodum rex comitatus ſuis ducibus, & principibus, vt dicitúr Pſalmo 49. *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis in conſpectu eius exardeſcet. & in circuitu eius tempeſtas valida:* Vbi, quod vocat ignem, hic, vocat ſplendorem ſanctum, ſeu ſplendorem ſanctorum: & Matth. 24. *Sicut fulgor exit ab oriente, & paret vſque ad occidentem: ita & aduentus filij hominis*: & poſtea: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maieſtate.* Quare, quod ibi dicitur fulgur, & virtus multa, & maieſtas; hic dicitur ſplendor ſanctus, vel ſplendores ſanctorum, & ſic ſi referamus diem virtutis, ad diem iudicij, ſic, ſplendorem ſanctorum referamus ad illam gloriam & maieſtatem, tum etiam ad ſanctorum ſanctarumque agmen, quibus comitatus erit.

Ex vtero ante luciferum genui te.] Quid attinet ad quartum, quid ſcilicet ſit, ex vtero ante luciferum genui te. Arriani contendebant, hic non agi de diuina generatione, quia dicitur ex vtero: Deus autem non habet vterum, quocirca hic agitur de humana, quæ fuit facta ex vtero Beatæ Virginis. doctores Catholici, vt D. Ambroſ. lib. 4. de fide cap. 12. Cyrillus Alexandrinus 2. de Trinitate: D. Auguſt. quæſtione prima aduerſus Arrianos, & Athanaſius in oratione, quòd Chriſtus ſit Deus, contendebant hæc verba debere intelligi de generatione diuina filij à patre, & probant ex altero vocabulo, nempe ante luciferum genui te. quod ſignificat, ante mundi conſtitutionem, & creationem. dicebant enim humana generatio non fuit facta ante luciferum: ſed ſolùm diuina. hîc agitur de ea Chriſti generatione, quæ fuit facta ante luciferum, quia dicitur, *ante luciferum genui te*, ergo fit hîc mentio de generatione diuina, & æterna Chriſti, non de humana. Reſpondebant autem hi ad argumentum Arrianorum, Deum quidem non habere propriè vterum: ſed metaphoricè, quemadmodum Deus propriè non habet ſinum: ſed metaphoricè, & tamen Ioannis dicitur, *nemo Deum vidit vnquam, vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit.* Quapropter Auguſt. in cap. primo Ioann. reſpondet. quemadmodum filius Dei dicitur eſſe in ſinu patris, quamuis propriè pater non habeat ſinum: ſed ſolùm metaphoricè: ita etiam, hoc loco, patrem genuiſſe filium ex vtero, non quod propriè vterum habeat: ſed ſolum metaphoricè. Sed potuiſſet adhuc aliquis ſubtilior confirmare argumentum Arrianorum, quòd quamuis Deo metaphoricè tribuantur aliquando membra corporea, num-

quam tamen tribuantur membra fœminea, ſeu muliebria, ſed ſemper, quæ viri ſunt propria, vnde numquam pingitur mulier: ſed ſemper ad ſimilitudinem viri, vnde apud Daniel. cap. 7. vocatur antiquus dierum, *aſpiciebam*, inquit, *donec throni poſiti ſunt & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum, ſicut nix, & capilli capitis eius, ſicut lana munda: Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accenſus*. Hoc autem loco, non ſolùm tribuuntur Deo membra corporea, quemadmodum Ioann. 1. ſinus: ſed ſolum membra, quæ propriè ſolùm mulieribus conueniunt, videlicet, vterus, neque ſolùm Hebraïca etiam dictio ברחם. ſignificat vuluam propriè, quæ quidem ſolis mulieribus conuenire poteſt, Idcirco reſpondebunt auctores Catholici Deo propterea tribui, hoc loco, vterum, idque metaphoricè, vt intelligamus ipſum, in productione æterna filij fuiſſe quodammodo Hermaphroditum, virum ſcilicet & mulierem, virum non quidem propriè, & ratione corporis, quia non eſt corporeus: ſed virtute, quod ſcilicet genuerit filium ſibi æqualem, & ſimilem, ex intima ſui eſſentia, ſine tamen vlla diminutione (vt dixerunt quidam Hæretici) genuerit, inquam, ſolus ſine muliere, aut quod vicem illius ſuppleret, quemadmodum etiam dicit Philippus ille Triſmegiſtus. ſed quamuis hoc ſit verum, Deum ſcilicet patrem, ab æterno genuiſſe filium ex ſeipſo ſolo: tamen non eſt accommodatum ſacræ ſcripturæ, quia eſt phraſis Hebraïca: Hebræi autem ſæpiſſimè ſolent vterum etiam viris tribuere, quemadmodum Geneſi 15. cùm Abraham conquereretur, cum Deo, quòd non dediſſet illi ſemen, & vernaculus ſuus futurus eſſet hæres, *ſtatim ſermo Domini factus eſt ad eum dicens, non erit hic hæres tuus: ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem.* Quare, hoc loco vterus tribuitur Abrahamo, qui procul dubio vir erat, & non fœmina. Et 2. Regum capite 2. ait, Deus ad Dauidem. *Cúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te*, (id eſt, Salomonem,) *quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius*, & capite 16. ipſe Dauid ait, *Ecce filius meus qui egreſſus eſt de vtero meo quærit animam meam.* & 2. Paralip. cap. 3. de rege Aſſyriorum dicitur, *cúmque iam ingreſſus eſſet domum Dei ſui, filij, qui egreſſi erant de vtero eius, interfecerunt eum gladio*, & Iob cap. 19. *Habitum meum abhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei*. Et Prouerb. 3. *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei*, vnde ex his locis conſtat vterum Hebraïcè tribui etiam variè, non ſolùm mulieribus: Sed aliquis litterarum Hebraïcarum lectione eruditus dicere poterit: in illis locis non legi (Recham) quod nomen ſignificat vterum: ſed legi (Bethon) vt Prouerb. 15. & Ioan 19. aut Megi, vt in aliis locis, quæ dictiones propriè non ſignificant vterum, ſed ſolùm vẽtrem, qui quidem poteſt tribui viris, etiam ſi vterus non tribuatur propriè, ſed non ſolum vterum viris: ſed etiam vuluam Deo tribui legimus, Iſaiæ 46. ait Deus: *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo vtero & geſtamini à mea vulua.* Vbi Hebraïce legitur *rachen* ſciendum eſt autẽ, Deo numquã tribui hanc dictionem *vuluam* niſi ad ſignificandum ſingularem quendam affectum, & amorem Dei erga quempiã, eò quòd mulieres, quibus propriè vulua tribuitur, magis tenerè & ardenter amant filios ſuos, quàm patres: Quocirca dictio Hebraïca, quæ hoc loco ponitur, non ſolùm ſignificat vterum, ſed vuluã: vult dicere, *ego hodie genui te*, non ſolùm filium naturalem: ſed etiam chariſſimum. quemadmodum habetur Matth. 3. in fine, *poſtquam fuit à Ioanne baptizatus: Ecce vox de cœlo dicens, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. quod idẽ dictum fuit in transfiguratione Lucæ 9. quod etiam repetit D. Petrus epiſt. 2.

cap.

cap. 1. Ideo cùm hoc modo, doctores Catholici hunc locum interpretarentur contra Arrianos, & docerent nullum eſſe abſurdum, ſi vel vterus, vel vulua Deo, non quidem propriè ſed metaphoricè tribueretur, & ſic hunc locum debere intelligi, de generatione diuina, & æterna, non de humana facta ex prætioſiſſimo ſanguine Beatæ Virginis Mariæ per operationem ſpiritus ſancti. Idcirco alij dicebant, per *ante luciferum*, debere intelligi æternitatem, hoc eſt, ab omni æternitate: ſolet enim ſcriptura ſacra, vt illi interpretationi aliquid addamus, per minus, maius ſignificari, cùm, vt explicet, & ſignificet æternitatem poſuit ante mundi conſtitutionem, licet ea, quæ facta ſit ab æterno, vt generatio filij, & alia quædam, infinito tempore, ſi ita loqui liceat, ante mundi creationem facta fuerint: ſed quia non poſſumus, propter imbecillem noſtri animi aciem, percipere æternitatem in ſe, quamobrem ſcriptura ſacra hac phraſi vtitur, vt Prouerbio 8. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam faceret quidquam, à principio*, vbi per vias ſuas, intelligit, res creatas, quod patet, quia ſequitur *antequam quidquam faceret*, & per iſta, intelligit æternitatem, quia ſubdit, *ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis*, &c. Similiter Ioan. 8. dixit eis, nempe Iudæis. *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Et Ioann. 17. *Et nunc clarifica me tu pater*, inquit Ieſus. *claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te*, & ad Epheſ. 1. initio, *ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus ſancti, & immaculati, in conſpectu eius.* per quas quidem phraſes, ſcilicet ante mundi conſtitutionem, & alias, intelligitur a ternitas, ab æterno. quamuis reuera, ſi propriè ſumerentur, non propriè ſignificarent ab æterno: ſed ſolùm antequam mundus fieret, ſiue multùm antè, ſiue parum: ſed, vt diximus, ſcriptura ſacra per minus intelligit maius. Alij autem, vt Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de Trinitate, quod quidem illi ſingulare eſt, dicit *ante luciferum*, ſignificare obſcurum, vt ſcilicet nemo, nec videre, nec intelligere poſſit, quomodo pater genuerit filium: quemadmodũ dicitur, Iſaiæ 53. *Generationem eius, quis enarrabit.* quod intelligitur de Chriſto, vt patet ex toto illo cap. Alij denique, vt D. Auguſtinus, & Ambroſius, in hunc Pſal. dixerunt, per *ante luciferum*, ſignificare Chriſtum fuiſſe genitum, ſeu natum noctu, non autem die, hoc eſt, antequam dies ortus eſſet. Noui autem Arriani dicebant, *ante luciferum*, ſignificare ante ſpiritum ſanctum, quemadmodum ſecunda D. Petri 1. in fine, *& habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris*, ſed quamuis hoc loco per luciferum, ſignificetur ſpiritus ſanctus: non tamen ſequitur idẽ ſignificari, hoc loco: ſed verus huius loci ſenſus, ſi legamus vt debemus cum 70. eſt, vt dicamus, nimis quidem timidè, doctores Catholicos, cùm diſputarent contra Arrianos, ſemper negaſſe hunc locũ poſſe intelligi de generatione humana, & ſẽper contendiſſe debere intelligi de diuina, maximè cum D. Auguſt. cùm non diſputat contra Arrianos, hunc locum interpretatur de humana generatione, quamuis contra illos diſputans interpretatur ſolùm de diuina. ſi itaq; de humana generatione intelligatur, erit ſenſus, vt Deus dicat filio, genui te ex vtero Beatæ virginis, vt ſignificet Chriſtũ non fuiſſe ſecundùm humanitatem genitum opere viri, ſed à Deo ſolo ante luciferũ, non quidem vt iſtud vocabulum, *ante luciferum*, referatur ad tempus, in quo fuit ſecundùm humanitatẽ genitus Chriſtus, quaſi dicat, genui te ſecundum humanitatem ante luciferum, ſeu ante mundũ: ſed vt referatur ad æternã prædeſtinationẽ, quod ſcilicet fuerit ab æterno prædeſtinatus à patre, debere naſci ſecundum humanitatẽ genitus

ex vtero

ex vtero Beatæ Virginis quamuis natus ſit in tempore. quemadmodum Apoc. 13. agnus, id eſt, Chriſtus, ab origine mundi occiſus eſt non quidem facto, ſed prædeſtinatione, & præſcientia patris. Et Act. 13. ait Petrus, *quoniam hanc*, repromiſſionem ſcilicet, *Deus adimpleuit filiis noſtris, ſuſcitans Ieſum*; ſicut in Pſal. 2. ſcriptum eſt, *filius meus es tu ego hodie genui te*, vt ſuſcitans, ſeu *genui*, referatur ad generationem, quæ fuit facta in tempore: *hodie*, verò ad æternam prædeſtinaitonem, quod explicuit D. Paulus ad Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri*. Quoniam autem, ſatis copioſè explicauimus hunc verſum ſecundùm verſionem Septuaginta interpretum, quam ſequitur hoc loco Eccleſia Catholica: idcirco quoniam Hebræi nunc aliter legunt, vt diximus, debemus & eorum lectioné accomodare Chriſto Domino. diximus itaq; loco, *ex vtero ante luciferũ genui te* doctores legere, ex vtero ab aurora tibi ros natiuitatis tuę, aut pubertatis tuæ, aut deniq; quod verbo Hebræo magis conuenit, progeniei tuæ. Primò itaq;, ſi cum Hebræis legamus, poſſumus dicere per rorem, intelligi gratiam, vt quemadmodum ros ſolis ſolet decidere ab vtero auroræ, ſeu dicitur ita etiam gratia data fuerit ei, de quo intelligitur ipſe Pſalmus, non poſtquam fuerit vir aut ſenex vel eſſet natus, ſicut ros non decidit in meridie, ſed in ſuo conceptu; dictio enim Hebraica meliùs ſignificat progeniem, ſeu generationem, quàm natiuitatem: quemadmodum de Ioanne Baptiſta dicitur, Luc. 1. *Et ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*. quod ſi ita interpretetur, cui meliùs accommodari poteſt, quàm Ieſu Chriſto in quo plenitudo diuinitatis corporaliter, vt inquit D. Paulus, habitauit, quemadmodum de eo angelus dicit, Luc. 1. *Ideòque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*, vbi non dicitur naſci, poſtea ſanctificandum: ſed naſci iam ſanctum, & plenum gratia, quia ipſe erat Deus. Secundò poſſumus etiam dicere, per rorem inuentutis, nihil aliud ſignificari, quàm iuuenum multitudinem quemadmodum interpretatur Rabi Salomon, qui ſicut dixit, per principium iſtius verſus, populus tuus voluntatum, ad te confluet, nihil aliud ſignificari, quàm omnes gentes ad te concurrent, accommodando Abrahamo, quia hunc Pſalm. de illo interpretatur: ita vt per iſta verba vtero ab aurora tibi ros progeniei tuæ, nihil aliud ſignificari, quam habebis multos filios, & filias: ſed quamuis iſta interpretatio poſſit conuenire Abrahamo, propter promiſſum illi factum à Deo, Gen. 22. *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris*, tamen non poteſt meliùs vlli conuenire, quàm Chriſto Domino, ex cuius vtero genita fuit maxima iuuenum multitudo. Vterus autem Chriſti, ſignificat baptiſmatis ſacramentum, quemadmodum ait D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. in initio, *deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum & omnes ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes rationabiles. ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem*: non vocat autem infantes eos, ad quos ſcribit, quod ætate iuuenes eſſent: ſed quod nuperrimè geniti eſſent, & renati in Chriſto Domino per baptiſmum, & hoc eſt, quod non potuit intelligere Nicodemus, qui cùm veniſſet ad Ieſum, vt habetur Ioann. 3.5. & Ieſus ei dixiſſet, *niſi quis renatus fuerit denuo non poteſt videre regnum*: ipſe petiit, *quomodo poteſt homo renaſci, cùm ſit ſenex, numquid poteſt iterum in ventrẽ matris ſuæ introire, & renaſci, & reſpondit Ieſus. Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. ros autem iuuentutis, per metaphoram, pro multitudine iuuenum ſumitur, quod ros ſit pluuia minutiſſima & frequentiſſimè cadat & creberrimè:

ſimilis

ſimilis autem phraſis habetur 2.Reg.c.17. *Sed hoc mihi videtur eſſe rectum conſiliũ,* inquit Chuſai ad Abſalon, *Congregetur ad te vniuerſus Iſraël, à Dan vſq; ad Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum. & irruemus ſuper eum,* id eſt, Dauidem patrem Abſalon. *In quocunque loco inuentus fuerit, & operiemus eum, ſicut ſolet cadere ros ſuper terram.* hoc eſt maxima militum multitudine, & 2.Paral. c.1. multitudo filiorum Iſraël comparatur puluerì, atque etiam Gen. 13. in fine & Gen.28. quod autem ibi vocat puluerem, propter multitudinem, vocat hic rorem, propter eandem cauſam, & ſic, ſi per rorem iuuentutis intelligatur multitudo iuuenum, optimè intelligetur multitudo Chriſtianorum, quocirca etiam ſecundum Hebræos, iſte verſus dicitur conuenire Chriſto.

Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

DVO in hoc verſu nobis ſunt explicanda. Primum *(Iurauit Dominus & non pœnitebit eum.)* ſecundum: *(Tu es ſacerdos in æternum,)* & quidem circa primum 4. ſunt difficultates. Primò an reuera Deus iuret, vel ſolùm metaphoricè dicatur iurare, ſecundò quare iurauerit, tertiò quomodo iurauerit, quartò & poſtremò, quo tempore, aut quo loco iurauerit. Quod attinet ad primum quidam veteres Catholici vt Athanaſ. in lib. de cruce & paſſione Domini. Chryſoſtomus homilia in hunc Pſalmum dixerunt Deum non propriè dici iurare, ſed tantùm metaphoricè, vt oſtendat, quod dicit eſſe verum. quemadmodum cùm dicitur pœnitere aut non pœnitere, vt hoc loco, non debet intelligi, quod reuera, & propriè pœniteat, ſed ſolùm metaphoricè, & impropriè, quod in eum non poſſit cadere vllus affectus. Dicitur autem pœnitere ratione noſtri, & effectiuè, quòd ſcilicet velit deſtruere, quod fecit, quemadmodum cùm voluit delere homines per diluuium aquarum, propter eorum ſcelera, dicitur Geneſi 6. pœnituiſſe eum, quod hominem feciſſet in terra, & ſic hoc loco, vt oſtendat ſe non deleturum ſacerdotium Chriſti, dixit, *Iurauit; & non pœnitebit eum*: ſed hæc ſententia ab omnibus ferè reiicitur, quia D. Paulus ad Heb.7. docet, dignitatem, & perpetuitatem ſacerdotij Chriſti, & reprobationem ſacerdotij veteris teſtamenti, & ſacerdotij Aaron, quòd Chriſtus à Deo patre fuerit, hoc loco conſtitutus ſacerdos, ſeu ordinatus per iuramentum. Sacerdotium autem Aaron non fuerit iuramento confirmatum à Deo, *Reprobatio*, inquit, *fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adducit lex: introductio verò melioris ſpei, per quem proximamus ad Deum, & quantum eſt non ſine iureiurando. Alij quidem non ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt, hic autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad illum, iurauit Dominus, & non pœnitebit eum tu es Sacerdos in æternum,* &c. *in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Chriſtus*. Quocirca verè Deus hoc loco, dicitur iuraſſe, alioquin enim locus D. Pauli non valeret, vbi iſtum locum interpretatur: alij contrà dixerunt ſolum Deum poſſe iurare. numquam autem homines, propterea iuramentum prohibebatur hominibus, quod poſſint decipi in ſua cogitatione, ſeu in iis rebus quatum cognitionem habere videntur: Deus autem liberè iurare poteſt, quia nullo modo in ſua cognitione decipi poteſt, in qua ſententia fuit Ambroſius, in commentatiis in Pſalm. 118. & D. Auguſt. in hunc Pſalmum. Quod attinet ad ſecundum, quare ſcilicet, Deus iurauerit, aut iuraret, quatuor cauſas

iuramenti Dei affert D. Paulus ad Heb. 5. 6. 7. prima eſt vt oſtendat Deus, & demonſtret pollicitationis ſuæ immobilitatem & fortitudinem, quod expreſſit c. 6. cum ait, *Abrahæ, nempe, promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret, maiorem iurauit per ſemetipſum dicens, niſi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te, & ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem; homines enim per maiorem ſui iurant, & omnis controuerſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt iuramentum, in quo abundantiùs Deus volens oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui interpoſuit iuſiurandum.* Quare Deus aliquando iurat vt demonſtret, quod dicit, aut promittit eſſe verum, & certum. Secunda cauſa eſt noſtra conſolatio, atque incredulitas: cum enim Deo nullo modo ſit neceſſarium iurare, cùm nobis aliquid promittit, quia non minùs certum eſt, quod dixit ſine iuramento, quàm quod dicit, cum iuramento, tamen ſicut viri alioquin probi aliquando coguntur iurare, vt illis fidem increduli nimis adhibeăt. ſic etiam Deus, propter noſtram incredulitatem & conſolationem, iurare dicitur, quemadmodum exprimit D. Paulus eodem loco ad Heb. ſcilicet c. 6. cùm ſubdit, *vt per duas res, quibus impoſſibile eſt Deum mentiri,* quarum quidem rerum, altera eſt quid dixerit, altera quid iurauerit, *fortiſſimum ſolatium habeamus*, vbi fortiſſimum refertur ad noſtram incredulitatem; ſolatium verò ad conſolationem. Tertia cauſa eſt, vt oſtendat eius rei de qua loquitur excellentiam & magnitudinem, vt Deus, hoc loco, demonſtret ſacerdotium Chriſti, eſſe magni momenti, dicitur non ſolùm dixiſſe; ſed iuraſſe quemadmodum etiam obſeruarunt doctores Catholici, qui dicunt, cùm ageretur de regno Chriſti, Deum non iuraſſe: ſed ſolùm dixiſſe, vt, *dixit Dominus Domino meo*, &c. atque etiam Pſalm. 2. *Dominus dixit ad me*, &c cùm autem agitur de ſacerdotio Chriſti, Deum iuraſſe, vt, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, quam quidem cauſam exprimit D. Paulus ad Heb. 7. vbi comparat ſacerdotium Aaaron, cum ſacerdotio Chriſti, quemadmodum ſuperiùs dictum eſt. Quarta & poſtrema cauſa eſt, vt ſignificaret Chriſtum Dominum legitimè fuiſſe conſtitutum, & ordinatum pontificem Maximum noui & æterni teſtamenti: tunc enim fœdus aliquod factum dicitur, cum accedente iuramento, pangitur, quam quidem cauſam attulit D. Paulus ad Heb. 5. *Nec quiſquam ſumat ſibi honorem*, inquit, *ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Sic Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, vt pontifex fieret: ſed qui loquutus eſt ad eum. filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum & alio loco dixit, tu es ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem, &c. Quod attinet ad tertium, quomodo ſcilicet Deus iurauerit, explicat D. Paulus loco ſupradicto, ad Heb. 6. cùm ait, Abrahæ námque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum: Deum autem iurare per ſemetipſum, nihil aliud eſt, quàm Deum dicere nolo haberi Deus, niſi quod dico, verum ſit, ad quod quidem iuramentum Dei debent reuocari alia omnia, quæ in ſacris literis reperiuntur, quemadmodum Iſaiæ c. 49. *Viuo ego, dicit Dominus*, hoc eſt, nolo haberi Deus viuens. & Amos 6. *Iurauit Dominus Deus in anima ſua.* Ieremiæ 51. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam.* hoc eſt, per vitam, ſicut ſuperiùs, nolo haberi Deus viuens, quòd ſi non ſit Deus viuens, non erit Deus: ſed ſicut Dij gentium. qui aures habent, & non audiunt, nares habent, & non odorabunt, vt habetur Pſalm. 113. & 134. & Sapient. 13. Quoniam omnia idola nationum Deos exiſtimarunt, quibus nec oculorum viſus eſt, ad videndum: neque nares ad percipiendum ſpiritum: neque aures ad audiendum. & Iſaiæ 62. *Iurauit Dominus in dextra ſua, &*

in

in brachio fortitudinis ſua, vbi cùm dicitur iuraſſe in dextra, ſignificatur iuraſſe per fidem, quaſi dixiſſet, nolo haberi Deus fidelis: cùm autem dicitur iuraſſe in brachio, ſignificatur iuraſſe per ſuam potentiam, quaſi dixiſſet, nolo haberi Deus omnipotens, aliàs etiam Pſalm. 88. iurat in ſanĉto, hoc eſt, per ſanĉtitatem ſuam, ac ſi diceret, nolo haberi Deus ſanĉtus. Quocirca quoniam ſi non eſſet fidelis, & certus in promiſſis ſuis, aut non eſſet omnipotens, aut non eſſet ſanĉtus, aut non eſſet Deus, cùm his modis legamus in ſacris literis Deum iuraſſe: idem ſignificatur, ac ſi diceret iuraſſe per ſemetipſum, dicendo nolo haberi, aut eſſe Deus; niſi quod dico, ſit verum, quod quidem facit propter iam allatas cauſas. Quod attinet ad quartum, vbi ſcilicet aut quomodo Deus exhibuerit hoc iuramentum, de quo fit mentio hoc loco, cùm dicitur, iurauit Dominus, &c. Diuus Auguſtinus in commentariis in hunc Pſalmum, & omnes ferè alij Catholici doĉtores, dicunt Dauidem alludere ad illud iuramentum, quod exhibuit Deus Abrahamo, eo quòd non pepercit proprio filio Iſaac, vt habetur 22. Geneſ. *Per memetipſum iuraui, dixit Dominus, quia feciſti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes*, ex eo quòd voluerit ſecundùm eius voluntatem ſacrificare ſuum filium. Benedicere autem ſacerdotis eſt, quia ſine vlla contradiĉtione, inquit Diuus Paulus ad Heb. 7. quod minus eſt, à meliore benedicitur, vnde Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi, vt ibi ait Diuus Paulus, & Geneſ. 14. Benedixit Abrahæ regreſſo à cæde regum, ergo Deus promittit Abrahæ per iuramentum, propterea quod voci ſuæ ita obediuit, vt voluerit ſacrificare filium ſuum, quod quidem ſacrificare, eſt officium ſacerdotis, fore, vt ex illo naſcatur ſemen, in quo benedicentur omnes gentes hoc eſt, quod ſit ſacerdos, & quod benedicere ſit ſacerdotis, ſemen autem iſtud eſt Chriſtus, vt apertè docet D. Paulus ad Galath. 3. vbi ait, *Abrahæ datæ ſunt repromiſſiones, & ſemini eius, non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*, & ſic Deus iurauerat Abrahæ fore vt ex eo naſceretur Chriſtus ſacerdos, in quo benedicerentur omnes, quod idem eſt, ac ſacerdos in æternum, vt hîc dicitur. Quare hoc loco Dauid alludit ad illud iuramentum Dei, quod fecit Abrahæ: ſed quamuis hoc verum eſſe poſſit, tamen non eſt neceſſe referri iſtud iuramentum Dei, de quo hîc fit mentio, ad aliquod tempus antea præteritum aut locum, quia hoc loco Dauid non eſt hiſtoricus, ſed Propheta. Quamobrem cùm Dauid dicit Deum iuraſſe, idem eſt, ac ſi diceret, ita verum eſt, quod dico, vt ſi in prophetia audierim ipſum Deum iurantem: ſicut in aliis etiam locis, quibus dicitur, iurauit Dominus, vt ſup. citauimus, nec eſt neceſſe, vt quæramus, quo tempore, aut quo loco iurauerit. *Cuius ſit benedicere.*

Tu es ſacerdos in æternum.] Quod attinet ad ſecundum, ſcilicet, tu es ſacerdos &c. (quod explicandum eſt in hoc verſu) duæ nobis controuerſiæ naſcuntur, altera cum Iudæis, altera cum Caluinianis, quorum vtrique conantur ſacrificium Miſſæ, à Chriſto inſtitutum, abolere. Quod autem attinet ad Iudæos, qui hunc Pſalmum interpretantur de Abrahamo, maximè ſunt impediti, quia non poſſunt dicere Abrahamum fuiſſe ſacerdotem, vt hîc dicitur, neque etiam regem, vt ſuperiùs probatum eſt: qui verò interpretantur hunc Pſal. de Dauide, conantur euitare hunc locum: Rabi enim Dauid dicit, ſacerdotem hoc loco, ſignificare principem: quemadmodum 2. Regum extremis verbis cap. 8. dicitur, *Filij autem Dauid erant ſacerdotes*, hoc eſt, principes, non enim erant verè

ſacerdotes,ſed ſolùm principes; ſed obiter hoc loco poſſumus habere ſalutem ex inimicis noſtris, ſeu ex ſcientia aliquorum inimicorum noſtrorum,aliorum confutare opinionem: Caluiniani enim clamitare ſolent, omnes Chriſtianos ex æquo eſſe ſacerdotes,& in Eccleſia non eſſe ordines diſtinctos præſulum, ſacerdotum, & laïcorum, propter vnum ſolum locum 1. Petri c. 2. vbi habetur, *Vos autem genus electum, & regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* & tamen R. Dauid dicit ſacerdotis nomen aliquando ſumi in ſacris literis impropriè, & accommodari non ſolùm iis, qui peculiariter præſunt rebus ſacris; ſed & qui aliquo modo laudant Deum, & bene viuunt, atque adeo etiam principibus. Quocirca quamuis filij Dauid dicerentur ſacerdotes, non tamen tunc ſequebatur eoſdem filios Dauid præeſſe rebus ſacris, & ſacrificia offerre,& facere omnia quæ ad officium ſacerdotum pertinent: ſed erant veri veteres ſacerdotes, qui iſtud facerent. Sic etiam quamuis omnes Chriſtiani dicantur ſacerdotes apud D.Petrum,non tamen ſequitur,vt volunt Caluiniani, omnes ex æquo,& propriè ſacerdotes eſſe, & debere facere omnia quæ pertinent ad officium ſacerdotale,ita vt nulla ſit diſtinctio:quamuis etiam D.Petrus eo loco,ſatis ſeipſum explicet, ſcilicet ſe intelligere, non de ſacerdotibus, ratione officij & miniſterij, ſed ratione laudis Dei, cùm ſubdit, *vt annuntietis virtutes eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* adde quod D. Petrus alludat eo loco ad illud Exod. 19. vbi ait Deus Moyſi, vt dicat filiis Iſraël, *Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta*, vbi licet vocet omnes filios Iſraël ſacerdotes, ſeu regnum ſacerdotale, tamen certum eſt Deum ipſum ſolùm elegiſſe ſacerdotes propriè dictos,qui ſcilicet ſacrificia offerrent,& alia diuina exequerentur, ex vna tribu,videlicet Leui: idcirco non eſt quod Caluiniani iſta vociferentur. Vt autem redeamus vnde digreſſi ſumus, R.Dauid, qui hoc loco per ſacerdotem intelligit principem, dicit Deum ideo iuraſſe Dauidem eſſe ſacerdotem, id eſt, principem in æternum, quod Deus voluerit dicere ſe non repudiaturum Dauidem ſicut repudiarat Saül, R. autem Abraham dicit, ſacerdotem hoc loco ſignificare miniſtrum, & cultorem: quia cùm Dauid fuiſſet ad bellum contra Philiſtinos profectus, & verè fuiſſet percuſſus à Ieſbibenob, vt legitur 2. Reg. 21. 17. *Tunc iurauerunt viri Dauid dicentes, Non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſraël.* Quapropter, quia R. Abraham ait, cùm Deus ſupertùs dixit Dauid, *ſede à dextris meis*, ſignificare, confide in potentia mea,& ſine,vt milites tui pugnent contra Philiſtæos, tu autem mane domi, & ibi ſede & dicas preces tuas. Ita prorſus idem dicit iſta verba (tu es ſacerdos in æternum &c.) ſignificare, tu es mihi miniſter, & cultor meus (ſecundum ordinem autem Melchiſedech) ideo dicit poni,quod quemadmodũ Melchiſedech, licet non pugnaſſet, tamen Abraham, cui occurrit, dedit decimas, vt habetur Gen. 14. & ad Heb. 7. ita etiam vult dicere, quamuis Dauid in propria perſona non pugnauerit, neque adfuerit iſti prælio contra Philiſtæos, tamen accepiſſe ſpolia quæ reportarunt viri ſeu milites eius,ex iſto prælio,ſed vt iſtos duos hoſtes veluti vnico ictu retundamus,nemini dubium eſſe poteſt,vt ipſi etiam concedunt, Dauidem alludere ad illum locum Geneſ. 14. vbi poſtquam Abraham debellauit illos reges, dicitur, *At verò Melchiſedech rex Salem proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei*, nẽpe Abrahæ. Quocirca ſacerdotis nomen eodem modò accipi debet hîc, ſicut & ibi, alioquin alluſio non eſſet bona; ſed ibi neque ſignificat regem aut principem, quia diſtinguit; dicit

enim:

enim eſſe regem Salem, & deinde protuliſſe panem & vinum, quia ſacerdos. Quare ibi rex & ſacerdos diuerſa ſignificant, neque etiam ſignificant miniſtrũ, ſeu cultorem, quia redditio cauſæ eſſet ſuperuacanea: ideo enim dicitur Melchiſedech protuliſſe panem & vinum, & benedixiſſe Abrahæ, quia erat ſacerdos Dei altiſſimi quòd ſi non fuiſſet reuera ſacerdos, ſed ſolùm miniſter & cultor, ſicut omnes homines eſſe poſſunt & boni omnes reuera ſunt, non eſſet vera ratio, cur Abrahæ obtulerit panem & vinum, & benedixerit ei, quia erat miniſter Dei & cultor, quia etiam Abraham erat Dei miniſter & cultor, & tamen non benedixit Melchiſedech, ideo cùm quod minus eſt, à meliore benedicatur, vt ait Paulus ad Heb. 7. proculdubio neceſſarium eſt Melchiſedech fuiſſe dignitate præſtantiorem Abrahamo, & ſic ſacerdos ibi non ſignificat miniſtrum aut cultorem Dei. Quamobrem nec etiam hîc, adde quod etiam Abrahamus dederit decimas Melchiſedech ex omnibus, quæ quidem non ſolent dari niſi veris ſacerdotibus. Quare vt (contra Iudæos) ſicut Gen. 14. ſacerdos propriè accipitur, ita etiam hoc loco debet propriè accipi, quia iſte locus ad illum refertur, & ſic hoc non poteſt intelligi de Dauide, quia non fuit propriè ſacerdos, neque etiam de Abrahamo, ſed de ſolo Chriſto. Quod attinet ad Caluinianos, ipſi nihil fortiùs negant, quàm ſacramentum Euchariſtiæ, eſſe ſacrificiũ, Chriſtiani verò & Cathol. nihil fortius affirmant, ita vt quemadmodũ tẽpore Apoſtolorum tanta erat difficultas in credendo articulo reſurrectionis, vt idẽ ferè eſſet, credere futuram reſurrectionem mortuorum eſſe, & eſſe Chriſtianum: ita etiam nunc pene idem ſit, eſſe Chriſtianum & Catholicum, & adeſſe & credere ſacrificio Miſſæ, vt noſtris miſeris temporibus experimur. Primùm itaque non eſt diſſenſio inter nos, & Caluinianos de iis quinq; in quibus D. Paulus ad Heb. comparat Chriſtum cum Melchiſedech, primò in nomine quod ſcilicet quemadmodum Melchiſedech interpretatur rex iuſtitiæ, ita Chriſtus ſit rex iuſtitiæ. Secundò quod quemadmodum Melchiſedech fuit rex Salem, id eſt, pacis, ita etiam Chriſtus ſit rex pacis. Tertiò quod ſicut Melchiſedech fuit ſine patre, ſine matre & ſine genealogia, ita etiam Chriſtus: ex quo quidem loco D Pauli multi multa fabuloſa loquuti ſunt de Melchiſedech, vt refert Philaſtrius in Catalog. hæreticorum, & Aug. in l. ad Quod vult Deum, & alij ferè omnes doctores Catholici. Alij enim exiſtimauerunt Melchiſedech eſſe Sem filium Noë, vt habetur Gen. 6. alij dixerunt fuiſſe filium meretricis, & ideo eius parentes nominari in ſacris litteris, quemadmodum dicunt Iudæi: alij putarunt eſſe Chriſtum, alij Spiritum ſanctum, alij virtutem Dei, alij deniquè angelum quendam. Quod autem à D. Paulo dicatur fuiſſe ſine patre, quidam dicunt non dici ſine patre & matre, & genealogia, quod reuera non habuerit: ſed quòd ſacra ſcriptura de illis numquam mentionem vllam faciat. Quam quidem ſententiam confutat Epiphanius, & Hieron. in Epiſt. ad Euag. quia ſæpiſſimè inuenimus aliquos in ſacris literis, quorum genealogia non declaratur, & non tamen dicuntur ſine patre, quemadmodum Daniel cap. 3. inuenimus tres illos viros Sidrach Miſach, & Abdenago, qui propterea quod noluerunt adorare ſtatuam auream, quam erexerat rex Nabuchodonoſor, miſſi fuerunt in fornacem ignis; & tamen quamuis non fiat mentio de matre, aut de patre, & genealogia eorum, numquam in ſacris litteris dicuntur eſſe ſine patre, & matre, & genealogia. Quocirca iſta ratio, quòd ſcilicet genealogia Melchiſedech non declaretur in ſacris litteris, non eſt cauſa ſufficiens quare dicatur ſine patre, aut matre, aut genealogia, ipſe autem Epiphanius dicit Melchiſedech dici fuiſſe ſine patre,

aut matre, aut genealogia, ratione ſacerdotij, quia neque pater eius fuerat ſacerdos, neque habuit genealogiam,ſeu filios ſacerdotes; ſed fuit ſolus qui habuerit tale ſacerdotium. Philaſtrius autem loco citato, in hæreſi de Melchiſedech hoc refert ad doctrinam,quod ſcilicet Melchiſedech neque habuerit patrem, neque matrem, neque genealogiam, à quibus fuerit edoctus in vero Dei cultu, quòd parentes eius eſſent idololatræ, ſed fuerit edoctus à Deo, per reuelationem: ſed ſiue dicatur Melchiſedech ſine patre, & ſine matre, reſpectu ſacerdotij, ſiue ratione doctrinæ, non magni intereſt hoc loco: quapropter,vt vnde digreſſa eſt, reuertatur oratio. Quarto loco comparat Paulus Melchiſedech cum Christo Domino, quòd quemadmodum Melchiſedech, neque initium dierum, neque finem vitæ habuerit,ſic etiam filius Dei, ſeu Chriſtus manet ſacerdos in perpetuum, eſtque coæternus patri. Quintò comparat quod Melchiſedech fuerit ſacerdos legis integrioris, quàm ſacerdotes veteris Teſtamenti, & legis Moſaïcæ, ſicut etiam Chriſtus, quod adfert Diuus Paulus per totum illud caput 7. vbi ex eo quod Melchiſedech benedixerit Abrahamo, ex cuius lumbis exire debebant ſacerdotes Leuitici, & ex eo quòd Abrahamus dederit illi decimas, colligit Melchiſedech maiorem eſſe Abrahamo, quia, inquit, ſine vlla contradictione, quod minus eſt à meliore benedicitur, & ſic ſacerdotium Chriſti,ſeu Chriſtianum,quod repræſentabatur in Melchiſedech, eſſe præſtantius ſacerdotio Aaron, ſeu veteris teſtamenti, quod per Abrahamum repræſentabatur, quia eo erant deſcenſuri ſacerdotes Leuitici, ſeu veteris teſtamenti. Tota autem controuerſia inter nos & Caluiniſtas, hoc loco, in tribus potiſſimum conſiſtit; primò an reuera Melchiſedech obtulerit panis & vini ſacrificium: ſecundò an poſito quod obtulerit, ſit figura ſacrificij & ſacramenti Euchariſtiæ, quia multa antiquitùs poterant fieri, quæ non erant ſigna vel figuræ, vel certè non agnoſcuntur, vt figura. Tertiò an ideo Chriſtus ſacerdos dicatur ſecundùm ordinem Melchiſedech,quòd Melchiſedech obtulerit ſacrificium panis & vini, & non ſolùm propter quinque cauſas ſup. allatas à D. Paulo ad Heb. 7. quamuis enim Melchiſedech obtulerit ſacrificium panis & vini, & hoc ſit figura alicuius ſacrificij Chriſti, niſi tamen probatum fuerit tertium, nempe quod fuit figura ſacrificij Euchariſtiæ, nihil adhuc efficiet contra Caluinianos,quia dicunt eſſe figuram ſacrificij Chriſti facti in cruce. Hæc autem tria fortiter Caluiniani negant. Quod attinet ad primum negant Caluiniani obtuliſſe Melchiſedech ſacrificium panis & vini, primò quia numquam ſacra ſcriptura dixit Melchiſedech ſacrificaſſe, ſed ſolùm protuliſſe panem & vinum Abrahamo, vt habetur Gen. 14. *At verò Melchiſedech rex Salem proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi) benedixit, & ait, Benedictus Abraham Deo excelſo, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* vbi etiam verbum Hebraïcum non ſignificat, ſacrificauit, neque etiam obtulit, ſed ſolùm, protulit: ergo cùm Melchiſedech non obtulerit ſacrificium, Chriſtus non dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quod obtulerit in cœna ſacrificium corporis & ſanguinis ſui, ſub ſpecie panis & vini, & ſic ex hoc loco non poterit concludi, ſacramentum Euchariſtiæ eſſe ſacrificium. Secundò idem probant,quod omnes prorſus interpretes ita verterunt,nemine faciente mentionem de ſacrificio. vt Chaldæus Paraphraſtes, & Sept. interpretes,atq; etiam noſter interpres non vertit,protulit,ſed proferens, vt iſtud protulit non poſſit ſignificare, ſacrificauit, ſed refertur ad benedixit, quod ſequitur,ergo Melchiſedech non ſacrificauit. Tertiò idem probant,quod

nemo

Digitized by Google

nemo Hebræorum interpretum dixerit, aut cognouerit à Melchiſedech fuiſſe oblatum ſacrificium. Quinimo in commentariis in hunc locum, quod etiam docet Ioſephus lib. 1. Antiq. c. 16. R. Salomon dixit Melchiſedech ideo protuliſſe Abrahamo panem & vinum, vt comederet, & biberet, & reficeret vires ſuas, quæ fuerant aliquantulum diminutæ in illo bello contra reges. Quartò id probant, quod D. Paulus ad Heb. c. 6. 7. 8. & 9. adeo diligens fuit in comparando Melchiſedech cum Chriſto Domino, vt ne minima quidem prætermiſerit, quemadmodum cõſtat ex initio c. 7. ergo non eſt credendum, ſi Melchiſedech fuiſſet ſacerdos, & ſacrificaſſet panem & vinum, non comparauiſſe in eo cum Chriſto, ſi ſacramentum Euchariſtiæ ſit ſacrificium, cùm hoc multò maius ſit, quàm ea, cum quibus comparat illos duos Melchiſedech, & Chriſtum ſcilicet. Nos contrà vrgemus, & conſtanter defendimus ſacrificaſſe, & nitimur ex eo, quod dicatur, *erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*, non enim fruſtrà hoc addidit ſcriptura, hæc autem non poteſt eſſe ratio, ſeu cauſa, cur aliud fecerit Melchiſedech, quàm ſacrificauerit, ergo verè ſacrificauit: ſed Caluiniani reſpondent non reddi cauſam cur ſacrificauerit, ſed cur benedixerit Abrahamo, vnde in noſtra verſione legimus, proferens panem & vinum benedixit ei, nempe Abrahamo; quia erat Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi: ſed iſta reſponſio nulla eſt; primò quia quamuis nunc in Hebraicis codicibus ſit tantùm vna periodus, vt conſtat ex verbis ſuprapoſitis, qui quidem codices corrupti fuerunt à Rabbinis inimicis noſtræ religionis Chriſtianæ multis in locis, præcipuè iis in quibus erant fundamenta noſtræ religionis, per puncta neſcio quæ quæ fuerunt adiecta propter ignorantiam lectorum, ſicut accentus apud Græcos: tamen in antiquis codicibus erant duæ periodi prima quidem iſta verba continebat, *At verò Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi.* ſecunda autem periodus apud Hebræos incipiebatur, ויברכהו. quæ quidem verba non ſunt adhuc mutata, &, quidem ו. multa ſignificare poteſt, ſed ſignificabat hîc coniunctionem aduerſatiuam, autem, vt eſſet ſenſus, & inciperet periodus, *Benedixit autem ei & ait, Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cœlum & terram.* Quod ſi ita legamus ſicut antiquitus legebatur, vt conſtat ex codicibus Hebraicis, qui adhuc non ſunt notati punctis, certum eſt cùm dicitur, *erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*, non reddi cauſam eius quod eſt dicendum in ſequenti. Ideo debebat reddi cauſa, cur protulerit panem & vinum. Iſta autem cauſa eſſet abſurdiſſima, niſi ſacrificaſſet panem & vinum: ſed tantùm protuliſſet panem communem Abrahamo, vt ederet, & reficeret vires cum ſuis etiam militibus: ergo ſacrificauit panem & vinum. Secundò etiam ſi legamus, vt nunc legimus, ſolũ in vna periodo, tamen non poſſet reddi cauſa, cur benedixerit: cauſa enim alicuius rei ſemper debet reddi, poſtquam res illa narrata eſt, præſertim cùm cauſa illa ponitur in aliqua parentheſi. iſta enim particula (enim) dicitur referri ad aliqua præcedentia, non ad conſequẽtia, ſicut facilè perſpici poteſt per diſcurſus ſacrarum litterarum, ſed ſolùm vnus locus omnino ſimilis in præſentia ſufficiet: ait D. Paulus Epiſt. ad Epheſios cap. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate in omni bonitate, iuſtitia, & veritate, fructus enim lucis*, inquit, *eſt in omni bonitate, iuſtitia, & veritate.* Quare etiam hoc loco, ſi vellet ſcriptura reddere cauſam, cur Melchiſedech benedixiſſet Abrahamo, non diceret, *Proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei Altiſſimi, benedixit ei*, ſed diceret potiùs, proferens panem & vinum cur eſſet ſacerdos Dei altiſſimi benedixit, & ſic iſtam cauſam poſſe accommodari huic verbo, benedixit,

Digitized by Google

dixit quod cùm non dicat, certè debemus dicere Melchiſedech dici ſacerdotem, non quia benedixit Abrahamo, ſed quia propoſuit & protulit panem & vinum. Quapropter ſi cauſa aliquid habet vitium, debet ſacrificaſſe panem & vinum. Tertiò non erat neceſſe dicere Melchiſedech eſſe ſacerdotem, vt benediceret. quia quamuis ſine vlla contradictione, quod eſt minus, à meliore benedicatur, vt inquit D. Paulus Epiſt. ad Heb. cap. 7. tamen non eſt proprium ſacerdotis benedicere, vt ſolis ſacerdotibus conueniat, quia reperimus multos alios benedixiſſe, qui non erant ſacerdotes, quemadmodum Iſaac benedixit filio ſuo Iacob, vt habetur Geneſ. cap. 27. 28. & 48. Iacob benedixit duobus filiis Ioſeph, Ephraim & Manaſſæ. Quocirca Melchiſedech non dicitur ſacerdos Dei altiſſimi, quòd benedixerit Abraham; ſed quod obtulit ſacrificium panis & vini: ſed Caluiniſtæ ſi fuiſſent ſubtiles & docti, non debebant dicere reddi cauſam cur benedixit, ſeu ipſius benedictionis, ſed formæ benedicendi, quia ſcilicet vſus eſt Melchiſedech in benedicendo Abraham: ſubtiliùs enim dixiſſent (quamuis nemo eorum etiam dicat) ideo afferri iſtam cauſam, nempe (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi) quod Melchiſedech benedixerit Abrahamo non quomodocumque, ſed Deo excelſo, ſeu in nomine Dei altiſſimi, quia Melchiſedech erat ſacerdos, non Hebræorum, ſed gentium. Quare vt diceret Deo excelſo, ad diſtinctionem Deorum aliorum falſorum, potuiſſet promouere ſcriptura, ideo benedixiſſe in nomine Dei excelſi, quia erat ſacerdos Dei altiſſimi, ſed hoc etiam non eſt neceſſe, ſed vt benediceret in nomine Dei excelſi, ſatis erat, vt eſſet cultor, & crederet in Deum verum, ſeu excelſum, ſicut Iſaac & Iacob benedixerant etiam filiis ſuis, in nomine Domini Dei excelſi, & tamen non fuerunt ſacerdotes, ſed ſolùm viri cultores Dei excelſi, quemadmodum conſtat ex Geneſi locis ſuperiùs citatis. Quare voluit ſignificare ſcriptura aliquid maius quàm benedicere, & ſic ſacrificare. Quartò id probatur ſcilicet Melchiſedech verè ſacrificaſſe, quod verbum Hebraïcum, quod ſignificat ſacerdotem ſecundum noſtram verſionem, ſit participium actiuæ vocis, licet enim hæreticos, præcipuè Caluinianos reducere ad Grammaticam, & non ſolùm ſignificet ſacerdotem, ſed etiam ſacrificantem, quod etiam obſeruarunt veteres Rabbini. Quod ad recentes, eadem ferè cum illis, atque cum Caluinianis controuerſia hoc loco eſt, quemadmodum antiquus ille Rabbi Moyſes. & alij; vnde verbum אל. *el*, quod ſignificat Deum, non propriè debere verti ex illo patet in genitiuo caſu, ſed in datiuo, vt dicatur, erat enim ſacerdos ſacrificans Deo altiſſimo, & non Dei altiſſimi, vt planius fiat, ſacerdotem non ſolùm officium, ſed ipſum actum ſacrificandi ſignificare: non poteſt autem dici aliud Melchiſedech ſacrificaſſe, quàm panem & vinum, quia ſi ſacrificaſſet alia, non diceretur à Diuo Paulo differre à ſacerdotibus Aaronis, ſicut dicitur Epiſt. ad Hebræos capite ſeptimo, adde quod etiam ſcriptura non dicit, neque aliud ſacrificaſſe, neque etiam obtuliſſe, aut protuliſſe, quàm panem & vinum: ergo reuera ſacrificauit panem & vinum. Quintò D. Paulus epiſt. ad Heb. cap. 8. docet omnem ſacerdotem conſtitui ad offerenda ſacrificia. *Omnis autem pontifex*, inquit capite 5. *ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, quod iiſdem verbis repetit capite octauo. *Omnis enim Pontifex*, ait, *ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur*, ſed ſcriptura docet Melchiſedech fuiſſe ſacerdotem, vt ſuperiùs dictum eſt: ergo verè ſacrificauit, atque adeo panem & vinum, quia dicere aliud ſacrificaſſe, amentis eſt. Quod attinet ad ſecundum, nempe

nempe quod ſacrificium Melchiſedech ſit figura ſacramenti, & ſacrificij Euchariſtiæ, poſito illum ſacrificaſſe panem & vinum, vt ſuperiùs probatum eſt, primò nobis erunt teſtes ipſi veteres Rabbini Hebræi, primùm Rabbi Moyſes, & alij apertè dicunt ſacrificium Melchiſedech, panis & vini eſſe figuram ſacrificij Miſſæ, ſub ſpecie panis & vini, & adfert ille locum illum Prouerb. 9. in quo dicit, *Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis*, quod debet intelligi de ſacramento Euchariſtiæ, vt patet ex principio illius capitis, in quo id ferè dicitur quod dicit ipſe Chriſtus Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & miſit ſeruos ſuos dicere inuitatis, vt venirent.* &c. quæ quidem parabola intelligitur de ſacramento Euchariſtiæ, vnde ille Rabbi Moyſes iſtud verbum, protulit, Geneſ. 14. dixit ſignificare, reuelauit, vt Melchiſedech doceerit Abraham tempore Meſſiæ, ſeu Chriſti fore, vt ampliùs non offerantur ſacrificia boum, & pecudum, aliorumque animalium, ſed panis & vini: adferunt etiam illi alium locum, qui habetur Pſalm. 71. *Et erit firmamentum in ſummis montium*, &c. vbi loco nominis iſtius firmamentum legit. ſeu interpretatur placentam, & dicit per hoc intelligi ſacrificium Euchariſtiæ à Meſſia inſtituendum: per ſummos autem montium, aut caput montium, facilè intelligi poteſt Eccleſia, quaſi dicat Dauid hoc loco, & erit tempore Meſſiæ, ſeu Chriſti, hoc eſt, poſtquam venerit (de eo enim loquitur eo loco, vt facilè ex eo patet) ſacrificium in pane. Rabbi etiam Demar dicit tempore Meſſiæ futurum, vt ſacrificia boum & pecudum ceſſent, ſacrificium autem panis & vini non ceſſaturum, quod probat ex eo loco, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos* &c. quod Rabbini antiqui, non ſolùm intellexerant Melchiſedech verè obtuliſſe panem & vinum, ſed etiam ſacrificium illius eſſe figuram ſacramenti Euchariſtiæ. quod fit ſub ſpeciebus panis & vini. Secundò idem confirmatur ex communi omnium doctorum Eccleſiæ Catholicæ, tam Græcorum, quàm Latinorum, nemine diſſentiente, conſenſione, qui cùm loquuti ſunt de comparatione Melchiſedech & Chriſti Domini; non ſolùm dixerunt Melchiſedech verè ſacrificaſſe panem & vinum, ſed eius ſacrificium fuiſſe figuram ſacrificij Chriſti, neque ſolùm in cruce, ſed quod exhibuit cœnans cum Apoſtolis, ſed tamen de tempore quo Melchiſedech ſacrificauit: duæ ſunt præcipuæ eorum ſententiæ: quidam enim dicunt, vt Clemens Alexandrinus 4. Stromatum cap. 1. D. Chryſoſtomus homil. 36. in Geneſim, Ambroſius lib. de iis qui ſacris initiantur 4. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. Melchiſedech non tunc ſacrificaſſe, quando protulit Abrahamo panem & vinum, ſed protuliſſe ei panem & vinum iam antea ſacrificatum, qualem decebat ſacerdotem Dei altiſſimi offerre, in quo quidem plurimùm falluntur Caluiniani, quia putant ex eo, quod non dicatur ſacrificaſſe, quando protulit Abrahamo panem & vinum, non ſacrificaſſe tunc, quod falſum eſt, & ex eo, quod iam concedatur tunc non ſacrificaſſe, nos cecidiſſe noſtra lite, quia licet concederemus, quod tamen manet in quæſtione, & adhuc manebit, niſi nouus ſurgat Caluinianus inſtructus à doctiori & acutiori dæmone, Melchiſedech tunc non ſacrificaſſe panem & vinum cùm protulit Abrahamo, tamen non ſequeretur iſtum panem, & vinum non fuiſſe antea ab eo ſacrificatum, quemadmodum etſi Abimelech, vt habetur 1. Regum cap. 21. non ſacrificauerit panes quos dedit Dauid, & ſeruis ſuis, tunc cùm dedit, non ſequitur illos panes non eſſe ſacrificatos, alij autem doctores Catholici, vt Epiphan. hæreſi contra Melchiſedicianos. Euſeb. Cæſar. lib. 5. de demonſtratione Euangelica, cap. 3. Athanaſius, vt refert Oecumenius in c. 5. Epiſt. ad Hebræos,

Digitized by Google

alij dixerunt Melchiſedech ſacrificaſſe panem & vinum, quod protulit cùm benedixit Abraham, vt iſtud fieret figura, non ſolùm ſacrificij, & ſacramenti Eucharistiæ, ratione panis & vini: ſed etiam ratione ceremoniarum, & benedictionum multarum, quæ in Miſſa, cum ſit iſtud ſacrificium, à ſacerdote fiunt. vnde Epiphanius loco citato dixit, in eo, quod Melchiſedech ſacrificauerit panem & vinum, ſacrificari ſacramentum ipſum, & ſacrificium corporis, & ſanguinis Christi Domini ſub ſpeciebus panis & vini: in eo, autem, quod dicitur Abraham decimas Melchiſedech ſoluiſſe, & dediſſe ſacrificari paruum illud ſacrificium, quod fit poſt Euangelium quod vocatur Offertorium, in quo quidem ſacrificio, populus offert de bonis ſuis Deo. Alij autem doctores Catholici, vt D. Auguſt. in lib. de Ciuitate Dei, multis in locis, Hieronymus in epiſt. ad Euagrium, Theodoretus, Photius idem cum ſuperioribus, ſentiunt. Quare ex conſenſu omnium doctorum Eccleſiæ, conſtat non ſolùm Melchiſedech ſacrificaſſe panem & vinum, ſed eius etiam ſacrificium fuiſſe figuram ſacrificij Christi. Denique hoc item eſt manifeſtum, ex quadam oratione, quæ dicitur in ſacrificio Miſſæ, vbi exprimitur ſacrificium Melchiſedech, Abel, & aliorum quorundam: quam quidem orationem antiquam eſſe conſtat, ex D. Ambroſio lib. 4. de Sacramentis, & licet in liturgiis Græcorum non fiat mentio de ſacrificio Melchiſedech, non ex eo tamen ſequitur, eos exiſtimaſſe non ſacrificaſſe, aut eius ſacrificium non fuiſſe figuram ſacrificij Eucharistiæ, quia vt modò dictum eſt, omnes doctores tam Græci, quàm Latini in iis duobus conueniunt, vt etiam Lutherus primus fuerit, tum Catholicorum, tum Lutheranorum & Hæreticorum; qui hæc de Melchiſedech negauerit. ſed ideo non fecerunt mentionem ſacrificij Melchiſedech in ſuis liturgiis, quia ſcriptura non dicit, an illius ſacrificium fuerit acceptum à Deo, vel non: dixit autem de ſacrificio Abel, & aliorum, quorum illi meminerunt: ergo iam conſtat Melchiſedech ſacrificaſſe, & eius ſacrificium fuiſſe figuram alicuius ſacrificij Christi, propter quod hîc Christus dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Quod ſpectat ad tertium poſito ſcilicet quòd Melchiſedech ſacrificauerit panẽ & vinum, & ſacrificium eius eſſe figuram alicuius ſacrificij Christi, quod ſuperiùs probarũ eſt, an fuerit figura ſacrificij Eucharistiæ, & non ſolùm eius, quod fecit Christus in cruce, & propter quod Christus hîc dicatur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, non ſolùm autem propter eaſdem cauſas, quas adfert D. Paulus ad H. 7. facilè ex eo colligi poteſt, quia quando hic, & apud D. Paulũ ad H. 5. & deinceps, Christus dicitur ſacerdos ſecundũ ordinẽ Melchiſedech, dicitur propter omnes rationes, in quibus poteſt comparari Christus, cum Melchiſedech, ſeu propter rem omnem, quam fecit Christus ſimilem alicui rei, quam fecit Melchiſedech quod attinet ad ſacerdotium: ſed propter quatuor tantùm cauſas, poteſt aliquis dici ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſeu alterius, videlicet propter perſonam, quam ille quo ad perſonam habet eandem ordinationem & poteſtatem, quam habebat D. Petrus. ſecundò propter rẽ, quæ ſacrificatur, & hoc modo ſacrificij in cruce nõ potuit eſſe figura ſacrificiũ Melchiſedech quia Christus in cruce ſacrificauit corpus ſuũ, Melchiſedech autem panem & vinum: tertio quia res, quæ ab vno ſacrificabatur figura eſt rei, quæ ab altero ſacrificatur, quo etiam modo licet panis & vinum, quæ ſacrificauit Melchiſedech, eſſent figura corporis & ſanguinis Christi in cruce, non autem in cœna, quod tamen falſum eſt, propriè tamen non propterea Christus deberet dici ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech potiùs, quàm

ſecundum

Digitized by Google

ſecundum ordinem Aaron, quia certum eſt ſacrificia Aaronica, ſeu veteris teſtamenti, eſſe figuras ſacrificij corporis Chriſti facti in cruce, ſiue omnia, ſiue aliqua:numquam autem Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Aaron, ergo cum dicitur ſecundum ordinem Melchiſedech, vult aliud ſignificare, quàm ſacrificium Melchiſedech repræſentare,ſeu figuram eſſe ſacrificij Chriſti facti in cruce.Quartò & poſtremò aliquis dicitur ſacerdos ſecundum ordinem alterius, non ſolùm in perſona, ſicut omnes Epiſcopi, ſi eodem modo mittantur, quo miſſi ſunt Apoſtoli à Chriſto Domino, neque ſolum in re oblata, ſed etiam modo & ritu ſacrificandi, quomodo Chriſtus dicitur ſacerdos ſecũdùm ordinem Melchiſedech.Primò,quia ſicut Melchiſedech non fuit ſacerdos iure hæreditario, ſed fuit Miſſus diuinitus, & vnctus,non ab hominibus,ſed à Deo, & id quidem in gentilibus, ita Chriſtus Miſſus fuit à patre ſuo, non ab hominibus, & id quidem non ſolùm à Iudæis, quamuis primò, ſed etiam gentibus, vt prædicaret Euangelium omni creaturæ,deinde quod,vt Melchiſedech ſacrificauit panem & vinum, ita Chriſtus in cœna ſacrificauit panem & vinum, & illa tranſmutauit in corpus &ſanguinem ſuum.Tertiò quia ſicut Melchiſedech panem ſacrificatum protulit Abrahamo, & benedixit ei,ita etiam Chriſtus panem & vinum ſacrificata & tranſmutata in corpus & ſanguinem ſuum dedit Apoſtolis in cœna, & benedixit eis, cùm conſecrauit eos ſacerdotes, dicendo, *Hoc facite in meam commemorationem*, Quocirca ex trib. quæ ſatis copioſe ſunt explicata, & probata, vnam conficiamus rationem. Melchiſedech reuera fuit ſacerdos, & conſecrauit panem & vinum, & ſacrificium illius fuit figura alicuius ſacrificij Chriſti, propter quod dicitur hic ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, propter ſacrificium quod fecit in cœna,quare Chriſtus in cœna reuera ſacrificauit corpus ſuum & ſanguinem,ſub ſpeciebus panis & vini: ſed & dedit poteſtatem, ac iuſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, vt id facerent dicendo, *hoc facite in meam commemorationem*, ergo reuera ab Apoſtolis fuit ſacrificatum corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini, atque hodie adhuc ſacrificatur, quia iſta omnia eodem iure, & ratione conſequuntur. Quamobrem contra Caluinianos, ſacramentum Euchariſtiæ, non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam eſt ſacrificium; quod etiam facilè, & neceſſariò probatur ex iſtis verbis Chriſti, cum inſtituit hoc ſacramentum, cùm enim ſumpſit calicem, & dixit, *bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis effundetur*, vt habetur Mat.26.non enim dixit,vt biberent omnes,ſicut obiiciunt Hæretici, & præſertim Caluiniani, potiùs quando dedit illis ſuum ſanguinem, quàm quando dedit corpus, quod præuideret futurum,vt Catholici denegarent laicis calicem,& ſumerent laici Chriſtiani ſolum vnam ſpeciẽ, videlicet, panem, quia,etſi pueris antiquitus tribueretur corpus Chriſti,tamen denegabatur vinum ſeu potiùs ſanguis, ſub ſpecie vini: non quod non habebant fidem, ſed quia fides eſt ita neceſſaria in ſumendo corpore, & ſanguine Chriſti ſub vna ſpecie,atque ſub altera,& propterea licet fides requiratur,cùm ad hoc ſacramentũ accedimus,tamen magis videtur eſſe neceſſaria ſacramento baptiſmi, in quo debet fieri profeſſio fidei neceſſario,non autẽ in illo quamuis ſupponatur. Quare non dicit Chriſtus,vt biberent omnes propter iſtã cauſam: ſed potiùs dixit, vt omnes biberent ſanguinem ſuum noui teſtamenti, qui pro illis, & multis effundebatur, vt oſtenderet ſe inſtituere nouum teſtamentum quemadmodum apertè docet D. Paulus ad Hebr. c. 9. *Vbi enim teſtamentum eſt*, inquit, *mors neceſſe eſt antecedat teſtatoris, teſtamentum enim in mortuis confirmatum*

 eſt,

eſt, alioqui enim nondum valet dum viuit, qui teſtatus eſt, vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatū eſt. Lecto enim omni mandato legis à Moyſe, (vt habetur Exod. 24.) *vniuerſo populo, accipiens ſanguinem, vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo ipſum librum, & omnem populum conſperſit, dicens, hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad nos Deus.* Quocirca vt Chriſtus Deus oſtenderet, & veluti digito demonſtraret, ſe inſtituere nouum teſtamentum in ſanguine ſuo, quia nullum teſtamentum fuit ſine ſanguine, vt modò dictum eſt, ex D. Paulo, quod quidem teſtamentum fuerat figuratum, per vetus teſtamentum; quod pepigerat Deus, cum filiis Iſraël in deſerto, in ſanguine hircorum, & vitulorum, quod in iſto dicitur Moyſem aſperſiſſe omnem populum ſanguine hircorum, quod ſcilicet illo omnis populus deberet eſſe teſtis iſtius teſtamēti ſuis filiis, & deinde per ſucceſſionem dixit Chriſtus, *Bibite ex hoc omnes*, quia ſcilicet omnes Apoſtoli, Iuda tantùm excepto, propter ſuum ſcelus, debebant eſſe teſtes, tum Iudæis tum gentibus, Chriſtum Deum inſtituiſſe nouum teſtamentum. Quod autem dicitur Moyſem legiſſe omnia mandata Dei, Chriſtus inſtituit prolixū illum ſermonem, qui habetur Ioan. 14. & deinceps quia leges Chriſtianæ non tam debebant ſcribi in libris, quàm in cordibus hominum: Quare verè Chriſtus inſtituit ſacrificium in cœna & non ſolum ſacramētum. Supereſt vt ſoluamus argumēta Caluiniſtica initio huius quæſtionis poſita, quibus volebat probare Melchiſedech non ſacrificaſſe panem & vinum. Quod ergo ad argumenta Caluinianorum ſpectat, ad primum iam diximus non ſequi, ſi Melchiſedech non dicatur ſacrificaſſe panem & vinum cùm protulit Abrahamo, non, inquā, ſequi non ſacrificaſſe tunc, ſiue antea. Ad ſecundum iam etiam demonſtratum eſt, omnes auctores, qui verterunt protulit, aliis in locis interpretatos fuiſſe protulit, pro obtulit, imò etiam ipſos antiquos Rabbinos, quamuis recentiores hoc negarunt, non quòd non ſcirent verum eſſe, ſed quia nolebant recipere Ieſum Chriſtum pro Meſſia, & reiiciebant hoc ſacrificium Chriſti: vnde etiam tertium argumentum ſoluitur. Ad quartum autem dicendum eſt propter tres cauſas D. Paulum non comparaſſe Melchiſedech in ritu ſacrificādi, ſcilicet, ſub ſpeciebus panis & vini, quarum duas ipſe adfert ad Heb. 5. primùm quidem magnitudo rei, ſecundùm verò auditorum imbecillitas, cùm ait, *& quidem cùm eſſet filius didicit ex iis, quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech, de quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis ad dicendum, quemadmodum imbecilles facti eſtis ad audiendum.* Tertia cauſa eſt quòd D. Paulus volebat tantùm docere Hebræos, ſacrificia Aaronica poſſe ceſſare, & ſacrificium Melchiſedech illis eſſe præſtantius, & melius, & ſic efficere, vt reciperent ſacrificiū, ſcilicet, Euchariſtiæ, quod erat ſecundum ordinem Melchiſedech. Quocirca cum non ſolùm vellet dicere Hebræos iam Chriſtianos, ſed etiam attrahere alios ad fidem Chriſti, ad eos ſcripſit ea tantùm quæ vidit non deterrere eos à fide Chriſti, vnde alio exordio in ea Epiſt. vtens loquitur ad eos de patribus eorum, quia ſciebat eos hæc libenter audire: cùm autem ſciret multos Iudæos receſſiſſe à Ieſu, atque etiam ſuos diſcipulos, cùm de hoc ſacramento loqueretur Ioan. 6. noluit comparare Melchiſedech, cum Chriſto Domino, in eo: ſed in aliis, ne omnino à Chriſti fide reiiceret, quos trahere volebat, cùm videret, quod ſi feciſſet mentionem de ſacramento, & ſacrificio Euchariſtiæ, potiùs ſibi ipſi, & ei, quod intendebat probare, nocuiſſet, quàm profuiſſet: quia volebat probare ſacrificium Melchiſedec & Chriſti eſſe præſtantius ſacrificium veteris

teſta-

teſtamenti, vnde omnes comparationes, quas adfert in epiſt. ad Hebr. 7. inter Melchiſedech & Chriſtum, quamuis ſint explicitè ſimplices, tamen implicitè duplices ſunt, prima in nomine ſcilicet, quod Melchiſedech interpretatur rex iuſtitiæ, vult dicere Melchiſedech fuit rex iuſtitiæ, ſacerdotes autem Aaronici, non fuerunt reges iuſtitiæ, ſed Chriſtus; ergo vos Iudæi debetis, relicta veteri lege, quam tenetis, ſumere legem Chriſti, quæ eſt ſecundum ordinem Melchiſedech. Idem Melchiſedech fuit rex Salem, id eſt, pacis, ſacerdotes autē Aaronici non fuerunt reges pacis, ſed Chriſtus ergo ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech præſtātius eſt, ac proinde debetis illud amplecti. Tertio Melchiſedech fuit ſine patre & ſine matre, & ſine genealogia: ſacerdotes autem Aaronici non fuerunt ſine patre & ſine matre & ſine genealogia, quia erant ſacerdotes iure hæreditario: ſed Chriſtus fuit ſine patre in terra, & ſine matre in cœlis, & ſine genealogia, quia generationem eius quis enarrabit: ergo cùm Chriſtus reſpōdeat Melchiſedech, debetis relinquere ſacerdotium & ſacrificia Aaronica, & amplecti ſacerdotium, & ſacrificium Chriſti: quia dicitur, *Tu es Sacerdos in æternum*. quartò idem probat, cùm ait, *Intuemini quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis, Abraham Patriarcha.* Hac ratione Abraham, ex cuius lumbis ſacerdotes Leuitici generis exierunt, dedit decimas de primitiis Melchiſedech, quamuis *de filiis Leui, ſacerdotium accipientes, mandatum habent, decimas ſumere à populo, ſecundùm legem, id eſt, à patribus ſuis*: ſed Abraham dedit decimas Melchiſedech, *& Leui, qui decimas accepit, decimatus eſt: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedech* Ergo Abraham dando decimas Melchiſedech, demonſtrauit ſacerdotium Leuiticum, ſeu Aaronicum, quod ex eo debebat deſcendere, ratione ſcilicet perſonarum, ſeu ipſorum ſacerdotū, eſſe inferius ſacerdotio Melchiſedech, & ſic debere cedere ſacrificio Chriſti, quod hic dicitur eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech. quintò idem probat, quod *ſine vlla contradictione, quod minus eſt à meliore benedicitur*; Melchiſedech autem benedixit Abrahamo, qui habebat repromiſſiones: ergo Melchiſedchc Abrahamo maior erat, & ſi ſacerdotium Chriſti, quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, præſtantius eſt Aaronico, quod repræſentabatur in Abrahamo: quamobrem hoc relicto, debetis illud amplecti. ſextò idem probat, ſi *conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat, populus enim ſub ipſo legem accepit, non neceſſarium eſſet ſecundum ordinem Melchiſedec alium ſurgere ſacerdotem, ſed ſecundum ordinem Aaron ſumi*; hoc autem neceſſarium hoc loco eſſe dicitur: *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, &c. ergo conſummatum non eſt per ſacerdotium Leuiticum, neque per legem Moyſis, quia tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt vt legis tranſlatio fiat. Quocirca cùm venerit ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, nempe Chriſtus, debetis illum amplecti, & ſacerdotium eius recipere. ſeptimò idem probat, & adhuc ampliùs manifeſtum eſt, hac ratione: ſacerdotes Leuitici erant mortales, & ſecundum legem mandati carnalis facti: ſacerdos autem, qui debebat exurgere ſecundum ordinem Melchiſedech, immortalis eſt ſecundum virtutem vitæ inſolubilis factus, *conteſtatur enim* inquit, *quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: ergo relicto ſacerdotio Aaronico, debetis amplecti ſacerdotium Chriſti, quod eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Octauò idem probat, quod reprobatio præcedentis mandati propter infirmitatem eius. & imbecillitatem (*Nihil enim ad perfectum adducit lex, introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.*) fit à Chriſto, per ſuum ſacerdotium, quia quando cum iureiurando per eum,

qui dixit ad eum, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, &c. factus eſt ſacerdos Chriſtus. *Alij autem ſacerdotes Leuitici ſine iureiurando, in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus* ergo debetis relinquere ſacerdotium Aaronicum, & venire ad ſacerdotium Chriſti, per quod proximetis ad Deum. Nonò idem probat, quod ſacerdotes Leuitici fuerunt multi homines infirmitatem habentes, non impolluti, non innocentes, non ſegregati à peccatoribus, neceſſitatẽ habentes priùs pro ſuis delictis ſacrificare, deinde pro populo: hic autem, nempe Chriſtus, vnus ſit, ex eo quod maneat in æternum ſacerdotium, qui quidem, Chriſtus ſcilicet, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlo factus, non habens neceſſitatem quotidie priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo, quia ſermo iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, conſtituit filium in æternum perfectum, ergo debet ceſſare ſacerdotium Aaronicum, & vigere, & creſcere ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech. Decimò idem probat c. 8. *nam ſi*, inquit, *illud prius*, ſacerdotium, & teſtamentum, *vacaſſet culpa*, hoc eſt habuiſſet ſatis viriũ ad delẽda peccata, *non vtique ſecundus locus inquireretur*, vt probat ex Ieremia 31. vbi dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda teſtamentũ nouum*, &c. *dicendo autem nouum*, inquit D. Paulus, *veterauit prius, quod autem antiquatur, & ſeneſcit prope interitum eſt*, ergo neceſſe eſt, vt ſacerdotium Aaronicum intereat, & nouum teſtamentum recipiatur. Vndecimò c. 9. idem, probat, cum poſtquam recenſuit conſtitutionem tabernaculi, & docuit, quod *in priori quidem illius tabernaculo, ſemper introibant ſacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem ſemel in anno, ſolus pontifex, non ſine ſanguine, quem offert pro ſua, & populi ignorantia, hoc ſignificante ſpiritu ſancto nondum propalatam eſſe ſanctorũ viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*, & poſtea ait, *Chriſtus autem per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta*; *Si enim*, inquit, *ſanguis hircorum, & taurorum & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti*, vnde paulò poſt ait, *non enim in manufacta ſancta Ieſus introiuit exemplaria virorum: ſed in ipſum cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis, neque vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta, per ſingulos annos, in ſanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, & quia ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium, ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Secundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem*, quibus quidem verbis, hoc intẽdit probare D. Paulus, illud ſacrificium præſtantius eſſe, & recipiendũ quod ſemel oblatũ, ſatis habet virium ad exhaurienda peccata, & emundandã conſcientiã noſtrã ab operibus mortuis, ad ſeruiendũ Deo viuenti, quàm illud, quod ſæpiùs repetebatur, & inquinatos ſanctificat ſolũ, ad emũdationẽ carnis: ſed ſacrificiũ Chriſti in cruce ſemel oblatũ, ſatis habet viriũ ad efficiendũ illud, non autẽ ſacrificia Aaronica, quia ſæpiùs iteratur, ergo ſacrificiũ Chriſti, ac proinde etiã ſacerdotiũ, præſtãtius eſt ſacrificiis Aaronicis, & ſic iis relictis debetis illud amplecti, quod etiam perſequitur c. 10. vnde hanc totã diſputationẽ in eodem 10. c. concludẽs, ait, *& omnis quidẽ ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdẽ ſæpe offerens hoſtias quæ nunquam poſſunt auferre peccata, hic autẽ* nẽpe Chriſtus, *vnã pro peccatis offerens hoſtiã, in ſempiternum ſedet in dextra Dei, de cætero expectans donec ponãtur inimici ſcabellũ pedũ eius:*

Digitized by Google

eius: vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Quocirca cùm ex iis conſtet D. Paul. in his cap. ſolum velle probare quatuor. Primum ſacerdotium Melchiſedech præſtantius eſſe Aaronico, ſecundò ſacrificia Aaronica, non delere peccata, legemque nihil ad perfectum adducere: tertiò illa ſacrificia, legemque debere ceſſare, & ſuccedere nouum taſtamentum, quod probauit ex Ieremia 8. cap. quarto denique, & præcipuè, ſacrificium Chriſti, & eius ſacerdotium eſſe præſtantius Aaronico, nec debuit, nec potuit facere mentionem de ſacramento, & ſacrificio Euchariſtiæ. D. enim Paulus voluit probare præſtantiam ſacrificij Chriſti, ſupra ſacrificia Aaronica, ex illius virtute & efficacia, quod ſcilicet, ſacrificium Chriſti ſemel factum in cruce, tantam virtutem habeat, & efficaciam, vt ſit ſufficiens ad delenda omnia peccata, *alioquin* enim inquit in fine, c. 9. *oportuiſſet eum frequenter pati ab origine mundi.* Sacrificia autem Aaronica, non eam vim habebant, quod hac ratione probat, quod ſæpiùs iterabantur, & repetebantur & ſingulis annis pontifex ſolus intrabat in ſancta ſanctorum. Quapropter cùm ſacrificium Euchariſtiæ ſæpiùs repetebatur, procul dubio ac liquidò conſtat ſi D. Paulus comparaſſet ſacrificia Aaronica, cum ſacrificio Euchariſtiæ, non ſolùm non probaſſet præſtantius eſſe ſacerdotium & ſacrificiũ Chriſti, ſacrificiis Aaronicis, ſed potiùs hoc omnino euertiſſet. Quare conſtat ſolùm facere mentionem de eo Chriſti ſacrificio, quod ab eo ſemel fuit oblatum in cruce, nec poſtea offertur, nec offeretur, quia *Chriſtus ſemel mortuus, iam non moritur:* ſed dicet aliquis Caluiniſta, ſi ſacrificium Chriſti in cruce ſufficiat ad delenda omnia peccata, quid nunc opus eſt iterare ſacrificium Euchariſtiæ, ſi ſit ſacrificium. Sed dicendum eſt cauſam, cur ſacrificium crucis non iteretur eſſe, quia vnica mors Chriſti fuit ſatis ſufficiens ad delenda omnia peccata: non autem iteratur ſacrificium Euchariſtiæ, quaſi dicamus ſacrificium crucis non fuiſſe ſufficiens: ſed vt applicetur nobis meritum iſtius ſacrificij in cruce, vnde non poteſt, nec debet iterari ſacrificium Chriſti ſatisfactiuum, quo pro nobis in cruce ſemel ſatisfecit: ſed poteſt & debet iterari ſacrificiũ Chriſti applicatium, quod ſcilicet inſtituitur, vt nobis applicentur infinita ſuæ paſſionis merita, ſicut etiam ad delendum peccatum originale, aliaque omnia præcedentia vnicuique noſtrum debet conferri baptiſmus, non quod paſſio Chriſti non ſufficiat; ſed, vt nobis per illud ſacramentum applicetur meritum ipſius paſſionis, quod idem dicendum eſt de aliis ſacramentis omnibus, quæ ſunt quidam riuuli, & canales, quibus meritum paſſionis nobis applicatur. Idem, vt D. Paulus melius efficeret, quid volebat, non debuit conſiſtere in iſtis riuulis; ſed recurrere ad fontem ipſum, vel ad ſacrificium crucis. Ex iis autẽ, quæ à D. Paulo attulimus, colligamus ſolutionem, ad quandam obiectionem Caluinianorum, dicũt enim, cùm D. Paulus nullam fecit mentionem de ſacrificio Euchariſtiæ, ſed ſolũ de ſacrificio crucis, ſolum comparare ſacrificium crucis, cũ ſacrificio Melchiſedech; non autem cum ſacrificio Euchariſtiæ: ſed hoc falſum eſt, quia vnũ & idẽ ſacrificiũ, cuiuſmodi fuit ſacrificium crucis, non poteſt comparari, cum duob. ſacrificiis omnino diuerſis, & toto cœlo inter ſe differẽtibus: ſed ſacrificiũ Melchiſedech, & ſacrificia Aaronica, toto cœlo inter ſe diſtãt: ergo ſacrificiũ crucis, non poteſt verè cum illis duob. comparari, cõparatur autem, cum ſacrificiis Aaronicis à D. Paulo eadem Epiſt. ad Hebr. 13. cùm ait, *quoniam animalium infertur ſanguis pro peccato, in ſancta per pontificem, eorum corpora cremantur extra caſtra: propterea quod, & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuũ ſanguinẽ populum, extra portam paſſus eſt.* Ergo D. Paulus locis ſuprà citatis, non comparat ſacrificiũ Chriſti in cruce, cũ

ſacrificio

Digitized by Google

ſacrificio Melchiſedech: ſed comparat Chriſtum cum Melchiſedech, vt cùm dixit, ſacrificium Chriſti eſſe præſtantius Aaronico, quod ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, cuius quidem ſacrificium probat c.7. eſſe Aaronico præſtãtius, & nobilius. deinde ſi D.Paulus compararet ſacrificium Chriſti in cruce, cũ ſacrificio Melchiſedech, aut non eſſet, aut eſſet neceſſe, vt Melchiſedech verè ſacrificaſſet, ſaltem ſemel, ſicut Chriſtus verè ſeipſum ſacrificauit, & obtulit patri ſuo pro nobis in cruce, aut certè comparatio nulla eſſet: ſed neque hoc Caluiniani concederent, quia fortiſſimè negant Melchiſedech omnino ſacrificaſſe, ne ſemel quidem, neque etiam veriſimile eſt ſacerdotem, cuiuſmodi erat Melchiſedech, ſolum vnum obtuliſſe ſacrificium: ergo, quod obiiciunt Caluiniani, nullius eſt momenti: & eſt abſurdum ſecundò colligimus ratione, quare D. Paulus ſolùm mentionem fecerit de vno ſacrificio Chriſti, videlicet in cruce. dicunt enim non eſſe quod dicamus, ſacramentum Euchariſtiæ eſſe ſacrificium, quod D.Paulus locis citatis, & præcipuè c.9. dicit Chriſtum ſemel ſe obtuliſſe ſed non ſequitur iſtud, quod dicunt, quod D.Paulus (vt ſuperiùs dictum eſt) fecit ſolùm mentionem de vno ſacrificio Chriſti, quod volebat probare illud eſſe præſtantius ſacrificiis Aaronis quod & vnum efficere potuiſſet, quod iſta omnia non poterant delere peccata. cum autem dicit, vnum fuiſſe ſacrificium in cruce, non excludit ſacramentum Euchariſtiæ à vera denominatione Chriſti, quod vnum, & idem eſſet ſacrificium, & ſolùm eſt ſacrificandi modus diuerſus. Tertiò colligimus, quare D.Paulus legis Euangelicæ ſolum videatur conſtituere vnum ſacerdotem, nempe Chriſtum, quaſi debeant eſſe plures ſacerdotes in lege Euangelica, ſicut in lege Moſaica: ſed cùm in iis locis, adhibeat nomẽ ſacerdotium in plurali legaliter loquitur de ſacerdotibus legalibus, ſeu veteris teſtamenti: & quemadmodum, cùm comparat ſacrificia inter ſe, confert vnũ crucis cum omnibus ſacrificiis, vel certè pluribus Aaronis ita etiã, cùm comparat ſacerdotes inter ſe ſolum Chriſtum confert cũ omnibus ſacerdotibus Leuiticis, & hoc quidem optimo iure: quod quamuis legis Euangelicæ ſacerdotes verè ſint ſacerdotes, tamen in hoc differũt à ſacerdotibus Leuiticis, quod iſti eſſent principes ſacerdotes: vnde D.Paulus vocat eos ſimpliciter, & ſine vlla adiectione ſacerdotes: ſacerdotes verò Euãgelicæ legis, nõ ſunt principes ſacerdotes, ſed ſacerdotes in æternum, vnde quodammodo non audet vocare Chriſtum ſacerdotem, vt conſtat ex illo loco, in fine c. 7. vbi ait, qui non habet neceſſitatẽ quotidie, vt ſacerdotes, prius pro ſuis delictis offerre hoſtias, vbi per iſtud nomẽ ſacerdotes, Leuiticos intelligit, non cõprehendendo Chriſtũ. Quartò colligimus ſolutionem alterius obiectionis, quam obiiciunt Caluiniani. D. Paulum ſolum comparaſſe Chriſtum, cum Melchiſedech; quod ſicut Melchiſedech ab eo initio c.7. nec initiũ dierũ, neq; finẽ vitę dicitur habere: ita ſacerdos in æternum ſit Chriſtus, quod nullum aliud ſacerdotiũ debeat ſubſequi ſacerdotiũ ipſius, quia hic eſt mos & conſuetudo D.Pauli, vt, cùm adfert teſtimonia ſacræ ſcripturæ, illis vtatur accommodatè ad id de quo diſputat, nõ tamen excludẽdo alios ſenſus, vt ad Rom.4. vbi citat hũc locum, Gen. 15. *credidit Abrahã Deo, & reputatũ eſt illi ad iuſtitiã*, tantam vim ponere in fide, vt ſine operibus ipſis ſatis ſit ad iuſtificationẽ, niſi & ipſe in aliis locis diceret, etiam opera eſſe neceſſaria, & D. Iacobus circa finem cap. 2. ſuæ Epiſtolæ, dum locum Gen. 15. refert ad opera, dicens: vis autem ſcire homo inanis, quemadmodum fides ſit, ſine operibus, otioſa, Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, Geneſi 22. offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare, & vides quomodo fides illius coope-

cooperabatur operibus illius,& ex operibus fides conſummata eſt,& completa eſt ſcriptura dicens,credidit Abraham Deo,& reputatum eſt illi ad iuſtitiam & amicus Dei appellatus eſt. Idcirco quandoquidem D. Paulus tum propter rem,de qua diſputabat; videlicet de fide,tum etiam propter ipſos mer. ad quos ſcribebat, ad eos ſcilicet, Iudæos, aut alios quoſcunque, qui fidem negligentes,totos ſe operibus legis adigebant, atque adiungebant, vt doceret eos fidem eſſe cum operibus coniungendam, vt ait D. Iacobus, & reduceret ad mediocritatem quandam, conatur attrahere ad extremum aliud. Sic etiam cum conatur velle demonſtrare hoc loco præſtantiam ſacrificij Chriſti, quod vnicum ſatis eſſet ad delenda omnia peccata; non debuit comparare ſacrificium Euchariſtiæ, cum ſacrificio Melchiſedech, quia iteratur; ſed ſolum attulit quæ erant ſibi neceſſaria, & non poſſunt obeſſe ſuæ cauſæ: vnde doctores omnes Catholici in hoc conueniunt, vt dicant ſacramentum Euchariſtiæ ſacrificium eſſe, vt D. Cyprianus in quadam epiſtola, & in libro aduerſus Iudæos: D. Auguſt. libro 7. de ciuitate Dei capite 12. & libro 18. capite 37. vbi poſito hoc ſacramentum ſcilicet Euchariſtiæ eſſe verum ſacrificium, diſputat contra Iudæos,& probat eos non ampliùs debere expectare Meſſiam venturum, ſed iam veniſſe,quia per totum orbem terrarum vnum offertur ſacrificium,Euchariſtiæ ſcilicet,quemadmodum Prophetæ prædixerunt,indicans in hoc D. Auguſt. nullam eſſe meliorem rationem interpretandi prophetias,quàm euentum,& conſummationem earum: quæ ipſi dicunt eſſe futura. Et quamuis Caluiniani dicant,eos doctores non legiſſe,aut ſaltem non percepiſſe mentem D.Pauli ad H. tamen hoc impudens eſt,&abſurdum,nam ipſi non ſolùm ex ea epiſtola decerpſerunt teſtimonia, ſed varia etiam & præclariſſima in eam ediderunt commentaria. Quocirca ſacramentum Euchariſtiæ verè eſt ſacrificium, & ideo Chriſtus dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis,confregit in die iræ ſuæ reges.

IN hoc verſu primùm videndum eſt,quis intelligatur per Dominus,an pater, an filius, quia cùm pater dixerit antea filio, *ſede à dextris meis*, non videtur Deum patrem hîc dici poſſe à dextris Chriſti, ſi enim filius ſit à dextris patris, pater videtur eſſe à ſiniſtris filij:vnde quidam doctores hunc locum ita ſunt interpretati, vt dicerent Dominum hoc loco ſignificare Chriſtum, vt ſit ſenſus: Dominus,id eſt, Chriſtus,ô pater,à dextris tuis, qui eſt à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges,quemadmodum Beda,Remigius, D. Auguſt. hoc loco: alij contrà, vt Arnobius, hoc loco dicunt, Dominum ſignificare Deum patrem, ſed non coniungunt, à dextris tuis, cum Dominus, ſed cum, confregit in die iræ ſuæ reges,vt velit Dauid dicere,Deus pater,ô Chriſte,confringet reges hoc eſt, principes terrarum, ſeu diabolos à dextris tuis in cruce, quod ex eorum poteſtate eripire latronem pendentem à dextris tuis in cruce: Alij denique dicunt, hæc verba eſſe patris, de ſeipſo per Heteroſim, quæ quidem figura frequentiſſima eſt in ſacris litteris,ſed iſta,non ſunt accomodata ad iſtum locum, quia ſuperiùs in explicatione primi verſus dictum eſt,iſta verba (a dextris) non debere propriè intelligi,ſed metaphoricè. Quocirca ſicut fuit Dauid, qui ſuperiùs loquutus eſt dicendo, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, & *Iurauit Dominus*,ita etiã eſt,qui nunc loquitur,vt dicat,ô Chriſte Deus Dominus,id eſt,

Deus pater,à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges, hoc eſt, numquam derelinquet te in periculo, ſed ſemper adiuuabit, ſicut dictum eſt in priori commate primi verſus,vt etiam accipitur Pſ.15.*Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper,quoniam à dextris eſt mihi ne commouear*,& aliàs etiam,vt ibi monuimus. Verum,cùm in paſſione Deus pater videatur receſſiſſe à dextris Chriſti, circa horam 9.vt habetur Matt.27.& Marc.15.*clamauit voce magna*.quod habetur initio Pſal.21. *Deus meus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti*, &c. Secundo loco interpretandum occurrit, confregit, quod quidem verbum, vt diſcedamus ab errore Hebræorum, qui hunc Pſalmum interpretantur de Abrahamo, vt ſuperiùs dictum eſt,qui vicit illos reges,de quibus fit mentio Gen.14. debemus interpretari, per futurum,id eſt, cõfringet, cùm enim ſuperiùs dictum ſit, hunc Pſalmum non poſſe intelligi niſi de Chriſto, & Dauidem eſſe qui loquitur,& cùm propoſuerit hunc verſum,neceſſe eſt vt ſit prophetia. hæc eſt autem propheticæ lex,vt verba præteriti temporis & præſentis,quibus ſæpe ad demonſtrandam rei certitudinem vtuntur Prophetæ, debeant interpretari per futurum, deinde verba quæ ſequuntur, alia ponuntur in præterito (vt bibit) alia in futuro (vt iudicabit) idem autem verbum Hebraïcum legitur, videlicet *Machas* quod vertitur,confregit,& conquaſſabit. Quare dicendum eſt, confringet, non quidem legendo,ſed interpretando. Tertiò, dies iræ propriè ſignificat hoc loco,diem extremi iudicij,quo quidem confringentur illi,qui noluerunt Chriſtum regnare ſuper ſe, vt ſuperiùs dictum eſt, cùm interpretaremur hæc verba (*donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum*) vt vocat D. Paulus initio c.2.ad Rom. cùm ait, *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei*, quemadmodum Apol. c. 6. in fine: *quoniam venit dies magnus iræ ipſorum*, hoc eſt, in quo Deus contra ipſos iraſcetur. Quartò per reges, per Synecdochem intelligit nationes quod poteſtea ſubdit, *Iudicabit in nationibus*. hoc eſt,nationes: quemadmodum Pſ.101. pro eodem accepit gentes,& reges,cùm ait, *Et timebunt gentes nomen tuum Domine,& omnes reges terræ gloriam tuam*: ſic etiam hoc loco pro eodẽ accepit reges & nationes,id eſt,populos.

Iudicabit in nationibus,implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.

IN hoc verſu duplex occurrit explicanda difficultas,altera de perſona,quę hîc loquitur,altera verò circa verborum interpretationem. Quod attinet ad perſonam quæ hîc loquitur,multi quidem & graues auctores,vt D. Auguſt. Beda, Remigius Lugdunenſis, hæc verba interpretati ſunt de Chriſto, & non de patre, quemadmodum & ſuperiorem verſum, vt ſuperiùs dictum eſt, ſed iſta interpretatio minus huic loco quadrat, quod præcedentia omnia de patre debeât intelligi: primò, *Dixit Dominus*: deinde, *Iurauit Dominus*: atque etiam præcedens verſus, vt dictum eſt: ideo cùm ſit continuata oratio, iſte etiam verſus debet intelligi de patre: adde quod ſi verſus iſte de Chriſto intelligeretur, quemadmodum ſuperiùs dixit, *Tu es ſacerdos* &c.ita debuiſſet hîc dicere, Iudicabis in nationibus, implebis ruinas, conquaſſabis capita. Quod cùm non fecit, accommodatiùs iſta verba ſunt intelligenda de patre, quàm de filio. Quod ſpectat ad interpretationem verborum, quatuor ſunt interpretanda, primum, iudicabit, ſecundum, in nationibus; tertium, implebit ruinas; quartum, conquaſſa-

conquaſſabit capita in terra multorum; conquaſſabit enim idem ſignificat, quod confregit, quod quidem ſuperiùs interpretati ſumus, dum idem verbum ponitur Hebraïcè. Quod attinet ad primum verbum, iudicabit, auctores ferè omnes, atque etiam Hebræi, dixerunt ſignificare, exercebit iudicium, neque ſolùm priuatim, aut in vno loco, ſed publicè & vniuersè: ſed quia ſcriptura ſacra non ſolùm debet exponi per ſimilia loca, ſed multò magis per loca propinqua tum præcedentia, tum ſequentia eam ſententiam quam interpretamur: cùm autem verba ſuperiùs poſita; confringere reges, & quæ ſequuntur, implere ruinas, & conquaſſaſſe capita, ſignificent quid maius quàm iudicium exercere, non eſt veriſimile, iudicabit hoc loco ſignificare ſolùm exercere iudicium, ſed aliquid maius, quia ſenſus minueretur, cùm potiùs augeri debeat. Quocirca dicemus, iudicare, hoc loco ſignificare, iudicãdo occidere, ſeu potiùs interimere, vt 15. Gen. Deus dixit Abraham, *Scito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligẽt quadringentis annis: verumtamen gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia.* vbi iudicare ſignificat non ſolùm iudicium exercere, ſed iudicando occidere, quod quidem euentus demonſtrauit: primò percuſſit Dominus, Exod. 11. omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat, vſque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum, deinde, vt legimus Exod. 14. *Inuoluit eos* (ſcilicet Ægyptios) *Dominus, in mediis fluctibus* cùm perſequerentur filios Iſraël per mare rubrum, & apud D. Paulum 1. ad Corinth. 11. *Quod ſi noſmetipſos diiudicaremus*, id eſt, probaremus, *non vtique iudicaremur.* id eſt, iuſto Dei iudicio non occideremur, quod ex ſuperioribus patet, quod dixerat, inter Corinthios multos dormire, id eſt, multos mortuos eſſe, quòd manducarent, & biberent indignè corpus & ſanguinem Domini. Quamobrem etiam hoc loco, iudicabit, ſignificat, iudicando occidet, & interficiet. Quod attinet ad ſecundũ, in nationibus, ferè omnes ſunt interpretati, apud gentes, ſeu nationes: quemadmodum Lucæ 1. *Benedicta tu in mulieribus*, id eſt, inter mulieres: ſed alius ſenſus magis quadrat huic loco, vt dicamus Hebraïcè præpoſitionem ב poni pro ה articulo: quemadmodum ſi Gallicè ponatur (*au*) vel (*aux*) pro (*le*) vel (*les*) quemadmodum in Pſalmo 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus.* quod non propriè diceretur, ſi diceremus (*nous inuoquerons au nom de noſtre Dieu*) ſed potius (*le nom de noſtre Dieu*) & Pſalm. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*, in quo quidem verſu præpoſitio Hebraïca, præponitur dictioni Hebraïcæ, quam noſter interpres vertit, facientes, non autem, in facientibus, ſicut præponitur dictioni: quam vertit, in malignantibus, & non malignantes. Quare etiam hoc loco cùm dicitur, iudicabit in nationibus, ſignificat, iudicabit gentes, ſeu nationes, quod quidem nomen duplicem vim habet, quia ſignificat non modò gentes, eas ſcilicet, quæ non erant Iudæi, ſed generaliter omnium gentium, & nationum multitudinem, ſiue ſint Iudæi, ſiue alij, quamuis cùm ſacra ſcriptura de Ethnicis loquitur, ſæpiſſimè etiam eos vocat gentes, cùm ſæpiſſimè etiam non intelligit ſolum Ethnicos, ſed etiam Iudæos, vt Pſalm. 2. *Quare fremuerunt gentes*, &c. quod quidem Actorum 4. interpretatur, & de Iudæis, & de Pilato & Herode, qui erant gentes. Quapropter etiam hoc loco nationes ſignificant, non ſolùm Iudæos aut gentes, ſed omnes tam Iudæos quàm gentes ſimul. Quod attinet ad tertium, quid ſcilicet ſignificet, implebit ruinas: quidam nimis al-

Significatio verbi iudicare.

legoricè hæc verba ſunt interpretati, quod Chriſtus ſiue Deus repleat ruinas angelorum, qui cum Lucifero in infernum deiecti ſunt, animabus beatorum. Alij dixerunt ſignificare reſuſcitare, quaſi dicat, iudicabit in nationibus, hoc eſt, occidet multas nationes, ſed implebit ruinas, hoc eſt, reſuſcitabit. Alij verò hæc verba accommodarunt vocationi gentium, de qua diſputat D. Paulus ad Rom. 2. quod ſcilicet Iudæi ſint veluti exciſi à fide, & vera religione, gentes autem impleuerunt ruinas Iudæorum; vnde iſti coniungunt (in nationibus) cum (implebit ruinas) non autem cum Iudicabit.) Alij autem, vt D. Auguſt. Beda, & Euthymius dixerunt hoc loco, implere ruinas, ſignificare Chriſtum, de eo enim hæc verba dicta intelliguntur, multos homines adducere ad pœnitentiam, quia peccata ſunt ruinæ quædam à gratia Dei; ideo implere ruinas, dicunt ſignificare, quod erat vacuum, & deſtitutum gratia Dei, replere eadem gratia, quod fit per pœnitentiam. Hebræi autem Rabbini, quia dictio Hebraïca גוית. ſignificat etiam cadauera, dixerunt quidam debere intelligi terram, & ſignificare implere terram cadaueribus; ſed hoc non poteſt fieri, quamuis ſit ſenſus accommodatus, quia cùm aliquid interpretamur, nihil debemus intelligere ſi fieri poſſit, vt ſenſus ſit perfectus & accommodatus nihil intelligendo, & præcipuè, ſi aliqui velint aliquod verbum intelligere de quo non ſit facta mentio ſuperiùs; vt R. Aben Ezra putat, addens ארץ putant quidam intelligi aliquid, ſed tamen ponendum relatiuum (eas) aut (eaſdem) quaſi dicat, iudicabit, ſeu occidet multas nationes, & eaſdem implebit cadaueribus: ſed verus huius loci ſenſus eſt, quem obſcurè ſignificauit Rabbi Solomon, vt cùm dictio Hebraïca גויה. ſignificet, & cadauera, & ruinas, hic cadauera ſignificet: cùm enim interpres noſter viderit duo eſſe huius loci ſignificata, fecit ſicut optimum decet interpretem, qui non debet tollere difficultatem, ſed relinquere, quia non eſſet interpres, ſed potiùs iudex. Quare quamuis nomen ruinæ Latinè non ſignificet propriè cadauera, tamen quia per metaphoram & ſimilitudinem quandam potiùs cadauera ſignificat: Cadauer eſt nomen ſicut ruina, vt patet ex verbo Hebraïco, & vtrumque ſignificat, optimè fecit vertendo ruinas, cùm nullum aliud magis accommodatum nomen haberet; implebit autem dicendum eſt ſignificare multiplicabit hoc loco, idem videlicet quod plenus, plena, plenum, ſæpiſſimè ſignificat in ſacris litteris, multus, multa, multum, quemadmodum Pſalm. 72. *Ideo conuertetur populus meus hic quia dies pleni inuenientur in eis* vbi, licet Hebræi nunc legant, aquæ plenæ, nihil tamen intereſt quoad hunc locum, quia pleni, aut plenæ hoc loco, idem ſignificant quod (multus) ſit etiam hoc loco, implebit, ſignificat, multiplicabit, vt ſit ſenſus, iudicabit in nationibus, hoc eſt, occidet nationes: implebit ruinas, hoc eſt, multiplicabit cadauera, quod Ezechielis capite 21. dicitur multiplicare ruinas. Quod attinet ad quartum, *conquaſſabit capita in terra multorum.* Hebræi nunc legunt in ſingulari, conquaſſabit caput in terra multa, aut multitudinis, Caluiniani hunc locum ſunt interpretati de Antichriſto, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, vt dicit D. Paulus epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. & Iſaias c. 11. in initio. ſed cùm iſti ſequantur in apponendis ſcholiis Gallicis Bibliis vocabulum, quod ſequitur etiam R. Dauid, non debebant hoc loco, tam facilè diſcedere à verbis magiſtri, quia ipſe Rabbi Dauid verbum Hebraïcum ראש interpretatur, & caput, & capita, tum in ſingulari, tum in plurali. Quocirca Septuaginta interpretes in noſtrum ſenſum reſpicientes, verterunt capita in plurali, deinde hoc nullomodo poteſt intelligi de Antichriſto, quia

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus eum interficiet, vt ait D. Paulus, & Iſaias, locis citatis, non autem pater. Superiùs autem dictum eſt iſtos verſus accomodari patri, non Filio: adde etiam quod ſi iſti verſus de Chriſto etiam intelligerentur, non poſſent intelligi de Antichriſto, quia Chriſtus eum interficiet, ſed non in terra multa, ſed in terræ ſpatio, quantum poterit corpus ipſius occupare. Quare Caluinianorum interpretatio reiicienda eſt omnino. Hebræi autem hunc locum multis etiam modis interpretantur, alij enim dicunt, conquaſſabit capita multorum, hoc eſt, occidet multos homines in terra, vt capita per Synecdochen, ſignificent homines. alij dicunt nomen Hebraïcum רבה. quod noſter interpres terram vertit, ſignificare & eſſe nomen proprium cuiuſdam ciuitatis regni Iudæ, ſeu populi Iſraël, quæ ſic vocabatur, cui quidem vrbi propter frequentiſſimam idololatriam in ea exercitatam, frequentiſſimè minatur Deus per Prophetas: quemadmodum Amos c. 1. circa finem, *Et ſuccendam ignem in muro Rabba. & deuorabit ædes eius, in vlulatu in die belli, & in turbine, in die commotionis*. & Ezechielis 21. *Viam pones vt veniat gladius in Rabba filiorum Ammon, & ad Iudaam in Ieruſalem munitiſſimam.* & Ieremiæ 49. in initio, *Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & auditum faciam ſuper Rabba filiorum Ammon fremitum prælij. & erit in tumulum diſſipata, filiaque eius igne ſuccendentur, & poſſidebit Iſraël poſſeſſores ſuos, ait Dominus.* ita vt ſit ſenſus, conquaſſabit capita in terra multorum, ſeu multos homines in illa vrbe: ſed iſte ſenſus non ſolùm non eſt recipiendus quod noſtra verſio à Concilio Tridentino approbata in eum ſenſum verti non poſſit, ſed multò magis etiam quod eſſet contra mentem Prophetæ, quod ipſe volebat magis exaggerare, & amplificare ſtragem: quod ſi intelligeretur de iſta vrbe, tantum abeſt, vt amplicaret, quin potius contingeret, quod ſuperiùs dictum eſt, confringet reges, iudicabit in nationibus, implebit ruinas, ſeu multiplicabit cadauera, quæ quidem omnia magnam ſignificant ſtragem, neque ſolùm in vna natione, ſed in pluribus, aut potiùs omnibus. Quamobrem iſtud conquaſſabit capita, non debet reſtringi ad vnam tantùm vrbem. Alij præterea vt Rabbi Abraham, dicunt hoc loco in terra multa, ſic enim nunc legunt, vt dictum eſt, ſignificare terram, quæ non eſt inſula, ſed hæc etiam interpretatio, non placet, propter eandem rationem, quod Propheta vult amplificare ſtragem, ſed tantum abeſt, vt cùm ſcriptura ſacra vult ſignificare vniuerſum orbem terræ, dicat terram, quæ non eſt inſula, quin potiùs, cùm ponitur nomen inſulæ, in ſacris litteris, ſæpe ſignificet vniuerſam terram, quia inſulæ ſunt in extremis partibus terræ, quemadmodum Iſaiæ 44. cùm dicitur, *Iubilate extrema terra*, ſignificat totam terram, & apud eundem cap. 41. *Viderunt inſulæ. & timuerunt, & extrema terræ obſtupuerunt, appropinquauerunt, & acceſſerunt* & cap. 42. *nec erit triſtis, neque turbulentus donec ponat in terra iudicium, & legem illius inſulæ expectabunt*, & initio capitis 49. *audite inſulæ. & attendite populi de longe*, Idcirco cum per inſulæ nomen in ſacris litteris ſignificetur tota terra, & velit, hoc loco Propheta ſignificare totam terram, per terram multam, non debent inteligi hæ terræ partes, quæ non ſunt inſulæ; ſed potius è contra. Alij, vt Rabbi Salomon dicunt, hoc ſignificare idem, ac occidet homines illos, qui ſunt capita, id eſt, reges in terra multa, hoc eſt, in multis nationibus. Alij præterea, qui non Hebraïci ſunt, dicunt terram multorum, hoc loco, ſignificare terram ſpatioſam, & latam; ſed iſta omnia non videntur explere totum ſenſum huius loci, & mentem Prophetæ, quia ipſe volebat dicere, per totum orbem terrarum. Quare dicemus dictionem multus, ſæpiſſimè præſertim, & Hebraïcè etiam

Digitized by Google

ſignificare vniuerſus, vniuerſa, vniuerſum, ſeu omnis, aut omne; quemadmodum, cùm ait Chriſtus, Matth. 27. & Marc. 14. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur*, id eſt, pro omnibus, & cùm etiam ipſe, ait, Matth. 20. & 22. *multi ſunt vocati, pauci vero electi*, multi, ſignificat idem, quod omnes, ſeu vniuerſi, quod eodem capite 22. adfert parabolam hominis regis, qui præcepit ſeruis ſuis, vt vocarent omnes ad nuptias, & D. Paul. 1. ad Timoth. 2. idem, ait, velle Deum omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, & Hebræorum 9. in fine, ait, Chriſtum ſemel oblatum eſſe ad multorum exhaurienda peccata, id eſt, omnium. Quocirca hoc etiam loco terra multorum ſignificat totum ſiue vniuerſum orbem terrarum, hoc eſt conquaſſabit capita, id eſt, occidet homines in vniuerſa terra.

De torrente in via bibit propterea exaltabit caput.

QVOD attinet ad hunc poſtremum verſum huius Pſalmi, quæ ſunt difficultates explicandæ: vna, an de Patre, an de Filio intelligatur hic verſus: ſecunda quiſnam ſit ſingulorum verborum ſenſus, quas quidem ambas difficultates ſimul perſequemur. Huius itaque verſus variæ ſunt interpretationes. Hebræi quidem, quamuis eorum opiniones falſæ ſint, tamen non erit inutile eas recenſere, vt ex illis aliquid boni colligamus. Illi qui hunc Pſal. interpretantur de Abrahamo, dicunt, de torrente in via bibit, ſignificare omnium rerum abundantiam, & terræ ſummam fertilitatem; quæ quidem interpretatio, licet ſit falſa, & abſurda, tamen ex ea diſcimus ſcripturam ſacram ſæpiſſimè, per multitudinem aquæ, ſignificare terræ fertilitatem, quia cùm ex calido & frigido fiat omnis generatio, quidquid ſeminatur poteſt irrigari quando ſunt aquæ, & idcirco terra facilè producit fructus: quemadmodum Iſaiæ c. 44. *Diffundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta*, &c. & v. 12. eiuſdem, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris*. Numer. 14. *Fluet aqua de ciſterna eius, & ſemen illius erit in aquas multas*. & Deuter. cap. 18. *Dominus Deus introducet te in terram riuorum, aquarumque, & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi, terram frumenti*: ſed ſenſus iſte falſus eſt, propterea quod ſuperiùs dictum eſt, hunc Pſalmum non poſſe intelligi de Abrahamo, deinde, licet totus Pſalmus de Abrahamo intelligeretur, tamen iſta interpretatio nulla eſſet, quia cum ſuperioribus verſibus exaggerata fuerit cædes, quantum fieri potuit, quorſum modò diceret, terra erit illi fertilis. Alij, vt refert Rabbi Aben Eſra, qui hunc Pſalm. de Dauide interpretantur, dicunt, de torrente in via bibere, ſignificare hoc loco, hoſtes Dauidis, ita eum relinquere ſine timore, & ſecurè, vt poſſit ante illos bibere de aquis, quotieſcunque volet, ſed hoc etiam falſum eſt, quia etſi ipſe Pſalmus de Dauide intelligeretur, tamen hic ſenſus non eſſet accommodatus, quia minus eſt bibere ſecurè ante hoſtes ſuos, quàm conquaſſare capita, cùm tamen velit magis ac magis exaggerare ſtragem. Alij verò dicunt de torrente in via bibit, ſignificare aquas ita abundanter, & crebrò defluxuras in via, vt Dauid non deſideret bibere de aquis, quemadmodum olim deſiderauerat, 2. Reg. 13. & 1. Paralipom. c. 11. dicens, *Si quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem iuxta portam*. Alij verò, vt quidã Caluiniani, dicunt, de torrente, &c. ſignificare, cùm Dauid fugiet Saül, non fugiet ad torrentem, ſed ad deſerta, vt Helias in torrẽte Edrith, vt habetur 3. Reg. 17. aut alibi; ſed reſpodeo,

primò

primò iſte Caluinianus,qui confitebatur ſe eſſe Chriſtianum,& habere veritatem Euangelicam,incognitam à tempore Apoſtolorum, vſque ad hoc noſtrum tempus (Caluini) non debebat hunc Pſalmum,neque adeo hunc locum interpretari de Dauide,quia hoc eſt expreſſe negare eum interpretari de Chriſto, eſt etiam negare Euangelium,& verba ipſius Chriſti,quia vt diximus initio,docet hunc Pſalmum intelligi de ſe,& ex iſto Pſalmo probat ſuam diuinitatem,itaut Iudæi obmuteſcerent:deinde licet iſte Pſalmus intelligeretur de Dauide,tamen eſt prophetia,non autem hiſtoria.Quocirca cum Dauid fugiſſet Saül antequam hunc Pſalmum ſcripſiſſet, ſiue de ſe, ſiue de alio, non poteſt eſſe vera iſta interpretatio. Tertiò tantùm abeſt , vt hîc agatur de fuga eius, de quo hæc verba intelliguntur, vt potiùs agatur de maxima & ſumma potentia , quemadmodum conſtat ex duobus ſuperioribus verſibus. Quare iſta interpretatio omnino eſt abſurda.Alij verò dicunt,de torrente in via bibit,ſignificare tantum ſanguinis effudit, vt de torrente ſanguinem poſſit bibere , quod quidem magis eſt huic loco accommodatum, quia auget ſtragem. Chriſtiani verò omnes doctores hunc locum ſunt interpretati de Chriſto , ſed tamen vario modo , D. Auguſt. Remigius, & Beda, tum etiam Magiſter ſententiarum,per torrentem, intelligunt , mortalitatem noſtram. Alij verò , vt Cyprianus in ſermone de cœna Domini , & Hieronymus in Commentariis in Pſalmos , Bernardus in ſententias,& inter Græcos Theodoretus, atque etiam Ambroſius in Commentariis, per torrentem intellexerunt,aut vehementem iram Iudæorum, qua Chriſtus fuit cruci affixus , quod ita vehemens fuit ſicut torrens , aut ipſam paſſionem, quam ſæpiſſimè Chriſtus vocat calicem , quem bibiturus erat , aut denique multum ſanguinis, quem pro nobis effudit. Sed Caluinus, non contentus iis ſcholiis,quæ ſui appoſuerunt Bibliis Gallicis,dixit,de torrente in via bibere, hoc loco ſignificare eſſe ſtrenuum militem , vt milites Gedeonis , vt habetur Iudic.7.qui ſtrenuiores erant,biberunt de torrente. Egregia ſanè & digna tanto viro interpretatio , qui veritatem Euangelicam antea occultam cum hominibus habitare fecit:ſi enim bibere de torrente ſignificat ſtrenuum militem, quare Deus dixit Gedeoni,vt præciperet toti multitudini militum,qui flexo poplite , & pleno ore biberant, vt redirent in tabernacula ſua. Quapropter , cum milites Gedeonis & boni & mali de torrente biberint,atque mali magis quam boni , certè hoc exemplum potiùs facit contra Caluinum , quàm probet ſuam interpretationem. Præterea oratio quæ deberet augeri decreſceret, quaſi diceret , confregit reges , & quaſſabit capita , & iudicabit, ſeu occidet nationes, & Dauid,erit ſtrenuus miles,idem eſſet,ac ſi diceret regem Galliæ viciſſe omnem terram poteſtate , ac occidiſſe minimum ex ſuis ſubditis , quod abſurdum eſt, cùm ſcilicet , volumus aliquid magni facere , adiungimus aliquid in comparatione , quod minus ſit præcedentibus. Ideo hæc interpretatio eſt adhuc abſurdior illa ſuperiore , quam attulimus ex quodam Caluiniano, mos enim eſt , vt inter hæreticos, diſcipulus ſit doctior magiſtro. Per viam autem omnes ferè intelligunt vitam hanc,interpretantes verſum hunc de Chriſto: ſed vnus Gregorius ſingulariter dixit viā ſignificare obiter,quod Chriſtus ſolùm obiter biberit de torrente mortis , quod tertia die reſurrexerit , & propterea exaltarit caput, quemadmodum veteres intellexerunt , quia Chriſtus *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis,propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen , quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* in iis autem interpretationibus huius

Paraphraſis in Pſalm. CIX. Dixit Dominus Domino meo.

D*IXIT Dominus* Deus pater (inquit Dauid) ſpiritu prophetico eructans, Verbum bonum *Domino meo*, Chriſto ſaluatori noſtro; *ſede à dextris meis*, id eſt, regna eminentiori quaſi gradu, quàm ego ſcilicet quod officiũ & adminiſtrationem Eccleſiæ: *donec ponam*, ego Deus pater, ſubiiciam, *Inimicos tuos*, diabolum & mundum, & quia de regno Chriſti agitur, quicumque nolunt Chriſtum regnare ſuper ſe, *ſcabellum pedum tuorum*: Ita vt nullo modo ampliùs ſint rebelles. *virgam virtutis tuæ*, hoc eſt ſceptrum & poteſtatem in regnando, *emittet Dominus*, Deus pater, *ex Sion* ſtirpe Ieſſe humili, licet non omnino ſubuerſa; *dominare* & dominaberis *in medio inimicorum tuorum*, ita ſecurè, vt nemo niſi velis, poſſit nocere, ac ne quis putet principem te in tempore factum, *tecum principium*, id eſt, tecum principatus, *in die virtutis tuæ*, à die æternæ generationis, *in ſplendoribus ſanctorum*, in luce illa inacceſſibili diuinitatis tuæ, veſtimento tuo, *ante luciferum*, inquam ab æterno, *genui te*. prædeſtinaui te, *ex vtero*, Beatæ Virginis naſciturum in tempore, nec ſolùm naſciturum, ſed ex vtero chariſſimum naſciturum; & ad pollicitationis ſuæ firmitatem & immobilitatem, *Iurauit Dominus Deus*, pater per ſemetipſum, *& non pœnitebit eum*, nec de æterna prædeſtinatione in principem, nec de legitima conſtitutione in pontificem maximum noui teſtamenti & æterni. *Tu es* itaque, ô Chriſte fili mi, *Sacerdos* conſtitutus à me *in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* vt eodem ritu ſacrorum quo ipſe Melchiſedech ſacrifices, ne-ve tangare difficultate rerum agendarum. *Dominus* pater *à dextris tuis* ſemper aderit, prouidebit in conſpectu tuo ne commouearis, *& confregit*, id eſt, certò confringet & præſertim *in die iræ ſuæ* æterni iudicij, ſummo & ſupremo diſcrimine rerum, *reges*, nationes & populos qui noluerunt te Chriſtum regnare ſuper ſe. *Iudicabit* iudicando pœnas repetet, *in nationibus* omnium gentium nationibus, *implebit ruinas*, multiplicabit cadauera ſeu ſtrages occiſorum: *conquaſſabit capita in terra multorum*, in vniuerſa terra ſternet homines ſolo penitus concuſſos & conquaſſatos, atque adeo tanta erit ſtrages hominum, vt *de torrente in via* latè per arua fluentis ſanguinis *bibat* victor ſi volet, & ſitim leuabit: *propterea* cùm tantam fecerit ſtragem, vt poſuerit ſcabellum pedum Chriſti inimicos eius, *exaltabit caput*, pacificè regnando cœlo caput tollet, cùm antea regnare non videretur.

Digitized by Google

IOANNIS MALDONATI, SOCIET. IESV THEOLOGI, AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM LVDOVICVM BORBONIVM MONTISPENSERII DVCEM, *Epiſtola. De collatione ac diſputatione cum Sedanenſibus Caluiniſtis.*

SCRIPSI ad te breuiter Chameriaco tum, cùm Metas illinc diſcederem, quo caſu factum eſſet, vt Lutetiam quemadmodum optabam, redire non poſſem, vt rationem tibi eius profectionis redderem, quam tuo imperio ſuſcepiſſem. His verò diebus cùm reuertiſſem domum, nec te hic vt ſperabam inueniſſem, nullaque certa ſpes eſſet aduentus ad nos tui, faciendum mihi putaui litteris id, quod verbis me coram facturum promiſeram. Acceſſit quòd poſt reditum huc meum multi ad nos de noſtra profectione incerti & obſcuri ſermones ferebantur, ac verebar, ne ſi ad te quoque antequam ex me rem omnem cognouiſſes, permanarent, falſis opinionibus imbuerent animum tuum, & ancipiti ſolicitudine vexarent. Quod ſi illud quoq; his litteris effecero, vt qui varios temerè rumores diſſipant, cùm miſſi amiſſiq; Hu. Roſetij cauſas cognouerint, ſingularem in te prudentiam & pietatem laudent, leuiſſimam in illo perfidiam & vanitatem accuſent, in me verò ſi nihil laude dignum putent, meum certè erga te officium non deſiderent: feram æquiore animo caſum illum, qui etſi priuauit me tuo gratiſſimo conſpectu, ſcribendi tamen mihi neceſſitatem attulit. Miſiſti ad Bulloniam principem filiam tuam Hug. Roſerium mea quidem ſententia, neceſſariò, piè, atque prudenter. Nam cùm ille nouus vt opinor Helcheſita bis iam a Carolo humaniſſimo rege, primùm quidem læſæ maieſtatis, deinde violatæ religionis factus reus, mortis ſupplicium te potiſſimum auctore deprecatus eſſet, ſcripſit filiæ tuæ Bulloniæ, quibus adductus rationibus ad noſtram religionem deſerta Caluinianorum hæreſi ſeſe tranſtuliſſet, eàmque vt idem faceret hortatus eſt, non tam animo fortaſſis & voluntate, quàm vt ficta officij ſimulatione ſuam tibi ac regi fidem probaret, gratiamque veſtram vtriuſque aucuparetur. Eam Epiſtolam cùm Bullonia legiſſet, reſcripſit ad te, rogans vt Roſerium Sedanum ad ſe mitteres, velle ſe eum de religione noſtra diſſerentem audire, à quo priùs maxima ex parte religionem alteram didiciſſet. Neceſſe tibi fuit morem gerere filiæ voluntati quæ propenſior eſſe quàm ſolebat ad veritatem videbatur. Pietatis verò fuit tuæ rationes tentare omnes, omnes vias perſequi etiam difficiles & periculoſas, vt chariſſimæ filiæ, cui mortalem vitam contuliſſes, opem ad ſempiternam ſalutem ferres. Feciſti autem prudenter & cautè, quod hominem perfidum & ab hæreſi recentem noluiſti pietatis & religionis doctorem mittere,

nisi

niſi adhibito aliquo fideliori ſocio, qui & teſtis & moderator rerum eſſet omnium, quæ ab eo illic agerentur. Me igitur illi comitem nihil minus cogitantem adiunxiſti. In qua te vna erraſſe te omnes, qui me nouerunt facilè iudicarent, niſi intelligerent iidem, non ideo me ex tanta doctorum hominum multitudine, quanta Pariſiis erat, delectum à te fuiſſe, quod aptiorem eſſe aliis ad eam rem agendam exiſtimaueris, ſed quòd promptiorem ad obſequendum neminem inueneris. Ac verè vt dicam recepi gaudenti libentíque animo mandata tua, non alia quidem cauſa, quam vt filiæ tuæ ſaluti conſulerem, tibíque cui Societas noſtra debet plurimum, ea in re potiſſimum gratificarer, quam videbam & per ſeipſam id a me tacitè poſtulare, & tibi maxime cordi eſſe, & optimè cum meæ vitæ rationibus conuenire. Nam etſi Roſerij ducis mei præuaricationem fugámq; prouidebam, tibíque ipſi ante noſtrum à te diſceſſum, cum apud Bernardinos monachos eſſet, prænuntiaueram, tamen malui exiſtimationem meam ex perfidioſi hominis fide eſſe ſuſpenſam, eámque in alieno peccato periclitari, quàm aut aliquam partem prætermittere officij erga te mei, aut vllam tardi in parendo animi ſignificationem dare. Roſerius tam libens, vt multis rebus ſignificabat, iter illud Germaniam verſus ingrediebatur, quàm inuitus me eius itineris ſocium habebat. Itaque cùm Pariſiis adhuc eſſemus, nóſque ad iter duobus antè diebus compararemus, multis rationibus conatus eſt me ab ea profectione reuocare. Obſeruabam in illo homine orationem, ſi de religione loquebatur, ambiguam, ſi de rebus aliis vanam, caput obſtipum & argutum vultum ſubpallidum & triſtem, qualis ſolet eſſe hominis aliquid flagitij meditantis, taciturnitatem incredibilem, inceſſum quoque ipſum aut furentis, aut omnia vndique metuentis, nihil in eo denique videbam, quod mihi aut cuiquam bono placere poſſet, quódque non animum ægrum & alicuius ſibi ſceleris conſcium indicaret. Ferendam tamen putabam illam quaſi teneram infantiam noui Catholici, conueniendúmque eſſe priſtinis Caluiniani miniſtri motibus, qui ſe adhuc in eo quantumuis celare niteretur, oſtendebant. Itaque quanto ille ſtudio Catholicam religionem ſimulabat, tanta ego diligentia diſſimulabam meam de illa eius ſimulatione ſententiam. Quod eò magis faciendum mihi eſſe iudicabam, quòd videbam hominem Theologorum præceptis non inſtructum, & in veterum auctorum libris minimè verſatum, non tam vitio multis in rebus, quàm aut ignoratione veri, aut curſus errore falli, multaque quotidie diſcere, quæ antè contrariis opinionibus occupatus, neque diligenter quæſiuiſſet, neque vlla cum patientia audiuiſſet, neque vacuo liberóque animo æſtimaſſet. Quæ res ſpem mihi aliquam afferebat fore, vt ſi diu nobiſcum commoraretur, partim dies, partim doctorum hominum conſuetudo, maximè verò diuina illa Spiritus ſancti vis & efficentia, quæ ſe vberius in Eccleſiam catholicam effundit, omnes paulatim ex eius animo errorum fibras euelleret. Rogarat me Borbonius Cardinalis coram te paucis antè diebus vt Condæo, vbi vidua vxor iam mortui Condæi principis erat, iter haberem, eámque principem ad veram religionem inſtituerem, quod me facturum te approbante reſponderam: Sed neſcio quis illi delator dixit mutaſſe me voluntatem, neque habere in animo iter Condæo facere, itaque hora vna antequam diſcederemus mittit ad me nuntium vt ſignificet effecturum ſe, vt iuſſu regis vrbis exitu prohibear, niſi fidem ſibi dem meam viſurum me obiter Condæam principem. Annui libentiſſimè, nam neque volebam Cardinali, quod & per ſe honeſtum & tibi gratum eſſet petenti, non parere; neq;

poteram tanto principi regis mihi imperium minitanti repugnare. Ergo iter Condæum direximus, eóque loco ab optima principe comiter ſimul & liberaliter, recepti domo duos dies manſimus, eóſque totos in expediendis variis de religione quæſtionibus, quæ ſummo ingenio ab ea proponebantur, pene conſumpſimus. Magnam equidem ex ea re voluptatem capiebam, quòd fructum non exiguum laboris noſtri oculis cernerem. Nam & princeps, & qui in eius erant familia, audiebant auidè quæ à nobis de religione dicebantur & comprehendebat animo facilè mulier acris & intelligentis iudicij, & errores in quibus ab ineunte ætate verſata fuerat, dolenter agnoſcebat, & maxima lætitiæ ſignificatione veritatem approbabat. Quare fateor ſanè me vrgente curſore tuo, qui nobis itineris dux erat, citius quàm volebam manum (vt dicitur) de tabula mouiſſe, & inuitum ex eo loco contraque meam opinionem diſceſſiſſe. Habebamus à te mandatum ne Sedanum ingrederemur, ſed Macerias diuerteremus quæ vrbs eſt in extremis Galliæ finibus, cincta Moſa flumine à Sedano verſus Septentriones ſedecim millibus paſſuum diſſita, & ante duos annos Caroli regis nuptiis nobilitata: eò venturam eſſe dicebas Bulloniam filiam tuam, vt in ciuitate veræ religionis amantiſſima remotaque à miniſtris Caluinianæ ſectæ, qui ſe multi Sedanum ex recenti clade receperant, ſolos aliquando veritatis doctores audiret, quæ tam diu miniſtros erroris ſolos audiuiſſet, quominus, ne verum inuenire, impediretur. Fecimus ita vt iuſſeras, & quidem non negligenter, nam centum quinquaginta paſſuum millia quatriduo confecimus. Cùm ad Remorum vrbem veniſſemus, miſimus rectà Sedanum via curſorem tuum, qui tuas litteras ad Bullonium ducem, & Bulloniam filiam tuam ferret, eóſque de noſtro Macerias aduentu certiores faceret, nos iter Macerias deflreximus vt ibi Bulloniam expectaremus. Poſtridie autem quam eò peruenimus, nuntius, quem miſeramus, redit ſolus, litteras nobis Bullonij afferens, in quibus erat; Non poſſe Bulloniam Macerias venire, quòd ab ea vrbe præter regis abeſſet: Sed eſſe prope Sedanum ad ſex paſſuum millia oppidum Chameriacum intra Galliæ regnum, in quo caſtrum eſſet amplum & bene munitum Cucij viri Catholici ac nobilis, ex equeſtri ordine Diui Michaëlis eò Bulloniam venturam ſi vellemus. Addidit tabellarius famam Sedani eſſe, duos miniſtros cum ea venturos vt nobiſcum diſputarent. Statim vt litteras legimus Chameriacum contendimus remiſſo Sedanum nuntio, qui aduentum noſtrum ſignificaret. Poſtero verò die Bullonia venit, nobiſque ad ſe accerſitis, & perhumaniter ſalutatis gratias agit, quòd nos ipſius cauſa tam difficili & alieno tempore in viam dediſſemus, continuò oculos ſimul & orationem ad Roſerium conuertit, eúmque leuiter accuſat deſertæ religionis, dicens in primis oportere vt omnia refellat quæ-ve voce quæ-ve ſcriptis libris docuiſſet. Reſpondit Roſerius non vt ego quidem volebam conſtanter, fortiter, & apertè: ſed timidè, cautè, pedetentim, ambiguè, excuſans potiùs nouum factum ſuum, vnde, ſi in eo perſtitiſſet, maximam apud omnes bonos laudem conſequutus eſſet, quàm accuſans veterem errorem, ob quem non ſumma vituperatione ſolùm, ſed extremo quoque ſupplicio dignus erat. Nullum in eius oratione verbum hominis antè actæ vitæ culpam deteſtantis, nullum doloris ſignum, nullum præter vocem, quam ad mentiendum effingebat, indicium animi probè affecti erga religionem. Quod idem & in aliis eius ſermonibus, quos in regia Pariſiis habuit, alij perſpexerant; & ego non in ſermonibus ſolùm, & in ea epiſtola quam ad Bulloniam principem miſerat:

ſerat: Sed in moribus; in ore etiam ipſo, in oculis, in toto geſtu corporis animaduerteram. Cùm autem dicendi finem feciſſet, Bullonia chartam explicat, in qua ea religionis capita ſcripta erant, quæ credere iubebantur, qui ex Remorum Diœceſi ad Eccleſiæ catholicæ communionem recipi vellent, méque rogar vt ea vera eſſe doceam, & vt de imaginibus primum dicam. Dixi quàm breuiſſimè & quam accommodatiſſimè ad fœminam potui: Cúmque confiteretur ſe non poſſe meis argumentis reſpondere, rogaui vt ex iis, qui adſtabant (in quibus mihi perſuadebam miniſtros eſſe nonnullos) iuberet aliquem pro ſe loqui. Tunc illa, Nemo eſt, inquit, hic qui litteras nouerit. Reſpondeat inquam ergo pro te Roſerius. Cumque ipſe quoque Roſerius eò deductus eſſet, vt quid diceret pro ea cauſa quam defendendam ſuſceperat, non haberet, iubet me Bullonia de Euchariſtia diſſerere. Quod ego me facturum dixi, ſi prius confiteretur noſtram de imaginibus ſententiam eſſe veram. Cúmque cunctantem eam & quaſi verecundantem Lucius vidiſſet, qui contra me ſedebat, oculis mihi ſignificauit, ne ampliùs vrgerem, itaque de Euchariſtia cœpi dicere: Ac principio monui inter nos & Caluiniſtas in ea diſputatione omnem quatuor de rebus diſſenſionem eſſe, an corpus Chriſti in eo ſacramento reipſa veréque eſſet: an panis in corpus Chriſti conſecratione mutaretur: an ſacrificium eſſet verum, quod vim haberet peccata remittendi; poſtremò de vſu ac ceremoniis qua parte communionem vna aut duplici ſacramenti ſpecie comprehendebam. Primam diſputationis partem & omnium grauiſſimam eſſe & natura primam, quòd ab eius explicatione aliarum quoque explicatio pendere videretur, quare de ea primo loco ſi vellet dicendum nunc eſſe. cùm ſe velle affirmaſſet, cœpi eam vt antè breuiter rogando paulatim & ſenſim in diſputationem inducere. Cúmque ſimiliter progreſſa paululum diſputatione hæſitaret, excuſarétque ſe fœminam eſſe ac litterarum rudem: Quid? inquam ego, nonne tum cum à noſtra religione deceſſiſti & fœmina eras, & rudis litterarum? Cur ergo tunc argumentis miniſtrorum victa veterem religionem deſeruiſti, nunc contrariis victa rationibus nouam non deſeris? Æquum erat vt quemadmodum tum non adhibito vllo catholico doctore miniſtros audiuiſti, eiſque quia reſpondere non poteras credidiſti, ita nunc non adhibitis miniſtris catholicos doctores audires, iiſque ſi reſpondere non poſſes crederes. Sed ageſis vt ipſa tibi magis ſatisfacias, iube miniſtrum aliquem reſpondere. Nemo, inquit, miniſter hic eſt. Fac inquam aduocentur, aut permitte vt ipſe eò me conferam vbi ſunt. Accipit conditionem libenter, iuſſitque continuò vnum quendam ex iis qui aderant expeditum equitem Sedanum recurrere, & miniſtros duos aduocare. Quæ res quantum mihi lætitiæ, tantum Roſerio metus & doloris attulit, itaque cùm ad hoſpitium noſtrum cœnandi cauſa rediremus, multis verbis ſuum mihi timorem declarauit. Ego contrà fac, inquam bono animo magnóq; ſis, tantùm abeſt vt miniſtrorum conſpectum reformidem, vt me magna ſpes teneat fore, vt non ſolùm Bulloniam principem, verùm ipſos etiam miniſtros ad noſtram ſententiam adducamus. Hac ille oratione paululum recreatus, Profectò, inquit, ſi hodie diſputationi de imaginibus interfuiſſent, non dubito, quin penitus obmutuiſſent. Non minus, inquam, in cæteris diſputationibus obmuteſcent. Nam neque nos litteras penitus ignoramus, neque inferiores illis ingenio & exercitatione ſumus. & ſperandum eſt Deum, cuius gloria in eodem certamine diſceptat, non eſſe meliori cauſæ defuturum. Con-

Digitized by Google

ſequenti verò die eques qui vocandorum miniſtrorum cauſa Sedanum miſſus fuerat nullo adducto miniſtro manè rediit. Miratur omnes vehementer, Roſerius ſolus gaudet dúmque ego rem ſacram facio; ſiue ſponte ſua, ſiue aduocatus à Bullonia, quod magis credo ad eam adiit. Ecquid cum ea priuatim clam me locutus ſit, compertum non habeo. Illud tamen ipſum valde mihi ſimulatæ Roſerij mentis ſuſpicionem auxit, quod nuntiatum mihi eſt eum ad oſtium cubiculi Bulloniæ viſum fuiſſe manè expectantem dum introduceretur. Acceſſit quòd rogatus à me poſtea, ecquid à Bullonia audiuiſſet, cur miniſtri non veniſſent; negauit non ſolum ſe cum ea locutum eſſe, ſed etiam in caſtrum Cucij vbi ea habitabat deſcendiſſe. Paulò pòſt inuitati ſumus ad prandium à Bullonia, in quo prandio mirificè mihi blandita, multa de Societatis noſtræ moribus & inſtituto rogauit, quæque de ea re dicebam vehementer ſibi probari ſignificauit. Inchoata eſt in ipſa menſa alia de Euchariſtia diſputatio, eáque vſque ad primam pomeridianam horam continuata. Mirabar cum huc illucque circumſpiciebam omnes qui in Bulloniæ comitatu erant recreatos adſtare, nihil enim mihi de eius diſceſſu nuntiatum erat. Imperfecta verò diſputatione ſurgens repente de loco ſingularibus mihi verbis gratias agit, ſeque in cubiculum abdit, vnde aliquantò pòſt egreſſa, méque blandè & comiter appellans, Bullonius, inquit, vir meus hodie ad me ſcripſit noluiſſe ſe vt contra regis edictum miniſtri huc venirent, quamobrem neceſſariò mihi diſcedendum eſt, magnam animo voluptatem, fructúmque non mediocrem me ex tuis ſermonibus percepiſſe fateor: Sed quia res hoc loco confici non poteſt, facies mihi gratum ſi huic libello reſponderis: & libellum mihi manuſcriptum porrexit, vbi erat miniſtrorum reſponſio ad epiſtolam Hug. Roſerij. Ego ſubitum conſilium admiratus, nimis inquam longum eſt huiuſmodi res ſcripto perficere, tamen quando ita vis, cum Pariſiis fuero reſpondebo. Nunc quia multò citiùs hinc abis, quàm equidem exiſtimabam, quámque Mompenſerij patris tui opinio ferebat, da mihi quaſo hanc veniam, vt eius quantum in me eſt voluntati ſatisfaciam, téque Sedanum ſequar, ac domui tuæ coram miniſtris, quod hoc loco cœptum eſt, ad exitum ducam. Roſerius aut Lutetiam reuertatur, aut hic conſiſtat expectans reditum meum, neque enim huc alia de cauſa quàm tuo rogatu venit, vt ex eo rationes, quare religionem noſtram ſuſcepiſſet, intelligeres; ea verò dum tecum hic fuit ſatis intelligere potuiſti. Neque æquum eſt vt cogatur Catholicus adhuc recens qui paulò antè cum iis miniſtris, qui Sedani ſunt, familiariter vixerit, eorum conſpectum ſubire, à quibus nihil præter verborum conuitia & contumeliarum aculeos expectare poſſit. Has tantùm cauſas duas expoſui, duas autem alias quæ me vt Roſerium Chamtriaci relinquerem, maximè mouebant, tacendas eſſe exiſtimabam. Quarum vna erat, quòd ſcirem Roſerium valde Caluiniſtarum inſidias pertimeſcere, dixerat enim mihi aliquando ſe non dubitare, quin ſi Sedanum iremus certum vitæ noſtræ periculum impenderet, probè ſe noſſe illud hominum genus. Altera erat quòd nolebam cum in libera ciuitate Germaniæ finitima, quæ commune perfugarum receptaculum eſſet, pedem ponere, ne quod poſtea Metis fecit, Sedani faceret. Reſpondit Bullonia ſe non poſſe id mihi concedere, eo ipſo die à marito ſuo litteras accepiſſe, in quibus diceret nolle ſe vt inter me atque miniſtros vlla de religione contentio ſuſcitetur, & in Mompenſerij litteris ſcriptũ fuiſſe tantùm, vt Macerias peruenirem, vereri etiã ſe ne ægrè ferat,

ſi

ſi intellexerit me Chameriacum vſque progreſſum eſſe. Quod ais, inquam ego, de Bullonij mariti tui voluntate, nihil impedire debet, quominus Sedanum eam, ſi enim me cum miniſtris diſputare nolit, tamen potero illic te commodius quàm hoc loco, de religione priuatim, quemadmodum cœpi, commonefacere. De Mompenſerij autem patris tui litteris minimè dubito, exploratum tamen animum eius habeo, certóque ſcio duas ob res id ab eo ſcriptum eſſe, & quod exiſtimaret, vt mihi ante diſceſſum Pariſiis dixit, meliùs te atque vtilius Maceriis quàm Sedani doceri poſſe, quod tu ſecus eſſe dicis & vt aliquam rationem haberet mei, ne me hominem timidum miniſtris cæteriſque Caluinianis qui Sedani ſunt, ob cædem Pariſienſem indignatis, atque alienum ſanguinis pœnas appetentibus, obiicere velle videretur. Ego verò neque vitam meam tua ſalute chariorem habeo, & ita mihi perſuadeo, ſi me in tuam fidem receperis, nihil mihi à quoquam periculi creari poſſe. Quod ſi hinc ad patrem tuum re infecta rediero, non potero facere, quin te, vt me apud illum defendam, inuitus fortaſſe ſubaccuſem, non ſtetiſſe niſi per te, quominus ex eius ſententia omnia conficerentur. Cùm eam his verbis viderem nullo modo à ſententia dimoueri, ſalutaui quaſi ſtatim Lutetiam rediturus. Poſtea verò quàm Sedanum abiiſſet, hæc omnia Roſerio recenſeo, addo præterea me hominibus quidem ſatisfeciſſe, ſiquidem iuſſus non eram aliò, quàm Macerias venire: Deo vero mihíque ipſi non ſatisfeciſſe, neque poſſe animum meum conquieſcere niſi prius quàm ex eo loco diſcedam, omnia pertentem, vt mihi ac Deo ſatisfaciam. Quid, inquit ille, reliquum tibi eſt, vt tentes? litteras, inquam, ad Bullonium ducem ſcribam quibus rogem vt poteſtatem ingrediendi Sedanum, quam eius vxor dare noluit, mihi concedat. Si concederet eò celeriter aduolabo, ſi negabit, ita ad illum ſcribam vt cogatur reſcriptis ad me litteris negare, quæ litteræ me ſaltem apud homines defendent, conſcientia verò optimæ mentis & nauatæ diligenter operæ apud Deum excuſabit. Hoc meum conſilium Cucius & Roſerius ac cæteri qui aderant valde probauerunt. Quare litteras ſtatim in hanc ſententiam ad Bulloniam dedi. Valde mirari me ferréque grauiter Bulloniam tam breui tempore Chameriaci commoratam. Nam neque mihi licuiſſe præclarum Mompenſerij deſiderium atque expectationem explere, neque potuiſſe illam omnia, quæ eius maximè ſaluti conducebant, audire. Ea re me primùm petiuiſſe vt Chameriacum miniſtri venirent, deinde cùm neque illos venire neque ſe manere poſſe Bullonia diceret, rogaſſe eam vt mihi ſaltem liceret Sedanum ire, vt ibi, quod Chameriaci cœptum erat, compleretur: quod cùm nullis ab ea rationibus obtinere non potuiſſem, idem me nunc ab eo flagitare. Poſtridie eius diei tabellarius cui litteras dederam epiſtolam mihi Bullonij reddit, In qua ſcripſerat, quin Bullonia ipſius vxor longiùs manſiſſet Chameriaci, nonniſi per eã ſtetiſſe, dediſſe ſe illi antequam Sedano diſcederet omnem facultatem, vt & Chameriaci, & vbi vellet, & quandiu vellet, foris eſſet. Miniſtros propter regis edictũ quo omnes eorum conuentus prohibebantur, Chameriacum ſe mittere noluiſſe: gratum ſibi quidem fore ſi ego Sedanum eam & cum Bullonia quotidie tres ſi velim aut quatuor poſt meridiẽ horas loquar, nolle tamen vt illi miniſtri mecum diſputent; vtve colloquiis noſtris interſint, niſi prius regis de ea re ac Mompenſerij ſoceri ſui voluntatẽ cognouerit: Si id illis gratũ eſſe intellexerit, atque probatum, curaturum ſe vt miniſtri qui apti ad diſputandum viſi fuerint, accerſantur ex iis locis, ad quæ confugerint. Quaſi verò Sedani non

eſſent

eſſent nimis multi, aut non eò potiùs, qui ex Gallia metu fugerant, quàm in alium vllum locum ſeſe receptſſent. Lecta eius epiſtola iter Sedanum arripui. cúmque ſumma ab eo humanitate acceptus eſſem, rogauit cur mecum Roſerius non veniſſet, videbatur enim homo regis amantiſſimus ſubuereri, ne rex arbitraretur Sedanum ciuitatem non ſatis catholicis tutam eſſe, eámque ob rem Roſerium venire noluiſſe, Reſpondi quod res erat, me fuiſſe vnum eius auctorem conſilij, ac rationes illi expoſui, eaſdem, quas antè Bulloniæ declaraueram. Cùm autem de aduentus mei cauſa agere cœpiſſem, Ego inquit Maldonate me interpellans, ſcio quid ſim facturus, ſimulac in regis aulam rediero, ſignificans ſe religionem mutaturum, cum vxore autem mea ages quamdiu voles, nolo tamen miniſtros intereſſe: cæterum quo ea ſit ingenio, & qua in ſua religione conſtantia, ex patris eius Mompenſerij, quem benè noſti, ingenio poteris æſtimare. Altero die ſtatim poſt meridiem ad Bulloniam vocatus ſum, cúmque me iuſſiſſet iuxta ſedere, conſederunt quoque nobis è regione viri quinque grauiores cæteris, quos habitus ipſe declarabat, litteras profiteri, reliqua promiſcuè turba per totam aulam fuſa erat. Ego etſi ſuſpicabar miniſtros adeſſe aliquos, Bullonij tamen litteris ac verbis mihi perſuaſeram, neminem eſſe eorum diſputaturum, excepturos autem quæ dicerem, vt priuatim poſtea coram Bulloniam refutarent. Cùm autem a Bullonia iuſſus eſſem de Euchariſtia dicere, quod exorſus Chameriaci fueram, vſus ſum eadem qua priùs totius controuerſiæ in quatuor partes diſtributione, cœpíque de prima parte ſimpliciter & breuiter dicere, oſtendens quibus argumentis adducti catholici corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe crederemus quibus neceſſe eſſet, vt aut reſponderet, aut fidem adiungeret. Tunc illa vt opinor innuit iis, quos contrà conſediſſe dixi (erant enim alij miniſtri, alij iuriſconſulti, Caluiniani autem omnes) vt argumentis meis reſponderent. Itaq; is qui primus ad dexteram ſedebat longa & eleganti oratione vti cœpit. Eius autem orationis ſumma fuit, non eſſe primo loco diſputandum an corpus Chriſti in Euchariſtia reipſa eſſet, vt ego dixeram, ſed an miſſa eſſet ſacrificium. Veniebant ſcilicet vt arbitror, probris illis & maledictis armati, quibus ad expugnandam Miſſæ arcem vti ſolent, & volebant ſuas illas procacitatis haſtas, quas domo amentatas attulerant, primo loco torquere. Ego verò mirans & tam repentè mutata Bullonij conſilia. & tam præpoſteram & alienam miniſtri reſponſionem, admirationem tamen vultu diſſimulans miniſtrum admonui, ne diſputationem à recto curſu reuocaret, neue tempus inaniter conſumeret, neque tam rationem haberet ſui, quàm Bulloniæ, cuius docendæ cauſa omnis à nobis diſputatio ſuſciperetur, & rationem & omnium hominum conſuetudinem. & ius. ſi quod eſſet meum, poſtulare vt illud primùm ageremus, num corpus Chriſti in Euchariſtia eſſet. Nam neq; intelligi poſſe ſitne Euchariſtia ſacrificium. niſi an in ea corpus Chriſti ſit, priùs intelligatur & neminem qui de Euchariſtia ſcripſerit, neq; noſtrum, neq; Caluinianum auctorem eſſe, qui non priùs de Chriſti corpore quàm de ſacrificio diſputauerit, & ſi nulla neq; ratio neq; conſuetudo ſuppeteret, tamen iuris eſſe mei, vt qui primus iuſſus eſſem, diſputationem ordiri, eius quoq; partitionem facerem, & quid primo, quid medio, quid poſtremo loco agendum eſſet, indicarem, ac diſputando deniq; præirem: alij ſequerentur. Ille contrà nullam ſuæ ſententiæ rationem afferens tergiuerſabatur & inani loquacitate tempus extrahebat. Hora denique integra & rationibus, & precibus, & contumelioſis pene conuitiis homi-

Digitized by Google

hominem tentans, numquam potui ad diſputandum elicere. Cùm autem viderem conteri fruſtra & inutiliter tempus, malui de meo iure concedere quàm vt aliena peruerſitas ac pertinacia Bulloniam priuaret optato diſputationis fructu. Itaque Bulloniam appellans, animaduertis inquam miniſtros diſputationem refugere, ac diuerticula & latebras quærere, tamen vt intelligas eſſe me in diſputando magis facilem & liberalem, & nihil habere antiquius vtilitate tua, fac vt miniſtri de quacumque re velint primùm diſputent. tunc ambo miniſtri reſponderunt, ſe de ſacrificio agere primùm velle, meque rogarunt an Miſſam verum ſacrificium eſſe crederem, quo peccata viuentium ac mortuorum expiarentur? Credo, inquam. Petunt à me rurſus vt ſententiam meam ſyllogiſmo concludam. Sum equidem miratus magnoperè miniſtros, qui dialecticam omnemque ſubtiliorem philoſophiam execrari ſolent, Chryſippos in choro mulierum videri voluiſſe. Non decet, inquam, hoc loco iſthæc exigere, ſed quando ita vultis ecce ſyllogiſmum. Quidquid per verum ſacerdotem Deo offertur quod vim habeat remittendi peccata, verum ſacrificium propitiatorium eſt. Corpus Chriſti quod vim habet remittendi peccata in Miſſa per verum ſacerdotem Deo offertur, verum igitur eſt ſacrificium propitiatorium. Repetunt ſyllogiſmum, circumſpiciunt iactant, excutiunt, vt ea parte, quam infirmiorem eſſe viderint, expugnent. Experiuntur ſtatim in primo congreſſu verum eſſe quod paulò antè inficiati fuerant, prius eſſe de corpore Chriſti, quàm de ſacrificio diſputandum, ſeque eo ſyllogiſmo ipſo, quem petiuerant, ad eam quæſtionem, quam maximè fugiebant, reuocari. Noluerunt tamen me etiam inſtante, & eorum tarditatem accuſante, in eam diſputationem ingredi; nondum enim paratas ad pugnandum copias habebant. Sed cùm ſingula argumentationis meæ verba: diu multumque ponderaſſent: reſponderunt in ea quam tradideram definitione ſacrificij, deſiderari quiddam, quod erat in primis neceſſarium, vt victima mactaretur. Iſthuc inquam ego, non eſt neceſſarium, neque enim in occidendo, ſacrificij vis atque natura; ſed in offerendo conſiſtit: definitionem ego ad naturam ſacrificij propitiatorij de quo agimus, accommodatam propoſui, veſtrum eſt, ſi minus eam probatis refutare. Tunc, niſi fallor, eos, quòd tam dialectici videri voluiſſent pœnitere cœpit. Numquam enim docere potuerunt, morte victimæ ſacrificium eſſe diffiniendum. Fortiſſimum autem argumentum ſe inueniſſe putauerunt vt dicerent זבח apud Hebræos vnde זבר ſacrificium vocatum eſſet, idem ſignificare, quod occidere, itemque θύειν apud Græcos, vnde *tuer* eadem ſignificatione Galli dicerent. Addebant nos cum de Miſſa loqueremur, verbo ſacrificij & immolationis abutentes imperitum vulgus in eum errorem inducere, vt exiſtimet, in Miſſa Chriſtum interfici. Ecquem tu, inquam, puerum, ecquam anum, quæ ita ſentiret, in Eccleſia Catholica vidiſti? Quod ſi ita ſentirent aliqui, docendi tamen eſſent, non in hæreſim compellendi. Erat iam in occaſum inclinatus dies, nam quæ breuiter nunc & ſummatim narraui, magna tunc verborum copia, & contentione ſunt acta. Itaque Bulloniam alloquens, vides inquam diſceptationem omnem deductam eſſe eò, vt ſi demonſtrauero & זבח Hebraicè θύειν & Græcè & ſacrificare Latinè non ſemper in diuinis litteris mortem victimæ ſignificare, nihil iam ſit cur nobiſcum credere non debeas, Miſſam, ſi modo Chriſti corpus verè inſit, verum eſſe ſacrificium, id ego me craſtino die demonſtraturum polliceor. Quod ſi demonſtrare non poſſem, tuæ eſſet prudentiæ etiam atque etiam cogitare, num Chriſtiani & religioſi

animi ſit ob vnius abuſionem verbi, effractis domus Dei, hoc eſt Eccleſiæ Ca-
tholicæ, repagulis, errare foris, & dum de Chriſti corpore cuius membrum
vnum es, humana ratione diſputas, à Chriſti corpore penitus auelli. Sic eo die
diſceſſum eſt. Ea verò nocte multi ad me venerunt, partim viſendi mei cauſa,
partim vt explorarent, num Roſerius, quem ſibi perſuadebant vnà mecum
adueniſſe, in meo cubiculo latitaret. Ex iis cognoui eum Miniſtrum, qui prior
reſpondere cœperat eſſe Capellum Pariſienſem claro loco natum, de quo
mihi Roſerius in via multa narrauerat, alterum eſſe Loquæum proprium
Bulloniæ Miniſtrum, quem antè de nomine cognoſcebam. Poſtridie verò
cùm in eundem locum, eademque hora conueniſſemus, Æquum eſt, inquam,
vt quod heri miniſtris promiſi, ſoluam, antequam ad aliam quæſtionem ag-
grediamur, & proferens Hebraïcum codicem veteris teſtamenti, & Græcum
noui, quos ab illis ipſis vtendos acceperam; loca multa commonſtraui, vbi
& זבח Hebraïcè & Græcè θύειν non occidere, ſed offerre ſignificarent. De-
inde Chryſoſtomi & Gregorij Nazianzeni teſtimonia preduco, qui hoc ip-
ſum Miſſæ ſacrificium ſæpe θυσίαν vocant. Poſtremò Auguſtini aliorumque
Latinorum conſuetudinem fuiſſe docui, vt Euchariſtiam, vbi nulla mors
eſſet, ſacrificium verum appellarent, idque verbi notationem indicare. Sa-
crificare enim quaſi rem ſacram facere dictum eſſe: Itaque neque nos abuti
verbis neque populum in errorem inducere, ſed Hebraïcè ita loqui, quem-
admodum Dauid, Græcè quemadmodum Paulus, Chryſoſt. Nazian. qui A-
thenis Græcas litteras didiciſſet, Latinè quemadmodum Auguſt. & alij, qui-
bus Latinus ſermo patrius fuiſſet, locuti fuerant. Ferebant iniquo animo mi-
niſtri tam liberaliter me quod eis debebam perſoluiſſe, ac ne nihil reſponde-
re viderentur, ridiculè reſpondent, non ignorare ſe aliquando זבח & θυσίαν
ſacrificium ſine morte in ſacris litteris appellari. Auguſtinum verò & ſcripto-
res alios eius temporis minus Latinè idem eſſe quàm nos modo loqueremur:
Atque vt docerent ſacrificare Latinè idem eſſe, quod occidere, magnum argu-
mentum eſſe aiebant homines ſciti Gallicam linguam, in qua *ſacrifier*, idem
eſſet, ac interficere, atque mactare. Tunc ego, Mihi verò ſatis eſt iſtud ve-
ſtrum aliquando, vt criminationem à nobis veſtram depellam. Quod autem
de Auguſtino deque auctoribus Latinis dicitis, vos eſtis fortaſſis illis puri-
tate ſermonis anteferendi, nos quidem certè neque doctrina cum illis ſu-
mus, neque Latinitate comparandi. Quod vero linguam mihi veſtram obiici-
tis ſemper exiſtimaui *ſacrifier*, non eſſe occidere, ſed offerre, ſed quia Gallicè
me neſcire fateor, liceat mihi quæſo cum prophetis Hebraïcè, cum apoſtolis
Græcè cum Latinis Latinè loqui. Et quia eſt huic vt opinor quæſtioni abun-
dè ſatisfactum, ad eam nunc de corpore Chriſti reuertamur, de qua me dicere
ingreſſum reuocauiſtis. Illi rurſus tergiuerſari, in omnes partes ſeſe conuer-
tere, cauſari nec dum quæſtionem de ſacrificio eſſe profligatam, prius de ce-
remoniis diſſerendum, iterum tempus refugiendo conſumere, cumque ſæ-
pe rogando nihil effeciſſem, aſperiùs obiurgans, quid, malùm, inquam,
corpus Chriſti quaſi crucem exhorreſcitis? ſi veſtram ſententiam veram eſſe cre-
ditis, quin de illo confidenter diſputatis? tunc & Bullonia & cæteri Calui-
niani, qui aderant, indignationem vultu declarantes miniſtros in diſputa-
tionem de corpore Chriſti nutibus ac verbis compulerunt. Ego repetens bre-
uiter quæ de corpore Chriſti primo die diſputaueram, addidi hæc ferè verba.
In iis arcanis Chriſtianæ religionis, quæ conſequi ingenio & cogitatione non

poſſumus,

poſſumus, duæ ſunt potiſſimùm res, quæ nobis fidem faciant, potentia Dei inànita, & potentiæ coniuncta voluntas aut litteris ſacris, aut alio quoquo modo diuinitus declarata. Vos potentiam Dei ad efficiendum, quod nos fieri in Euchariſtia dicimus, confiteri certò ſcio atque prædicare. Confitemur, inquiunt illi, & veneramur. Ego verò rurſus, Tenete igitur obſecro memoria, ne poſtea ſi non animo, obliuione negetis. Et quando ita eſt, dicam nunc, cur corpus Chriſti re ipſa in Euchariſtia eſſe credamus. Nos verbo Dei nihil habemus antiquius: hoc illi vni tribuimus, vt quamuis arduum ac difficile quod Deus dicat eſſe videatur, nefas putemus de eo dubitare. Hanc etiam illi reuerentiam adhibemus, vt ita prorſus ſimpliciter intelligendum eſſe, vt ſonat, arbitremur, quemadmodum Abrahamum & cæteros illos ſanctiſſimos viros feciſſe legimus; magnámque verbo Dei iniuriam fieri iudicemus, ſi humanis rationibus adulteretur, aut à propria ſignificatione remoueatur, niſi nos id aliud verbum Dei apertiùs facere compellat. Hæc ergo verbi Dei reuerentia nos cogit, vt cùm ille dixerit, hoc eſt corpus meum, neque aliud verbum eius extet, ex quo conſtet, hæc verba figuratè intelligenda, ſimpliciter credamus Chriſtum non ſignificatione, ſed verè ac reipſa ſuum corpus tradidiſſe. Veſtræ nunc partes ſunt alio magis perſpicuo Dei verbo figuram veſtram oſtendere. Nam ego quidem verba video, figuram non video. Loquæus qui ante ſyllogiſmum à me petiuerat, nos, inquit, ideo hæc verba per figuram intelligimus, quia aliud verbum Dei manifeſtius habemus, quo docemur Chriſtum corpus ſuum in cœlum euexiſſe, ibique vſque ad ſupremum iudicij diem futurum eſſe. Rectè; inquam, dicis Loquæe, ſed quo magis argumenti vis appareat, & facilius à Bullonia & cæteris auditoribus percipiatur, velim ex iſto loco aliquo ſyllogiſmo concludas corpus Chriſti reuera in Euchariſtia non eſſe. Inſidebat enim animo meo inepta illa moroſitas, qua ſyllogiſmos à me alieniſſimo loco poſtulauerant, & tempus obſeruabam opportunum idem ab illis exigendi, vt quibus teſtibus inepti fuerant, iiſdem quoque iudicibus ſuarum ineptiarum pœnas darent. Incipit Loquæus dialecticus tantus mente ſimul linguáque hæſitare, ſudare, pallere, oculos deiicere quaſi ſyllogiſmũ humi quæreret. ſuppudebat Bulloniam & alios qui adſtabant Caluinianos proſtratũ videre prima interrogatione miniſtrum, quem fama doctiſſimum prædicabat: itaque medicus neſcio quis, qui propè ſedebat ſyllogiſmum illi ad aurem immurmurans ſæpe ſuggeſſit: ſed numquam potuit metu pudoréque impeditus ſuppeditatis vti armis. Tum Capellus vt iacentem ſocium erigeret, incipit ſyllogiſmum pro illo fabricari. Sed ego interpellans ſine, inquam, Loquæum, qui cœpit, reſpondere. Ego, inquit Loquæus, quidquid frater meus reſpõderit ratum habebo. Credo, inquam ego, ſed facit tibi frater iniuriam, qui pro te reſpondere, quaſi ipſe reſpondere non poſſis, velit. Ille rurſus. Ego & frater meus vnum ſumus, quódque ille reſponderit, ego me reſpondiſſe exiſtimabo. Ego verò laudo charitatem communem veſtram, atque modeſtiam Loquæe priuatim tuam, quòd aut nullam tibi iniuriam à fratre fieri putes, aut tanta animi moderatione feras; ego quidem certè vt ſuperbus ſum & appetens gloriæ, ferrem ſanè quàm impatientiſſimè, ſi quis pro me vellet etiam frater reſpondere. Sed quia video ne illum quidem, qui tibi fert opem, ſyllogiſmum inuenire, ipſe vobis indicabo. Deus efficere non poteſt vt corpus Chriſti ſimul in cœlo ſit, & ſimul in Euchariſtia re ipſa: & ex verbo Dei conſtat in cœlo

Digitized by Google

eſſe, in Euchariſtia igitur re ipſa non eſt. Videbat Loquæus ſe irretitum teneri ſic, vt aut negandum ſibi eſſe, poſſe Deum efficere, quod antè poſſe dixerat, aut confitendum nihil illud teſtimonium, quod primo loco tanquam omnium firmiſſimum obiecerat, ad rem de qua ageretur, pertinere. Capellus homo videlicet acutior, & in dialecticis haud paulò magis exercitatus, non recipimus, inquit, iſtum ſyllogiſmum, ſed alium ad hunc modum ſalua Dei potentia conficiemus. Quæ contradicentia ſunt, ea fieri non poſſunt: corpus Chriſti ſimul in cœlo & in Euchariſtia reuera eſſe contradicentia ſunt, non ergo fieri poſſunt. Ego inanem ſubtilitatem ridens, quid iſthuc eſt, inquam, quod dicitis, quæ contradicentia ſint, ea fieri non poſſe? natura-ne, an diuina etiam poteſtate fieri non poſſe? Diuina, inquiunt, etiam poteſtate. Verè id inquam dicitis idémque à theologis noſtris in ſcholis traditur. Sed efficiam alio contrario ſyllogiſmo, corpus Chriſti in cœlo & in Euchariſtia verè eſſe, non eſſe vt dicitis contradicentia. Quæ contradicentia ſunt, ea diuina poteſtate vt modò dixiſtis fieri non poſſunt, corpus Chriſti (vt antè conceſſiſtis) in cœlo & in Euchariſtia ſimul diuina poteſtate re ipſa eſſe poteſt, contradicētia igitur non ſunt. Hîc illi iterum hærere, & errorem ſuum eloquentia, qua multum Capellus valet, velle tegere. Oratio autem eius omnis incumbebat eò, vt ad occultandam impietatem ſententiæ atque repugnantiam quæſitis ſtudioſè verbis auditores deceret, quod ſponte prius profeſſus erat, Deum non poſſe facere vt corpus Chriſti pluribus locis eſſet. Tunc delapſi ad eam de potentia Dei diſputationem ſumus, inque ea atque in altera de corpore Chriſti, vnde eramus miniſtrorum inconſtantia digreſſi, quatuor nobis dies conſumpti ſunt. Quibus diebus quatuor multa nobis diſputantibus acciderunt, quæ libenter equidem mandarem litteris, niſi prouiderem id longius futurum eſſe, quàm vt poſſit non epiſtola modò hac, ſed iuſto etiam volumine comprehendi. Videbatur Pullonia ſub finem eorum dierum occaſionem ſoluendæ diſputationis quærere, dicebat ſe neſcio quo cum marito profecturam, rogauit itaque me vt ſibi breuiter exponerem, quæ in Miſſæ ſacrificio à nobis agerentur, quod cum ex improuiſo nulliſque teſtimoniis adhibitis feciſſem, exiſtimarunt, vt arbitror, miniſtri nihil eſſe præterea quod ea de re dici poſſet, itaque ſignificabant ſe, quemadmodum antè ſæpe fecerant, relicta ea quæſtione, in qua dies iam aliquot verſabamur, ad quæſtionem alterā de Miſſæ ceremoniis & ſacrificio redire velle, in quo campo cum triumphum, vt ſperabant, præclariſſimū egiſſent, finē diſputationi faceremus. Hoc ego eorum deſiderium anteuerti, nam Bulloniam alloquens, animaduerto inquam, valde cupere miniſtros aliquid in Miſſam magnum euomere, age fac illis poteſtatem contra Miſſam omnia dicendi, quæcúque poterunt, quæcúque volent audiente me atque tacente, ea lege vt mihi quoque liceat tacentibus illis reſpondere. Placuit Bulloniæ ac cæteris omnibus liberaliter oblata conditio. Quare poſtero die parati miniſtri venerunt ad dicendum, collegerant omnes ex templo Catholicorum ceremoniarum libros, vt nihil omnino, quod non refellerent atque morderent, præterirent, itaque vix ea die potui codicem vllum ad faciendum de more ſacrum reperire. Dixit Capellus contra Miſſam horas circiter duas, minus ille quidem maledicè, ſed minus etiam prudenter atque peritè quàm nobis illa eius cupiditas tāta contra Miſſam dicendi pollicebatur. Nam cum initio præfatus eſſet, nolle ſe Miſſam repudiare, ſed probare, atque ſtabilire, verumtamen propoſitum ſibi eſſe oſten-

dere

dere veram Miſſam non eſſe aliam quàm eam cœnam, quam Caluiniani celebrarent, eam à Christo primùm inſtitutam, ab Apoſtolis probatam vſu, à Chriſtianis ſexcentos totos annos incorrupta religione cultam; nihil nos eorum quæ tunc agebantur retinere, aut ceremonias tantùm & verba ſine ſenſu retinere: Vireti libellum, quem Miſſæ anatomen inſcripſit, altera manu, altera ceremoniarum noſtratum codicem tenens omnia refutando percurrit, nihil eorum probans, quæ nimis ſanè confidenter affirmabat. Qua ex re facilè perſpexi, quod aliis quoque rebus ante cognoueram, non admodum eum in antiquiorum auctorum libris eſſe verſarû, quos, ſi legiſſet, ignorare non poſſet ore ſe penitus vno omnium condemnari. Sed vt ſapienter à Græco quodam aucto re dictum eſt, multis audaciam affert ignorantia. Cum omnia quæ voluit, effudiſſet, rogaui etiam vt ſi quid haberet præterea, quod diceret, ne ſilentio præteriret, adhuc vnam horam ad perorandum ſupereſſe, cùmque negaſſet ſe quidquam habere amplius, quod eo loco dicendum putaret, Non es bonus inquam ſacerdos Capelle, nam ita de Miſſa locutus es, vt appareat, numquam te Miſſam vllam celebraſſe, ego qui quotidie Miſſam facio, longè ſecus dicam: Id autem facere agrediar craſtino die. Erant enim mihi prius teſtimonia quædam veterum auctorum explicanda, quæ ex ſuperioris diei diſceptatione reliqua fuerant. Optabant Caluiniani ipſaque in primis Bullonia, aut vt ego non reſponderem, aut quam breuiſſimè reſponderem, itaque ea nocte quidam ad me Bulloniæ familiæ præfectus venit, qui ſignificauit Bulloniam cupere, vt quæ reſponſurus eſſem breuiter dicerem, habere enim in animo, quam primùm ex vrbe diſcendere. Cui ego, dicam pro rei amplitudine breuius quam Capellus, nihil enim dicam quod non ad rem maximè pertineat, nihil repetam bis, quod ille vtrumque ſæpe fecit. Cæterum certum mihi eſt nihil protius eorum quæ Capellus dixit prætermittere, quod non copioſiſſimè refellam: quod ſi hac hebbomade perficere non potero, (erant autê eius hebdomadis reliqui tres dies) altera perficiam; ſi alium in locum Bullonia migrauerit, migrantem ſequar. ſi tantum mihi ad finiendum quarta horæ pars deſit, ſequar tamen & eo in loco, in quo primùm reſederit finiam, ac Lutetiam redibo. Non enim committam, vt aut vllam partem officij mei erga Deum deſeram; aut vt quam habet Mompenſerius de mea fide & diligentia opinionem fallam. Die inſequenti cùm paratus ad reſpondendum veniſſem, cœpit mihi antequam conſideremus Bullonia dicere, Capellum heſterno die neſcio quid prætermiſiſſe, quod vellet dicere, petere à me vt eum paterer, antequam inciperem, abſoluere. Ego etſi videbam id proptera fieri vt quantum temporis Capello concederetur ad accuſandum, tantum mihi ad defendendum demeretur: tamen ne miniſtri cauſari poſſent ſibi non licuiſſe omnia dicere quæ cupiebant: reſpondi eam diſputandi legem ab ea præſcriptam ab omnibus probatam eſſe vt miniſtri me tacente omnia quæ vellent dicerent; ego deinde omnia quæ vellem illis tacentibus reſponderem, miniſtros die præterito dixiſſe omnia quæ comminiſci potuiſſent, rogatos à me fuiſſe numquid præterea quod dicerent haberent, eos negaſſe. méque cœpiſſe reſpondere, tamen nolle me impedire, quominus ſi quid velint dicant. O inimicam Deo hæreticorum ſapientiam, quàm procul ab ſpiritu Dei quem ore tamen iactitant, iſta calliditas abeſt; dicit Capellus iubente Bullonia horam integram: perſpicuum erat ex eius oratione non cum alia de cauſa loqui, quàm vt me teneret, & tempus omne

nugando conſumeret. Nihil enim afferebat noui, nihil confirmabat, iterum atque iterum eadem repetebat; addebat tamen, ne nihil dicere nouum videretur, aliquod aliquando raptum ex triuio conuitium. Nam eo die quaſi modeſtiæ eum ſuæ pœniteret acerbiùs, quàm ſolebat, egit. Tum Bulloniam obſecrare, vt qua patientia Capellum ego falſa dicentem, nihil probantem, omnia ſæpe repetentem audiuiſſem, ea me ipſa meliorem cauſam agentem audiret, nihil me dicturum eſſe bis, nihil ſine grauiſſimis eorum auctorum teſtimoniis, quos ipſi miniſtri iudices in ea cauſa delegiſſent, ſi quid ſecus dicerem nullam mihi fidem haberi velle. Eo die duas horas dixi, cúmque diſcederemus inde, conqueſti de me ſunt grauiter miniſtri, quòd non finiuiſſem omnia quæ dicenda mihi erant, quibus ego ridens, non libenter inquam Miſſam auditis, tamen coegiſtis me Miſſam coram vobis facere, efficiam vt quàm longiſſimam audiatis, non enim ante quatuor dies abſoluam. Illi tunc multò magis queri iniquam eſſe conditionem, ſi cum ipſi duas tantùm dixiſſent horas, plures ego dies dicerem: ego contrà reſiſtere, non eſſe diſputandi conditionem clepſydra metiendam, ſed ratione: rationem autem id poſtulare, vt tantò plus temporis defenſori bonam præſertim cauſam agenti, quam accuſatori falſa obiicienti crimina tribueretur, quātò facilius eſſet accuſare, quàm defendere; mentiri quàm verum dicere; fingere, quam probare. Eadem quoque contentio ſequenti die coram Bullonia nobis fuit, cùm viderent miniſtri duos me dies iam dixiſſe, neque mediam partem earum rerum abſoluiſſe, quas propoſueram. Cúmque non potuiſſent à me vllis rationibus impetrare, vt breuiori tempore finem facerem; conati ſunt mihi perſuadere, vt ſibi facultatem darem ad ea quæ dicerem reſpondendi, idque Bullonia vehementer deſiderabat. Quibus ego id ſæpe petentibus, nihil aliud reſpondebam, quàm ita inter nos antè conueniſſe, vt cùm illi obiecissent omnia, & eadem ego diluiſſem diſputationi finis poneretur: cæterum ſi eam legem quam ſemel iam mutauerant, iterum mutare vellent, me minimè repugnare, modò mihi liceret iterum iis, quæ de integro dixerint, reſpondere. Pendebat animi Bullonia, neque ſciebat, quò ſe verteret. Nam neque volebat tam longè diſputationem progredi quàm ſi mihi poſt miniſtros iterum dicendum eſſet, neceſſariò progreſſura eſſe videbatur: & ferebat tamen moleſtè, quòd miniſtri ſi non reſponderent, viderentur victi fuiſſe. Itaque nihil certi conſtituit. Cum autem domum rediremus in ima caſtri parte Bullonium Ducem offendimus, cui ego rem de qua miniſtri contendebant exponere incepi, ille verò ſtatim antequam audiret omnia, volo inquit vt lex quæ lata fuit initio ſeruetur, & vt cùm reſponderis ad ea, quæ à miniſtris obiecta ſunt. non ampliùs diſputetis. Ego rurſus dabo inquam operam vt craſtino die perficiam, ne vos tam diu detineam. Rogarant autem ſæpe me qui erant in ea ciuitate Catholici, vt ad populum concionem aliquam haberem, qui iam annos octo concionatorem Catholicum nullum audiuerant, quod ſemper facere recuſaueram, ne viderer ciuitatem velle commouere. Intellexeram enim à Bullonio vetitum fuiſſe ne vllus in ciuitate Catholicus concionaretur. Tunc verò cùm eius erga me propenſum animum cognouiſſem, cœpi hoc ipſum illi ſignificare: qui vix mihi dicere incipienti, reſpondit dare ſe mihi omnem poteſtatem quoties vellem concionandi. Cui ego, non mihi inquam hoc peto qui perendie vt ſpero hinc diſcedam, Sed ciuibus peto, vt liceat omnibus catholicis concionatoribus hùc venire & populum docere. Quod cum

cum mihi quoque largitus eſſet, egi magnas illi vt par erat gratias,& exiſtimaui me fructum ſatis magnum aduentus mei percepiſſe, quòd exulans euangelium in ciuitatem auctore Deo reuocaſſem. Poſtridie vt diſputationem clauderem, quatuor horas circiter dixi, cumque finem feciſſem diſſerendi, præuertens Miniſtros etiamnum geſtientes aliquid dicere, aſſurgo & Bulloniam alloquens, Ego inquam huc non veni vt animum tuum longiſſimo iam tempore in iſtis tuis opinionibus obfirmatum expugnarem, ſciebam enim id hoc loco fieri non poſſe: veni vt nihil ad explendas omnes officij mei partes intentatum relinquerem, vt exhaurirem mandata omnia Mompenſerij patris tui, vt mihimetipſi ſatisfacerem. Nunc autem etſi minus equidem nauaui atque profeci, quàm optabam, mihi tamen ipſe ſatisfeci, quia vt te iuuarem quidquid in me erat ingenij, quidquid doctrinæ, quidquid induſtriæ, quidquid virium adhibui. Itaque ſum animo quam æquiſſimo, rediboque ad patrem tuum, cum ipſa voles, hilaris & lætus. Precor vnicum fidei omniſque ſapientiæ largitorem Deum, veram tibi religionem in mentem inſtillet. Rectè namque dixit D. Paulus neque qui plantat, neque qui rigat eſſe aliquid, ſed, qui incrementum dat, Deum. Tu verò idem ab eo aſſiduo magnoque ſtudio precari debes. Eſt enim fides cum primis domum Dei, quod non phyſicis rationibus inueſtigari, ſed enixis & perpetuis à Deo precibus obtineri poteſt. Cæterum quia Miniſtri neſcio quid adhuc ſignificant ſe velle dicere: iterum te atque iterum moneo, facias liberè quod voles; paratus enim ſum non tantum decem alios dies, ſed tres etiam & quatuor ſi res exiget, menſes hîc manere. Illud abs te vnum peto, ne me cogas ab officio diſcedere, aut aliquid committere, quo aut Deum, aut patrem tuum offendam, offendam autem grauiter vtrumque, ſi prius hinc abiero quàm omnia, quæ dicentur à Miniſtris confutauero: hac ſi voles conditione iube denuò dicere Miniſtros. Tunc illa ſignificauit, inuito vt videbatur animo nolle ſe ampliùs diſputaremus. Miniſtri verò necdum quieſcebant, mordebat enim eos vehementer, quòd cùm refellerem quæ contra Miſſam ab eis dicta fuerant, paulò acrius homines coargueram, atque ipſorum conſcientiam eorum quæ dicebam teſtem appellaueram. Quo offenſi maximè verbo, quaſi accuſari à me eſſent quòd contrà, quam ſentirent populum docerent, volebant coram Bullonia & auditoribus purgare ſeſe. Itaque Capellus clara voce teſtari cœpit non aliter ſe ſentire quam docuiſſet, neque mea diſputatione de ſua ſententia deiectum eſſe. Quod haud ſcio quo pacto conuenire poſſit cum eo, quod mihi priuatim idque non ſemel dixerat, cùm me ex caſtro domum redeuntem comitaretur, multa ſe quæ ignorabat me diſputante didiciſſe, coactum ſe eſſe à me de multis rebus, quas pro compertis habebat dubitare: ſe & Loquæum veterum auctorum teſtimoniis oppreſſos à me fuiſſe. Tamen nolui nouam eo loco de eorum conſcientia diſputationem texere, tantùm di[illegible] neminem eſſe niſi peruerſo præditum ingenio, qui ſi veteres auctores liber[illegible] ſtudio partium animo legiſſet, non in noſtram ſententiam neceſſariò duceretur: quare alterutrũ eſſe neceſſarium, aut vt conſcientia repugnante reſiſterẽt cognitæ perſpectæq; veritati, aut in magna certè antiquitatis ignoratione verſarentur. Quod cum dixiſſem, Bullonia primum, deinde marito & aliis ſi quos noueram conſalutatis domum redij, vt in diem Dominicum qui poſtridie futurus erat, diſceſſum pararem. Quo die decreueram multis de cauſis ad populum Catholicũ in eccleſia verba facere cùm ad Miſſæ ſacrificium conueniſſet, primùm vt rebus afflictis mœrentẽ conſolarer, & pium eius audiendi verbi Dei deſiderium.

deſiderium implerem, deinde vt aliis Catholicis doctoribus, qui eo loco poſt me concionari vellent viam munirem. Poſtremò vt palam me & in oculis omnium è ſuggeſtu deſcendens in viam darem, ne Caluiniani vt ſunt optimi mentiendi magiſtri dicerent, me furtim ac timidè profugiſſe. Nam & cum adhuc illic eſſem videbam multa eorum artificio compoſita mendacia in vulgus emanare. Igitur cum die Dominico vt rem diuinam facerem in templum manè veniſſem, meque ad ſacrificium concionemque compararem, littera mihi reddūtur Iacobi Gondij Retenſ. Comitis qui apud Metenſes Caroli Regis Legatus erat. Scribebat autem ad Bulloniū Ducem Regis nomine, vt me & Hugon. Roſerium comitem meum ad ſe Metas tranſmitteret, valde ſe illic indigere opera noſtra. Bullonius occaſionem ex his litteris capiens conſtituit Roſeriū, qui adhuc Chameriaci erat, accerſire, vt Metas nos vnà mitteret. Quod cū mihi qui litteras reddidit indicaſſet, iuſſi eum Bullonio renuntiare, rogare me ne de ea re deliberaret quidquam prius quàm ego eum conueniſſem. Quod ideo faciebam, quia nolebam, vt antè dixi, Roſerium Sedanum ingredi. Cum verò rem diuinam & concionem quam habui populo frequentiſſimo abſoluiſſem, ad Bullonium adij, dixique quod res erat, eſſe me paratum Metas ire: ſed pollicitum fuiſſe Cucio cùm Chameriaci eſſem, illac redire vt cum eius vxore, quæ Caluiniana erat, de religione agerem, rogare me vt mihi liceret eò reuerti vt meam apud Cucium fidem liberarem, inde me eum Roſerio Metas profecturum. Quod cùm mihi facilè conceſſiſſet, Chameriacum reuerti difficillimo propter niues itinere, recuſatoque equitum comitatu, quem mihi, vt ſecuritatem præſtaret, Bullonius offerebat. Chameriaci verò Roſerium meum inuenio mei expectatione ſuſpenſum. Magna mihi ſuſpicio fuerat, cùm Sedani eſſem, nonnullos Caluinianos clam ad Roſerium ſcribere, quæ à nobis illic agerentur, vt mutata ad ſuam cauſam narratione, hominem allicerent. itaque obſeruare cœpi diligenter, numquid diceret ex quo poſſem coniecturam capere, litteris eum fuiſſe aut nuntiis admonitum à Sedanenſibus. Ac principio quidem minimè ſeſe homo vafer & tectus indicabat: ſed non potuit ſemper tam attentus eſſe & cautus in loquendo, quin ei aliquid excideret, vnde cognoſcerem, aliquos ad eum Sedano rumuſculos effluxiſſe. Erat tamen, quod in eo mihi vnum placebat, ſpe redeundi Lutetiam admodum, vt videbatur lætus, cum verò nouam illi Metas profectionem indixiſſem, contraxit animum & vultum. Ego eum quibus cauſis nolueram, vt Sedanum iret, iiſdem nolebam Metas mecum ire, iamque penitus illi perſuaſeram, vt Lutetiam cum Mompenſerij nuntio reuerteretur: ego ſolus Metas contenderem, vt Iacobo Gondio qui nos vocauerat ſatisfacerem: ſed cùm illi Cucius vir bonus & prudens dixiſſet fore, vt ſi relicto me reuerteretur Carolum Regem offenderet, cuius mandato nos I. Gondius accerſiuerat, ſpemq; omnem amitteret ea conſequendi, quæ Rex ipſi promiſiſſet, conſilium mutauit meque poſtquam Chameriaci biduo quieuiſſem, Metas ſecutus eſt. Cumque ſalutandi cauſa I. Condium adiiſſemus, rogatus ab eo ſum quid de Roſerio ſentirem. Reſpondi quod verum erat, non eſſe eum ſatis in religione confirmatum, neque tam fortem vt illi eſſet cum hæreticis pugna committenda, tamen magis ac magis eum in dies ſingulos adiuuari. Statuit autem Gondius de mea quoque ſententia, vt proximo die Dominico, qui dies primus erat eorum, quibus in eccleſia Chriſti aduentus commemoratur, conuocatis omnibus eius ciuitatis Caluinianis Roſerius orationem haberet de religione, qua

facti

facti ſui rationem exponeret, & vt idem alij facerent hortaretur: ego verò deinceps ad eoſdem Caluinianos quotidie concionarer. Perorauit ergo Roſerius die Dominico fallaciter & ambiguè more ſcilicet ſuo, vt animaduerterent Caluiniani ex animo eum non dicere quæ verbis enuntiabat. Nam & quidem eorum facetè dixit: magno eum cum labore mentiri. Erat illis primis diebus triſtior quàm ſolebat Roſerius, ſæpeque de Germanicis rebus ſciſcitabatur, quæ res ſuſpicionem iniecit multis fugam eum in Germaniam meditari. Quare I. Gondius vir humaniſſimus & prudentiſſimus Roſerium ad ſe benignè vocatum rogat ne quid faciat, quo ciuitatem offendat, ſi quid illi deſit, ſe daturum eſſe: ſi in Germaniam ire vellet, vt liberiùs de ſuſcipienda religione cogitet, ſe eum honorificè miſſurum. Sed difficile mendaces credunt, præſertim hæretici, qui ne Deo quidem ipſi fidem habent: itaque maluit homo inſanus turpiter fugere, quàm honoratè mitti. Res autem tota ſic ſe habet. Fuimus Metis ego & Roſerius in eadem domo atque in eodem cubiculo hebdomadas tres, quo tempore ego quidem ad populum quotidie verba de religione faciebam, ille quia omni negotio occupationeque vacabat, diſcurrebat huc illuc per vrbem, vt volebat, & cum Caluinianis ſæpe colloquebatur, à quibus vt opinor ſeductus eſt. Nam etſi leuiſſimus erat vt vultu, capite, inceſſu declarabat, tamen erat etiam omnium, quos noui hominum timidiſſimus & infirmiſſimi animi. Itaque numquam mihi perſuaſi tantos illi ſpiritus eſſe, vt auderet egredi vrbe, niſi eſſet ab aliis conſilio rebuſque omnibus adiutus. Diſſimulauit igitur conceptam animo fraudem ad illum vſque diem, quo eramus vnà cum L. Gondio, vt Lutetiam rediremus, Metis diſceſſuri, quo die ad horam nonam matutinam ſeſe ſurripuit. Ego verò etſi non videbam domi, nihil dum mali ſuſpicabar: cùm autem meridies appropinquaret, nec veniret ad prandium, cui numquam antè defuerat, tum demum cogitare cœpi, quid ſibi inſolita mora vellet. Cùm verò Gondius in currum diſcedendi cauſa paulò pòſt conſcendiſſet, ad eum acceſſi & ſubridens, meum inquam Roſerium amiſi: ſed nihil damni Reſpublica fecit. Atque ita nihil de illo ſoliciti diſceſſimus. Nam cum Viarus, qui apud Metenſes iuris ciuilis Præſes eſt, iuberet hominem quæri, dixi non opus eſſe quærere eum: quem ſi inueniremus, optandum nobis eſſet, vt iterum perderetur. Quid igitur actum ſit poſtea de Roſerio nihil certò ſcio, ſed ex amicorum, qui Metis ſunt, litteris cognoui viſum fuiſſe eum in Germaniam aufugere ruſtico habitu. Putant homines vulgò religionis gratia, aut hæreſis potiùs à nobis defeciſſe, quibus minimè equidem aſſentior. Compertum enim habeo neque Catholicum, neque Caluinianum, neque Lutheranum eſſe eum: quid autem ſit neſcio, nec enim ipſe ſcit, vt arbitror. Nam cùm mecum eſſet & ille, mihi affirmauit aliquando, numquam ſibi de quibuſdam religionis myſteriis cum Caluini Miniſtris conueniſſe, ſeque ab illis ea de cauſa apud Bezam eorum antiſtitem ante neſcio quot annos accuſatum eſſe: & ego ipſe non tam ex verbis, quibus minus credebam, quàm ex affectibus animi, & ex eius orationis habitu, idem ſæpe perſpexi. Ego cauſas eius à nobis fugæ quatuor opinor eſſe has. Primùm vt eo loco viueret, vbi certam ſequi religionem nullam cogeretur, quod ſæpe mihi dixit, ſe optaſſe iam diu, eáque de re in obſcurum illud oppidum ſeſe abdidiſſe, vbi fuerat à Catholicis comprehenſus. Hoc enim idem accidere ſolet iis, qui primùm incipiunt animaduertere, falſam eſſe Caluini religionem, quam nimis leuiter arripuerunt; vt aut nullam religionem eſſe credant, aut aliam ſibi ipſis nouam religionem

comminiſcantur. Ad noſtram enim aut omnino non redeunt, quam vident cum earumorum licentia, qua magnopere delectantur, non poſſe conſiſtere; aut tardiſſimi certè & rariſſimi redeunt. Itaque vt leuiſſimi fuerunt in hæreſi ſuſcipienda; ita in relinquenda prudentiſſimi videri volunt. Hoc nimirum eſt ſtultum eſſe grauiter & benè, temerè ac ſine conſilio deſipere, prudenter autem ſapere atque conſultò. Mouit deinde Roſerium, quantum poſſum coniecturis aſſequi, quòd vxorem & liberos Diaconus habebat, ferebat autem moleſtiſſimè quòd ſibi à concubina, ſi in Eccleſia noſtra permaneret, diſcedendum eſſe nouerat. Nam cùm adhuc Pariſiis eſſet familiarem quendam ſuum, qui mihi dixit obnixè rogauerat, ne ſe Diaconum eſſe diceret. Maxima verò illi fuit cauſa fortaſſe fugiendi, quod præterquam quòd natura timidiſſimus erat, agitabatur etiam conſcientia doctrinæ vitæque ſceleratæ, vt nullum ſibi tutum eſſe inter nos locum exiſtimaret. Nam antè annos quatuor in vincula Luteriæ coniectus fuerat, quòd libellum edidiſſe diceretur, quo doceret licere de medio regem tollere, ſi Euangelij curſum impediret, Caluinianorum autem induſtria, qui tum gratia plurimum valebant, abſolutus eſt. Quamobrem verebatur, ne quãdo rex humaniſſimus eius recordatus iniuriæ pœnas ab illo tantæ audaciæ debitas perſequeretur. Nam cùm delapſi eſſemus in eum ſermonem aliquando, ſuſpicionem culpæ mihi fecit, quòd nimia diligentia eam à ſe culpam remouere niteretur. His cauſis tribus acceſſit illa, quòd inter Hæreticos apud quos vix quidquam ad ſummam opinionem doctrinæ, præter linguarum cognitionem & impudentem ad maledicendum audaciam deſideratur, maiore loco vt ſemper fuerat quam apud nos futurus eſſe videbatur: Semper enim appetunt Hæretici laudem: quódque ſcitè admodum & ſalsè de philoſophis Hieronymus dixit, id verè de omni Hæreticorum genere dici poteſt. Hæreticus eſt animal gloriæ. Hæc tibi ſcribenda Mompenſeri Princeps illuſtriſſime putaui, ne te incerti & varij populi rumores ſolicitum haberent, quæ ſi nimis epiſtolæ modum exceſſerunt, non id loquacitas mea fecit, à qua longiſſimè equidem abhorreo, ſed longitudo potiùs itinerum, per quæ neceſſe fuit hanc ipſam epiſtolam peruagari. Vale.

INDEX

INDEX SCRIPTVRARVM TAM VETERIS QVAM NOVI TESTAMENTI, QVÆ IN HOC OPERE CITANtur & interpretantur.

EX GENESI.

Cap. 1. v. 2. *ET non erat lux.* 20

1. 5. *Factum eſt veſpere & mane dies vnus* 432. 514

1. 14. *Fiant luminaria in firmamento, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos* 281

1. 14. *Et facta ſunt aſtra in ſigna, vt ſint in dies & annos* 43

2. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ* 145

3. 11. *Quis indicauit tibi quod nudus eſſes?* 383.

6. 5. 7. *Pœnitet me feciſſe hominem in terra* 73

9. 5. *De manu fratris eius requiram animam eius* 277

10. 14. *De quibus egreſſi ſunt Philiſthiim & Caphtorim* 173

13. 9. *Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro; ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo* 151

14. *At verò Melchiſedech rex Salem proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei* 700. 701

ibid. *Benedixit autem ei, & ait, Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cœlum & terram* 702

15. 1. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* 45

Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam 121

15. *Statim ſermo Domini factus eſt ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem* 694

15. 13. *Scito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis* 285

17. 4. *Eriſque pater multarum gentium* 132 ibidem.

17. 20. *Et faciam illum in gentem magnam*

20. 15. *Terra coram vobis eſt, vbicumque tibi placuerit habita* 151

22. *Per memetipſum iuraui, dixit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes* 695. 699

25. 23. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo* 133

30. 1. *Da mihi liberos, alioquin moriar* 360

31. 7. *Pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus* 592

31. 48. *Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodie* 156

33. 4. *Currens itaque Eſaü obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringenſque collum eius, & oſculans, fleuit* 120

42. 24. *Auertitque ſe parumper, & fleuit* ibid.

43. 30. *Feſtinauitque quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo, & erumpebant lachrymæ, & introiens cubiculum fleuit* ibid.

45. 14. *Cumque amplexatus recidiſſet in collum Beniamin fleuit* ibid.

47. 9. *Dies peregrinationis meæ centum*

triginta annorum ſunt, parui & mali 662

49.10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt* 132. 672

EX EXODO.

1.7. *Filij Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleuerunt terram* 357

3. 14. *Ego ſum, qui ſum* 49

12 41. *Os non comminuetis ex eo* 121

18. 13 *Altera die ſedit Moyſes vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſque ad veſperam* 82

19. *Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta* 700

20.5. *Ego Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios* 381

20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam: vt ſit longæuus ſuper terram* 137

28. 38. *Portabitque Aaron iniquitates eorum* 242

29. 37. *Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit ſanctum ſanctorum; omnis qui tetigerit illud ſactificabitur* 497

32. 6. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere* 359

32. 10. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam* 33

32.31.32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti* 51

33. 2. *Ipſe autem exquiram animas veſtras* 277

33. 3. *Populus eſt enim duræ ceruice* 258

39. 29. *Sanctificabiſque omnia, & erunt ſancta ſanctorum, qui tetigerit ea ſanctificabitur* 497

EX LEVITICO.

5. 1 *Niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam* 242

5. 11. *Quod ſi non quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem Ephi decimam* 250. 505

6. 20. *Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis ſuæ. Decimam partem Ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſempiterno* 491. 498

11. 11. *Morticina vitabitis* 135

12. 8. *Quod ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarũ* 505

16.2.3.4. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum, coram propitiatorio; quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo ſuper oraculum) niſi hæc antè fecerit. Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtum. Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineã imponet capiti* 497

16. *Poſtquam confregero baculum panis, ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non ſaturabimini* 684

17. 10. *Obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam de populo ſuo* 82. 312

18 8. *Turpitudinẽ vxoris patris tui non diſcooperie; turpitudo enim patris tui eſt* 397

19. 26. *Non comedetis carnem cum ſanguine, non augurabimini, non obſeruabitis ſomnia* 447

22. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid aliud dare voluerit, quia corrupta & maculata ſunt omnia: non ſuſcipietis ea* 496

24. 4. *Super candelabrum mundiſſimum ponentur ſemper in conſpectu Domini* 360

26.26. *Decem mulieres in vno clybano coquent panes* 592

26. 39. 40. 41. *Propter peccata patrum ſuorum, & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, & malorum ſuorum recordarentur* 258. 261. 262.

29. 33. 34. *Vos autem diſpergam in gentes, & euaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ. Tunc placebunt terræ ſabbata ſua,*

Digitized by Google

ta ſua, cunctis diebus ſolennitatis ſuæ, quando fueritis in terra hoſtili ſabbatizabit, & requieſcet 69

EX NVMERIS.

12. 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomniũ loquar ad illũ 538. 584
14. Fluet aqua de ciſterna eius, & ſemen illius erit in aquas multas 718
14. 22. Tentauerunt me iam per decem vices 592
18. 20. In terra eorum nihil poſſidebis, neque habebis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua 498
21. 26. 27. 28. Vrbs Heſebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab, & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat vſque ad Aaron. Ignis egreſſus eſt de Heſebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarũ, & habitatores excelſorũ Arnon 186

EX DEVTERONOMIO.

1. Sediſtis longo tempore 671
4. 6. Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi verba hæc dicant, En populus ſapiens & intelligens, gens magna 966
4. 8. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtáque iudicia. & vniuerſam legem quam ego proponam hodie ante oculos veſtros? 267
4. 24. Deus ignis conſumens eſt, 595
4. 30. Poſtquam te inuenerint omnia, quæ prædicta ſunt, nouiſſimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius 258. 261
4. 37. 38. Dilexit patres ſuos, & elegit ſemen eorum poſt eos. Eduxítque te præcedens in virtute ſua magna ex Ægypto, vt dileret nationes maximas, & fortiores te in introitu tuo 264
6. 13. Per nomen eius iurabis 163
7. 6. 7. Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſit ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos cum omnibus ſuis populis pauciores 264
7. 16. Deuorabis omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Non parcet eis oculus tuus 322
11. 16. 17. Cauete ne fortè decipiatur cor veſtrum, & recedatis à Domino, ſeruiatiſque Diis alienis, & adoretis eos: iratúſque Dominus claudat cœlum, & pluuia non deſcendant 398
13. 8. Non acquieſcas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum 322
18. 1. Non habebunt ſacerdotes & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt, partẽ & hæreditatem cum reliquo Iſraël 498
18. Dominus Deus tuus introducet terram riuorum aquarúmque & fontium in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi 718
18. 15. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies 113. 116
19. 6. Ne forſitan proximus eius, cuius effuſus eſt ſanguis, dolore ſtimulatus perſequatur, & apprehendat eum, ſi longior via fuerit, & percutiat animam eius qui non eſt reus mortis 152
23. 3. Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem, non intrabunt Eccleſiam Domini in æternum 223. 496
25. 13. 14. Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor 502
27. 21. Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animã ſanguinis innocentis 152
28. 13. Conſtituet te Dominus in caput & non in caudam. & eris ſemper ſupra: & non ſubter. Si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio hodie, & cuſtodieris & feceris 254
28. 25. Et diſpergaris per omnia regna terræ 222
ibid 43. Aduena qui tecum verſatur in terra, aſcẽdet ſuper te eritque ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior 254

28.49. *Adducet Dominus ſuper te gentem de lõginquo, & de extremis terræ finibus in ſimilitudinẽ aquilæ volãtis cum impetu:cuius lingua intelligere nõ poſſis* 268

28.50. *Gentem procaciſſimam,quæ non deferat ſeni,& non miſereatur paruuli* ibid.

28.62. *Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis ſicut aſtra cœli præ multitudine, quoniam non audiſti vocem Domini Dei tui* 258

30.6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum,& cor ſeminis tui: vt diligas Dominum Deum tuũ in toto corde tuo* 258

30.11.12. *&c. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, nec procul poſitum,nec in cœlo ſitum &c.* 263

30.15. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem & malum* 162 253

31.15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit* 23

32.1. *Audite cœli quæ loquor,audiat terra verba oris mei* 319

32.2. *Fluat vt ros eloquium meum* 385

32. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, gladius meus deuorabit carnes: de cruore occiſorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis* 720

32.8. *Conſtituit terminos populorum,iuxta numerum angelorum Dei* 584

32.15.16. *&c. Dereliquit Deum factorem ſuum,& receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum &c.* 267

32.30. *Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia ? nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos* 167. 168. 169. 325. 228. 229. 297. 324. & 325.

32.37.38. *Et dicet, Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam,de quorum victimis comedebant adipem, & bibebant vinum libaminum? Surgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant* 11. 142

32.40. *Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum* 380. 455. 496.

33.35. *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua* 118

EX IOSVE.

20.3. *Vt confugiat ad eas, quicumque animam percuſſerit neſcius* 452.

EX RVTH.

1.17. *Hæc faciat mihi Deus,& hæc addat ſi non ſola mors me, & te ſeparauerit* 156

3.9. *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* 358

EX I. REGVM.

2.5. *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt* 52. 376

2.6. *Qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit* 73

3.7. *Porrò Samuel necdum ſciebat Dominum.*

14.12. *Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis rem* 168

20.23. *De verbo autem quod locuti ſumus, ego & tu, ſit Dominus inter me, & te vſque in ſempiternum* 156

20.42. *Dixit ergo Ionathas ad Dauid, vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes, Dominus ſit inter me & te, & inter ſemen tuum, & ſemen meum, vſque in ſempiternum* ibid.

24.11. *Cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus.* 322

25.22. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent, vſque mane, mingentem ad parietem* 156

26.8. *Perfodiam eum lancea in terra ſemel, & ſecundo opus non erit* 322

31.4. *Euagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumciſi iſti,& interficiant me, illudentes mihi* 427

EX II. REGVM.

2. *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius* 71. 694

5. Ce

5. *Cepit autem David arcem Sion* 684
8.2. *Menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum* 229
8. 15. *Faciebat quoque David iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo.* 82
16. *Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam.* 694
16. 10. *Dominus præcepit ei, vt malediceret David:* 202
17. *Sed hoc mihi videtur eſſe rectum conſilium, congregetur ad te vniuerſus Iſraël a Dan vſque ad Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum, & irruemus ſuper eum, in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum, ſicut ſolet cadere ros ſuper terram.* 697
14. 19. *Numquid manus Ioab tecum eſt in omnibus iſtis.* 154
19. 10. *Vſquequo ſiletis, & non reducitis regem?* 174. 208
21. 17. *Tunc iurauerunt viri David dicentes, Non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael.* 700
49. 22. *Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt* 273

EX III. REGVM.

6.36. *Edificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri* 329
8.44. & 48. *Si in terra inimicorũ ſuorum, ad quam captiui ducti fuerint, orauerint te contra viam terræ ſuæ quam dediſti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegiſti, & templi quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo* 577
9.8. *Omnis qui tranſierit per eam ſtupebit & ſibilabit* 74
12.28. *Ecce Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti* 401
13.33 *Quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos* 493
14. 15 *Euellet Iſraël de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen* 377
18. 28. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis donec perfunderentur ſanguine* 279

EX IIII. REGVM.

2. 15. *Requieuit ſpiritus Heliæ ſuper Heliſæum* 165
4.13. *In medio populi mei habito* 142. 343
4. 19. *Caput meum, caput meum doleo* 388
7.1. *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit eſſe quod loqueris* 111
ibid. 2. *Videbis oculis tuis, & inde non comedes* 111
11. 12. *Et plaudentes manibus dixerunt, Viuat rex.* 391
12. 17. *Et direxit faciem ſuam, vt iret in Ieruſalem* 157
15. 19. *Veniebat Phul rex Aſſyriorum in Therſam, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum eius* 401
15. 27. 28. 29. *Venit Teglatphalaſar rex Aſſur, & cepit Aion & Abel, domum Maacha, & Ianoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad, & Galilæam, & vniuerſam terram Nephtali, & tranſtulit eos in Aſſyrios* 312
19. 15. *Domine Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus regum omnium terræ* 299
19. 24. *Bibi aquas alienas, & ſiccaui veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas* 435
21. 4. 5. *Extruxitq́, aras in domo Domini, de qua dixit Dominus, In Ieruſalem ponam nomen meum. Et extruxit altaria vniuerſæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini* 129
21. 6. *Et traduxit filium ſuum per ignem ibid.*

Digitized by Google

21.13. *Et extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab* 229

22.16. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, omnia verba legis quæ legit rex Iuda* 285

23.30. *Tulitque populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & vnxerunt eum, & conſtituerunt eum regem pro patre ſuo* 375

23.32. *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius* ibid.

23.33. *Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath* 376

24.2. *Immiſitq́, ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrũculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immiſit eos in Iudæam, vt diſperderent eum* 377

24.7. *Tulerat enim rex Babylonis à riuo Ægypti vſque ad fluuium Euphratem, omnia quæ fuerant regis Ægypti* 435

25.5. *Perſecutus eſt autem eos exercitus Chaldæorum* 148

EX I. PARALIP.

5.26. *ET ſuſcitauit Deus Iſraël ſpiritum Phul regis Aſſyriorum* 292

13. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium* 116

28.2. *Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri* 228

EX II. PARALIP.

3. *CVmque iam ingreſſus eſſet domum Dei ſui, filij qui egreſſi erant de vtero eius, interfecerunt eum gladio* 694

7.20. *Euellam de terrà mea, quam dedi vobis: & domum hanc, quam ſanctificaui nomini meo, proiiciam à facie mea* 377

13.19. *Et cepit ciuitates eius, Bethel, & filias eius: & Ieſana cum filiabus ſuis, Ephron quoque & filias eius* 189

24.22. *Videat Dominus & requirat* 279

29.8. *Tradiditque eos in commotionem, & in interitum, & in ſibilum* 74

36.22. *Suſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum* 292

EX TOBIA.

3.22. *NON enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum exultationem inducis* 643

EX IOB.

2.4. *PEllem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua* 195

3.16. *Aut ſicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem* 262

6.10. *Nec contradicam ſermonibus Sancti* 271

7.4. *Replebor doloribus vſque ad tenebras* 234.251

7.9.10. *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet: nec reuertetur vltrà in domum ſuam, neq; cognoſcet eum amplius locus eius* 234

10.1. *Tædet animam vitæ meæ* 320

10.2. *Indica mihi, cur me ita iudices* 51

10.18. *Quare de vulua eduxiſti me?* 80

10.21. *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine* 234

12.25. *Errare faciet eos quaſi ebrios* 180

12.18. *Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum* 279.302

14. *Breues dies hominis ſunt, & numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt*

terunt 572.573

14.12. *Homo cùm dormierit non reſurget, donec alteratur cœlum non euigilabit* 234

15.16. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruens diſciplina* 538

16.10. *Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus ſuis* 231

17.12. *Noctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem* 234.251

19. *Halitum meum abhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei.* 694

16.3. *En decies confundis me* 592

19.23.24. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro, ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel certè ſculpantur in ſilice?* 68.69

20.6.7. *Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius cœlum tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, Vbi eſt* 192

20.29. *Hæc eſt pars hominis impij à Deo: & hereditas verborum eius à Domino* 237

21.7. *Subleuati ſunt, confortatiq; diuitiis. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum* 51

21.13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt* 243

21.19. *Deus ſeruabit filiis illius dolorem patris, & cùm reddiderit, tunc ſciet* 91

22.14. *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat; & circa cardines cœli perambulat* 330

28.13.14. *Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit, non eſt in me: & mare loquitur, non eſt mecum* 263

28.15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius* 264

28.30. *Sapientia verò vbi inuenitur: & quis locus eſt intelligentiæ* 262.263.264

33.28. *Liberauit animam ſuam, ne pergeret in interitum: ſed viuens lucem videret* 262

38.3. & 40.2. *Accinge ſicut vir lumbos tuos* 5

38.35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adſumus?* 265

38.36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* 262

39.17.18. *Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? obliuiſcitur, quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat* 242

40.19.20. *In oculis eius quaſi hamo capies eum, & in ſudibus perforabis nares eius.* 431

EX PSALMIS.

1.1. B*Eatus vir qui non abiit in concilio impiorum* 54

1.3. *Folium non defluet ex eo* 511

1.6. *Iter impiorum peribit* 90

2.1. *Quare fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania* 220.716

2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu* 691

2.6. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans verbum, & præceptum eius* 119.370.679.686.688.689

2.9. *Reges eos in virga ferrea* 323

2.11. *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in Excelſo?* 222

3.3. *Non eſt ſalus ipſi in Deo* 263

3.4. *Tu es gloria mea, & exaltans caput meum* 8

5.4. *Manè exaudies vocem meam* 82

5.5. *Manè aſtabo tibi & videbo* ibid.

6.1. *Domine ne in furore tuo arguas me* 46

6.6. *In inferno autem, quis confitebitur tibi?* 256

7.14. *Et in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit* 332

9.7. *Periit memoria eius cum ſonitu* 191

9.17. *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, & in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator* 124

9.33. *Propter quid irritauit impius Deũ? dixit enim in corde ſuo, non requiret* 279

9.39 *Iudicate pupillo, & humili, vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram* 222

10.2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde* 40

10. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt* 149

10.6. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur. & ſpiritus procellarum pars calicis eorum* 466

12.1. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem: vſquequo auertis faciem tuam a me?* 326

12.2. *Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?* 54

13.3. *Veloces pedes eius ad effundendum ſanguinem* 90

15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. quoniam à dextris eſt mihi ne commouear* 675.714

15.6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi* 53 511

15.7. *Vſque ad noctem increpuerunt me renes mei* 235

17. *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, & auditu auris obediuit* 690

17.11. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit. volauit ſuper pennas ventorum* 199

17.40. *Et præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me, ſubtus me* 169

17.44. *Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput Gentium* 212

18. *Qui aſtitit à dextris pauperis: vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam* 675

18.11. *Deſiderabilia iudicia tua ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum* 54

21.1. *Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti?* 714

21.8. *Deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput* 74

23. *Attollite portas principes veſtras, & introibit rex gloriæ.* 667

24.10. *Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas* 373 618

24.18. *Humilitatem meam, & laborem meum tu ſcis* 53

25.4. *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo* 54

26.2. *Ipſi infirmati ſunt & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus* 168

27.1. *Deus meus ne ſileas à me* 174

ibid. *Ne quando taceas à me: & aſſimilabor deſcendentibus in lacum* 146.261

27.4. *Da illis ſecundũ opera eorum, & ſecundùm nequitiam adinuentionum ipſorum, ſecundùm opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis* 29.49

28.3.5. *Vox Domini ſuper aquas, Deus ſuper aquas intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani* 295.336

28.10 *Et ſedebit Dominus rex in æternum* 260

29.7. *Ego dixi in abundantia mea: non mouebor in æternum* 86

29.10. *Numquid confitebitur tibi puluis?* 256

30.13. *Factus ſum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu* 78

32. *Tenuiſti manum dexteram meam* 675

32.18. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum* 149

33.16. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum* ibi.

34.6. *Fiat via illorum tenebræ, & lubricũ, &*

& angelus Domini perſequens eos 90
34.16. Tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis 231
35.7 Montes Dei 28.329
36.11. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis 261
36.12. Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis 231
36.17. Declina à malo, & fac bonum 8. 618
36.28. Semen impiorum peribit 50
36.35. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani 85
37.4. Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum 236
37.5. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me 208. 224. 312
37.9. Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei 182. 200. 211
38.3. Humiliatus ſum, & ſilui à bonis 146
38.3. Silui à bonis, & dolor meus renouatus eſt 236
39.13 Comprehenderunt me iniquitates meæ. 208.312.452
40.10 Homo pacis meæ in quo ſperabam: qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem 79
41.3. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum 201.202
41.5. Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam 168
41.8. Fluctus tui ſuper me tranſierunt 318
43.15. Poſuiſti nos in ſimilitudinem Gentibus: commotionem capitis in populis 212
43.23. Exurge, quare obdormis Domine? 49
44.2. Lingua mea calamus ſcribæ: velociter ſcribentis 140
44. Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, &c. 685
44.8. Vnxit te Dominus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis 244
44.13. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis 254
46.2. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis 391. 415
48.11.12. Relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum 234.252
48.12. Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis 70
49.1. Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram 547
49.3. Deus manifeſtè veniet: Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in cõſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida 308. 693
50.6. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, &c. 51.252.260
50.17. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam 626
54.6. Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ 234. 251
54.8. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? 177
54.24. Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos 396
57.11. Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris 226
58.7. Famem patientur vt canes 157
59.3. Iratus es, & miſertus es nobis 258
59.5. Oſtendit populo ſuo dura, potauit eos vino compunctionis 37
59.6. Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus 129
60.3. Cum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me 260
62.6. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea 202
60.12. Laudabuntur omnes, qui iurant in eo 18.163
63.5. Intenderunt arcum rem amaram vt ſagittent in occultis immaculatum 40.
64.14. Valles abundabunt frumento 189

Digitized by Google

65. 11. *Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra* 221
65. 12. *Tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium* 353. 410
66. 2. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri* 619
67. 10. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati ſuæ* 70
67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex* 357
68. 2. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam* 240
68. 4. *Defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum* 256
68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me* 28
68. 16. *Neque abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuũ* 240
68. 24. *Et dorſum eorum ſemper incurua* 258
68. 25. *Effunde ſuper eos iram tuam* 314
68. 27. *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt* 165
ibid. 28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum* *ibid.*
69. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Dixit Dominus, ex Bazan conuertam in profundum maris, vt intingatur pes tuus in ſanguine, &c.* 710
70. 11. *Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, &c.* 79. 115. 199
71. *Et erit firmamentum in ſummis montium* 705
71. 8. *A mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarũ* 125. 509
72. 2. *In iuſtitia tua libera me; & eripe me* 272
72. 2. 3. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei* 51
72. *Reges Charſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducentes, &c.* 690
72. 4. *Non eſt reſpectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum* 243
72. 11. *Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo* 52. 330
72. 21. *Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt* 235
72. 26. *Pars mea Deus in æternum* 237
73. 2. *Memor eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio* 7
73. 2. *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ* 189
73. 7. *Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui* 228
74. 6. *Nolite extollere in altum cornu veſtri, &c.* 43. 180. 655
74. 9. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, &c.* 97
75. 6. *Et nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis* 263
76. 10. *Non continebit in ira ſua miſericordias ſuas* 238
77. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum* 11. 258. 319
77. 9. *Filij Ephrem intendentes, &c.* 167
77. 34. *Cùm occideret eos, quærebant eum, &c.* 122
77. 60. *Et repulit Tabernaculum Silo: tabernaculum ſuum, &c.* 33
78. 1. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.* 412
78. 2. 3. *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus, &c.* 35. 387
78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt* 334
78. 10. *Vbi eſt Deus eorum?* 255. 268
78. 11. *Introeat in conſpectu tuo omnis gemitus compeditorum* 227
79. 2. 3. *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim, &c.* 299
79. 6. *Et cibauit nos pane lachrimarum, &c.* 37
79. 9. *Excita potentiam tuam, & veni, & ſaluos facias nos* 618
ibid. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eiecisti gentes; & plantaſti eam* *ibid.*
79. 11. *Cedros Dei* 329
79. 12. *Extendit palmites ſuas vſque ad mare,*

Digitized by Google

mare, &c. 125.182
79.14. *Exterminauit eam aper de ſylua, &c.* 591
80.6. *Linguam quam non nouerat, audiuit* 268
80.13. *Ibunt in adinuentionibus ſuis* 48
81.1. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam* 218
82.2. *Ne taceas, neque compeſcaris Deus* 146
82.5. *Dixerunt, Venite, & diſperdamus eos de gente, &c.* 49
82. *Gebal, & Ammon, & Amalech, &c.* 421
84.8. *Ibunt de virtute in virtutem* 511
84.16. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, &c.* 151.6.8
87.5. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, &c.* 261
87.7. *Poſuerunt me in lacu inferiori: in tenebroſis, & in vmbra mortis* 240
87.10. *Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas* 225
87.11. *Numquid mortuis facies mirabilia, &c.* 256
87.17. *In me tranſierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me* 3.8
88.30. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius: &c.* 132.251
88.33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum* 28.90.234.323
88.35. *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita* 163
88.36. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar* 156.372
90.1. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur* 199
92.1. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt* 272
92.1. *Firmauit orbem terræ: qui non commouebitur* 264
93.2. *Redde retributionem ſuperbis* 49
93.7. *Et dixerunt, Non videbit Dominus, &c.* 72
94.2. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione* 618
94.11. *Quibus iuraui in ira: ſi introibunt, &c.* 84.156.164.317.572.381
97.8. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt* 415
98.1. *Dominus regnauit, iraſcantur populi, &c.* 299.333
98.5. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, &c.* 228.680.
101.10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam* 236
101.28. *Mutabis eos, & mutabuntur* 1.8.112
102. *Quia ædificauit Dominus Sion, &c.* 686
102.9. *Non in perpetuum iraſcetur, &c.* 297
102.13.14.15. *Quomodo miſeretur pater filiorum, &c.* 260
103.1. *Benedic anima mea Domino, Deus meus magnificatus, &c.* 692
103.2. *Confeſſionem & decorem induiſti,* 692
103.2.3. *Amictus lumine ſicut veſtimento. Qui tegis, &c.* 297.302.595
103.5. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, &c.* 24
103.7. *A voce tonitrui tui formidabunt* 182
104.16. *Et vocauit famem ſuper terram* 20
104.25. *Conuertit cor eorum, vt odiret populum ſuum, &c.* 19.297
105.6. *Peccauimus cum patribus noſtris, &c.* 255
105.7.8. *Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia ſua, &c.* 381
105.23. *Et dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus, &c.* 152
105.35. *Et commiſti ſunt inter gentes, &c.* 3.17.460
105.37. *Quis immolant filios ſuos & filias ſuas dæmoniis* 12.67.76
106.27. *Moti ſunt ſicut ebrius* 386
106.34. *Dedit terram fructiferam in ſalſuginem a malitia inhabitantium in ea* 31.90.344
107.5. *Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, &c.* 208

65. 11. *Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra* 221

65. 12. *Tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium* 353. 410

66. 2. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri* 619

67. 10. *Pluuiam voluntariam ſegregabit Deus hæreditati ſuæ* 70

67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex* 357

68. 2. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam* 240

68. 4. *Defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum* 256

68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me* 28

68. 16. *Neque abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuũ* 240

68. 24. *Et dorſum eorum ſemper incurua* 258

68. 25. *Effunde ſuper eos iram tuam* 334

68. 27. *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt* 165

ibid. 28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum* ibid.

69. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Dixit Dominus, ex Bazan conuertam in profundum maris, vt intingatur pes tuus in ſanguine, &c.* 710

70. 11. *Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, &c.* 79. 115. 199

71. *Et erit firmamentum in ſummis montium* 705

71. 8. *A mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarũ* 125. 509

72. 2. *In iuſtitia tua libera me; & eripe me* 272

72. 2. 3. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei* 51

72. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducentes, &c.* 690

72. 4. *Non eſt reſpectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum* 243

72. 11. *Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo* 52. 330

72. 21. *Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt* 235

72. 26. *Pars mea Deus in æternum* 237

73. 2. *Memor eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio* 7

73. 2. *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ* 189

73. 7. *Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui* 228

74. 6. *Nolite extollere in altum cornu veſtri, &c.* 43. 180. 655

74. 9. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, &c.* 97

75. 6. *Et nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis* 263

76. 10. *Non continebit in ira ſua miſericordias ſuas* 238

77. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum* 11. 258. 319

77. 9. *Filij Ephrem intendentes, &c.* 167

77. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum, &c.* 122

77. 60. *Et repulit Tabernaculum Silo: tabernaculum ſuum, &c.* 33

78. 1. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.* 412

78. 2. 3. *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus, &c.* 35. 387

78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt* 334

78. 10. *Vbi eſt Deus eorum?* 255. 268

78. 11. *Introeat in conſpectu tuo omnis gemitus compeditorum* 227

79. 2. 3. *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim, &c.* 299

79. 6. *Et cibauit nos pane lachrimarum, &c.* 37

79. 9. *Excita potentiam tuam, & veni, & ſaluos facias nos* 618

ibid. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam* ibid.

79. 11. *Cedros Dei* 329

79. 12. *Extendit palmites ſuas vſque ad mare,*

mare, &c. 125.182

79.14. *Exterminauit eam aper de ſylua, &c.* 591

80.6. *Linguam quam non nouerat, audiuit* 268

80.13. *Ibunt in adinuentionibus ſuis* 48

81.1. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam* 228

82.2. *Ne taceas, neque compeſcaris Deus* 146

82.5. *Dixerunt, Venite, & diſperdamus eos de gente, &c.* 49

82. *Gebal, & Ammon, & Amalech, &c.* 421

83.8. *Ibunt de virtute in virtutem* 511

84.16. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, &c.* 1,1.6.8

87.5. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, &c.* 261

87.7. *Poſuerunt me in lacu inferiori: in tenebroſis, & in vmbra mortis* 240

87.10. *Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas* 225

87.11. *Nunquid mortuis facies mirabilia, &c.* 256

87.17. *In me tranſierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me* 3.8

88.30. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius: &c.* 132.251

88.33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum* 28.90.234.323

88.35. *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita* 163

88.36. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar* 156.372

90.1. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur* 199

92.1. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt* 272

92.1. *Firmauit orbem terræ: qui non commouebitur* 264

93.2. *Redde retributionem ſuperbis* 49

93.7. *Et dixerunt, Non videbit Dominus, &c.* 72

94.2. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione* 618

94.11. *Quibus iuraui in ira: ſi introibunt, &c.* 84.156.164.317.572.381

97.8. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt* 415

98.1. *Dominus regnauit, iraſcantur populi, &c.* 299.333

98.5. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, &c.* 228.680.

101.10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam* 236

101.28. *Mutabis eos, & mutabuntur* 118.122

102. *Quia ædificauit Dominus Sion, &c.* 686

102.9. *Non in perpetuum iraſcetur, &c.* 297

102.13.14.15. *Quomodo miſeretur pater filiorum, &c.* 260

103.1. *Benedic anima mea Domino, Deus meus magnificatus, &c.* 692

103.2. *Confeſſionem & decorem induiſti;* 692

103.2.3. *Amictus lumine ſicut veſtimento. Qui tegis, &c.* 297.302.595

103.5. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, &c.* 24

103.7. *A voce tonitrui tui formidabunt* 182

104.16. *Et vocauit famem ſuper terram* 20

104.25. *Conuertit cor eorum, vt odiret populum ſuum, &c.* 19.297

105.6. *Peccauimus cum patribus noſtris, &c.* 255

105.7.8. *Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia ſua, &c.* 381

105.23. *Et dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus, &c.* 152

105.35. *Et commiſti ſunt inter gentes, &c.* 317.460

105.37. *Qui immolant filios ſuos & filias ſuas dæmoniis* 12.67.76

106.27. *Moti ſunt ſicut ebrius* 180

106.34. *Dedit terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea* 51.90.344

107.5. *Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, &c.* 208

108. 4. *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam* 74

ibid. 5. *Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, &c.* ibid.

108. 9. *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua* 376

108. 13. *Fiant nati eius in interitum, &c.* 75

ibid. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius, &c.* ibid.

108. 8. *Induunt maledictionem ſicut veſtimentum* 272

109. . *Virgam virtutis tuæ emittit Dominus ex Sion, &c.* 289

109. 3. *In ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum genui te* 595

109. 6. *Iudicabit in nationibus implebit ruinas* 391. 491

113. 1. 2. *In exitu Iſraël de Ægypto: domus Iacob de populo, &c.* 273. 274

113. 4. *Montes exultauerunt ſicut arietes, &c.* 274

113. 7. *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob* 285

113. 9. 10. *Non nobis Domine non nobis, &c.* 260. 619

113. 10. *Et nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos* 255

134. 18. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis* 7

113. 26. *Non mortui laudabunt te Domine &c.* 256

117. 6. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo* 79

117. 18. *Caſtigans: ſed morti non tradidit me* 237

117. 22. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, &c.* 546

118. 71. *Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas* 237

118. 40. *Ignitum eloquium tuum vehementer* 79. 92

118. 57. *Portio mea, Domine, dixi: cuſtodire legem tuam* 237

118. 58. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo* 254

118. 67. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui* 122

118. 71. *Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas* 237

118. 75. *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia. &c.* 239

118. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* 256

118. 84. *Multi enim gemitus mei, quot ſunt dies ſerui tui, &c.* 227

118. 89. *In æternum Domine verbum tuum permanet* 266

118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis* 666

ibid. 123. *Oculi mei defecerunt in Salutare tuum* 256

118. 135. *Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum* 619

118. 158. *Vidi præuaricantes & tabeſcebam, &c.* 90

120. 1. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi* 373

121. 3. *Ieruſalem, quæ ædificatur, vt ciuitas* 125

121. 7. *Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis* 132. 261

122. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, &c.* 676

125. 6. *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, &c.* 120. 153. 154. 269. 273.

131. 11. *Iurauit Dominus David veritatem, &c.* 71. 132

131. 17. *Illuc producam cornu David, paraui lucernam Chriſto meo* 433

136. 1. *Super flumina Babylonis, &c.* 221. 286

136. 5. *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, &c.* 156

136. 7. *Memor eſto Domine filiorum Edom, &c.* 244

137. 7. *Si ambulauero in medio tribulationis, &c.* 28. 320

138. 2. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam* 140

138. 5. *Ecce tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua,* 91

138. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, &c.* 131. 353

Digitized by Google

138.7.8. *Quò ibo à ſpiritu tuo: & quò à facie tua fugiam? &c.* 91.213

138.9 *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris* 177

138.12. *Tenebræ non obſcurabuntur à te, &c.* 350.558

141.5. *Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam* 277

141.6. *Tu es ſpes mea: portio mea in terra viuentium* 237

142.1. *Exaudi me in tua iuſtitia* 619

142.2. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens* 15

142.4. *Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus* 260

142.6. *Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi* 225

146.2. *Ædificans Ieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraëlis congregabit* 120

147.7. *Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum* 261

147.9. *Non fecit taliter omni nationi & iudicia ſua non manifeſtauit eis* 267

148.5. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt* 456

EX PROVERBIIS.

1.31. *Comedent igitur fructus viæ ſuæ* 321

2.6. *Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia. Qui præparauit terram, &c.* 263.264

2.13 *Qui relinquunt iter rectum, &c.* 74

2.14 *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis* 331

3. *Quid delecte mi, quid delecte vteri mei* 694

3.14. *Melior eſt acquiſitio eius negociatione auri & argenti &c.* 264

4.16. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant* 90

4.23. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum* 497

5.22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, &c.* 351

6.23. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux* 266

7.11. *Quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, &c.* 10

8. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, &c.* 695

8.15. *Per ipſum reges regnant* 73.438

8.30.31. *Cum eo eram cuncta componens: &c.* 262

9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis* 705

10.4. *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos* 86

19.1. *Melior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia ſua* 213

19.25. *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit* 510

20.10. *Pondus & pondus, menſura & menſura, &c.* 502

21.1. *Cor Regis in manu Domini: &c.* 303

21.31. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit* 46

24.16. *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget* 36.468

26.16. *Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias* 52

ibid.15. *Quando ſubmiſerit vocem ſuam, &c.* ibid.

EX SAPIENTIA.

1.13.14. *Deus mortem non fecit, &c.* 238.374.447.

2.12. *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris. &c.* 49

2.23.24. *Deus creauit hominem inexterminabilem, &c.* 374.447

3.1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis* 281

3.5.6. *Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe, &c.* 647

6.8. *Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, &c.* 120

8. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, &c.* 691

9.15.

9.15. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, &c.* 256

EX CANTICIS.

2.15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* 346
3.1. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* 220

EX ECCLESIASTE ET ECCLESIASTICO

2.10. *Hanc ratus ſum partem meam: ſi vterer labore meo* 237
4.2.3. *Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes, &c.* 84
10.8. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, &c.* 179.302
11.9. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, &c.* 244
12.3.4. *Otioſæ erunt molentes in minuto numero, &c.* 97
12.5. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ* 234
12.19. *Caput ſuum mouebit, & plaudet manu, &c.* 231
15.11. *Non dixeris, Per Deum abeſt, quæ enim odit, ne feceris* 447
17.26. *A mortuo quaſi nihil perit confeſſio* 256
21.9. *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, &c.* 185
22.23. *Frigidus vẽtus Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua, &c.* 296
33.27. *Iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ* 122.237
43.18. *Vox tonitrui eius verberauit terram, &c.* 296
45.6. *Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, &c.* 162.255.404

EX ISAIA.

1.1. *Viſio Iſaiæ filij Amos quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem* 520
1.2. *Filios enutriui & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me* 267
1.4. *Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, &c.* 220
1.5.6. *Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem? &c.* 30
1.6. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens, &c* 114
1.9. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, &c.* 267
1.11. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus?* 29
2.1. *Verbum quod vidit Iſaias filius Amos ſuper Iudam, & Ieruſalem* 520
2.2.3. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus, &c.* 119.473
2.3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem* 508
2.12. *Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, &c.* 168
3.1.2. *Ecce dominator Dominus auferet à Ieruſalem, &c.* 327
3.14. *Vos enim depaſti eſtis vineam meam* 182
3.16.17. *Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, &c.* 230
3.26. *Mærebunt atque lugebunt portæ eius, &c.* 221
4.1. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum* 468
4. *Super montem excelſum aſcende, tu qui Euangelizas Sion, &c.* 686
5.4. *Quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* 361
5.6. *Et nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem* 398
5.14. *Dilatauit infernus animam ſuam* 202
5.17. *Et deſerta in vbertatem verſa aduenæ comedent* 37
5.22. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, &c.* 90
5.25. *Iratus eſt furor Domini in populum ſuum, &c.* 28
5.28. *Vngulæ equorum eius vt ſilex, &c.* 173
5.29. *Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum* 585
6.1. *Hæc*

Digitized by Google

6.1. *Hec dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, &c.* 301
6.5. *In medio populi polluta labia habentiū ego habito* 40
6.13. *Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem* 120
7.8. *Caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin* 194
7.14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium* 123
7.14. *Vocabitur nomen eius, &c.* 468
8.3.4. *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari* 169
8.7. *Propter hoc, Ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, &c.* 168. 172.192
9.18. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam, &c.* 18.428
10.3. *Quid facietis in die viſitationis, &c.* 171
10.5. *Væ Aſſur virga furoris mei, baculus ipſe eſt: &c.* 323
10.7. *Et erit lumen Iſraël in igne, &c.* 18
10.21. *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ Iacob ad Deum fortem* 15.20.685
ibid. *In die illa radix Ieſſe, qui ſtatim ſignum populorum, &c.* 685
10.22. *Si fuerit populus tuus Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo* 470
10.23. *Conſummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet, &c.* 322
10.27. *Et erit in die illa, auferetur onus de humero tuo, &c.* 113
11.1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, &c.* 23.370.451.685
11.2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, &c.* 165
11.6. *Habitabit lupus cum Agno, & pardus cum hœdo accubabit ſimul* 89
12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris* 718
13.6. *Vlulate, quia propè eſt dies Domini: &c.* 168
13.8. *Torſiones & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt, &c.* 385
13.12. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo* 29.325
13.19. *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, &c.* 270
14.1. *Propè eſt vt veniat tempus eius, &c.* 199
14.24. *Iurauit Dominus exercituum dicens, &c.* 164.372.397
14.27. *In omnibus his non eſt auerſus furor eius, &c.* 358
15.1. *Quia nocte vaſtata eſt Ar, Moab, &c.* 174.425
15.1. *Onus Moab* 176
ibid. 2. *Super Nabo, & ſuper Medaba, Moab vlulabit* ibid.
15.2. *In cunctis capitibus eius caluitium & omnis barba radetur* 184
15.3. *In plateis eius omnis vlulatus* 161
15.5. *Vectes eius vſque ad Segor vitulam conſternantem* 170
15.5. *In via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* 177
16.6. *Audiuimus ſuperbiam Moab, &c.* 181
16.8. *Propagines eius relictæ ſunt, tranſmiſerunt mare* 182
16.9. *Super vindemiam tuam & ſuper meſſem tuam, &c.* 183
16.11. *Super hoc venter meus ad mons quaſi cythara ſonabit* 183
17.13. *Sonabunt populus ſicut ſonitus aquarum inundantium, &c.* 172
19.14. *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, &c.* 55.180
19.19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, &c.* 634
21.3. *Corrui cum audirem, conturbatus ſum cùm viderem* 384
22.12. *Et vocauit Dominus Deus exercituum, &c.* 184
24.4. *Luxit & defluxit terra* 48.189. 221.321
24.17. *Formido, & fouea, & laqueus ſuper te, &c.* 239
24.20. *Agitatione agitabitur terra, &c.* 99.229
22.17.18. *Formido, & fouea, & laqueus ſuper te, &c.* 185
28.7. *Sacerdos & Propheta neſcierunt* pra

præ ebrietate,&c. 327
28.15. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, &c. 57
28.16. Idcirco hæc dicit Dominus Deus, &c. 119.547.686
28.19. Cùm occideret eos quærebant eum, &c. 258
29.11. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati,&c. 653
30.2. Qui ambulatis vt aſcendatis in Ægyptum,&c. 9.49
30.14. Et comminuetur ſicut conteritur lagena figuli,&c. 76
30.15. In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra 237
30.16. Et dixiſtis, Nequaquam,&c. 296
33.1. Væ qui prædaris,nonne & ipſe prædaberis?&c. 115.209
33.9. Luxit & elanguit terra,confuſus eſt Libanus,&c. 221
33.11.12. Concipietis ardorem parietis ſtipulam,&c. 118
36.6. Ecce confidis ſuper baculum arundineum,&c. 431.469
34.9. Et conuertentur torrentes eius in picem,&c. 270
35.3. Confortate manus diſſolutas 349
35.8. Et erit ibi ſemita & via,& via ſancta vocabitur. Et hæc erit vobis derecta via,&c. 120
36.6. Gladius Domini repletus eſt ſanguine,&c. 388.469
37.30. Plantate vineas,& comedite fructus earum 118
38.12. Generatio mea ablata eſt: & conuoluta eſt à me quaſi tabernaculum paſtorum 229
40.3.4. Vox clamantis in deſerto,parate viam Domini,rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri 273
40.4. Omnis vallis exaltabitur,& omnis mons,&c. 120.260
40.11. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, &c. 450
40.13. Quis cognouit ſenſum Domini?&c. 91
41.2. Dabit in conſpectu eius gentes 351
42.16. Et ducam cæcos in viam, quam neſciunt,&c. 120.269
44. Diffundam aquas ſuper ſitientem,& fluenta.&c. 718
44.28. Qui dico Cyro,paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis 193
45.6.7. Ego Dominus,& non eſt alter; formans lucem, & creans tenebras; &c. 239
45.23. Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum,& non reuertetur 388
46.1.2. Confractus eſt Bel, contritus & Nabo,&c. 277
ibid.2. Non potuerunt ſaluare portatem, & anima eorum in captiuitatem ibit. ibid.
46. Dabo in Sion ſalutem, & in Iſraël gloriam meam 686
46. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos portabo: ego feci, & ego feram, &c. 676
46.11 Locutus ſum, & adducam illud, creaui,&c. 131.397.411.457
46. Audite me domus Iacob,& omne reſiduum domus Iſraël,&c. 694
47.2. Tolle molam,& mole farinam,denuda turpitudinem,&c. 56.402
47.8.9. Et nunc audi hæc delicata,& habitans confidenter,&c. 189
48.9. Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, &c. 132
48.15. Ego locutus ſum,& vocaui eum;adduxi eum,&c. 397
49. Viuo ego, dicit Dominus 698
49. Ecce ego, dixit Dominus, leuabo ad gentes manum meam, & ad populum exultabo ſignum meum,&c. 690
49.11. Et ponam omnes montes meos in viam,& ſemita mea exaltabuntur 269
49.12. Ecce iſti de longe venient, & ecce illi de Aquilone & mari, &c. 271
49.22. Afferent filios tuos in vlnis,& filias tuas,&c. 366
50.11. Ecce vos omnes accendentes ignem, &c. 69.428
51.16. Poſui verba mea in ore tuo 4
51.17. Conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu

Digitized by Google

manu Domini calicem iræ eius: &c. 97. 180. 405.
51. 21. Idcirco audi hoc paupercula, & ebria, non à vino 55. 80
52. Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, &c. 272
52. Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt, &c. 690
53. Generationem eius quis enarrabit? 695.
53. 5. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, &c. 244
54. 2. 3. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum, &c. 123
54. 13. Et ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino 94
55. Ecce teſtem populi dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus 690
55. 11. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, &c. 324. 388
56. 10. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, &c. 327. 446
57. 10. In multitudine viæ tuæ laboraſti 431. 581
57. 18. Sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius 269
58. 1. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, &c. 356
59. 1. Non abbreuiata eſt manus Domini, &c. 235
59. 2. Iniquitates enim veſtræ diuiſerunt inter vos, &c. 18. 235
59. 12. Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te 251. 260
59. 19. Cùm venerit quaſi fluuius violentus, &c. 192
60. 1. 2. 3. Surge, illuminare Ieruſalem, &c. 273
60. 4. Filij tui de longe venient, filiæ tuæ de latere ſurgent 366
60. 6. Inundatio camelorum operiet te 48
60. 8. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, &c. 296
61. 10. Induit me veſtimentis ſalutis, &c. 272
&c. 609
60. Leua in circuitu oculos tuos & vide,
60. 14. Et venient ad te curui filij eorum, &c. 269
61. 3. Vt ponerem lugentibus Sion, vt darem eis coronam pro cinere, &c. 272
62. Iurauit Dominus in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ 698. 699
62. 6. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, &c 119
65. 21. Et ædificabunt domos, & habuabunt, &c. 118
65. 22. Non plantabunt, & alius comedet ibid.
65. 25. Lupus & agnus paſcentur ſimul, & leo & bos comedent paleas 451
66. 1. Cælum ſedes mea eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum 490. 669
66. 12. Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, &c. 509
66. 20. Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino, &c. 273

EX IEREMIA.

1. 1. Verba Ieremiæ Prophetæ filij Helciæ, &c. 520
1. 11. 12. Quid tu vides Ieremia, & dixi, &c. 224. 255. 322. 618
1. 13. 14. Ollam ſuccenſam ego video, &c. 296. 385
1. 19. Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt 79
2. 10. 11. Tranſite ad inſulas Cethim, & videte, &c. 317
2. 13. Duo enim mala fecit populus meus, &c. 261
2. 18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? 368
2. 30. Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt 162
2. 21. Ego autem plantaui te vineam electam, &c. 182. 353
2. 26. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, &c. 180
2. 27. Dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuiſti 331
ibid. Verterunt ad me tergum, & non faciem,

ciem, &c. 258. 331

3. 3. *Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, &c.* 398

3. 17. *Vocabunt Ieruſalem ſolium Domini* 468

4. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte preputia cordium veſtrorum viri Iuda, &c.* 297

4. 5. 6. *Percuſſit eos leo de ſylua* 585

4. 6. *Malum ego adduco ab Aquilone & contritionem magnam* 296

4. 7. *Aſcendet leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuabit* 585

4. 13. *Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius* 296. 464. 585

4. 19. *Ventrem meum, ventrem meum doleo* 388

4. 27. *Deſerta erit omnis terra, &c.* 258. 267

5. 3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti eos, &c.* 11. 162. 305

5. 10. *Aſcendite muros eius & diſſipate, &c.* 258. 267

5. 14. *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem* 79

5. 15. *Ecce adducam vobis gentem de longinquo domus Iſraël* 268

6. 1. *Malum viſum eſt ab Aquilone, & contritio magna* 296

6. 17. *Conſtitui ſuper vos ſpeculatores. &c.* 446

6. 23. *Crudelis eſt, & non miſerebitur,* 435.

6. 13. *A Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum* 616

6. 28. *Omnes iſti principes declinantes, &c.* 397

6. 29. *Defecit ſufflatorium; in igne conſumptum eſt plumbum, &c.* 411

7. 4. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentis.* 15. 413

7. 11. *Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?* 326

7. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, &c.* 346

7. 24. 25. *Et miſi ad eos omnes ſeruos meos Prophetas, &c.* 616. 6. 7

7. 30. *Poſuerunt offendicula ſua in domo, &c.* 90. 318. 326. 406

8. 1. 2. *In illo tempore, ait Dominus, &c.* 257

8. 7. *Populus autem meus non cognouit iudicium Domini* 46. 172

8. 10. *A Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendacium* 616

9. 14. *Et abierunt poſt prauitatem cordis ſui, &c.* 252

9. 24. *In hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me* 85

10. 2. *Et à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes* 281

10. 5. *Portata tollentur, quia incedere non valent* 277

10. 22. *Vox auditionis ecce venit, & commotio magna, &c.* 296

10. 24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, &c.* 37. 113. 172

11. 8. *Sed abierunt vnuſquiſque in prauitate cordis ſui mali* 252

11. 15. *Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit, &c.* 90. 318

12. 10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam* 182. 450. 616

13. 24. *Et diſſeminabo eos quaſi ſtipulam, &c.* 74

13. 27. *Væ tibi Ieruſalem, non mundaberis poſt me* 162

13. 28. *Sicut vigilaui ſuper eos vt euellerem, &c.* 618

14. 4. *Propter terræ vaſtitatem quia non venit pluuia in terram, &c.* 398

14. 14. *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo, &c.* 305

14. 19. *Expectauimus pacem, & non eſt bonum, &c.* 327

15. 8. *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſuper arenam maris* 376

15. 9. *Occidit ei Sol, cùm adhuc eſſet dies* 435

16. 4. *Non plangentur, & non ſepelientur, &c.* 324

16. 5. *Ne ingrediaris domum conuiuij, &c.* 412

16. 6. *Non ſepelientur neque plangentur, &c.* 184

16. 7. *Et non frangent inter eos lugenti panem, &c.* 279

17. 10.

17. 10. *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, &c.* 29
17. 15. *Ecce ipſi dicunt ad me, Vbi eſt verbum Domini? veniat* 344
17. 16. *Quod egreſſum eſt de labiis meis, &c.* 250
18. 9. 10. *Et ſubitò loquar de gente, & de regno, &c.* 318. 616
18. 21. *Fiant vxores eorum abſque liberis, & vidua* 376
19. 8. *Ponam ciuitatem hanc in ſtuporem & in ſibilum, &c.* 318. 425
20. 3. *Ego ponam faciem meam contra illum, &c.* 81. 82
20. 9. *Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exaſtuans, &c.* 224
21. 10. *Poſui enim faciem meam ſuper ciuitatem hanc in malum* 312
22. 4. *Si facientes feceritis verbum iſtud, &c.* 497
22. 27. *Et in terram ad quam ipſi leuant animam ſuam, &c.* 162. 413
23. *Ecce dies veniunt* 668
23. 5. *Suſcitabo Dauid germen iuſtum, &c.* 451
23. 11. *In domo mea inueni malum eorum* 318. 406.
23. 14. *In Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem, &c.* 660
23. 20. *Non reuertetur furor Domini, &c.* 116
24. 9. *Dabo eos in vexationem, afflictionémque, &c.* 454
25. 11. 12. *Et erit vniuerſa terra hac in ſolitudinem, &c.* 614
25. 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, &c.* 180
25. 30. *Celeuſma quaſi calcantium concinetur, &c.* 182
25. 33. *Et erunt interfecti Domini in die illa, &c.* 324
25. 37. *Conticuerunt arua pacis à facie ira furoris Domini* 425
27. 8. *Gens autem & regnum, quod non ſeruierit, &c.* 257
29. 5. 6. *Ædificate, domos & habitate, & plantate hortos, &c.* 324
29. 7. *Quærite pacem ciuitatis ad quam tranſmigrare vos feci* 251
29. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, &c.* 614
29. 14. *Ecce ego addam, vt admirationem faciam, &c.* 74
29. 22. *Maledictio omni tranſmigrationi Iuda, &c.* 316
30. 11. *Sed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius* 172
31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, &c.* 710
31. 3. *Ægyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non ſpiritus* 70
31. 13. *Et conuertam luctum eorum in gaudium, &c.* 169
31. 19. *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam, &c.* 390
31. 28. *Et ſicut vigilaui ſuper eos, vt euellerem, &c.* 255
31. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum* 94
31. 34. *Et non docebit vltrà vir proximum ſuum* 94
32. 20. *Qui poſuiſti ſigna & portenta in terra Ægypti, &c.* 618
32. 33. *Verterunt ad me terga, & non facies, &c.* 331
32. 34. *Poſuerunt idola ſua in domo, &c.* 318. 326
33. 15. *Germinare faciam Dauid germen iuſtitia, &c.* 451
34. 17. *Ecce ego prædico vobis libertatem, &c.* 257
36. 7. *Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini* 143
37. 22. *Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion, &c.* 74
39. 10. *De plebe pauperum qui nihil penitus habebant, &c.* 447
40. 6. *Omnis caro fœnum* 70
42. 10. *Si quieſcentes manſeritis in terra hac, &c.* 4
42. 16. *Gladius quem vos formidatis, &c.* 316
44. 11. *Ecce ego ponam faciem meam in malum, &c.* 312
44. 27. *Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum, & non in bonum* 255. 618

45. 4. *Ecce quos ædificaui, ego deſtruo, & quos plantaui, ego euello* 4
46. 2. *Et vltra non addidit rex Ægypti, &c.* 516
46. 8. *Ægyptus fluminis inſtar aſcendet, &c.* 417
46. 10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum, &c.* 388. 469. 720
47. 2. *Eccce aquæ aſcendunt ab Aquilone, &c.* 347
47. 5. *Venit caluitium ſuper Gazam, conticuit Aſcalon* 325
ibid. *Conticuit Aſcalon* 425
48. 33. *Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuſma cantabit* 323
48. 36. *Propter cor meum ad Moab, quaſi tibia æris reſonabit* 371
48. 37. *Omne enim caput caluitium, & omnis barba raſa erit, &c.* 325
48. 40. *Ecce quaſi aquila volabit, & extendet alas ſuas ad Moab* 244. 296. 302. 367
49. 1. *Numquid non filij ſunt Iſraël? &c.* 452
49. 2. *Poſſidebit Iſraël poſſeſſores ſuos. ait Dominus* 416
49. 16. *Cum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te* 86
49. 17. *Et erit Idumæa deſerta, omnis qui pertranſibit per eam ſtupebit, & ſibilabit ſuper vniuerſas plagas eius* 425
49. 22. *Ecce quaſi aquila aſcendet & auolabit, &c.* 301. 367. 585
49. 26. *Omnes viri prælij conticeſcent in die illa* 99
50. 2. *Annunciate in Gentibus, & auditum facite, leuate ſignum* 377
50. *In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum venient, &c.* 791
50. 9. *Ecce ego ſuſcito, & adducam in Babylonem* 588
50. 10. *Et erit Chaldæa in prædam, omnes vaſtantes eam replebuntur, ait Dominus* 270.
50. 13. *Ab ira Domini non habitabitur, &c.* 425
50. 30. *Omnes viri bellatores eius conticeſcent* 99
50. 31. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum* 325
50. 46. *Ne fortè molleſcat cor veſtrum, &c.* 327
51. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam* 698. 699
51. 9. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata* 11. 22. 162. 411
51. 12. *Super muros Babylonis leuate ſignum, augete cuſtodiam* 377.
51. 14. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam. &c.* 183
51. 27. *Sanctificate contra eam gentes* 84
51. 42. *Aſcendit ſuper Babylonem mare, &c.* 418
51. 49. *Quomodo fecit Babylon vt caderent occiſi in Iſraël, &c.* 270
51. 57. *Inebriabo principes eius, & ſapientes eius, &c.* 419

EX THRENIS.

1. 1. Q*Vomodo ſedet ſola ciuitas plena populo* 375
ibid. *Facta eſt quaſi vidua domina gentium* 268. 359
ibid. *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo* 261
1. 4. *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, &c.* 48
1. 5. *Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt* 254
1. 13. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, &c.* 79
1. 14. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum* 322. 518
2. 4. *Occidit omne quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion* 297
2. 20. *Ergo ne comedent mulieres fructum ſuum, &c.* 76
3. 2. *Adduxit in tenebras, & non in lucem* 251
3. 6. *In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos* 419
3. 22. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, &c.* 258

3. 38.

3.38. *Et ore altiſſimi non egredientur nec mala, nec bona* 163
4.10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos,&c.* 76
4.16. *Facies ſacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt* 268.435
5.12. *Principes manu ſuſpenſi ſunt, facies ſenum non erubuerunt* 268
5.21. *Conuerte nos Domine ad te,& conuertemur.* 24

EX BARVCH.

2.11. *ET nunc Domine Deus Iſraël &c.* 618
5.9. *Adducet enim Deus Iſraël cum iucunditate,&c.* 619

EX EZECHIELE.

3.7. *DOminus Iſraël attrita fronte eſt, & duro corde* 395
3.8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum,&c.* 339
3.12. *Et audiui poſt me vocem commotionis magnæ,&c.* 299
3.23. *Et ſurgens egreſſus ſum in campum, &c.* ibid.
4.3. *Et obſirmabis faciem tuam ad eam, &c.* 409
4.13. *Sic comedent filij Iſraël panem ſuum, &c.* 236
4.16. *Ecce ego conteram baculum panis in Ieruſalem, &c.* 344.684
5 *Et famem congregabo ſuper vos, & conteram in vobis baculum panis* 784
7.6. *Finis venit, venit finis, euigilauit aduerſum te* 211
7.15. *Gladius foris, peſtis & fames intrinſecus,&c.* 429
7.18. *In omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium,* 173.184. 251
7.26. *Quærent viſionem,&c.* 74
10.1. *Vidi, & ecce in firmamento, &c.* 299
10.15. *Ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar* 301
10.20. *Ipſum eſt animal quod vidi ſubter Deum Iſraël,&c.* 302
ibid. *Et intellexi quia Cherubim eſſent* ibid.
11.19. *Non auferam cor lapideum de carne eorum,&c.* 94
ibid. *Dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam,&c.* 1.9
16.25. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ,&c.* 15
16.45. *Mater veſtra Cethea, & pater veſter Amorrhæus* 663
16.51. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit* 15
17.3. *Hæc dicit Dominus Deus, aquila grandis magnarum alarum* 302
17.6. *Facta eſt ergo vinea, & fructificauit in palmites* 353
18.32. *Deus non vult mortem impij, &c.* 238
20.44. *Et ſcietis quia ego Dominus, &c.* 619
21.12. *Clama & vlula fili hominis, quia hic factus eſt,&c.* 320
22.25. *Sicut leo rugiens rapienſq; prædam, &c.* 376
24.12. *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit ex ea* 162
26.10.11. *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum,&c.* 173
26.13. *Et quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum,&c.* 257
28.14. *Tu Cherub extentus & protegens, &c.* 302
28.16. *Et eiecite de monte Dei, & perdidi te,&c.* ibid.
29.11.12. *Poſt finem quadraginta annorum,&c.* 171
30.18. *Ipſam nubes operiet, filiæ autem eius in captiuitatem ducentur* 296
31.31. *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, &c.* 344
33.31. *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos,&c.* 93
34.4. *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis &c.* 346
34.5.8. *Facti ſunt greges mei in rapinam, &c.* 199

36.22.

Digitized by Google

36.12. *Non propter vos ego faciam domus Iſraël,&c.* 619
37.25. *Et Dauid ſeruus meus princeps eorum in perpetuum* 113
38.15.16. *Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis,&c.* 296
44.6.7. *Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra* 223
48.35. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem* 273

EX DANIELE.

2.21. *IPſe transfert regna, atque conſtituit* 438
3.31. *Omnia quæ induxiſti ſuper nos,&c.* 251
3.38. *Non eſt in tempore hoc Princeps, & Dux,&c.* 327
4.14. *Dominatur Excelſus in regno hominum,&c.* 73.279.302
7. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt,&c.* 694
7. *Et ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei* 302
9.5. *Peccauimus iniquitatem fecimus, impiè egimus* 255
ibid. *Et receſſimus,& declinauimus à mandatis tuis ac iudiciis* ibid.
9.7.8. *Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei,&c.* 251
10.8.9. *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem hanc,&c.* 304
9.14. *Et vigilauit Dominus ſuper malitiã, & adduxit eum ſuper nos* 255
9.18.19. *Nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem* 255
9.23. *Vir deſideriorum* 304
11.17. *Et ponet faciem ſuam, vt veniat ad tenendum,&c.* 157
11.40. *Quaſi tempeſtas veniet contra illum rex Aquilonis,&c.* 464

EX OSEA.

2. *ET ſeminabo eam mihi in terram, &c.* 690
3.5. *Poſt hæc reuertẽtur filij Iſraël,& quærent,&c.* 451
4.6. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam* 174
5.1. *Audite hoc ſacerdotes, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi* 239
ibid. *Rectè expanſum eſt ſuper Thabor* 170
6.4. *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda?* 361
6.6. *Miſericordiam volo, non ſacrificium* 34
8.1. *In gutture tuo ſit tuba, quaſi aquila ſuper domum Domini* 298
8.5. *Vſquequo non potuerunt emundari?* 162
9.8. *Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius.* 239
9.14. *Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia* 75
10.11. *Ephraim vitula docta diligere trituram.&c.* 170.183
11.1. *Ex Ægypto vocaui filium meum* 121
11.3. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam,&c.* 267
11.8.9. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Iſraël&c.* 12
11.14. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* 118

EX IOELE.

1.14. *SAnctificate ieiunium* 84
2.17. *Inter veſtibulum & altare, plorabunt ſacerdotes,&c.* 331
3.4. *Quid mihi & vobis Tyrus & Sydon, &c.* 173
3.9. *Sanctificate bellum* 84

EX AMOS.

1.2. *DOminus de Sion rugiet, & de Ieruſalem* 99
2.13.14. *Ecce ego ſtridebo ſuper vos, ſicut ſtridet plauſtrum.* 168
3.6. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* 239
3.8. *Dominus Deus locutus eſt, quis non*

Digitized by Google

non prophetabit 72
5.11. Domos quadro lapide ædificabitis, &c. 119
6. Iurauit Dominus Deus in anima ſua 698.699.
8.4.5. Audite hoc qui conteritis pauperem, &c. 502
8.9.10. Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis, &c. 52.435
8.10. Inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, &c. 173.184.325
9.1. Non erit fuga eis qui fugent, & non ſaluabitur ex eis qui fugerit 168
9.4. Et ponam oculos meos ſuper eos in bonum, &c. 162.347
9.11. In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, &c. 118

EX ABDIA.

1.8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, &c. 190
2.3.4. Ecce paruulum dedi te in gentibus, &c. 78.192
5. Si vindemiatores veniſſent ſuper te, non reliquiſſent racemum 223
10. Propter interfectionem & propter iniquitatem, &c. 191
14. Neque ſtabis in exitibus, vt interficias eos qui fugerint, &c. 452
15. Quoniam iuxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes, &c. 201.226
17.18. Et poſſidebit domus Iacob eos, qui ſe poſſederant, &c. 192.416
vlt. In monte Sion erit ſaluatio, & erit ſanctus, &c. 686

EX MICHEA.

1.3.4. Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, &c. 308
2.11. Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, &c. 106.307
4.6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, &c. 120
5.2. Et tu Bethlehem Ephrata, paruula es in millibus Iuda, &c. 691
7.19. Reuertetur & miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras, &c. 202

EX NAVM.

3.12.13. Afflixi te, & non affligam te vltrà, & nunc conteram virgam eius de dorſo tuo, &c. 113
1.15. Non adiiciet vltrà vt pertranſeat in te Belial, vniuerſus interiit ibid.

EX HABACVCH.

1.6. Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram, &c. 296
1.8. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis ibid.
1.8.9. Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum, &c. 302
2.2.3 Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, &c. 112.119
2.3. Veniens, & non tardabit 140.141.
2.8. Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes 115
2.9. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, &c. 85
2.12. Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate ibid.
2.13. Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient 213
2.18. Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus? 8
3.2. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis 258.297

EX SOPHONIA.

1.4.5. Et diſperdam de loco hoc reliquias Baal, &c. 77
1.11. Vlulate habitatores Pilæ, conticuit omnis populus Chanaan 174
1.14.15. Iuxta eſt dies Domini magnus 112.113
3.5. Dominus iuſtus in medio eius, non facict

Digitized by Google

faciet iniquitatem,&c. 82

EX ZACHARIA.

8.5. PLateæ ciuitatis complebuntur infantibus,&c. 115
9.1. Onus verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci requies eius 511.
10.3. Super paſtores iratus eſt furor meus, &c. 450
11.9. Quod moritur, moriatur, & quod ſuccidıtur ſuccidatur 159
14.1.2. Ecce venient dies Domini,& diuidentur ſpolia tua,&c. 465
14.8. Et erit in die illa,exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem,&c. 508

EX MALACHIA.

1.10.11. NON eſt mihi voluntas in vobis,& munus non ſuſcipiam de manu veſtra,&c. 384
3.5. Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis,& adulteris,& periuris 110

EX I. MACHAB.

1.17. ET paratum eſt regnum in conſpectu Amiochi,&c. 648
1.18. Et intrauit in Ægyptum in multitudine grani,&c. 647

EX MATTHÆO.

1. ET non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum 676
2. Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera,&c. 690
2.18. Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari 45
2.41. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,&c. 308
3.2. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum 384
3. Ecce vox de cœlo dicens: Hic eſt filius meus dilectus,&c. 694
3.9. Potens eſt Deus,&c. 89
4.19. Venite poſt me, & faciam fieri vos piſcatores hominum 510
6.1. Attendite,ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus 562
6.31.32. Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus,&c. 120
6.45. Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos 264
7.2. In qua menſura menſi fueritis,remetietur vobis 57
9.13. Miſericordiam volo,non ſacrificium 34
10.20. Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri,&c. 46.298
10.27. Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta 184
10.30. Sed & capilli omnes capitis veſtri numerati ſunt 557
11.22. Si in Tyro & Sidone &c. 173
11.23. Et tu Capharnaum,&c. 419
11.30. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue 264
12. Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis,&c. 680
15. Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël 686
15.13. Omnis plantatio,&c. 23
16. Amen dico vobis,ſunt quidam de hic ſtantibus 670
17.2. Capilli capitis,&c. 595
18.20. Vbi ſunt duo,&c. 450
20.18.19 Ecce aſcendimus Ieroſolymam, &c. 49
21. Et tunc patebit,&c. 686
23.12. Qui ſe exaltauerit humiliabitur 192
33. Genimina viperarum 356
35. Vt veniat,&c. 102.211
37. Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidit Prophetas,&c. 11
24.2. Non manebit lapis ſuper lapidem 638
6. Audituri enim eſtis prælia,& opiniones præliorum 99
15. Cùm videritis,&c. 523
21. Erit enim tunc tribulatio magna,&c. 322.465
21. Duæ molentes in mola, vna aſſumetur,

Digitized by Google

metur, & vna relinquetur 97
24. In errorem inducentur ſi fieri poteſt, etiam electi 467
30. Videbunt filium, &c. 590.693
Sicut fulgur exit ab oriente, & patet vſque ad occidentem: &c. 693
35. Cælum & terrà tranſibunt: &c. 92. 125.266.
25.12. Amen dico vobis, neſcio vos 94
Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, &c. 675
35. Eſuriui, & dediſtis mihi, &c. 450
42. Eſuriui, & non dediſtis, &c. ibid.
26.2. Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, &c. 49
39. Tranſeat à me calix iſte 79
52. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt 444
27.25. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros 102.211
45. Et tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram 321
28.18. Data eſt mihi omnis poteſtas à patre meo 598
20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, &c. 470.517.776

EX MARCO.

14. HIC eſt ſanguis meus noui teſtamenti, &c. 718
15. Clamabant voce magna 714
16.2. Vna Sabbatorum 514

EX LVCA.

1. IDeóque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei 696
33. Et regni eius non erit finis 132.370. 460
Et ſpiritu ſancto replebitur, &c. 696
69. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui 180
2. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui 669
Et regnabit in domo Iacob, &c. 677
15. Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, &c. 151
4.24. Nemo Propheta, &c. 50
30. Ille autem tranſiens, &c. 343.687
7.32. Cantabimus vobis tibiis, &c. 183
9.51. Et ipſe faciem, &c. 157
62. Nemo mittens manum, &c. 298
10.15. Et tu Capharnaum vſque in cœlum exaltata, &c. 84.192.443
16. Qui vos odit me odit, &c. 308
20. Iuſtorum nomina, &c. 70
22. Omnia mihi tradita, &c. 598
12.32. Nolite timere puſillus grex 89
35. Sint lumbi veſtri præcincti, &c. 5
49. Ignem veni mittere, &c. 301
14. Homo quidam fecit, &c. 705
13. Cum facis conuiuium, &c. 120
16.22. Mortuus eſt diues, &c. 443
18. Phariſæus autem ſtans, &c. 670
14. Deſcendit Publicanus iuſtificatus à Phariſæo in domum ſuam 15
19. Homo nobilis abiit, &c. 682
ibid. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt, &c. 682
23.29. Quoniam ecce venient, &c. 65
24. Quoniam ſic, &c. 300.686

EX IOANNE

1. IN principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum 689
1. Vidimus gloriam eius, &c 597
2. Soluite templum hoc, &c. 683
11. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, &c. 121
3. Nemo aſcendit in cœlum, &c. 670
5. Niſi quis renatus fuerit, &c. 696
Quomodo poteſt homo renaſci, &c. 696
Amen, amen dico tibi, &c. 696
16. Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum, &c. 470
4.14. Fiet in eo fons, &c. 71
21.23. Venit hora, &c. 460
6.44 Nemo Propheta, &c. 50
49. Domine deſcende, &c. 72
5. Amen, amen dico vobis, &c. 674
6. Nemo poteſt venire ad me, &c. 682
63. Spiritus verò eſt qui viuificat 510. 511
7. Quærebant eum, &c. 687

8. Amen, amen dico vobis, &c. 695
Principium, qui & loquor vobis 689
44. Vos ex patre diabolo eſtis 356
9. Da gloriam Deo, nos ſcimus quia hic homo peccator eſt 55
10. Propterea me diligit, &c. 683
14. Ego cognoſco oues meas 132
16. Et alias oues habeo, &c. 89.460
11. 39. Iam fœtet, &c. 459
17. Manifeſtaui nomen tuum, &c. 683
Ego te clarificaui, &c. 683
Princeps huius mundi, &c. 680
35. Ambulate dum lucem, &c. 56
13. 1. Cùm dilexiſſet, &c. 118
14. Venit enim princeps, &c. 780
Pater maior me eſt 678
15. Si mundus vos odit, &c. 681
16. Confidite, &c. 681
17. Nunc clarifica me, &c. 695
9. Non pro mundo rogo, &c. 49
12. 18.9. Pater, &c. 89. 132. 470.683
18. 13. Fugite erat, &c. 140
31. Accipite eum vos, &c. 660

EX ACT. APOST.

1. PRæcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, &c. 686
2. Quem Deus ſuſcitauit. &c. 687
Ecce ego video cœlos apertos. 770
4. 32. Multitudinis credentium erat cor vnum &c. 129.460
7. Cœlum mihi ſedes eſt, &c. 669
9. 4. Saule, Saule, &c. 112.128
13. 2. Segregate mihi, &c. 3
Quoniam hanc Deus, &c. 696
Deus autem ſuſcitauit, &c. 692
17. 3. Ignoto Deo .69
28. In quo viuimus, &c. 244
18. 6. & 20 6. Mundus ſum à ſanguine omnium veſtrum 662

EX EPISTOLA PAVLI, AD ROMANOS

1. 1. PAulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus, &c. 3
3. Qui factus eſt ex ſemine, &c. 89
Qui prædeſtinatus, &c. 196.696
23. Et mutauerunt gloriam, &c. 8
24. Propter quod tradidit, &c. 382
2. Secundum autem duritiam tuam, ait, &c. 692
3. 1. Quid ergo amplius, &c. 267
5. 5. Charitas Dei diffuſa eſt, &c. 470
6. Conſepulti enim ſumus, &c. 683
Iam non moritur, &c. 683
8. 32. Quomodo non etiam, &c. 470
9. Quos & vocauit, &c. 690
22. Suſtinet in multa, &c. 238
27. Reliquiæ ſaluæ fient 20.89
10. 18. In omnem terram, &c. 298
11. 26. Cæcitas ex parte, &c. 365
15. Erit radix Ieſſe, &c. 685

EX I. AD CORINTH.

1. 30. QVI factus eſt nobis ſapientia à Deo. &c. 89
2. 9. Oculus non vidit, &c. 519
3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, &c. 686
Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur 692
19. Sapientia enim, &c. 37
4. 3. Mihi autem, &c. 71
13. Tanquam purgamenta, &c. 239
20. Non in ſermone, &c. 510.511
21. Numquid vultis, &c. 4.234 323
7. 29. Tempus breue eſt, &c. 65
8. 4. Nihil eſt idolum 38.57
9. 7. Quis paſcit gregem, &c. 449
11. 1. Volo autem vos, &c. 674
19. Oportet hæreſes eſſe, &c 510
31. 32. Si nos ipſos, &c. 321
15. Et ſicut in Adam, &c. 677
Cùm draco ille, &c. 681
Cùm tradiderit regnum patri, &c. 681
Oportet illum regnare, &c. 681.682

EX II. AD CORINTH.

3. 3. EPiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, &c. 124
3. 5. Sufficientia noſtra ex Deo eſt 4
3. 18. Nos reuelata facie, &c. 304
4. 6. Quoniam Deus qui dixit, &c. 301

6.9.

6. 9. *Caſtigati & non mortificati* 162
6. 14. *Quæ ſocietas luci ad tenebras?* 92
10. 4. *Arma militiæ noſtræ, &c.* 292
13. *Nam etſi crucifixus, &c.* 684. 692
19. 7. *Ne magnitudo, &c.* 304

EX EPIST. AD GALAT.

1. 11. *Notum vobis facio fratres euangelium, &c.* 539
15. *Cum autem placuit ei,* 3
3. *Abrahæ data ſunt, &c.* 699
28. *Neque Iudæus neque Græcus* 459
4. 31. *Non ſumus ancillæ filij, &c.* 267
5. 13. *In libertatem vocati ſumus,* 365
6. 8. *Quæ ſeminauerit homo, &c.* 57. 82

EX EPIST. AD EPHES.

1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, &c* 673
2. *Deus autem qui, &c.* 673
14. *Fecit vtraque vnum,* 459
17. *Veniens enim, &c.* 451
20. *Super ædificati &c.* 546
4. *Qui deſcendit ipſe eſt, &c.* 673
5. *Eratis aliquando tenebræ, &c.* 703
26. *Per lauacrum, &c.* 456
6. 14. *State ergo ſuccincti, &c.* 5

EX EPIST. AD PHILIPP.

2. *QVI cùm in forma Dei eſſet, &c.* 81. 144. 674. 692.
3. 13. *Quæ retro ſunt, &c.* 298

EX EPIST. AD COLOSS.

1. 20. *Reconciliauit omnia in ipſum pacificans, &c.* 451. 460
3. *Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens* 674

EX II. AD THESSAL.

2. 8. *Interficiet eum ſpiritu oris ſui* 463

13. *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis fratres, &c.* 7

EX I. AD TIMOTH.

2. 4. *Omnes homines vult ſaluos fieri, &c.* 447
6. 16. *Lucem inhabitat inacceſſibilem* 302

EX II. AD TIMOTH.

2. *Nam ſi commortui ſumus, & conuiuemus: &c.* 673

EX EPIST. AD TITVM.

3. 6. *Quem effudit in nos abunde per Ieſum, &c.* 470

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

1. *QVI cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, &c.* 673
14. *Adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium. &c.* 332
4. *Habemus Pontificem, &c.* 773
12. *Viuus eſt ſermo Dei, &c.* 92
13. *Omnia nuda. &c.* 91
5. *Et quidem cùm eſſet Dei filius, &c.* 708
Nec quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, &c. 698
Omnis autem Pontifex, &c. 704
6. *Abrahæ promittens Deus, &c.* 698
Vt per duas res quibus, &c. 698
7. 25. *Viuens ad interpellandum pro nobis* 450
8. *Omnis enim Pontifex, &c.* 704
9. *Vbi enim teſtamentum eſt, &c.* 707
10. *Hic autem vnam pro peccatis offerentes hoſtiam, &c.* 683
11. 33. 34. *Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis* 523
12. 29. *Ignis conſumens eſt* 297. 302
13. 11. *Quorum animalium, &c.* 493

DDDdd 3 EX

EX EPISTOLA CANONICA IACOBI.

1. 5. Si quis veſtrum indiget ſapientia, &c. 262. 538
17. Deſurſum eſt, &c. 263
5. 17. Elias homo erat, &c. 250

EX I. PETRI.

1. 13. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, &c. 5
2. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, &c. 695
24. Qui peccata noſtra, &c. 261
4. 17. Tempus eſt, &c. 99. 337
vlt. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, &c. 695

EX II. PETRI.

2. QVI aliquando non populus meus, &c. 690
3. 4. Vbi eſt promiſſio, &c. 344

EX I. IOANNIS.

2. Filioli, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiuiſtis, &c. 681
ibid. Ex nobis prodierunt, &c. 681
5. 3. Et mandata eius, &c. 264
16. Eſt peccatum ad mortem: &c. 33

EX EPISTOLA CANONICA IVDÆ

1. 6. ANgelos verò qui non ſeruauerunt, &c. 113

EX APOCALYPSI.

1. EGO ſum primus & nouiſſimus, qui fui mortuus 670
3. 11. Tene quod habes, &c. 267
6. 10. Vſquequo Domine, &c. 599
17. Quoniam venit dies, &c. 113
10. 9. 10. Accipe librum, &c. 307
12. Et proiectus eſt, &c. 681
13. 10. Qui in captiuitatem, &c. 115
14. 8, Cecidit, cecidit, &c. 208
16. 14. Sunt enim, &c. 113
17. 12. Decem cornua, &c. 180
15. Aquæ, quas vidiſti, &c. 168
18. 6. 7. Reddite illi, ſicut, &c. 291. 270
20. Et diabolus, &c. 681
22. 11. Qui iuſtus eſt, &c. 655

FINIS.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

AARONICVM ſacerdotium 709
Abdemelech Æthiops, vir Eunuchus 143. 147. Ieremiam de lacu Melchiæ liberauit ibid.
Abel iuſti ſanguis 102
Aborra fluuius 286
Abram, dictus Abraham, cur 169
Abraham filium ſuum in ſacrificium obtulit 121. Deum videns in terram corruit 304. decimas dedit Melchiſedech 701. 709
Abrahami fides quando impleta 121
auxilium à diuite poſtulatum 51
Abyron, vide Coré
Accaron 95. Paleſtinæ ciuitas 98
Accingere lumbos quid ſignificat 5
Accingi iuxta pectus item quid 497
acclamationes in magna ſolennitate frequẽtes in templo apud Iudæos 319
aceruus nouarum frugum, loci nomen vnde 309
Achab filius Choliæ pſeudopropheta 108. frictus à Rege Babylonis in igne ibid. & 109. 316
Ahicam, ſiue Ahicam, filius Saphan 101. 147. 150 152. prohibuit ne populus Ieremiã interficeret ibid.
adoleſcentia, quid 122
adoleſcentia Synagogæ, quæ 86
adorantes ante conſpectum Dei procidebant 140
adulteræ ex lege lapidari ſolitæ 362
adulterium pro cultu idolorum 90
Ægyptij Mempheos & Tsphueos filij nuncupati cur 9. circumciſi 39. Iudæorum imitatione 41. attonſi etiam coma ibid.
Ægyptus à Nabuchodonoſore direpta 158. 166. flumini comparata 166. vitulæ 167. 170. virgo dicta, cur 168. ſylua 170.
ælam 95. 188. vaſtata ibid. pars Perſidis, vnde ſic dicta 98. 195
ælam, filius Sem. 195
Ælamitæ peritiſſimi ſagittarij 195. tempore Chriſti inter alias gentes à captiuitate Diaboli liberati 196
ælamitarum rex 443
Æſopus fabularum auctor 263
Æternum, quod longo duraturum eſt tempore, apud Hebræos 269
Æthan aliis locus, aliis mons 198
æthiopia 106. vbi ſita 432
Ægypto vicina 168
afflicti mortuis comparati per Hebræos 261
afflictio per rogum deſignata 410
afri in bello fortes 422
Ἀγαπὴ, quid apud Græcos 66
Ἀγωνιστὴς, Græcis quis 29
Agar ancilla Abraham, à qua Agareni dicti 194
Agareni Cedar dicti, cur 194. eorum diuitiæ & opes, quæ 195. paſtores, & in tabernaculis ac tentoriis habitantes ibid. iidem qui & Iſmaelitæ, vnde dicti 263. negotiatores, ibid. quomodo comam attonderent 42. 195. iidem, qui, & Orientales Arabes 414. nunc Saraceni dicti 98
aggerem comportare, quid 311
Ailam, vide Ælam, ſuprà
alæ quatuor Seraphinis ſingulis appictæ per Ezech. cur, & ad quid 299
in alis Iſrael ſanguis inuentus quid ſignificet 12
Albuelunras, quid Hiſpanis 119
Alexander Macedonum rex totum terrarum orbem ſubiugauit 542. pardo comparatus in Scriptura, cur 588. per cornu ſignificatus 605. Magnus dictus vnde 605. paulò ante mortem pro Deo habitus 606. per Nabuchodonoſorem ſignificatus 418 eius regnum in quatuor partes diuiſum 631
Alexander Antiochi filius 632
Alexandria, Ægypti ciuitas 106. No dicta priuſquam ab Alexandro reſtauraretur 171. 435
altare, *Dominus exaltatio mea*, à Moyſe vocatum, cur 82
altare Domino erectum in Maſphath. 153
altare, & excelſum quid differant 383
altaris templi deſcriptio 490. 492
aman ſuſpenſus cur 717
amaritudo, quid 122
amaſias cum vxore & liberis punitus, cur 78
amatores, pro Diis alienis ſiue idolis 114. 118. 220
Ambar, Hiſpanis & Italis quid 288
Ambre, quid Gallis ibid.
amen, quid ſignificet 106

ami-

amital Seleciæ mater 214
ammon 96. 23. 160
amon rex Iuda, pater Ioſiæ 95. Manaſſe ſucceſſit quot annis regnauit 112
ammon Rex Alexandriæ Regis Ægypti vectigalis 171
ammonitæ quare & quomodo captiuati 414. circumciſi 39. cur 41. à Ioab deuicti 0 ma ibid. Iudæis ſanguine iuncti 188. 394. ex Lot progeniti ibid. tempore Chriſti ex vera ſe abolitæ captiuitate liberati 189
ammonitis ingredi in templū Domini prohibitum 224
contra Ammonitas Prophetia 188
amor ſenſum peruertere ſolitus 660
Ananias puer ex tribu Iuda 519. 520. quis Sidrach dictus 520. in fornacem coniectus à Nabuch. cur 550. 554
anathoth, vrbs in tribu Beniamin, Ieremiæ natiuitate nobilis 1. 2. 47. 50. Sacerdotibus inter alias attributa 3
anci. æ ſeptimo anno in libertatem aſſeri ſolitæ 333
angelus Domini cum Iudæis 274
angelus angelo, bonúſque bono quomodo reſtiterit apud Danielem 625
angeli in humana forma cum alis pingi ſoliti, cur & vnde 620. per ventos deſignati 585. regnis & prouinciis cuſtodes dati ibi. & 625. qua ratione ipſi inter ſe pugnare ſoleant ibid.
angelorum numerus & officia 595
angelorum ruinæ, qui cum Lucifero in infernum deiecti ſunt 716
angelorum officium ſignandi eos, qui liberādi ſunt à cæde aut captiuitate 332
angelis habitus candidus tribui ſolitus 623
anima pro appetitu 201. pro vita, aut toto homine 372
animam percutere, quid 152. decipere 157. leuare 162. requirere, contrariis ſumptum ſenſibus 277
animalia quatuor ab Ezechiele viſa, quæ & qualia 284. 335. num quatuor, aut vnum tantum ſpeciem quatuor referens 288. 289. & quot facies vnumquodque habeat ibidem & quales 290. quot alas 288 292. quot pedes 289. quotque brachia 289. 290
animalium horum quatuor viſio quàm difficillima 297. 298. quatuor eſſe Euangeliſtas multorum ſententia 298. quatuor in homine affectiones ibid. Dei Maieſtatem 298. eius prouidentiam 301. gloriam, ſiue Euangelium ibid. & 301. res omnes 301. aliquam rerum conuerſionem ibid. quatuor regna, ibid. & 302
annus à quo menſe per Hebræos exorſus 285
annus remiſſionis, quinam 506
anni quomodo à Iudæis numerati ſoliti 349
anni captiuitatis Babylonicæ 285. vide, Captiuitas
anni omnium numerati apud Deum: præcipue verò Regum 573
annulus in ſignum amoris dari ſolitus 86
apud his ſignum conſueta, non ſolum Regis, ſed etiam principum, quæ publice fiebant. 570
antichriſtus ex Iudæis natus, Iudæorum conabitur legem renouare 600. quot annis regnabit 601. ſimulatione caſtitatis multos in errorem adducturus 545. per paruum beſtiæ cornu in Daniele deſignatus 592. ſub Antiochi perſona demonſtratus 637 653. quot annis Eccleſiam perſequuturus 654. ſpiritu oris Chriſti interficietur 712
de Antichriſto Prophetarum vaticinia 465
Antigonus Macedoniæ rex poſt Alexandrum 626 630
Antiochus magnus Seleuci Calinici filius bellum contra Ptolemeum Philopatorem mouit, cur, 633. 634. 635. amicitiam cum Ptolemæo Epiphane pepigit 634. Romanos vicit 635. templum Dindymæi Iouis ſpoliare aggreſſus ab incolis interfectus eſt 637
Antiochus Epiphanes Seleuci Philopatoris ſucceſſor 637. eiuſque cum Antichriſto ſimilitudo 638 653. 654. vbi regnauit. & quorus ab Alexandro 589. per cornu modicum deſignatus 606. quàm impius 609
antiquus dierum quisnam in Daniele, pater an filius 594
Ἀπολλύων, quid 159. 423
apoſtoli per paſtores bonos deſignati 15. per filios Iacob 215. cuſtodes & ſpeculatores dicti 119. ebrij denis Spiritus ſancti 121
aquæ inopia maxima 47
aquæ multitudo pro fertilitate in Scriptura 718
aquam turbidam bibere quid 9
aquam in feſtinatione bibere quid ſignificet 374
aquā recens natū infantes lauari ſoliti apud Hebræos 316
aquæ pro populis in Scriptura 168. 172. pro multitudinibus 368. pro rebus aduerſis 240
aquæ infideles quæ 64
aquarum baptiſmi figura 508
aquarum affluentia in Scriptura quid denotet 509
aquila citiſſimi volatus, raptúque viuens 164. Regis Chaldæorum ſymbolum 302
aquilo, ventus quàm vehemens, frigidius, ac terræ inimicus 296. & quid in Ezech. viſione denotet 296. ventus peſtilens dictus, cur 292. pro Perſis & Medis poſitus ibid.
ab aquilone omne malum ſuper habitatores terræ

terræ pandi, quid 2.27
ar, moabitarum oppidum 186
arabes camelorum lacte veſci ſoliti 415
arabia duplex, Felix, & Deſerta 98
arad, amorrhæorum ciuitas 411
aradij qui ibid.
aræ ſecundum numerum viarum 46.48
ararat, 105 armenia maior 211
aratum cornua 67. victimarum ſanguine redundabant. 69
arbitrij libertas defenſa aduerſus hæreticos 46 73
arborum plantandarū lex apud Hebræos 119
arca teſtamenti Domini 13 pro legis Moſaicæ ceremoniis 11.2 Iudæis in bello geſtata 276. in Silo ante templi ædificationem 33
ἀρχὴ, quid ſignificet apud Græcos 689
ἀρχιμάγειρος quis 148
arena terminus mari à Deo poſita. 21.24
argentum appendi ſolitum apud Hebræos, non numerari 126. impoteos ab ira Dei liberare 325
argentum reprobum quid in Ieremia 30
argentum fabricare, quid 262
ariel cur dicatur altare 492
arieres, inſtrumenta bellica, qualia, & cur ſic dicta 311 392
armillarum vſus in brachiis mulierum 358
arnon Moabitarum ciuitas 175.186
aroër 175. turris 176. ciuitas Moabitarum 179
arphad 187 Syriæ ciuitas 193
arphaxar, vide Sem
artabanus rex Perſarum 313
artaxerxes cognomento Mnemon rex item Perſarum ibid.
arrhaba frumentaria Perſarum menſura qualis 665
arula, quid 140
aſa rex Iuda 152.154
aſtalon 95 146. vrbs Paleſtinæ contra Ioſephum 98.174
aſcanez 105. Gothia vel Germania 210
aſcendere, pro ire, & proficiſci 179. pro euaneſcere, itémque vaſtari ibid.
aſer, ſecunda tribus, & eius ſors 514
aſinorum & equarum odoratus 10
aſor 188. ciuitas a Nabuchodonoſore deſtructa ib. d. regis Agarenorum ſedes 195
aſphenez Eunuchorum Princeps 518
aſſur 197. vnde Aſſyrij 201
aſſyrij viri iuſti dicti quo ſenſu 407
aſſyriorum rex leo dictus, cur 201. primus comedit populum Dei, quo ſenſu ibid. maior cæteris regibus 437
aſtra facta in ſigna, quomodo intelligendū 43
aſtrologiæ & diuinationis damnatio 42 43
aſtyages commune Regum omnium Medorum nomen 612
atrium templi interius, & exterius 329. exterius mulierum, interius virorum 476
atria templi tria 145
auis diſcolor quæ, quid in ſcriptura ſignificet 50.52
aurugo 511. quid 512
aurum putum 241
auſitis, 95. terra Hus, Ieruſalem orientalis 98
azarias filius Ioſiæ 158
azarias puer ex tribu Iuda 518.519.520. qui & Abdenago dictus 530. in fornacem coniectus à Nabuchod. cur 550. 551
azecha ciuitas Iuda 533
azotum 95. Paleſtinæ ciuitas 98

B

Baal idolum 5.51.58.127.329. vnde ſic dictum 665
baalim aliud idolum 6.31.39 46.75
baalis rex ammonitarum 150
baaſa rex Iſraël 152.154
babel, idolum 330
babilon, vrbs potentiſſima, Chaldæorum regis ſedes, 196. capta, deſtructáq; à Perſis & Medis 197. 198. 204. an poſtea reſtituta 214 à quibus ædificata 564. eius circuitus & munitio 569. à Cyro capta nocte 573 & à Medis habitata 271. num incenſa ibi. Ieroſolymis ſeptentrionalis ibid. 296. 308. calix aureus in manu domini terram omnem inebrians 20 4. 208. mons corrumpens dicta, cur 210. Seſach, vnde 212
babylonis muri latiſſimi 206. 209 vectigalibus multarum gentium ædificati 213 captiuitas ſub Sedechia 1. lætitia in luctum conuerſa 170
babylonij ob Darij aduentum fugientes idola ſua ſecum portarunt vſque ad laſſitudinem 45
babylonicum regnum per caput aureum ſtatuæ à Nabuchodonoſore viſæ deſignatum cur 540
batulus pro regno 199
baculus arundineus, prouerbij loco in ſcriptura quid denotet 431
baculus panis, quid 684
balſamum, curandis vulneribus præſcotiſſimum remedium 168
balthaſaris nomen vnde deductum 560. quid ſignificet, & cur Danieli impoſitum 518
Balthaſar rex Babylonis 302. num filius Nabuchodonoſoris aut nepos 112. 148 mortuus ante patrem 551. quiſnam fuerit 568. 570 magno celebrato conuiuio ſacris Ieroſolymitani templi vaſis abutens, apparuere ſcribentis in pariete digiti, ſignificantes eum regno priuandum 480. 567. quot annis regnauit 614
baptiſmus, Chriſti ab Ezechiele prædictus 456. per verum ſignificatum 696

barba raſa in luctu ignominiæ cauſa, 173. 176. 184. 279 315. 183. 186
in barba ſtulti tonſores artem ſuam diſcere, Prouerbium 44
Baruch filius Neriæ, 126. 138. 158. quis & qualis, 247 an diuerſus Propheta ab Ieremia, 237. quóque tempore liber eius conſcriptus, 248. libertate donatus cum Ieruſalem capta eſt, 162. incolumis ex communi calamitate conſeruatus, 164. 166 duabus de rebus doluit, & quænam illæ ſint 165
baſan 83. 191 regio in tribu Manaſſe, nemoribus abundans 421. initium montis Libani 86
baſes æreæ in templo Dei, ſub quibus 10. vituli 215
batus, liquidorum menſura 502
Bel 196 275. Chaldæorum idolum 198. 205 211. eius cibus quis 518. 560. 569
belgarum telæ lineæ 421
bellum Gog & Magog 112. 113. vide Gog, & Magog
ben adad ciuitas 188
benedicere alicui pro proſperare 281
beneficii diuini in Iudæos commendatio ſingularis 263
Beniamin tribus vbi ſita 514
beronice Ptolemæi Philadelphi filia Antiocho 96 Syriæ regi nupta 632
berotha, vrbs vbi ſita 511
Berzellai filius Chamaam Galaaditæ 154
Bethacarem, ſiue Betharen vicus verſus Aquilonem 26. 27
betheberum oppidum vbi ſitum 518
beth el ciuitas 175. 189 vbi vitulus vous aureus à Ieroboam conſtitutus 178
beth-gamul Moabitarum ciuitas 175
Bethleem per Rachelem deſignata 121
Beth-maon Moabitarum ciuitas 175
bibentes bibere, quid 99
bonum nullum irremuneratum 310
bonorũ recordatio, mali doluẽ auget 268
borith herba 6. pro excuſatione humana in Ieremia 10
boſra 175 187. princeps Idumæorum ciuitas 191. 193
Laiſſer dans la bourbe, Gallis quid 146
braccharum nomen quid ſignificet 554
bracchata Gallia vnde ſic dicta 554
buz oo Agareoorum ciuitas 98

C

CAdere. pro vinci, cur & vnde 168
cades, locus vbi, & cur aquæ contradictionis dictus 512
cœlum, firmamentum dictum 294. cryſtallum, cur ibidem
cœli aperti quo ſenſu leguntur. in ſcripturis 286
Calamus ſuauè olens, 18. vnde aduectus, & an idem eum ſtacte 29
calathi duo pleni ficis, poſiti ante templum Domini, apud Ieremiam 93
calix vini furoris de manu Domini 96. 180. 187. quibus gentibus à Ier propinatus ibi.
caluinianorum impietas, feciſſe Deum homines quoſdam ad interitum 374. vide hæretici
caluitium ſignum luctus apud Iudæos 173. 176. 184. 325.
camarias ſcriba 339
Cambyſes Cyri filius, Perſarum rex, 630
canthi rotarum, quid 293
canticum trium puerorum à quo compoſitum 523. 524
caphcatim, iidem qui Cappadoces 171
capillum rarò tondebant Iudæi præterquàm in luctu. 32. 34 325. Nazaræi præſertim 34. vellebant prophanæ gentes in luctu, etiam ad caluitium vſque 64. 65. 278.
capilli Ezechielis in tres partes diuiſi Dei iuſſu 315. ad quid 316
cappadoces vnde orti 422. 463
cappadocia 172. inſula dicta cur 173
captiuitas à tranſmigratione quid differat 347. 478
captiuitas Babylonica ſeptuaginta annorum 95. 96. 107. 408
caput operiebatur in luctu 48
caput, pro principe 221
caput aureum ſtatuæ, Nabuchodonoſoris ſymbolum, cur 134
caput mouere, quid 231. ſignum irridentis 74
in caput eſſe, quid in ſcriptura 254
carcer intra templi ſepta Ieroſolymis, ad quid 78. in domo regis 126. 142. teter & horrendus 143. in atrio regiæ melior & honorificentior 143
cariathaim Moabitarum ciuitas 175. in tribu Ruben 176. capta, ibidem 177.
cariathiarim 101. ciuitas in tribu Iuda 103
carioth Moabitarum ciuitas 175. capta 176. 185
Charitas apud Hiſpanos in funeribus, quid 66
carmelus, mons in Iudæa 166 281. in Tyriorum item regione, ibidem iuxta mare 170. 171. lignis abundans 170
carmeli terra 5. quid 8. eius nomen variè ſumptum 8 pro Paleſtina, ibid. 18. 30. pro quouis agro fertili ſæpe in ſcriptura 181
caro pro homine in ſcriptura 70
carnes pro populo 410 411
carnes humanæ in obſidione Ieruſalem comeſtæ 75. 76
per carnes gregis quid ſignificetur 449
carrillus quid 25. 28
caſſia quid, vnde aduecta, & an eadem cum ſtacte

καταμαντὸ, quid græcis 78
catena ſymbolum captiuitatis 326
in caudam eſſe, quid in ſcriptura 254
cedar 188. filius ſecundus Iſmaelis 194. pro agarenis poſitus, cur ibidem. eorum ciuitas ibid. vnde ſic dicta 8.431
cedem, Iſmaelis filius, qui ad orientem Cedar habitauit 195
cedri pro ſuperbis in ſcriptura 85. 86
in cedris nidificare, quid 86
cedron, torrens 117
κηραμὰς, Moabitarum ciuitas 181
κέλευσμα, ſiue Celeuſma 96. quid apud græcos 99
celeuſma calcantium in torcularì 96.176.172 183 200. 323. nautarum & remigum 183. hoſtium cohortantium ſe ad cædem ibid.
ceterhæi quinam, & vbi ſiti 419
ceruæ amor maximus erga pullos ſuos 47
ceruices alicuius aſcendere, quid 269
Cethim ciuitas Cypri Zenonis philoſophi patria 8
Chaldæa terra Aquilonis nuncupata, cur 19 24. 64.65 Perſis in prædam data 196. terra ſculptilium dicta, cur ibidem
Chaldæi vindemiatoribus comparati 26.27 ſufflatorium Dei nuncupati, cur 30. per ſerpentes regulos deſignati 38. à Medis de ſua poſſeſſione deturbati 33. veloces in equitatu 296. crudeles ſemper dicti 438. zelus Dei nuncupati, quo ſenſu 434. viri iuſti item 402
Chaldæorum mores 296. regnum à quo cõſtitutum 24. antiquiſſimum, ibidem, crudelitas in viuos & mortuos 35
Chamaan Galaadites 154
Chamaan iuxta Bethleem 153
Cameriacum Galliæ oppidum, vbi 724
Chamos Moabitarum idolum 186. 175 176. 177.198
chilmad, loci nomen 424
Chanaam, regio 259 terra promiſſionis, ſiue Iudæa 263. quid ſignificet 367
Charchamis 166 vrbs Syriæ, vbi ſita 167. per 4. annos à rege Aegypti obſeſſa, ibid.
Charram Meſopotamiæ ciuitas, quæ Haram 424
cherſoneſus aurea 44
Cherub. rex Tyri dictus 311
Cherubim duo ſuper propitiatorio 333. ad quid 300
Cherubim quatuor, per quatuor Ezech. animalia deſignata 299. cum aliis quatuor depictæ cur, 299. eorum duæ proprietates, ibid. regum quatuor figuræ 302
Cherubinorum forma 337
chobar fluuius 283. quis 256
chodchod quid ſignificet 423
chobab idem qui Ietro 137
Chriſtiani veteres ieiunantes ſolis rebus aridis vtebantur 623
Chriſtiani quibus potiſſimũ tẽporibus orare debeãt 571. ab imperatorib. multis affiicti, quãdo primùm reſpirare cœperũt 642
Chriſtiani non debent hæreticos pati ſuam apud ſe hæreſim exercere 351
Chriſtiani mali, Chriſti inimici 682
Chriſtus, quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam 46. 49. eius corpus panis verus qui de cœlo deſcendit 49. pro crucifigentibus ſe orauit 50. ementes & vendentes eiecit de tẽplo 78. paſtor bonus 88. 89. ex ſemine Dauid 89. 130. Dominus iuſtus noſter dictus, cur 88 89 130. per Dauid ſæpe ſignificatus in ſcriptura 123. cur ibid. 450. per Iacob 119. dux & princeps Iſraël, dictus, ibid. natura filius Dei, nos adoptione, ibid. lapis Sion 119 germen iuſtitiæ 132 ſpiritus oris noſtri, captus in peccatis noſtris 218.242.144 omnium martyrum, omniſque patientiæ exemplar 127. germen dictus 451. verè vnctus Domini 244. Dei ſapientia & iuſtitia 265. Emmanuel dictus cur 273 per imaginem electrinam throno inſidentem apud Ezech. deſignatus 301. piſcis dictus & Chriſtiani piſciculi 510. lapis ſine manibus de monte deciſus 543. 546
Chriſtus qua ratione quoque ſenſu Rom. imperium comminuiſſe, intelligendus eſt 545. ſæpe & ſpecie & appellatione Angeli Patriarchis apparuit 556. tres pueros de fornace liberauit, ibid. quaſi filius hominis dictus a Daniele, cur 597
Chriſtus Dominus & Rex à Dauide vocatus non Deus, cur 667. 668. ſedere à dextris Dei dictus, quomodo 668. 669. & ſequ. & quid ſit 672. 674. 675. à B Stephano ſtans, non ſedens viſus, quo ſenſu intelligi debet 671 ex vtero ante luciferum genitus, item 693 ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech 700. 701. & ſeq. cum ipſo comparatus 702. 703 707.
Chriſti diuinitas probata 89. ad iudicium aduentus deſcriptus 581. 598
de Chriſti regno locus 370. 643. 632
Chriſtum dominari in medio inimicorum ſuorum, quid ſit 686.687
de Chriſto teſtimonium 265. baptiſato cœli aperti 286
Chryſolitus, lapis quinam melior 623
ciborum delectus in ieiuniis habendus 622
cidaris quid denotet 393
cilicium induebant Iudæi in luctu 26.30.175 176. 184. 217. 230. orantes 268.
cineris aſperſio in luctu 26. 95.173.227. 230
cinere cibari, quid ſignificet 236
cineritius panis 235
Circheres, Moabitarum vrbs 181
circumcidi Domino quid 18
circumciſi carne qui olim & nunc 39 41

circumciſio cordium, 17. præputij Iudæis in ſignum data 39. 41
ciſternæ diſſipatæ, 5. quid ſignificent, 8
ciuitas, ſedens, ſpecioſa, & delicata, quænam 190
Ciuitates principes matribus, minores filiabus comparari ſolitæ ab Hebræis, 19 189. 442
ciuitates Auſtri, quænam apud Ieremiam 56. & cur clauſæ nuncupentur ibid.
claudi & cœci, pro cunctis infimæ conditionis hominibus 120
Cleopatra filia Ptolemæi Epiphanis Antiocho magno nuptui data 632
Cleopatra alia Ptolemæi Philometoris filia ab Alexandro Antiochi Epiphanis filio in vxorem ducta 632
clericos peccantes in inferiorem, &c. 496
de cothurnis quibus ad thalamos templi aſcendebatur 482
cœna mortui, 275. cum fletu & eiulatu maximo capi ſolita 279. vide conuiuium
cognoſcere, quid, itémque non cognoſcere 54.
cognoſcere pro *prædeſtinare* poſitum apud Ieremiam 1
columnæ nubis & ignis 274
columnæ æreæ in templo Dei, 215. confractæ per Chaldæos ibid.
comparatio Regis Tyri cum Cherub, 428
Regis Ægypti cum piſce, 431. cum balæna, 441 Regis Babylonis cum leone, 685. 587. Perſarum cum vrſo, 604. 605
Macedonum cum pardo, 588. Græcorum cum hirco, 604. Nabuchodonoſor leoni comparatus, cur, 585. aquilæ 586. Chriſti cum Melchiſedech, 700. 701. 707
concilium impiorum, quid & homines, & Deum ridere ſolent. 54
conſitendi verbum quid complectatur in ſcriptura 616
confundi, quid 71
confuſio faciei pro ignominia 250
conſpectu alicuius ponere, quid 162
conticere, quid 574
conticeſcere, item quid 99
conuiuia ad quid in funere celebrari ſolita, 65. 66. 412
cor hominis fraudulentum & fallax. 70
cor vnum quid ſignificet 140
cor ambulare quid denotet 254
cor arboris pro medulla 278
coram dare Hebr.phraſi quid ſign. 255. 404
cordelet, quid Gallis 677
corda circumcidenda, 17. à malitia lauanda, ibid.
Coré, Dathan, & Abyron terra dehiſcente abſorpti 280
cornu pro rege aut regno, cur 280. 433. pro gloria & ſuperbia, 80. pro robore & fortitudine, cur 218. 433. 69
cornua altarium aſperſa victimarum ſanguine, 69. inſcripta idolorum nominibus ibid.
cornua, decem, beſtiæ à Daniele viſæ quid ſignificent 591. 593
corona quid denotet 393
coronæ aureæ Deorum 274
corpus Chriſti reipſa in eucharistia: contra Caluinianos 730. 731
corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium ab Antichriſto tolletur 656
corus, menſura, quid contineret 101
ſe tenir coy, Gallis quid 37
crier au meurtre, Gallis, quid 78
crinium apprehenſio, captiuitatis indicium, cur 529
Crux Chriſti per lignum prophetice figurata apud Ieremiam 47. 49
crypta, quid 158
cubicula multa Templo adhærentia 136
cubiculorum ſanctuarij ordines duo, 483
cubitus communis & ſacer quid continerent 474
ſex cubitorum menſura in cubito & palmo 474
cultris in luctu ſeſe conſcindebant gentes 174. 184
currus & equi, deliciæ Regum 71
curſor in fœminino genere, pro caprea 10. pro dromedaria ſeu camelo fœmina ibid.
curſores & nuntii Regum 211
cuſtodes veſtibuli templi Dei, 215
portarum vibis per vices 142
cuſtodia in muris vrbium 109
Cyrus Darii ſucceſſor 212
nepos, 573. de Babyloniis victor, ibid. à Deo excitatus Deum cognouit, & Iudæos in libertatem aſſeruit, 67. 13 313. 638. 621. per vrſum deſignatus, cur, 587. per arietem, 604
beneficentia & religione commendatus 542

D

DÆmonia, pro Faunis & Satyris, 271
Dalaias filius Semeiæ 138. 139
Damaſcus Phœniciæ ciuitas, 179. diſſoluta, 187. 194. caput Syriæ 193
contra Damaſcenos prophetia, 187. 194
Dan, prima tribus & eius ſors 514
Dan, & Ephraim inter Ieruſalem & Babylonem 37
à Dan auditus fremitus equorum, 36. quid ſignificat 19. 37
Daniel, vnde, & cur ſic nuncupatus, 508
Balthaſar dictus, ibid. vir deſideriorum ibid. & 504. ex tribu Iuda generéque regio, ibid. quis eius pater, ibid. & 518. virginitas & ſanctimonia, eiuſdem, 518. ætas, ibid. ſcripta, 520. 521. ſapientia & auctoritas apud

Digitized by Google

apud Chaldæos, ibid. & num inter Prophetas numerandus, 523. 524. & tres eius ſocii quomodo à regio genere delecti, & Regi Babylonis adſtarent, ſeque à cibis lege prohibitis abſtinuerint, 526. 701. ſomnium Regis Nabuchodonoſ. ſolus interpretatur quare ſummam ſibi apud eum au ctoritatem comparat. 534. auream ſtatuam à Nabucho. dedicatam ac trium puerorum in fornacem coniectionem deſcribit, 549. ſomnium aliud regis interpretatur, 558. 559. ſcripturam item parietis à Baltaſare viſam, 567

à Dario Medorum rege, princeps vnus è tribus factus, in aliorum principum inuidiam incurrit, accuſatúſque quòd contra Regis edictum Deum precaretur, leonibus obiicitur, 574

videt quatuor beſtias, per quas quatuor futura regna ſignificantur vaticinatúrque de duobus contrariis regnis, Chriſti & Antichriſti, 582. 583. orat Deum pro liberatione populi, quam poſt ſeptuaginta annorum hebdomades futuram diſcit ab Angelo, 611. 612. diſcit ab Angelo quæ Iudæorũ populus ſub Perſarum, Ægypti, & Syriæ regibus paſſurus erat 628. 629. 650 Suſannam à falſa ſenum calumnia liberat 660. 661

Danielis ſapientia, Prouerbium vnde 427

dare manus, quid 245

Darius, Perſarum Rex, 314. quàm rectè de potentia Dei ſentiret, 579. vno tantùm anno poſt victos Babylonios regnauit 582 213

Darii multi Perſarum ac Medorum Reges, ſed tres præcipuè diuerſis rebus inſignes 612

Dathan, vide Choré.

Dauid, iudicii fa- édi præclariſſimum exemplum, 82. Chriſti typus 113

Deblatha, deſertum iuxta Ieruſalem, vbi Nabuchodonoſor eam expugnans cõſedit 320

Deblatháim Moabitarum ciuitas 175

Debora, vera prophetria 352

decipula plena auibus. 22. quid, 25

Dedam, 187. vrbs Idumææ. 190 415. 422

Dedam, 95 Agarenorum ciuitas 98

dentes obſtupefacti ex comeſtione vuæ acerbæ, 117 quid ſignificent 124

dentium dolor vehementiſſimus 236

dentibus fremere, quid 231

deſolari, quid ſit 8

deſuper, quid apud latinos ſignificet, 192

Deus vbique, 36. in templo hab ta.re quando dicitur, ibid. in Silo habitabat, antequam templum a Salomone fieret, 33 vniuerſi conditor, 2:6. 204 pluuiarum, ventorúmque ac nubium diſpenſator, ibid. cur Columba vocetur 100 quando promiſit aliquid boni, an mutet ſententiam, 106. pronior eſt ad miſericordiam quàm ad iram, ibid & 107. inuenitur ab illis qui quærunt illum. 107 dominatur in regno hominum, 73 quaſi bellator fortis ſuis auxiliatur, 77 79

Deus, ſons aquæ viuæ, 5 8. vena aquarum viuentium, 68 70 quaſi iratus punit peccatores, 238. nobiſcum ſummo iure non agit. 258. abſolutè dicitur Sanctus, 470 populum valde caſtigat, cum Doctores ſubtrahit. 127. teſtis ipſe peccatoribus, & Iudex, 108 110. etiam infidelium bona opera remunerat 433. qua voluntate non vult mortem peccatoris 446

Deus quo ſenſu iuſtorum oratione impeditur ne puniat, & prohibet etiam ne orent, 33. iubet Prophetas factis interdum futura ſignificare, 34. pars Iacob cur dictus, 45. falſos Prophetas eſſe patitur propter peccata populi, 350. quo ſenſu decipit, 351 an reuera iuret, vel ſolum metaphoricè dicatur iurare, 697. quare iurauerit aut iuraret, 698. quomodo 698 690. quod permiſit, ſæpe dicitur feciſſe 410 æternus ſæpè vocatus in ſcriptura, 169. 170 vnus qui regna transfert 558. 559.

Deus Deorum à Iudæis vocatus, cur 547 ſuper quatuor Cherubim ſedere dictus. cur, 299 vbi Prophetis ſe quereretur, ſecundùm vanam Hebræorum traditionem 286

Dei deſcriptio, 260. 26. nomen quàm magnum & celebre, 442. 43. Maieſtas per Ezech viſioné ſignificata, 298. à Prophetis deſcribi ſolita ad quid 299

Deo candidus labarus tribui ſolitus: cur 595

Deum plaudere manibus quid 391

Deum pingendi vſus Eccleſiaſticus confirmatus 525

Dextrum & Siniſtram in Ezechielis viſione quomodo debent accipi, 290

Diabolus primus & capitalis Chriſti inimicus 681

Dibon Moabitarum ciuitas, 175. 179. 219

dies Domini quænam in ſcriptura vocetur 166. 167

dies vltionis, 166 iudicii extremi 168. dies magna vocari ſolita in ſcripturis, cur 113

dies Domini. & dies nubis, quid ſignificent 414

dies virtutis Chriſti, quid ſit 691. 602

diem Iudæi à veſpere incipiebant 447

dii alieni, vide infra Idola & Idololatria

dii tot culti ab antiquis, quod erant montes 10. quot ciuitates, 40. cum ſceptris depingi ſoliti, ad quid 278

Deos veterũ aureos plerique furari ſoliti, 278

Dilectus idem quod vnigenitus: 29

Diogenis Cynici quærentis hominem apophthegma, 22

Dioſpolis, vrbs, quæ, & vbi ſita, 435
Diuinandi genus ſuperſtitioſum Hebræis vetitum, 360
Diuinandi ritus ex manu, quo vagabundi hodie Ægyptii uti ſolent, 392
Diuini & Pſeudoprophetæ, 193. 198. mendaces Dicti, cur, 204
Diuitiæ veterum in armentis & pecoribus 123. 140 per fæces vini deſignatæ, 177
Doctorum ſubſtractio, quale ſupplicium, 327
Doloris ſummi deſcriptio, 230
Dolores renum grauiſſimi, 235. dentium item, 236
Domus Regum coniuncta Templo, 490
Domus hyemalis Regum Iſraël, 140
Domus ſaltus Libani à Salomone ædificata, 82. regia dicta, 84. per Galaad deſignata, cur, ibid. & 84
Domus Solis in Ægypto, quid 559
Dona Dei ſine pœnitentia, eſſe, quomodo intelligendum, 79. 106
Dona Spiritu Sancti, 120
Donorum omnium abundantia Chriſtianis à Deo conceſſa. 120
Donec, quid ſignificet in Scriptura, 676
Dormire in latus dextrum, aut ſiniſtrum quid denotet, 312
per Dorſum, quid in Scriptura ſignificetur, 218
Dracones pro aqua venti ſpiratione vtuntur. 42

E

EBANVM ex India deportari ſolitus, 422
Ebrietas pro cœcitate mentis in rebus aduerſis, 487
Ebrii nudari ſoliti, 245
Ecbatane, ciuitas in Media, vbi *Danielis* turris ædificata, 603
Ecce, nota rei ſubitæ & admirabilis, 287
Eccleſia Catholica mons ſanctus Dei, 354. ciuitas ſupra montem ædificata, 125. multò amplior quàm Synagoga, 125 per Ieruſalē figurata, 273. 364. 366. vinea dicta, cur 182. per terram Iuda & Iſraël ſæpe deſignata, 445. per murorem Sion, 15 119. 686. terra abſque muro dicta, cur 465. mater noſtra, 267. regnum ſpirituale, non temporale, 601. poſt euerſum Antichriſti regnum vbique terrarum regnabit, ibid. quot annis ſub Antichriſto perſequutionem patietur, 655. 656. quotque diebus quiete perfruetur poſt eam, 656
Edem, loci nomen, & eius ſignificatio, 424
Edom, 103. 187. 242. Idumæa ab Eſaü eius principe qui Edom dictus eſt, 191
Elaſa filius Saphan, 107
Elcale Moabitarum vrbs, 176. 182
Eleazarus crudeliſſimum potiùs mortis genus obire, quam ſuilla veſci maluit, 531
Electrum, quid 287. miſericordiæ ſymbolum, 297.
Eleemoſyna iuſtitia dicta, cur, & quomodo peccata redimit, 562
Eliphar, nepos Eſau, 190. 193
Eliſa inſula vbi, 421
Eliſæus. Eliæ miniſter, 165
Eliſama ſcriba, 139
Elnathan filius Achobor, 101. 139
Emath, 187. Syrorum ciuitas, 193. vbi ſita, 511
Emmanuel, quid ſignificet, 59. 273
Emptionum & venditionum mos apud Hebræos, 128
Engaddi, vrbs, vbi ſita, 510
les Enfans de Paris, quinam Gallis, 242
Ennon, vallis prope Ieruſalem, 31. 33 75
Ephi, aridorum menſura, 503
Ephraim, 116 filius Ioſeph, 439. 511. filius honorabilis puer delicatus, 116. 122. primogenitus Dei, 119
Ephraim, mons, 197
Ephraim, quinta tribus, & eius ſors, 514
Ephron, ciuitas vbi, 189
Ἐπαίνεω, quid Græcis, 258
Ἐπιγέλλειν, item quid 110 159. 406
Equi armati, 21. quinam dicantur, 23. libidinis ſymbolum, ibid.
Equi Chaldæorum velociſſimi, 244. 296
Equorum admirabilis in pedibus vis, 173
Eſaü, 187 Idumææ habitator & princeps. 90. 193 Edom cognominatus, 190
Eſther regina, 196
Et, pro *autem*, in ſacris paginis 3. *Quia*, 70. 252. cauſam denotans, 252. pro *cum*, 346.
Euangeliſtæ quatuor per quatuor Ezech. animalia deſignati, 298. 299
Euangelium, gloria Dei, 301. per Ezechielis viſionem deſignatum ſecundum aliquos, ibid. & 303. ipſum per ſplēdorem & ignem, ibid. eius prædicatores per quatuor animalia, 301
Euangelii prædicatio vbi inchoata, 300
in Euangelio num Doctore opus ſit, & quomodo, 124
Euchariſtiam eſſe verum ſacrificium, aduerſus Caluinianos, 230
Eufrates, Chaldææ fluuius, 55 166. Chobar dictus, 286. à Nitocri regina per anfractus varios circum Babylonem ductus, 174. & eius aquæ à Cyro in varios riuulos deductæ, cur 204
Euilmerodac rex Babylonis, 216. Nabuchodonoſoris ſucceſſor, ibid 249. 251 568. è carcere ad thronum ſublevatus, ibid quot annis regnauit, 615

Emu-

Eunuchorum miniſterium apud Perſas, & Turcarum imp hodie, 145 520
Εὐφραν, Εὐφροσύνη, & ἐϋφροσύνη, quid 262
Excelſum & altare quid differant, 383
Exedra quid 137
Exploratores in terram promiſſionis à Moyſe miſſi, 220
Ezechias rex Iuda, 101. prophetante Michæa pœnitentiam agit, ibid. quot annis regnauit, 313 363
Ezechiel quis fuerit, & quid eius nomen ſignificet, 281 vbi natus, & quo ætatis anno cœperit vaticinari, ibid. figura Chriſti, ibid. ſuæ prophetiæ argumentum, 285. cur ad ſcribendum impulſus, ibid. cur tam obſcurè ſcripſerit ibid. filius hominis vocatus, cur 304 ſtercus comedit iubente Deo, ad quid 34 gloriam Dei videns in faciem cecidit, 307. volumen ſcriptum intus & foris comedit ad quid, ibid. vbi mortuus, & ſepultus, 284
Ezechiel minatur Iudæis extremam perniciem ob ipſorum peccata, 321. rapitur in Ieruſalem ibique omnia Iudæorum flagitia demonſtrantur, 328. ſignati vider eos qui ex cæde Ieroſolymitana liberandi erant, cæteros occidi, 331. Angelum item prunas per vrbem ſpargentem, pro futuri incendij ſigno, 335. vaticinatur Iudæos diſpergendos, deinde reliquias iterum congregandas, 338. Sedeciæ captiuitatem vaſis tranſmigrationis ſignificat, 341. etiam factis phophetas, 342. vaticinatur contra pſeudoprophetas qui populum ſeducebant, 345. ſimilitudine ligni vitis, quod non niſi ad ignem vtile eſt docet, Iudæis igni tradendos, 352. ponit Iudæis ante oculos Dei beneficia, & ipſorum ſcelera, comparans Ieruſalem cum vicinis gentibus promittitque reſipiſcenti miſericordiam, 354. 355. duarum aquilarum ſimilitudine prædicit Sedeciæ captiuitatem, 366. vnumquemque aut ob ſuam iniquitatem moriturum, aut ob ſuam iuſtitiam ſaluum futurum eſſe denunciat, 370. 371. calamitatem deſcribit, quam breui acceptura erat Ieruſalem, 374. ponit Iudæis ob oculos beneficia, & ipſorum peccata, 378. 379. comminatur gladium, 386. 387.
Ezechiel connumerat ſcelera Ieruſalem, omniúmque Iudæorum, 395 duarum meretricum ſimilitudine Ieruſalem & Samariæ idololatria deſcripta, 400. tam à Deo emendatam non eſſe, tandem tanquam ollam liquefaciendam dicit, 407. 408. vaticinatur contra Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Philiſtineos, 414. Tyri excidium prædicit, 417. 421. 426. prophetat contra Aegyptum, 430 plangit depopulationem Aegypti, 433. 434. deſcribit excellentem gloriam regis Aſſyriorum, vt eam cum gloria Pharaonis conferat, 437. iubetur lugubre carmen in Regem Aegypti dicere, eiúſque interitum prænunciare, 440. exemplo ſpeculatoris monetur à Deo, ne quid ſileat, ſed omnia quæ vidit populo annunciet, 441. contra falſos paſtores vaticinatur, prædicitque Chriſti veri paſtoris aduentum, 449 contra Idumæos, 451 prædicit Iudæorum à captiuitate liberationem, 453 457. Tyrannidem Gog & Magog in populum Dei, 460. 461 eorum interitum deſcribit. 466. 467. futuram denique ciuitatis & templi reſtaurationem vaticinatur, 471. 472

F

Fabulatores quinam apud veteres, 263
Facere, pro ſacrificare, 493
Faces in conuiuiis accendi ſolitæ, 96
Facies libri ſiue voluminis, quid 105
Facies dura pro impudente, 305. attrita item, 307. pro audacia & fortitudine, 308
Facies Domini pro ira eius, 242
Facie ad faciem loqui quid 383
Faciem obfirmare contra aliquem, quid 311
Faciem ſuam ponere, quid ſit Hebræis, 81
Faciem ponere ad eundum, quid 157. 160.
dirigere, obfirmare ibid.
Faciem ponere in malum, quid 160. 161. ante
Faciem dare, quid ſit 295
Fames horrenda, 75. canina 157. 160
Fames, Gladius, & Peſtis, arma Dei quibus de peccatoribus vlciſcitur, 98. 103 124. 143. 155. 160. 161. 315. 318. vide infra, Gladius: item, Peſtilentia.
Facia pectoralis ſponſæ, 6. 11
Fatui, qui 204. ſiccarij dicti, cur ibid.
Fauni ſilueſtres, 270
Femur manu percutere, quid 122. 320. *nous n'enferons rien*, Gallis, quid 73
Ferrum pro munitione vrbis, cur 311
Ferrum purum, itemque mixtum Chalybi, quid ſignificet, 53
Ficus bonæ & malæ à Ieremia viſæ quid ſignificent, 93. 94.
Ficus biferæ quæ 24
Fides inter Iudæos rara, 38. 40
Fiducia in Deo quæ bona nobis conferat, 68
Filiæ Sion nimis ſuperbè incedentes, à Deo humiliatæ 230
Filij idolis ſacrificati 32. 35. 75. 76. à matribus propriis comeſti 75. 76. 241. Item à patribus 252. 253. 315
Filij propter parentes quo ſenſu puniuntur 124 126. 372. 581
Filii regni, qui 273

Filij Sinn, quinam 242
Filij Orientales qui dicantur in Ezech. 414
Fletus lætitiæ & gaudij interdum, 120.198
Fœdus percutiendi mos apud Hebr. 135
Fœdus Dei ſempiternum cum Iſraël & Iuda, 196
Fœmina circumdatura virum 117 prophetia de incarnatione Chriſti 123
Folets, Gallis, qui 204
Fond de foſſe, quid Gallis, 64
Fons mendax, qui 64
Formido in cucumerario. quid 281
Fornicationes Iſraeli à Ieremia exprobatæ 12. quid ſignificent, 13.14
Fortes, vituli nuncupati, cur 169
Fortuna quomodo depingi ſolita 301
Fortunatus & Steph primitiæ Achaiæ 7
Fratres quinam dicantur apud *Hebræos* 154
Fulano, quinam apud Hiſpanos 608
Fulgentius, qualis Scriptor 3
Fundamentum, ſinus vocatum, cur 491
Funes à meretricibus in viis tendi ſoliti ad quid 276 279
Funiculi Adam, vincula charitatis & amoris 118
Funiculus hæreditatis quid, & quare ſic dictus 44
Funiculum ſiue Funem tendere, quid 249
Fures irriderі ſoliti conuitijſque affici cùm comprehenſi ſunt 159
Furor Domini, quid ſignificet 28

G

GAbaon, 512. mons, ad cuius radicem aqua multæ, 154
Gabriel Angelus prouinciæ Perſarum cuſtos apud Danielem 624. 625 ad eum miſſus, donec poſt ſeptuaginta annorum hebdomadas venturum Chriſtum, qui verè populum liberaret 611 612. enarrat quæ populo Iudæorum ſub Perſarum, Ægypti & Syriæ regibus euentura erant 628 629. 649
Gad tribus & ſors vbi ſita, 514.517. Ammonitis vicina 118.494
Gada, Babylonius, ad Cyrum transfuga 571
Gahioon quid 34
Galaad 83. regio & ciuitas eiuſdem nominis 84. 166. Prophetarum domicilium, 38. mons 196 Reſina, balſamoque abundans. 168
Galatæ vnde orti & appellati, 464
Gamarias filius Helciæ, 107 filius Sapham 138
Gareb, collis 117. extra vrbem Ieruſalem 125
Gaudimonium, quid 270
γαυρίαμα, quid Græcis 270
Gaza, 95. Paleſtinæ ciuitas, 98. 172. à Pharaone vaſtata 172
Gaza, fluuius Mediæ 572
Gazophylacium principum, 136. quid 137. ſcribarum 139
Gazophylacia iuxta ſingulas portas templi, ad quid 472.478
Gazophylacia Leuitarum 501
Gebal Syriæ ciuitas 418
Gebalij qui 421
Gedelias filius Phaſſur 143
Gehenna vnde ſic dicta, 34
per Generationes ſeptem, quibus Iudæi dicuntur in captiuitate remanſiſſe, quid ſignificetur, 276
Gentes apud Hebræos quænam appellentur 132 133.716
Gentium nomine frequenter etiam Iudæorum populus vocatus 210
Gentium ritus ac mores quàm vani 41.43 vitia ſæpe Iudæis exprobata 317
Gentium conuerſio futura per Ieremiam vaticinata 65.67. 89
Gentiles primi ad Eccleſiam Dei vocati 364
Geoua, Dei nomen quanta in religione apud Hebræos, & omnes gentes 666. 668
Germani vnde orti 422
Gerh. Paleſtinæ ciuitas, Azoto vicina 98
Giblij, qui 421
Gigantes ab initio mundi, ſtatura magna, ſcientes bellum 259 263
Gloriæ Dei deſcriptio 287.298.301.302.304. 306. regis Tyri eiuſque interitus 425.426. Regis Aſſyriorum & & Pharaonis Regis Ægypti, 436
Gloriam dare Deo, quid 55
Gladius pro hoſte, 316
Gladius triplex quid denotet. 390. Dei quando dicatur ardere, 374. quando refrigerari, ibid. fames, & peſtis, tria ſumma Dei ſupplicia, 48. 137. vide Fames itémque Peſtilentia. Goatha, 117. collis extra vrbem, 125
Gobrias à Chaldæis ad Cyrum transfuga, 573.
Godolias filius Ahicam, 147. 150. Iudæ præfectus à rege Babylonis, ibid. 151. 152. interfectus, 152.153
God nomen, an idem apud Ezech & Ioann. ſignificet, 190 463. Gog & Magog quinam fuerint, 461. 462 Gog exercitus armis, id eſt haſtis, ſagittis, &c. an ſeptem annis comburenda ſint, 468
de Gog ſepulchro. 468 & quæ de illo dicuntur quo ſenſu intelligenda, ibid.
Gomer filius Iapheth, 464
Gomorrha ſubuerſa 13. 197. vide infrà, Sodoma.
Græcia, gladius inebrians dicta, cur 160
Græcorum rex hirco comparatus, cur 604.

Gutta,

Gratiæ liberum præcedit arbitrium in conuerſione peccatoris, 246
Gutta, lapidis pretioſi genus, 421

H

HÆreditas quomodo olim diuidi ſolita, 45. à propinquis redimi conſueta apud Hebræos, 126. 127
Hæretici refelluntur, negantes mortuorum orationes viuis prodeſſe, 51. liberum arbitrium deſtruere nitentes, 71. 74. traditiones reiicientes, 124. iuxta Sanctorum interceſſionem, 256. 352. iuxta iuſtitiam inhærentem, 373. in correctione ſcripturæ. 250.
Hæretici inimici Chriſti, 681. 682. omnes Antichriſto adhæſuri, 292
Hai, 187. ciuitas Ammonitarum, 189
Hanan filius Iegedeliæ, 136
Hanameel, filius Sellum, 126
Hananias filius Azur, pſeudopropheta de Gabaon, 192. catenas de Collo Ieremiæ Prophetæ confregit, ibid. aduerſus Dominum loquutus mortis nuntium à Ieremia accepit, ibid.
Haram, Meſopotamiæ ciuitas, 424
Haſſer Enon, vrbs iuxta Damaſcum, 512
Hebdomades annorum apud Iudæos, 106
Hebræis ignominioſum ab incircumciſis interfici, 427
Hebbatanis Medorum vrbs, vbi Perſarum & Parthorum Reges ſepeliri ſoliti, 519
Helbon locus in Damaſcenorum regione vbi vinum optimum. 423
Helcias, atauus Baruch, 247. filius Salon, 248 magnus ſacerdos 250. Ieremiæ pater, 1 2
Heliopolis, Ægypti ciuitas, 160. domus Solis dicta, ibid.
Heliſæus Eliæ miniſter prophetiæ dono ornatus, 247
Helon Moabitarum ciuitas, 175
Hermitage, Gallis, quid 40
Hermon, mons quis 420
Herodes Ioannem amabat, & tamen eum ſecuri percuti iuſſit, cur 578. Aſcalonita Iudææ Rex à Romanis conſtitutus, 543
Heſebon Moabitarum ciuitas, 175. 189. bene munita, 176. quondam in Amorrheorum ditione, 186
Hethalon, vrbs in finibus tribus Iuda, 511
Hieruſalem, vide Ieruſalem.
Hin, menſura, quid contineret, 314 503
Hinnire quid in ſcriptura, 119
Hinon, vallis Vide Ennon,
Hircanus rex & ſummus ſacerdos, 543
Holocauſtum pro peccato, 148. 250. & victima quid differant, 21. 33. & quo ſenſu de iis non præceperit Deus, ibid. & 34
Homines in manu Dei, tanquam lutum in manu figuli, 71
Humiliare, quid ſignificet, 237
Hungari quomodo comam attondant, 35
Hus regio, vbi 242
Hymenæi in nuptiis cani ſoliti, 66

I

IAcob Iudæorum princeps, minor natu quàm Eſaü, 193. Chriſti typus, 115 eius duodecim filii, duodecim Apoſtoli, ibid.
Iaſa Moabitarum ciuitas, 175. 183
Iazer 176. Moabitarum altera ciuitas 181
Iaſonis, oniæ ſummi ſacerdotis fratris defectus à lege, 641
Iberi vnde orti, 422. 441. 463
Idola quo modo à profanis gentibus adorentur, 331
Idola in tenebris & occultis locis, cur 330 non plus poſſunt quàm corniculæ, 280. comminuta Chriſti aduentu, 45
Idola Ægypti à Nabuchodonoſore combuſta Babylonem tranſlata, 159. omnia Chaldæorum ad lugendum Thamum in templo Babel congregatæ. 330
Idololatrarum mos in adorando, 9. cæcitas, 279
Idololatria populo Iſraëlitico exprobrata, 5. 6. 93. 127. 160. exaggerata, 12. 13. 25. 31 35. 42. 46. 54 75. fornicatio nuncupata, 55. 57. impugnata, 275. 276. 318.
Idololatria Ieruſalem & Samariæ duarum meretricum ſimilitudine deſcripta, 400
Idumæa, 96 151. 187. *Theman* dicta, vnde, 190. 191. Eſaü cur 191. à Iudæis vaſtata, 192
Idumæi circumciſi, 39. cur 41. attonſi etiam coma, ibid. Seir appellati, vnde 415
contra Idumæos prophetia, 187. 190
Iechonias filius Ioachim, 83, tanquam annulus in manu Dei, 83. 87. vas fictile atque contritum, ibid. etiam Ioacim dictus, 86 Babylonem captiuus ductus, 56 86. 87. 93. 95 107. quando, 249 filios genuit, ſed quorum nullus ſedit ſuper Solium Dauid, 87 bonis ficubus comparatus, 93. 94.
Iegedelias homo Dei, 136.
Ieiunium publicè prædicari ſolitum in afflictione aliqua, 138 expiationis, quod & quale, 140. ſacrificare, quid 25
Ieiunia qualiter a veteribus Chriſtianis celebrari ſolita, 623
Ieremias vbi natus. & quando, 1. quamdiu prophetauerit, & ſub quibus Regibus ibid. & 2. an mortuus fuerit, ibid. & vbi, 165 an virgo, ibid. 65. 142. quomodo à Deo ad munus Prophetiæ deſtinatus, 2. ſanctificatus eſt vtero, ibid, & 3 docet mala omnia quæ in captiuitate paſſuri erant Iudæi, 5. &

Digitized by Google

& 61. Iſraëlis idololatriam exaggerat comparatione Iudæ, 12. 13. pollicetur Iſraëlitis & Iudæis fore vt, ſi ad ſe reuertantur, auertat Deus ab eis imminentem captiuitatem, 17. 18. oſtendit eorum peccata propter quæ meritò puniuntur a Deo, 21. 22. 25. 26. 31. redarguit vanam eorum confidentiam in templo Domini, & externo cultu, 31. 32. catenas ad collum ponit, iubente Deo, cur, 34. 102. capillum tundit ad quid, 33 34. Nazaræus fuiſſe creditur, ibidem luget Ieruſalem, ſpiritu prophetico proſpiciens captiuitatem, quæ illi impendebat, 38 39 deſcribit idolorum originem & vanitatem, vt ab illis populum dehortetur minaturque captiuitatem, niſi reſipiſcat, 42. 43. queritur quòd iniquis proſperè ſuccedant omnia, minatur iterum captiuitatem, & poſt eam reditum promittit in Iudæam, 50. 51. prædicit Iudæorum repudiationem & interitum, 54 55. minatur Iudæis ſiccitatem, famem & bellum, 47. 48 gladium canes, volucres cæli, beſtias terræ, 50. 51 54. 55 docet peccatum eorum indelebile pene eſſe; proptereaque puniendos, 67. 68. oſtendit exemplo figuli, vas diſſipatum refingentis, poſſe ſe Iudæos captiuitate diſpergere, ac poſt in priſtinum ſtatum reſtituere, 71. 72. lagenæ confractæ ſimilitudine, demonſtrat Deum illos perditurum, 75. 76

Ieremias percuſſus à Phaſſur, & in carcerem miſſus, 77. 78 ortus ſui diei maledicit, 78. quomodo, 79 a Sedecia rogatur vt pro Iudæis Dominum conſulat. 80 81. ad Sedeciam a Deo miſſus, narrat eius domui & templo, & Ioachim fratri. 83. in Sacerdotes & falſos prophetas inuehitur. 87. 88. ſimilitudine bonarum & malarum ficuum ſignificat Deum bonos conſeruaturum, malos verò Sedeciam, imprimis perditurum, 93. exprobrat populi incredulitatem atque contumaciam, 95. à ſacerdotibus apprehenſus, & ſeniorum quorumdam oratione liberatus, 101

Ieremias prædicit Chriſti aduentum, 130. 131. captiuitatem & euerſionem vrbis, 134 135. 136 Rechabitarumque poſteritatem perpetuam, ibid. grauia contra Ioacim Regem prophetat. 130 a Sedecia conſulitur, 144 apprehenſúſque iterum in carcerem conijcitur, 142 eductus in lacum Melchiæ ſubmittitur, 143 144.

Ieremias filius Habſaniæ. alius à Propheta, 136.

Ieremias de Lobna, pater Amital quæ mater fuit Sedeciæ, 214

Ieremiel filius Amelech, 539.

Ierias filius Selemiæ, cuſtos portæ Beniamin, 141. Ieremiam egredientem comprehendit, ibidem cúmque ad principes adduxit à quibus in carcerem, miſſus eſt, ibid.

Ierico, ciuitas, vbi ſita, 148. tubis clangentibus euerſa, 200

Iericontina ſolitudo, 147. vide infra Ieremias.

Ierobnam, rebellionis Iſraëlitarum auctor ex tribu Ephraim 459

Ieroboam Rex decem tribus à regno Iudæ ſegregauit, eiſque vitulos aureos conſtituit, 178.

Ieruſalem ſub Sedecia capta, 1. 214. in tribu Beniamin ſita, 27. filia Sion, 26. 27. ciuitas viſitationis, 26. 27. puteo comparata, 26. 27. à Tito & Veſpaſiano obſeſſa, 37. & expugnata, 245 249 à Ieremia deflera, 39 40. a Chriſto, 4. tabernaculum nuncupata, cur 45. oliua pulchra, & fructifera, 46 mater dicta, quare, 52. à Nabuchodonoſore exuſta igni, 80. 215. 241. qualiter ſita, 82. caput Libani dicta, cur 84. à Chaldæis obſeſſa, 126. 127. 141. 142. 143. tandemque capta & incenſa, 147. 148 248. duplici muro cincta, 148. ciuitas Iuda dicta, cur 256. ciuitas ſancti, ſiue Domini, 269. ſolium Domini, 15 pro Eccleſia, 15. in latere per Ezechielem deſcripta, 310 & aduerſus eam obſidio ordinata, ibid. ad quid, 311. 312. ollæ feruenti comparata 408. 409. leænæ, 374. vineæ, ibid. & 378. ſylua dicta. cur 385. & eius deſcriptio, 385. 515 516.

Ieſana ciuitas, 189

Ietro Moyſes ſocer, 236

Iezonias filius Ieremiæ, 135

Iezonias alter Maachathi, 141

Ieſonias item alius filius Oſaiæ, 155

Ignis cœleſtis Deo ſubditus & obediens, 276.

Imperium Dei in omnes Reges, 302 inuoluens apud Ezech. quid 297

Impiis aliquando proſperè ſuccedunt omnia 50. quod pleriſque præbuit occaſionem de diuina Prouidentia dubitandi, 51. 330

Implere pro *multiplicare*, 716

Implere manus pro *conſecrare*, 408

Impoſſibilia hominibus, Deo poſſibilia, 76

de Incarnatione Chriſti teſtimonium etiam receptū ab Hebræis antiquis. 123. locus, 123

Inciſiones ſculpellis factæ à prophanis Gentibus in mortuorum luctu, 64. 66

Indignatio ſuperbi & elati animi indicium, 182. in bonam partem accepta, pro zelo 300. Dei, vt ignis, 80

Induere decorem, quid 272. diploïdem iuſtitiæ ibid.

Infantes matribus cibus facti in obſidione Ieroſolymitana, 232. & quàm ſæpe id factum.

factum, ibid. & 232. vide, Filij.
Infantium cædes ab Herode facta, 121
Infernus, quem locum in Scriptura deſignet, 256. lacus: quo ſenſu dictus, 419
Infideles omnes inimici Christi, 683
Inimici Christi quinam, 680. 681. quid ſit illos poni ſcabellum pedum eius, 677. 678. 679. & cur potiùs dicantur inimici Christi, quàm patris, aut Dei, 682. 683
Iniquitas pro pœna iniquitatis, 208. 242. 244. 311. 393. pro crudelitate, 7. radici comparata, 325. patrum in ſinu filiorũ, 323
Inquiſitores fidei, 468
Inſtrumenta emptionum ac venditionum duo, quæ & qualiter ſignari ſolita, 126. 127
Inſulæ nomen quid ſignificet in Scriptura, 717. tranſmarinæ, 95. 98
Interrogatio affirmatiua reſponſionem affirmatiuam requirit, 122
Inuentio, quid 262
Ioacim filius Ioſiæ, ſecundus, rex Iuda, 81. 85. 100 rex iniquus, 101. 102 Vriæ Prophetæ interfector, 101. 102. quando regnare cœpit, & quot annis regnauit, 527. 528 alio nomine Iechonias, 286. quo anno in Babylonem tranſlatus, 216. quomodóque ibi tractatus vſque ad diem mortis ſuæ, 216
Ioacim filius Helciæ ſacerdos, 248. 250
Ioannes Euangeliſta cum aquilæ vultu depictus, cur 300
Ioachaz filius Ioſiæ, frater Ioachim natu maior. 84. 85. 103 pro patre ſuo Rex conſtitutus, 375
Iob quomodo ortus ſui diei maledicit, 79
Iohanan filius Caree, 150. 152. fugat Iſmahelem, captiuóſque reducit, 152. conſulit Ieremiam, 155. quem ducit in Ægyptum, 158
Ioiadas ſummus ſacerdos, 108. 109
Ionadab filius Rechab, 135. 136. familiaris Regis Iehu, 136
Ionas in Tharſis profugus, cur 286
Ionathas extremam virgam in fauum mellis intinxit, 47
Ionathan filius Caré, 150
Iordanis ſuperbia, quid 192. 197
Ioſedech ſacerdos cum Sedechia Babylonem ductus, 393
Ioſeph vnus ex duodecim Patriarchis, 459
Ioſias rex Iuda, 81. quàm bene vixit, 85. eius filij quatuor, & eorum nomina, 84. in bello contra Regem Ægypti occiſus, 216 eiuſque funus, ac planctus, 217. 218
Ioſue miniſter Moyſis, 165. prophetiæ dono ornatus, 247
Ira indignationis, quid 116
Ira Dei metallis erumpentibus è fornace comparata 157. 160 162
Iſaias Deum videns in terram corruit, 304. nudus incedit & diſcalciatus iubente Deo, ad quid 54
Iſmaël filius Abraham ex Agar ancilla, 194.
Iſmahel filius Nathaniæ, 150. 152. Godoliam præfectum Iudææ occidit, 152. item ſeptuaginta viros de Sichem, ibid. & 178. fugit ad filios Ammon, ibid.
Iſraël primus populus qui à Deo electus eſt, 5. & 7. per deſertum ab eo traductus, 5. in ſignis & portentis, 127. in terram Promiſſionis introductus, 127. in vineam electam plantatus, 6. confuſus propter idololatriam, ibid. Virga hæreditatis Domini, 42. quomodo per 338. annos punitus eſt, 312
Iſſachar tribus & ſors vbi ſita, 341
Itali vnde orti, 422. 463
Iuchal, filius Selemiæ, 141. 143
Iubilæus quando apud Iudæos, 106
Iuda, ſeptima tribus, & eius ſors, 514
Iudæa, vmbilicus terræ dicta, cur 465. ſæpe terra abſolutè nuncupata, 4. 44
Iudæi ex Abrahamo primogeniti, 356. quantoperè à Deo dilecti, 6. argentum reprobum facti, 27. 30. filij Benjamin. cur nuncupati, 26. 27. ad idola quærenda currentes, Onagro aſſimilati, 10. quomodo per generationes ſeptem in captiuitate manſerint, 276
Iudæi filios ac filias idolis ſacrificabant, 32. 36. 75 127. auibus comparati, 35. 37. circumciſi carne, ſed animo incircumciſi, 39. 41. hæreditas Domini nuncupati, 51. à Chaldæis de ſua poſſeſſione deturbati 53. quoties & quomodo Babylonem tranſlati 215. cum Iechonia 107. 248. cum ſedecia rurſus, 147. qui reſtiterunt in Maſphath collecti, 151. 153. in Ægyptum profugi, 157. 158.
Iudæi paruuli gregis dicti, cur 193. publico Cyri regis edicto de captiuitate liberati, 208. iuſti vocati quo ſenſu, 208. à quibus potiſſimùm gentibus bellis vexati, 154 ab Imperat Seuero, Antonino, & Iuliano plurimum dilecti, 643. propter ſummum illud ſcelus quo Chriſtum crucifixerunt, etiam hodie pœnas dant, 123. 373
Iudæorum mos in luctu, 48
Iudas Machabæus fraudibus ab Antiocho ſuperatus, 638
Iudi, filius Nathaniæ, 138
Iudicare pro *punire*, 121
Iudicare iudicium, quid 114
Iudices Iſraël, 212. in portis ſedere ſoliti apud Iudæos, 548
Iudicium pro miſericordia & lenitate, 46. 113. 172 pro Dei punitione & flagello, 179. pro æquo & iuſto, 190. 112 & furori oppoſitum, ibid. à Deo Sanctis datum quomodo intelligendum, 590. 600

Iudicium determinare, quid 228
Iugum pro afflictione, 238
Iugum iniquitatum, pro pœna, 224. 225
Iugum ferreum, quid 105
Iulia Cæſaris filia, Pompeij vxor, 543
Iulij Cæſaris cum Pompeio factiones, 543
Iumenta pro opibus & diuitijs, cur 123. 141
Iupiter Olympius de Antiocho pro vero Deo Hieroſolymorum templo ſuppoſitus, 600. 646 Hammon, Alexandri magni pater, 580
Iuramentum pro cultu Dei ſæpe in Scriptura, 18 Dei quale, 698. 699. Dei ad Abrahamum, 47
Iurandi forma apud Hebræos, 155. 156. 193
Iurare per magnum ſanctúmque Dei nomen Iudæis permiſſum, 160. 163
Iurare per deos falſos prohibitum, 22
Iuſiurandum pro execratione & maledictione, 156. 158. 160
Iuſtitiæ nomen pro miſericordia & benignitate, 272. 619. pro largitione in pauperes, cur 562 pro fide in Chriſtum, 363.
Iuſtitiam inhærentem in nobis eſſe contra hæreticos. 373 580
Iuſtus tanquam arbor iuxta aquas plantata, 68. 70
Iuſtorum nomina ſcripta in cœlis, 71
Iuſtos, cur plerúmque Deus iurentini patiatur, 643
Iuuenes pro militibus apud Hebræos, cur 194. 203

L

LAboſordach Chaldæorum rex, 568
Labynithus Chaldæorum Rex, alio nomine Baltaſar, 571 per lac gregis quid intelligatur,. 449
Lachis vrbs Iuda, 133
Lacinias tenere, quid 243
Lacus Melchiæ in veſtibulo carceris, 143. Aſa Regis Iuda, 152. 154
Laguncula figuli teſtea, 75. à Ieremia contrita, ad quid, 71 76 pro capite cuiuſque Iudæi, quare 55
Lamentationes Ieremiæ quomodo tam apud Hebræos, quàm apud Græcos, & Latinos nuncupatæ. 127. quo tempore conſcriptæ, ibid. eædem quas populus in funere Ioſiæ regis decantauit, ibid & 226. qualique argumento & artificio conſcriptæ, 228. in funeribus Principum, 375
Lamentatrices fœminæ ad luctum conduci ſolitæ, 39. 40
Lamiæ, 241. quæ eam, 242
per Lanam gregis quid intelligatur, 449
Lanio, pro milite qui multos homines occidit, 148
Lapis Sion, Chriſtus, 119. ſine manibus de monte deciſus quid ſignificet apud Danielem, 546
Laquearia domorum cedrina, picta ſinopide 83. 85
Later, in quo Ieruſalem ab Ezechiele deſcripta quid ſignificet. 311
Latus ſiniſtrum ac dextrum in Ezech. quid ſignificet, 312
Laus, pro gratiarum actione, 115
Leges aranearum telis comparatæ, 272
Leo de ſylua, 22. qui ſignificet, 23
Leuare manũ in ſcriptura, quid ſignificet, 496
Leuitæ etiam agros & prædia habebant, 128
Leuitarum duo genera, 496.
Leuitici ſacerdotes ex Abrahamo orti, 709. lex Moyſis quo ſenſu dicatur æterna, 438. gloria & dignitas Iudæorum, 267 inſtar lucernæ, 267. Dei in viſceribus & cordibus ſcripta, 117. quid ſignificet, 124. vetus ſcripta, quia carnalis, 124
Libanus, pro Iudæa ſynecdochicos, 83. 84. in Libano ſedere, quid 86
Liber ab Ezechiele comeſtus, in quo erant lamentationes, carmen, & væ, 304. 306. quid ſignificaret, 307. in ore dulcis in ventre amarus ad quid 307. ſeptem ſigillis ſignatus in Apocalipſi quid deſignet. 653.
Liberationis epitheton honoris cauſa Dei nomini addi ſolitum, 66
Librorum tria genera in diuino iudicio, 596
Ligna viridia, itemque ſicca quid in ſcriptura deſignent, 385
Lingua dolos loquens, ſagittæ vulneranti comparata, 38 arcui, 40
Litteras ſcribere, latinis pro mittere, 110
Lobna ciuitas ſacerdotum, 214
Log menſura, quid contineret, 504
Lucas Euangeliſta cum vituli facie depictus cur 300
Lucem ſiue Lumen videre quid, 262
Lucernæ Dijs olim accenſæ, 275
Lucifer quid in ſcriptura ſignificet. 695
Luctus mortuorum quot diebus fieri ſolitus, 412
Luctus ſigna apud Iudæos, 153. 173. 174 184. apud Gentiles, 184. 278
Ludere, quid ſignificet, 115. 262
Lugere abyſſum, aut terram, quid ſit, 438
Lugentium mos, 153. 438. habitus apud Iudæos, 325
Luith: 175. mons, 177
Lumbare lineum, 54. quid 51. ad Euphratem in foramine petræ per Ieremiam abſconſum, & ibi computrefactum, ibid. per ipſum quid ſignificetur, 55
Lumbi ſuccincti quid in Scriptura ſignif. 4
Luna, Regina cœli cognuncupata, 31. 33 161. 162. & eius ſacrificia ibid. tanquam Dea adorata 34. eius officium, vtilitas 281

Luna

Luna & ſtellæ in lumine noctis datæ 157
Lupus veſpertinus 22. quid 23
Lux, pro rebus proſperis more ſcripturæ 56. 77
Lydii 166. Aegyptiis vicini & amici 168. in bello fortes 421

M

MAaſias Meriæ pater 247. auus Baruch 248 filius Sellum. 136
Macedonia vbi ſita 606
Macedonum regnum cur pardo ſimile dicatur apud Danielem, 588
Maceriæ, Galliarum vrbs, vbi ſita 124
Machabæi fratres crudeliſſimum potiùs genus mortis obire, quàm ſuilla veſci maluerunt 531. eorum cognomentum vnde ſumptum 571
Magdalum Aegypti ciuitas 160. 166
Magnificare ſe, quid 223
Magog nomen an idem apud Ezech & D. Ioan. ſignificet 462. 463
Magog & Gog an fuerint Scythæ 461. 462.
Malè parta, malè dilabuntur 70
Maledicere alicui, pro infortunatum reddere 281
Maledictionis nomen pro blaſphemia 80 90
Malaſſar Danielis & ſociorum, ſub Eunuchorum principe gubernator 531. 532
Malogranata ærea templi Dei, quot 215. reticulis circundata ibid.
Malum nullum impunitum 310
Malorum memoria bonorum iucunditatem auget 268
Manaa ſiue Manah quid apud Hebræos 250
Manaſſes filius Ioſeph 511
Manaſſe, quarta tribus, & eius ſors 514
Manaſſes rex impius, idololatriæ reſtaurator 50. 364. eius ſcelerum pœnas populus longa captiuitate luit, ibid. quot regnauit annis 314
mane quid in ſcriptura ſignificet 82
manna 248. pro ſacrificio & oblatione 250
manus pro conſilio 154. pro potentia 261. pro facultate 249
manus extenta, quæ 84
manus hominis, quid ſignificet 302
manus ſuper caput, quid 15
manus dare, quid 201
manus implere, pro conſecrare 493
manus extendere 22 25. quid ſignificet 25. 28. pro quærere, implorareque auxilium, cur 224 225
manus diſſolui, pro vehementer timere, cur 325.
Manibus plaudere, ſignum admirationis 231
Maozim idolum ab Antiocho rege cultum 645
Marcus Euangeliſta cum leonis facie depictus, cur 300
Mardochæus in locum Aman ſuffectus & quomodo 156
mare, pro bonorum abundantia, 211. pro exercitu ib d.
mare altius quàm terra 24
mare æneum in templo Dei 215. confractum à Chaldæis ibid.
mare rubrum 187 Idumææ vicinum 191. in mari mortuo, ſeu Sodomorum, nullum animal naſcitur, nec viuit 510
Marguilliers, Gallis qui, & eorum in templo ſedes 137
maſphath 150. 152. ciuitas vbi reliquiæ Iudæorum collectæ altareque Deo erectum ibid. & 153. ab Aſa rege munita 154
mathan, ſacerdos Baal a Ioiada interfectus 110
Mathæus Euangeliſta, cum hominis facie depictus, cur 300
matricularii qui 137
matrimonii ſponſio per tegumentum capitis in fœmina deſignata 357
Mazmorra, quid Hiſpanis 78
Medi 91. Chaldæos de ſua poſſeſſione deturbarunt 53
media regio 105
in medio eſſe quid ſignificet 322
mediterraneum mare cur à Iudæis magnum vocari ſolitum, cum ferè omnibus minus ſit 584
mel ex petris fluxit aliquando 47
Melchias filius Amelech 143
Melchiſedech, ſacerdos Domini, producens panem & vinum Abrahæ benedixit 701. 709. Chriſti typum geſſit, ibid. 701. & ſeq. 709 veréque panem & vinum ſacrificauit 703. 705
Melchom 187. idolum ammonitarum 188
membra corporea Deo metaphoricè attributa, ſed virilia ſemper cur 393
Memphis, Ægypti ciuitas 160. 166. 170. à rege Babylonis deſtructa 167
Mempheos filii 5. quinam ſunt, & cur dicti 9
Menare, quid apud Italos 234
mendacium pro idolis in ſcriptura 57
Mener. Gallis quid 234
menith locus in terra Iſraël, optimorum frumentorum feraciſſimus 428
menni 205. Armenia montoſa 210
menſis primi ſacrificium 499
menſtruatis ac fœtis ſacrificia contingere licitum nullo vmquam modo fuit 275. 278
menſuræ & pondera Iudæorum 500 503
Mephaath Moabitarum ciuitas 175
Meretrices in binis ac triuiis proſtitui ſolitæ 361

meretricum mores deſcripti 10. 14
meretricibus naſus cum auribus amputari ſolitus 404
Merodach, 196. idolum Chaldæorum, 197
merom, ſiue merrum nomen loci, 263
Meſopotamia, vnde ſic dicta 648
Michaël, Angelus Iudæorum princeps dictus, cur, 624. dux in omnibus prælijs quæ pro Deo committuntur, 650. etiam nunc Eccleſiæ noſtræ præſes, ibid.
Michæas de Moraſthi, Propheta in diebus Ezechiæ 101
Michæas filius Gamariæ 138
mignon, Gallis quid 29
mina quid contineret, tam ſacra quàm profana 502
minare, quid apud latinos 216
mingere metu, Prouerbium, quale, 388
miraculo lites hominum dirimere, Dei proprium, 280
miracula pro falſis prodigiis 89. 92
Michaël, puer ex tribu Iuda, 519. 620. qui & Miſach dictus, 530. in fornacem coniectus à Nabuchodonoſore cur 550. 554
miſerationes Dei infinitæ 237
miſericordia pro amore 7
miſericordia Deo gratior quàm ſacrificium 34
miſericordia Dei incredibilis 14
ad miſericordiam implorandam, quid plurimum valeat 260
mitra, quid propriè 272
mittere, abſolutè, poſitum quid ſignificet, 406. verbum auctoritatis aliquando non motus, 305. idem quod præcipere. 305
Moab, 95. 103. 150. regio à qua Moabitæ 175. fertilis, ibid 178. vaſtata 175. ſuperba, 176. 181 vitula dicta, cur 183. 185
Moabitæ fratres Iſraëlitarum, 188. ex Lot progeniti, ibid. circumciſi, 39. cur, 41 attonſa etiam coma, ibid. vino comparati, cur 178
Moabitis ingreſſus templi Domini prohibitus 223
contra Moabitas, prophetia 175
modius ſimilæ ſtatere vno venditus in porta Samariæ 170
molæ domeſticæ ad molendum frumentum in Iudæa, 96. ad condimenta in magnis conuiuiis paranda ibid.
Moloch, idolum Ammonitarum 127. 129
Monarchæ quinam propriè appellandi 540
Monarchię quatuor per ſtatuam à Nabuchodonoſore viſam in ſomnis deſignatæ 540. 541. per quatuor beſtias à Daniele viſas, 583. 585
mons pro gentibus barbaris, quomodo 340
mons Sion cur excelſus nimis, ſeu valde dicatur, 473 Eccleſiæ typus, 370
mons teſtaceus extra Romam vnde dictus 76
montes Dei, quid ſignificent 28
montes Samariæ, vitibus vberes, 116. 118
Moran loci nomen 263
moraſthi, 101. vicus contra Orientem Eleutheropoleos 102
Moſoch filius Iaphet 422. 445. 463
moria, mons vbi templum Domini 101 102.
moribundi quidquid poſſunt apprehendere, fortitérque tenere ſoliti 243
mors, ſomnus ſempiternus 212. 213
mors per feneſtras quando dicatur aſcendere 39. 41
morticinum, quid 32. 35. 135
morticinum omne, & laceratum à beſtiis, prohibitum 311. 314
morticina idolorum, quid 67
mortui fæliciores quam captiui 84. num & quomodo Deum laudent. 256
mortui Iſraël quinam 160
mortui ſempiterni quinam dicantur, 191. cur 234 419
mortuorum orationes 260
mortuis munera apponi ſolita apud Gentiles 275
circa mortuos Iudæorum mos, 412. vide Luctus & Lamentatio
Moyſes Dei ſeruus Iſraëlem de terra Ægypti eduxit, 240. ſolus Prophetarum Deum videns in terram non corruit 304. iudicabat populum à mane vſque ad veſperam, 82. pro eo orauit 50. 51. núncque etiam orat pro nobis 51
mulieres viduæ noctu maximè ſuam viduitatem deflere ſolitæ 220
mulieres captiuæ quo habitu duci conſuetæ 55. 57.
mulierum mos in luctu aut pudore 52
mulieribus honeſtis ignominioſum ſi eis pedes aut crura nudentur 55. 57
mundus mare magnum dictus, cur 585. inimicus Chriſti 681
munera diis apponi ſolita, 276. 278
munitiones, quid 371
munitionum bellicarum varia genera, 128
munecam, quid Hiſpanis 958
μυθικὴ, Theologiæ genus apud veteres, quale 263
myrica, qualénam arbuſtum, & eius ſterilitas, 68. 70. natura 176

N. Nabo

N

Nabo, ciuitas Moabitarum vaſtata 175
Naboth vinea à Rege Achab vſurpata, 502
Nabuchodonoſor magnus Chaldæorum rex, 57. 80. 95. 367 quila vocatur ſolitus in ſcriptura cur, 184. 302 367. ventus vrens, 369 per olla ferueatem à Ieremia deſignatus, 4 Leo metaphoricè nuncupatus, 18. Iconiam regem tran ſtulit 93. Iſraeliticum populum, 103. 249. vnaque etiam templi vaſa, ibid. 104. ſeruus Domini quo ſenſu, 95. 96. 312. columba, dictus, cur, 100. 169. 184. eius theſaurus, veneti deliciæ, opes 211 per caput aureum ſtatuæ deſignatus, 221. cur ibid. Ieruſalem cepit, 133 154 147. Sedeciam regem profugum comprehendit, occæcauit, filioſque eius interfecit, 147. Ægyptum diripuit 158. 166. regna Aſor, item, 188 gladius Dei vocatus, cur, 316. 387 per leonem, lupum, ac pardum in ſcriptura deſignatus 23
Nabuchodonoſor, quo anno Ieruſalem obſedit & expugnauit, 214. 215. 517. 526. adorari volens tres pueros recuſantes in fornacem coniecit, 529. cum beſtiis deputatus, cur 519 501 504. 565. quot annis regnauit 615. & quando mortuus 216
Nabuzardam, princeps militiæ Nabuchodonozoris, 53. 147. 149. 215 Ieremiam è carcere liberauit, ibid. eique annonam aſſignauit ibid.
Nabuſerbat, princeps Regis Babylon. 147
Nathanias filius Selemiæ
nationes, quáſnam gentes propriè ſignificent 715
Nazaræi niue candidiores 241. rubicundiores ebore antiquo ibid. & 243
Nazaræis capillum tundere nefas 34
Nechao Rex Ægypti 103
Nechelem, oppidum, vel locus 110
Nembrod, regni Chaldaici fundator 24
Nenrim 183. locus aquis irriguus in Moabitide 183
Nephthalim, tertia tribus, & eius ſors 514.
Neregel, princeps Regis Babylonis 147
Nerias, Maaſiæ filius 126. 207. pater Baruch Prophetæ 247. 248
Neruus, qualenam inſtrumentum 77. ſcalis noſtris ſimilis ibid.
Nethophati 150
Niglſar Chaldæorum Rex 168
Nilus. celeberrimus Ægypti fluuius, vbi frequentes crocodili 431. cùm exundabat, vniuerſam terram operiebat 441
Niniuitæ ad prædicationem Ionæ conuerſi 307.
Nithochis, Regina Babyloniorum 571. 574.
nitrum 6. quid, eius vſus 9. pro excuſatione humana in ſcriptura ibid.
no ciuitas Ægypti, nunc Alexandria 171
Noë pro ebrietate nudatus 244
Nomades, extra vrbes habitantes. 195
nomen Dei inuocare, quid 255
nomen Domini inuocari ſolitum in templo 129. 133
nominum mutatione, ſtatus mutationem ſignificare frequens in Scriptura 273.
per nos ſtat ne ſalui ſimus 447
noſcere, pro colere in ſcriptura 83. 85
nouacula pro ira Dei 342
nubes magna quid in viſione Ezech. 296
nubes Dei iuſſis obtemperant 276

O

Obrizum aurum 44
oculi Adami & Euæ aperti quo ſenſu 286. cæcorum item 286
oculi deficientes, quinam, & quid ſignificent 216.
oculos leuare quid ſit 373
Oculos ſuper aliquem ponere, quid 148. item anectere ibid. 149. 151
offertorium, quale ſacrificium in Eccleſia 706
Oliuarum oſſa à meretricibus ſuccendi ſolita, ad quid 276. 279. 280
olla ſuccenſa, & facies eius à facie Aquilonis à Ieremiam viſa 2. & quid eius nomine ſignificatur 4. 408. 409
onager, quale animal, 10. & aptiſſima ſimilitudo ab eo ſumpta in idololatras ibid.
onagri in rupibus, quid 48.
Onias ſumus ſacerdos in Ægyptum profugus 635
Onus, pro Prophetia, cur 230
Oola & Ooliba quid ſignificent 401
Ophir, regio, vnde aurum putiſſimum. 44
opera bona, etiam infidelium mercede non carent 433
operari, pro ſacrificare, 252. vel ſeruire diis alienis 252
opbaz, 42. quid 44.
opus pro materia, 292. pro ſtructura & compoſitione 293
oratio tribus ſaltem temporibus in die facienda, matutinis, meridianis & veſpertinis. 577
orationis inſtotum vis & efficacia 33.
orationes ſanctorum mortuorum viuis proſunt contra hæreticos, 50. 51. 260
ordinare, quid in ſcriptura ſignificet. 691

Digitized by Google

Origeniſtarum error 5
ornamentum ornamentorum quid 358
Oronaim Moabitarum ciuitas, 175. 176. 177.
vitula dicta, 176. cur 183
os pro præcepto ſumptum 230
Oſée filius Hela, rex Iſrael 312
captus ibid.
Oſée Propheta mulierem meretricem vxorem duxit iubente Deo ad quid, 34
oſſa pro Principibus 410. 411
oſſa de ſepulchris eiicere quàm ignominioſum 35
otium, cauſa libidinis 163 174
oues numerare, quid 132

P

PActum Dei cum Iudæis quale 465
pactum nouum Dei cum pupulo ſuo poſt reductionem eius à captiuitate. 117. 127 quid deſignet 124
pactum inire quid apud latinos 100
Paleſtina fertiliſſima 47
Paleſtini colonia Cappadocium 173
pallio fœminæ caput tegere, matrimonij ritus 358
palma, qualis arbor 45
palmæ, menſura quid ſignificet 232
palmares infantes vnde ſic dicti, 232
Panag locus in terra Iſrael, optimorum frumentorum feraciſſimus 423
panis, apud Hebræos, pro conuiuio 153
panis pro corpore Chriſti apud Ieremiam prophetice poſitus 47. 49
panis ſtercore conſperſus in Ezech. 311. quid ſignificet 314
panis, baculus & virga dictus, cur 314
panem in conturbatione comedere, quid ſignificet 244
Paradiſus Dei, quid 438
pardus, animal maculis ac varietatibus diſtinctum 55 57
pardus vigilans, at. quid 23
parentare, quid apud latinos 66
per partes, quid ſignificet, 409
Paſcha quo die & menſe celebraretur apud Hebræos 499 623
de paſſione Chriſti Domini teſtimonium euidens 46. 49
paſtor vnus, Chriſtus 450
paſtores pro Ducibus ac Regibus in ſcriptura, 26. 27. 43. 193. 196. 199. pro Sacerdotibus ac Prophetis, 50 52. 86. 87.
pro Chriſto & Apoſtolis, 88
paſtores boni, pars fælicitatis populi, 15
paſtorum mos ex vno loco alium migrantium 158. 159
paſtorum ex paſcuis redeuntium mos aliter Regibus adaptatus 132
paſtoribus gregem diſpergentibus quam pœnam Deus comminetur 88
de paſtoribus noui Teſtamenti prophetia 89
patientiæ ſingularis deſcriptio, 231. 438
patres comederunt vuā acerbam, Prou. apud Iudæos, quale 370. 371
pax, pro omnium bonorum abundantia ſæpe poſita 113. 132
peccatum pro pœna peccati frequenter in ſcriptura poſitum, 91. 238. 265
pro ſacrificio pro peccato 208
peccatum nullum iam graue quod non pœnitentia aliqua deleri poſſit 35. 37
peccatum Iuda ſcriptum ſtylo ferreo in vngue admantino, 67. quid ſignificet 68
peccata exaggerandi mos apud Iudæos 255
peccata eleemoſynis extinguntur, & operiuntur 564
peccata remitti quid ſit, contra Caluinianos 373
peccata hyemi comparata, 35 37. ſpinis 18. per fracturam & plagam deſignata 114
peccatorum gratuita remiſſio 385
peccatorum nimiam confidentiam obterere ſolet Deus 6
pecudes, ſiue pecora, pro diuitiis, 177 vide: Diuitiæ, & iumenta
ſub pellibus habitare, quid 45
perdix fouet quæ non peperit 68. quomodo intelligendum 70
perdicis proprietas 70
Perſæ ac Medi Babylonii Aquilonares 198. 204. 206 Chaldæam depopulati 197. 203. Babylonemque victores ingreſſi 204. 205. in bello fortes 421. vrſo comparati, cur 587 588
Perſarum quot reges fuerint 629
Perſarum regnum Babylonico inferius quomodo intelligendum 542
peſtilentia gladius, & fames, arma Dei, quibus contra peccatores pugnat 79 89
Petrus cur mergi cœpit cum timuiſſet 4
Phacee filius Romeliæ rex Iſrael 314
Pharao, nomen omnibus Regib. Ægypti commune 159. 164 165
Pharao Ephée, 143 161
Pharao Nechao, 191. in auxilium Sedeciæ contra Chaldæos egreſſus 141. à Nabuchodonoſore debellatus 167
phaterra, cur ſepulchrum patens, in ſcriptura nuncupata 21 24
Phaſſur, filius Emmer. ſacerdos 77. Ieremiam miſit in neruum ibid. ductus Babylonem captiuus 77 quid ſignificat 78
Phaſſur alius, filius Melchiæ 80. 81. 143
Phatures, Ægypti ciuitas 160
Phelthias filius Banaiæ, quis 338 339
Philippus Aridæus Alexandri ſucceſſor in Occidentali regno 606. 635

Philiſthum

Philiſthiim 96.98
Philiſthim & Cappadoces fratres 173
Phryges vnde orti 421.464
Phutiphar, eunuchus cur appellatus, cùm vxorem dicatur habuiſſe 145.529
Pigmæi an ſint,& quo terræ ſint loco 421
Pilatus Chriſtum cognouit per inuidiam accuſari & tamen condemnauit,cur 578
Piſcatores,Apoſtoli 510
Piſces Chriſtiani 510
Piſces pro ſanguine ſaniem habent 441
Placentæ Reginæ cœli ab idololatris oblatæ 31.33
planctus in domo mortui 66. quomodo fieri ſolitus apud Gentes 64.66
plateæ vrbis, pro eius medio apud Hebræos 161
Plenus dierum quid ſignificet 28
plumbum quid ſignificet 30
pluuia temporanea quæ 24. & quibus potiſſimùm temporibus deſiderari ſoleat 14. 24 & 25.
pluuia à Dèo ſolo poteſt impetrari, non à ſculptilibus Gentium 48
pœna virgæ comparata 123
pœna Tantali & Titij 351
pœnitentia à Ieremia prædicata 17.72
pœnitentia qua ratione in Deum cadere poſſit 73 106.697
pœnitentia & conuerſionis partes duæ,declinare a malo,& facere bonum 618
pœnitentiam à beſtiis homines didicerunt 15.17
pœnitere Dei, pro ſententiam mutare, 100. 105
poloni, quomodo comam attundant 42. 195.
pondera & menſuræ Iudæorum 499 503
Popilius Romanorum legatus Antiochum 640
porta anguli 117.quæ,& cur ſic dicta 125
porta fictilis quæ.& cur ſic dicta 75
porta Ephraim,ſiue equorum 117.125
porta orientalis,noua dicta,cur 102
porta Beniamin, quæ, & vnde ſic nuncupata 141
porta media,quæ 147
porta altaris,quæ 319
portæ terræ,quænam ſint 53
portæ minorum vrbium ex maioribus quas reſpiciunt nuncupari ſolitæ 417
portas vrbium lugere,quid 221
ad portas principes & ciues iuris dicendi cauſa conuenire ſoliti 71
non poſſe,quid & qui dicantur 144 145
potentia diuina rebus etiam naturalibus maximè commendatur 14
præcepta non bona quænam dicantur in Scriptura 382
præcepta Dei,iuſtitiæ ſiue iuſtificationes dicta,cur 271
præficæ ad luctum conduci ſolitæ 45. vide lamentatrices.
præſtigiatores & malefici quinam 535.537
primitiæ quid 7
primitiæ omnium primitiuorum Deo offerri ſolitæ 408
princeps,caput populi 211
principium,quid ſignificet in ſcriptura 689. num Deum patrem, an Chriſtum filium ibid.
propagines,quid 23
propagines extendere,ſymbolum, fertilitatis in ſcriptura 182
prophetæ boni & mali officium. 346
prophetæ,ſpeculatores nuncupati,quare 28, 29 309 tubæ 26.29. ſerui Dei 31 cum rebus pretioſis ſepeliri ſoliti 36 nulli accepti in patria ſua 50
Prophetæ in compingendis vaticiniis non ſemper ordinè temporum ſeruabant 340. furioſis hominibus ſimiles videri ſoliti 110. videntes dicti,cur 130 234 Deum videntes in terram corruere conſueti 304 307
Prophetæ omnes ab initio mundi quid prædixerint,& qua ratione veri a malis diſcerni poſſint 106
prophetæ quinam antiqua de Antichriſto vaticinati dicantur 465
prophetarum ſingula capita, ſingulæ penè prophetiæ diuerſo editæ tempore 81
prophetis Samariæ,& Ieruſalem mendacibus quæ ſupplicia Deus comminetur 88
prophetia, manus Dei dicta 307. 309. initio dulcis,poſtea autem amara 307
prophetiæ de Ieruſalem,ad Eccleſiã Euangelicam etiam ſpectans 338.340
phophetia de tempero Chriſti,& de liberatione à captiuitate Sathanæ 94
prophetia vltima Ezech. obſcuriſſima 472. eius tempus ibid.
prophetiæ gradus vndecim 523
prophetiæ ſpecies nominum impoſitione conſtans 169
prophetiæ quamuis de ſola Ieruſalem agere videantur; longiùs tamen ad Eccleſiam Catholicam ſpectant 463
prophetiæ onera & aſſumptiones dictæ, cur 89.92.230
prophetiæ 348. conſuere puluillos ſub cubitum dictæ,cur ibid.
proſternere preces ante faciem alicuius,quid 236
prouidentia Dei maximè cernitur in Regibus gubernandis 281 per ſolium cuitui ſuperpoſitum deſignata 595. quo modo rectè depingi poſſit 301.per omnia regna diffunditur 303
de prouidentia diuina dubitatio propter impiorum proſperitatem 51.vide Impij

Digitized by Google

prunæ per vrbem ab Angelo diſperſæ quid ſignificent 335
Pſeudoprophetæ, vulpibus comparari, cur 246
Ptolemæus Lagi filius, Alexandri in Syria & Babylone ſucceſſor 606. 631. vir prudentiſſimus ibid.
Ptolemæus Philadelphus Ptolemæi I. filius & ſucceſſor ibid.
Ptolemæus Philopator 631. vnde ſic cognominatus 634
Ptolemæus Euergetes Ptolemæi Philadelphi filius & eius bella 633
pubaſtum, vrbs ad oſtium primum orientale Nili ſita 435
Pudor in vultu maximè cernitur 33
puellæ molas vertere ſolitæ in Iudæa 95. 96. nere ad lucernam 97
puellarum ſuperbus ornatus pro totius ciuitatis ſuperbia, cur 230
puer nomen cuius conditionis apud Hebræos & Latinos 520
pulmentum quid 141
in puluere os ponere, quid 237
purpura, regis inſigne 570
pyra: vide Rogus 2

Q

QVatuor partes pro omnibus poſitæ, cur 336
vn quidam, quis apud Gallos dicatur 608
Quippe, ſeu quia pro propterea 443
Quod pro quia, in Scripturis ſacris 3

R

RAab meretricis funiculus coccineus, Chriſti ſanguinis ſimbolum 333
Rabbath 186. 187. ammonitarum ciuitas 189
Rabſares, princeps Regis Babylonis 147
Rachelis plorantis filios ſuos, lamentatio & luctus 116. & de eo dubitatio 120
Rachelis in Beth-lehem ſepulchrum ibid.
Rama, quid 118
Raſin, Damaſci caput 194
Reblatha, ciuitas, vbi ſita 147. 214. 321. 338
Reb mag, princeps Regis Babylonis 147
Rechab 136. ex Ietro ſocero Moyſis oriundus ibid.
Rechabitæ ibid. à vino abſtinebant ibid. & 137. ſine poſſeſſionibus viuebant, vt peregrini 136. 137. qui, & vnde orti 137. eorúmque ſingulare Chriſtianis omnibus exemplum ad imitandum 138
Reema ciuitas Arabiæ felicis 424
Regarder des gros yeux, Gallis quid 81
pour le regard, Gallis quid 64
Regaſar Babyloniorum rex 148. 149
Reges per Deum regnant 73. eóſque conſtituere, Dei ſolius proprium 279. 280
Reges Iudæórum populum ſuum iudicare ſoliti 81 quomodo ſepelirentur 134 cum theſauris 135. coronis aureis 53
Reges Ægypti, Pharaones omnes dicti 159. 164 165. piſci comparat 430 431. balenæ 441
Reges Chaldæorum, Nabuchodonoſores omnes dicti, 418
Regnum Chriſti quale 544. 545. & eius perpetuitas 532
Regnorum omnium natura & conditio 302 303. per viſionem Ezech. deſignata ibid.
in Religionis Chriſtianæ arcanis duæ res potentiſſimum nobis fidem facere debent: & quænam illæ ſunt 731
Relinches, quid Hiſpanis 119
d ....er le rendez vous Gallis, quid 403
Renibus maximè grauiſſimus dolor ſentiri ſolitus 235. 236
Res aduerſæ, tenebræ; proſperæ, lux 234. 251
Reſina Galaad 36. 166. quid ſignificet 38. 168
an de Reſurrectione futura ſermo ſit apud Ezechielem 459
de Reſurrectione vltima locus apud Danielem 650
Reſurrecturi cur dicantur multi, non omnes 650. 651
Reuelationes per ſomnia 91
Rogus aut pyra, futura afflictio 410
Romani quàm ſuperſtitioſi in Diis colendis 645. cum Iudæis fœderati 542. facti illis inimici 225
Romanorum Imperium per ferrum in ſcriptura deſignatum, cur 641. 642. à Chriſto comminutum quo ſenſu 545. per quartam beſtiam à Daniele viſam ſignificatum 645. 590 601
Ruben, ſexta tribus, & eius ſors 514
Rugitus pro ferocitate 211
Ruinas implere, quid ſignificet, & quomodo debeat intelligi 716. 717

S

SAbæorum gens, thure & aromatibus nobilis 423
Sabama 176. Moabitarum ciuitas 181
Salathiel filius Iechoniæ, 378
ſabbati ſanctificatio 68
in ſabbato nullum opus fieri debebat 68
ſabbata dierum & annorum ad quid Iudæis data 381
Saber à la madre, quid Hiſpanis 178
ſacerdotis nomen quibus accommodetur in Scriptura 200. 201

ſacer-

ſacerdotes Leuitici, principes ſacerdotes 820
hæreditatem non habebant, cur 448
ſacerdotes & primarii viri cum rebus precioſis apud Iudæos ſepulti 35
ſacerdotes Euangelicæ legis, ſacerdotes in æternum 712
ſacerdotum habitus qualis apud Babylonios 275
ſacerdotibus mortuos flere prohibitum 240
ſacerdotium Chriſti quod eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, præſtantius Aronico 710. 711. & ſeqq.
ſacerdotii Aaron tranſlatio in ſacerdotium Melchiſedech 89
ſacramentum Euchariſtiæ, verum ſacrificium 713
ſacrificare, quid ſignificet 730
ſacrificium pro peccato 250
ſacrificium ſine miſericordia Deo minimè gratum 54
ſacrificium Melchiſedech Aaronico præſtantius, in quo 708. 709. 710. & ſeqq.
ſacrificium panis & vini à Melchiſedech oblatum, figura ſacrificii Euchariſtiæ 702. 703. & ſeqq. 707. 708
ſacrificium Chriſti ſupra Aaronicum 709. 710. 711
ſacrificia idololatrarum ſub arboribus 9. 11. in collibus 13. 14. 57. Deo minimè grata 48. in agris & lucis 67. 69
ſacrifier, apud Gallos, quid 210
ſagittæ, filiæ pharetræ dictæ, cur 235
la ſaiſon, Gallis quid 225
ſalmanaſſar, Aſſyriorum rex 512
ſalon, Helciæ pater 248
ſalus Iſraël in Domino 13
ſamaria ſoror Ieruſalem dicta, cur 363 à rege Aſſyriorum capta ſub Ezechia ibid. Iudææ ſiniſtra 312. caput Ephraim 119. in decem tribubus 90. quatuor diſtabat à Ieruſalem 153
Samuel maximam populi curam habuit pro eoque orauit diligentiſſimè 50. 51
ſancerra, caſtrum in tractu Biturigum 232. à Catholicis obſeſſum ibid.
ſancti cum Deū vident penè exanimātur 304
ſancti altiſſimorum quinam dicantur 599.
ſancti quando prohibeantur à Deo ne orent & pro quibus peccans 33. quo ſenſu petant vltionem ab eo 50. orant pro viuis 50. 51
ſanctificare, in ſcriptura, quid ſit 3. 84.
ſanctificare bellum, quid 210. ieiunium ibid. victimas 51
ſanctorum orationes 260. inuocatio quam temerè ab hæreticis impugnata 256. 352
ſanctorum de diuina prouidentia querimoniæ 51. 39
in ſanctis tanquā in amicis Dei confidimus 69
per ſanctum Deus abſolutè deſignatus 271
ſanctuarii templi, & eorum quæ ad illud pertinebant, deſcriptio 480. 481. & ſeqq.
ſanguis innocens, ſuper homicidas ipſos funditur 102
ſanguis Abelis contra Caim 211. Zachariæ ibid.
in ſanguine eſſe quid ſignificet 317
ſanir, mons, quis 421
dalde ſantiago, Hiſpanis quid 200
ſaphen ſcriba 138
ſaphatias filius Mathao. 143
ſapientes à populo aliquo tolli, quanta punitio 190
ſapientia vera vbinam inueniatur 262. aqua viua dicta 162. difficilis, & facilis ad acquirendum, qua ratione 264
ſapientiam veram cognoſcere, maximum beneficium 263
ſaraceni circumciſi 41
ſaraias propheta, Neriæ filius 206 prophetiam Ieremiæ contra Chaldæos, Babylonē iens in Eufratem proiicit, cur 106. primus inter Leuitas 213. 214. ſacerdos 215. 393.
ſaraias filius Ezriel 130
ſareas filius Thanehumeth 150
ſarion mons, quis 421
ſar ſachim, princeps Regis Babylonis 147
ſartago ferrea quam poſuit Ezechiel inter ſe & ciuitatem Ieruſa ē 310. quid deſignet 312
ſatrapæ, ſecunda poſt regem dignitas 552.
ſatyri 270. 271
ſcabellum, pedum Chriſti, qui in ſcriptura ſignificet 608
ſceptra Deorum 275. 277. iudicium ibid.
ſcorpiones, pro malignis hominibus, cur 305
ſcribarum officium apud Iudæos 37
ſcripturæ mos notandus, quæ rem impleri dicit etiam cùm perfectionem aliquam accipit 121
ſcripturæ ſacræ ſcoſus hiſtoricus in cibum, allegoricus in Medicinam 511
ſcutum, pro quouis tegumento, cur 240
ſæculorum quatuor ſabulæ vnde natæ 541
ſedada, vrbs in finibus tribus Iuda 512
ſedecias Maaſiæ pater 147. Baruch proauus ibid. & 248
ſedecias alius filius Maſiæ, pſeudophopheta 108 frictus à rege Babylonis in igne ibid. 110. 116
ſedecias, filius Hananiæ 138
ſedecias, filius Ioſiæ, rex Iuda 148. 368. vitis vocatus cur ibid per Nabuchodonoſorem rex in terra Iuda conſtitutus 141. Ieremiam in carcerem miſit 53 126 142. nuncios ad Regem Babylonis relegauit 107. ad quid 109. quo anno, quotque annis regnauit 214 quando & vbi comprehenſus 215 filiis oculiſque orbatus 1. 2. 41. vinctus Babylonem ductus 80. 134. 147. 215. 283. propter populi peccata captus 244 non fuit reductus ab exilio 128

Sedeciæ captiuitas qualiter ab Ezechiele prædicta 367
Sedecia miſerior, prouerbium 94
ſedes Baruc abauus 247. 248
ſegor 176
Sehon, Amorrhæorum rex 186
ſeir mons Idumææ 192. 522. cur ſic dictus ibid. & 415
Selemias filius Abdeel 139
Selemias filius Chuſi 138
Selemias filius Hananiæ 141
Seleucus Aſiæ & Ponti rex 639. 633
Seleucus Nicanor, Syriæ rex 606
Sellum filius Ioſiæ 82. quis fuerit 84. & quid ſignificet ibid. in regum ſerie non numeratus cur ibid. & 85.
Sem & Arphaxar, progenitores Abrahæ 283
Semegarnabu princeps Regis Babylonis 142
Semeias Nehelamites 108. 109. 283. pſeudopropheta ibid.
Semel, pro perfectè apud Latinos 322
ſepelienditus apud Hebræos 134
ſepes, pro clauſtris villarum, cur 189
ſeptem, & ſepties pro plurimis, & numero infinito in ſcriptura 52
ſepultura aſini, quid 82. 86
ſepultura patria carere quàm ignominioſum 32. 35. 61. 82. 139. 257
ſerere ſuper ſpinas quid 18
Sereſer princeps Regis Babylonis 142
ſermo Domini vi ignis 78. onus ab impiis & peccatoribus nuncupatus 89. 93
ſermones Domini ſuauiſſimo cibo comparati 54
ſerpentes reguli quibus non eſt incantatio 36. quid ſignificent 38.
ſerui ſeptimo anno in libertatem remitti ſoliti 133. 134
Seruirſe de alguno, quid Hiſpanis 97
ſeruitus, fornax ferrea cur nuncupata 184
Sesach 91. regis nomen, & cuiuſnam 98
Seſac, ciuitas, capta à Medis 205. pro Babylone cur 212
Seſer, princeps regis Babylonis 147
Sebat menſis quis apud Hebræos, & vnde ſic dictus 250
ſibilare, quid 231
ſibilus pro admiratione aut contemptu apud Hebræos 74. 193
ſibyllarum carmina, qualia 524. 525
Sicilus, ſacer & profanus, quidque contineat 128. 314. 502
ſiege. Gallis idem quod obſidio, & ſolium 196
Siene, principium regni Ægypti 431
ſigna ad dignoſcendam viam poni ſolita 177
ſigna in cœlo 3. 17. gentibus terrorem incutere ſolita 281
Sihon 176. Moabitarum ciuitas 185. 186
ſilere quid ſignificet apud Hebræos 174. 425
ſilo, ciuitas in tribu Ephraim 33. nobilitata tabernaculo Domini ante templi conſtructionem 31. 33. vaſtata propter peccata Ephraim ibid. & 101. 102
Simeonis tribus & ſors vbi ſita 514
ſimile oblatio, qualis 502. 507
ſimilia, putei & Ieruſalem 26. 27. miatoris, & Chaldæorum Ieruſalem diripientium ibidem equi impetu vadentis ad prælium, & Iudæorum 35. eorundem, & auium vernarum 35. 36. hyemis ibidem miſericordiæ Dei, & veris ibidem hominis & fœni 39. linguæ & arcus; verborum & ſagittarum 40. palmitis & idolorum 42. 43 Ieruſalem, & oliuæ 46. 48. Chriſti & agni 46 49. populi & gregis 49. Ieroſolymitanorum, & fluctuum Iordanis 49. Iſraëlis efferati à Deo, & Leonis in ſylua 48. & eiuſdem, & auis diſcoloris ibidem lumbaris lineî putrefacti, & ſuperbiæ Iudæorum 54. ſtipulæ & eorundem 55. mulieris & Ieruſalem 50. 52. Chaldæorum & piſcatorum ac venatorum 65. 67. hominis a Deo recedentis, & myricæ in deſerto 68. in Domino confidentis & ligni iuxta a quas ibid.
Similia, Dei, & figuli 72. & lagenæ 75. 77. indignationis Dei, & ignis 80. Iudæorum adorantium idola, & adulterantium 90. bonorum & malorum, & ficuum bonarum ac malarum 93. 94. Dei & Leonis 100. iræ Dei & metallorum 157. 160. Regis Babylonis Ægyptum diripientis, & Paſtoris 158. 159. Ægypti, & fluminis 166. 168. eiuſdem & vitulæ 166. Moab & virgæ 175. eiuſdem & vaſis fictilis 175. & vini 177
ſimilia, impij & aquilæ 189. 191. noſtris & fluminis ibid. Iudæorum & gregis 196. hædorum, & Iſraëlitarum è captiuitate redeuntium 197. 199. Ieruſalem & mulieris menſtruatæ 218. 222. 225. & auis 233. ornamentorũ virginis & ſculptilium 274. vaſis fracti, & eorundem 274. lapidum de monte 275. pinæ albæ 276. mortui protecti in tenebris ibid. corniculæ 280. iniquitatis cum radice, pœnæ cum virga 324. pſeudoprophetarum cum vulpibus 346. populi cum vrbe, legum cum muris ibid. legum cum aranearum telis 372. Ieruſalem cum leæna, & vinea 372. 374. 375
ſinopis, pro rubrica, cur 83. 85
ſion, mons, vbi templum Ieroſolymitanum 185. mons ſanctus, Eccleſiæ typus. 199. 384
ex ſion regnum Chriſti propagatus in omnes nationes terræ 686. 687.
Smerdes, Perſarum rex 636
ſodi, flumen Chaldææ 248
Sodomæ ob nefanda flagitia incendio deletæ 187. 197. 243. eas non deleuiſſet Dominus ſi decẽ in eis iuſti fuiſſent inuenti 22. a dextris Ieruſalem ad Orientẽ ſpectantibus 363

Sogdia-

Sogdianus Perſarum rex 313
Sol, in lumine diei datus 117. rex cœli nuncupatus 33. 162. tanquam Deus ab idololatris adoratus 36. 158. 550
ſolis officium ac vtilitas 291. imago aurea 330
ſolium, pro palatio, & regiâ 159 pro obſidione 196
ſolium Dauid 108. 141
ſomnus ſempiternus, pro morte 212. 213
ſomnium Regis Nabuchodonoſor à Daniele interpretatum 536 537
ſomnium aliud eiuſdem Regis de arbore, ab eodem Daniele interpretatum 558. 559
ſomnia num attendenda 107
ſomnia pſeudoprophetarum, paleis comparata 88. 91
ſomniorum quatuor genera: & quænam illa ſunt 537
ne ſonner mot, Gallis, quid 174
Sophonias filius Maaſiæ, ſacerdos 80. 108. 141. 215.
ſortionis genus etiamnum vſitatum 392
ſpecies electri quid apud Ezech. 297
ſpelunca fabuloſa, qua dicunt Hebræi Sedeciam aufugiſſe capta vrbe 148
Spiritus ſanctus vbi Prophetis loqueretur ſecundùm Hebræos 286. cur ſuper eos requieſcere dictus 105 per Luciferum deſignatus in ſcriptura 695 poſt baptiſmum Chriſtianis datus 456
ſpiritus vitæ in rotis Ezech. quid 293
ſpiritus currus, quaſi tempeſtas, equi velociores aquilis 17
ſplendor in circuitu quid apud Ezech. 297
ſplendor Sanctorum, quid ſit 692
ſpolia quænam in magno habenda 80. 81. 144
ſtacte quid 20
ſtater quantum valeat 314
ſtatera pro iudicio & prouidentia Dei in Scriptura 316
ſtatua à Nabochodonoſore per Somnium viſa quid ſignificaret 535. 539. 540.
ſtatua area per ipſum Nabuchodonoſorem facta ac delicata ad quid 548 549. 551
ſtatuæ Solis in Ægypto 158
ſtellæ tanquam dij ab idololatris adoratæ 36. 76. multitudini armatorum militum comparatæ ibid. magis formidatæ à gentibus quàm Deus 42. 43. militia cœli dictæ, cur 204
Stephanus & Fortunatus, primitiæ Achaiæ 7
ſtola, quid 272
ſtruthionis erga oua ſua crudelitas 242
ſtylus ferreus 67. quid 68
ſubſiſtere quid 243
ſubſtantia, quid apud Latinos, 40
ſubtus eſſe quid in Scriptura 254
ſuburbana vrbis Ieruſalem, quæ quot, & qualia 515
ſuffiatorium quid, 30
ſuiure de pres, Gallis quid 252
ſuperbi cedris comparari ſoliti 85. 86. Libano monti ibid. aquilæ 191. flumini 119. pereleganter deſcripti 191. 192 a Deo humiliati ibid.
ſuprà eſſe, quid in ſcriptura 254
Suſa, Regia vrbs Perſidis 603. 604. dicta ibid.
Suſanna, ex pulchritudine & timore Dei à Daniele laudata; mirabilitérque ab eo de ſenum calumnia, liberata 659. 660
ſuſcitare, pro generare 113
ſydera ſplendida & emiſſa ad vtilitates 176
ſylua, pro domibus, vel vrbibus 82
ſydon ciuitas 95. 103. 172. 173
Syria comparatione Ægypti, aquilonaris 168
Syrij, Iudæorum ſummi hoſtes 191

T.

TAbernaculum horti 263 paſtorum ibid. Tabernaculum templi 20. Domini in Silo, 30. 31
Tabernacula militaria 20
Tabernacula pro familiis, cur 115
Tacere, pro ceſſare 208. 231. patienter expectare 237
Tacere ab aliquo quid 146
il Tale, quinam apud Italos 628
Taphnes filij 5. quinam, & quare ſic nuncupati 16
Taphnis 158. Ægypti ciuitas vbi palatium Pharaonis Regis 158. 159. 151.
Taphſat 205. loci vel ducis nomen 211
tau, littera, quid ſignificet, & quomodo crucis figura 333
tauris omne robur in cornu 142
taxus arbor præſentiſſimi veneni 49
taxus, animal diuerſi coloris, eiúſque pellis vſus 258
techua 25 vicus duodecim miliaribus ab Ieruſalem ſeparatus 26
tecta in Iudæa, qualiter extructa 76. 184 in iis cœnabant æſtiuo tempore ibid. ſuper ea ſtellas adorabant ibid.
Teglatphalaſar Rex Aſſur 312
templum Domini quibus rebus conſtabat 32. & quid per ipſum intelligatur 33 factum ſpelunca latronum a Iudæis 31 33. 32. caput Libani ... vocatum. cur. 32 93.
templum Dei. ... pedum eius 228 pollutum a profanis gentibus ibid 566. euerſum. 225 a Nabuzardam vaſáque omnibus ſpoliatum 215 223 241. 242. ab Antiocho pollutum quando 608. à Iuda Machabæo mundatum ibid.

templum, & ſeptum exterius, & atrium com prehendebat 77. 78. partim in Iuda, partim in Benjamin 78
templum Solis apud Ægyptios 158. 159
templi tres partes præcipuæ, quæ ſingulæ templum etiam dicebantur 213 326. 386
templa Deorum Ægyptiorum à Rege babylonis ſuccenſa 158
tenebræ pro rebus aduerſis 234. 251
tentoria ex pellibus confici ſolita 45
terra ſæpe fructus non profert ob malitiam hominum 51. 53. ſeptimo quoque anno requieſcebat 70 106
terra abſolutè pro Iudæa in Scriptura 49. 321
terra metaphoricè mulier nuncupata 13
terra abſque muro, Eccleſia, & cur 464
terra promiſſionis ſemel tantùm ſorte diuiſa 499 500. diuiſionis eiuſdem menſura & ratio 511. terra 511. terra fluens lacte & melle .46. 47. 127. 249
terra ſancta à Gallis recuperata 647. & cur ſic dicta ibid.
de terra Iudææ altitudine Rabinorum commentum 473
in terra terebi, qui dicantur 87
in terra quaſi exanimati ſedebant, qui maximo mœrore affecti erant 530
terram lugere quid ſit 48. 221
terram conſpectu alicuius eſſe, quid ſignificet 151
terram pede percutere, quid 320 321
inter teſtamentum vetus nouum, ac legem, differentia multiplex 124
teſtamentum nouum in ſanguine Chriſti inſtitutum 525 per vetus deſignatum ibid. fœdus pacis dictum cur 450. 460
teſtes in emptionibus adhiberi ſoliti 126
τετραγράμματον, nomen, quibus, & qualiter tribui poteſt 170
thabor, mons 89 aptus ad venandum 169
thalamorum templi ſeu Sanctuarii numerus 482
thamar ab Amon corrupta 72
thainus pſeudopropheta. déque eius morte lepida Hebræorum fabula 330
tharſis 42. Affricæ regio 43. quid ſignificet 422
tharſis, lapis. quis 293
thel-abib, locus. quis 309
theman 95. 187. Idumææ princeps ciuitas vnde ſic dicta 98. 190. 193 262. 196
theman filius Elephaz, nepotis Eſaü 415. 193. 26
theologia fabuloſa quænam veteribus 263
thogormah filius Gomer 422. 464
Θρῆνοι Græcis, quid ſignificent 217
thubal filius Iapher 422. 441. 468
thus de Saba aduectum 26 19
θυσία, quid propriè ſignificet 730
tibiæ in lugubribus carminibus adhiberi ſolitæ 183 184
tigranæi quinam & vnde orti 422
timoris vehementis ſigna 570
tinnitus aurium vnde 75. 76
tonitru ſemper ſequitur pluuia 44
tonitru, vox Dei in Scriptura nuncupatum, cur 294
tophet, quid & vbi 31. 35 75. 76
torques aurea, regis inſigne 570
torrens quid in Scriptura deſignet 719
de torrente in via bibere, quid ſignificet 718. 719
torta panis 141 quid 142
toxicum vnde ſic nuncupatum 40.
traditiones, quæ 128 aduerſus hæreticos defenſæ 124
tranſmigratio quid à captiuitate differat 285. 343. 472
transtra, remigum ſedilia 421
tribus duodecim vnde ſic dictæ 459. & earum ſortes 513. 51
an tribus decem Iſraël, cum duabus Iuda redierint è captiuitate Babylonis 198
ex tribubus Iſraël an redierint aliqui de captiuitate Babylonis 112
turcæ circumciſi 41. veri Iſmaelitæ 544 & eorum regnum ibid.
turris Hananael 127. vbi ſita 125
tympanum, lætitiæ inſtrumentum, 116 17
Tyrus, vrbs 95 103 172
vbi & qualiter ædificata, 418 425
ab Alexandro magno euerſa ibid.
an fuerit reſtaurata 419
Tyri excidium ab Ezechiele prædictum 416. 417. 420. 421 425

V.

VAllis cadauerum, 157. vbi & cur ſic dicta 125
vallis cinerum, itemque pinguedinis vnde ſic nominatæ ibid.
vallis filij Ennom, 472. vide Ennom
vallis occiſionis, quæ, & cur ſic dicta, 75 76
valles, pro locis irriguis & frugiferis, 189
vas pro omni bellico inſtrumento 334
vaſa pro bellicis impedimentis apud Latinos 195
vaſa quænam in templo relicta cum Ioacim Babylonem ductus eſt, 103. 104 à Chaldæis poſtea confracta, & vna cum Sedecia tranſlata 104. 105. 215
vaſa argentea à Sedecia rege facta, 248 quando & per quos à templo ſublata 250
vaſa tranſmigrationis quæ 342
vaſa decoris, pro omni ornamentorum muliebrium genere 360

vaſa

vaſa belli,pro gentibus bellicoſis, 209
vaſtario *Moab*,opus Domini 177
Vaſthi, regina 196
venditionum mos,vide ſuprà, Emptio.
ventus viens in viis deſerti, 17. 72. quid ſignificet 18 74
ventus turbinis, 187. quid denotet, 295. 296
ventos paſcere, quid 86
verbum ſuſcitare quo ſenſu dicatur Deus 254
verba ſagittis comparata 41
verba Dei quaſi ignis, malleus conterens petram 88 91
employer le vert & le ſec, quid apud Gallos 385
veritas pro iuſtitia 130 131
vermes, generali nomine ſerpentes dicti 278
veſtimenta ſcindebant Iudæi in rebus triſtibus 140 141.152.276.378
veſtibuli templi cuſtodes 127
veſtimenta alba Deo ſemper attributa, cur 595
veſtis Phrygia diſcolor dicta 385. polymita ibidem
via recta & ſancta, quæ 120
vias ſuas alienis diſpergere quid 15
vias lugere Hebraici ſermonis proprietate, quid 221
vicini quinam dicantur 53
victima quid ab holocauſto differat,vide Holocauſtum
victimæ nomine magna hominum ſtrages declarari ſolita 388.460
victimę pinguiſſima pars,poſt eam,quę Deo offerebatur,ſacerdotis erat 121
victorini error 3
videre,pro vaticinari 210 234.333
videre mortem, gladium, aut bellum, quid 231
viduas facere,ſcripturæ phraſis, quid denotet 276. 398
vigilare pro accelerare,cur 224
vigilare ſuper aliquem,tam in malum,quàm in bonum 161. 163 255
vigilate Dei, quid 618
vigilia prima,quænam 232
vincula,captiuitatis ſigna 313
vindemiare vrbem, quid 223. templum 224. ciues 226
vinea electa, 6. conuerſa in alienam ibid. 10. & 13. demolita à paſtoribus 51
vineæ nomen pro ciuitate apud Hebræos vſitatum, 182. pro Eccleſia à Chriſto vſurpatum 182
vineas plantandi mos 20
vinum pro cæcitate mentis, & inopia conſilij,cur 55
vina quomodo conſeruentur, fortioráque ac delicatiora fiant 177
virga pro ſupplicio 323 324
pro punitione 232. cur 233
pro regno 179
virga vigilans à Ieremia viſa, 2. & quid eius nomine ſignificatur 4
virga hæreditatis,quid,& cur ſic dicta 45
virga virtutis Chriſti quid ſignificet, 684. 677. & quare ex Sion emitti à Deo dicta 686.687
virgo beata,ſecundùm Deum ſpes noſtra 70. porta clauſa 495
virginis ornamentum, 6
viſio Ezechielis,284.quo tempore facta 285. quàm difficilis, 286. ciúſque interpretatio 291 296. & ſeq.
viſitatio aliquando pro pœna, aliquando in bonam partem ſumitur 103. 105. 107. pro pœna 167 185
vitis lignum, niſi fructum ferat, ad nullam rem vtile 353
vitulus in fœdere percutiendo diuidi ſolitus 135
vitulus aureus ex monilibus mulierum conflatus 326
vituli ærei duodecim in templo Dei, 215
vituli aurei à Ierobo[illegible] 178
Vmbilicus terræ Iudæa cur dicta 465
vmbra mortis,horrida caligo 56
vnguentum ex caſſia & aliis aromatibus in ſacrificiis incendi ſolitum 29
vnguibus aut cultris in magno luctu qui ſeſe conſcinderent 174. 184
vngulæ equorum currentium magnum ſtrepitum ciere ſolitæ 173
vnigenitus quid 30
vocari pro *eſſe*,Hebr. phraſis 89. 173. 185. 468
de vocatione Gentilium locus 364
voces acutæ in altum tolli ſolitæ in rebus lætis 129
voluntas Dei an antecedēs & conſequēs 374
qua voluntate non vult Deus mortem peccatoris 444
vota reddenda 275
vox Dei tonitru 44
vox molæ,quid in Ieremia. 95 97
vox æris,quid ſignificet 171
vox magna,pro ſuperbia,cur 51
Vrias filius Semei de Cariath-iarim, propheta 101. à rege Ioacim ad mortem quæſitus, fugit in Ægyptum ibid. eductus inde, gladióque percuſſus ibid.
vſuram accipere num liceat 53
vſurariorum domus decipula 25
Vt, conſequentiam & euentum interdum ſignificat,non ſemper cauſam 74 104.131
vetus Deo attributus, cur 693. etiam viris in Scriptura 694. Chriſto 696
vua acerba 117. quid in Prouerbio, vide Patres.

X.

Xerxes filius Darij 313
Xerxes longimauus ibid.
Xerxes quartus Perſarum rex, opibus & copiis potentiſſimus 630 631
Xirochus, ventus, ventus vrens à Siculis nuncupatus, & quare 19

Z.

Zabulon, tribus & eius ſors vbi ſita 514
Zachariæ ſanguis 102
Zamri 95. vrbs Perſidis 98
homme zelé, quiſnam apud Gallos 518
Zelus Dei quid ſignificet 28
Zorobabel filius Salatiel ex regio genere 378. templi Dei reſtaurator 315

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

- LUG. 1970

Digitized by Google